C.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS,

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN OCTAVUM

AUTORE

BLASIO UGOLINO.






VENETIIS
MDCCXLVII.

Apud Joannem Gabrielem Herthz.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



Joannes Baptista Brustolon Inc.



BENEDICTO XIV.
PONTIFICI
OPTIMO MAXIMO

BLASIUS UGOLINUS
PERPETUAM FELICITATEM.



Iceat mihi aliquando, BEATISSIME PATER, *profiteri testarique omnibus*, *Tua in omnia literarum genera studia & promerita tanta esse*, *ut* Antiquitates *etiam* Sacræ *præcipuo quodam jure Tibi debeantur*. *Neque enim in publicam lucem prodire*

dire unquam auſæ eſſent, ſi Tua, quibus plurimum ſibi præſidii & dignitatis comparabatur, non affuiſſent Auſpicia. Deterrebat me inprimis tanti Operis magnitudo metuentem, ne mihi clariſſimorum Virorum ſubeunda eſſet fortuna, quibus, quamvis ſibi a doctrina & ab ingenio quam mihi eſſent omnia paratiora, cum tantæ ſe ſe undique ſalebræ & difficultates in his literis illuſtrandis obtuliſſent, abjicienda fuerit ea cura, ex qua ſperarunt potuiſſe pro tanti promeriti celebritate poſteritatis memoria & judicio præ ceteris celebrari. Adeunda perluſtrandaque erat non Palæſtina ſolum, ſed finitima etiam Ægyptus, Syria, Phœnicia, Babylonia, quæ ea ſuppetere poſſent monumenta, quibus innumera cum Veteris tum Novi Teſtamenti δυσνόητα *&* ἄπορα *loca potuiſſent illuſtrari. Petenda eruendaque hæc erant ab ultima antiquitate monumenta, quibus expromendis tantæ ſeſe undique perſcrutantibus tenebræ offuderunt, ut pleroſque acceperim hac tanta veluti vetuſtatis nocte deterritos conſilij ſui pœnituiſſe, qui hæc proferenda exornandaque ſuſcepiſſent. Subeunda metuendaque in primis erat vetus illa invidia, qua multos, qui his monumentis celebrandis operam & ſtudium impendiſſent, conflagraſſe memineram, quam mihi præ ceteris de-*

pre-

precandam esse censebam, qui essem ab omnibus cum gratiæ tum autoritatis præsidiis imparatus; quanquam permagni Ecclesiæ interesse putabam has literas in primis illustrari, ex quibus cum plurimum lucis utrique Testamento impertiatur, tum ea peti possint argumenta, quibus plane recentiores Judæi, Mahamedani, Eterodoxi, vel pertinaciæ, vel insaniæ, vel erroris arguantur. Quæ me, cum singula tum universa ita deterrebant, ut amicorum consilio, qui meam fortunam vel dolebant vel miserabantur, tanti Operis cura abjicienda fuisset, nisi divinitus contigisset, ut XVI. *Kal. Septemb. (quo nullus unquam Ecclesiæ dies pulchrior & illustrior illuxit, & omnium gentium & seculorum memoria celebrabitur) incredibili quadam animorum & suffragiorum consensione* PONTIFEX MAXIMUS *renunciarere, quo nuncio ab eo, quo jampridem premebantur, metu* Antiquitates Sacræ *erectæ recreatæque sunt, sperantes Tua, quæ omnibus literis affuerunt, sibi, quæ vel sanctitate, vel præstantia, vel utilitate, vel Divina origine reliquis excellunt, præsidia non defutura; Dignæ enim sibi esse videntur, quas tua gratia atque autoritate præ ceteris tueare. Si leges, si imperium, si res militaris spectentur,* Jehova *Legum-*

gumlatore, Rege, Imperatore gloriantur. Theocratia enim, quæ primum vetusto cum Abrahamo fœdere informata fuit, in monte Sinai, frequentissima populi concione, hostiarum sanguine, mutuoque sacramento confirmata est, sancitumque omnibus suffragiis, ut Deo in populum summum imperium esset, qui juratus promisisset, si sibi Regi eam fidem, qua obstricti essent, ea qua decebat, religione præstitissent, sese ad Regni fines diu noctuque excubaturum, quo suis vigiliis & excubiis a finitimarum gentium terrore & populatione essent tutiores; si vero ab eo, quod tanta sanctitate percussum esset, fœdere defecissent, servitutem, excidium, captivitatem, ceteraque, quæ victis ab hoste patienda metuendaque essent, mala subituros. Leges deinde, quibus religio, & publica privataque fortuna veluti firmissimo quodam præsidio muniretur, a Deo latæ jussæque sunt, a quibus Atticæ Romanæque, quibus Orbis terrarum temperaretur, veluti a fonte divini humanique juris derivatæ sunt. Cum bellum indicendum inferendumque esset potentissimis gentibus, a quibus Patrum hæreditas armis reciperetur, Tabernaculum cum auri, æris, argentique vel copia, vel varietate, vel artificio, vel cælatura, tum supellectili,

varia-

variaque veste, vel purpurea, vel hyacinthina, vel byssina, vel phrygiana magnificentissimum ornatissimumque sibi Imperatori apparari statuique jussit; factaque unis Sacerdotibus sui adeundi conveniendique potestate, jussis reliquis, quo Regia Majestas populo sanctior & augustior haberetur, procul a Praetorio castrametari; omnibus, qui robore & animo praestarent, sacramento adactis, res militaris admirabili quadam castrametandi, oppugnandi, propugnandique arte instituta instructaque est; qua Legati, qui Madianitico, Palaestino, Chanaanitico, Syriaco bello Jehova *Imperatore meruere, tanta laude celebrati sunt, ut clarissimis ceterarum gentium ducibus, vel bellorum varietate & magnitudine, vel victoriae celebritate, in primis vero Imperatoris auspiciis & majestate praeferendi sint. Ampla & praeclara ista sunt; quid cetera? Nonne pluris videntur, quam haec quae commemoravimus, ex rerum ipsarum contentione & dignitate aestimanda? Quod sibi unis divina oracula custodienda asservandaque tradita fuerint, quibus portenderetur nova lex, novum Sacerdotium, novum Sacrificium, novum denique foedus, vetere illo antiquato, cum omnibus gentibus Messiae sanguine sanciendum; quod una Palaestina prae ceteris Orbis* ter-

terrarum regionibus digna habita ſit, quæ Chriſti Redemtoris nativitate, vita, morte, ſepultura ſanctificaretur; quod in ea primum Chriſtiana Religio nata, exculta, promulgata, Chriſti morte, & primorum Martyrum ſanguine confirmata ſit, ut ab ea ad reliquas gentes, quibus & vetuſto Abrahami fœdere, & novo Meſſiæ teſtamento tantæ hæreditatis obeundæ adeundæque poteſtas facta eſſet, Evangelii promulgatione derivaretur; Hinc orbem terrarum peragrare juſſi Apoſtoli, ut gentes ab Idololatriæ tenebris ad Evangelii lucem avocarentur. Hinc Petrus, Pontifex maximus, Aharonitico Sacerdotio abrogato, a Chriſto Servatore renunciatus, Romam ablegatus eſt, ut in principe terrarum orbis civitate princeps Eccleſiæ Chriſtianæ ſedes, a qua ceteræ regerentur, ſuo ſanguine & martyrio ſtatueretur. Extare adhuc clariſſima veteris religionis, & dignitatis monumenta, quamvis barbararum gentium colluvione & imperio fœdata & deformata ſint omnia, dirutaque ſit urbs olim totius Aſiæ ampliſſima nobiliſſimaque, cujus excidio victor ingemuiſſe fertur, licet ex tantæ civitatis ruina celeberrimus ſibi triumphus & gloria quæreretur. Perluſtrari adhuc ſingulari omnium gentium frequentia & pietate Bethlem, Jordanem, Nebo,

bo, Thabor, Oliveti, Calvariæ montes, loca omnia Chriſti nativitate, baptiſmo, jejunio, gloria, pervigiliis, morte, & ſepulcro conſecrata. Frequentari adhuc magna peregrinantium celebritate, multiplici hinc inde jugo patentem aſſurgentemque Morjah montem, primorum hominum Sacrificiis, Abrahami holocauſto, Iſaaci oblatione, Davidis ara, Salomonis templo, Adami (ut extat traditio) & Chriſti ſepultura illuſtratum. Præſtantia hæc licet, & præclara omnibus habeantur, præſtantiora tamen illuſtrioraque Tibi addicenda nuncupandaque Antiquitates Sacræ *putaverunt, decuiſſe, & æquum eſſe ratæ, ut Chriſtianæ Reipublicæ Principi princeps Operis pars merito deberetur. Templum enim Tibi ſiſtunt, vel vetuſtate, vel ſanctitate, vel amplitudine, vel opulentia, vel ſymmetria, vel fama veteris religionis, vel* שכינה*, vel Chriſti Servatoris præſentia, vel Apoſtolorum precibus, vel Romanorum triumpho, vel ipſo excidio ſanctiſſimum nobiliſſimumque; ubi primo ſpectare decuerit ſummum Veteris Teſtamenti Sacerdotem cum maximo Novi Teſtamenti Pontifice neque ſanctitate, neque præſtantia, neque Sacerdotii æternitate conferendum, reliquoſque Aharoniticos Sacerdotes quotidie in Templo magna frequentia miniſtrantes;*

varia deinde Sacrificiorum genera, holocausta, expiatoria, pacifica, salutaria, eucharistica, stata anniversaria, solemnia, in quibus omnibus veterum Patrum oculis animisque obversabatur piacularis illa victima, cujus morte expiandum erat vetus illud scelus, eluendaque illa labes, quæ ita in omnibus hominibus inveteraverat, ut lustrari hostiarum sanguine abluique nullo modo posset. Digna præterea, quæ in primis spectetur, Arca, Propitiatorium, Legis tabulæ, quæ in Penetrali Sanctissimo asservabantur, quo constat nulli, nisi uni Summo Sacerdoti pro tanti loci sanctitate semel in anno in celeberrima illa Expiationis die aditum patuisse. Spectabantur præterea in Sancto, & in Templo Candelabrum, Mensa, utraque Ara, aurea, & lapidea, ceteraque anathemata Titi Cæsaris triumpho, & Arcu, qui adhuc in Urbe visitur, celebrata. Debebatur Tibi præstantissima hæc nobilissimaque totius Operis pars, qui reliquis mortalibus non minus dignitate, quam doctrina & pietate excellis; qui nullo usus ambitu & prehensatione, nulla fretus commendatione Majorum, qui vetusta & recenti rerum gestarum memoria Tibi certe magno præsidio & ornamento esse potuissent, sed una Tibi præeunte virtute, ac munien-

niente viam , maturius , uti decebat , qui mature debebantur , honores aſſecutus es . Magna enim puer expectatione , maxima adoleſcens , ſumma Cardinalis doctrina & pietatis fama commendabare, ut facile omnibus viderentur poſt CLEMENTIS XII. PONTIFICIS *noſtra patrumque memoria ſapientia & ſanctitate optimi maximique mortem, in* COMITIIS PONTIFICIIS, *patres tui unius rationem habituri. Recordare diem illum , quo die fama percrebuit, te ad Urbem ut Comitiis adeſſes, adventare , qua frequentia , quo ſplendore , qua celebritate ſit Tibi obviam itum ab omnibus ordinibus ut ex tanta animorum & ſtudiorum conſenſione omnibus viderere eam dignitatem conſecuturus , qua jampridem bonorum judicio dignus eras & habebare. Quem potes recordari in vita Tibi illuxiſſe diem lætiorem? quam cum habitis jam Comitiis de more primum in ædem S. Petri Pontifex Maximus deducebare ; Quæ fuit eo die civium , quæ peregrinorum , quos ad urbem Pontificiorum Comitiorum fama & expectatio eo tempore frequentavit, quæ omnium ordinum gratulatio ? Cujus ordinis ? cujus generis? cujus fortunæ? cujus denique ætatis ſtudia gloriæ & dignitati tuæ ſe non obtulerunt ? Neque hæc tanta animorum lætitia urbis*

 mæ-

mœnibus contineri potuit, sed mira quadam celeritate Orbem terrarum universum peragravit. Quæ tum a Principibus Christianis? quæ a bonis? quæ ab omnibus actæ habitæque sunt gratiæ Deo immortali pro hoc immortali beneficio? cujus præcipuo quodam consilio factum esse prædicabant, ut hisce, quæ brevi postea consecuta sunt, desperatissimis temporibus, quibus magno diuturnoque potentissimorum Regum bello Europa conflagravit, Ecclesiæ universæ tuendæ procurandæque præficerere, ut tantis malis ea qua polles sapientia & autoritate vel finis, vel modus aliquando quæreretur. Singularis nobis Deo habenda est gratia, quibus Te Pontificem videre & observare contigerit, meritoque posteris præ ceteris mortalibus videbimur fuisse perbeati, quibus licuerit adesse, & oculis intueri, quæ totius Orbis terrarum judicio & testimonio comprobantur. Quanquam multa Tua posteritas habebit monumenta, quæ suspicere possit, & admirari. Tua in primis prædicabitur pietas, innocentia, integritas, sapientia, ceteræque virtutes omnes, quæ te diu noctuque circumstant, admonentque, ut nulla privatæ dignitatis & fortunæ habita ratione, una Ecclesiæ dignitas, & Dei gloria Tibi habeatur antiquissima. Roma, Vaticanum, Capitolium aris,

simu-

ſimulacris, tabulis, anathematis, donariis, marmoribus exornata multa poſteritati oſtentabunt pietatis & magnificentiæ Tuæ monumenta. Bononia Tua, quæ te olim filio, nunc etiam patre præ ceteris Orbis terrarum civitatibus celebratur, multa habet quæ nepotibus poſteriſque oſtendat munificentiæ & liberalitatis argumenta; Seminarium præſertim amplioribus ædibus, & lautiori patrimonio exornatum Templumque Divi Petri tanta abs Te amplitudine & dignitate exſtructum excitatumque, ut poſt Vaticanum in Italia nobiliſſimum ornatiſſimumque habeatur. Celebrabitur ſingularis illa Tua & plane regia in literas omnes præſertim Sacras & Eccleſiaſticas munificentia, quæ abs Te liberaliter altæ eductæ habitæque ſunt, nullaque abs Te Pontifice vel præſidia vel ornamenta defuerunt. Admirabuntur in primis poſteri doctrinæ & ingenii Tui monumenta. Literis plane omnibus excellis & commendaris; Canonum vero ſcientia qua præcipue Romanum Pontificem, cui Eccleſiæ diſciplina commendata ſit, excellere deceat, adeo celebraris, ut poſt hominum memoriam in hoc literarum genere omnium Judicio princeps habeare. Prædicabitur in primis divinum illud Tuum de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione *opus*,

futu-

futurum Ecclesiæ Romanæ æternum atque immortale pietatis & doctrinæ Tuæ monumentum. Tanta se in eo legentibus undique offert divini humanique juris scientia, tanta judicii & eruditionis præstantia, ut uberrimum ab omnibus sacræ, Ecclesiasticæ, & profanæ philologiæ penu & promtuarium habeatur. Illud vero admirandum omnibus videatur, necesse est, Tibi, qui tantarum rerum procuratione destinerere, tanto Operi apparando absolvendoque vacare licuisse. Tua præcipue studia & præsidia in Antiquitates Sacras *spero fore ut a posteris prædicentur, quas, si vita, si valetudo, si opes, si Tua in primis affuerint auspicia*, Antiquitates Christianæ, *quæ a Sacris disjungi nullo modo possunt, jampridem promissæ expectatæque, prælo jam paratæ quamprimum consequentur. Hoc unum interea Deum oro obtestorque, ut Te, cujus salus a publica salute sejuncta esse non potest, quandiu nostrum omnium vota, & Ecclesiæ tempora postulabunt, cum Tuo tum Christianæ Reipublicæ bono incolumem servet, ac tueatur. Vale.*

BLA-



BLASIUS UGOLINUS

LECTORI.




Emplum Hierosolymitanum vel vetustate, vel amplitudine, vel magnificentia, vel fama veteris religionis, vel Christi Servatoris præsentia vel omnium gentium celebritate, vel ipso excidio sanctissimum, nobilissimumque, Lector, in hoc volumine, Tibi sistimus, quod reliquis omnibus præferendum esse censemus rerum vel præstantia vel utilitate, in primis vero clarissimis auspiciis BENEDICTI XIV. Pontificum omnium quos aut vidimus, aut meminimus, vel sapientia, vel integritate, vel doctrina, rerum gestarum vel varietate, vel magnitudine optimi maximique, cujus in omnia literarum genera studia & promerita tanta sunt, ut *Antiquitates* etiam *Sacræ* præcipuo quodam jure illi debeantur. Tres *Maimonidis* tractatus perpetuis notis philologicis, quas ex vetustissimis, & intactis adhuc monumentis eruendas plerumque curavimus, præcipuo quodam studio illustravimus. *Abrahami f. David Arie* amplissimus de Templo Commentarius, ceteris singulari, qua commendatur, eruditione præferendus, nunc primum latina interpretatione illustratus, IX. voluminis magnam partem comprehendet. Cetera quæ consequentur volumina, vel pleraque vel plane omnia nova & inedita continebunt. Hoc unum datum est operæ dabiturque in hoc *Thesauro*, ut Ecclesiæ utilitati, quæ mihi semper fuit, & esse debuit antiquissima, præcipue consulatur.

IN-

INDEX OPERUM,

Quæ in hoc volumine continentur.





SALOMONIS VAN TIL COMMENTARIUS CRITICO-TYPICUS DE TABERNACULO MOSIS,

AD EXOD. CAP. XXV. -- XXX.

ARTICULUS PRIMUS.

Libri Nomenclatura.



IBER, cujus aliquot capita pro viribus illustrare suscepimus majoris operis pars est, & historiæ de rerum primordio continuatio, quæ tantam cum antecedenti volumine & sequentibus connexionem & styli convenientiam agnoscit, ut dubitari nequeat quin sit ejusdem scriptoris opus continuum, sub communi nomine libri תורה comprehensum. *Esræ* seculo in LIV. Sectiones divisum, ut Sabbatinis responderet lectionibus; ab aliis in V. vol. discretum, quod uno Pentateuchi nomine innotuit. Præsens hic liber, nobis ex parte excutiendus, secundum constituit volumen, quod

α. Judæi nomine שמות denotant, desumpto a prima voluminis voce, quæ gentis consuetudo est.

β. Græci autem Ἔξοδον appellarunt a primario hujus voluminis argumento, quo traditur stupendum illud eductionis populi Israelitici ex Ægypto opus, quo ex ser-

vitute Ægyptiaca liberata, gens & usque ad montem Sinai deducta, legibus divinis ita formanda venit, ut in fœdus cum Deo transire posset.

Articulus II.

Argumentum Libri.

ARgumentum hujus libri plane historicum est, Reip. simul ac Ecclesiæ Judæorum origines exhibens: refert enim populi primam a reliquis gentibus separationem ad tempora Ducatus Mosis, explicatque distinctius, quo pacto dilectissima hæc Patriarcharum progenies in Ægypto quondam oppressa, libertati non tantum restituta fuit, ut singularem Rempublicam constituere posset, verum legibus divinis ita fuerit adornata & instructa, ut gratum uni Deo cultum, a cultu reliquarum omnium gentium valde distinctum, Deo Regi & populi patrono præstare valeat. Notandumque igitur leges divinas huic libro inseri per modum historiæ, quatenus Deus repræsentatur, ut qui aliquando inter illos apparuerit, & certis quibusdam intervallis cum Mose agendo, novo huic populo voluntatem suam manifestaverit.

Articulus III.

Hujus Libri Scriptor.

DUbitari nequit quin Moses referendus sit inter antiquissimos Legislatores, cum id quoque admiserint ipsi gentiles, qui seculis illis fuere viciniores, inter quos *Pythagoras* & *Plato*, nec non *Polemon*, *Artapanus*, aliique quorum testimonia adduxit *Grotius* in erudito de *veritate Religionis Christianæ* opusculo. Accedit *Judæorum* testimonium in hac causa nequaquam spernendum, utpote qui volumen legum plurimis seculis ostentarunt tanquam calami Mosaici opus, & annuatim in solemnitatibus perlegerunt. Quod si nemo sanus Laconibus fidem deneget qui *Lycurgum* celebrant Legislatorem, aut Atheniensibus qui *Solonem* eo nomine venerantur, non est cur quis traditionem Judaicam sublestæ fidei esse præsumet; ipsa enim ratio dictat ut, cui Respublica originem debet, illi quoque debeat primordiales ejus leges, secundum quas regimen administratum jam olim fuit: adde quod primordiales illæ leges, quibus resp. omnem quoque salutem debet, ut κειμήλια asservari soleant utpote gloria gentis. Hæc majorem confirmationem accipiunt ex ipsa *Tabernaculi* antiquitate, opus in eo populo antiquissimum & cum prima origine natum, cui omnis forma cultus alligata fuit. Jam vero si attendamus ad causam structuræ *Tabernaculi*, pellucebit totum hoc tentorium Arcæ causa erectum, Arcamque ipsam conditam fuisse propter tabulas fœderis lapideas, quarum erat reconditorium, & propter volumen Legis quod illi adjectum erat a latere: unde evidentissime liquet leges ejusdem antiquitatis esse ac ipsum *Tabernaculum*; unde & Arca vocatur *Arca Testimonii*, utpote recondens opus legum divinarum, & ipsa sua sollicita conservatione probans ejus originem. At non sufficit, originem legum deduxisse a Mose, verum considerandum est penitius adversus nuperum aliquem * *Gallum*, num Moses fuerit quoque historiæ Legislationis Scriptor & Promulgator: eo enim impudentiæ pervenit suspicax hoc nostrum seculum, ut quidam concedant leges fuisse a Mose scriptas, verum historiam legislationis, cui leges illæ insertæ sunt, & adhærent, dudum postea adornatam & compositam fuisse ex antiquorum fama & traditione; verum cui hoc studium adscribere illi velint, ipsi inter se non consentiunt, hisce *Esram*, aliis *Sacerdotem* aliquem *Bethelicum* assignantes, qui id moliti fuissent, verum quam lubricis id fiat fundamentis facile constat attendenti

α. Ad mandatum Dei *Exod.* XVII. 14. ubi Mosi jussit rem cum Amalekitis gestam libro quoque inserere, ut ejus memoria maneat: quo mandato præsupponit Deus aliquas res gestas a Mose conscribi ac proinde & hanc historiolam reliquis adjiciendam esse.

β. Ex *Samaritanorum Pentateucho* colligimus omnem historiam legislationis conscriptam fuisse ante illud divortium quod inter Judam & X. Tribus intercessit. Fieri enim nequit ut duæ nationes se mutuo cane pejus & angue odio prosequentes, consentiant in eandem historiam, post divortium adornatam. Solent enim divisa pectora semper in alia abire, & critico calamo distringere, quæ vel ulla specie carpere possunt.

γ. Acce-

* Sentiment de quelques Theologiens de Hollande.

γ. Accedit quod *Regius Psaltes* variis in Psalmis historiam eductionis populi ex Ægypto & legislationis ita indigitet, ut satis evidenter hinc colligere possimus, illa omnia non tantum sub Mose gesta, sed & scripta esse.

ARTICULUS IV.

Scribendi necessitas.

HAnc historiam Legislationis divinæ, extorsit ipsa necessitas, & seculi facies; erat enim populus Israeliticus ad idololatriam pronus, pervicax & Mosis authoritatem sæpius in dubium revocans, post inventam scribendi artem non potuit tuto traditionibus committi, quæ scribendi causa etiam sub finem *Deuteronomii* allegatur, scil. legum divinitas ex sola historia legislationis innotescere potuit, cum quæ erant morales ex lumine naturæ possent deduci, quæ vero cæremoniales ab arbitrio alicujus Legislatoris pendebant, ut proinde nullum argumentum divinitatis ex ipsis legibus deduci possit, sed omnis probatio profluat ex modo tradendi.

ARTICULUS V.

Scopus hujus Libri.

HÆc scribendi necessitas & ἀφορμὴ nobis facile suppeditat scopum scribentis, qui duplex est,

α. Ne leges divinæ oblivioni tradantur aut hominum perfidia in alienum sensum detorqueantur; Scriptura enim rei gestæ σύγχρονος seu coæva & publice tradita non potuit in posterum obscurari, quoniam in omnium manibus versabatur, & qui ex manu Legislatoris acceperant, abinde primæ puritatis testes constituti fuerunt, quod validum fuit remedium ad refrænandam posteritatis audaciam, si quispiam auderet adversus legum divinitatem & sinceritatem moliri aliquid.

β. Ne in posterum aliquis dubium moveret adversus legum divinitatem & irrefragabilem authoritatem, omnem Legislationis historiam adjecit Moses, quæ scil. ipsa valida est ad divinitatem legis adstruendam: tanta enim signa & miracula comitabantur eductionem populi ex Ægypto, conservationem in Eremo, & primordialem legis promulgationem; ut nemo non agnoverit divinam præsentiam, & convictus fuerit se esse oculatum & auritum testem; coacti enim sæpius sunt fateri, quod ipsum Deum ex monte Sinai audierint verba fœderis pronunciantem, & quod Seniores una cum primoribus viderint Symbolicum illud majestatis divinæ emblema, cujus repræsentamen post solemnem fœderis ratificationem illis exhibitum fuit *Exod.* XXIV. quod argumentum pro divinitate legislationis ideo magis stringit, quatenus rei gestæ historia respondet antiquæ promissioni Abrahamo datæ *Gen.* XV. 13.— 17. qua Deus Abrahamo spem fecit non tantum seminis secuturi, verum etiam in Ægypto aliquandiu opprimendi, sed singulari gratia inde liberandi & in peculiarem Deo populum secernendi, a quo coli vellet, & quem singulari politia gubernandum sibi subjiceret.

ARTICULUS VI.

Stylus Mosaicus.

STylus Mosaicus hic simplex est & historicus rem omnem secundum temporum seriem digerens, maximaque Dei opera sine encomiis simpliciter exhibens, ut non videretur præoccupare hominum animos proprii judicii interpositione; verum quid de omnibus illis judicandum esset cujusque meditationi relinquens, unde prætumida verba cothurno incedentia, qualia oratores amant, ut animi παθήματι excitando homines prius in admirationem quam ad attentionem abripiant, procul esse voluit.

Articulus VII.

Oeconomia hujus Libri.

Ut autem constet quo loco & ordine singula collocata sint, animadvertendum bipartitum fere esse hoc opusculum, comprehendereque

A. Historicam enarrationem liberationis populi ex servitute Ægypti, cujus notatur
  א. Occasio, quæ fuit injusta populi ab Ægyptiis oppressio *cap.* I.
  ב. Præparatio & quidem
    α. Instrumenti quo Deus uti vellet in maximo hoc opere, Mosem indigito cujus describitur
      1. Nativitas *cap.* II.
      2. Vocatio *cap.* III.
      3. Confirmata authoritas *cap.* IV.
    β. Ipsius operis, ubi conspicitur Mosis cum Pharaone multifaria transactio, non sine perpetua lucta regis desideratam dimissionem populi nunc concedentis, nunc denegantis, *cap.* V. ---- *cap.* XI.
  ג. Executio ubi
    α. Populi migratio ex terra Gosen, quæ
      1. Promota est, primogenitorum in Ægypto occisione, dum Angelus occisor Israelitis parceret, *cap.* XII.
      2. Memoriæ commendata, lege agni Paschalis commemorationem annuatim præcipiente, *cap.* XIII. 1. ---- 16.
    β. Deductio usque ad mare rubrum, addita ratione, cur non deducerentur per viam Philistæorum, *cap.* XIII. 17. ---- 22.
    γ. Trajectio maris rubri, unde Judæis
      a. Salus, Ægyptiis interitus accedit, *cap.* XIV.
      b. Gaudium quod singulari cantu testati sunt, *cap.* XV. 1. ---- 21.
  ד. Continuatio dum Deo duce Eremum ingrediuntur, ubi experti sunt Dei.
    α. Curam illis obmurmurantibus omnia necessaria exhibentem, qui
      a. Aquas amaras correxit, *cap.* XV. 22. ---- 27.
      b. Mannam loco panis substituit, *cap.* XVI.
      c. Aquam ex rupe illos assequentem suppeditavit, *cap.* XVII. 1. ---- 7.
    β. Defensionem satis validam præstitit adversus Amalechitarum insultum, *cap.* XVII. 8. ---- 16.
  ה. Politiæ peculiaris constitutio, dum ex Jethronis consilio populo dantur judices, *cap.* XVIII.

B. Historiam legislationis & originis cultus divini in hac parte agitur,
  א. De fœdere Dei cum populo erecto, cujus confœderationis notantur
    α. Præmissa quæ consistebant
      a. In populi invitatione ad πανήγυριν, cum debita animarum & corporum præparatione, *cap.* XIX. 1 ---- 15.
      b. Dei ipsius majestuosa apparitione ad transigendum cum populo, *cap.* XIX. 16.
    β. Norma fœderis ore tenus explicata, ubi stipulatio divina alia facta fuit,
      a. Deo ipso loquente & immediate populum compellante, *cap.* XX. 1. ---- 17.
      b. Mediate per Mosem dum populus præ tremore Deum loquentem non amplius ferret, sed Mosem internuncium peteret, qui illis dedit præcepta spectantia,
        1. Cultum externum, *cap.* XX. 28. ---- 26.
        2. Mutuum populi commercium & concivium conversationem, *cap.* XXI. & XXII. 1. ---- 17.
        3. Venerationem superioribus debitam, *cap.* XXII. 18. ---- 31.
        4. Ad forum & justitiæ exercitium, *cap.* XXIII. 1. ---- 9.
        5. Ad publicas solemnitates annuatim celebrandas, *cap.* XXIII. 10. ---- 19.
        6. Ad bella legitime gerenda, ubi commendatur veneratio Angeli in bello ducis, *cap.* XXIII. 20. ---- 32.
    γ. Ratificatio fœderis cum omnibus ejus solemnitatibus, & ipsius numinis symbolica visione, *cap.* XXIV.
  ב. De erectione tabernaculi, cujus structura

a. Com-

a. Commendatur & divinio præscripto indicatur, *cap.* XXV. ---- *cap.* XXXI. I. ---- 17.
b. Interrumpitur aliquantisper propter populi peccatum cum vitulo aureo, donec Deus populo reconciliatur, *cap.* XXXI. 18. ---- *cap.* XXXIV.
c. Consummatur, *cap.* XXXV. ---- *cap.* XL.

CAPUT XXV.

Analysis.

OMittentes illa, quæ ad populi deductionem ex Ægypto ad montem Sinai ducunt, & ad legislationem seu fœderis promulgationem & ratificationem pertinent, accingimus nos ad TABERNACULI erectionem. Præsenti *cap.* XXV. exhibet nobis Moses nobilissimum illud colloquium seu potius alloquium quo Deus ducem populi edocuit,

α. Quæ ad congestionem materiæ in Tabernaculi structuram inpendendæ requirebantur, *vers.* 1. ---- 9.
β. Formam Arcæ in Sancto Sanctorum collocandæ, *vers.* 10. ---- 22.
γ. Delineationem mensæ, cui panes propositionis imponerentur in primo adyto collocandæ, *vers.* 23. ---- 30.
δ. Faciem Candelabri aurei in eodem primo adyto erigendi, *vers.* 31. ---- 40.

MANDATUM GENERALE

De colligenda materia & struendo Tabernaculo.

Analysis.

Alloquium Dei primum
α. Designat modum quo collectio materiæ instituenda foret, *vers.* 1. 2.
β. Definit materiam coacervandam, desumendamque
1. Ex metallis, *vers.* 3.
2. Ex filamentis, *vers.* 4. 5. p. pr.
3. Ex rebus solidis, *vers.* 5. p. altera.
4. Ex odoriferis, *vers.* 6.
5. Ex lapidibus pretiosis, *vers.* 7.
γ. Explicat in quem usum ista collectanea erant impendenda, ibique exponitur.
a. Quid ex iis fabricandum foret, *vers.* 8.
b. Quanta cum cura prototypon exprimere debebant, *vers.* 9.

Scholia.

Vers. 1. *Et locutus est Jehova cum Mose*) Judæi hoc alloquium Dei ad Mosem existimant incidisse in septimum diem mensis Sivan: statuunt enim promulgationem & ratificationem fœderis uno die absolutam fuisse, quod sane verisimile est, non tantum quia omnia facile uno die absolvi potuerunt, verum etiam quia illa transactio non videtur in plures dies divellenda, quæ tam arcte cohæret, cum annua legislationis illius memoria celebrata fuerit ipso die Pentecostali, qui semper incidit in 6. mensis Sivan, & solemnitatis illius unicus tantum dies fuerit festivus, Judæorum traditio videtur sententiæ favere; qua data hypothesi sequitur necessario hoc alloquium in sequentem diem referendum esse, quia redeuntibus a monte Senioribus Moses ponitur ibi mansisse per 40. dies, qui terminantur in 17. mensis Tamous, quo Judæi jejunium fractarum tabularum causa annuatim quoque observant, a septimo enim mensis Sivan usque ad 17. mensis Tamous 40. dies intercedunt. Incidit proinde alloquium hoc in tertium ab exitu Ægyptiaco mensem, ut Deus non diu cunctatus fuerit, qui præscripserit populo omnem colendi modum.

Vers. 2. *Loquere ad filios Israel*] Mandatum obligatorium devincit omnem populum ad suppeditandam materiam tabernaculo requisitam, quia omnes filii Israel transierant in fœdus, & illis ut fœderatis incumbebat quibusdam muneribus Deum fœderatum agnoscere. Accedit quod fuerit ut populi rex, & in Oriente reges sine munere nemo salutat.

Capie-

Capietis mihi oblatum) Capere hic eſt proprie ſeparare a proprio peculio quædam Deo tradenda : vocabulum hebræum תרומה a themate רום in hophal תרם ſignificat aliquid de acervo & cumulo tollere, unde Græci appellant ἀφαίρεμα, ſecundum hanc etymologiam ſignificat donum de ſumma ablatum, ſed cum radix exaltandi ſignificationem quoque agnoſcat, nonnulli *elevationem* interpretantur, quod Belgæ eleganter exprimunt *een hef-offer*. Conjiciunt viri docti donum hoc ita appellatum fuiſſe a ritu quodam adhærente, volentes quod Sacerdotes qui iſta donaria excipiebant ab offerentibus, ea cœlum verſus attollerent, quaſi Deo repræſentantes & elevatione ſignificantes, illa nunc Dei eſſe.

Cujus cor erit voluntarium) Verbum hebræum נדב ſignificat ſpontaneum animi motum, ſcilicet non erat præſcribendum populo, quæ quiſque daret, verum illud cujuſque arbitrio committendum erat, ut quilibet teneretur, hoc dono teſtari amoris magnitudinem, & quanti faceret Dei amicitiam, quam ſi quis pluris faceret, eo ampliorem quoque menſuram attulit.

Verſ. 3. *Capietis aurum*, &c.) Metallorum tres enumerantur ſpecies tum in vaſorum confectionem, tum etiam in inveſtituram quorundam utenſilium impendendæ. Nulla *ferri ſtanni* aut *plumbi* fit mentio, utpote metalla corruptioni magis obnoxia & minoris pretii, cum hic omnia debeant pretioſa eſſe & regiæ, imo divinæ majeſtati, reſpondentia.

Verſ. 4. *Hyacinthina*) Color pro re colorata metonymice ponitur, indicaturque lana cærulea, & quidem pretioſiſſimi coloris. Notant Philologi ex concharum ſpeciebus unam fuiſſe, quæ apud *Plinium* alioſque nomine *Conchilii* innotuit, animalculum oſtreatum, ſanguine nigricante refertum, cui intincta lana cæruleum colorem referret, de qua re multis agit clar. *Bochartus Hieroz. lib.* V. 11. nec non clar. *Braunius de veſtitu Sacerdotali lib.* 1. *cap.* 13.

Purpurea) Aliud genus tincturæ denotat colore purpureo, nomenque habet ab alia concharum ſpecie, cui nomen purpura, ejus captura olim frequens Tyriis, qui lanam ſanguini purpuræ intingentes, magnum inde quæſtum faciebant conf. *Braunium lib.* I. 14.

Coccina dibapha) Belgæ *Scharlaken*, rubri coloris erat, cujus tinctura ex vermiculis granis cocci innatis accipiebatur. Sanguinei fuiſſe coloris probant teſtimonia *Thren.* IV. 5. *Jeſ.* I. 18. additur vox שני ad augmentum pretii, denotatque lanam binis vicibus intinctam. Plura dabit Præſtantiſſ. *Braunius lib.* I. *cap.* 15.

Byſſus] Belgæ *fyn lynwaat*, quotieſcunque ejus in Scriptura fit mentio, indigitatur linum majoris pretii. Philologi nomen שש ſubindicare exiſtimant linum hoc ex filamentis ſeptuplicibus contortis compoſitum fuiſſe, unde texturæ ſingularis ſoliditas, qua de materia *idem* eodem *lib. cap.* 6.

Pili caprarum] In textu hebræo ועזים phraſis elliptica eſt, ut vocabulum pilorum ſubintelligatur, quod evidentiſſime probant collata teſtimonia *Exod.* XXVI. 31. & XXXI. 26. ubi *capræ* i. e. pili caprarum *colo ſubjiciuntur*, jubenturque etiam Iſraelitæ nere pilos caprarum & inde aulæa conficere; Confer *Bochartum Hieroz. lib.* II. *cap.* 51.

Verſ. 5. *Pelles etiam arietum rubefactæ*] Arietum ſc. vellera præparata & rubicundo colore tincta tabernaculo inſervire debebant velamenti loco, ut aeris injuria arceretur, conf. *cap.* XXVI. 14.

Et pelles תחשים] Dubitant interpretes num vocabulum תחשים ſit nomen coloris an animalis, *Junius* & *Tremelius*, quos *Noſtrates* ſequuntur, ut nomen animalis accipiunt, vertuntque *pelles melium*, *Daſſevellen*. Vocabulum autem coloris tantummodo eſſe *Bochart. Hieroz. lib.* III. *cap.* 30. urget, cujus veſtigiis inſiſtit *Bynæus* in tractatu de *Calceis hebræorum lib.* 1. *cap.* 3. qui rubrum quoque ſeu coccineum colorem in iis agnoſcit. Hæc vellera etiam tabernaculum obtegere debeant, & immediate aeri exponenda fuerunt, ut collatio loci *Exod.* XXVI. 14. evincit.

Et ligna Sittim) Multum hic laborant interpretes & Philologi, cujus ſpeciei hoc lignum fuerit, atque ob rei obſcuritatem *Belgæ* hebraicum nomen retinuerunt, dum vertunt *Sittim-hout*, ſcil. locus unus & alter occurrit in Scriptura ſub nomine *Sittim*, ut *Abel Sittim*, nec non *Nahal Sittim*, vide *Numer.* XXV. 1. *Joſ.* II. 1. & III. 1. *Numer.* XXXIII. 49. *Joel* III. 18. unde exiſtimant hæc ligna allata fuiſſe : verum quia vocabulum hoc in ſingulari שטה occurrit *Jeſ.* XLI. veriſimilius eſt nomen ſpecificum arboris eſſe. Quidam ſpeciem *Cedri* fuiſſe inde conjiciunt quia in ſtructura templi Salomonis hujus loco lignum cedrinum fuit adhibitum. Multis fabulantur Judæi, unde in deſerto hanc ſpeciem ligni cedrini accipere potuerint Iſraelitæ, quorum nugas libenter omittimus, quæ videri poſſunt in diſputatione *Friſmuti de Arca Teſtimonii*; ſed rem expedire doct. *Urſinus* videtur in *Arboreto Biblico lib.* I.

22.

22. qui ex *Hieronymo*, *Bellonio*, aliisque animadvertit in deserto Sinaitico reperiri arborem quandam spinosam & valde nodosam, *Acaciæ* genus referentem, cujus lignum admodum solidum est, & satis aptum ad omnia illa conficienda quæ in tabernaculi structura requirebantur, obiterque annotat lignum *Sittim* a *Cedrino* citato *Jes.* loco evidenter distingui.

Vers. 6. *Oleum ad luminare*) Scil. candelabri, de cujus structura infra vers. 31. conf. *Exod.* XXVII. 20.

Odoramenta ad oleum unctionis) Scil. ungendi erant Sacerdotes & nonnulla tabernaculi vasa, inque eum finem massa aliqua mollior componenda fuit ex variis odoramentis quæ compositio tota describitur *Exod.* XXX. 31.

Et ad suffitum aromata) Quæ singulatim etiam enumerabuntur *Exod.* XXX. 34.

Vers. 7. *Lapides Sardoniches*) Tandem accedit enumeratio rerum offerendarum ad lapides pretiosos, quorum alii destinabantur ad ornamentum Ephodi, alii ad ornamentum Pectoralis. Ephodum ornabat Sardoniche lapis utrique humero imponendus.

Lapides implentes) Id est, inserendi pectorali: debebat enim pectorale XII. lapides recipere pro XII. tribubus Israel, illique omnes inter se distincti, de quibus infra agendum erit.

Vers. 8. Pergit nunc Legislator, jubetque ut faciant *Sacrarium*, Hebr. מקרש a sanctitate tabernaculi nomen obtinuit, quia Deo Sancto consecratum non tantum fuit, verum & actionum sanctissimarum theatrum, nec non rerum & personarum sanctarum receptaculum foret.

Habitabo inter eos] Ita primarium Tabernaculi usum subinnuit, ut nempe Deum ibi habeant præsentem, quem omni in casu, si necessitas id flagitaret, in consilium adhibere possent, ut proinde tabernaculum inter tentoria Israelitarum fuerit instar *Prætorii* quo Romanorum Imperatores & Duces utebantur quando cum exercitibus castra metabantur.

Vers. 9. *Omnino prout ostendo tibi ideam*] Vel, *prout videndum tibi objicio*. Vocab. Hebr. תבנית est vocab. mechanicum a radice נבה *ædificare*, significatque exemplar, cujus accuratiorem expressionem curare debet artifex, alias adspectabilem corporis humani formam denotat quoque, *Jos.* XXII. 28. *Psal.* CVI. 20. *Deut.* IV. 16. 17. uno verbo, cujusque rei repræsentantem, formæ tabernaculi & vasorum ejus, Mosi objecit, ut præstaret usum normæ aliquo opere exprimendæ.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *In littera* Tabernaculum hoc condendum concipi debet instar palatii regiæ majestatis aut prætorii, in quo Deus se populo præsentem sistere voluit sub symbolo aliquo significativo, quæ præsentia Judæis שכינה vocatur, quod maximum gentis Judaicæ fuit privilegium, Deum scil. ut regem sibi habere tam propinquum, vid. *Deut.* IV. 7. quem in omni casu accedere possent, ut responsa referrent: verum ne gloriosissimus ille inquilinus minoris fieret, omniaque regiæ majestati responderent, voluit

α. Ut omnia *pretiosa* forent, majestatemque referentia, quod enim subditi regibus debent in testimonium æstimationis, scil. efficere, ut cum manifestatione gloriæ habitent, atque omne eorum decus servetur, hoc ipsum jure exegit Deus ab Israelitis, dum per symbolicam & aliquatenus visibilem præsentiam inter illos habitare voluit.

β. Ut ex *spontaneis* materia colligeretur: cum spontaneitas donorum uberiorem testetur amorem, & æstimationem, legitima fuit & hæc stipulatio.

γ. *Humanam opem* postulavit in conficiendo tabernaculo, in testimonium Israelitas regi debere quoque manuum operam.

δ. A *norma deflectere* prohibet, quo testatum dedit subditos sibi debere humilem subjectionem & stare ejus arbitrio.

§. 2. Quod si *Typicum repræsentamen* consideremus, Tabernaculum fuit typus Ecclesiæ N. T. tam militantis quam triumphantis, in qua שכינה præsens foret, conf. *Joh.* I. 14. *Hebr.* IX. 1. — 14. In qua Ecclesia notandum

α. Quod omnia forent *pretiosa* per divinam gratiam, sc. creaturarum optimi & divina gratia exsatiati debebant conficere materiam ex qua spiritualis domus conficienda fuit vid. 1. *Petr.* II. 4. 5. 6. unde fideles electi inter pretiosa quoque numerantur, *Psal.* CVI. 15. & alibi.

β. Dona debuerunt esse *Spontanea*, ita & populus Christi recensetur inter munera *spon-*

ſpontanea CX. 3. amandus enim eſt Deus amore voluntario & ſpontanea cordis allubeſcentia.

γ. *Hominum* miniſterium ad ſtructuram tabernaculi requirebatur, quod etiam in Eccleſia N. T. locum habet, dum omnes & ſinguli fideles obligati ſunt facere ea, quæ ad Eccleſiæ ædificationem valent, quamvis præcipuus hic miniſtrorum verbi Dei locus ſit, qui hac in parte reſpondent viris ſpiritu Dei imbutis, Tabernaculi ſtructuræ præfectis; adeoque alii materiam congerunt, idque pro viribus, dum hic aurum, alius lignum ſuppeditat, alii autem ſtruunt, dum miniſterio Verbi & Sacramentorum fideles ſibi invicem conjungunt.

δ. *Norma* ſtructuræ inſtar ideæ operis conficiendi propoſita fuit, quam ſequi debebant architecti, ita quoque verbi Evangelii præcones nil docere debent præter id quod traditum eſt, Eccleſiæque ædificationem dirigere ad normam verbi Dei, nihilque agere ex proprio cordis conſilio.

ε. Cumque opus Tabernaculi dicatur ſingulari polluiſſe *ſanctitate*, ſequitur Eccleſiam N. T. adumbrari ut ſanctam, per ſanguinem Chriſti ſanctificatam, omneſque cœtus extra illam communionem habendos eſſe, ut communes & communionem cum Deo non habentes.

§. 3. Notandum interim quoque aliud myſterium adhuc ſubeſſe, quod Deus ſtructuram tabernaculi non commiſerit hominum arbitrio, aut architectorum artibus leges mecanicas ſequentibus, hoc enim tacite innuebat arcanum aliquod Dei conſilium homini natura non notum, ſed a Deo revelandum & non niſi cœlitus manifeſtum antecedente peculiari revelatione, ac proinde hiſce externis elementis myſterium ſubeſſe determinata aliqua ſtructura ſubindicandum; quod ut aptius eloquamur; nihil aliud eſt quam omnia externa elementa ſignificativa eſſe rei ſpiritualis aliquando præſtandæ, ne quis putet Deum ſibi complacere in externis illis rebus materialibus, alias enim cultus rationalis diceret,

Dicite pontifices in ſacris quid facit aurum?

Nunc autem monebantur omnia eſſe *hieroglyphica cœleſtia*, quarum minima pars magni momenti eſſet æſtimanda, ac proinde non negligenda, ne myſterium ſignificatum aliquid detrimenti capiat.

DE ARCA FOEDERIS.

Analyſis.

STructura Arcæ fœderis nunc ſequitur, principium hoc operis eſſe debuit, quia nobiliſſimæ dignitatis foret ſupellex, adeo ut propter ſolam hanc arcam fere tabernaculum ſtruendum fuerit, cujus ope ab injuria aeris defendi poſſet. Methodus præceptorum Dei ſequitur ordinem hiſtoricum, ut quod primo faciendum erat, primo loco ponatur: itaque

α. Receptaculum hic definitur Sanctiſſimum conficiendum cum ſingulari delectu.
  a. Materiæ, *verſ.* 10. pr. p.
  b. Dimenſionis, *verſ.* 10. p. altera.
  c. Ornatus incruſtatione auri curandi, *verſ.* 11. p. pr.

β. Lymbus depingitur receptaculo condito imponendus, *verſ.* 11. p. altera.

γ. Inſtrumenta adhærentia receptaculo portando inſervientia, ubi numerantur.
  a. Annuli, *verſ.* 12.
  b. Vectes, *verſ.* 13. --- 15.

δ. Contentum receptaculi futurum, ubi commendatur tabularum in arcam depoſitio, *verſ.* 16.

ε. Operculum, cujus definitur
  a. Structura, *verſ.* 17.
  b. Ornamentum conſiſtens in figura duorum Cherubim, quorum depingitur.
    1. Materia, *verſ.* 18. p. pr.
    2. Artificium, *verſ.* 18. p. alt.
    3. Locus, *verſ.* 19.
    4. Forma, *verſ.* 20.
  c. Situs, *verſ.* 21. p. pr.
  d. Uſus, qui duplex indicatur
    1. Obtegendi, *verſ.* 21. p. alt.
    2. Thronum exhibendi, *verſ.* 22.

Scholia.

Verſ. 10. *Arca* hebr. ארון tria in ſacra Scriptura ſignificat,

α. *Loculum* in quo mortui conduntur & ſepeliuntur, *Gen.* L. 26.

β. *Gazophylacium*, cui pecunia aut theſauri aſſervandi commendantur, 2. *Reg.* XII. 9. 10. 2. *Chron.* XXII. 8.

γ. *Arcam fœderis*; facile enim ex prioribus ſignificationibus conficitur ad ſecundam alludi, ut proinde Arca fuerit reconditorium & receptaculum peculiaris theſauri, ſingulari cura conſervandi.

Diſceptant Philologi a quo themate vocabulum ſit derivandum, veriſimilis nobis *Ludovici de Dieu* videtur ſententia, ille enim monuit verbum ארה olim ſignificaſſe quoque *colligere*, eamque ſignificationem adhuc obtinere in lingua *Æthiopica*, quod rei convenit, ut arca dicatur in quam res colliguntur aſſervandæ. Aliorum ſententias annotavit doct. *Friſmutus* in diſſertatione Philologica de *Arca fœderis capite* 2. Gentiles quoque per *κακοζηλίαν* in fanis ſuis arculas quaſdam in veneratione habuiſſe in quibus ſacras reliquias habebant incluſas idem author l. c. monuit, plura tamen ſuppeditat *Spencerus lib.* III. 1.

Ex lignis Sittim) Vid. ad *verſ.* 5. Notandum hic eandem ligni ſpeciem ſtructuræ tabernaculi & arcæ impenſam fuiſſe.

Longitudine ſua, &c.) Hæc menſura formam ſimul ac capacitatem arcæ definit; quoad formam fabricata fuit oblonga & quadrangularis, cujus altitudo latitudini fuit æqualis: proportio autem longitudinis ſe habuit ad latitudinem, ut tota dimenſio ad 3. quintas; capacitas vero reſpondebat duarum tabularum dimenſionibus, quibus verba fœderis inſcripta erant.

Verſ. 11. *Auro puro obduces eam*) Aurum nobiliſſimum eſt metallum colore rutilo, lucem valde reverberans, ærugini non ſubjectum. *Purum* dicitur quando ab alieno metallo quampote repurgatum eſt: non enim ab omni mixtura deſtitui poteſt, quia alias malleo obtemperare nequit. Laminæ igitur auri tenujores materiam ligneam obducere debuerunt ne ab aliqua externa cauſa lignum erodi poſſet. *Plutarchus* animadvertit Ægyptios in ſacris Oſiridis quodam die ſub nocte ad mare deſcendiſſe & Stoliſtas una cum Sacerdotibus τὴν ἱερὸν κίςην extuliſſe *χρυσῦν ἐντὸς ἔχουσαν κιβώτιον*. Apud Babylonios in Apollinis templo auream miræ vetuſtatis arculam quondam repertam fuiſſe ex veteribus annotavit Clar. *Spencerus*, qui tamen inde non recte colligit Deum id a Gentibus mutuo ſumpſiſſe, & Iſraelitis ob eorum *σκληροκαρδίαν* conceſſiſſe: cum res ipſa flagitet maxima *κειμήλια* apto reconditorio includenda eſſe, id poſtulante humana œconomia, & rei digniſſimæ conſervatione. Accedit multum differre gentium ritum ab hoc divino inſtituto, & longe aliam gentibus fuiſſe rationem iſtiuſmodi arculas condendi a divina ratione, profani illi enim homines imagunculas & reliquias Deorum, imo & nonnunquam pudenda his arculis includebant. Divina e contra inſtitutio reſpexit commodam conſervationem tabularum fœderis, & repræſentamen throni divinæ majeſtatis.

Intrinſecus & extrinſecus obduces eam) Ut proinde univerſa lignea ſtructura tantopere auro incluſa fuerit, ut ne quidem hilum ligni conſpici potuerit.

Facieſque ſuper eam lymbum aureum) Vocab. Hobr. זר quod *lymbus* transfertur a radice זור quatenus eandem cum אזר habet ſignificationem ſcil. a *cingendo* nomen obtinuit, architecti *cimacium* appellarent: eratque opus a receptaculo diſtinctum & munimenti loco illi ſuper impoſitum, ejuſque pars elatior operculum includens poſtea inſerendum, atque ita coarctans ne huc vel illuc dimoveri poſſit. Vir rei architectonicæ peritus, qui nuper Cunæi rempublicam Hebr. continuavit, exiſtimat ex auro elaborato hoc cimacium confectum fuiſſe; ornatum foliis & florum germinibus, quod inde colligit, quia talia cimacia ornamenti loco impoſita hunc vel ſimilem ornatum requirunt.

Verſ. 12. פעמות) Conf. *Exod.* XXXVII. 3. Non eadem eſt interpretum ſententia, circa hujus vocis ſignificationem, dum alii quos Belgæ ſequuntur *angulos*, vertunt, alii vero *impages*, quæ *Feſto* interprete a fabris in tabulis figi ſolebant, quo firmius cohæreant, qui *angulos* vertunt, extremas partes laterum intelligunt, ubi latitudinis & amplitudinis fieri ſolet commiſſura, veriſimilior tamen eſt poſterior ſententia, definiri hic ſcilicet anſulas quibus annuli inhærerent, quæ lateribus arcæ erant infingendæ ut operis moles valde ſuſtineri poſſit.

Ut duo annuli ſint in latere uno, &c.] צלעו על צלע quamvis in ſtructura corporis humani coſtam, in diſciplina tamen architectonica ædificii aut ſtructuræ latus ſigni-

significat, *Exod.* XXVI. 26. & 35. & alibi. Usus eorum fuit, ut vectes susciperent, quibus arca portanda fuit, dubitant Judæi an vectes se porrexerint juxta latera latitudinis vel potius longitudinis, an vero juxta latera extremitatum. Posteriorem sententiam quidam suscipiunt, quia spatium sesqui cubiti putabant non satis amplum ad bajulos introrsum admittendos: sed vana ratio est, quia bajuli ab exteriore vectium latere manus admovere & potuerint & debuerint. Accedit etiam ratio quod annuli attribuantur lateribus non extremitatibus arcæ, quæ duæ partes distinctis nominibus denotantur, ut constat ex collatione *vers.* 19. Non indicat Moses num annuli inserendi fuerint circa basin aut cimacium, num vero circa medietatem laterum, quia supponitur plura vidisse in idea quam audivisse, ac proinde circumstantiæ nonnullæ minores rationem hieroglyphicam non habentes aliquando omittuntur. Probabile tamen est, annulos illos præter propter circa medium altitudinis laterum locatos fuisse propter leges mechanicas, requiritur enim ut rationem haberent æquilibrii oneris gestandi, ne moles inter portandum, in hanc aut illam partem inclinando facile evertatur. Saltem minus probabile est, annulos circa inferiora lateribus insertos fuisse, quia vectes in annulis manere debuerunt immobiles, si ergo ad inferiora spectassent, pavimentoque fuissent viciniores, pedibusque ingredientis pontificis fuissent offendiculo.

Vers. 13. Annotantur hic vectes ex eadem materia cum Arca confici debuisse, & eodem modo auro obduci.

Vers. 15. *Ne amoventor inde*) Rationem istius præcepti non incongruam dedit R. *Abarbanel*, scil. ne arcam ipsam attingerent, necessarium erat ut moneretur vectes non removendos esse, constat enim quid *Usæ* evenerit, qui arcam vacillantem manu tetigit, unde divino judicio cecidit, quamvis vir esset ex tribu Levi oriundus, 2. *Sam.* VI. 6.

Vers. 16. *Collocabis in ea testimonium*, &c.) Usus arcæ denotatur, quod nempe præstaret officium reconditorii tabularum fœderis· העדת, LXX. τὸ μαρτύριον, articulus ille denotat rem aliquam specificam, phrasi ellipsis subest, subintelligitur enim vocabulum *tabularum*, tabulæ enim fœderis vocantur *tabulæ testimonii*, & inde sæpius *arca* quoque *arca testimonii*. Ratio denominationis est, quia cum ipsæ tabulæ essent divinum opus, Dei digito quasi sculptæ, habebant vim argumenti & testimonii confirmantis Deum cum populo fœdus iniisse, & quasi propria manu subscripsisse, illudque subsignatum exemplar authenticum populo servandum tradidisse, ut haberent quo veritatem fœderis probarent, & ad quod in repostulatione responderent.

Quod daturum sum tibi] Scil. promulgata jam fuerant verba fœderis, nondum tamen digito Dei conscripta. Hoc opus enim Moses a Deo retulit, quando elapsis 40. diebus e monte ad populum rediit. Verum cum Deus binis vicibus has tabulas conscripserit, primo ante μοσχοποίαν, deinde illis fractis propter populi apostasiam, Deo denuo cum populo suo reconciliato; inquiritur primæne an secundæ scriptæ tabulæ in arca reconditæ fuerint: quidam enim imprudenter statuerunt tabulas fractas in arca reconditas fuisse, quod est Judæorum quorumdam somnium, verum Scriptura satis evidenter definit, arcam suscepisse tantum tabulas integras, secunda vice a Deo relatas, vid. 1. *Reg.* VIII. 9. coll. *Deut.* X. 1. --- 5. Quæritur num etiam alia in arca fuerint recondita, dubitandi causa oritur ex loco ad *Hebr.* IX. 3. 4. ubi *Paulus* affirmare videtur, *urnam Mannæ & virgam Aaronis* inibi quoque fuisse, quod tamen non consentire videtur cum loco 1. *Reg.* VIII. 9. ubi asseritur præter duas tabulas lapideas nihil in arca fuisse, quam ἐναντιοφανείαν plus quam uno modo tollunt viri docti, dum alii

α. Relativum ἐν ᾗ non ad propinquius nempe τῆς κιβωτοῦ, sed ad remotius σκηνῆς referunt, atque ita mens Pauli fuisset asserere duas illas reliquias non quidem in Arca sed in Sancto Sanctorum fuisse asservatas.

β. Alii in arca fuisse latiori significatione admittunt, considerantes lateralia receptacula arcæ fuisse adjuncta in Sanctuario, inque iis aliquot Scripturæ volumina deposita fuisse, conferentes loca *Deut.* XXXI. 26. 1. *Sam.* VI. 8. atque adeo volunt urnam quoque cum virga Aaronis simili in loco repositam fuisse.

Vers. 17. כפורת denotat tertiam fabricæ partem a vase & cimacio seu corona distinctam, cujus usus esset operire arcam, verum cur operculum hoc ita nominatum fuerit disceptant Philologi. Radix enim plusquam unam significationem admittit, dum & illinire & expiare significat. Ad primam significationem respicientes volunt operculum ita appellatum, quia ut pix ligno illinita illud obtegit, ita quoque operculum tegendi munus exercuerit, qui expiandi significationem considerant, rationem denominationis referunt ad alium operculi usum, quo pertinuit ad thronum inhabitan-

tantis Dei majestatis & juvenci sanguine conspersum Deum repræsentavit ut populo conciliatum mediante sanguine expiatorio LXX. utramque significationem conjungentes reddiderunt ἱλαςήριον ἐπίθημα χρυσῆ. Ad ultimam significationem respexit Paulus *Rom.* III. 25. quam etiam præferimus propter Paulinam authoritatem & rei evidentiam.

Ex mero auro] Unde pars hæc vasis conditorio fuit pretiosior, quippe lignum non recipiens.

Duorum cubitorum & dimidium, &c.] Scil. longitudo & latitudo propitiatorii plane respondebant dimensioni arcæ, debebat itaque intra limbum inseri & arcte includi, lateribus limbi seu cimacii prominentibus.

Vers. 18. *Et facies duos Cherubinos aureos*) Circa originem & etymolog. vocis כרבים non eadem est Philologorum sententia, de quo dissensu videri potest dissertatio *Frismuthi de Arca*. Probabilior communiter videtur sententia eorum, qui ad rad. כרב, quatenus idem fere quod רכב significat, referunt. Hoc solummodo notandum existimamus, quod non sit nomen proprium Angelorum aut hominum, sed potius nomen officii, quo tam Angeli quam homines fungi possunt, qui enim throno majestatis inserviunt, Deumque sessorem vehunt, jure כרבים vocantur dum officium vectorum præstant. De forma Cherubinorum non minor lis est. Non male interim *Josephus* animadvertit animalia fuisse sed volucria simul, nulli eorum, quæ ab hominibus visa sunt, similia. Probabile est corpus humanum, vitulinis pedibus sustentatum, & aquilinis alias ornatum, caput admisisse quadriforme, quatenus vultus humanus, leoninus, bovinus & aquilinus in omnes oras prospexerint, qualia vulgo colliguntur ex *Ezech.* I. 10. X. 14.

Ex auro continente facies eos] Tota itaque massa materiæ aurea fuit, & corpus solidum, nullibi commissuras admittens.

In duabus extremitatibus operculi] Quod ita videtur concipiendum, ut pedes conjunctim cum extremitatibus operculi limbi margines fere attingerent, genuaque inflexa haberent, quibus operculo incumberent.

Vers. 20. *Sintque Cherubini illi unus ad alterum*] In textu originali *viri ad fratrem suum*, qui linguæ idiotismus vulgaris est.

Alis passis sursum versus) Ita *Junius* quem *Belgæ* sequuntur; attamen minus recte nostra sententia, quia alæ sursum erectæ non potuerunt operculum obtegere, ut dicitur in sequentibus, rectius ergo alii superne, hebr. למעלה, quam significationem *Noldius* vir eruditissimus in concordantia partic. hebr. annotavit; itaque alæ Cherubinorum se efferentes inflectebant ad se mutuo, ut quasi majestati inhabitanti formam sedilis præstarent, qua flexura commodissime universum propitiatorium obtegere potuerunt.

Versus ipsum operculum facies Cherubinorum sunto] Ita ut vultus anteriores utriusque Cherubini non tantum se mutuo respexerint verum etiam inclinatis intra alas quasi capitibus oculos ad propitiatorium direxerint.

Vers. 21. *Impones autem hoc propitiatorium arcæ superne*] Id est, Supra oras nonnihil prominentes ipsius reconditorii.

Postquam in arca posueris testimonium, &c.] Intelligit iterum tabulas fœderis ut *vers.* 16. vidimus, ante arcæ occlusionem ei imponendas : scil. lapideæ erant tabulæ natura sua fragiles, hic recondendæ & occludendæ ut nunquam frangerentur, quem usum arca conclusa præstitit.

Vers. 22. *Ubi conveniam tecum*] Hic designatur secundus propitiatorii usus, innuitque Legislator fore, ut illic loci velit habitare & sedere inter Cherubinos *Psal.* XCIX. 1. quod cosilium implevit dum symbolo nubis tabernaculum ingredientis inter Cherubinos locum occupavit. Sed denotat & aliud beneficium, Deum nempe inde se velle populo manifestare, oracula consulentibus fundere, precibusque accedentes recipere, eorumque desiderio respondere.

Et loquar tecum] Scil. reliqua præcepta pro varia temporis opportunitate promulganda inde quoque tibi communicabo, ut proinde tanquam Rex medio in populo adesse voluit, regnum variis placitis administrans.

Quæcunque præcipio tibi de filiis Israel] Scil. cum Mose agere voluit, qui voluntatem Dei interpretis loco ad populum referret.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Ratio externa & litteralis hujus œconomiæ est, quod Deus qui tabernaculum condi jussit propter arcam, nunc quoque arcam condi voluit propter tabulas

 fœde-

fœderis. Cumque pro dignitate fœderis instrumentum illud verba fœderis recipiens putandum & estimandum fuit, ostendit

α. Quanti hæc fieri debebant *a parte populi*, qui pignus illud debebant studiose non tantum conservare, ne per incuriam instrumentum illud lapideum frangerent, verum etiam auro carius habere, ac proinde operculum auro includere, thesaurum operculo ex auro confecto obtegere, inter portandum prudenter gerere, manus abstinendo, testari quod sanctum non profanatum velint, verum etiam ornamento Cherubinorum condecorare, ut testatum darent, cœlestes creaturas dignitatem fœderis cum stupore animadvertere, quod proinde ipsis imitandum incumbebat. Fuit igitur hæc gloria populi, utpote facti jam regnum sacerdotum, qui gaudebant jure accedendi ad Deum supra arcam habitantem.

β. *A parte Dei* publice hac fabrica constabat, quanti faceret & ille fœdus suum cum populo, qui voluit thronum gratiæ supra arcam erigere, adeo ut reconditorium hoc tabularum fœderis speciem retulerit suppedanei & fundamenti throni, Deusque ipse conspici voluit ut fœderis istius non tantum lator sed & rator & protector. Angelique symbolice adstant ut fœderis illius testes, admiratores, defensores ac vindices.

§. 2. Verum in *typica ratione* altius ascendendum est, considerandumque universi repræsentaminis basin inveniendam esse in fœderis gratiæ administratione in regno cœlorum, curanda per Christum glorificatum, & ad thronum majestatis admissum. Huc respexisse arcam Testimonii docent testimonia Novi Testamenti, *Rom.* III. 25. *Hebr.* IX. & seq. & præcipue *Apoc.* XI. 19. ubi in cœlo arca Dei visa fuit tanquam in templo Dei.

A. *Arca* itaque est repræsentamen Christi,

a. Respectu *materiæ*, sicuti enim illa confecta fuit ex ligno Sittim & auro, ita quoque humana Christi natura ex rebus creatis desumpta fuit.

1. *Lignum Sittim* ex arbore spinosa excisum referebat carnem Christi ex hominibus assumpta, qua in similitudine peccati carnis visus est, *Rom.* VIII. 3. jure enim filius hominis concipitur repræsentatus, ut qui pro nobis maledictionem tulit & maledicti speciem retulit, si arborem spinas ferentem concipimus habere aliquid maledictionis, vid. *Gen.* III. 18. Hoc lignum concipitur & excisum & in reconditorium capax paratum, quod notare potest antecedaneam Christi mortem, qua ex terra viventium excisus capax demum reditus est ad suscipiendam fœderis & gratiæ dispensationem omnem, non aliter ac arca ad susceptionem tabularum fœderis.

2. *Aurum* accessit, quo confectum conditorium undiquaque erat involvendum: hoc omnes fere interpretes concipiunt ut divinitatis symbolum, quibus tamen adstipulari non possumus, quia & Cherubini ex auro conflati fuerunt, quibus tamen honor Deitatis non competit, imo plurima fuerunt ex auro conflata vasa, quæ tantummodo membrorum ecclesiæ repræsentamina erant. Accedit quod omnes asseres tabernaculi intrinsece auro obducebantur, qua in re tamen nemo symbolum Deitatis quæsivit. Nos itaque auro denotatam fuisse gloriam qua Christus a resurrectione sua fuit indutus, quæ omnem speciem humilitatis & maledictionis ita obtegit, ut nihil ejus post resurrectionem comparuerit amplius, ab eo tempore enim *gloria quasi unigeniti* a Patre conspecta fuit, cum hac gloria ingressus est Christus *Sanctuarium*, h. e. *cœlum* ipsum; neque ratio deest cur auro assimiletur, quod metallorum pretiosissimum est, nam pretium non tantum consideratur in opere sed & in præmio, gloriam enim, quam ipse referebat, promeruerat & suis, eamque accepit quoque suorum nomine, concipimus ut rem dignissimam & pretiosissimam non sine pretioso lytro acceptam, si quis Deitatis requirat symbolum, illud postea assignabimus in שכנה, neque conveniens putamus duo divisa repræsentamina Deitatis in una eademque re velle admittere.

b. Respectu *formæ*, arca fuit quadrangula & accommodata ad tabularum intromissionem, earumque defensionem ab omni injuria læsionis. Hoc mihi denotat Christum intercessorem & sponsorem, quatenus capax fuit omni ex parte ad suscipiendam fœderis gratiæ administrationem, adeo ut inter illum solum, & fœderis gratiæ pondus atque amplitudinem æqua fuerit proportio, postquam excisus & dedolatus fuit morte crucis: nemo enim alias in *Apocalypsi* dignus videbatur in cœlo & in terra accipiendi volumen oblatum & referendi sigilla ejus, præter *agnum* hunc *mactatum*.

c. Respectu *usus*, qui erat recipere tabulas fœderis & intra suam capacitatem susce-

susceptas secum adducere in Sanctuarium, ibique conservare, quod ipsum & Christi opus, qui est מלאך הברית, cui adjudicata omnis potestas in cœlo & in terra, ejus opus erat postquam legem habuerat in visceribus suis, totam causam fœderis suscipere, & consilium pacis defendere, stabilire, conservareque sua gubernatione, ut ne hilum deficiat, a cujus patrocinio & defensione est, quod *fœdus pacis* dicatur *nunquam vacillaturum*, *Jes.* LV. 10.

d. Respectu *instrumentorum*, quibus portanda erat arca, quorum mera ratio fuit, ne sanctius vas illud attingeretur, quod mihi denotat Christum a resurrectione in cœlum ipsum provehendum, ita separandum fuisse ab humano consortio, ut amplius manibus male feriatorum hominum profanari non posset, unde & *Mariæ* dixit, ne *attingito me*, *nam nondum ascendi ad Patrem meum*, scil. nunc non amplius venturum ita contrectandum, hominumque oculis usurpandum ac nuper; non enim, teste *Paulo*, *Christum* nunc *cognoscimus* amplius *secundum carnem*, sed *secundum spiritum*.

B. *Operculum* ad idem repræsentamen quoque facit, quamvis novum induat respectum, habet enim relationem ad Christum intercessorem, qui in cœlis coram Patre hoc agit, ut passionum & meritorum perpetuo repræsentamine gratiæ fœdus sartum tectumque conservet, & thronum gratiæ stabiliat.

α. *Structura* quæ erat lamina aurea quotannis sanguine aspergenda, Christi mediatoris justitiam activam & passivam adumbrat, cujus pretium denotabatur infiniti valoris fuisse, eo quod lamina ex mero auro confecta erat, *confer.* testimonia pretium sanguinis Christi exaggerantia.

β. *Limbus* operculum ambiens & arcæ insertus coronæ formam habens, denotabat potentissimam justitiæ ejus defensionem jure regiæ majestatis. Christus enim non tantum potestatem, sed & potentiam habet in cœlis, qua jus suum sibi vindicat atque asserit, valetque longe abarcere qui in animum inducerent jus suum involare.

γ. *Cherubini* operculo impositi symbola fuerunt ministrorum regis, alas illi porrigentium, ut illis sellæ loco insideret, & pro libitu quasi circumveheretur. Vana nobis videtur virorum doctorum dissertatio, Angeline an homines sanctificati his symbolis denotentur, cum utrunque significare possint, & pro subjecta materia significent. Nemo dubitat Angelum, qui primores ex Paradiso expulit hoc nomine indigitatum, nec quispiam dubitare potest quin quatuor Animalia, *Apoc.* V. 11. sint repræsentamina hominum, utpote qui profitentur se *sanguine Christi redemptos*, *Apoc.* V. *vers.* 8. 9. errori fons est quod viri docti habuerint hoc nomen ut appellativum, speciem quandam creaturarum significans, cum potius, ut monuimus, sit nomen officii atque muneris, quod Angelis & certis quibusdam hominibus variis in casibus posset esse commune. Hoc loco ubi Cherubini repræsentantur in Sancto Sanctorum, non possum non intelligere Angelos & homines glorificatos, quotquot throno Christi inserviunt, cum glorificando tum agnoscendo ejus majestatem.

1. *Ex mero auro fuerunt*, quod denotat incorruptibilem & gloriosam eorum in statu confirmationis conditionem.
2. *Forma quadruplex* significat omnes qualitates & virtutes in sanctis illis ministris divinæ gloriæ requisitas, & in iis pellucentes, humanam scil. sapientiam, bovinam constantiam, leoninam magnanimitatem seu generositatem, aquilinam celeritatem, & prudentiam in perficiendo ministerio.
3. *Duo numero* fuerunt, ita ut quilibet Cherubinorum corpus conflatum ex quatuor animalibus repræsentaret, cum alibi animalia illa quatuor separata & distincta occurrant, cujus rei causam existimamus, quod quilibet Cherubinus repræsentet hic systema ministrorum & ministrantium quasi in unum corpus conflatum. Non male igitur viri docti duos Cherubinos referunt ad duo quasi corpora, sc. ad Ecclesiam Veteris & Novi Testamenti glorificatam & glorificandam, ipsisque Angelis conjunctam. Nisi quis malit respectum ad duo distincta systemata creaturarum Christo ministrantium, ut unus Cherubinus repræsentarit Angelorum systema, alius systema hominum glorificatorum, qui in terris Christo ministraverant ante adventum ejus, nunc autem in cœlis repræsentantur illi adhuc ministrantes, quatenus verbum eorum ad manifestationem gloriæ Christi semper efficax est, quæ nostra sententia est, omnibus aliis, nisi fallor, simplicior & planior.
4. *Situs* Cherubinorum notandus quoque est, describuntur enim

a. *Alis*

a. *Alis super propitiatorium porrectis*, & quasi paratis ad accipiendam nubem, quod denotat Angelorum ac Patriarcharum Prophetarumque spontaneitatem ad Christum in throno majestatis excipiendum & quasi gerendum.

b. *Faciebus ad se invicem conversis*, id est, ab utroque latere versus symbolum divinæ majestatis directis, quod notat Angelos hinc, beatos illinc videre faciem Dei, & observare voluntatem numinis.

c. *Uultu prono*, utraque enim societas eodem desiderio inspiciendi mysterium redemptionis tenebatur ante adventum Christi, mirabatur post adventum, utpote nunquam satiata a conspectu justitiæ & sanguinis, quibus gratiosissima hæc œconomia innitebatur.

d. שכינה, *Schechinah*, his omnibus adjici debet, scil. nubes, quam Scriptura *Gloriam Dei* appellat, domum ingressa inter Cherubinos substitit, ibique permansit, symbolum.

1. Deitatis in cœlo inter glorificatos degentis, & in Christo se manifestantis, quod ita concipio, ut quidem primario intelligam secundam Deitatis personam cum arca, i. e. glorificata humana Christi natura unitam, sed ita tamen, ut propter περιχώρησιν divinarum personarum, habuerint Patrem & Spiritum quoque præsentem, adeo ut Filium videntes viderint & Patrem, *Joh.* XIV. 9. 10. 11.

2. Et quidem Filii ut regis in throno sedentis, cui data omnis potestas in cœlo & in terra, qui inde Ecclesiam gubernaret, oracula per Spiritum suum emittendum effunderet, legesque suas promulgaret, & ad Deum accedentes ipse primus quasi exciperet, propterea fit mentio throni gratiæ, de quo *Hebr.* IV. 16. & alibi, quem si quis adit, dicitur per Christum Deum adire, inque Christi nomine Patrem rogare.

3. Supra operculum sedebat שכינה, *Schechinah*, quod denotabat thronum fundatum *in gratia*, *Jes.* XVI. 5. & *in justitia*, quam diximus rapræsentatam ipso operculo.

MENSA AUREA.

Analysis.

SEquitur arcam mensa aurea, quæ secuodo loco ante altare thymiamatum proponitur, quia præmittuntur supellectilia ædis sacræ, quæ erant symbola gratiæ, a Deo hominibus oblatæ, cum in altari θυμιάματος homines aliquid Deo offerebant; collocandum autem erat hoc vas in primo Sanctuario, describiturque

α. Quoad structuram, dum legislator exigit confectionem.
- a. Tabulæ superioris, cujus definitur
  - 1. Materia, *vers.* 23. p. pr.
  - 2. Mensura, *vers.* 23. p. alt.
  - 3. Ornatus, *vers.* 24. p. pr.
- b. Limbi & tæniæ, *vers.* 24. p. alt. & 25.
- c. Annulorum & manubriorum, *vers.* 26. --- 28.

β. Vasa nonnulla mensæ imponenda, *vers.* 29.

γ. Usus, qui erat ad suscipiendos panes faciei, *vers.* 30.

Scholia.

Vers. 23. *Facies mensam*, &c.] Materia lignea ex eadem arboris specie desumenda erat, ex qua arca confici debuit vid. *vers.* 5.

Duorum cubitorum, &c.] Definitur mensura, scil. proportio longitudinis dupla fuit ad proportionem latitudinis, cumque latitudo accomodata fuerit ad panum amplitudinem commode admittendam, necesse erat ut proportio longitudinis dupla esset propter duos panum cumulos juxta se invicem erigendos, altitudinis proportio media fuit inter longitudinem & latitudinem, scil. sesquicubiti, unde eruimus mensam non fuisse quidem valde erectam; verum id requirebat panum cumulus, qui VI. numero in unoquoque cumulo ad aliquam sufficientem altitudinem assurgerent; scil. occurrendum erat difficultati panes imponendi & removendi.

Vers. 24. *Et obduces eam*, &c.) Ornatus aureus convenit cum ornatu arcæ; conf. *vers.* 11.

Facies-

Faciesque ei limbum aureum) Qualem quoque arca receperat ibidem *verſ.* 11. qui requirebatur ne vaſa menſæ impoſita aliquo infortunio forte in terram prociderent, cui malo limbo cavebat legislator.

Verſ. 25. *Facies quoque ei tæniam palmarem*) in textu originali מסגרת, a radice סגר, clauſuram ex etymo ſignificat, interpretes quorſum referant, valde dubitant, cum alii *fulcrum* interpretantur, cui pedes affigebantur, alii aliter, verum res ipſa evincit, marginem denotari, cui tabula menſæ includebatur; itaque cingebat tabulam ligneam circumquaque palmari latitudine.

Et facies limbum aureum, &c.) Hunc limbum multi confundunt cum limbo verſ. præc. commemorato; alii diſtinguentes, menſam duplici limbo circumcinctam fuiſſe ſuſpicabantur, verum erronee; cum hic limbus adhærens margini, tabulam includenti, potius concipi debeat ornatum verſus inferiora promiſiſſe, ita ut alius limbus conciperetur ſupra marginem erectus ligno tabulæ adhærens, alius infra marginem demiſſus, illique adhærens & conjunctus, quod videntur confirmare verba *Joſephi*, qui *Antiq. lib.* III. 7. de menſa hac aurea agens, inquit *habebatque circumquaque labrum quatuor digitis, tam inferne, quam ſuperne.*

Verſ. 26. *Qui erunt in quatuor pedibus ejus*] Quatuor igitur pedes molem ſuſtinuerunt, quamvis eorum forma non deſcribatur, utpote ſtruenda juxta normam ideæ & repræſentaminis, nihilominus erui poteſt ex *Joſepho* viro Sacerdotalis ordinis, quem talia latere non potuerunt, cujus citato loco hæc ſunt verba *: In ſancto menſam collocavit Delphicis non abſimilem longitudine duorum cubitorum*, &c. *eam ſuſtinebant pedes, dimidia ſua parte inferiore per omnia pedibus ſimiles, quales lectis Dorienſes addere ſolent, ſed ſuperne quadrangulares erant.* Ex quibus verbis eruimus pedes menſæ aureæ dimidia parte ſuperiori quadratos, inferiori rotundos, & nonnihil in acumen deſinentes fuiſſe, quæ Dorica ſtruendi forma erat.

Verſ. 27. לעמת המסגרת) Hæc verba pro cujuſque præjudicio tranſtulerunt interpretes, qui clauſuram accipiunt ut fulcrum, reddunt *e regione tæniæ vel clauſuræ*, verum qui menſam illi incluſam fuiſſe ſtatuunt, reddunt *ſubter clauſuram*, quod quoque admittimus.

Ut ſint ſedes manubriis) Ita potius vertimus propter authoritatem *Joſephi*, cujus citato loco hæ ſunt verba : *Per ſingulos pedes inerant annuli fere circa ſummum pedem, adhibebanturque utrinque duo, ſeu manubria e ligno firmiſſimo deaurata, quæ non per circulum utrumque ut vectes trajiciebantur, ſed fibulato morſu menſæ labrum ſuperne, inferne pedis annulum comprehendendo, facultatem transferendi, quocunque opus eſſet, præbebant.*

Verſ. 29. *Præterea facies patinas*, &c.) Hic quatuor vaſorum recenſentur genera.

α. *Patinæ*, hebr. קערות, quæ fuerunt ſcutellæ ſatis amplæ, recipiendis panibus propoſitionis accommodatæ, utpote qui in hiſce ſcutellis repoſiti, per totam hebdomadem relinqui debuerunt, ut colligimus ex *Levit.* XXIV. 8. *Num.* IV. 7. VII. 13. & *verſ.* 84. 85.

β. כפרת *Acerræ*, quarum uſus erat recipere incenſum panibus imponendum, conſ. *Num.* VII. 14. *Levit.* XXIV. 7. Nomen habuerunt a כף, quod *volam* ſignificat, atque indigitat formam, nam volæ manus cavitatem repræſentabant, ſimulque formæ exiguitas ſubindicabatur.

γ. קשות. Hic diſſentiunt Philologi, quodnam vaſorum genus hoc vocabulo denotetur, dum alii *opercula* ſeu *ſcutellas operientes* intelligunt, exiſtimantes panes deſuper ſcutellis opertos fuiſſe. Verum quia ex hac cauſa panes potius mucorem contraxiſſent, & Scriptura iſtius contectionis nullibi mentionem facit, potior videtur eorum ſententia, qui *pateras* intelligunt, quod & LXX. indigitant quando σπονδεῖα vertunt, conſ. *Exod.* XXXVII. 16. *Num.* IV. 7. 1. *Chron.* XXVIII. 17.

δ. מנקיות. Hic quoque interpretes ſe vertunt in omnes formas, aliqui *ſcopas* vertunt, reſpicientes etymon vocis, quia ſcoparum uſus eſt menſas verrere & emaculare. Verum hæc ſententia nobis abſurda videtur, quia ſcopæ nunquam ex auro conficiuntur, forent enim ad verrendum inutiles. Alii aliter, ſed potior nobis videtur ſententia Judæorum in re dubia, qui *aureos calamos* intelligunt, inter panes collocandos, ne immediate ſibi mutuo incumberent, atque ita intra ſeptimanam mucorem contraherent, qui uſus etymo vocab. melius ſatisfacit, cujus emphaſis & propria notio infert, ut inſtrumenta valeant ad immunitatem ſervandam a noxa qualicunque externa, qualem inferret mucor, niſi hoc remedium quæſitum fuiſſet.

Quibus tegetur] Dubium eſt aliquibus an verbum יסך derivandum ſit a verbo נסך *libare*, an a verbo סכך *tegere*, qui primam ſignificationem præferunt, vertunt quibus

bus *libandum erat*. Verum cum in Sancto nulla libatio fieret, potior est ultima acceptio, non quasi hisce panes erant obtegendi, verum quia omnia illa vasa mensæ erant insternenda, quæ exinde fere obtegebatur.

Vers. 30. *Panis faciei*) Ad cap. *Lev.* XXIV. describendus erit, hic autem solummodo animadvertendum cur *faciei* appellatur. Judæi volunt ita panes appellatos fuisse ab impressis faciebus Cherubinorum, verum cum hæc conjectura ad subtilitates Judaicas sit referenda, simplicior est responsio, hoc nomen illis impositum fuisse quia proponebantur coram facie Jehovæ, quia שכינה supra arcam habitans concipitur ut faciem suam obvertens versus Sanctum & omnia utensilia sancti.

Jugiter) Non licuit igitur mensam sine panibus derelinquere vacuam, adeoque quando recentes priorum loco veniebant substituendi, mensæ adesse debebant, cum priores essent removendi, ut illico priorum locum occuparent.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Cum tabernaculum formam haberet regii habitaculi, hæc conditio postulabat, ut cibus adesset regi & regiæ familiæ conveniens, stetitque illic mensa XII. panibus instructa pro numero XII. tribuum ad denotandum, Deum omnibus tribubus Israelis esse sufficientem, qui illis suppeditaret quidquid ad vitam & pietatem ut necessarium requirebatur. Accedebant etiam *cyathi* sive *pateræ*, non quidem vino repletæ, quia sic vinum intra septimanam in vappam verteretur. Attamen pocula aurea satis indigitabant cum cibo quoque potum a rege expectandum, id est, omnia quæ ad hilaritatem & gaudium quicquam facere poterant.

§. 2. Mysterium tamen magnum sub hoc repræsentamine latebat

A. Respectu *mensæ*, cujus

a. *Materia* eadem cum arca, eundem Christum denotabat glorificatum, & opus suum mediatorium respectu applicationis salutis promoventem.

b. *Locus* tamen alius fuit, dum in Sancto collocari debuit, quod Sanctum erat typus Ecclesiæ Novi Testamenti invisibilis, seu regni Christi spiritualis, in quod nulli concipiuntur ingressi præter regeneratos, quibus datur facultas non quidem corporeis sed spiritualibus fidei oculis Christum mediatorem intuendi, & ex hac mensa portionem cibi & potus spiritualis repetendi.

B. Respectu *vasorum*, quæ aurea erant mensæ imposita, typus conspicitur ministrorum Christi variis donis spiritualibus instructorum, unde illis pretium conciliatur: quorsum Paulus respicit, 2. *Tim.* II. 20. dicens in *magna domo non tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & testacea occurrere;* varietas autem vasorum varietatem ministerii denotat.

a. Sicut enim *Scutellæ* panem ferendo proponebant, ita œconomi mysteriorum Dei, verbum Dei & Sacramenta administrando, Christum vitæ causam proponunt.

b. Sicut *acerræ* thura & incensum excipiebant, ita alii ministri, donum habentes precum & gratiarum actionum, reliquis formulas precum præscribunt, & quasi præeunt.

c. Sicuti *cyathi* & *pateræ* vasa erant vino recipiendo apta, ita qui donum habent consolationis, utiles sunt in Ecclesia ad exhilarandos lugentium animos.

d. Sicuti *calami* panem conservabant a mucore, discernentes inter panem & panem, ita quibus datum est donum prudentiæ ad ἐπισκοπὴν, & regimen Ecclesiæ bene administrandum, curant ut cuique sua portio maneat discreta, & tradatur incorrupta, dum ad puritatem doctrinæ attendentes, curant ut Christus in Evangelii præconio pure auditoribus proponatur.

C. Respectu *panis* oportet nos attendere ad

a. *Panem ipsum*, qui est figura corporis Christi crucifixi, atque ita mensa se habet ad panem, sicuti Christus glorificatus ad seipsum crucifixum, cumque in pane requiratur vis alendi, Christus quoque concipitur ut causa omnis vitæ & profectus spiritualis, quatenus nempe morte sua hanc gratiam promeruit & electis non largitur nisi in communione cum morte sua, sicuti enim panis non alit nisi quando comeditur, & quasi in materiam hominis transit, ita quoque Christus non est cuiquam causa vitæ, nisi post spiritualem fidei comestionem & digestionem, de qua re plura ad *Lev.* XXIV.

b. *Ad panum numerum duodenarium* respondentem numero XII. tribuum, denotantemque sufficientiam meriti Christi ad procurandam populo suo vitam & salutem.

c. Respectu *propositionis*, qua collocari debuerunt ante faciem Dei per integram septi-

septimanam, antequam Sacerdotibus de iis licuit comedere, quod subindicabat saltem prioritate ordinis Christi patrocinium præcedere salutis applicationem, id est, nullam electos accipere gratiam nisi quam Christus intercessorio repræsentamine passionum suarum petiit a Deo Patre.

d. Respectu *perpetuitatis*, qua mensa nunquam sine his panibus conspici debuit, denotatum fuit, Christum sufficientem salutis causam omnibus sæculis fore, adeo ut nunquam non per illum electi vivant & gratiæ corroborationis participes constituantur.

CANDELABRUM AUREUM.

Analysis.

Sequitur nunc tertium vas, scil. candelabrum aureum, quod dipingitur quoad

α. Materiam, *vers.* 31.
β. Formam, eamque
  a. Scapi, *vers.* 32.
  b. Calamorum lateralium, *vers.* 33. --- 36.
  c. Lampadum, *vers.* 37.
γ. Instrumenta adjuncta, *vers.* 38.
δ. Molem, *vers.* 39.
ε. Operis in executione exactitudinem requisitam, *vers.* 40.

Scholia.

Vers. 31. מקשה] Opus continuum postulavit Deus, ut proinde candelabrum ex variis partibus componi non debuerit, verum ex una auri massa confici, sive malleo, sive unica fusione; modus enim definiri vix potest.

Ex mero auro) Duo priora vasa admittebant lignum auro incrustatum, hic autem aurum merum exigitur, quod flagitabat structuræ ratio, dum opus ex variis ramulis constructum, variisque inflexibus & ornamentis conficiendum, vix aliam materiam admittebat præter solidum aliquod metallum.

Scapus ejus) Juxta emphasin textus originalis *femur ejus*, quod vocabulum non videtur denotare totum scapum, sed ejus partem inferiorem, quæ universo vasi esset fulcri loco.

Et ramus ejus) Hic hallucinantur plurimi interpretum, dum vocabulum singularis numeri transtulerunt in plurali; causa erroris est, quod putarunt hic totum candelabrum describi, cum solummodo scapus candelabri hoc versu describatur; in sequentibus demum versiculis accingit se legislator ad delineationem sex reliquorum calamorum, videlicet pro numero VII. lampadum septem calami requirebantur seu rami, quibus singulis una lampas imponenda fuit, hoc autem versu unum septem calamorum singulatim describit, quia constituebat partem scapi superiorem, ejusque figura plane fuit erecta, cum reliquorum debuerit esse incurvata.

Et calices ejus) Vocab. גביע, *Genes.* XLIV. 12. scyphum seu calicem denotat, in architectonicis aliquod ornamentum similem in modum excavatum, cujus formam exprimit textus ad *vers.* 33.

Et mala ejus] Vox כפתור *malogranatum* significat, in re autem architectonica quamcunque sphærulam seu globum malogranati in modum sculptum & formatum.

Et flores ejus) Seu potius gemmæ ejus, nam vox פרח a ציץ distinguitur *Jes.* XVIII. 5. ut gemma a flore plane aperto.

Vers. 32. *Sex calami*) Scil. reliqui, qui priori erecto veniebant superaddendi, ut numerum septenarium complerent.

Egredientes e lateribus ejus] Nimirum e lateribus candelabri aut rami prioris: quando laterum fit mentio non concipi debent calami in orbem egredientes, sed unus supra alium quasi ad perpendiculum ex partibus e diametro oppositis.

Vers. 33. *Tres calices amygdalini*) Id est, amygdalorum formam referentes, quod quomodo cum figura scyphorum convenire queat, vix concipi potest, nisi concipiamus amygdala dissecta, ut proinde forma fuerit quasi ovalis, intus quidem scyphum referens, extrorsum autem amygdalum.

Tres calices, &c.) Quilibet calamus ita confectus erat, ut calici malogranatum videretur impositum, illique iterum gemma supposita, quæ series ternis vicibus in singulo calamo fuit repetita.

Verſ. 34. *In ipſo vero candelabro*) Id eſt, in ipſo ſcapo candelabri eadem ſeries quatuor vicibus repetita fuit.

Verſ. 35. *Malum* (ſive ſpherula malogranati-formis) *ſub duabus calamis*, &c.) Hæc verba per hebraiſmum, tribus vicibus repetuntur pro linguæ genio, Latini brevius efferrent hoc modo, *ſub ſingulis parium calamorum*, *ubi ex ſcapo egrediuntur*, *malogranatum erit*; quibus verbis exacte definitur locus ſive punctum egreſſus calamorum ex ſcapi lateribus.

Verſ. 37. *Facies item lucernas ejus ſeptem*] Quas tamen lampadum formam habuiſſe, inde conſtat, quia oleum adhibitum fuit ad lumen excitandum, quod non niſi commodo receptaculo retineri potuit, ad flammæ nocturnæ alimoniam.

והעלה ad verbum *aſcendere faciet quiſpiam*) Id alii accipiunt pro ipſa incenſione luminarium, alii tamen, ut nos putamus, rectius pro collocatione lampadum in extremitatibus calamorum, quod non niſi ſublata manu fieri potuit, ſcil. lampades erant vaſa candelabro non contigua ſed libera & quotidie mutanda, cum ut purgarentur, tum etiam ut oleo implerentur, & ellychniis inſtruerentur, accedit quod *Num.* IV. 9. lampades enumerentur inter vaſa, ſeparatim involvenda & portanda.

Et faciet lucere e regione faciei ejus] Hiſce verbis indicatur lampadum verus ſitus, quem *Joſephus* etiam illuſtrat, ſtatuens candelabrum ita fuiſſe collocatum in auſtrino tabernaculi latere, ut unam ſeriem calamorum porrigeret verſus orientem, alteram verſus occidentem, quibus lampades eo ordine erant imponendæ, ut faciem ſuam luminoſam converterent Boream verſus ad menſam auream, & ex elatiori loco lumen in ſuperficiem menſæ, nec non altaris thymiamatum demitterent, conf. *Num.* VIII. 2.

Verſ. 38. *Et forcipes ejus*, *& trullas ejus*) Primum inſtrumentum nomen a capiendo accepit, quia illis ſolebant apprehendere ellychnia, & verſus anteriora promovere, ac forte etiam emungere, ut multi ſuſpicantur; verum quod ad alterum inſtrumentorum genus attinet, dubium eſt quale fuerit: LXX. πυρεῖα interpretantur, forſan quia putarunt ignem ſuſcipere ad lampadum accenſionem requiſitum; alii putant vaſcula fuiſſe excipiendis lucernarum emunctarum ſordibus accommoda; ſunt etiam qui thecas forcipibus recipiendis aptas interpretantur, verum in re obſcura nobis ſemper probabilior videtur antiquiſſimorum interpretum ſententia, quotieſcunque ratio nulla quæſtionem definire poteſt.

Verſ. 39. *Talento auri puri*, &c.) Talentum continebat 60 libras, quod autem alii fingunt duplex fuiſſe pondus apud Judæos, alterum ſacrum, alterum vulgare, priuſque alteri ſive poſteriori duplum præponderaſſe, id non admittimus, quia illa ſententia nunquam ſolide probata eſt, & magnam in republica confuſionem hæc varietas peperiſſet, de qua re viri docti *Brerewodus* & *Bernardus* in tract. de *nummis & ponderibus*.

Verſ. 40. *Facias juxta ideam iſtorum*, &c.] Quoniam nonnulla reſtabant verbo tenus minus explicata, qualia ſunt candelabri altitudo, calamorum a ſe invicem diſtantia, & ſi quæ plura ejus generis ſunt, adjicitur hoc monitum, ut in reliquis non ſequeretur artifex proprium mentis arbitrium, ſed Dei repræſentatum exemplar, plura enim viderat Moſes quam audiverat, quæ omnia tamen exacte erant exprimenda.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. In Sanctiſſimo illo loco *lumen* deeſſe non debuit

α. Quia tot pretioſa hic non erant collocata, ut in tenebris ſepulta manerent, ſed ut cum ſtupore animadverterentur: alias enim fruſtra tot ſumptus impendiſſent Judæi, & gloria domus Dei non debuit occultari, ſed manifeſtari.

β. Quia Sacerdotes hic quotidie debebant exercere munus ſuum primo mane & ſera veſpera, ac proinde ne ingrediendo & egrediendo, alicubi impingerent, illuminari debuit Sanctiſſima domus.

γ. Ut poſſent diſcernere vaſa, debitumque opus debito loco facere, lumine opus erat ad diſcretionem.

§. 2. Sed *ſpiritualis ſignificatio* hic admodum ampla eſt; in domo Dei vivi, quæ eſt Eccleſia, noluit Deus tenebrarum prædominium; in regno enim lucis oportet lumen cognitionis ſapientiæ & prudentiæ omnibus adeſſe, qua mediante decus œconomiæ divinæ expendere, in domo Dei ſine offenſione verſari, & omnia debita officia prudenter præſtare valeant diſcretione boni & mali, convenientiarum & diſconvenientiarum, ut diſcernere poſſent mutuis occurſibus, quibus cedere oporteat, quam viam tenere, omniaque juſto loco & tempore perficere. In eum finem conſpicimus,

α. *Candelabrum aureum*, quod est symbolum Ecclesiæ mysticæ, *Apoc.* I. 20. II. 5. *Zach.* IV. 2. Verum sub illa ratione formali considerandæ, quatenus unum corpus cum Christo constituit, & in illo cum Deo triuno arctam communionem habet; deinde etiam quatenus confessionem fidei ostentat, atque in hoc munere omnibus prælucet, vel si cum Paulo velimus loqui 1. *Tim.* III. 15. quatenus est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, quamque Christus spiritu suo ita affundit & implet, ut a veritate fundamentali nunquam desciscat, quæ gratia non est Ecclesiæ visibilis sed invisibilis. Notandumque porro hoc candelabrum fuisse confectum

a. *Ex auro*, quod denotavit Ecclesiam merito Christi & imputata ejus justitia Deo pretiosam & propter charismata Spiritus Sancti ex hac justitia profluentia intus glorificatam esse, *Ps.* XLV. 14.

b. *Ex partibus variis.*

1. *Scapo* scil. *inferiore*, qui denotavit Ecclesiæ invisibilis immobilitatem in decreto Patris & constanti amore fundatam.

2. *Ex scapo superiori* cum sex reliquis calamis, qui denotabant Ecclesiam septiformem, secundum septem Ecclesiæ Novi Testamenti periodos, ita tamen ut calamorum instar sibi semper similis esset quoad doctrinam fidei & morum in confessionibus publicis tradendam.

3. Cum singulari *continuitate*: erat enim opus ex auro confectum; ita adumbrata fuit Ecclesiæ mysticæ unitas arctissima, quatenus Ecclesia omnium temporum unum idemque corpus Christi constituit.

β. *Ornatus* candelabri negligendus non est, qui apparuit in omnibus calamis idem, ubi.

a. *Calyces* seu *cyathi* commodum emblema constituebant fidei, quæ omnium donorum spiritualium basis est, habetque instar calicis, quod apta nata sit ad suscipienda oblata Dei beneficia.

b. *Malogranata* commode repræsentant fructus fidei, conf. *Cant.* IV. 13. dum odore & sapore afficiunt, monent nos, bona opera esse boni odoris & grati Deo.

c. *Gemmæ* symbolum sunto spei, quatenus uberiorem fructum promittunt ex gratia divina expectandum, & per glorificationem consummandum, conf. *Cant.* VII. 12.

γ. *Lampades* in sacra Scriptura sunt symbolum Spiritus, *Apoc.* IV. 5. V. 6. quatenus est causa omnis luminis in Ecclesia, & efficax in fidelibus, lampades enim hic concipiuntur cum toto suo ambitu, quatenus complectuntur.

a. *Oleum*, quod est consuetum Spiritus Sancti emblema, unde vocatur oleum hilaritatis, *Psal.* XLV. 8. & *Jes.* LXI. 3. unctio, quam sancti acceperunt, 1. *Joh.* II. 27.

b. *Ellychnium*, quod est symbolum verbi Dei, & virorum θεοπνεύστων, Spiritu Dei imbutorum, quatenus gratiam revelationis acceperunt cum Spiritu, illis materiam præconii suppeditante, unde & verbum Propheticum concipitur ut *lucerna*, *Psal.* XIX. 9. CXIX. 5. 2. *Petr.* I. 19.

c. *Instrumenta* seu lampades ipsas, quæ denotant confessiones fidei lumen verbi divini in se continentes, in quibus Spiritus lucens & veritatem propagans manifestatur.

d. *Accensionem luminis* ope Sacerdotum, quæ significat humanam operam eorum, qui veritates agnitas aliorum conspectui proponunt, & confessionem Ecclesiæ publicam faciunt; scil. Scripturam ita terere ut inde veritas persplendeat, & publica fides magis illustretur, est quasi lampadum accensio, veritatumque elicitarum commendatio vel potius communicatio, quæ candelabro publice imponitur, ut omnes qui in domo Dei versantur, lucis istius sint participes, atque ita in fide ædificentur.

δ. Accedunt & duo alia instrumenta ad candelabrum spectantia, & ex auro confecta, quæ sunt.

a. *Forcipes*, symbola eorum mediorum, quibus lucernæ extrahuntur & emunguntur, scil. ratio sanctificata, utpote jam aurea, medium est & istrumentum

1. *Eruendi veritates* ex Sacra Scriptura & efficiendi ut Prophetarum sapientia & profunditas quotidie magis magisque in altum eniteat, & in oculos incurrat.

2. *Emungendi*, id est, efficiendi, ut a Pseudo-hermeniis magis magisque liberetur, & errores inter docendum variis temporibus enascentes, removeantur, solida sphalmatum refutatione, ut veritas purior scintillet.

b. Πυρεῖον, etiam ad candelabrum pertinuit, denotatque hanc accensionem non

fieri, nisi pruna, ab altari desumpta, huc adducatur, & zelum ac amorem veritatis, dum confitentibus admovetur, accendat, unde *Jes.* VI. 6. 7. vidit aliquem Seraphinorum prunam candentem ex altari desumentem, quem admovit labiis ejus, ut ita Propheta aptus natus fieret ad munus Propheticum suum implendum; oportet enim ut cognitio veritatis conjuncta incedat cum amore veritatis, sic veritas debito modo lucebit in Ecclesia.

CAPUT XXVI.

DE ERECTIONE TABERNACULI, ET EJUS VELAMENTIS.

Analysis.

Post tria nobiliora vasa, ipsam Tabernaculi structuram cum suis velamentis aggreditur Legislator, opus solummodo propter illa pignora conditum, & eum in modum constructum, ut vasa illa sanctissima non tantum ab externa aeris injuria sarta tecta manerent, verum etiam ut a communi usu procul ab omni contemptu aut vilipendio constituerentur. In hac Tabernaculi structura notanda occurrunt.

α. Aulæa, tum
- a. Interna & primaria, eorumque
  - 1. Numerus, *vers.* 1. p. pr.
  - 2. Materia, p. alt.
  - 3. Forma, *vers.* 2. 3.
  - 4. Adjuncta, *vers.* 4. – 6.
- b. Externa & secundaria, quorum rursus exhibetur
  - 1. Materia, *vers.* 7. p. pr.
  - 2. Numerus & usus, p. alt.
  - 3. Forma cum magnitudine, *vers.* 8. 9.
  - 4. Adjuncta, *vers.* 10. 11.
  - 5. Situs, *vers.* 12. 13.

β. Velamenta, *vers.* 14.

γ. Asseres, ex quibus constabant tabernaculi quasi parietes, quorum exhibentur.
- a. Materia, *vers.* 15.
- b. Forma cum magnitudine, *vers.* 16.
- c. Cardines, *vers.* 17.
- d. Numerus, isque
  - 1. Australium cum stylobatis, *vers.* 18. 19.
  - 2. Aquilonarium cum stylobatis, *vers.* 20. 21.
  - 3. Occidentalium, *vers.* 22. — 25.
- e. Transtilla, *vers.* 26. 28.
- f. Ornatus, *vers.* 29.
- g. Annuli, *vers.* eodem.

δ. Vela interiora, quorum
- a. Intimum distinguebat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, capacitatemque Tabernaculi in duas partes dirimebat, constabatque
  - 1. Ex materia singulari, imaginibus Cherubinorum ornata, *vers.* 31.
  - 2. Columnis suffulciebatur, *vers.* 32.
  - 3. Ex usu locus definitur, *vers.* 33.
  - 4. Respectus ad vasa jam descripta definitur, *vers.* 34. 35.
- b. Extimum, quo tabernaculum claudebatur, describitur
  - 1. Quoad structuræ materiam & artificium, *vers.* 36.
  - 2. Quoad columnas & stabilimenta, *vers.* 37.

Scholia.

Vers. 1. *Materia aulæorum internorum ex bysso retorta*, &c.] Fuit de qua egimus *cap.* XXV. 4.

Decem aulæa) Id est, cortinæ quæ latera ædificii claudere debebant, quod decem aulæa absolvere potuerunt.

Opere artificiosissimo) Id est, Phrygionico, quod ita concipi debet, ut ex lino Ægy-

Ægyptiaco electiſſimo filamenta ſextuplicia confecta fuerint, ut eſſent loco ſtaminis & ſubtegminis, huic ope acupicturæ innectebantur imagines Cherubinorum filamentis coloratis ex hyacinthino, purpureo & coccineo; an etiam flores aliaque ornamenta occupaverint interſtitia inter Cherubinos, ut *Joſephus* teſtatur, non monet textus, ſed leges artis requirere id videntur, unde ſemper tenendum eſt quod plura a Moſe fuerint viſa in exemplari, quam audita ex ore præcipientis, quæ tamen non minus aſſequenda erant, quam alia omnia ore tenus definita. Ratio cur nonnulla conticuerit Legislator videtur nobis hæc unica, quod ad rem ſignificatam reliqua non pertinuerint, ſed ſolummodo ad ornatum & congruentiam.

Verſ. 2. *Longitudo uniuſcujuſque aulæi* XXVII. *cubitorum eſto*] Id eſt, proportionata ſit altitudini utriuſque lateris tabernaculi, & ædis latitudini. Altitudo enim, quæ erat x. cubitorum bis ſumpta cum ædis latitudine, quæ erat etiam x. cubitorum, conficit xxx. cubitos; aulæum igitur unumquodque tabernaculo oblique impoſitum hanc menſuram fere exhauriebat, niſi quod duo cubiti deſint, adeo ut ab utroque latere aulæa e pavimento abſuerint ad unam cubiti menſuram, quod factum primo, ne terram attingentia facile corrumperentur, deinde ut baſes argenteæ, quæ erant pretioſiſſimæ, in conſpectum prodirent.

Latitudo IV. *cubitorum eſto*) Cum aulæa fuerint numero x. & unumquodque habuerit latitudinem IV. cubitorum, ſingula ſimul ſumpta obtegebant ſpatium XL. cubitorum, quod reſpondebat longitudini tabernaculi xxx. cubitorum; itaque x. aulæa totum tabernaculum a latere Boreali & Auſtrali & parte poſtica Occidentali commode obvelare potuerunt. Difficultas eſt, quomodo in utroque angulo, tam Borea-Occidentali, quam Auſtro-Occidentali, aulæa illa oblique impoſita potuerint ſibi mutuo commode occurrere. Verum hoc facile concipitur, quando conſpicimus luxurioſam illam prominentiam plicatura quapiam fuiſſe condenſatam, quæ repræſentabat largitatem aliquam populi non omnia ad avaram menſuram exigentis.

Verſ. 3. *Quinque aulæa ſunto conjuncta*) Quinque aulæa conficiebant numerum XX. cubitorum, quæ ita in unum coiverunt, ut unum aulæum majus conficerent, quæ conjunctio peracta videtur commiſſura acus nitide perfecta, ut unum plane velamen videretur.

Unum ad alterum) Hebr. *mulier cum ſorore ſua*, phraſi Judæis conſueta.

Verſ. 4. *Facies laqueolos hyacinthinos*) Vocabulum Hebr. ללאת ab interpretibus varie accipitur; aliqui *fibulas* intelligunt, quibus ligatis aulæa conjungerentur, verum illi rem acu tetigiſſe non videntur, cum aulæa non fuerint fibulis conſtrincta, ſed uncinolis comprehenſa, ut conſtat ex *verſ. 6.* neque etiam ligatio fibularis ſatis commoda videtur, quia tabernaculum ſæpe diſſolvendum ſubito fuit, illaque ligatio & ſolutio, nobis ſæpe ſubjecta, nimiam injeciſſet moram. Rectius ergo illi ſtatuunt, qui *laqueolos* aut *ocellos* interpretantur, quibus uncinolurum extrema incurva inſeri potuerunt.

Ad oram unius aulæi) Hebr. ad *labium* unius, id eſt, primi aulæi; Belg. eleganter vertas *aen de ſelfkant van't eerſte tapyt*.

In extremitate, quæ eſt ad commiſſuram) Ita vertimus verba מקצה בחברת, ſcilicet aulæum magnum, ex v. minoribus factum, duas habebat extremitates laterales, quarum una tantum ad commiſſuram deſtinata fuit, ac proinde ſatis nitide definitur, in quo latere laqueoli confici debuerunt, quando illa extremitas deſignatur, quæ ad commiſſuram eſt.

In aulæi ulterioris ora) Sive extremi aulæi; huc refero vocabulum הקיצונה, quia aulæum alterum concipitur, ut imponendum parti tabernaculi occidentali, debuitque obtegere parietem occidentalem conficientem ipſam ædis extremitatem.

In commiſſura ſecunda] Concipitur igitur ora aulæi ulterioris ut habens laqueolos reſpondentes conficienteſque ſecundam ſeriem commiſſuræ aptam.

Verſ. 5. *Quinquaginta laqueolos facito*) Hic numerus oſtendit laqueolos vix ultra XIII. digitorum ſpatio a ſe invicem abſuiſſe, ut proinde conjunctio aulæorum fuerit exacta, & propter uncinulorum viciniam nullibi hians.

Verſ. 6. *Et facies* L. *uncinulos aureos*) Pro dignitate aulæi fuit etiam materia uncinulorum pretioſiſſima, utpote ex auro deſumpta, quia in oculos incurrebant ubique fere.

Et erit in tabernaculum unum] Scil. id efficiet aulæorum majorum conjunctio, ut unum commune velamentum & unius tabernaculi communis ſpeciem conficeret.

Verſ. 7. *Facies quoque aulæa ex lana caprina*] Hic accedit legislator ad ſecundam ſpeciem velamenti, cujus materia definitur deſumenda ex lanis caprarum, de qua materia egimus *cap.* XXV. 4.

Pro

Pro tentorio super tabernaculo) Ibi vocabulum אהל & משכן distinguuntur ab usu inhabitandi; tabernaculum vocabatur משכן quasi dicas *habitaculum*, quamvis subinnuat simul leniorem commorationem, quatenus habitaculum illud facile commutari potuit. Sed אהל definit modum structuræ ex velamentis compositæ certum in modum expansis & extensis, ut proinde jure merito velamentum hoc cilicinum dicatur tentorium constituisse, & superne locum habitaculi ambiisse.

Undecim velamenta facies] Hic numerus cortinarum cilicinarum numerum aulæorum acu pictorum unitate excedit, quia plus spatii occupare debebant, ut tapetum illud interius undiquaque præmunirent. Accedit etiam quod commissura utriusque involucri non debuit in eandem lineam concurrere, sed potius commissura interioris velaminis a superiori strato integi, quod commode factum est quando velamentum cilicinum undecima cortina aucta fuit.

Vers. 8. *Longitudo uniuscujusque aulæi erit* xxx. *cubitorum*) Quæ collata cum longitudine aulæi acupicti excedit eam longitudine II. cubitorum, respondetque exactius tabernaculi altitudini bis sumptæ, & latitudini. Nam altitudo tabernaculi x. cubitorum bis sumpta conficit xx. cubitos, quibus si addas latitudinem x. cubitorum, exsurgit numerus xxx. cubitorum, hic quoque in aulæi cujusque longitudine definitus.

Latitudo erit IV. *cubitorum*) Quæ undecies sumpta sternere potest spatium XLIV. cubitorum, atque adeo affatim satisfacere tabernaculi longitudini & altitudini, cum tabernaculo pro longitudine dentur xxx. & pro altitudine x. cubiti.

Vers. 9. *Conjunges* v. *horum seorsim &* VI.) Scilicet undecim cortinæ quoque in duo aulæa erant conjungendæ & consuendæ, verum unum aulæum altero nunc debuit esse majus, dum unum ex v., alterum ex VI. cortinis constaret, ac proinde unum xx. cubitorum amplitudinem, alterum XXIV. admittere debuit.

Conduplicabis aulæum sextum] Id est, extremitatem super abundantem & propendentem reduces in tectum invertendo, ut solent, quæ duplicantur.

E regione facierum tentorii) Ubi nempe anterior tentorii pars faciem repræsentabat, & ingressum in tabernaculum subministrabat.

Vers. 10. Quæ hic de *laqueolis* dicuntur consona sunt iis, quæ vidimus ad *vers.* 5. nisi quod e lana caprina confici debuerint.

Ad oram aulæi primi ulteriorem) Ora enim citerior a fronte tentorii non indigebat laqueolis, quia non erat committenda.

Vers. 11. *Uncinulos æneos*) Quia velamentum hoc minoris pretii erat, uncinuli etiam ex viliori metallo desumpti sunt.

Vers. 12. *Redundans*) Id est, superfluitas abundans.

Dimidium cortinæ redundantis] Ita vocat duos illos cubitos, quibus hæ longitudinem aulæorum interiorum excedebant.

Vers. 13. *Cubitus unus hinc*, &c.) Itaque duo cubiti redundantes sic dividendi erant, ut unus ab una, alter ab altera parte redundaret.

Vers. 14. *Facies præterea tegmen*, &c.) Hoc tegmen non tantum tectum supurius, sed & latera tabernaculi operuisse, utpote stratum coriacium velamento cilicino super injiciendum, inde conficiunt viri docti quod alias velamentum cilicinum non satis commode pluviam avertere potuisset, utpote nimis bibulum.

Et operimentum, &c.) Ita accedit ad quartum velamentum, de cujus materia vide *cap.* XXV. 5. dicitur solummodo superne impositum, ac proinde reliquorum omnium fuit minimum, concipique debet tectum cum aliqua latitudine occupasse ut pluviæ defluentis stillas facile dimitteret.

Vers. 15. *Asseres arrectarios*] Qui erecti starent, ut parietis in morem latera clauderent. Hi non oblique collocati sunt, sed erecti, ut in altum versus latera lateribus jungerent.

Vers. 16. *Longitudo cujusque* x. *cubitorum erit*] Quæ mensura respondebat altitudini tabernaculi.

Latitudo sesqui cubiti) Verum crassities asserum non determinatur. Judæi, inter quos R. *Salomo Jarchi*, asseribus cubitalem crassitiem adscribentes, monstra formant, & potius columnas quam asseres introducunt, cui enim usui foret tam immensa moles, & quomodo concipi potest, cum gestatorium hoc tabernaculum fuerit, quatuor plaustris ab octo bobus trahendis provehi potuisse vid. *Numer.* III. 36. VII. 8. assentimur igitur potius *Josepho*, qui asserum crassitiem quatuor digitis circumscribit.

Vers. 17. *Duo denticuli erunt in unoquoque assere*) Hic iterum variant Interpretes, dum alii vocabul. ידות vertunt per *cardines*, quos collocant a lateribus asserum, putantque latera ad medium crassitiei incisa fuisse per totam longitudinem, ut sic

ſic incaſtrarentur ſibi mutuo, & perfectior commiſſura fieret. Verum ex collatione *verſ.* 19. conſtat, reſpondere debuiſſe baſibus & ſtylobatis, ac proinde pertinuiſſe ad infimam extremitatem aſſerum, rectius igitur illi tranſtulerunt, qui *duos denticulos* vertunt, & quaſi pinnulas in ſerratura relinquendas, atque ita configuratas, ut baſibus apte immitti queant.

Verſ. 18. *Viginti aſſeres ad plagam auſtralem dextrorſum*) Hic nempe latus XXX. cubitorum ex æquo claudere potuerunt, cum enim ſinguli eſſent ſeſquicubitalis latitudinis, latitudo illa vigeſies ſumpta ſpatium XXX. cubitorum juſte exhaurit.

Verſ. 19. *Quadraginta ſtylobatas argenteos*) *Stylobata*, Hebr. אדן, aſſerum baſis fuit, apta nata ad eos evectos tenendos; eorum formam non deſcribit textus, non tamen ſtylobata concipi debet inſtar corporis oblongi & in acumen deſinentis, ut quidam volunt, qui autumarunt ſtylobatas terræ infigi debuiſſe ad immobilitatem aſſeribus conciliandam; verum cum textus id non dicat, neque res ipſa id exigat, abſurdumque ſit argenteam baſim in terra occultare, quæ frequenti impactione non tantum attrita fuiſſet, ſed etiam corrupta ex contractione ſitus & quaſi æruginis. Potior ergo eorum ſententia eſt, qui ſtylobatas concipiunt craſſos, planos & quadratos, cum ſinguli haberent molem talenti ponderis, ut patet ex *Exod.* XXXVIII. 27. quæ moles ſatis valida fuit ad conciliandam aſſeribus requiſitam immobilitatem.

Duos ſtylobatas ſub unoquoque, &c.] Id eſt, duos ſtylobatas reſpondentes duobus denticulis cujuſque aſſeris, quos denticulos arcte includendos & foraminibus juſtis inſerendos ſtylobatæ recipere debebant.

Verſ. 21. *Lateribus tabernaculi*] Seu potius *uni laterum* per ellipſin, quod nominibus pluralibus ſæpe evenit, deſcribit autem poſticam tentorii partem, ſtructuram a tergo claudentem, quæ ad occidentem reſpiciebat.

Facito ſex aſſeres) Qui ſpatium IX. cubitorum claudere poterant, cumque tota latitudo tabernaculi ſit X. cubitorum, ab utraque parte dimidium cubiti deerat, quod quomodo ſupplendum fuerit, docebit *verſ.* ſequens.

Verſ. 23. *Præterea duo aſſeres angulares facies pro angulis*) Dubium eſt an hi aſſeres eandem cum reliquis habuerint latitudinem ſeſquicubitalem, quod qui ſtatuunt, tabernaculo attribuunt amplitudinem XII. cubitorum: tres enim cubiti novem prioribus adjuncti efficiunt XII. quod videtur *Joſephus* quoque dicere, niſi locus in mendo cubet, alias enim ille ſibi conſentire non poteſt, qui parietis poſterioris latitudinem altitudini æqualem affirmaverat; verum cum menſura horum duorum aſſerum non definiatur in textu, ſed ipſi concipiantur ut angulares, latitudo eorum potius ex ſpatio implendo colligitur. Reſtabat enim ab utraque parte dimidium cubiti una cum exceſſu quatuor digitorum pro aſſerum craſſitie claudendum, nec obſtat quod ſingulis aſſerum angularium duo ſtylobatæ concedantur, cum illa firmitudo major in angulis jure requirebatur, cum anguli omnem vim impulſuum ſuſtinere debebant.

Verſ. 24. *Erunt geminæ inferne*] Vel ut in textu eſt, gemellæ, quod interpretes accipiunt de apta aſſerum angularium conjunctione cum lateralibus, qua ita ſibi mutuo adhærent, ut a ſe invicem recedere nequeant.

Annulo uno) Hic annulus igitur proponitur, ut inſtrumentum iſtius conjunctionis, quod aſſeri laterali infixum aſſerem angularem trajicere debuit, & tamen prominere ut ſpatium exhibeat tranſtillo recipiendo aptum, quo paries occidentalis firmiter adſtringatur.

Verſ. 26. *Facies etiam tranſtilla*) Quæ Hebr. בריחים appellantur, quaſi dicas *tranſcurſoria* & *transfugitoria*, quia ab una extremitate parietum in aliam tranſcurrere debebantur. Uſus eorum fuit totam tabernaculi fabricam continere, & aſſeres in ſtatu erecto perpendiculari tam adæquate retinere, ut loco moveri non poſſent.

Quinque pro aſſeribus unius lateris) Id eſt, quinque ordines tranſtillorum, alias enim tranſtilla XXX. cubitorum pro ſingulis lateribus requiſita fuiſſent, quæ cum non facile potuiſſent plauſtris provehi neque commode annulis inſeri, ſtatuendum eſt aliquo numero tranſtilla ſibi mutuo potuiſſe jungi. *Joſephus* vult unumquodque tranſtillum habuiſſe longitudinem V. cubitorum, unde ſequeretur unumquemque ordinem conſtitiſſe ex ſenis tranſtillis ſibi mutuo junctis; nam quinquies ſeni cubiti XXX. cubitos conficiunt, qui totam longitudinem tabernaculi exhauriunt. Eſt tamen *vir doct.* qui illis decem cubitorum longitudinem attribuit, reſpondentem longitudini aſſerum, quia ita commode in plauſtris cum aſſeribus conjungi potuerunt quotieſcunque ſtationem mutarent Iſraelitæ; & minus æquum videatur retinacula tanti uſus in tam parva fruſta diffringere, unde minus ſufficientia fuiſſent ad conciliandam debitam firmitudinem.

Verſ. 28. *Ita ut tranſtillum medianum ſit in medio ipſo aſſerum*] Hæc verba nonnulli

nulli ita accipiunt ex magiſtrorum ſententia, ac ſi tranſtillum medianum per aſſerum craſſitiem tranſmittendum fuiſſet, atque ita verba *in medio aſſerum* capiunt, ut dicta reſpectu craſſitiei, verum illa ſententia mechanicæ artis peritis & eruditis inter Chriſtianos minus placuit.

α. Quia omnia tranſtilla dicuntur tranſiiſſe per annulos, qui tamen reſpectu hujus tranſtilli fuiſſent inutiles, ſi ipſa medietas aſſerum excavata id excepiſſet.

β. Quia ſpiſſum nimis corpus attribuendum foret aſſeribus, ut ſaltem medietas excavata hos aſſeres nimis debilitaſſet. Vidimus enim ad *verſ.* 23. aſſeribus, non cubitalem, ut illi ſupponunt, craſſitiem adjudicandam eſſe, ſed tantum quatuor digitorum.

γ. Quia fruſtra hoc tranſtillum inauratum fuiſſet, quod tamen *verſ.* 29. dicitur, totum enim ſe intra concavitatem aſſerum recipere & occultare debuiſſet.

Æquius igitur eſt ut verba, *in medio ipſo aſſerum*, accipiamus ut dicta reſpectu medietatis longitudinis, ſcil. quinque ſeries tranſtillorum ita coordinandæ fuerunt, ut media medietati, duæ aliæ duabus extremitatibus, & duæ reliquæ proportionaliter inter mediam & extremas ſeries collocarentur.

Verſ. 29. בתים] *Domos* quidem ſignificat, ſed in architectonica diſciplina vocabulum hoc technicum eſt, denotatque tranſtillorum receptacula, quæ alias annuli vocantur, qui non ſunt concipiendi, ut annuli orbiculares, fluxi & mobiles, ſed ut annuli ſemi-orbiculares, duabus cuſpidibus muniti clavorum inſtar, quibus ligno infigi poterant. Rectius Belgæ tranſtuliſſent *krammen*, quam *ringen*, & quod tranſtulerunt *rychelen*, magis emphatice vertiſſent *sluyt-boomen*; vocabula enim architectonica uniuſcujuſque linguæ architectonicis alterius reſpondere debent in verſionibus, non cum relatione ad Etyma, ſed ad uſum.

Verſ. 30. Ad cujus intellectum conſ. annotata ad *Caput* XXV. 40.

Verſ. 31. *Velum obpanſum*] Hebr. פרוכת ſignificat velum illud interius, quod diviſionem inſtitueret inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, cujus materia definitur plane eadem & deſcribitur cum iiſdem ornamentis ac materia aulæi interioris, conſ. *verſ.* 1. hujus *Capitis*.

Verſ. 32. *Quatuor columnas*] Harum forma & ſitus non definitur; qui ad regulas artis attendunt, conjiciunt formam habuiſſe quadratam, ut velum appenſum aptius ſuffulciretur, & adæquatius adhæreret. Altitudo procul dubio reſpondebat altitudini aſſerum, ſitus columnarum ſi fuerit proportionatus, interſtitium potuerunt relinquere II. cubitorum, ſi concipiantur in æquali a ſe invicem diſtantia: latitudo enim tabernaculi cum fuerit X. cubitorum, quatuor columnæ cubitales occupaverunt quatuor cubitos, ita ut reliquum ſpatium VI. cubitorum interſtitii dandum ſit, cumque quatuor columnæ tria interſtitia fecerint, unumquodque eorum erit II. cubitorum, quod ſpatium ſufficiens erat ad intromittendam arcam, cujus latitudo erat ſeſquicubitalis, non tamen definimus, quod medium interſtitium non fuerit amplius quam II. cubiti, cum medianæ columnæ tuto potuerint paulo magis a ſe invicem dimoveri ſine peccato contra leges architectonicas, ſed quod medio ſpatio ſuper addimus dandum ex æquo, duobus lateralibus ſpatiis eſſe demendum ratio exigit.

Verſ. 33. Definit uſum hujus veli, ibique fit mentio diſtinctionis Sancti a Sancto Sanctorum, verum cum uniuſcujuſque ſpatium non definiatur, repetendum eſt aliunde longitudinem diviſam eſſe non æqualiter, ſed ita ut Sancto Sanctorum darentur X. ſed Sancto XX. cubiti, ita ut prioris conclavis longitudo duplex fuerit ad longitudinem interioris, notaruntque architectonici intimum illud adytum habuiſſe formam cubicam, dum latitudo, longitudo & altitudo agnoverint eandem dimenſionem X. cubitorum.

Verſ. 34. *Impones autem operculum*, &c.] Probe notandum arcam operculo ſuo non contegendam fuiſſe, niſi poſtquam in Sanctum Sanctorum introducta fuerat, quia thronus gratiæ in cœlo demum erigendus fuit.

Verſ. 35. Definiuntur hic loca, cum candelabro, tum menſæ aſſignata.

Verſ. 36. *Facies quoque velum*, &c.] Diſtinguitur extimum hoc velum ab interiori ſolo artificio, intimum enim æſtimo pretioſius fuiſſe.

Verſ. 37. *Quinque columnas*] Velum intimum habuit IV. columnas, extimum V., quod factum conjiciunt interpretes, ut ſimul veſtibulum aliquod conſtitueret, putantque duas pertinuiſſe ad veſtibuli externam faciem, tres reliquas magis introrſum fuiſſe promotas, ita ut media medium ædificii ſuſtinuerit, reliquæ duæ ad latera fuerint remotæ, reliquerintque amplitudinem utrimque III. cubitorum cum dimidio, quod ſpatium requirebatur ad majorum vaſorum introductionem, ſcilicet tres columnæ cubitales additæ tribus cubitis cum dimidio bis ſumptis exhauriunt numerum X. cubitorum, latitudini tabernaculi reſpondentium.

Fun-

Fundes illis quinque pedes æneos] Interiorum columnarum pedes fuerant argentei, hi vero ænei, quæ sola est utrarumque differentia.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Universa hæc dispositio architectonica consuluit ædificii

α. *Justæ amplitudini*, ut non solum majora illa vasa recipere posset, verum etiam sufficiens spatium superesset Sacerdotibus, qui in ejus medio versarentur, & munia sua commode obire debuerunt.

β. *Proportionatæ distinctioni*, qua totum tabernaculum dividendum erat in duas mansiones, scil. Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Prioris longitudo duplex fuit ad ejus latitudinem ad lucrandum spatium quotidianis muneribus, & trium vasorum numero. Secundæ mansionis dimensio undiquaque æqualis fuit, ita ut ejus longitudo tam latitudini quam altitudini exacte responderet, quæ figura perfectissima est, utpote cubica & sufficiens ad unum illud sanctissimum vas recipiendum, ac Pontifici ibi ministraturo spatium subministrandum, quo peragenda perficiat.

γ. *Solidiori defensioni* adversus omnem aeris injuriam,

a. Tum propter firmamentum parietum ex asseribus conjunctis & bene fundatis constructum.

b. Tum etiam propter velamenta exteriora parietem hunc ligneum conservantia. Aulæum enim cilicinum propter singularem mollitiem efficiebat, ne a velamentis pelliceis obtritionem pateretur, pellicea autem, ne pluvia penetraret, & poris ligneis subingrediens putredinem introduceret.

δ. *Ornatui* : tota enim intrinseca facies pretiosissimo tapeto obvelata fuit intrinsece, in quo non tantum pretiosissimi colores se conspiciendos exhibuerunt, verum etiam imagines Cherubinorum, aliaque ornamenta, sc. regia plane debebat esse majestas inhabitantis dignitati respondens.

§. 2. Verum non hic subsistendum est, Deus enim domo manufacta non indiget, sed cæremoniale fuit universum illud habitaculum, teste Paulo *Hebr.* IX. 1. scil. symbolum fuit Ecclesiæ bene coordinatæ, quæ spirituale Dei habitaculum est, *Lev.* XXVI. 11. *Ezech.* XXXVII. 27. 2. *Cor.* VI. 16. In qua Ecclesia denotatur.

α. *Apta capacitas*, locus enim pluribus concedendus erat, quibus data facultas versandi in domo Dei, 1. *Tim.* III. 14. & 15. & ut spirituale Sacerdotium accedendi ad Deum, *Hebr.* VII. 19. 1. *Petr.* II. nam fideles considerantur Sacerdotum instar hic agentes, tanquam in Ecclesia invisibili, & Deum colentes, donisque fratrum utentes, cum insigni emolumento propriæ ædificationis & solatii.

β. *Legitima distinctio* repræsentat duplicem Ecclesiæ statum, dum pars degit in hac vita, pars triumphanda admissa est in cœlum; scilicet Sanctum Sanctorum se habet ad Sanctum prius, ut cœlum ipsum ad Ecclesiam in stadio versantem, *Hebr.* IX. 11. habebatque intimum Sanctuarium propter cubicam figuram perfectissimam formam, repræsentantem cœlestis conditionis omnimodam consummationem, respondebit enim ibi amplitudo cognitionis longitudini sanctissimæ voluntatis, & altitudini gloriosissimæ dignitatis ad quam glorificati evecti sunt.

γ. *Solida circumvallatio & munitio* repræsentat ordinem Ecclesiæ ita digestum, ut omnia valeant ad solidum tutamen, pacisque & tranquillitatis interioris conservationem; ut enim quisque Deum tranquillo & imperturbato animo colat, fratrumque χαείσμασι utatur, ordo stabiliri debuit, sed videndum quomodo singulæ partes huc collineaverint; in eum finem concurrunt hic

a. *Paries ille ligneus ex asseribus constructus*; nemini mirum videri debet, si asseres mihi constituant emblema fidelium in unum corpus conjunctorum, quia horum loco postea lapides adhibiti fuerunt in structura templi Salomonei. Jam vero Petrus optimus mysteriorum interpres, 1. *Pet.* II. 5. Singulos fideles concipit ut *lapides vivos* in unam spiritualem domum coagmentatos. Sed mirum alicui videbitur, quomodo eosdem fideles *vers.* 9. iterum concipiam tanquam Sacerdotes? verum respondemus, id fieri ob varias relationes; quando enim fideles considerantur ut Sacerdotes, referuntur in officio suo ad Deum, quatenus scil. Deum colentes seipsos sistunt Dei ministros : relati autem ad parietes, considerantur ut in communione sanctorum, habentes pacem & tranquillitatem, utentes χαείσμασι fratrum. Verum, quando concipiuntur ut lapides vivi referendi sunt ad proximos, quatenus etiam ipsi fidem defendendo, adversariosque refutationibus avertendo, fratribus suis officium charitatis præstant, idque curant

rant ut Deum tranquille colere possint. In pariete autem hoc ligneo considerare oportet,

1. *Materiam*, quæ est lignum fragile, ita quoque Ecclesia colligitur ex hominibus ejusdem conditionis, dum omnes natura fragiles sunt
2. *Formam introductam*, quæ respicit electorum sanctificationem, qua ad conjunctionem exasciantur, dum per mortificationem veteris hominis ab imperio peccati liberati, & in vivificatione novi hominis per infusionem amoris Dei & proximi ad communionem sanctorum apti nati sunt.
3. *Ornatum ab auro* introductum, in quo conspicimus emblema correctæ fragilitatis, scil. vocati sancti intus *gloriosi* sunt, *Psal.* XLV. propter dona spiritualia spiritus gratiæ, una cum justitia Christi imputata.
4. *Stabilitatem*, *qua asseres pedibus argenteis inserti immobiles consistebant*, qua denotatum fuisse videtur sanctorum perseverantia fundata in gratia justificante, seu obsignante & confirmante: *pedes autem argentei* quidni denotarent verbum utriusque Testamenti? quatenus promissiones Evangelio collatæ, sunt fundamentum non tantum omnis certitudinis & πληροφορίας, verum etiam sunt medium erectionis, quo anima vacillans corroboratur. Gratia autem in verbo tam confirmationis quam obsignationis operans consideranda est in asserum *insitione* in pedibus, quatenus non sine Dei operatione & gratia efficaci verbum illud apprehendunt, tenent, illique se immittunt; *Argenteos pedes* fuisse, quod purius erat metallum & corruptioni minus obnoxium, denotat puritatem sermonum Dei, *Psal.* XII. *vers.* 7.
5. *Transtilla*, quæ emblemata sunt quoque hominum vocatorum, sed quorum speciale munus erat curare ut asseres manerent conjuncti, id est, ut fideles in mutuo amore, qui est vinculum perfectionis, sibi mutuo adæquate adhærerent, & quisque alteri justum locum cederet; hoc cum sit officium eorum, qui curant ordinem Ecclesiæ facile conficimus προεστῶτες designari, cumque

ζ. Transtilla essent ejusdem materiæ & ornatus cum asseribus, constat præfectorum Ecclesiæ eandem esse naturam, & gratiam cum cæteris.

ϑ. Cum V. eorum fuerint ordines, vix me cohibeo, quin dicam Paulum hanc rem in mysterio explicuisse, *Ephes.* IV. *vers.* 11. 16. ubi indigitat *Evangelistas*, *Apostolos*, *Prophetas*, *Pastores* & *Doctores a Christo datos* fuisse ad *ædificationem corporis Christi*, & quidem in specie ad conservandam ejus *unionem & communionem* quod præcipue *vers.* 16. denotatur.

6. *Ansulas transtilla recipientes*, ac proinde ad asseres pertinentes, cum ex auro essent, denotarunt fidem ipsam, quatenus habet conjunctam singularem existimationem ministerii, qui enim ministerium agnoscunt esse institutionis divinæ, & ministros excipiunt cum singulari veneratione & amore, illi necessario se ordini Ecclesiæ accommodant, & ministrorum dispositionem admittunt, cum facile se patiuntur in ordinem redigi.

b. *Aulæum cilicinum* ad ejusdem ædificii defensionem pertinuit, & commode denotat *confessores*, quippe se pro veritate & causa Ecclesiæ periculis exponunt, curantes ne quid mali iis eveniat, qui in eadem fide persistunt, id est, apologiis suis & confessionibus moliuntur, ut tyrannorum animi emolliantur, & hæreticorum strophæ detegantur, scilicet mediis in tempestatibus pluviæ aquarum, i. e. doctrinarum corrumpentium valde adiguntur, ut animos fidelium penetrare & corrumpere possent: quæ cum advertenda sint, Ecclesia indiget apologistis, & confessoribus, qui talia confutare & avertere possunt.

c. *Tegumenta pellicea rubefacta* adhuc magis inclementiæ aeris exposita, quidni sint nobis emblemata *martyrum* sanguine Christi & suo tinctorum, per quorum sanguineam constantiam Ecclesia valde incurrit in sensus: nam sicut

1. *Tegumenta pellicea illa* ex mactatis animalibus detracta fuerant, ita quoque martyres occisi & mactati per memoriam martyrii sui Ecclesiæ quasi exuvias relinquunt perpetuo ostentandas, quod diligentissime factum in martyrologiis.
2. Sicut *color ille rubidus erat*, quo tabernaculum externe incurrebat in sensus, ita sanguis martyrum effusus in causa Christi crucifixi semper Ecclesiam externam ita fecit conspicuam, ut non tantum ab hostibus visa fuerit, verum & ab incredulis admirata.
3. Sicut tegumenta *damnum* a tabernaculo arcebant, ita quoque constantia martyrum plus præstitit ad Ecclesiæ ædificationem quam destructionem, juxta antiquum illud dictum, *Sanguis martyrum semen Ecclesiæ*. Habuerunt enim eorum exempla insignem potentiam corroborandi fidelium animos, ne dimoveren-

verentur, & invitandi multos haud iniquos, ut nomen Christianæ fidei darent.

d. *Ornatus* sequitur, quem tabernaculo præstitit pretiosissimum *aulæum* interius, hoc aulæum putamus referendum esse ad œconomos seu dispensatores mysteriorum divinorum, quatenus iis, qui in Ecclesia versantur, omnem Dei œconomiam ad vivum depingunt & repræsentant, consideraturque ibi munus aliquod Propheticum, quo arcana Dei consilia revelantur amicis ad eorum consolationem & peculiare gaudium; ministerium enim (ut hoc interspergamus) varias quoque relationes admittit, aliud enim agit, quando illis res est cum hostibus veritatis, aliud quando ordinem Ecclesiæ curant, aliud quando cum amicis res est, qui debent promoveri in fide & gaudio spirituali, quæ ultima relatio hic domestica est.

Analogia hujus aulæi conspicienda venit

1. *Quoad materiam*: fuit enim ex *bysso* contextum, cujus color cum sit albus, est symbolum munditiei, quæ requiritur in œconomis mysteriorum Dei, quos decet in veritate sanctificatos se exhibere.

2. *Quoad colores* reliquos, ubi

ζ. *Hyacinthinus color*, qui cœlo sereno convenit, emblema est gratiæ cœlestis a Christo promeritæ, & in Ecclesia dispensatæ, dum ipsi viri sanctificati cœlestium privilegiorum sunt participes.

ϑ. *Purpureus*, qui color regius est, denotatque in ministris dignitatem muneris, quod regis authoritate obire tenentur; qui enim nomine Christi agunt, regia purpura induti incedunt, ne videantur privata authoritate quicquam tentare.

ρ. *Color coccineus* indicium est sanguinis Christi, quo sibi populum redemit, cujus fides requiritur primario in iis qui Ecclesiæ præsunt & gratiæ dispensationi ministrant.

3. Quoad *imagines*, *Cherubini repræsentabantur* forsan inter palmas, quod conjici potest ex templo Salomonis. *Cherubinorum* omnem rationem excussimus, quando propitiatorium explicuimus, nunc restat peculiaris tantum consideratio, quod nempe hic repræsententur forma erecta & quasi in palmeto plantationis divinæ versantes, egregium sane symbolum tam *Angelorum*, quam *Hominum* qui propagationem regni Christi curantes hic proponuntur ut fidelibus perpetuo præsentes, inter illos quasi se oblectantes, Ecclesiamque curantes, ne quicquam desit electorum solatio. Itaque subinnuit legislator quomodo qui administrant verbum Evangelii, intra se quasi coram oculis fidelium exprimere debeant Cherubinum typum, utpote exactissima exemplaria pastoribus exprimenda, nec non repræsentatur gratissima Novi Testamenti œconomia, quæ non habet Angelos aut dictos Deos cum imperio, sed potius ministros qui sunt συνδȣ́λοι & inter fideles agant, ut coæquales & fratres.

4. *Quoad velum internum*, notandum quod illud velum constituerit quasi partem hujus aulæi, estque nobis repræsentamen Christi in munere Prophetico inter reliquos gratiæ œconomos versantis: fuit enim ille Propheta ex fratribus suscitandus, *Deuter.* XVIII. cujus erat in terra diebus humiliationis suæ verbum solatii promulgare. Huc respicit Paulus *Hebr.* X. 19. 20. ubi velum assimilat carni Christi, id est, Christo in carne versanti, circa quod velum notandum

ζ. Quod *aulæo fuerit simile*, nempe byssus fructus terræ denotat Christum hominem, verum sanctum & immaculatum, qui Prophetam agens se exhibuit exemplar fidelis Evangelistæ, ipse indutus *hyacintho* cœlestis gratiæ & luminis, *purpureo* summæ authoritatis, dum docuit ut potestatem habens, *coccineo* sanguinis, dum pro doctrina sua omnia gravia tulerit, habens in comitio præter Angelos, etiam Apostolos & Discipulos, quorum opera in propagatione regni usus fuit, quique Cherubinis symbolis responderunt.

ϑ. Quod *obpansum fuerit Sancto Sanctorum* prohibens ne quis immediate arcam conspicere posset, scil. quandiu inter homines ministravit in statu humilitatis, nondum erat tempus illud natum, quo thronus gretiæ erectus conspici potuit, imo ipse carne humiliori majestatem suam obvelavit, non enim potuit inter homines Prophetam agere nisi in eo statu, in quo fuit sub lege, quæ & ipsa paries intergerinus erat, proinde in diebus carnis *via ad Sanctum Sanctorum nondum fuit manifesta facta*, *Hebr.* IX. 8.

ρ. Hoc velum aliquando rumpendum fuit prout & Paulus animadvertit in carne Christi ruptum fuisse, quando Christus ministerium suum Propheticum

inter homines consummavit, & præconium Evangelii morte sua confirmavit, unde etiam sub tri-horio tenebrarum, cum magni extarent terræ motus, velum hoc materiale legitur ruptum fuisse a suprema usque ad infimam partem, cujus facti hi usus sunt

A. Quod *primum & secundum Sanctuarium non amplius divisa extiterint*, sed quasi unum commune conclave, cui similis œconomia Novi Testamenti, dum per mortem Christi ἀνακεφαλαίωσις introducta est eorum, qui in cœlis sunt, cum iis qui in terra erant, quæ est τελείωσις fidelium Novi Testamenti, qua benedictionum supercœlestium facti sunt participes.

B. *Quod* ἱλαστήριον *publice fuerit* propositum & tam evidenter manifestatum, ut omnibus fidelibus conspiciendum pateat, nobisque concessum sit Christi gloriam revelata facie intueri, 2. *Cor.* III. 18.

C. Quod *liberrimus aditus* ad trhonum gratiæ cuilibet credenti concessus sit, omni obstaculo remoto, unde & vocantur *regale Sacerdotium*, quibus concessa est omnis παῤῥησία Deum in Propitiatorio conveniendi, 1. *Petr.* II. 7.

ς. *Quoad velum externum*, quod ita accommodatum fuit ut vestibulum ingredientibus confecerit, ac proinde vicem portæ implevit, proculdubio Christus repræsentatur sub notione *januæ portæ*, in sacra Scriptura, quatenus est *Apostolus* τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, eosque qui fidem dant intromittit in communionem sanctorum: sub hac relatione conspiciendus nunc est.

ζ. *Vestibulum* ingredientes nondum admittit ad omnem conspectum ornatus ædis, ita Christus in primo statu regenerationis excipit quidem credentes, sed qui adhuc luctantur cum sensu doloris ex regeneratione orti: fides enim in prima sua fiducia, seu confugio ad Deum admittit adhuc aliquid timoris & tremoris, donec postea progrediatur ad πληροφορίαν, atque ita admittatur ad plenum conspectum gratiæ divinæ.

ϑ. *Velum habuit Vestibulum*, cujus externa facies interiore longe vilior, quod est repræsentamen veli Mosaici, sc. Christus in priori œconomia quoque descriptus fuit per legem, cujus externa facies & vultus subtristior, interna facies gratior non tamen in conspectum veniebat nisi velo remoto, imo arcebat populum ne tabernaculum inspicere posset, ita quoque sub N. T. velum legis Mosaicæ removendum fuit, ut œconomiam gratiæ libero conspectu usurparent accedentes. Quo ad partem remoto, videre tamen etiam potuerunt interna legis Christi, & ita œconomiam gratiæ repræsentasse censendum.

ρ. *Ab Oriente* vestibulum hoc collocatum fuit, quo notatur legem egressuram e Zione cum præconibus & architectis promulgandam Occidentem versus in insulis, ubi *Japhet* veniebat *persuadendus*, ut in *tentoriis Semi habitaret*, confer *Jes.* XLI. 1. -- 6. ubi aliquis occurrit ex Oriente suscitandus, qui ad ædificationem Ecclesiæ abeat in Occidentem, quique justitia Christi occurreret ad vestigium.

CAPUT XXVII.

DE ALTARI HOLOCAUMATUM, ATRIO ET OLEO AD LUCERNAS.

Analysis.

ABsoluto tabernaculo pergit legislator ad altare holocaumatum, & atrium, cui includi debebat, adjiciens epilogum de oleo in lampadum usum eligendo, ut proinde tripartitum sit hoc caput, exhibens

α. Altare holocaumatum, delineatum
- a. Per partes, ubi exhibetur.
  - 1. Corpus ipsum, *vers.* 1. 2.
  - 2. Instrumenta altari adhærentia, *vers.* 3.
  - 3. Opus aliquod reticulatum altare ambiens, *vers.* 4. 5.
- b. Quoad formam portatilem, *vers.* 6. -- 8.

β. Atrium tabernaculi suis aulæis munitum, & altare includens, describitur
- a. Secundum quatuor latera, atque exhibetur
  - 1. Meridionale, *vers.* 9. 10.
  - 2. Boreale, *vers.* 11.

3. Oc-

3. Occidentale, *verſ.* 12.
4. Orientale, *verſ.* 13. 15.
b. Quoad adjuncta deſcribitur
1. Velamentum portæ, *verſ.* 16.
2. Columnarum ratio architectonica, *verſ.* 17.
3. Atrii dimenſio, *verſ.* 18.
4. Reliqua inſtrumenta, *verſ.* 19.
γ. Oleum ad lucernas deſtinatum deſcribitur
a. Quoad qualitatem, *verſ.* 20.
b. Quoad uſum quotidianum, *verſ.* 21.

DE ALTARI HOLOCAUMATUM.

Scholia.

Verſ. 1. *Facies altare*] מזבח ara ſeu altare vocatur, quatenus denotat vas aut inſtrumentum aliquod, cui imponitur id quod mactatum eſt, quaſi ad cibum Sacerdoti vice Dei, & nonnunquam in populo. Hoc loco Moſes deſcribit altare holocaumatum, poſtea *cap.* XXX. deſcripturus altare thymiamatum, cur autem hujus deſcriptio præmittatur non obſcura eſt ratio, quia in cultu divino prius auſpicantur Sacerdotes opus ſuum ab altari holocaumatum, antequam illis licuit accedere ad θυμιατήριον, ac proinde ſequitur Legislator ordinem miniſterii.

Tres cubitorum altitudine ſua) Cumque homini IV. cubitorum proceritas vulgo concedatur, potuerunt Sacerdotes, utpote ad cubiti altitudinem ſupereminentes miniſterium ſuum facile ſtantes in terra hic obire.

Verſ. 2. *Facies illi cornua*] Quæ etiam in Gentilium aris inveniuntur, ut *Martialis*:

Cornubus ara frequens.

Fuerunt hæc cornua ad angulos erecta, atque ita dicta, quia cornuum figuram repræſentabant, uſus eorum fuit, cum ad alliganda animalia *Pſ.* CXVIII. 27. tum etiam ut ollæ & ignis receptacula inde ſuſpenderentur, quotieſcunque altari erant admovenda; ſi quis reus cornua teneret, non aliter ac in aſylo immunis relinquendus erat, quod probat exemplum Adoniæ.

Verſ. 3. Varia hic commemorantur vaſa ex ære conficienda, & ad uſum altaris pertinentia, nimirum

α. סירות, *lebetes* ſeu *ollæ*, quarum uſus additur quod deſtinatæ fuerint ad accipiendos cineres altaris in alium locum tranſportandos.

β. יעים, quod quidam *ſcopas* vertunt, ſed erronee, cum illæ ex ære non conficiantur, rectius alii *palas* transferunt, quæ ollis conjunguntur, quia inſerviebant cineribus infundendis in ollas, ut altare ita mundaretur.

γ. מזרקות Ita etiam *crateres* vocantur, ex quibus vinum bibitur, vide *Amos* VI. 6. nomen tamen a ſpargendo obtinent, quia ſanguinem cornubus altaris aſpergendum continebant, quotieſcunque iis utebantur Sacerdotes, conf. *Num.* VII. 13.

δ. מזלגות. Vox eſt obſcura, quia ejus radix nec etiam derivata alibi occurrit. Rabbini volunt denotari *fuſcinam* ſeu *tridentem*, aut quodcunque dentatum inſtrumentum, quo lignorum non ſolum ſtrues diſponatur, verum etiam carnes mactatorum animalium apte carbonibus imponantur.

ε. Ad ultimum genus referuntur πυρεῖα; de voce vidimus *cap.* XXV. *verſ.* 38. uſus hic erat, carbones ex altari holocaumatum excipere, ut ad θυμιατήριον transferantur, vel alias ad ſuffitum faciendum adhibeantur.

Verſ. 4. *Et facies illi altari cratem*, &c.] Multi interpretes id intelligunt de craticula, quæ uſum foci præſtaret intra altaris latera inſerenda, ut ibi ignis incenderetur; verum illos errare conſtat ex eo, quod *verſ.* 5. opus hoc reticulatum extra altaris ambitum collocetur, neque convenit cum *verſ.* 7. ubi annuli illi adhærentes concipiuntur ut iidem cum annulis altaris, quibus totum onus in alienum locum deportandum erat, nec cum *verſ.* 8. ubi totum altare concipitur ut concavum. Quod ſi quis focum quærat, cui partes ſacrificii comburendæ imponi debebant, is reſponſum accipiat ex loco *Exod.* XX. 24. 25. focum illum ſtruendum fuiſſe ex ceſpitibus vivis aut ex lapidibus rudioribus, cui foco ſuper imponendum erat altare hoc concavum, ut focus ille ita huic includeretur, disjiciendus quotieſcunque caſtrametatio mutari debuit. Ab hoc reſponſo dependet ſolutio ἐναντιοφανείας, quæ

alias

alias inter duo illa testimonia intercedere videtur, nec non ratio, cur Moses hic foci mentionem nullam faciat; qui aliter statuunt, in omnes formas se vertunt, ut simplicissimum textus enunciatum suis præjudiciis accommodent.

Vers. 5. *Et dabis illud subter ambitum altaris inferius*) Male quidam interpretes relativum referunt ad annulos, quorsum vocab. אתה referri nequit, tum propter genus fœmininum, tum propter numerum singularem. Referri itaque debet ad opus illud reticulatum, quod a basi altaris ascendebat usque ad ambitum, sive protuberantiam aliquam altaris, quæ operi reticulato incumbens effecit, ut fabrica illa lignea ære obducta crati inniti potuerit & inde inter portandum sustineri.

Et erit rete usque ad dimidium altaris) Id est, a basi ad mediam altitudinem assurget, ubi structuræ proturberantia incipiebat.

Vers. 6. *Vectes altaris*] Quoniam altare illud portatile erat, & populo in itinere progrediente cum eo adduci debuit, vectes huic deportationi inservierunt.

Vers. 7. *In annulos*] Scilicet annuli operi reticulato adhærentes vectes excipere debebant, ut tota machina posset elevari. Usus igitur operis reticulati fuit, ut machina ipsa inter gestandum nihil pateretur, atque adeo munimentum præstabat, & simul etiam vehiculum.

Vers. 8. *Concavum sit*) Scil. quidquid intra tabulatum hoc spatii esset, non debet aliquo foco aut craticula impleri, ne moles nimium excresceret, & ut facilius deportari posset. Non itaque verba ita accipienda sunt, ac si altari loco constituto, intra ejus concavitatem non deberet focus erigi, & spatium illud impleri, sive saxis rudioribus, sive cespitibus, sed quod opus struendum nihil amplius recipere debuit ex ære aut ligno conficiendum illique annectendum, ut inter portandum onus levius esset.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Tota structuræ ratio architectonica ex usu colligenda est: altare enim hoc struebatur.

α. *Ex ligno*, cum Salomonis fieret ex lapidibus, quod fieri debuit pro ratione temporis, dum Israelitæ habebant tabernaculum portatile, altare quoque ex leviori materia construi debuit. Fateor quidem quod focus ubicunque ex tempore potuerit erigi, imo & debuerit; verum cum altare referret mensam regis, voluit Deus ut aggesta illa incondita materia foci, includeretur structuræ mensam referenti, majestate regia dignam.

β. *Laminis æneis* muniebatur, quia cum lignum esset materia combustibilis, incrustandum veniebat, ne a prunis forte fortuna recidentibus incenderetur.

γ. *Cornua accepit*, quasi ex ipso ligno Sittim egredientia & arcæ continua, quia hoc conferebat ad venustatem & dignitatem. Erant enim cornua potentiæ regiæ symbola. Accedit & usus in explicatione assignatus, nec non quod a præcedentibus tractari, jurantibus tangi, & a reis Sanctuarii tutela carentibus apprehendi debuerint, adeo ut cornua fere fuerint insignia altarium, & peculiares notæ. Unde etiam gentilium altaria id imitata sunt. Vide *Spenceri lib.* III. *dissert.* 3.

δ. *Concavum* relictum fuit spatium intestinum foco implendum, quando erigeretur, ut ignis ibi aleretur, & partes sacrificiorum comburendæ ibi inflammarentur.

ε. In *atrio* ponebatur *sub dio*, quia ædificium conclusum fumum & halitum ex carnibus comburendis assurgentes non ferret, quin ornamenta turpe fœdata redderentur.

§. 2. Dubium non est, quin *Christus*, qui simul est Sacerdos & sacrificium sub alio respectu, etiam sit *altare*: id enim evincit locus Paulinus *Hebr.* XIII. 10. qui igitur voluntate sancta se tradendi egit Sacerdotem, corpore varia mala & mortem ipsam tolerante suppeditavit victimam, ille ipse quoque spiritu æterno zelum pro gloria Dei, & salute electorum excitante, & morti pretium adstituente, subiit vices altaris munera sanctificantis, qui zelus cum conspicuus fuerit in anima fortiter agente, anima ipsa Christi habuit rationem hujus munimenti ignem & flammam includentis, ac proinde analogia hujus structuræ sequens esto:

α. *Lignum* ejusdem materiæ cum ligno totius tabernaculi repræsentabat quidem naturam natam & ortam, quæque solam vim zeli illius ignei sustinere non potuisset, quin tota absumpta fuisset, nisi aliunde robur illi fuisset adstitutum.

β. *Ære* igitur munitum fuit, ne ignis illi quicquam noceret: ita quoque Christi pectus ære constantiæ & communicati roboris munitum fuit, ut ardua illa ferre posset: ita æs apud Poetam quoque symbolum est animi fortis & heroici, quando dicit

Illi

Illi æs triplex circa pectus erat.

γ. *Cornua ex ligno quasi nata*, erant symbolum potentiæ quæ facile hostes debellat, vide *Amos* IV. 13. *Hab.* III. 4. a qua debellandi non tantum potentia sed & actu Christus ipse sæpius *cornu* vocatur, & quidem cum emphasi *Cornu salutis*, *Psal.* XVIII. 3. CXXXII. 17. 2. *Sam.* XXII. 3. Sed potius deliberandum est

a. *Cur cornua illa altari adhæserint?* rationem existimamus. quia Christus tempore oblationis intrinsece ferens æstum iræ divinæ, extrinsecus oppugnaretur ab hostibus & Diabolo, prælium illud decretorium de salute electorum, quo de rei summa ageretur decertaret, in hoc prælio cornubus averteret impetum Diaboli, id est, divina potentia non tantum exciperet invadentem, sed & prosterneret, ac fugaret, superaretque.

b. Cur *cornua* quasi ex altari nata debuerint confici ex *eadem ligni massa*, & non postea super imponi, symbolum hoc fuisse cogitare quis posset, Messiam adhibiturum propriam potentiam, dum alieno auxilio destitutus esset, utpote *destitutus viris*, *Jes.* LIII. 3. & LXIII. 3.

c. Cur *aspergenda* fuerint *sanguine sacrificiorum*, scilicet eo denotabatur

1. Sanguinolentum fore hoc prælium, dum hostis eum urgeret ad sanguinis effusionem, hoc enim modo seminis mulieris calcaneus atterendus veniebat.

2. Illum non mera potentia uti velle adversus regnum tenebrarum; verum etiam jure sanguinis parto, atque ita ageret non tantum δυνάμει sed & ἐξουσίᾳ.

δ. *Opus reticulatum* non tantum circumvallationi, sed & sustentationi altaris destinatum, ut in altum elevari & loco moveri possit mihi videtur.

a. *In se* denotare verbum gratiæ in sacra Scriptura revelatum, quatenus Christum ut altare fidei proponit, id est, tanquam medium salutis impetrandæ manifestat, quod alias *Evangelium crucis* Christi vocatur, dum prophetiæ de cruce Christi cum historia crucifixionis collatæ præconium crucis, tanquam verum & ratum confirmant, sustinent, & ab omni oppositione defendunt.

b. Respectu *annulorum* denotatur semper affore, qui ansam darent Evangelium crucis Christi extollendi, in altum evehendi, & inter gentes propagandi, quotiescunque id Deo visum fuerit, quidni inter illos numerabimus, quibus Spiritus dedit donum linguarum, ut verbum crucis transfundant in omnes alias linguas.

c. *Vectes aderant*, secunda elevationis & portationis instrumenta, quorum est ansam illam arripere. Quidni inter illa numeramus homines dono interpretandi pollentes, quorum est sapientiam verbi crucis eruere, atque ita Christum crucifixum glorificare, seu in altum elevare?

d. Qui igitur *portarent* hoc vas, & manum vectibus applicarent, utentes donis linguarum & interpretationum tam Evangelii quam prophetiarum erunt omnes discipuli veritatis, quibus propagatio Evangelii Christi cordi est, quique lubenter humeros suos supponunt, ut veritas promulgetur, non abhorrentes aut ab onere aut a periculo.

ε. *Locus* ubi hoc altare collocari debuit, cum fuerit in atrio sub dio extra tabernaculum significabat

a. Christum hoc in mundo debuisse pati non aliter ac si ad Sanctuarium Dei non pertineret, i. e. fieri debuisse κατάραν.

b. in atrio tamen, id est, in medio populi Israelitici, qui tunc externam Ecclesiam constituebat, & per consequens eum debuisse pati publice ac palam toto populo inspectante tanquam παράδειγμα εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης Θεοῦ.

ζ. Usus altaris holocaumatum fuit

a. *Sacrificia igne cœlesti absumere* in bonum odorem Deo, ita Christus, quatenus altare, corpus suum excipere ut destruendum zelo divinæ gloriæ, ad impetrandam nostram cum Deo reconciliationem & placandam iram divinam.

b. *Suppeditare prunas altari thymiamatum* imponendas, id est, dare Spiritum precum vi meriti sui, qui thymiamata precum flagrante zelo accendat, Deoque grata faciat.

c. *Suppeditare etiam prunas ad accendendas lampades*, id est, vi meriti sui Ecclesiæ dare Spiritum fervoris & diligentiæ, unde accendatur lumen cognitionis veritatis.

d. *Sanctificare omnia dona imposita*, conf. *Matth.* XXIII. 19. quod in antitypo est excipere omnes qui se Deo offerunt cum sanctificatione & consecratione, qua Deo obstringuntur & obligantur, Deique peculium & cibus fiunt.

e. Oblivisci non debet, *altare* vocari *mensam Jehovæ*, & quatenus partes sacrificiorum

rum

rum quorundam cedebant in usum Sacerdotum, aliæ autem in usum populi, efficere, ut omnes quasi fiant Deo commensales ac domestici: quod Paulus *Hebr.* XIII. 10. vocat, *participem fieri altaris*. *Joh.* VI. 53. vocatur *edere carnem Christi*, atque adeo habere communionem cum passionibus Christi.

f. *Quatenus cornua habet* altare præstabat *reis confugium*, quod idem quoque Christus præstat effugientibus Angelum occisorem, reosque ad mortem quærentem, quos potentia divina ac regni Diaboli debellatrice potenter defendit, tutumque receptaculum sub ejus umbra invenire facit, modo cornua arripiant, id est, justam potentiam, & imperium Christi admittant, conf. *Jes.* XXVII. 4. 5.

DE ATRIO.

Scholia.

Vers. 9. *Atrium tabernaculi*) Voluit Legislator ut aularum in morem tabernaculum quoque sub dio spatium haberet satis amplum, munitum & circumvallatum, quale atrium vocare solemus.

קלעים] Hanc vocem interpretes non eodem modo accipiunt, quidam transtulerunt *tapetes ocellatos*, existimantes texturam cancellatam fuisse, quique extra atrium constituti erant, per illos ocellos, seu interstitia aperta, omnem cultum videre potuisse. Ratio conjecturæ est, quod alias illa vox *fundam* significet, & quia rotundi lapides quæruntur funda projiciendi, voluerunt a rotunditate interstitia nomen accepisse, alii tamen potius *plagulas* vertunt, sicuti Belgæ *behangselen*: Notum est vocem Arabibus significare *velum navis*, totumque velamen videtur ipsa textura plagulis distinctum fuisse, ut videretur quasi totidem cortinas referre. Radix significare videtur omne illud quod explicari & complicari potest, quæ conditio in velaminibus æque ac in fundis requiri solet.

Vers. 10. *Columnæ ejus sunto viginti*) Columnas non ex ære factas fuisse, sed ex ligno requirebat non tantum necessitas parcendi oneri, verum etiam satis evidenter colligitur *Exod.* XXXVIII. 31. ubi omne æris pondus exprimitur; unde eruditi facile per calculum eruunt ablatis basibus & ære altaris holocaumatum destinato, quod reliquum erat non suffecisse columnis, sed insumi potuisse paxillis.

Et bases earum viginti sunto ex ære] Æris mentio igitur ita accipienda est, ut tamen ad bases non ad columnas referatur, ut etiam fieri videmus *vers.* 17. 18.

חשקים) Hoc vocabulum quoque interpretibus molestiam creat, dum alii vertunt per *fascias*, putantque indigitari cingulum aliquod argenteum, quo unaquæque columna veluti redimita conspiciebatur. Verum cum 1. *Reg.* VII. 33. hoc vocabulum *radios in rota* denotet, magis convenit eorum versio, quæ *virgas* seu *radios* transferunt, quorum ope columnæ conjungebantur, & conserebantur, & ex quibus plagulæ suspendebantur. Uncini autem radios illos columnis infigebant, ut illis firmiter adhærerent, Belgice transtuleris *gordyn-roeden*.

Vers. 11. *Et ad plagam aquilonarem*, &c.) Quoniam latus atrii aquilonare meridiano oppositum erat, eadem utriusque fuit ratio, hinc quæ de latere meridiano dixerat Legislator, hic repetit.

Vers. 16. *In porta ipsa atrii velamen erit*, &c.] Notandum hic solummodo velamen hoc undiquaque convenisse cum velamine vestibuli tabernaculi antea delineato, de quo vid. *Cap.* XXVI. 36.

Vers. 18. Describitur hic omnis atrii mensura, ostenditurque longitudinem duplicem fuisse latitudinis, altitudinemque velaminis surrexisse ad mensuram v. cubitorum, id est, septem cum dimidio pedum, ut ne vir longissimæ staturæ potuerit desuper atrium inspicere.

Vers. 19. *Omnia instrumenta*, &c.) Plura instrumenta in atrii usum confici debuisse ad obeundum ministerium dubitari nequit, quamvis non enumerentur, sufficit quod Mosi repræsentata fuerint, quia sine mysterio facile erant transeunda.

Tum omnes paxilli ejus) Duplex genus paxillorum hic distinguitur, ut alii fuerint tabernaculi, alii ipsius atrii. Quæritur autem quemnam usum hi præstiterint? Resp. Hos paxillos telluri infixos fulcrum præbuisse tum columnis atrii, tum velamentis tabernaculi; scil. ne tempestates columnas erectas cum velamento prosternerent, funiculi ex summitate columnarum ab utraque parte paxillis affixi extendebantur, & paxillis terræ insertis firmabantur ne in hanc, illamve partem dimoveri possent. Qui autem tabernaculo inserviebant proculdubio extremitati vellerum etiam con-

juncti & telluri inserti prohibuerunt, ne ventis vehementius flantibus illa tegumenta in altum elevarentur, conf. *Num.* III. 37. IV. 32. nec non *Exod.* XXXVIII. 31. atque hinc illustrari potest locus *Jes.* LIV. 2. ubi jubentur *ampliatis cortinis funiculos in longum protendere & paxillos alte infigere*.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Hoc *atrium* exigebat reverentia cultui divino debita; scil. multi tabernaculo invigilare debebant, & insignis aliquando copia hominum regem muneribus salutare ex occasione debebat: Nunc autem incongruum foret, si alii aliis impedimento forent, decebat ut populus & Sacerdotes liberrime officium facerent, unde atrium quidem fuit munitum, quo arcerentur qui ad cultum præstandum non accedebant, verum & amplissimum, quo admitterentur qui faciem Dei quærebant, omniaque ita erant ornata & firmata, ut non facile aut injuriam aut externam vim paterentur, ut regiam dignitatem simul etiam tuerentur.

§. 2. Ratio *œconomiæ spiritualis* hujus *Atrii* erat denotare *Ecclesiam visibilem*, quæ recipit bonos & malos, modo communem profiteantur fidem. Errare enim a scopo nos existimamus eos, qui putarunt atrium Sacerdotum significasse statum naturæ, qui cum omnibus hominibus sit communis, huic loco minus congruus est, utpote ad quem non omnes admittebantur, dum plurimi munimento velamentorum arcebantur, neminique ingressus concedebatur nisi per introitum aliquem in latere orientali relictum, velamentoque pretioso nunc claudendum, nunc aperiendum: neque etiam undique placet eorum sententia, qui atrium repræsentasse solummodo statum Ecclesiæ Veteris Testamenti conjiciunt, quia id minus congruit loco *Apocal.* XI. 2. ubi *templum* sub Novo Testamento cum *atrio* proponitur, quod *gentilibus concedatur conculcandum per* XLII. menses. Neque alia mente accipi debet quod de Antichristo dicitur illum *sessurum in templo*, 2. *Thess.* II. 4. quod patet ex collatione loci *Jes.* XIV. 13. ubi rex spiritualis Babylonis dicitur *thronum collocasse ad latera aquilonis in monte sacri conventus*; scil. sub templi nomine sæpe & atrium venit, conf. *Lucæ* II. 27. XXIV. 53. Sufficit in genere considerare, quod atrium se habuerit ad Sanctum, ut Ecclesia militans visibilis ad invisibilem, & Sanctum se habuisse ad Sanctum Sanctorum, ut Ecclesia militans invisibilis ad triumphantem. In hoc *Atrio* notare oportet.

α. *Amplitudinem*, qua patuit non tantum Sacerdotibus, verum & omnibus ex toto populo, qui cum aliqua oblatione accedebant: ita quoque Ecclesia externa omnes recipit qui cum signo subjectionis ad eam accedunt, ibique commune objectum venerationis quærunt, cujus pomeria, si ratio ita ferret, potius extendenda erant quam ut aliquem excluderent, quod evidenter evincit testimonium Propheticum *Jes.* LIV. 2.

β. *Usum*: destinatum enim erat atrium, ut admitteret spectatores sacrificiorum, qui venerant ut preces iis conjungerent; ita in Ecclesia locus conceditur confitentibus nomen Christi, ut in fide considerarent Christum altare, illique se ipsos traderent in holocaumata, aut adducerent sacrificium תודה seu confessionis, & nonnunquam etiam εὐχαριστίας, junctis precibus & gratiarum actionibus conf. nobilissimum locum *Jes.* LVI. 4.—7.

γ. *Munimentum* quo omnes in atrio versantes beneficium defensionis & securitatis acquisiverut, scil. ne premerentur a communi turba, sed in pace ac quiete munus suum obirent, ac nemo ipsis scandalum aut impedimentum objiceret, totum atrium inclusum fuit; Jucundum sane repræsentamen ordinis in Ecclesia servandi, quo omnia scandala exturbentur aut removeantur, & cuique statio sine perturbatione tenenda conceditur, ut Deum quiete colere possit. Huc pertinet censura Ecclesiastica, quæ invigilando ordini in atrio servando, id efficit, ut Deo nulla communio sit cum mundo, nec luci cum tenebris: verum notanda quoque sunt instrumenta, quibus ille ordo, & securitas illa promovetur, ubi occurrunt.

a. *Columnæ* quæ sunt symbola Pastorum, quatenus censura illis commissa est, & ordini invigilant, scandalosos excludendo, errantes in fide, aut profanos moribus, non admittendo: ita quidem *Columnæ* vocantur, *Gal.* II. 9. *Apoc.* III. 12.

b. *Velamen ex columnis suspensum*, significat illos fideles, qui ordinem Ecclesiæ amantes ad hujus conservationem etiam cooperantur: nam & fidelium officium est, sub Pastorum ductu scandala observare, & scandalosos fugere, neque pati ut tales admittantur, conf. *Rom.* XVI. 17. & alibi.

c. *Velaminis ornatior pars ingressum claudens & aperiens*, atque ita quasi januam conficiens, denotat *Christum* populo propositum ut objectum fidei, ingressum concedentem iis, qui ad ipsum accedunt, negantem, qui se illi non subjiciunt, adeo ut omnis potestas admittendi & excludendi in Christo radicata sit; conveniebatque velamen illud portæ, quoad ornatum, cum velamine vestibuli anteriori, de cujus significatione egimus *Cap.* præcedenti.

DE OLEO AD LUCERNAS.

Ratio methodi.

Epimetri loco subnectit Legislator præceptum de eligendo oleo pro candelabro, & de officio Sacerdotum in accensione lampadum observando, scil. frustra erat totum ædificium, nisi inter primas curas Sacerdotum esset, erecto Tabernaculo, lumen accendere, ut omnis ornatus in conspectum prodeat, unde Tabernaculi majestas demum inclarescere potuit, ac proinde hic definit Legislator,

α. Ut oleum acciperent, cujus definitur
a. Species.
b. Qualitas.
c. Usus.
β. Ut candelabrum curarent
a. Justo loco.
b. Justo tempore.
c. Assidue.

Scholia.

Vers. 20. *Oleo olivæ*] Hanc speciem pinguedinis præ reliquis eligebat Legislator quia est præ aliis speciebus longe melioris odoris, neque ejus halitus tam facile corpora obscurare solet.

Purum, tusum) Debebat itaque esse defæcatum, ac ut puritati consuleretur non prælo expressum, sed tudicula ad leviorem expressionem paratum, ne fæces ex nimia pressione facile sequerentur.

Pro luminari] Id est, candelabro lampadibus instructo ac ad lumen fundandum destinato.

Ad accendendum lucernam jugiter) Quod non ita intelligendum est, ac si lampades interdiu noctuque lucerent, sed sufficit ut quotidie, sc. singulis vesperis, id fieret, conf. *Cap.* XXX. 8.

Vers. 21. *Extra illud velum*, &c.) In prima parte Sanctuarii.

Aaron aut filii ejus] Hic tacite subinnuitur ministerium Sanctuarii commendatum iri Sacerdotibus ex familia Aaronis seligendis, quorum munus quoque esset lampades accendere, de quorum segregatione, *Cap.* sequenti.

Statutum seculorum esto generationibus eorum) Male Judæi ex hac phrasi conantur inferre æternitatem legis Mosaicæ, quia vocab. עולם significat tantum tempus, cujus terminus ultimus homines latet, & quoniam conditio temporis adstringitur generationibus Aaronidarum, duratio hujus legis commensuratur durationi populi, quamdiu erunt populus a gentibus discretus, & in peculiares familias distinctus, ac proinde familiis Judæorum inter se confusis, genteque dispersa, lex illa obtinere non potuit, hinc ipsi Judæi distinguunt inter עולם הזה & עולם הבא, id est, *ævum præsens & futurum*, quam distinctionem cum lex quoque præsupponat, phrasis עולם ad prius ævum seu seculum restringenda est.

Ratio Œconomiæ.

§. 1. Monuimus jam antehac rationem constituendi Candelabri in Sancto, quod instrumentum cum non debuerit esse inutile, necesse erat ut materia lampadibus accendendis commoda, perpetuo in promptu esset, cujus solummodo species & usus commendatur.

§. 2. *Oleum* cum sit luminis fons & fundamentum, suppeditans flammæ alimoniam, in sacra Scriptura rationem habet emblematicam, quod manifesto evincimus ex *Zach.* IV. 3. collato *Apoc.* XI. 4. repræsentatque oleum olivarum purissimum.

α. In

α. *In se*, Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem & materiam confessoribus suppeditantem ut possint θεολογεῖν, & habeant quod nomine Dei populo loquantur, decet enim eos loqui ὡς λόγια Θεοῦ, 1. *Pet.* IV. 11.

β. *Respectu puritatis*, ad quam conservandam exprimi non debuit, sed intercedente leviuscula contusione quasi sponte profluere, ita quoque verba Spiritus loquentis, ut suppeditent mentem Spiritus Sancti, premi quidem, sed non contorqueri debent, ut fundant nobis sensum quasi sponte profluentem, aliter enim si fiat, mens spiritus non conservatur pura, & sine mixtura faeculentae sapientiae humanae, quod sibi valde evitandum putavit *Paulus*, 1. *Cor.* II. 4. 5. & 13.

γ. *Jugiter* adduci debuit ad lampades, quo monemur mentem Spiritus ex Scriptura derivandam, quotidie in Ecclesia inculcandam esse, ut fideles habeant quo pias meditationes suas exerceant, & quae ad aliorum aedificationem pertinent, loquantur.

δ. In *Sanctuario primo* hoc oleo uti debuerunt, non in Sancto Sanctorum, quia mens Spiritus, per Scripturam innotescens, pertinet tantum ad hanc vitam, in qua ambulamus per fidem, non per aspectum, in futura enim vita Deum solis instar, non autem instar lampadis in tenebris lucentis, contemplabimur, non mediate per revelationes verbi, sed immediate per intuitum rei praesentis, non debili, sed plena luce.

ε. *A vespera usque in matutinum lucebant lampades*, unde monemur hac luce utendum, quam studiosissime in tenebris & ad eam confugiendum, 2. *Pet.* I. 19.

ζ. *Statutum hoc aeternum* subinnuit, ministerium Spiritus, 2. *Cor.* III. 8. perennaturum seculo regni Christi, usque ad ejus terminum omnibus occultum, non nisi cum die Judicii constituendum.

CAPUT XXVIII.

Methodus & Analysis hujus Capitis.

§. 1. OCcasione assignati primi officii Sacerdotum, transit Legislator ad eas Leges, quae pertinent ad decus & inaugurationem muneris Sacerdotalis: hactenus ea descripta erant quae pertinebant ad erectionem Tabernaculi, una cum ejus atrio, quatenus locus instructus fuit omnibus instrumentis, ad opus aliquod Sanctum praestandum, requisitis. Nunc in hoc palatium ministri regis introducendi veniunt, cum omni ornatu & authoritate majestati regis respondentibus. Verum difficultas hic oritur, quomodo Aaronis familiae Sacerdotium adstringatur ante μοσχοποιΐαν, si verum est, quod jugum Mosaicum populo impositum fuit post eam, cum *Ezech.* XX. 26. primogeniti demum a Sacerdotio dicantur remoti, ut illos *impuros declararet Deus?* Resp. Electionem filiorum Aaronis, hactenus non creasse praejudicium primogenitis, nec proinde involvisse aliquod opprobrium, neque habuisse rationem jugi, quod ut evidenter constet, distinguere debemus inter munus publicum, & privatum; omnia sacrificia nomine universi populi offerenda, una cum vigiliis & custodiis domus Dei, spectarunt ad munus publicum, verum sacrificia particularia nomine privatorum offerenda, pertinuerunt ad munus privatum. Jam vero res ipsa evincit, quae omnium nomine peragenda fuerunt, fieri debuisse per delegatos, cum omnes & singuli simul sacrificare non possent, multo minus versari circa unum sacrificium, quod cum ordo naturalis requirat, facile constat quamdiu ea, quae erant muneris publici, lege divina restringebantur ad solos filios Aaronis, eam legem non creasse praejudicium primogenitis, & reliquis omnibus Israelitis, modo cuilibet relinqueretur facultas propria sua sacrificia mactandi * & altari imponendi, sicuti eam habuerunt Patriarchae ante legem in statu libertatis. Ad munus illud publicum pertinebat sacrificium *juge* quotidianum, cum aliis, diebus solemnioribus, ad dierum sanctificationem offerendis.

§. 2. Investitura Pontificis ejus consecrationi, & inaugurationi hoc capite praemittitur, praescribitque Legislator.

α. In genere, praeceptum de investiendo Pontifice, *vers.* 1. --- 5.

β. In specie, praeceptum de vestium quorumdam structura, atque ita repraesentat.

a. Ephod seu amiculum, *vers.* 6. --- 14.

b. Pectorale, *vers.* 15. --- 30.

c. Pallium, *vers.* 31. --- 35.

d. Tiaram una cum lamina aurea, *vers.* 36. --- 38.

* Hoc repugnat Scripturae. Levit. 1. 8. *Et ordinabunt filii Aaronis.* Et III. 5. *Et adolebunt illud filii Aaronis.* Et Num. I. 51. *Quisquis externorum accesserit, occidetur.*

e. Tunicam tessellatam, *vers.* 39.
f. Balteum, *ibid.*
g. Galerum Sacerdotum vulgarium, *vers.* 40. 41.
h. Subligaculum tam Pontifici, quam Sacerdotibus commune, *vers.* 42. 43.

PARS I.

DE PRÆCEPTO GENERALI PONTIFICIS INVESTITURAM PRÆSCRIBENTE.

Analysis.

In hac pericopa præscribitur.
α. Designatio familiæ Sacerdotalis cum mandato accedendi ad Mosem, *vers.* 1.
β. Finis adductionis, ut *Aaroni faceret vestes*, *vers.* 2. quod explicatur
a. Per mandatum eligendi artifices qui vestes sacras conficiant, *vers.* 3.
b. Per designationem & enumerationem vestium conficiendarum, *vers.* 4.
c. Per specificationem materiæ ex qua confici debuerunt, *vers.* 5.

Scholia.

Vers. 1. *Fac ut ad te accedat Aaron*, &c.] Voluit Legislator ut designatio Pontificis & familiæ Sacerdotalis publice fieret inspiciente toto populo, qui obligari debuit ad agnitionem ministrorum regis.

E medio filiorum Israëlis] Ex quibus desumendi erant, qui nomine populi cultum publicum præstarent.

Ut Sacerdotio fungantur mibi] Verb. כהן ex etymo significat agere coram rege ea, quæ non concedebantur nisi hominibus intimæ admissionis, hinc filii Davidis vocantur כהנים, quia pollebant facultate regem adeundi, quandocunque illis hoc libuit, atque ea occasione intercedendi pro iis, qui opem regis flagitabant, unde & Moses dicitur fuisse inter כהנים, quia illi licuit ad Deum regem populi accedere, quando libuit.

Vers. 2. *Vestes sacras*] In textu בגדי קדש, *vestes sanctitatis*, ita appellantur, quia erant Symbola sanctitatis, & indicia viri consecrati ad sacrum munus.

Aaroni] Utpote futuro Pontifici, ubi non opus est constituere synecdochen membri, seu partis pro toto, quamvis *vers.* 40. & 42. mentio fiat vestium reliquorum Sacerdotum, quia illud tantum inseritur, ad indicandam convenientiam, & differentiam vestium Pontificis, a reliquorum Sacerdotum vestimento.

Ad gloriam & ornatum] Quæ vocabula ita distinguenda sunt, ut vox כבוד, respiciat venerandam Pontificis dignitatem, voluitque Deus, ut vestimenta Pontifici conciliarent honorem, regio ministro debitum. Sed vox תפארת, respicit ornatum, quem Deus servari voluit in toto hoc cultu cæremoniali, qualis ornatus regiæ majestati respondet, & oculis corporeis gratiam conciliat.

Vers. 3. *Loquere ad omnes sapientes corde*] Hebraismus iste, per periphrasin describit viros industrios, qui sua industria artes exornare, & quæ ad gratiam conciliandam pertinent, eleganter ordinare norunt; Ita Sapientia dicitur cor Salomonis implevisse tanta rerum abundantia, quam mare aquis repletur.

רוח חכמה, *Spiritus sapientiæ*] Hic commemoratur ut donum Dei, adeoque Deus ipse præparavit sibi hos artifices, extraordinario spiritus sui dono, ne putaremus quicquam humano arbitrio factum fuisse: ita enim effectum est, ut ideam Mosi repræsentatam ipsis non visam exacte assequuti fuerint.

Ad Sanctificandum eum, ut sacerdotio fungatur mibi] Igitur vestes conferebant aliquid ad sanctificationem Aaronis cæremonialem, ut illi non licuerit adire Deum, non induto hisce ornamentis.

Vers. 4. Hic enumerantur omnes vestium *species* in sequentibus articulatim explicandæ.

Vers. 5. *Materia* vestimentorum eadem definitur, cum materia aulæorum. Vid. *Cap.* XXVI. 1. quæ qualis fuerit vidimus ad *Cap.* XXV. 3. 4.

Ratio

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *Vestes* remedium nuditatis conceduntur Aaroni & Sacerdotibus ad honestatem servandam, a qua decentia gentiles recesserunt, qui plurima sacrificia, nudo corpore absque piaculo fieri potuisse, existimarunt, da qua re vide Cl. *Braunii* Opus de *Vestibus Sacerdot. lib. I. cap.* 1. §. 3. 4. 5. unde occasio nata multarum scortationum, & impurorum rituum. Nihil ergo nuditatis derelictum fuit Sacerdotibus & Pontifici, nisi respectu pedum: nam calceis non fuisse indutos Sacerdotes, pluribus evincit idem *doct. Auth.* citato *lib. cap.* 3. quod ad exemplum præcepti Mosi dati *Exod.* III. 5. factum existimant. Ceterum omnis ornatus fuit pretiosissimus, decus non solum, sed & majestatem regiam defendens; habuitque Pontificalis ornatus.

α. *Judicium discretionis*, cujus interventu Pontifex discernebatur a reliquis Sacerdotibus qui solummodo tunica cincti, quæ balteo lumbis adstricta fuit, minoris dignitatis erant. Cum Pontifex præter *Tiaram* pilei loco, superindutus fuerit adhuc *pallio cæruleo*, & *amiculo pectorale* continente, quibus illico in oculos populi incurrebat singulari splendore.

β. *Insigne muneris*, habent enim omnia munera publica hoc peculiare, quod aliquibus vestimentis gerendis discernantur vel potius designentur: non enim licuit cuiquam hominum, imo ne ipsi quidem regi similibus vestimentis indui.

γ. *Symbola dignitatis*; Nam monebant populum hominem venerari, qui causam agebat Dei apud populum, & in summa habere existimatione, qui causam populi agebant apud Deum. In pretio enim illos esse oportet, qui beneficia maximi pretii in populum conferunt, unde lapides pretiosi, aurum, & cara omnis materia, a populo adduci debuit, in testimonium quod vir hisce induendus apud illos tanti pretii esset.

δ. *Non erant* hæc omnia *arbitrii humani*; unde idea vestimentorum a Deo præscripta, eorumque confectio hominibus θεοπνεύστοις commendata, ut agnoscerent, divinam & sapientiam, & ordinationem in his omnibus.

§. 2. Dubium non est, quin sicuti *Sacerdotes vulgares* sunt *typi Christianorum* omnium, quibus concedenda erat ad Deum accedendi facultas & libertas, ita quoque *Pontifex maximus* fuerit *Typus Christi*, qui foret omnium caput, ut adeo Sacerdotes sub tali capite constituant *regnum Sacerdotum*: hinc *fideles* vocantur *regium Sacerdotium*, 1. *Pet.* II. 9. & *Christus ipse Pontifex*, *Hebr.* IV. 14. 15. 16. & alibi, qui sicuti Aaron delectus fuit ex filiis Israelis, ipse quoque ex iis desumi debuit, *Jer.* XXX. 21. confer *Hebr.* VII. 14. qui nunc concipiendus est, ut indutus omni qualitate requisita, scil.

α. Debuit a *fratribus suis discerni*, ac proinde habere aliquid cum reliquis commune, & aliquid peculiare.

a. *Tunicam talarem habuit cum sanctificatis communem*; quatenus significabat *tunicam justitiæ*, *Jes.* LXI. 10. unde & omnes Sacerdotes dicuntur *justitia induti* cum hac distinctione, quod illius justitia foret propria, Sacerdotum vero imputata, quæ tunica adstringi debuit *balteo veritatis & constantiæ*, *Jes.* XI. 5. quæ virtus omnibus debebat esse communis.

b. Habuit tamen & *vestes* sibi *proprias*, quibus supereminuit omnes, & quidem

1. *Pallium cæruleum* designans aliquid cœlestis majestatis utpote quæ esset ἄνω non κάτω, id est, *Dominus e cœlis*, 1. *Cor.* XV.

2. *Amiculum cum pectorali*, quatenus coram Deo singulari modo apparere debuit ut vir proximæ admissionis, quod reliquis Sacerdotibus, etiam non ita licuit.

3. *Mitram* gestavit cum *lamina aurea*, id est, jus habuit imperii quo supra omnes Sacerdotes constitutus fuit ut caput.

β. Verum hæc *vestimenta peculiaria* fuerunt quoque insignia *officii mediatoris*, quatenus verus Pontifex foret *mediator Dei & hominum*, *homo Christus Jesus*, 1. *Tim.* II. 5.

a. Ubi *tunica cum braccis & balteo* significabant aliquid prærequisitum in mediatore & quidem

1. *Braccæ sanctitatem*, qua liber esse debuit ab omni concupiscentia carnali, ut nihil peccati in eo conspiceretur.

2. *Tunica* denotabat *justitiam*, quatenus in albis sistendus Patri, non potuit non exire justificatus, & immunis declarari ab omni reatu.

3. *Balteus* significabat istius *justitiæ firmitudinem*, & tam solide Christi adhæren-

rentem justitiam, ut ab eo separari nullo modo potuerit, quod præstitit ejus veritas & immutabilis constantia in opere salutis perficiendo, unde quod notandum est, die Expiationis Pontifex solummodo conspiciebatur in hac vestitura, quia impetratio salutis, a sola Christi sanctitate & constanti justitia dependebat.

b. *Vestimenta* propria corpus circumdantia ad duo revocari possunt.

1. *Pallium cæruleum tintinnabulis & malogranatis* instructum, denotabat illam partem muneris mediatorii, qua causam Dei agere debuit Christus apud homines, utpote legatus cœlestis, qui nomine Patris veniret ad suos, idque non sine gratia, quam offerret per modum fœderis, nec sine verbo, quo audiretur a populo.

2. *Amiculum includens pectorale, nec non Urim & Thummim*, erat insigne alterius partis muneris mediatorii, qua causam populi ageret apud Deum, pro electis suis intercedendo, eorumque causam & nomina gestando, quique homologiam fidei præstiterunt Patri proponendo, & pro iis consilia divina in rebus difficilioribus flagitando, ut omnis lux sapientiæ & perfectionis, per Christum ad eos deflueret

c. *Mitra* autem *aurea quadam lamina* ornata, insigne erat imperii & majestatis, qua caput Ecclesiæ gaudebat, cujus erat populum ad fœdus admissum capitis instar regere, defendere & patrocinari.

γ. Sicuti hic *ornatus Pontifici* cedebat *in gloriam*, & *ornatum*, quatenus habebat notam dignissimi muneris; ita quoque Christus propter illud munus mediatorium habet

a. *Majestatem venerandam*, dum nomine Dei agens, & ut Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας ἡμῶν suos ad fœdus cum Deo invitat, imo & admittit cum potestate summa, habet aliquod venerandi, ut sit adorandus & jure a nobis flagitet fidem in se.

b. *Pretium nunquam non æstimandum*, a quo venit nobis ut amandus tanquam sponsus Ecclesiæ gratissimus, dum ex singulari amore erga Ecclesiam, causam illius in se suscipit, omniaque fideliter præstat, nomina eorum non tantum humeris, sed & cordi imponit, ac Patri repræsentat.

δ. Tota *illa relatio variarum partium* muneris mediatorii ad se invicem, habuit multum sapientiæ divinæ, & ipsi artis periti a Deo edocti, argumento erant, omnes qui concurrerent ad Christi introductionem in mundum, & manifestationem ejus in munere mediatoris, nil ausuros propria prudentia, sed omne illud opus fore Spiritus Sancti. Ita *mater* concepit eum ex *Spiritu Sancto*. Prodromus *Baptista* eum publice proponens ut Messiam, egit *vocatione divina*, omniaque testatus est ad normam consilii divini, quæ de Christo monenda veniebant: quod idem de Apostolis & discipulis considerandum est.

PARS II.

DE AMICULO CUM PECTORALI.

Analysis.

§. 1. Incipit Legislator a vestimento exteriori, gradatim perrecturus ad interiora; Cum enim omnia Mosi exhiberentur in idea, secutus est hanc methodum, secundum quam incipit ab iis quæ primo in conspectum prodeunt. Primum ergo vestimentum, quod attingit est *Amiculum cum Pectorali*, quæ duo conjungimus, quia alterum alterius erat supplementum, dum pectorale amiculo alligatum, in symbolo quasi unum cum eo constituit, locum aliquem vacuum occupans, & ad ejusdem rei significationem pertinens.

§. 2. Depingitur hoc amiculum

α. Quoad partes integrantes, quæ tres sunt:

a. Indumentum, *vers. 6.*

b. Humeralia, *vers. 7.*

c. Cingulum, *vers. 8.*

β. Quoad ornatum humerale a *vers. 9.* --- 12.

γ. Quoad accommodationem ad recipiendum pectorale, ubi definiuntur

a. Catenæ aureæ, *vers.* 13. 14.

b. Pe-

b. Pectorale ipsum, cujus descriptio quasi per parenthesin inseritur, ubi videas Legislatorem definire.
1. Materiam & formam ejus, *vers.* 15. 16.
2. Ornatum lapidum, qui
א. Definiuntur, *vers.* 17. --- 20.
ב. Declarantur a modo inserendi & conscribendi, *vers.* 20. 21.
c. Colligatio cum amiculo mediantibus catenis & annulis, *vers.* 22. --- 28.
d. Quoad adjunctum Urim & Thummim, *vers.* 30.

Scholia.

Vers. 6. *Facies amiculum*) Hebr. אפוד, *Ephod*, a rad. אפד, *amicivit* & *accinxit*, conf. *Jes.* XXX. 20. ejus quoque mentio fit inter vestimenta *Samuelis*, 1 *Sam.* II. 18. *Davidis*, 2. *Sam.* VI. 14. & 1. *Chron.* XV. 27. *Michæ*, *Jud.* XVII. 18. fuitque indumentum aliquod extimum, & quasi succinctorium. Si *Josephi* authoritate standum est, Amiculum hoc Pontificale contextum fuit *in profunditatem cubitalem*, consentque Philologi formam *Caracallæ* habuisse, quod fuit breve vestis genus lateribus scissum & quasi hemisphærium, seu dimidiatum pallium, manicis destitutum, tergum ab humeris ad nates usque tegens, nec non pectus, nisi quod spatium aliquod intectum derelictum fuerit, cui pectorale fuit inserendum, ac proinde ex duabus constabat plagulis una anteriore, altera posteriore, vid. *Braunius de Vest. Sacerd. lib. II. cap. 6.*

Ex auro, hyacinthino, &c.) Id est, ex eadem pretiosa materia, ex qua aulæa interiora confecta fuerunt, unde *Josephus* dicit ex *variis coloribus & auro variegatum fuisse*. Non definit Moses quales figuræ colorum variegatione plagulis hisce intertextæ fuerint. Negant Judæi animalium figuras aut Cherubinorum insertas fuisse, sed amant illis substituere flores, ne occasio idololatriæ daretur. Usus istius ornatus fuit ad gloriam & pretium Pontifici conciliandum.

Opere artificiosissimo) Id est, textura figuras ab utraque parte elegantissime repræsentante.

Vers. 7. *Duo humeralia*) Quæ nihil aliud fuerunt, quam reliquæ partes hujus vestimenti humeros occupantes usque ad axillas, quæ plagulis adhærebant, & usque in humeros protrahebantur, ut gemmatis fibulis anteriora cum posterioribus jungerentur, inde LXX. vocant hoc vestimentum ἐπωμίδα ἀπὸ τῦ ὤμου, id est, humero.

Et juncta erunt illi in duabus extremitatibus) Quam conjunctionem Judæi putant factam acu, dum humeralia volunt plagulis assuta; verum id minus convenit cum verbis Mosis, quia omnia vestimenta concipit tanquam opus textoris, & potuerunt æque per texturam adhærere quam per acum.

וחבר, *& adhærebit*) Quæ verba repetuntur forsan ad novam cohærentiam denotandam, quæ existere debuit in humeris, humeralium conjunctione per fibulas gemmales.

Vers. 8. *Et cingulum amiculi ejus*] Ita vocatur tertia pars hujus indumenti, cujus ope infra axillas amiculum adstringebatur corpori, & pallium lumbis.

עליו, *supra eum*] ex eo scil. cingulum hoc amiculo fuit continuum, egrediebaturque per texturam ex ipso amiculo.

Vers. 9. *Et sumes duos lapides Schoam*] Ex *Josepho* constat duas pretiosissimas illas gemmas Græcis vocatas esse Σαρδόνυχας, quamvis *Philo* ponat *Smaragdos*, & LXX. Βηρύλλιον. Pluribus tamen Clar. *Braunius* sententiam *Josephi* confirmat citato *lib.* II. *cap.* 18. *Plinius* describit *lib.* XXXVII. *cap.* 6. colorem habuisse *translucidum ex rubro & candido quasi mixtum*.

Insculpes eis, &c.] Antiquum igitur fuit artificium Romanis adeo celebre, insculpendi nomina & figuras gemmis, qualia apud antiquarios rara monumenta etiamnum inveniuntur, in quibus imagines artificiosissima manu excavatæ sunt.

Vers. 10. *Sex e nominibus eorum*, &c.] Ita XII. tribuum nomina in duas classes divisa sunt, & unicuique lapidi sex nomina insculpenda erant.

Prout illi nati sunt] Id *Josephus Antiq. lib.* III. *cap.* 18. ita explicat, ut majores natu dextrum humerum obtinuisse, minores sinistrum, asserat. *Gemarici* autem, tum *Babylonici*, tum *Hierosolymitani*, volunt filiorum *Leæ* nomina primum scripta fuisse, deinde *ancillarum*, atque ultimo filiorum *Rachelis*, quæ sententia minus probabilis & excussa a *Braunio* loco citato.

Vers. 11. *Inclusos fundis aureis*] Sc. duæ gemmæ auri fundis ita fuerunt insertæ, ut fieri etiam hodie in annulis videmus. *Josephus de bello Jud. lib.* IV. *cap.* 6. rem illu-

illustrat, dum ait, *fibulas duas aureas*, quas *aspidiscas* vocat, id est clypeolos, humeralia colligasse, quibus inquit κάλλιςοι ϗ μέγιςοι σαρδόνυχες κατέκλειντο, unde confici potest, utrumque humerum obtectum fuisse auri massa, in formam clypei incurvata, cui infibulabantur humeralia, & desuper immissæ fuerunt gemmæ.

Vers. 12. *Lapides memoriales filiis Israel*] Ita vocabantur ab usu, quem verba sequentia indigitant, sic ferre debuit Aaron nomina filiorum Israel coram Jehova super duos humeros suos, in recordationem, quasi vellet Deum monere, quod pro omnibus tribubus sacrificaret, omniumque causam apud Deum peragendam suscepisset.

Vers. 14. *Duas catenas auri puri*) Illæ catenæ humeralibus appensæ fuerunt, ut pectorale iis annecteretur & ab iis sustineretur.

מגבלות] Hanc vocem alii vertunt *æquabiles*, quasi significaret duas catenas æqualis longitudinis & crassitiei; alii potius transferunt *opus flexile*, quia funiculi aurei funium instar implecti debuerunt; Belgice *ketens van gedraeyt vverk*, ut illico explicatur a Mose.

Appones ad fundas] Ut scil. principium adhæsionis hic statuendum sit ad fundas lapidum humeralium in utroque humero.

Vers. 15. *Hic* accedit *ad pectorale*, tanquam ex occasione descripturus partem e catenis illis suspendendam.

Pectorale judicii] LXX. transferunt λόγιον τῶν κρίσεων. Vulgata, illam versionem sequens, *rationale judicii*. Ita appellatur cum relatione ad *Urim & Thummim*, quia Pontifex hoc indumento indutus, & Deum in causa dubia rogans, referebat oracula, quæ debebant esse judicii loco, utpote quæstionem determinantia.

Sicut opus amiculi facito illud) Conveniebat igitur cum amiculo, non tantum quoad materiam, sed etiam quoad figuras & omnem ornatum.

Vers. 16. *Quadratum esto*] Unde subjungitur ejus longitudo & latitudo, quæ utraque definitur spithama Heb. זרת, cujus quantitatem colligere licet ex *Ezech.* XLIII. 13. collato cum 17. ubi definitur per dimidium cubiti, Judæi per tres palmas sive XII. digitos, quod iterum convenit. Hanc proportionem natura docet, quia spithama justam continet mensuram, ad tegendum viri pectus.

Duplicatum) Itaque textura integra habebat longitudinem cubiti, & latitudinem dimidii cubiti, verum complicatum & ita duplicatum quadratam figuram accipiebat, quæ duplicatura multum faciebat ad indumenti firmitatem, ne facile laceraretur ab onere tot gemmarum.

Vers. 17. *Lapides ordinibus* IV.) Scilicet pro numero XII. tribuum, XII. gemmæ pectorali inserendæ fuerunt quadruplici ordine, ut quilibet ordo tres receperit lapides, de quarum serie, nominibus, & virtutibus plurima videnda sunt apud *Braunium*, quæ exscribere non lubet; sufficit hic tantum ex ejus mente nomina referre, ut ordini primo assignati fuerint *Sardius*, *Topazius*, & *Smaragdus*.

Vers. 18. In ordine secundo numerantur *Carbunculus*, *Sapphirus*, & *Adamas*.

Vers. 19. In ordine tertio numerantur *Hyacinthus*, *Agathes*, & *Amethistus*.

Vers. 20. In ordine quarto numerantur *Chrysolitus*, *Sardonyx*, & *Jaspis*.

Impacti fundis aureis sunto suis insitionibus) Scil. unaquæque gemma auro munita eo pacto fuit, ut munimenta aurea adhæsisse videantur communi laminæ aureæ, ut ita facilius pectorali affigi & inseri potuerint.

Vers. 23. *Pone duos illos annulos in duabus extremitatibus*, &c.) Hi duo annuli spectabant ad superiorem pectoralis marginem, quibus catenulæ aureæ erant inserendæ, ut inde totum pectorale dependeret.

Vers. 25. *Duas vero alias extremitates*, &c.) Hic respicit extremitates catenarum aurearum, quæ annectendæ veniebant humeralibus ad radicem fundarum, quibus duo lapides Sardonyches inserti fuerant.

Vers. 26. *Facies quoque duos annulos*, &c.] Hi annuli pertinebant ad inferiorem marginem pectoralis, quorum usus erat ut pectorale adstringerent & alligarent cingulo, ne difflueret, atque ita tam sursum quam deorsum retinebatur expansum, ut neque huc neque illuc dimoveri potuerit.

Vers. 28. *Vitta hyacinthina*] In parte superiori alligabatur pectorale catenis, inferiori autem vittis seu ligamentis colore cæruleo aut hyacinthino imbutis, qui color etiam pallii fuit.

Neque separetur pectorale hoc ab illo amiculo) Prohibet Legislator ut unquam solvant tam catenulas quam vittas, ac proinde pectorale illud, amiculo commissum, concipiendum fuit tanquam unum cum amiculo indumentum seu ornamentum.

Vers. 29. *Ut portet Aaron*, &c. *cum ingredietur in Sanctum*] Multum a scopo aber-

aberrant viri docti, qui putant, Aaronem ornatissimo illo amictu indutum, quotannis ingressum fuisse die expiationis in Sanctum Sanctorum, cum Legislator hic αὐτολεξεὶ restringat ad Sanctum, & ad juge Pontificis exercitium. Contrarium videbimus suo loco ex lege ipsa, Pontificem sc. die expiationis tantummodo in albis ambulasse, & sine pretiosis hisce indumentis se conspiciendum populo præbuisse; de qua re pluribus *Braunius lib.* I. *cap.* 7.

Vers. 30. *Et dabis in illo pectorali juris, Urim & Thummim*) Hic multum digladiantur Philologi, quid per URIM ET THUMMIM Legislator intellexerit. Nuper doctiss. *Spencerus* putavit, significari *duas imagunculas, pectorali inditas, easque alias Theraphim appellari*, quam conjecturam stabiliri posse ex locis *Jud.* V. & XVII. nec non *Hos.* III. 4. existimat: Verum minus solidam esse illam conjecturam probat *Braunius lib.* II. *cap.* 20. ejusque nuperus antagonista *Witsius* viri docti argumenta pluribus excussit; mihi videtur imaguncularum formam utpote rotundam & variis protuberantiis inæqualem, non convenire pectorali, quippe deformem admodum conspectum pectori Pontificis conciliasset, & fere gibbosam figuram, id est, monstrosam adjecisset. Neque etiam gemmarum justa series in plano conservanda, retineri potuisset. Hinc est quod plurimi viri docti intelligant ipsum *syntagma lapidum*, seu gemmarum texturæ pectoralis assuendum; verum nec illa sententia difficultate caret. Clar. olim *Matthias Martinius* putat lamellam auream, vel simile quid, fuisse intra duplicaturam pectoralis ponendam, quod magis videtur convenire cum textu, præcipue si conferamus *Lev.* VIII. 7. 8. Ubi postquam Moses Pontifici alligaverat pectorale, dicitur *in illo dedisse Urim & Thummim*, quod vix concipi potest, nisi fuerit aliquod corpus duplicaturæ pectoralis libere inserendum; nam quomodo onus illud lapidum pretiosorum tunc temporis potuerit pectorali insui & affigi, concipere non possum. Esto ergo *Urim & Thummim* arcanum aliquod corpusculum, planum, non in lege descriptum, cum quia humana opera confici non debuit, tum etiam quia a vulgi cognitione Legislator voluit remotum, ne Judæi id multiplicarent, & ad idololatriam eo abuterentur. Accedente forsan etiam ratione mystica, cur mysterii instar solo nomine innotescere debuerit. Usus erit se habere instar pignoris, quo Deus rex populi se adstrinxit & obligavit ad respondendum populo, Pontifice id nomine populi postulante, & cum adductione hujus pignoris promissam illam gratiam quasi restipulante, quidquid sit, in eo omnes conveniunt.

α. *Urim & Thummim* significare *lucis & perfectionis* omnimodam copiam,

β. *Deum* huic signo externo *alligasse* quædam *oracula*, ab eo expetenda,

γ. Hoc privilegium datum esse *Pontifici*, cujus interventu & opera desiderata oracula impetrarentur, & eorum ope populo nihil eorum deesse, quæ ad necessariam lucem & perfectionem pertinent, id est, ad cognitionem voluntatis Dei in populo imperantis, & ad præstationem rerum rempublicam illam perficientium.

Sic portabit Aaron Jus filiorum Israelis) משפט significat, tam *judicium*, quam *jus* judicio adjudicatum aut adjudicandum. Ab hoc jure vocabatur pectorale חשן המשפט, sc. Pontifex, quasi ex fœdere munitus hoc pignore, repræsentabat in intercessione sua jus populi, dum responsa petens, voluit explorare, quid Deus vellet ex fœdere suo agere cum populo, adeo ut responsum, quod referret de jure & Judicio Dei & populi, statueret, quid in casu dubio faciendum esset, aut quid a Deo rege in regimine populi expectandum esset.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Repetendum est, quod שכנה seu divina *majestas* habitans in Sancto Sanctorum, repræsentaverit Deum populi regem ibi præsentem, ut oracula & judicia sua, rogatus, populo manifestaret, atque ita eum perpetuo gubernaret. Verum cum ad hoc opus requireretur, internuntius qui regem conveniret, quando vellet, aut res ipsa id flagitaret, Pontifex Maximus in eum usum designatus fuit, qui causam populi ad Deum deferret, supplicationes & dubios casus illi proponeret, responsa relaturus. Hoc munus intercessorium depingebatur amiculo, clypeum illum pectoralem includente, quem *Lut.* eleganter vernacule *een Amptschilt* vocat, quia erat tessera muneris intercessorii.

α. *Reconditam* habebat *fabricam incognitam*, duplicaturæ pectoralis insertam, cui nomen *Urim* & *Thummim* imponitur, tanquam pignus a Deo rege datum, quo confirmabatur ejus facultas conveniendi Deum, & per modum restipulationis fœderalis, quæ ad gubernationem, & directionem populi spectabant, ab eo nomine populi postulandi.

β. *Gemmatum opus pectorali insertum*, cui nomina XII. *Tribuum* erant inscripta, restringebant illam facultatem intercedendi ad solam causam populi Israelitici. Et juxta textum ipsum, erat *memoriale populi coram Deo*, quasi in memoriam revocans, quinam essent fœderati, & ad populum spectantes, quibus Deus benevolentiam suam adstrinxerat.

γ. *Amiculum* spectabat tantum ad firmitatem pectoralis, ne huc illucve diffluerent, nisi quod humeris etiam nomina XII. Tribuum erant imposita, quod memoriale ostendebat, Pontificem non tantum ex amore, sed etiam ex officio & singulari obligatione, causam populi Deo repræsentare.

δ. *Ornatus amiculo & pectorali communis*, cujus materia & colores conveniunt cum aulæis, conciliabat Pontifici eam authoritatem, ut non potuerit non venerari tanquam domus Dei domesticus, utpote gestans eundem ornatum cum interioribus regii istius tabernaculi, vernacule diceres *dat hy droeg het liverey des Konings*.

§. 2. In *Christo* vero Pontifice, Aaronis antitypo, denotatur idem *Munus Intercessorium*, quo causam populi electi defert ad Patrem, eorumque supplicationes in fide oblatas, ad thronum judicii Dei deferens, justificationem suorum rogans & restipulans, ut omnia necessaria responsa, per *Spiritum Sanctum* illis concederet Pater.

α. *Pectorale* itaque, denotat ipsum repræsentamen causæ fidelium in judicio, quod pectori impositum, denotat intimum cordis amorem, quo Christus suos complectitur, & corpori adstringit, ut repræsentet, eosdem assumptos in unitatem corporis; induit enim Christus fideles electos ut vestimentum, in quo habitat, quodque cordi habet tanquam pertinens ad ornatum suum & gloriam suam, dum gratiam suam in iis collocatam ad laudem gloriæ suæ gratiæ proponit, in quo repræsentamine

a. Occurrit *Urim & Thummim*, olim pignus Spiritus Prophetici, per quem Pontifex divina responsa referebat, quidni & hic emblema *Spiritus Sancti*? utpote cui omnes characteres apprime conveniunt, modo consideretur ut Spiritus Christi in Ecclesia habitans.

1. Non erat hoc pignus *humanæ operæ*, sed a *Deo dabatur*: ita quoque Spiritus non acquiritur humana industria, sed Christus eum misit a patre ut donum gratiæ.
2. *Intra duplicaturam pectoralis latitabat, neque conspiciebatur ab hominibus*, ita quoque *Spiritum* quem accepit Ecclesia *non novit mundus*, *Joh.* XIV. 17. estque ipse *albus calculus*, *quem nemo novit nisi qui accipit*, *Apoc.* II. 17.
3. Erat *arrhabo restipulationis*, qua liceat petere a Deo, non tantum omnia necessaria, sed & *oracula* quibus manifestaret Deus consilium suum arcanum, aut voluntatem suam in judiciis. Ita *Spiritus Sanctus* quoque est *arrhabo*, 2. *Cor.* I. 22. & *spiritus adoptionis filiorum*, *Rom.* VIII. 15. cujus ope accipimus jus non tantum, sed & instigationem, petendi a Patre omnia ad pietatem & vitam necessaria.
4. *Neque frustra fuit illud pignus*, effecit enim ut donum Prophetiæ super Pontificem oracula funderet, & arcana voluntatis manifestaret. Ita præsentia hujus Spiritus impetrat, ut Christus arcana sua per hunc spiritum communicet nobis, dixit enim: *Sumet ex meo & vobis notificabit*, *Joh.* XVI. 13. — 15.
5. *Urim & Thummim vocatur*, quia id efficeret, ut omnia quæ ad cognitionem & consummationem pertinent, adessent populo literali in ordine ad rempublicam, quæ erat Θεοκρατία: quod idem Spiritus præstat in regno Christi spirituali, dum per illum Spiritum Ecclesiam illuminat lumine amplissimæ cognitionis, & conscientiis eorum inspirat τελέωσιν, quam lex præstare non poterat, scil. Spiritus est ille ἄλλος παράκλητος, qui in foro conscientiæ, credenti in Christum nunc insinuat, ἄφεσιν τῶν ἁμαρτίων, & plenarii juris pignus est.
6. *Repræsentabatur tamen Deo ut pignus restipulationis*. Ita Christus Patri repræsentat sanctificatos suos, ut Spiritu obsignatos, & eorum supplicationes tanquam ejusdem Spiritus *suspiria*, quibus non potest non Deus respondere, conf. *Rom.* VIII. 26. & 27.

b. Occurrit *pectorale* respectu *clypei gemmati*, in quo cernimus XII. pretiosissimas gemmas quibus Tribuum nomina insculpta erant. Ubi

1. *Gemmæ*, lapides pretiosissimi, symbola sunt *electorum sanctificatorum*, qui & *lapides vivi* vocantur 1. *Pet.* II. 5. & Ecclesia per XII. lapides pretiosos repræsentatur *Apoc.* XXI. 19. 20. conf. *Jes.* LIV. 11. Pretium gemmarum vero dependet

α. *A soliditate* : habent id lapides pretiosi, quod eorum particulæ sibi mutuo tam arcte adhæreant, ut facile ictum sine fractura ferant; ita quoque in electis fidelibus est animus infractus, constans, & ne multis quidem persecutionum ictibus cedens.

β. *A lumine* seu luce : quo enim pelluciditas gemmarum magis est lympida, eo majoris æstimantur. Habet id quoque locum in fidelibus electis, quod per gratiam Spiritus Sancti omnes ignorantiæ, & vitiorum tenebræ, ita ex ipsis ademptæ sint, ut dicantur ipsi *lux in Domino*, *Ephes.* V. 8. adeo ut ipsi *radios lucis emittant*, *Matth.* V. 16.

γ. *A coloribus*, qui pro cujusque gemmæ indole varii sunt, & radios lucis modificant, ut gratum oculis conspectum præbeant; quod emblema est, variorum donorum Sp. Sancti, quæ ipsam sanctificationem ita modificant, ut in aliis hoc, in aliis vero aliud gratiæ ornamentum emineat. Ita color albus in *Adamante*, hyacinthinus seu cæruleus in *Sapphyro* & *Amethysto*, coccineus in *Sardio*, purpureus in *Carbunculo*, aureus in *Chrysolitho* laudatur, qui colores etiam in vestibus recipiebantur : *Achates* punctis & lineolis pulcherrime picta, refert fere tessellatum opus : Color viridis varie modificatus in *Topazio*, *Smaragdo* & *Jaspide* agnoscitur, & fere referri potest cum floribus ex herba viridi protrusis, adeo ut in solis gemmis, quasi compendium habemus quorumcunque colorum qui in vestibus occurrunt, ac proinde in significatione conveniunt, dum ostendunt participationem omnis gratiæ & meriti Christi.

2. *Nomina* XII. *Tribuum* illis inscripta, significantia Pontificem non intercedere nisi pro Israele, significant in regno Christi

α. *Israelem spiritualem*, constituere populum electum; gentesque conversas concipiendas esse instar proselytorum, utpote quæ per fidem Israeli inseruntur, atque ita conficiunt semen Abrahami spirituale : *Non enim omnes sunt Israel, qui ex Israele sunt*, *Rom.* IX. 6. --- 9.

β. *Excludunt* autem ab *intercessione Christi* omnes *infideles* & *hypocritas*, quorum nomina *labiis suis non se accepturum*, dixit Christus, *Psal.* XVI. 4.

γ. Infert quoque *locus* omnia Christi membra, nominatim illi ex testamento gratiæ cognita, Deo Patri proponi, *Heb.* XII. 23. &c.

3. *Aureis fundis* implicabantur hæ gemmæ, quo denotatum fuit meritum Christi, omni auro pretiosius & solidius ita circundare electos credentes, & in statu gratiæ confirmare, ut non possint ex amore Christi excidere, aut ille causam illorum negligere, quia *quos semel amavit*, *illos amat ad finem usque*.

4. Ita *confirmatæ gemmæ texturæ pretiosæ inseruntur*, quod denotat ipsos fideles induere Christum & in eo reperiri insertos, & sicuti ornatus ille erat textura ejus, qui pertinet ad familiam Dei, & in domo Dei agit ut domesticus : Ita quoque significat, propter adoptionem filiorum, quemcunque fidelium etiam censendum esse *inter domesticos*, *Ephes.* II. 19. atque gaudere jure Christi. Verum distinctius consideremus in hac textura.

α. *Byssum candidam* ut texturæ fundamentum, emblema puritatis, & sanctitatis Christi, quatenus est δικαίωμα seu materia juris, quod δικαίωμα nobis imputatur, & quo induti fideles, non possunt non Deo placere.

β. *Color cæruleus* candido intertextus, repræsentat obedientiæ istius dignitatem cœlestem, quippe quæ non est meri hominis, sed ejus, qui e cœlo venit, unde & in foro divino consistere potest.

γ. *Color coccineus* repræsentat sanguinem Christi, & conjunctus cum prioribus, ostendit *obedientiam illam* puram esse *usque ad mortem*, *Phil.* II. 8. ac proinde fideles electos in Christo habere jus consummatum, quo impletur omne δικαίωμα τοῦ νόμου, eosque incedere ornatos, non tantum justitia activa, sed & passiva.

δ. *Purpureus color* reliquis adjicitur tanquam regiæ potestatis symbolum, omnia enim illa tendebant ad regnum acquirendum, seu Ecclesiam redimendam, ac proinde fideles hic repræsentantur, cum Christo induisse, propter causam juris, jus ad regnum ipsum, sicuti & Deo empti sunt ut reges sint, unctionis Christi participes.

5. Totum hoc systema *imponebatur pectori Pontificis*, quod est emblema amoris quo Christus prosequitur suos, dum est Pontifex, qui potest habere συμπάθειαν *cum suis*, *Hebr.* IV. 15. atque ita opus intercessionis nihil aliud est, quam repræsentamen Ecclesiæ per Spiritum sanctificatæ, & omni jure redemptionis donatæ; quod Christus ex perpetuo amore & συμπαθείᾳ, perpetuo

 exhi-

exhibet Patri, ut omnia eorum desideria sancta impleat, & causam illorum adversus hostes, in judicio agat, & justificando illis defensionem præbeat, & vias suas in eum finem manifestet.

β. *Amiculum* seu *Ephod*, quatenus totum compositum est, ad pectorale illud sustinendum & includendum, proculdubio respicit *intercessionis fundamentum*, cui tota innititur, & a quo omnimode dependet, sive ut clarius mentem meam exprimam, significant omne *jus Christi tam Sponsoris quam Redemptoris*, quatenus id Patri repræsentat in intercessione sua. Ibique occurrit.

a. *Super humerale*, quod refero ad jus Christi, natum ex æterno pacto & sponsione quatenus ei Pater, stipulationem recipienti, concessit, ut ageret causam populi, & ipsa peccata electorum illi imposuit, pro quo jure semper gestavit, & humeris suis quasi suscepit, solutionem lytri & totum opus redemptionis. Huc alludunt dicta *Jes.* XLVI. 4. LXIII. 9. *Deut.* XXXII. 11. ubi proponitur, ut qui *gestat populum*, hinc dicitur *Imperium humeris ejus impositum*, *Jes.* IX. 5. Ita ipse intercessionem suam cum jure sponsionis connectit, *Job.* XXXIII. 23. 24. ubi repræsentatur, rogans liberationem agonizantis propter jus sponsionis, rationem enim postulati reddens, dicit, *quia ego inveni λύτρον*. Hujus partis adhuc restant

1. *Duæ fundæ aureæ cum lapillis, nomina* XII. *Tribuum in humeris repræsentantibus*, quo denotatum fuit, repræsentamen populi in æterno testamento Christo dati, sicuti nomina in pectorali repræsentabantur, ut a Christo amata, quæ collatio inferebat, Christum nihil rogare ultra pactum & consilium pacis, id est, eorum tantum causam in intercessione agere, quorum onus nominatim ipsi impositum fuerat.

2. *Fibulatio & conjunctio* duarum plagularum in humeris, denotant constantem voluntatem sponsoris, adstipulationem suam non solventis, & munus redemptoris nunquam deferentis, utpote, qui non potuit, ob intimam sanctitatem, & decreti divini immutabilitatem, æternæ sponsioni renunciare.

3. *Catenæ aureæ pectorale retinentes*, denotabant, connexionem inter sponsionem Christi & intercessionem, quæ connexio fundata erat, in conventione inter Patrem & Filium, unde Christi jus, recipiendi a Patre, etiam per anticipationem meriti sui, quidquid æterno pacto promissum erat, respectu fidelium salvandorum. *Aurum* hic denotat pretium communis voluntatis, utpote voluntas Dei triuni, consentiens ad nostram beatitudinem, ac proinde nobis pretiosissima.

b. *Cingulum* repræsentat jus intercessoris, natum ex ejus veritate, qua omnem sponsionem, satisfaciendo præstitit, dum anima ejus λύτρον posuit, quod pro nobis dare spoponderat. Hinc *Jes.* XI. 5. *Justitia & veritas* dicuntur *cingulum lumborum ejus*, sicut enim cingulum lumbos firmando, repræsentat aliquem accinctum & paratum ad opus; Ita Christus per satisfactionem suam occurrit, tanquam instructus, & consummatus salvator, qui plenario gaudens jure, omnia potest atque valet.

γ. Sed in hoc *cingulo* duplex *usus* notandum est.

1. *Lumbis adstringere pallium cæruleum*, ne diffluat, ita consummata Christi justitia effecit, ut potuerit, causam Dei agens apud populum, fratribus annunciare justitiam æternam, quam expectabant: dum illud Evangelii præconium, fundatum erat in causa juris jam præsente.

2. *Retinebat pectorale deorsum*, atque ita ostendebat intercessionem Christi, in Novo Testamento jam undiquaque fundatam esse, nihilque desiderari, quin potuerit ex pleno jure agere, ac restipulare, tanquam post omnem stipulationem impletam.

δ. *Conjunctio fiebat cum pectorali mediantibus vittis hyacinthinis*; ita quoque impetratio salutis conjungitur cum applicatione, per intercessionem, promota mediante voluntate Christi cœlesti; scil. quidquid Christus a Patre pro jure suo petit, illi voluntati simul subest studium conservandi omne θεοπρεπὸν, omnemque divinam majestatem, & gloriam; dum enim repræsentat electorum fidelium causam, ostendit simul, gratiam pro illis postulatam, tendere ad gloriam gratiæ divinæ, & omnimodam divitiarum Dei manifestationem, quam gloriam Christus non potest negligere, ac proinde illa voluntas revera cœlestis est.

c. Utrique communis erat *ornatus*, & similis ornatui quem in pectorali annotavimus, quo significabatur, justitiam Christi eandem esse cum justitia imputata fidelium, unde colores etiam eandem habent significationem.

d. Re-

d. Restat adhuc unicum hoc monendum, quod *pectorale, amiculo catenis & ligamentis annexum, nunquam debuerit solvi*, ac proinde ita cohærebant, ac si unum commune vestimentum utrumque componeret; unde concludimus, impetrationem salutis, & applicationem insolubiter connexam esse, Christumque nunquam non a Patre rogare pro electis suis, ac proinde impossibile esse ut tales pereant, cujus fundamentum solummodo est in constanti voluntate Dei & Christi.

PARS III.

DE PALLIO AMICULI.

Ratio Methodi.

A Vestimento exteriori, nunc descendit Legislator ad alterum illi proximum & Pontifici peculiare, non aliter ac amiculum, quod vulgo vocatur *Pallium amiculi*, cujus describitur

α. Fabrica, *vers.* 31. 32.
β. Appendices malogranatorum & Tintinnabulorum, *vers.* 33. 34.
γ. Usus, *vers.* 35.

Scholia.

Vers. 31. מעיל האפוד, vel *Pallium amiculi*, alii *Tunicam talarem* vocant,] Scil. dubium an inter tunicas, num vero pallia antiquorum, referri debeat. Tunicis conforme est hoc vestimentum, quatenus fuit clausum & rotundum, attamen cum pallio convenit, quatenus destitutum est manicis, quas habere solent tunicæ talares; deinde non longum fuit, nec ad pedes usque demissum, ut tunicæ, sed tantum ad genua aut paulo inferius. Manicis destitutum fuisse non tantum testantur *Hebræi* unanimiter, verum & *Josephus* non obscure innuit, quando dicit καὶ ὅθεν αἱ χεῖρες διείργονται σχιστὸν ἐστὶ, & *apertum est, qua manus exeruntur*. Quando vero *Pallium amiculi* apellatur, nihil aliud significat, quam pallium amiculo lumbis adstringendum.

Totum hyacinthinum) Id est, totum ex lana hyacinthino colore imbuta, contextum. Errant itaque qui in hoc vestimenti genere, aut picturas aut fundas quærunt, cum fuerit simplicissimum ex lana contextum, ac proinde fundas non recipiens, nec non unius coloris, ac proinde picturas respuens.

Vers. 32. *Et erit foramen capitis in medio ejus*] Hæc verba præsupponunt undique clausum fuisse hoc vestimentum, & non nisi foramen capitis, id est, per quod caput immittendum fuit, admittere. LXX. habent περιστόμιον ἐξ αὐτοῦ μέσον. *Josephus* formam ejus ita definit, *aperturam*, inquit, *habet non transversam, sed in longum, quæ descendit a tergo, & ante, usque ad medium pectus*, id est, scissura non tendebat versus humeros, sed versus tergum & pectus.

Lymbus esto ori illius tanquam os loricæ] Veterum loricæ non raro ex lino & corio factæ erant, & opus habebant circa collum lymbo aliquo, ut in illis partibus firmiores essent in quibus maxime terebantur. *Abarbanel* lymbum illum introrsum spectasse, atque in conspectum non venisse asserit, quod etiam *Josephus* animadvertit quando dicit, *Pallium assutum ibi habuisse lymbum, ne appareret aperturæ deformitas*.

Opus textoris] Id est, ingeniose & affabre attextum, ut proinde lymbus non fuerit acu *assutus*, sed una eademque textura cum pallio absolutus, quod quidem videtur contra *Josephum*, qui dicit πέζα δὲ αὐτῷ προσεῤῥάπται. Verum dicendum est, aut id *Josephi* tempore contra legem factum fuisse, aut per τὸ προσράπτεσθαι non intelligendum *assui*, sed tantum *committi*, quod *Josepho* etiam alibi familiare est.

Ne rumpetur) Itaque hic limbus tantum fecit ad capitii firmitudinem.

Vers. 33. *Et facies in fimbriis ejus malogranata*) רמון significat *malum punicum*, ut colligunt viri docti ex *Cant.* IV. 3. 13. quia illi attribuitur apertura post maturitatem, unde fieri solet, ut ejus acini & grana facile conspiciantur; Consentiunt *Talmudistæ* vide *Masseches Sevachin, cap.* 9. Rabbini magnitudinem horum globulorum confectorum, qui malogranata vocantur, definiunt ad quantitatem ovi gallini. Videatur *Jarchi* in hunc locum.

Hyacinthina, purpurea, & coccinea). Confici ergo debuerunt globi illi ex lana tri-

plicis

plicis coloris, dubitant Interpretes an etiam byssus debuerit innodari, propter authoritatem LXX. Interpretum, de qua quæstione vid. *Braunium*.

Tintinnabula aurea] Horum forma minus nota est, cum varia illorum apud veteres fuerint genera. Certum est antiquos habuisse genus tintinnabulorum, quæ globulorum instar intus cava, rotunda & undiquaque clausa fuerunt, nisi quod exiguis quibusdam foraminibus essent pertusa, ut tinnitus foret intensior; His includebantur globuli ex quovis metallo, ut eorum motu tinnitus ederetur. Verum dabatur & aliud genus tintinnabulorum apud veteres apertorum, in quorum medio pendebat malleolus linguæ instar fabricatus, cujus motu quando tintinnabulo illiditur, tintinnus fit; ultimum autem genus tintinnabulorum huc spectasse ex Tractatu Talmudico *Sevachim*, *cap.* 10. probabile facit Clar. *Braunius*.

Vers. 34. *Tintinnabulum aureum*, *deinde malogranatum*, &c.) Hebraismus est, significans, alternatim tintinnabula & malogranata suspensa fuisse ex hoc pallio.

In fimbriis pallii circumquaque] Habuit itaque pallium versus talos fimbrias quibus tintinnabula & malogranata annectebantur.

Vers. 35. *Hoc erit super Aaronem cum ministrabit*) Quod accipiendum tamen est, extra casum ministerii die Expiationis peragendi; scil. licuit Pontifici Maximo, quotidie eam partem Sacerdotii adimplere, quæ illi arridebat. Videturque res ita concipienda, ut post diem Expiationis, incidentem in primum anni mensem, usque ad diem decimum, Pontifex quasi novo jure quotannis reliquum ministerii auspicaretur, absoluta universa populi expiatione; a quo tempore pro lubitu thurificabat, & Sanctuarium primum ingrediebatur: Hinc etiam hoc ministerium adstringitur ad ejus ingressum in ipsum Sanctum, contra distincte ad Sanctum Sanctorum.

Ut audiatur sonus ejus) Usus igitur tintinnabulorum fuit, mediante tintinnu omnium oculos in Pontificem convertere, non tantum ad venerationem aliquam, sed etiam ut singulari cum devotione, preces suas ejus precibus conjungant.

Cum ingredietur, &c.] Cum causam populi deferret ad Deum, & referret ejus gratiam cum benedictione, moneri etiam debuit populus, ut ad omnia attenderet, & singulari cum attentione prosequeretur.

Neque moriatur) Non licuit ergo Pontifici sub pœna mortis, sine hoc ornatu versari in munere.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *Pallium* hoc cum extiterit insigne Pontificalis dignitatis, qua ille supra reliquos vulgares Sacerdotes supereminuit, non debuit omitti, quia illud foret abnegatio privilegii a Deo illi concessi. Voluit itaque Legislator ut hanc authoritatem tueretur, adeo ut deposito illo insigni, habitus fuit instar privati, cui nulla potestas Deum conveniendi, quique non potuisset, impune egredi a facie Dei, quin morte plecteretur, adeo ut sic ejus egressus, si salvus conspiceretur, populo fuerit argumentum, quod Deo placuerit.

§. 2. In ratione *symbolica* probe tenendum, quod *Pallium cum Amiculo* fuerint duo pignora, ingressum & egressum *veri Pontificis*, quasi repræsentantia. Ad *ingressum* pertinuit Amiculum, quatenus adducebat ad Deum Memoriale populi, quod appellavimus agere causam populi apud Deum. *Pallium* autem respicit *egressum*, sive hoc præstitit, ut salvus & quasi justificatus, redeat in conspectum populi, acturus causam Dei apud populum, & ad eum relaturus testimonium gratiæ Dei cum omnibus benedictionibus spiritualibus. Huic fundamento innixi, conspiciamus penitius.

α. *Pallium ipsum*. *Jes.* LXI. 10. fit mentio *Pallii justitiæ*, itaque hic *Christus* concipitur ut *justificatus in Spiritu*, & quem Deus vocavit, ut veniret ad nos cum justitia, ipse *Jehova justitia nostra*. Hac justitia ipse Christus indutus, considerandus est ut habens jus ad regnum & populum aliquem colligendum, cum qua justitia manifestari debuit, dum ipse annunciaret illam fratribus, *Psalm.* XL. 10. 11. atque iis proponeret ad fidem, ut se committerent Pontifici, jus ad regnum & justitiam habenti.

a. *Ex lana erat pallium*, quia ipsum δικαίωμα, seu materia juris & justitiæ erat *obedientia mactati agni obedientis usque ad mortem*, *imo mortem crucis*: sicut enim a mactatione agni, lana cedit in usum vestium, ita fructus mortis Christi fuit, ut Christo adjudicaretur hæc justitia, qua incurrit in oculos Ecclesiæ, proponiturque ut objectum fidei, omnibus justitiam capitis agnoscentibus.

b. *Cæruleus color* in hoc pallio, qui cœli est, & majestatis cœlestis symbolum, con-

connotat justitiam illam in cœlo agnitam, & a Patre ut cœlesti judice illi adjudicatam & reputatam, ut meritum universalis, & cœlestis potestatis atque authoritatis; unde pro jure suo cœlesti regnum aliquod cœlorum erigere potuit, & ad illud electos colligere ac revocare, unde ascensurus in cœlum, dixit, *Matth.* XXVIII. 18. *Mihi data est omnis potestas in cœlo ac in terra*, atque ita justitia in Christo conspicitur conjuncta cum ἐξουσίᾳ egrediendi, & ut Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας populum in fidem recipiendi, benedictionibusque accumulandi.

c. *Clausum & rotundum fuit*, & tanquam opus continuæ texturæ, quia authoritas justitiæ Christi undiquaque solida fuit, nusquam hians, nisi ubi aut *caput* aut *brachia erant exerenda*, id est, admittebat ut Christus ultra ostenderet, & naturale jus suum, quatenus ut *caput* est Filius Dei jure naturali gaudens, quo imperet in omnes creaturas: & *brachia* exerere debuit, ut ostenderet potestatem armatam potentia, nusquam impedita & qua possit præstare, quæ velit.

β. *Fimbriæ* huic pallio adhærentes, ad quas appendices spectabant, significant electos fideles a Christo dependentes, quod probat *Psal.* CXXXIII. 2. ubi *oleum unctionis effusum in caput Aaronis* dicitur, *descendisse ad fimbrias vestimentorum ejus*, quo Spiritus Sanctus docere voluit, Christum *Spiritum* a Patre *acceptum*, effudisse in Ecclesiam, & ita *dona accepisse in hominibus*.

a. *Malogranata* adhærebant, quæ sunt arboris cujusdam fructus corticem habentes rubicundum, solidum sed adstringentem; intus pleni sunt acinorum valde rubrorum, non aliter ac si sanguini innatarent, grati odoris & succi vinosi, ad animæ refectionem apti *Cant.* IV. 10. --- 16. Ecclesia repræsentatur, ut consita malis his punicis hortulani spem implentibus. Fructus igitur potest esse emblema *Fidelium* in Ecclesia natorum, quatenus sunt specimina gratiæ aliis exhibenda, & proponenda in exemplum, quo, ad ὁμολογίαν Christo dandam invitentur, ubi

1. *Fructus* ille repræsentat exempla eorum, qui parati sunt pro veritate fidei etiam sanguinem effundere. Nam ut fructus est extra, *cortice rubello* & *firmo*, ita hi extra sanguine Martyrii tincti sunt, sed firmo animo adversus vim hostium: ut est *sapore adstringentes*, ita excruciant adversariorum animos: Ut intus est plenus, *succi* ad animam reficiendam apti, ita intus hi sunt pleni Spiritus & consolationis; *Acinorum*, quatenus sunt frugiferi, ita eorum exempla vim habent plures ad Ecclesiam adducendi, quorsum respicit proverbium, *Sanguis Martyrum semen Ecclesiæ*.

2. *Hi typi* nihilominus confecti fuerunt ex filamentis *hyacinthinis purpureis* & *coccineis*, quatenus ornamentum, & dignitas Pontificis Christi, in iis conspici potuit; imo ipsi per dependentiam suam a Christo, cum supercœlestibus juncti, πολίτευμα suum habuerunt in cœlis, quod significat color *hyacinthinus*: & ejusdem unctionis participes, Deo empti fuerunt reges, quod notat color *purpureus*; adde quod sanguine Christi delibuti, jus habuerunt Deum adeundi ut Sacerdotes, quod denotat *color coccineus*.

3. *Dependentia a pallio hyacinthino* significabat

ı. Horum *conjunctionem cum Christo* & *subordinationem*, adeo ut eorum omnis felicitas & beatitudo, dependeret a justitia, & justificatione sponsoris.

ϑ. *Usum* quoque significabat, dum Christus annunciaturus justitiam in Ecclesia, simul ostenderet hos justitiæ suæ fructus, & per illos, tanquam per specimina gratiæ, alios invitaret ad se, & ad fœderis gratiæ receptionem, quippe multi erant alliciendi per exemplum eorum, qui parati erant, ex amore veritatis & gratiæ, omnia gravia, ad sanguinem usque pati, ita enim fieret, ut plures electi ὁμολογίαν suam deponerent in manus hujus Legati Patris, & causa Dei inter homines promoveretur.

b. *Tintinnabula aurea* quæ malogranatis interponebantur, ut tinnitum quendam ederent, sunt symbola eorum, *qui nomine Christi verbum Evangelii promulgant*, & mandatum fidei ac resipiscentiæ sonant, & quidem, quatenus ponunt stipulationem fœderis, ut viam ad gratiam, atque ita adstipulationem ab omnibus auditoribus efflagitant:

1. *Aurea fuerunt*, id est, pretiosissima, ex nobilissimo, & purissimo metallo conflata, quia illud metallum *purissimum sonum* edit: quod repræsentamen significat, præconium Novi Testamenti, & melioris Fœderis, meliori Testamento superstructi: tantum enim Œconomia Novi Testamenti prestat

Œco-

Œconomia Legali, quam aurum reliquis metallis; scil. sub Lege non erat purum putum verbum gratiæ; sed promissionibus & officiis admixta fuerunt, cum bona temporalia, tum etiam *præcepta non bona*. Hinc est, quod *legislatio* Novi Testamenti, *Psal.* XIX. 11. ipso *auro* præferatur, conf. 1. *Cor.* III. 12. *Prov.* III. 14. Accedit *auri pretium*, quo denotatur, quanti faciendi erant Apostoli, & reliqui Evangelistæ, propter opus Evangelii, quo monebant eos, qui in atriis versabantur, quid faciendum esset, ut salvi evaderent.

2. *Plura fuerunt*. *Patres* XII. Judæi LXX. numero fuisse asserunt, utrique ex conjectura. Hoc saltem constat multa numero agnoscenda esse; quo significatur, in regno Christi *Evangelizantium magnam turbam* promissam fuisse, *Psal.* LXVIII. 12.

3. *Dependebant* quoque *ex pallio*, unde non sonabant nisi moto pallio, seu quatiente ea Pontifice cum per atria incederet, ita quoque ministri regni Christi, qui Evangelium primo promulgarunt, non locuti sunt nisi moti & acti a Spiritu Christi, & quidem ex illa voluntate, qua Christus voluit regnum suum propagare & ultra producere.

4. *Ratio tinnitus* fuit

1. *Generalis*, ut populus moneretur de Pontificis præsentia, quæ ratio translata ad verum Pontificem indicabat, Pontificis veri & consummati præsentiam, quod est proprium Evangelii munus, indicare quod Christus venerit in carnem, & oblato unico sacrificio expiationis, nunc pro jure suo agat, quæ ab ipso electi expectare poterant.

ϑ. *Specialis* fuit, ut Pontifici ingredienti, & egredienti, vota sua conjungerent, & cum gratiarum actione, benedictiones acciperent; ita quoque Evangelium, invitat vocandos & vocatos, ut vota sua & preces, seu desideria gratiæ, per Pontificem ingredientem commendent, & benedictiones spirituales, a Pontifice quasi egrediente, easque reducente, cum laude gloriæ & gratiæ Dei excipiant, atque ita πληροφορίαν τῆς πίστεως recipiant.

5. Additur, *ne moriatur*, quia non induere tintinnabula, involvebat abnegationem, seu suppressionem Evangelii, ac proinde infert, præconium gratiæ, inseparabile esse a munere mediatorio Christi.

PARS IV.

DE ORNAMENTO CAPITIS PONTIFICIS.

Analysis.

Transit jam Legislator ad aliud indumenti genus Pontifici quoque peculiare, & ultra vulgares vestes illi concessum scil. ad *Laminam auream*, *Tiaræ alligandam*, hanc autem laminam describit

α. Quoad materiam *vers.* 36. p. pr.
β. Quoad inscriptionem, *vers.* 36. p. alt.
γ. Quoad conjunctionem cum Tiara, *vers.* 37.
δ. Quoad situm, *vers.* 38. p. pr.
ε. Quoad finem & usum, *vers.* 38. p. alt.

Scholia.

Vers. 36. *Facies laminam*] Vocab. Hebr. ציץ sæpius *florem* significat, hic autem videtur significare *ornamentum floribus consitum*, LXX. vertunt πέταλον, id est, *laminam* quasi *foliaceam*, id est, tenuissimam, respicientes ejus formam; nonnunquam vocatur נזר & ציץ נזר, vid. *Exod.* XXXIX. 30. *Lev.* VIII. 9. unde *Josephus* appellat χρυσοῦν στέφανον, *Antiq. lib.* V. *cap.* 15. id est, *auream Coronam*, quo significatur regius aliquis ornatus. *Josephus* vult *calyculos hyosciami versus extrema insculptos fuisse triplici ordine*. *Rabbini* latitudinem definiunt duorum digitorum, ejusque longitudinem asserunt, respondisse spatio ab una aure ad alteram.

Ex auro puro] Ita materia fuit pretiosissima, aurum scil. ab omnibus scoriis defæcatum.

Et

Et insculpes ei sculpturis sigilli) Non ergo fuerunt literæ protuberantes, ut voluit *Abarbanel*, sed potius incisæ.

קדש ליהוה, SANCTITAS JEHOVÆ,) Non insuetum est, coronis inscribi verba, & nomina, seu titulos regum, quod colligunt literati ex *Flavio Vopisco* in vita *Aureliani*. *Præferebantur*, inquit, *coronæ omnium civitatum aureæ, titulis eminentibus præditæ*. *Nomen* יהוה Dei memoriale insculptum fuit coronæ huic, in argumentum, Pontificem Jehovæ soli consecratum fuisse. Et *Sanctitatis* Jehovæ fit mentio, ad denotandum, Deum in illo cultu voluisse servare gloriam sanctitatis suæ, nunquam abnegandam, ac proinde non potest conciliari populo, nisi intercedente sanctificatione, qua testatur odium suum adversus peccatum. Ut verba fere hunc sensum proferant; „ Sanctitas est ita vero Deo propria, ut sine ejus abnegatione, aut ulla im„ minutione, per Pontificem quærendus veniat.

Vers. 37. *Et pones eam*, id est, alligabis, *vitta hyacinthina*) Id est, ex lana hyacinthini coloris. Probabile est latiora quædam fuisse ligamenta, seu potius unicum ligamentum satis oblongum, quod plusquam uno in loco, per laminam transire debuit, & Tiaram quoque trajicere, & in nodum, commodo loco colligi. Unde hoc ornamentum, etiam ad Tiaram spectavit, nisi enim a Tiara sustentaretur, lamina suo loco retineri non potuit.

Et erit supra ipsam Tiaram) Hæc verba eodem modo ab Interpretibus non accipiuntur, dum alii ad *laminam*, alii ad *vittam* referunt. Qui prius eligunt, ut *Philo*, & *Josephus*, Tiaram volunt fuisse sub lamina, & Laminam non immediate frontem tetigisse; Qui posteriorem explicationem præferunt, ut *Talmudici* & *Magistri*, laminam infra Tiaram carni frontis adhæsisse volunt, textumque ita explicant, quod vitta hyacinthina, supra Tiaram recurreret ad occipitium, ubi stringebatur. Sententiam suam *Talmudistæ* probant ex principio *vers.* 38. de cujus argumenti soliditate dubitari posset.

E regione anterioris partis ipsius Tiaræ erit) Ac proinde non nisi dimidium circulum composuit, & occipitium, id est, partem posteriorem non tetigit.

Vers. 38. *Sic erit super frontem Aaronis*) Id est, adhærebit illi parti Tiaræ, quæ ad frontem vergit.

Ut auferat Aaron iniquitatem rerum sacrarum, &c.) Scil. oblata a populo, quæ debebant esse spontanea, proculdubio non erant omnimodo pura, quin alicubi adhæserit concupiscentiarum oppositio, & retinentia, quæ aliqua est iniquitas, quam expiavit, lamina illa aurea ornatus. Obiter notandum quod עון ex etymo; significet *quidquid detortum est*, & a norma rectitudinis deflectit, ac proinde sæpius in Scriptura Sacra venit pro naturali corruptione, se in operibus manifestante, imo & studio pietatis adhærente.

Et erit super frontem illius jugiter) Scil. sacra facturus Pontifex nunquam debuit conspici sine hac lamina aurea.

לרצון) Ad *benevolentiam* seu *acceptionem* divinam, offerentibus impetrandam, & conciliandam, qua grati sint Deo in oblatione muneris.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Quoniam Pontifex, totius Sacerdotalis, & Levitici ordinis, fuit caput & Princeps, *Tiaram* habuit capiti impositam viris principibus propriam, & quasi principatus insigne, quo ornatus Pontifex honorandus veniebat omnibus: Adeo, ut ab eo præcepta, & jura cultus, cum omni submissione ministri sacrorum recipere debuerint; nec tantum, sed & addita fuit *lamina aurea*, Coronæ in morem Tiaræ alligata, inscriptione nominis Dei characterizata, ne quis putet, principatum hunc, Pontifici competere ex mera constitutione humana, sed eum in *Θεοκρατία*, nomine Dei, in *Sacris* egisse Viceregem, in *Sacris*, inquam, quia additur SANCTITAS JEHOVÆ, ut proinde curam gerere debuerit, ut in omni cultu & officio, Jehovæ sua asseratur sanctitas. Lamina hæc veniebat *fronti* imponenda: in publicum testimonium, quod Pontifex agnosceret, quis esset scopus officii & muneris sui, idque frontali hac inscriptione profiteri censendus erat; profitebatur itaque, *Jehovam verum Deum sanctum* esse, & omni modo a peccato, & peccatore alienum, neque redire in gratiam cum peccatore, nisi salva sanctitate, & intercedente lytro nomen ejus sanctificante. Ab hoc studio est, quod populum, Deo cum donis suis gratum reddere potuerit, quoniam iniquitates adhærentes in se suscipiens, earum expiationem procuravit, quæ licet typica fuerit, nihilominus nomen Dei aliquatenus sanctificavit, quatenus obsignavit veram expiationem a Christo præstandam.

§. 2. In *Christo vero Pontifice*, respondet

α. *Tiara* ejus dignitati, qua ut caput *Regii Sacerdotii* & Princeps populi, præ reliquis supereminuit, habens imperium cum Pontificatu conjunctum, non aliter ac *Melchisedec*. Conf. *Psal.* CX. 1. --- 4. *Zach.* VI. 13.

β. *Lamina aurea* principatus dignitatem extollens, unde & *Corona* vocatur, respondet summo Christi imperio in regno cœlorum, seu spirituali, quatenus cum potestate, habet dignitatem & gloriam, unde *Psal.* XXI. 4. coll. *vers.* 6. de Christo canitur, *Imponis capiti ejus coronam auri purgatissimi . . . . magna est gloria ejus, per salutem suam decus, & majestatem posuisti in eo.* Adde *Psal.* VIII. 6.

a. *Aurum* suppeditans coronæ materiam, ostendit regni pretium, & quam carum populo debuerit esse illud imperium, auri instar purum & durabile, id est, administrandum cum justitia & in æternum.

b. *Inscriptio* referens nomen Dei, & munus regii Pontificis, adumbrabat

1. *Christum* in regno suo id curaturum, ut nomen Dei fiat manifestum, & verus Jehova, tanquam Jehova innotescat omnibus, utpote, qui cum in hoc regno demum præstaret omnia sua promissa. Huc refero *Mich.* V. 3. *Pascet Dominator in elatione nominis Jehovæ Dei nostri;* & *Mich.* VI. 9. *Revera videt quisque nomen tuum.*

2. Eundem effecturum ut *Sanctitas* divina Jehovæ asseratur, quod consilium Dei proponitur *Jes.* V. 16. *Et exaltabitur Jehova Deus exercituum in judicio; & Deus ille sanctus sanctificabitur per justitiam*, quod rex noster, ut Pontifex præstaret, intercedente digno sacrificio.

c. *Applicatio fronti*, repræsentat Regem hunc id semper præ oculis habiturum, & constanti voluntate executioni mandaturum, ut illud opus sanctificationis Patris promoveatur, professurus publice, hanc *esse voluntatem Patris sui, ut sanctificaret eum* a peccatis electorum. Vid. *Joh.* XVII. 6. coll. cum 19.

γ. *Conjunctio utriusque* intercedente *vitta hyacinthina*, monebat, gloriam exaltationis Christi, superventuram peculiari ejus principatui, (quem exhibuit miracula faciendo, populum colligendo, & Apostolos præceptis dirigens in hac vita) funiculis amoris Paterni ; Pater enim *amat gloriam Filii sui*, qui amor sicuti cœlestis est, prout & color hyacinthinus cœlum refert, ita concessit Filio omnem potestatem in cœlo & in terra, cum manifestatione gloriæ exserendam, & nunquam solvendam.

δ. *Effectus* hujus *Coronæ*, quoque respondet effectui muneris Christi, scilicet.

a. *Rex* sibi *peculium emit*; intercedente lytro, & pravitatem in se suscepit expiandam, ut jus regni haberet, quod & præstitit, conf. *Psal.* LXV. 5. *Jes.* XLIII. 25. *Jer.* XXXIII. 8. *Dan.* IX. 24. hæc consideratio regno adhæret, quia Pontificatum suscepit propter regnum.

b. Hac *voluntate* etiam suum *peculium* sibi *sanctificavit*, *Hebr.* X. 10. & nomen Dei ita ab omni peccato sanctificavit, ut potuerit salva ea, populum, per Christum eum adeuntem, gratum habere. Confer. *Deuteron.* XXXIII. 11. *Psal.* LI. 20. LXXXV. 2. CXLIX. 4. *Jes.* XLIX. 8. LVI. 7. & LXI. 2.

P A R S V.

DE RELIQUIS VESTIBUS SACERDOTALIBUS.

Analysis.

Sequuntur nunc *reliqua vestimenta* Pontifici fere cum omnibus Sacerdotibus communia, ubi agitur

α. De tunica una cum balteo, *vers.* 39. --- 41.

β. De bracha seu femorali, *vers.* 42.

γ. Concluditur totum argumentum de investitura Pontificis & reliquorum Sacerdotum, *vers.* 43.

Scholia.

Vers. 39. *Facies tunicam*) Ita vocatur indumentum corpus nudum attingens & obvelans, demissum usque ad talos, & manicas habens circa brachia adstrictas, consentiente *Josepho* cum *Talmudicis*, vid. *Braun. lib.* II. *cap.* 2.

E li-

E lino, seu *bysso*,) Et quidem optima, unde *Josepho* vocatur, ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης.

Tesselatam) Alii voluerunt *ocellatam* fuisse; verum Clar. *Braunius lib.* I. *cap.* 17. pluribus ostendit ex emphasi vocis, figuras intextas fuisse fossulas, sive lacus angulares, quales reperiuntur in animalium ruminantium stomacho, qui inde a medicorum filiis *reticulatus* dicitur. Figuræ itaque polygonæ fuerunt huic indusio intertextæ, quale vestimenti genus olim vulgare fuit, unde apud *Herodianum lib.* V. Sacerdotes Phœnicum habebant *tunicas lineas clavatas*, *talares & manicatas*. Ex coll. *Cap.* XXXIX. 27. patet; Totum opus textile fuisse, id est, inconsutile, ut adeo tunica hæc fuerit ἄῤῥαφος, quod artificium, ex oblivionis puteo revocavit, sæpe laudatus *Braunius*.

Faciesque Tiaram ex bysso) Hic obiter inferitur collatio tiaræ cum tunica, ostenditurque materiam fuisse eandem, ex bysso desumtam.

Et facito balteum] Hebr. אבנט. *Josephus* scribit Ἀβανήθ. LXX. Ζώνην vertunt, significatque ligamentum, quo tunica erat lumbis alliganda & constringenda. Sæpissime non longiores erant baltei veterum, quam ut corpus semel tantum ambirent, nonnunquam etiam pluries corpus ambiebant. *Josephus Ant. lib.* III. *cap.* 8. dixit *Zonam hanc*, *semel atque iterum circa pectus revolutam*, *ligari*, *& ad talos usque defluere*. *Talmudici* in *Massechet Joma*, *cap.* 7. longitudinem ejus definiunt ad XXXII ulnas, quæ sententia tamen videtur fabulosa, quia balteus tunc debuisset multis vicibus corpus ambire, & in tantam molem assurgere, ut inde deformis protuberantia oriretur; neque pallium commode corpori adstringi potuerit. Ut potior videatur *Josephi* sententia, quæ describit Zonam tanquam πάλιν περιελθοῦσαν, *rursus*, id est, duabus vicibus ambientem. Ejus latitudo secundum *Josephum*, accedebat fere ad IV digitos. *Maimonides* numerat III digitos, quæ facile conciliantur, cum uterque adhibeat voculam *quasi*, ac proinde in eo conveniunt, quod intra III & IV digitos latitudo coarctanda videatur.

Opere Phrygionico] Ac proinde in balteo variæ figuræ acu fuerunt assutæ; adeo ut balteus Pontificalis, constiterit filamentis purpureis, hyacinthinis & coccineis, bysso assutis. *Josephus* asserit, flores intertextos fuisse. Errant, qui putant *Josephum* baltei figuram serpentis exuviis assimilasse, cum *Josephus* tantum respexerit ejus longitudinem & cavitatem, atque ita quasi intestinis, & serpentis exuviis comparat.

Vers. 40. *Filiis autem Aaronis*] Id est, reliquis Sacerdotibus gregariis.

Quoque facies tunicas] Ubi nota, in tunicis convenientiam fuisse inter Pontificem, & Sacerdotes gregarios.

Et facies eis balteos] Verum cum illa differentia, ut baltei Sacerdotum gregariorum non fuerint acu picti, sed tantum byssini, & simplices.

Etiam facies iis mitras] Mitræ in textu originali מגבעות sunt tegumenta capitis, a tiaris Pontificum solummodo distincta quoad figuram, nam materia utrique fuit byssina. Mitra autem convolvebatur, in figuram magis cuspidatam, & acuminatam, quam figuram pluribus *Braunius lib.* II. *cap.* 4. prosequitur.

Ad gloriam & ornatum] Vid. ad *vers.* 2. & nota obiter, quam aberrent a scopo, qui tegumenta capitis concipiunt, ut symbola servitutis; non distinguentes, velamenta faciei, mulieribus concessa in testimonium quod sint sub potestate viri, a velamentis capitis, faciem apertam relinquentibus, quæ dicuntur illis ad *gloriam* & *ornatum* fuisse.

Vers. 41. *Et indues illis Aaronem*, &c.] Moses nomine Dei, vestibus illis induere debuit Pontificem & Sacerdotes, quod speciem habuit, ac si ipse Deus illos induisset.

Et ungens eos, *consecrabis ministerium eorum*] Unctio igitur inter primarios ritus consecrationis fuit, capite seq. describenda.

Vers. 42. *Fac quoque eis femoralia* sive *brachas*] Vocabul. Hebr. מכנסים dualis formæ, indicat vestimenti genus in duas divaricationes divisum. Ex contextu facile constat, hoc vestimento, ventrem tegendum fuisse cum suis pudendis. *Josephus Antiquit. lib.* III. *cap.* 8. dicit fuisse διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν, id est, *subligaculum circa verenda commissum*.

Linea] Materia itaque fuit בד, id est, *byssus* & quidem, ut constat ex *Cap.* XXXIX. 38. *retorta*, ut color proinde fuerit albus, prout etiam erat color indumenti.

Ad tegendum carnem nudam) Vel ut est in Hebr. *carnem nuditatis*. Hæc est castitas styli sacri, pudenda describere sub nomine nuditatis: usus itaque femoralium fuit efficere, ut sacra caste & pie fierent, cum enim Sacerdotibus sæpe incurvandum

dum fuit in mactandis & immolandis victimis, facile fieri potuisset, ut verenda coram populo detegerentur, nisi femoralia id prohibuissent. Exemplum est apud *Martialem*, qui Aruspicem *Thuscum* sacrificantem, ex hinc albis dentibus deridet, *Lib.* III. *Ep.* 24.

Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.

A lumbis usque ad femora sunto) Ita describitur *femoralium* extensio, scil. suprema pars ascendebat supra lumbos, ubi femoralia constringebantur, infima descendebat usque ad genua. Male aliqui viri docti ultra genua; in qua re, *Leo Juda*, & qui eum sequitur *Leusdenius*, a textu, & ab antiqua Judæorum sententia aberrant. Hisce addendum est, quod *Josephus* dixerit, *huic subligaculo pedibus Pontifices descendisse* vel *inscendisse*, verba Græca sunt ἐμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν ποδῶν. Ex quibus verbis recte eruitur, femoralia undiquaque clausa fuisse, ut Sacerdotes desuper inscendere debuerint, quod quomodo fieri potuerit, ostendit *Braunius lib.* II. *cap.* 1.

Vers. 43. *Hæc erunt super Aaronem*, &c.) Scil. hæc ultima, Pontifici cum Sacerdotibus vulgaribus erunt communia.

Cum ingredientur tentorium conventus] Ita vocat ipsum Tabernaculum.

Aut cum accedent ipsum altare, &c.) Non itaque licuit cuiquam ministranti versari in atrio Sacerdotum, nisi mutatis vestibus, propriis & quotidianis depositis, sacris vero assumptis.

Ne ferant iniquitatem, &c.] Id est, iniquitatis pœnam, quæ illico subjungitur, quando additur & *moriantur*. Hæc erat œconomiæ legalis rigiditas, quia in transgressione horum præceptorum, erat quasi abnegatio alicujus dignitatis Christi; debebant enim Pontifices & Sacerdotes Christum profiteri opere suo, cumque omnia essent significativa, aliquid horum omittere, non poterat non habere rationem abnegationis.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Ostenditur hisce ultimis, quousque vestitus Pontificis, convenire debuerit cum vestitu Sacerdotum gregariorum, ac proinde tota hæc investitura fere pertinuit ad investituram vulgarem, exceptis tantummodo femoralibus, non enim aliunde constat olim inter Orientales femoralia adhibita fuisse, nisi hoc loco & casu, unde & ratio adjicitur, quod hoc requisitum fuerit ad conservandum pudorem in opere sancto. Habuerunt tamen reliqua vestimenta id peculiare, quod ex materia construi deberent pretiosissima, nempe ex bysso Ægyptiaca & optimæ notæ, ut Judæi intelligerent, in Aula omnia debuisse æstimari, ex munditie & pretio.

§. 2. In œconomia Novi Testamenti significabatur.

α. Per *communionem harum vestium*, cum Pontifici, tum reliquis Sacerdotibus; aliquam debere esse convenientiam, inter Christum Pontificem, & Christianos; qui sunt *Regale ejus Sacerdotium*; quædam enim in Christo habent se per modum exemplaris, alia vero ipsi sunt peculiaria, quod magis pellucebit, si inspiciamus significationem harum vestium in specie.

β. Per *vestes igitur ipsas*, quatenus sunt indumentum Sacerdotum vulgarium, peculiares Christianorum dignitates & virtutes repræsentatæ fuerunt.

a. *Mitra*, huc primo spectat, quæ a Tiara non differebat nisi figura, & quod ab illa, lamina aurea abesset. Cum Legislator dicat Mitras datas esse *in decus & ornamentum*, proculdubio significant Mitræ, Christianorum vere credentium dignitatem, qua sub Christo monarcha, ipsi quoque reges facti sunt, & eo honore condecorati, ut illis liceat libertate plena frui.

b. *Tunica*, seu indumentum byssinum, respicit sanctificationem credentium, qui concipiuntur ut *albis stolis* induti, conf. *Apoc.* III. 5. & VI. 11. quæ sanctificatio, considerata tanquam fructus & meritum justitiæ Christi, pertinet ad δικαιώματα τῶν ἁγίων, habentque vim argumenti, eos, qui Christum induerunt, eumque habent in se viventem, propter Christum quoque justificatos esse.

c. *Balteus*, vestimenta lumbis adstringens, est symbolum promptitudinis, ex firmato bene agendi consilio natæ; attribuiturque *Christo*, *Jes.* XI. 5. nec non *fidelibus*, *Ephes.* VI. 14. quatenus hi sequaces Christi, sibi ejus promptitudinem in obeundo munere, tanquam exemplar proponunt, postquam se in rati propositi argumentum, juramento quasi Deo adstrinxerunt, quod sibi solvendum perpetuo in animo volvunt.

d. *Bra-*

d. *Brachæ*, tegendis nuditatibus destinatæ, monebant, decus versanti in domo Dei servandum esse, & curandum, ut nihil turpe, aut pudendum, in quoquam cernatur, quod etiam *Pontifex* cum *reliquis Sacerdotibus* commune habebat observandum. Ac respectu Pontificis denotavit, Christum aliquando in Ecclesia visum iri ut hominem inculpatum, & tantopere ab omni turpitudine & pudoris causa remotum, ut vere de ipso dici posset, quod *renes ejus eum erudirent in gremio*, *Psal.* XVI. 7. quod autem reliqui Sacerdotes idem tenebantur observare, monet; Christum, & in hisce typum & exemplar dedisse, inculpatæ conversationis. Hoc enim regale illud Sacerdotium decet, ut μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας *Deo serviant*, *Hebr.* XII. 28. & abnegatis omnibus carnis concupiscentiis, temperantiæ studeant, & nulla in re parvulis scandalum objiciant.

CAPUT XXIX.

Analysis:

PRæmissa hac descriptione vestium Sacerdotalium, quibus in ordinatione Sacerdotes veniebant induendi; nunc Legislator se accingit ad ipsius inaugurationis descriptionem, inde transiturus, ad quotidianum Sacerdotum opus, extra & in Tabernaculo quotidie obeundum, unde Caput hoc bimembre statuimus, describens

α. Sacerdotum consecrationem, *vers.* 1. — 37.

β. Opus Sacerdotum quotidianum ad portam tentorii perficiendum, *vers.* 37. — 46.

PARS I.

CONSECRATIO Sacerdotum seu inauguratio describitur

α. In suo apparatu, *vers.* 1, 2, 3.

β. Ritibus inaugurationi adhærentibus; quales sunt

- a. Lotio, *vers.* 4.
- b. Investitura, & quidem.
  - 1. Pontificis cum unctione, *vers.* 5, 6, 7.
  - 2. Gregariorum Sacerdotum sine unctione, *vers.* 8, 9.
- c. Oblationes triplices, nempe
  - 1. Juvenci, in sacrificium pro peccato, *vers.* 10. — 14.
  - 2. Arietis, in holocaustum, *vers.* 15. — 18.
  - 3. Alterius arietis, in sacrificium eucharisticum, *vers.* 19. — 28.

γ. Consequentibus, ubi Legislator per modum appendicis subjungit

- a. Statutum pro successione aliorum, in locum mortui Pontificis, *vers.* 29, 30.
- b. Statutum de convivio ex rebus oblatis celebrando, *vers.* 31. — 34.
- c. Definitionem temporis, intra quod solemnitas veniebat absolvenda, *vers.* 35.
- d. Conjunctionem consecrationis altaris holocaumatum, *vers.* 36, 37.

Scholia.

Vers. 1. *Hoc facies iis; sanctificando eos*] Eos separando a reliquo populo, & legaliter eos purificando.

Ut Sacerdotio fungantur mihi] Secundum vim verbi, ut *cum libertate accedant ad me*, verbum enim כהן ex etymo significat, adire regem, jure officii & muneris, cum libertate.

Juvencum unum subrumum] Hebr. *filium bovis*, atque ita appellant vitulos nondum a lacte depulsos.

Vers. 2, 3. *Panes azymos*] Hebr. *panes azymorum*, qui nempe conficiuntur ex massa non fermentata. Definit hic lex triplex panis genus, cujus primum genus, non habet oleum admixtum, alterum vero, oleo imbutum, tertium, oleo extrinsecus solummodo inunctum, videnturque etiam crassitie tria illa genera distincta fuisse, ut *panes* habuerint formam & crassitiem vulgarem, *placentæ* formam rotundam, & crassitie minorem, *lagana* autem minimam.

Vers. 4. *Lavabis eos aqua*] Scil. quam invenirent ad portam tentorii, hauriendam ex labro in eum finem construendo, cujus descriptio sequetur ad *Cap.* XXX. 17. & seq.

Vers. 5. Describitur hic *investitura* in qua descriptione ordo vestimentorum pellucet,

cet,

cet, incipit enim a *Tunica* cutim tegente, inde pergit ad *Pallium*, cui superinjiciendum venit *Amiculum*. Interim notandum quod secundum vestimentum vocitetur *Pallium amiculi*, non aliam ob causam quam quod amiculum immediate in se susciperet, pallio scil. super injiciendum.

Aptabis insigne sanctitatis super illam cidarim) Laminam intelligit auream, cujus descriptionem vidimus ad *Cap.* XXVIII. 36. --- 38.

Vers. 6. *Oleum unctionis*) Id est, in usum unctionis præparandum, non enim erat oleum vulgare, sed in peculiarem usum componendum, rebusque odoratis impraegnandum, cujus descriptionem vid. *Cap.* XXX. *vers.* 23. --- 25.

Vers. 7. *Fundes super caput ejus*) Id est, super frontem Aaronis, caput enim metonymice dicitur pro anteriore ejus parte.

Vers. 8, 9. Describitur Investitura Sacerdotum Gregariorum, sine unctione, quibusdam vestibus, Aaroni aliisque Sacerdotibus communibus, tantum peragenda, ut *Balteo* & *Pileo* sive Mitra.

In statutum perpetuum) Hebr. in *statutum seculi*, de qua phrasi vid. *Cap.* XXVIII. 43.

Sic manus implebis) Partibus nempe rerum offerendarum, qui ritus denotat, alicui concedi potestatem offerendi, & qualiacunque dona a populo oblata, ad Deum adducendi.

Vers. 10. *Tunc admovebis juvencum*) Unde primum desumebatur sacrificium, & quidem hilasticum, seu expiatorium, primo loco offerendum, quia expiatio cæteris omnibus debuit præmitti.

Et imponet manus suas super caput juvenci) Ritus denotans substitutionem sacrificii offerendi, ejus loco qui offert.

Vers. 11. *Et mactabis juvencum*) Notandum hoc opus Mosi commendari, seu, quod inter Sacerdotes recensitus fuerit, *Ps.* XCIX. 6. seu potius, quod mediator fœderis istius fuerit denunciatus, qui quasi nomine Christi Filii Dei egit.

Vers. 12. *Deinde accipiens de sanguine illius juvenci, imponens cornibus altaris digito tuo*) Hoc pertinet ad primum usum sacrificii hilastici, cujus sanguis, partim impendendus fuit aspersioni cornuum altaris, quasi illis in ornamentum, dum flavum metalli colorem, rubro sanguineo cernebant temperatum.

Totum autem reliquum, &c.) Hic alter usus sanguinis describitur ad basin altaris effundendi, atque adeo conjungendi instrumento sanctitatis, quasi supra sanguinem fundendo.

Vers. 13. *Sumes etiam adipem*, &c.) Describitur hic omnis adeps ventris inferioris.

Qui operit intestina) Intelligit totum omentum adipe refertum, & pelliculis ac tunicis inclusum.

Et reticulum quod est super jecur) Hic disceptant Philologi. *Fullerus* accipit vocabulum originale pro membrana tenuissima jecur integente. Doctiss. *Bochart. lobum hepatis maximum* inrerpretatur, cui folliculus fellis adhæret. Verum melius rem expedivit Clar. *Cocceius*, in *Lexico* pag. 351. qui non partem jecinoris denotari, sed aliquid illi affixum & juxta renes situm, animadvertit, atque adeo *adipem fistulosum* interpretatur, ex quo folliculus fellis procedit, una cum reliqua pinguedine offerendum.

Vers. 15. *Postea arietum illorum unum accipito*) Hic describitur alterum sacrificium *holocausticum*, cui alter duorum arietum destinatus erat.

Et imponent manus suas, &c.) Vide ad *vers.* 10.

Vers. 16. *Sanguinem ejus insperges altari circumquaque*) Hic iterum primus usus est sacrificii holocaustici, sanguisque ejus impendi debuit inspersioni altaris circumquaque, id est, per oras & latera.

Vers. 17. *Appones membris ejus*, &c.) Secundus itaque usus hujus sacrificii fuit intestina lota, & crura arietis, certo quodam ordine collocare, supra membra & caput ejus, qua in re Legislator jubet offerentem esse curiosum.

Vers. 18. *Sic adolebis arietem*) Id est, igne combures, & in cinerem rediges.

Odor gratus) Quod non intelligendum de naturali odoris qualitate, cum potius nidorem gravem exhalaret, sed de Dei gratiosa acceptione, qua voluit sacrificium gratum habere. Conf. *Genes.* VIII. 21.

Vers. 19. *Accipies quoque arietum illorum alterum*) Hoc pertinet ad tertium sacrificium, *pacificum* seu *eucharisticum*, præparandum ad convivium aliquod quasi instituendum Deum inter & Sacerdotes.

Vers. 20. *Accipies sanguinem ejus*, &c.) Hujus sanguinis triplex fuit usus, *primus*

mus hoc versu describitur, quod nempe pars ejus *illiniri debuit auriculæ infimæ* Sacerdotum, & *pollici* tam *manus*, quam *pedis dextri*.

Insperges reliquum, &c.] Conf. *vers.* 16. pertinetque ad *secundum* usum sanguinis.

Vers. 21. *Insperges Aaronem & vestimenta ejus*, &c.] Hic *tertius* ejus usus est, ubi notandum, quod sanguis veniret oleo unctionis aliquantisper miscendus, & temperandus, antequam inspergeretur vestibus Sacerdotalibus.

Vers. 22. *Et accipies adipem cum cauda*) Hic secundus est usus sacrificii hujus pacifici, *cauda arietum* in Oriente valde adiposa erat, adeo ut minima penderet libras x. aut xii, qua de re plura annotavimus in *Zoologia cap. de Ariete*. Conferatur *Noldius* in concordantiis particularum ad numerum 1646.

Vers. 23. Jubet hic Legislator *panes huic adipi & armo dextro* jungi, conf. *vers.* 2.

Vers. 24. *Impones hæc omnia manibus Aaronis*) Scil. ut nunc auspicetur primum opus muneris, qui ritus in hac auguratione celebris erat.

Et agitabis illa agitatione) Scil. hinc inde, sursum & deorsum movendo, & quasi nunc Deo, nunc hominibus proponendo.

Vers. 25. *Adolebis in ipso altari super holocaustum*] Ita, ut pars hujus sacrificii pacifici, simul cum holocausto debuerit comburi.

Vers. 26. *Accipies etiam pectus ipsum*, &c.) Describitur hic altera actio Mosis circa sacrificium pacificum, qua partem ejus præparare debuit convivio & edulio, in quem usum separatur pectus & armus arietis sinister.

Vers. 29. *Vestes autem sacræ*, &c.) Hæc inserit Legislator, tanquam opus pertinens adhuc ad agenda circa altare, pertinentia ad legem successionis Pontificum, scil. hi ritus non tantum pertinebant ad Aaronem, verum etiam repeti debuerunt, quandocunque Pontifici mortuo, novus successor ejus loco inaugurandus veniebat.

Vers. 30. *Septem dies*) Id est, per universam septimanam, singulis diebus, omnes illi ritus debuerunt repeti, & instaurari.

Vers. 31. Hic Legislator accedit ad solemnitatem aliquam consequentem, celebrandam post aliqua sacrificia, scil. ad *apparatum convivii*.

Coques carnem ejus in loco sancto) Id est, in atrio, in quo postea templo constructo, culinæ quoque in eum usum ædificatæ fuerunt.

Vers. 32. *Et comedito*, &c.) Carnem & panem, postquam illa supra altare fuerant consecrata, quæ speciem habebant convictus cum Deo, nam pars flammis absumpta videbatur pars Dei & ejus portio, reliqua Sacerdotum.

Vers. 33. *Illi pro quibus expiatio facta*) Nemini itaque licuit edere, præter Pontificem & Sacerdotes consecratos, qui hic præsupponuntur peccatores, & ex peccatorum numero selecti, nec non intercedente sacrificio hilastico Deo conciliandi.

Extraneus autem ne comedito] Per extraneum non intelligendus est homo gentilis, aut alienigena, verum quotquot extra Tribum sunt Leviticam, & inter consecrandos non numerandi.

Vers. 34. *Reliquum de ipsa carne*, &c.] Quod nempe convivio istius diei non fuit absumptum, jubet Legislator comburi, ac proinde non licuit Sacerdoti edere hac solemnitate, nisi de oblatis ejusdem diei.

Vers. 36. *Postquam unxeris illud*, &c.] Altare ipsum, diebus consecrationis Sacerdotum, non tantum sanguine sacrificiorum conspergi, verum etiam inungi debuit oleo unctionis sacro, atque adeo separatum fuit singulari sanctitate a rebus reliquis in atrio occurrentibus.

Vers. 37. *Altare sanctum sanctorum erit*] Id est, inter res sanctissimas numerandum erit, cujus virtus esset dona populi sanctificare, quod & additur in posteriori versus hujus colo. Conf. *Matth.* XXIII. 19.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Præsens consecrationis Sacerdotum descriptio, externe & secundum literam considerata, repræsentat muneris dignitatem.

α. *Lavandi* omnes veniunt, juxta ritus populorum Orientalium, qui lotiones in frequenti habuerunt usu, quotiescunque ad consuetudinem magnatum admitterentur, quia sub fervidiori cœli climate, sudores æstu prolecti, malum ut plurimum concitabant odorem, a quo intercedente lotione liberandi veniebant. Hinc etiam, ad officia humanitatis olim pertinuit, alicui offerre ministerium lavandi pedes. *Hest.* II. 12. virgines ex quibus Persarum rex delectum faceret, antequam ad regiæ majestatis conspectum producerentur, lavabantur. Cumque etiam Sacerdotes, non minus ac Pontifex, Deum sub nomine Regis populi Israelitici, adire sæpius deberent,

berent, [hoc enim notat Emphasis verbi כהן] reverentia divinæ majestati debita exigebat, ut non nisi loti admitterentur, & ad muneris dignitatem pertinuit, quod per ministros regios, ejusdem divinæ majestatis, officium lotionis illis præstaretur.

β. *Unctio*, ritus fuit præparationis, quoque consecrationem antecedens & investituræ conjunctus, attamen non imponenda nisi soli Pontifici: vulgares enim Sacerdotes non ungebantur; pertinuitque ad majorem dignitatem Pontificatui conciliandam: In solemnitatibus enim, solis exceptis regibus, nulli, præter Pontifices ungebantur coram populo; ut proinde, illam speciem venerationis communem cum regibus habuerint. Itaque Pontifex tanquam alter a Rege, & vicinæ dignitatis persona, populo ostentabatur. Verum etiam notare oportet, unctiones habuisse significationem aliquam politicam & vulgarem; qui enim aliorum nomine aut ministerio ungebantur, publicum retulerunt ab iis testimonium, quod haberentur pro viris grati odoris: Cum itaque Pontifex, oleo sacro quasi Dei nomine ungebatur, habuit illa unctio rationem testimonii, quod persona Pontificis, Deo regi grata esset non solum, sed & populo exhibeatur ut persona commendata, quem omnes, propter Deum gratum habere tenerentur.

γ. *Investitura*, & quidem

a. *Pontificis* tota spectat ad extollendam muneris dignitatem, sapitque aliquid Aulicum, respondens majestati regis, cui Pontifex existimandus erat proximus, unde omnia, ut ante vidimus, pretiosa.

b. *Sacerdotum* erat munda & pura, qui in albis incedebant in atrio, quod etiam ad decus Sacerdotii pertinuit.

δ. *Sacrificia* triplicia etiam triplici respondebant scopo

a. *Hilasticum* seu *expiatorium*, clanculum denotabat Pontificis & Sacerdotum imperfectionem, utpote qui ex reconciliandis desumebantur, ipsi reconciliatione indigentes, qua in re prius testamentum arguebatur tanquam invalidum ad præstandam veram reconciliationem & expiationem.

b. *Holocausticum* proprie pertinuit ad muneris auspicium, habuitque stricte dictam rationem inaugurationis, ejusque frustis manus Pontificis & Sacerdotum primo implebantur; habuitque totum hoc Sacrificium speciem præsentationis Pontificis & Sacerdotum, Deo sistendorum ad spontaneum ministerium, nam holocaustum est munus offerentis loco substitutum, quo testatur qui offert, se ita velle regi ad ministerium subesse, sicut holocaustum subest sacrificanti.

c. *Pacificum* præparabatur ad gaudium solemnitatis celebrandum, utpote destinatum ad convivium, quo repræsentabantur Pontifex & Sacerdotes, tanquam Dei convivæ & commensales, ejusdemque lætitiæ participes, qualia convivia solemnia gaudia sequi solent.

§. 2. Ratio autem *typica* jubet ut omnia Pontificis referantur ad *Christum*, & Sacerdotum referantur ad *Fideles* quoscunque, qui sub Novo Testamento decorantur honore Sacerdotii, postquam acceperunt libertatem Deum ipsum accedendi, & sacrificia Novi Testamenti spiritualia Deo offerendi.

α. *Pontifex Christus*, Pontifice Veteris Testamenti denotatus est.

a. Per *lotionem* Pontificis Aaronidum denotatum est, quod Christus debuerit esse mundus & purus, quæ conditio mediatoris & veri Pontificis requiritur *Hebr.* VII. 26. quippe ipse lotione non indigebat ut purus fieret, qua in re Aarone esse debuit longe excellentior.

b. *Unctio* respectu veri Pontificis, denotat *Spiritum Jehovæ fore super ipsum*, conf. *Ps.* XLV. 8. *Jes.* XI. 2. LXI. 1. quippe propter charismata Spiritus, Deo Patri regi, & Ecclesiæ credenti, foret gratissimus, *Cant.* I. 3.

c. *Investitura* respectu Christi significat, quod cum ornatu varias partes muneris obiret, conf. dicta de vest. Sacerd.

d. *Sacrificia* propter *Pontificem offerenda* denotabant, jus intercessionis Christi, etiam fundatum iri super sacrificium aliquod, tribus illis sacrificiorum speciebus correspondens.

1. *Hilasticum* debuit offerre Christus, quatenus tanquam sponsor, aliorum peccata in se susceperat expianda, ipse peccati expers. Hoc in Christo impletum, quando nostras passiones suscepit, ipse ἱλασμὸς factus.

2. *Holocaustum* in Christo denotat oblationem sui ad obedientiam, qua omnes partes muneris sponte adiret, & obedientiam activam absolveret, qua nobis fieret causa juris ad vitam: nam ignis, qui consumebat holocausta, & symbolum fervoris, quem in amore & zelo pro gloria nominis Dei, & salute electo-

electorum, aliquando exhibuit Christus, qui tantus fuit, ut totum hominem occupaverit & consumpserit, *dum obediens factus est ad mortem, imo ad mortem crucis*.

3. *Pacificum* respiciebat applicationem meritorum Christi, cum effectu gaudii. Consequens enim impetratæ gratiæ & salutis est pax, quæ intercedit, non tantum inter Deum & electos, verum etiam gaudium intercedens inter Deum Patrem & Christum mediatorem, qua impetrata pace pro suis, & absolutis passionibus, sibi inveniret præparatam *semitam vitæ ad satietatem gaudiorum in conspectu Patris, & ad amœnitates quæ sunt a dextra Patris in æternitatem*, *Psal.* XVI. 11. ut proinde a sacrificio Christi, inter Patrem & Filium intercedat communitas deliciarum in Filiis hominum servandis, conf. *Prov.* VIII. 30. 31.

β. *Sacerdotes vulgares*, qui fere iisdem ritibus veniebant inaugurandi, & formabant typum *Fidelium Novi Testamenti*.

a. *Lotione* præfigurabant, omnes electos, intercedente spirituali lotione, demum admitti ad communionem Dei, & fruitionem œconomiæ ejus, nemo enim irregenitus, id est, *illotus* admittitur ad ingressum in regnum cœlorum, unde istius lotionis spiritualis frequens in sacra Scriptura mentio.

b. *Investitura simpliciore* designabatur, indumentum justitiæ fidei, una cum sanctificatione, & confirmatione vocatorum & ablutorum, qua de re *Cap.* præcedente.

c. *Sacrificiis* & quidem

1. *Hilastico* denotatum fuit sacrificium hilasticum Christi sponsoris, qui electorum in locum substitutus, eorum quoque peccata deleverat, qui ἱλασμὸς, causa meritoria fuit omnis gratiæ & applicationis salutis.

2. *Holocaustico*, quo figuravit lex, vocatos ad illam dignitatem spiritualem, Deoque per fidem reconciliatos obligari, ut se ipsos Deo sistant totos in holocaustum, *Rom.* XII. 1. & agnoscant obligatos, ut ex zelo divino, semet sistant Deo ad omnia sacrificia eucharistica, qualia sunt preces, eleemosynæ, imo & ipsum martyrium Deo offerendum.

3. *Pacifico* repræsentabatur consequens suscepti officii, nempe communio cum Christo & Deo; & communitas gaudii ac pacis propter Christum, cujus sacrificium hilasticum, in pacifico repræsentabatur secundum perpetuitatem fructus, qui est *justitia*, *pax* & *gaudium per Spiritum Sanctum*.

d. *Peculiares* circumstantias non attingimus quæ circa illa tria sacrificia erant animadvertendæ, quoniam pertinent ad species sacrificiorum, quas videbimus, in annotatis ad *Leviticum*, verum sunt duæ peculiares hoc in casu non omittendæ.

a. Quod *sanguis* sacrificii holocausti debuerit

1. Partim *illiniri auriculæ Aaronis & pollici manus dextræ*, nec non *pedis dextri*, qui ritus quoad typum quoque respicit Christum, cui aures veniebant aspergendæ proprio sanguine, quatenus inter passiones debuit se ostendere auscultantem & obedientem mandato Patris; nec non manus & pedes quoad pollicem notantur sanguine, ad denotandam ejus promptitudinem, & constantiam in executione demandati operis: Manus enim dextra, utpote promptissima, operi debebat admoveri, & pes dexter, utpote fortissimus, debuit in opere incæpto pergere.

2. Partim *effundi circa altare*, quod indicium fuit pertinere ad ornamentum altaris ejusque sanctificationem: cumque Christus ipse denotetur altari, propter effusum sanguinem ejus, est, cur possit dona illi imposita quoque sanctificare, & Deo grata facere.

b. Quod partes sacrificii pacifici debuerint *absumi eodem die*, habuit vim testimonii imperfectionis istius sacrificii: cum enim ejus mactatio repetenda fuit quotidie, signum erat nondum adesse illud sacrificium, quod uno die auferret peccata; cum tamen hi ritus per septem dies veniebant instaurandi, repræsentabatur, totum tempus Novi Testamenti in VII. Periodos divisum, habendum esse pro perpetua solemnitate, qua Fideles intuerentur unicum sacrificium Christi, sub triplici relatione, solidum & validum, tam ad expiationem peccatorum, quam ad imputationem justitiæ, Deo perpetuo repræsentatum, nec non ad pacem & gaudium Ecclesiæ propositum, ut in perpetua communione cum Christo, fideles perpetuo deliciarentur.

P A R S II.

Analysis.

§. 1. Nunc accingit se Legislator ad opus quotidianum extra Tabernaculum, ad altare holocausticum perpetuo præstandum, scil. sacrificium תמיד seu *Juge* dictum, tempus cultus publici terminis includens, a quo mane cultus auspicium, & vesperi ejusdem conclusio fieri solebat.

§. Hoc sacrificium JUGE

α. Explicatur

a. In genere, *vers.* 38.

b. In specie,

1. A tempore simul ac materia, *vers.* 39.
2. Ab adjunctis, munere nempe dapali, & libamine, *vers.* 40, 41.
3. A loco & fine, *vers.* 42.

β. Commendatur a gratiosa Dei promissione quænam

a. In genere illustrat ab effectu sanctificationis, *vers.* 43.

b. In specie per partes,

1. In ordine ad tentorium conventus, altare, & Sacerdotes, *vers.* 44.
2. In ordine ad universum populum, qui haberet

η. Deum habitantem inter se, *vers.* 45. p. pr.

ϑ. Deum propitium & fœderatum, seseque talem per experientiam manifestantem, *vers.* 45. p. alt. --- 46.

Scholia.

Vers. 38. *Offeres in isto altari*) Hebr. תעשה, *facies*, per synechdochen generis pro specie, *facere* enim hic significat opus Sacerdotis facere, quod est *offerre*, quæ oblatio restringitur ad istud altare, hoc modo scil. sanctificatum, nam sacrificia peculiaria, quorum oblatio cujuscunque facultati erat relicta, & quæ privato alicujus nomine veniebant offerenda, nondum restringebantur ad hoc unum altare, verum Sacerdotes non debuerunt alibi, quam in hoc altari oblationes suas perficere.

Agni anniculi bini] Utrumque sacrificium *Juge* eligi debuit ex eadem materia, & ejusdem esse conditionis, scil. *agnus anni*, unde in textu vocantur duo illi agniculi בני-שנה *filii unius anni*.

Vers. 39. *Unum offerto mane*] Scil. in principio diei, quod Judæi definiunt circiter convenire cum hora tertia a solis exortu, quæ quoque fuit hora precum matutinarum.

Alterum inter duas vesperas) Quæ phrasis quoque occurrit *Exod.* XII. 6. significatque duas vespertini temporis extremitates, quarum prior, ad finem diei inclinantis pertinet, altera, ad principium noctis, scil. ab hora nona usque ad solem occidentem, unde Judæi definiunt, sacrificium juge vespertinum non diu post horam nonam offerendum fuisse: relinquitur tamen in lege aliqua temporis latitudo, eo quod aliquando nonnulla sacrificia peculiaria venirent offerenda, quæ cogerent Sacerdotes, hoc tempus sacrificii jugis cultum concludentis, nonnihil protrahere ad alteram vesperæ extremitatem, quod præcipue locum habuit, quando agni Paschales multo numero ante juge vespertinum erant mactandi.

Vers. 40. *Decimam Ephæ similæ*] Describitur materia muneris *dapalis* una cum ejus quantitate, *Epha* enim erat mensura aridorum satis ampla, cujus decima pars hic exigitur ad massam aliquam depsendam, de qua mensura videantur Philologi, & præcipue doct. *Bernardus*, qui exactissime nuper pondera & mensuras Hebræorum expendit.

Mixta quarta parte τȣ̃ Hin olei tusi] Oleum nempe olivarum, mediante contusione elicitum, debuit cum simila misceri, ut ita massa panis conficeretur depsendo: Mensura autem *Hin* fuit liquidorum, quam idem doct. *Bernardus* accuratissime expendit.

Et libamen vini) Munus dapale, ut plurimum habuit conjunctum libamen, ex vino super affundendo electum.

Vers. 41. *Secundum oblationem matutinam*, &c.) Scil. munus dapale & libamen, juxta

juxta eandem quantitatem & mixturam confici non tantum debuerunt, verum & cum sacrificio jugi vespertino conjungi.

In odorem gratum sacrificium ignis) Scil. omnia illa veniebant comburenda, & igne absumenda, unde mediis in flammis halitus atque odor transcendit, quem Deus vellet concipere ut gratum, confer. *vers.* 18.

Vers. 42. *Holocaustum juge esto*) Ubi notandum, quod hoc sacrificium revocetur ad eandem speciem oblationum, quæ holocausta vocantur, quorsum etiam spectabat *aries primus*, de quo *vers.* 18.

Ante portam tentorii conventus] Ita describitur Tabernaculum, ratioque denominationis subjungitur, quando additur, *ubi conveniam vobiscum, alloquendo te ibi*. Errant qui vertunt, *intra portam tentorii*, quia altare holocaumatum sub dio in atrio collocatum fuit. Vid. *Exod.* XL. 29.

Vers. 43. *Ut gloria mea sanctificetur*) Hebr. *in gloria mea*; nempe unusquisque filiorum Israel, qui erat sanctificandus, per, & propter præsentiam Dei. *Gloria Dei* sæpe vocatur unumquodque symbolum præsentiæ Dei, unde mihi videtur respicere ad nubem illam supra Arcam collocatam, quæ erat symbolum præsentiæ divinæ, & alibi vocatur *Gloria Dei*. Vid. 1. *Reg.* VIII. 11.

Vers. 44. *Et sanctificabo tentorium*, &c.) Id est, declarabo ad usum sanctum pertinere, & per illa instrumenta aliquem posse me sancte adire.

Vers. 45. *Et habitabo inter filios Israelis*) In textu Hebr. est verbum שכן, ac proinde beneficium promissum est שכנה, quæ inhabitatio tantum de symbolo præsentiæ Dei intelligi potest, quo Deus pignus dedit gratiæ & auxilii præsentis, seque non aliter acturum cum populo, ac si ipse Rex, in prætorio castris eorum interesset, hostes propulsando, consilium suum per oracula in omni casu suppeditando, moresque populi legibus circumscribendo.

Vers. 46. *Et experientur me esse*, &c.) Quæ promissio provocat ad effecta fœderis gratiæ, in quo Deus semet obstrinxit ad omnia illa præstanda, quæ quispiam a Deo fœderato & propitio expectare posset: verum hic ultra promittit, experimenta istius gratiæ ubertim affore.

Qui eduxi ipsos, &c. *ut habitem inter ipsos*] Hæc verba explicant finem liberationis populi ex Ægypto, estque præsentia illa gratiosa Dei in Tabernaculo vera ratio separationis Israelitarum a reliquis gentibus: dum enim inter ipsos habitat ut Rex in medio populi, involvitur simul directio ejusdem, ad omne officium cultus & pietatis Deo exhibendum, cum eo fructu & consequenti, quod Deum haberent propitium & amicum.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *Holocaustum juge* seu quotidianum proponitur, ut medium impetrandi alloquium Dei, & sanctificationis populi, cum omnibus beneficiis fœderalibus: quia involvit agnitionem gratiæ Dei cum abnegatione propriæ justitiæ, qua in re Deus a peccatore tantummodo glorificari potest, finemque suum obtinere.

§. 2. Quod attinet rationem Typicam, repræsentatque *juge* hoc sacrificium

α. *Sacrificium Christi* tanquam perpetui valoris, Deo quotidie repræsentandi nomine populi, spem suam in futurum illud sacrificium collocantis, & sub Novo Testamento, per confessionem fidei, ejus effectum celebrantis.

β. *Duo agni mane & vesperi* ad cultus auspicium & conclusionem oblati, involvunt tacite confessionem Christi patientis, & a mane ad vesperam a cruce pendentis: testantur enim Evangelistæ, Jesum hora tertia in crucem sublatum, hora nona animam exhalasse.

γ. Quod cultus inde *inciperet* & vesperi *terminaretur*, ostendit principium cultus esse fidem in Christum, nec non ejusdem terminum, ut *justitia sit ex fide ad fidem*, *Rom.* I. 17. incipiendo a fide confugiente, & concludendo in fide πληροφορίας.

δ. Quotidie *repetebatur* non tantum, ut moneret lex, pecuinum hoc sacrificium non posse *consummare conscientiam*, *Hebr.* X. 2. verum etiam fidem, ejusque confessionem perpetuo in hoc opere esse, ut Christum patientem precibus Deo sistat.

ε. Hoc sacrificium quotidie *iisdem* cum *ritibus* peragebatur, ut erudiremur unum eundemque esse Dei cultum, idem habentem sacrificium, eodemque modo fide circa Christum versantem.

ζ. *Holocaustum* fuit, in totum conflagrandum, quo significabatur, hoc sacrificium Deo proponi in gratum cibum & odorem, quatenus zelus, amoris Dei & redem-

ptionis populi, Christum corripuit, causaque fuit conciliatæ nobis gratiæ Patris: nam *voluntas Christi* spontanea, in oblatione corporis sui manifestata, *sanctificavit nos* Deo, *Hebr.* X. 10.

§. 3. Huic sacrificio conjungebantur

α. *Munus dapale* ex *farina oleo* mixta confectum: sc. in theologia symbolica, redempti sunt cibus Dei & munus dapale, ut videbimus suo loco. Hi vero Deo sistendi veniebant in confessione Ecclesiæ, tanquam membra corporis Christi, illi adhærentia & conjuncta, quique se, ex zelo divini amoris Deo, quoque sistere debuerunt, in sacrificium spontaneæ subjectionis, *Rom.* XII. 1. *Oleum* autem farinæ immixtum, significabat Spiritum Sanctum, quo electi ad fidem vocati, imbuti sunt, unde & Deo gratum exhibent epulum.

β. *Libamen* adjungitur, commodum repræsentamen sanguinis martyrum, non tantum sacrificio Christi affundendi, verum & muneri dapali; patiuntur enim non tantum propter causam Christi, sed & Ecclesiæ, qui Evangelium sanguine suo confirmant, quorsum respicit Paulus *Philip.* II. 17. 2. *Timoth.* IV. 6.

§. 4. *Fructus* hujus oblationis etiam in regno Christi conveniunt, est enim Deus & Christus in medio eorum, qui in nomine ejus congregati sunt, ibique

α. *Alloquium* suum dirigit ad Ecclesiam per præconium Evangelii, seu testimonium Patris de Filio una cum commonstratione viæ vitæ æternæ.

β. *Sanctificat* Ecclesiam per *præsentiam* Spiritus gloriam Deo amplificantis, & operibus gratiæ manifestantis.

γ. *Sanctificat tentorium conventus*, id est, efficit unicum hoc Christi sacrificium, ut Ecclesia domus Dei sanctificetur, illeque, salvo honore suo, inter illos qui ad communionem Ecclesiæ vocati sunt, habitare possit.

δ. *Sanctificat altare ipsum*, id est, efficit ut Christus jure possit suscipere omnia dona gratitudinis, patrique grata facere: nam propter sacrificium Christi imperfecta nostra opera sanctificationis, dum in Christo fiunt, & per eum Patri proponuntur, a Deo approbantur.

ε. *Aaronem & filios sanctificat ad Sacerdotio fungendum*, id est, efficit ut tam Christus, quam Christiani, libertatem habeant Deum adeundi.

ζ. Ad illud sacrificium sequitur quoque, Deum velle ipso experimento ostendere se esse *Jehovam Deum suorum*, id est, omnia beneficia applicationis salutis se velle quotidie dispensare inter fideles, idque etiam, propter idem illud sacrificium Christi fide agnitum, & confessione fidei Deo repræsentatum.

CAPUT XXX.

Analysis.

§. 1. HOc Capite quædam subnectuntur ad certas quasdam occasiones, quæ duplices sunt.

α. Prima est, quod officium Sacerdotale quotidianum veniebat continuandum per incensionem thymiamatum, unde altare thymiamatum, hactenus nondum descriptum, delineandum fuit, & quia sumptus quidam debuerunt impendi, ad coementdam materiam sacrificio jugi impendendam, lex quoque datur de pensione hemisicli, unde redditus cultui destinatus, tandem mixtura quoque thymiamatum, eandem ob causam definitur.

β. Occasio altera desumpta est ab inauguratione Sacerdotum, qui ablutione, & Pontificis, qui oleo unctionis sacræ, consecrandi veniebant.

§. 2. Proinde hoc Caput absolvitur V. partibus. Definitur

α. Altare thymiamatum ejusque usus quotidianus, *vers.* 1. — 10.

β. Pensio hemisicli in thesaurum tabernaculi præcipitur, *vers.* 11. — 16.

γ. Labrum ad Sacerdotum ablutiones delineatur, *vers.* 17. — 21.

δ. Oleum unctionis sacræ conficiendum jubetur, *vers.* 22. — 33.

ε. Thymiama seu suffimentum sacrum ejusque mixtura & usus præscribitur *vers.* 34. — 38.

PARS I.

DE ALTARI THYMIAMATUM.

Analysis.

LEgislator nunc accedit ad *Altare Thymiamatum*, descripturus alteram partem officii Sacerdotalis quotidie peragendi, & quidem in ipso tabernaculo, ac proinde notari debet

α. Structura altaris,
1. Quoad materiam, *vers.* 1.
2. Quoad figuram & magnitudinem, *vers.* 2. p. pr.
3. Quoad ornatum, scil.
a. Cornua altaris, *vers.* 2. p. alt.
b. Tectorium, *vers.* 3. p. pr.
c. Limbum, *ibid.*
4. Quoad instrumenta portatilia, & quidem
a. Annulos, *vers.* 4.
b. Vectes, *vers.* 5.
β. Usus, ubi describitur
a. Locus ubi ad usum collocari debuit, *vers.* 6.
b. Usus ipse, & quidem
1. Quotidianus, qui explicatur
ℵ. Per thesin, *vers.* 7. 8.
ϑ. Per antithesin, *vers.* 9.
2. Anniversarius, spectans ad ritum expiationis, *vers.* 10.

Scholia.

Vers. 1. *E lignis Cedrorum lectissimorum*) Materia itaque eadem, quæ totius tabernaculi, conf. Cap. XXV. 5.

Vers. 2. *Cubiti longitudine*, &c.) Quadratum itaque fuit altare quoad superficiem.
Duorum Cubitorum altitudine) Itaque proportio altitudinis respectu superficiei dupla fuit, totaque commensuratio accommoda, ut structura per portam anteriorem introduci posset; ejusque altitudo, relata ad altitudinem tabernaculi, conficiebat quintam partem, ut restarent adhuc VIII. cubiti, antequam fumus suffituum exhalans, ad tectum pertingeret.

Ex ipso cornua sunto) Conf. quoad phrasin Cap. XXVII. 2 scil. ad IV. angulos in plano marginis exsurgebant IV. cornua striata, inflexa? an minus? dubitant Philologi.

Vers. 3. *Obduces illud auro puro*] Unde vulgo *altare aureum* vocatur, quia auri laminis obductum fuit undiquaque.

Tectum ejus] Intellige aream seu summam ejus altaris partem, quæ tectum vocatur, quia cavitatem altaris obtegebat intra margines. Errant qui hic craticulam fingunt prunis excipiendis destinatam, quia illa foret inutilis, cum prunæ ad suffitum excitandum, huc allatæ, & in vasculo exceptæ, una cum vase imponebantur huic areæ, ac proinde lamina fuit solida, ex auro conflata, quam prunæ nunquam nisi intermedio vasculo attingebant, conf. *Lev.* X. 1. XVI. 12.

Facies ei limbum aureum] Hic limbus margini super impositus fuit, ne quis concipiat cimacium fuisse, adhibitusque fuit non tantum ad ornatum, sed etiam ad usum, ut vasculum suffitus includatur, & non facile ex altari excidat. Probabile quidam putant, limbum hunc, opus fuisse reticulatum, aut quibusdam ornamentis distinctum.

Vers. 4. *Deinde binos annulos*, &c.] Annuli hi quoque aurei fuerunt, & IV. quidem numero, bini ab uno, & bini ab opposito latere dependentes, inserebanturque prope margines & limbum, ut altare facilius portari posset.

Vers. 6. *Pones illud ante velum*, &c.] Ac proinde locus huic altari destinatus fuit in prima regione tabernaculi. Errant enim qui putant intra Sanctum Sanctorum collocandum esse, definiturque locus in medio latitudinis tabernaculi, ultra candelabrum, & mensam auream, non procul ab ingressu in Sanctum Sanctorum, atque ita e regione arcæ.

Vers.

Verſ. 7. *Ut adoleat ſuper illud Aaron*] Aaron Pontifex nominatur , non quaſi nemini licuerit id facere niſi Pontifici, verum, quia Aaron id debuit præſtare prima vice, nec non die expiationis , imo etiam , ut quidam volunt , Sabbatho, noviluniis & feſtis ; reliquis autem diebus quando illi allibuit, alias enim vulgares Sacerdotes, quorum erat ἐφημερία , & qui ſorte erant deſignati , tempore ſacrificii jugis id faciebant , ut colligi poteſt ex locis *Lev.* X. 1. 1. *Chron.* VI. 49. 2. *Chron.* XXVI. 18. *Luc.* I. 5. 9. conſ. ad ultimum locum Clar. *Ligtfooti* commentarium.

Suffitum aromatum] Vid. *verſ.* 34. aromata enim huic mixturæ erant conjuncta.

Unoquoque mane] Hebr. *mane mane*, quæ reduplicatio Hebr. familiaris.

Verſ. 8. *Inter duas veſperas*] Conſ. *Cap.* XXIX. 39. quæ ſecundæ vices ſuffitus quotidiani fuerunt.

Verſ. 9. *Ne offeratis in eo ſuffitum exterum*) Id eſt, aliunde prolatum, aut alio modo compoſitum, quam imperaverat Legiſlator, præſcribitur enim mixtura in ſequentibus a *verſ.* 34. --- 38.

Aut holocauſtum , &c.) Ibi includuntur omnia alia genera ſacrificiorum , quæ ſolummodo offerri debuerunt in altari holocauſti, ac proinde diſtinguitur uſus hujus altaris, ab uſu alterius.

Verſ. 10. *Semel quotannis expiationem faciet*) Aaron ſcil. die expiationis magnæ , quæ incidit, in menſis ſeptimi, diem decimum, vid. *Lev.* XVI. 18.

Super cornua ejus] Quod ergo ad expiationem fieri debuit, attingebat ſolummodo cornua hujus altaris aurei, quæ ſanguine aſpergebantur.

E ſanguine ſacrificii pro peccato) Sanguis ergo aſperſionis expiatorius non admittebatur promiſcuus, verum deſumi debuit ex ſanguine hirci , in ſacrificium oblati, qui geſſerat peccata totius populi, ipſo expiationis die.

OEconomia.

§. 1. Pertinuit hic *ſuffitus* ad decus tabernaculi , & venerationem majeſtatis ibidem habitantis . Sacerdotes enim regi miniſtrantes , hoc præſtiterunt tanquam gratum aliquod miniſterium. In vita enim politica, ſuffitu excipiebant orientales, quos honorare volebant; inter ſenſus odor delicatiſſimus eſt , ac neſcio quo modo ſpiritus refocillat & cor exhilarat , conſ. *Prov.* XXVII. 9. Habuitque primum Sanctuarium , quæ ad tres primarios ſenſus fovendos reſpiciebant & pertinebant : menſa aurea cibum palato, candelabrum aureum, lumen oculis, nec non altare aureum , ſuffitum naribus , eaque omnia cum pompa regia majeſtate digna præbebant . Notandumque etiam quod ſuffitus proxime throno regis admovebatur, tanquam res gratiſſima.

§. 2. Totum hoc choragium legis continuit in ſe gratiſſimum repræſentamen *cultus Chriſtianorum in precibus* , unde & Eccleſia *domus precum* vocatur *in qua Deus adductos lætificare vellet* , *Jeſ.* LVI. 7. Verum ut ſingulatim omnia contemplemur , conſideremus

α. *Suffitum*, commodum & indubium emblema precum , juxta indicium ſacræ Scripturæ , *Pſal.* CXLI. 2. *Apoc.* V. 8. cujus tota mixtura & ratio videnda erit in ſequentibus. Hic autem ſola adminiſtratio conſideranda, quæ attribuitur

a. *Pontifici*, quoad *primas vices*, alias etiam *Sacerdotibus*, notaturque, quod Chriſtus Pontifex primus ingrederetur Sanctuarium , & ſupra fundamentum meritorum propriorum , Deum rogaret pro Eccleſia ; verum poſtea omnes fideles ſequerentur, & ejus ſanctitati & juſtitiæ confidentes , poſt perpetuas preces Deo offerent.

b. *Incenſio aromatum* ad ipſum opus ſpectabat , & fiebat ope prunarum ab altari holocaumatum deſumptarum, emblema precum in fervore ſpiritus offerendarum, qui ſpiritus vocatur ſpiritus precum, *Zach.* XII. 10. eſtque ſpiritus *Chriſti clamantis pro nobis* , *Gal.* IV. 6. quem Chriſtus pro nobis meruit , unde quaſi ex altari holocaumatum deſumitur, & in medio electorum fidelium collocatur, ut ignis inſtar, divinum zelum in precibus accendat.

c. *Inſtrumenta* prunas recipientia fuerunt quoque *phialæ pretioſæ* , quæ ab altari holocaumatum portabantur ad altare ſuffitus , ejuſque laminæ imponebantur , ut inſperſis aromatibus gratum odorem exhalarent; Egregium repræſentamen fidelium , qui quoque vaſa ſunt in domo Dei , & cum fide mortis Chriſti quaſi ſtantes ad altare holocaumatum , ſpiritum Chriſti accipiunt in cordibus , ac poſtea fiduciam accipientes , Deum per Chriſtum adeunt , precibus omnem reſtipulationem fœderis repræſentantes . Neque mirum videri debet , quod iidem ſint , & vaſa , & Sacerdotes , cum hæc dicantur diverſo reſpectu : Sacerdotes ſunt,

funt, quatenus habent propositum se ipsos Deo sistendi; vasa sunt altari imposita, quatenus considerantur semet tradidisse Christo ad portandum, & causam eorum suscipiendam, quæ cum uno repræsentamine delineari non possent, plura assumuntur; ita alibi quoque vidimus quod sint simul & Sacerdotes, & holocaustum.

d. Nonnisi ex *præscripto* suffitus licuit mixturam adducere, quod significabat preces Deo non placere, nisi quando rogamus juxta voluntatem Dei, & eo modo quo Christus nos docuit, confer *Jac.* IV. 3. 1. *Job.* V. 14.

β. Altare hic describitur *aureum*, emblema & symbolum Christi iterum, verum sub speciali relatione, quatenus concipitur ut intercessor, & glorificatus apud Patrem, preces fidelium quasi excipit, & Patri sistit, unde preces nihil valent *nisi nomine Christi*, *Job.* XIV. 13, 14. XVI. 24. nemoque *venire potest ad Patrem nisi per Christum*, *Job.* XIV. 6. cujus merita sunt fundamentum exauditionis.

a. *Materia* cum fuerit *lignum* auro obductum, ut alibi vidimus, denotat naturam Christi humanam, in persona Christi jam glorificatam.

b. *Quadrata figura* monet, a quatuor mundi cardinibus adventantibus, æqualem dari accessum.

c. *Cornua*, quæ etiam in altari holocaumatum vidimus, Christi potentiam denotant, qua sufficiens est ad Ecclesiæ defensionem.

d. *Sanguis expiationis cornua consecrans*, significat, ex merito Christi factum esse, ut ejus potentia, sit justa & legitima potestas a Patre rogandi, & cum Patre rogatum præstandi.

e. *Portatile* fuit altare, ac proinde vectibus & annulis instructum, cujus ratio erat, quod ipsum tabernaculum portatile esset, a quo altare aureum separari in cultu non debuit. Ratio autem *Typica* est, quod Christus non possit separari ab Ecclesia, cui aliquando necessitas imponitur migrandi de loco in locum, ut ipse Christus concipiatur migrare cum Ecclesia, cui semper præsens est, conf. *Apoc.* I. 13. cum II. 5. Instrumenta autem portationi inservientia hic idem significant, quod in arca, & altari holocaumatum, de quibus antea egimus.

f. *Abusus probibitus*, dum Legislator alia sacrificia præter suffitum non admittit, egregie monet, post unicam oblatam victimam Christi, in Novo Testamento non habere locum, nisi sacrificium suffitus spiritualis: * qui enim nova sacrificia hilastica admittunt, valorem unici sacrificii abnegant.

γ. *Locus* quo altare aureum collocandum erat, definitur

a. Per *Sanctum*, id est, Sanctuarium primum, symbolum Ecclesiæ spiritualis seu invisibilis, in qua sola, verus cultus perficitur, dum veri adoratores, Deum tantum *invocant in spiritu & veritate*, *Job.* IV. 23. 24. Fateor quidem, quod in Ecclesia externa visibili, cujus symbolum est atrium Sacerdotum, Deum coli externis ritibus, verum ille cultus tunc demum perficitur, quando illi cultores visibiles, fidem & spiritum internum, externo cultui conjungunt, secundum quos internos actus concipiuntur versari in ipsa domo Dei.

b. Per *positionem* ultra mensam auream, & candelabrum aureum; qui enim suffitum adolebant, illa vasa tabernaculi præterire debuerunt, antequam altare aureum attingere potuerunt. Quo symbolo denotatur, Deum non recte coli vero cultu spirituali, nisi ab iis, qui communionem habent cum Christo, & in illa communione illuminati sunt a spiritu, & Christum experti sunt vitæ causam, tanquam cibum nostrum spiritualem.

c. Per *viciniam arcæ*, altare enim positum fuit in medio tabernaculi e regione arcæ, ac proinde habuit accessus ad altare aureum, speciem accessus ad Deum supra arcam habitantem; ut proinde per hoc emblema notetur, liberrimus ille accessus fidelium Novi Testamenti ad thronum gratiæ, per Christum intercessorem; præcipue, postquam cum morte Christi velum concipitur ut ruptum, & utraque pars ædis speciem repræsentat unius ejusdemque conclavis: nam & Paulus animadvertit, ante velum ruptum, *nondum manifestum fuisse sacrarii ingressum*, *Hebr.* IX. 8.

δ. *Tempus* quoque definitur, ut matutinum & vespertinum, cultum aperiens & claudens, idque quotidie, in symbolum, sub Novo Testamento preces fore perpetuas, & quotidie indesinenter instaurandas, vid. 1. *Thess.* V. 17, 18.

PARS II.

* Sacrificia hilastica semper in Ecclesia fuisse vel ab ipsis Apostolicis temporibus probant *S. Justinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *Tertullianus* in lib. de vel. Virginibus, *Hypolitus Martyr* in oratione de Antichristo; *S. Cyprianus* Ep. 63. *S. Chrysostomus* hom. 2. in 2. ad Timotheum &c. Nugatur Van Til.

Pars II.

DE PENSIONE HEMISICLI.

Analysis.

Ut thesaurus redditum erigeretur ad refundendos sumptus, qui in cultu publico impendebantur, Rex Israelis quasi tributum aliquod instituit annuatim solvendum, cujus describitur

α. Collectio, *vers.* 11. --- 15. ubi Legislator
 a. Tempus collectionis primæ definit, *vers.* 12.
 b. Quantitatem tributi circumscribit, *vers.* 13.
 c. Debitores hujus tributi designat, *vers.* 14. 15.
β. Usus seu finis tributi triplex subjungitur, *vers.* 16.

Scholia.

Vers. 12. *Cum recensebis summam filiorum Israel*, &c.) Hic definitur tempus primæ collectionis, quod præceptum tamen non temporarium fuit, sed perpetuum, ex mente Judæorum, qui statuunt annuatim idem tributum colligendum fuisse, ultimisque temporibus curabant id perfici per collectores, qui mense *Adar*, aut si annus esset intercalaris, mense *Veadar*, totam terram Israeliticam pervadebant, ut a quocunque pensum exigerent. Primo die mensis fiebat denunciatio, decimo quinto blanda exactio per omnes urbes & vicos, ast vigesimo quinto coactio, cum exactores sederent ad mensas in Sanctuario, atque pignora sumendo, vel alia ratione oppignorando, & obligando, ad solutionem cogebant, conf. *Ottonis Lexicon* pag. 600. & seq.

Quisque redempturam vitæ suæ Jehovæ, &c.) Pecunia a quolibet offerenda refertur ad redemptionem vitæ uniuscujusque, qui vitam suam salvam esse volebant; in textu originali pro vita est *anima*, per metonymiam efficientis.

Ut non sit in iis plaga) Proinde vita hæc quasi redimenda veniebat, ex plagis divinitus alias infligendis, pœna enim neglectæ solutionis non committitur judicibus, sed Deo, qui ipse causam suam defendere vellet.

Vers. 13. *Dimidium sicli*] Est autem siclus norma ponderis alicujus. Solebant autem Judæi pretium æstimare ad pondus, quia appendebant olim creditoribus nummos, & non adeo annumerabant. Hic autem intelligi debet hemisiclus argenteus, quod locum habet, quotiescunque appendendum non definitur.

Prout est siclus sacer) Hic disceptant Philologi, an siclus sacer & communis inter se pondere differant, aliis statuentibus, siclum sacrum communi duplo majorem esse, aliis vero id strenue negantibus, & existimantibus, siclum sacrum vocari normam exactissimam, quia apud tabernaculum norma ponderum exactissima asservabatur, ad quam omnia pondera aliis in locis exigi debuerunt, quæ ultima sententia videtur verisimilior; conf. novissimum Tractatum *de ponderibus & mensuris Judæorum*, quem nuper edidit Clar. *Bernardus*.

Viginti obolorum hic est siclus) Hebr. obolus גרה vocatur, animadvertitque Clar. *Bernardus* quod גרה Mosaica recte vertatur *obolus*, si id modo intelligamus de *obolo Charontis*, seu obolo antiquorum, qui aliquanto plus valuit quam obolus communis Atticus Athenarum: differentia enim valoris proportionem habet ut v. ad iv. ut proinde hic ὡς ἐν τύπῳ valorem monetæ sacræ tradamus; sciendum est, industria virorum doctorum, rem nummariam sollicite ponderantium, hodie constare siclum argenteum, characteribus Samaritanis insignitum, pendere semiunciam anglicam argenti, atque ex æquo convenire tetradrachmæ Thasiorum & Phœnicum, ac proinde Hemisiclus congruit duabus drachmis Atticis, æquivalentibus duobus schellingis Batavis, notante id quoque doctissimo *Gronovio*. Una drachma Attica continuit proinde v. obolos Mosaicos, verum vi. obolos Atticos, atque adeo גרה Mosaica, aliquantisper excessit valore stuferum Batavicum, quem obolus Atticus juste exhaurit.

Vers. 14. *A nato viginti annos*] Qui infra illam ætatem erant nihi pendebant, verum illum terminum excedentes, ad quamcunque etiam ætatem pervenerint, hemisiclum illum pendebant.

Vers.

Verf. 15. *Qui dives eft, ne augeto*, &c] Nulla hic differentia admittitur inter divites & pauperes, ut tributum hoc fuerit capitatim folvendum.

Verf. 16. *Pecuniam expiationum*] Hæc phrafis denotat primam rationem penfionis, habuitque pretium hoc rationem τȣ λύτρȣ, quo fe redimere debuerunt ex metu judiciorum Dei.

Repones eam ad minifterium tentorii] Hic defcribitur alius finis, fcil. in quem ufum deberent nummi illi impendi, nempe ut perpetuum minifterium confervaretur: fumptuofus enim erat ille cultus Leviticus, & facrificium juge quotidie totius populi nomine offerri debuit. Errant viri docti, qui hoc tributum referunt ad fumptus impendendos in ædificationem tabernaculi; nam materia ad ftructuram tabernaculi adducenda *Cap.* XXV. exigitur ab Ifraelitis tanquam donum fpontaneum, ab unoquoque pro libertate fua adducendum, vid. *Cap.* XXV. 2. Hoc tributum autem argento folvendum fuit ex debito, & ex æquo.

Eritque pro filiis Ifraelis in monumentum coram Jehova) Id eft, erit quafi coram Jehova argumentum, in memoriam revocans, quod λύτρον folviffent, ac proinde reputari debeat, ad eorum abfolutionem carnalem & externam. Nam facrificia quotidiana, nomine populi peracta, & hoc pretio empta, Deo quafi tradebantur in holocauftis, ut λύτρον ipfum quafi commutatum.

OEconomia.

§. 1. Ratio hujus ordinationis divinæ fatis evidens eft; facrificia enim omnium nomine offerenda, omnium fumptibus erant coemenda, ut revera communis populi effent, atque eum in finem communis quædam collecta, certo quodam tempore, inftitui debuit, qua quifque debitum fuum, ad communem thefaurum adduceret. Hinc etiam in templo Salomonis, & Zerubabelis, peculiaria conclavia fuerunt exftructa, in quibus thefaurus ille reconderetur, de qua re pluribus egit Clar. *Otto* in *Lexico pag.* 226. Hinc etiam in templis collybiftæ, quia hemificlus, fub fecunda domo, non pendebatur ex quovis nummo, fed fub certa aliqua monetæ fpecie, quam qui præ manibus non haberet, monetam fuam apud collybiftam mutare debuit.

§. 2. Ex hoc tamen ritu difcere debebant Ifraelitæ

α. Omnem animam indigere λύτρω, ut eripiatur ex ira Dei ventura.

β. Id λύτρον debere effe pretiofum, argentum enim inter res pretiofas numeratur, unde & λύτρον Chrifti *pretiofum* vocatur 1. *Cor.* VI. 2. 1. *Petr.* I. 19.

γ. Hoc λύτρον non fuiffe tamen illud verum, cum Prophetæ λύτρον ex argento defumptum poftea rejicerent, vid. *Efaiæ* LII. 3. confer. 1. *Petr.* I. 18.

δ. Quod *a divite non plus poftulatur quam a paupere*, teftimonium fuit, omnium animas æque pretiofas effe, eodem pretio aliquando redimendas, atque etiam opes, nullam dignitatem, aut prærogativam, cuique in regno Chrifti conciliare.

ε. Adde ob *æqualitatem lytri*, omnibus eandem libertatem, & eundem acceffum ad Deum patere.

ζ. *Recenfiti* debebant argentum folvere, ita etiam Chriftus non redemit nifi recenfitos, id eft, *ordinatos ad vitam æternam*, *Actor.* XIII. 48. *Hebr.* XII. 23. *Ephef.* I. 4.

η. *Lytrum* defendebat a plaga; Chrifti vero a *condemnatione*, *Rom.* VIII. 1. 34. 35.

θ. *Valuit ad minifterium tentorii*, Chrifti autem valet, ad acquirendum omnia quæ ad ædificationem domus Dei erant neceffaria, *Ephef.* II. 21. 22.

PARS III.

DE LABRO ABLUTIONIS.

Analyfis.

Inter vafa, quorum defcriptio rejecta fuerat ad finem colloquii divini cum Mofe, eft quoque *Labrum æneum*, cujus fit mentio occafione inaugurationis Sacerdotum, quos vidimus præcedenti Capite defcribi ut abluendos, antequam induerentur veftibus facris, defcribiturque etiam labrum hoc æneum.

α. A ftructura, ubi occurrit

a. Materia, *verf.* 18.

b. Subjectus locus, *ibidem*.
c. Contenta, *ibid*.

β. Ab usu, qui
a. Describitur, *vers*. 19. 20. 21. p. pr.
b. Amplificatur ex adjuncta duratione, *vers*. 21. parte altera.

Scholia.

Vers. 18. *Facies etiam labrum æneum*) Ita vocatur vas ex ære conflatum, aquis recipiendis aptum, cujus loco, postea Salomo construi jussit *Mare æneum*, ita appellatum ob majorem ejus amplitudinem: Multiplicato enim populo, receptaculum hoc amplificandum fuit, ejusque maris ænei accuratissimam descriptionem, solutis omnibus dubiis architectonicis, dedit Clar. *Bernardus* in fine *Tractatus de mensuris & ponderibus Hebræorum*.

Et scapum ejus æneum) Ita vocatur sustentaculum amplioris hujus receptaculi, concavum quidem, ut mediante epistomio, aquæ inde deducantur, & emittantur ad lotiones quascunque.

Inter tentorium & ipsum altare] Id est, ultra altare versus tentorium; ita tamen, ut protraheretur nonnihil versus Austrum, notantibus Talmudicis in Tractatu *Middoth*, *cap*. 3.

Vers. 19. *Ut lavent Aaron*, &c.) Usus ergo fuit ad lotiones quotidianas, Sacerdotes enim, ante cultus templi inchoationem, aquis se purificare debebant, nec non Pontifex, qui die expiationis quinquies lavare se debuit, vide Tractatum *Kippurim*.

Manus suas & pedes suos) R. *Schelomo Jarchi* ex Talmudistis animadvertit in hunc locum, quod manum dextram imposuerint super dextrum pedem, manumque sinistram super sinistrum pedem, cum Sacerdotes se lavabant. Conf. *Ottonis Lexicon pag*. 334.

Vers. 20. *Lavanto aqua, ut non moriantur*] Pœna statuitur satis gravis, quæ tamen committebatur vindictæ divinæ, qui itaque illotus ingrediebatur tentorium, reus censebatur mortis, tantum enim erat ut qui coram Deo appareret, mundus esset.

Vers. 21. *Statutum esto perpetuum*] Quandiu nempe œconomia illa Veteris Testamenti perseveraret, nam illa perpetuitas commensuranda est durationi œconomiæ istius temporis.

OEconomia.

§. 1. Externæ illæ lotiones in Oriente fuerunt frequentes pro natura climatis, unde nemo facile admittebatur ad consuetudinem honesti viri, nisi lotus, quam venerationem multo magis debebant Regi tabernaculum inhabitanti.

§. 2. In *Theologia Emblematica*

α. *Lotio* significabat *respectu Veteris Testamenti*, impuros fuisse omnes natura qui ex Aarone oriundi Deum accederent, ne Pontifice quidem excepto, quod exhibuit nobis testimonium, Pontificem Veteris Testamenti non fuisse illum verum, *qualis nos decebat*, *Hebr*. VII. *vers*. 26.

β. Respectu *melioris Testamenti*
a. *Aqua* symbolum fuit obedientiæ Christi activæ, quæ concipienda, ut causa meritoria regenerationis nostræ, *Joh*. III. 5. unde & Christus dicitur *venisse cum aqua*. 1. *Joh*. V. 6. prout & *aqua* præter *sanguinem effluxit ex latere ejus*, *Joh*. XIX. 34. Conf. 1. *Joh*. V. *vers*. 8.
b. *Lotio* requisita, comprehendit justificationem, & sanctificationem, cum a reatu, tum a macula peccati. Vid. *Jes*. I. 16. 1. *Cor*. VI. 11. *Joh*. XIII. 10. *Hebr*. X. 22. *Apoc*. I. 5.
c. Quod autem *lotio* fieret quoad *manus*, & *pedes*, significabat, *lotos non indigere alia lotione*, *Joh*. XIII. 10. Supponuntur enim Sacerdotes esse, id est, regeneratos & justificatos, verum, qui propter lapsus imbecillitatum quotidianos, necesse habuerunt perpetuo recurrere ad Christum, ut causam continuatæ sanctificationis, & justificationis in foro conscientiæ, quam vulgo justificationem secundam vocant.
d. *Lavacrum* est Christus, qui vocatur *labrum apertum*, *Zach*. XIII. *vers*. 1.
e. Inter *altare* & *tabernaculum stabat labrum*, ut indicaretur nullam dari communio-

munionem, seu cum Christo, qui per altare, seu cum Ecclesia, quæ per Tabernaculum notatur, nisi cor esset lotum & fide purificatum.

P A R S IV.

DE OLEO UNCTIONIS.

Analysis.

§. 1. Quia variis in locis mentio facta fuerat unctionum sacrarum, Legislator in appendice rerum præparandarum, ejus quoque descriptionem exhibuit.
§. 2. In qua descriptione *Olei unctionis sacræ* exhibuit
α. Mixturam, *vers.* 22. ---- 25.
β. Varium usum, enarrando ea omnia, quæ ungenda veniebant, *vers.* 26. -- 30.
γ. Cautelam subjungit qua prohibet ejus abusum, *vers.* 31. --- 33.

Scholia.

Vers. 23. *Accipe tibi*) Pleonasmus est in sacris frequens.

Aromata præstantissima) Hebr. בשמים ראש, quasi *aromata capitalia*, ad balsamum aliquem conficiendum, reliquis omnibus præferenda.

Myrrhæ ingenuæ) Est autem myrrha species lachrymæ, ex arbore humidiori collecta, & odorifera: huic balsamo immixta, ad illi corpus aliquod conciliandum. In textu vocatur מר-דרור, *myrrha libertatis*, quod Interpretes plurimum accipiunt de lachrymis sponte profluentibus, quæ, & puriores, & liquidiores sunt, ac proinde facilius cum oleosis aliis particulis subiguntur, unde non male *myrrham electam* vertunt, modo id non accipiatur de myrrha concreta nimium, & ab impurioribus particulis separanda. *Esth.* III. 12. fit mentio *Balsami myrrhini*, quo mulieres nobiliores inungebantur, unde constat ex sola myrrha liquorem aliquem balsamicum confectum fuisse; & præstantissima species fuit Trogloditica & Minæa.

Quingentum siclos) Siclus autem in pondere valet, ut monuimus, unciam dimidiam.

Cinnamomi odorati dimidium ejus) Hujus aromatis in Veteri Testamento trina tantum fit mentio, *Prov.* VII. 17. *Cant.* IV. 14. & hoc loco, de Cinnamomo veterum, multum disceptant medici, dubitantque, an cum cinnamomo Indico conveniat? & adhuc sub judice lis est. Hic tamen notandum, quod vocitetur קנמון-בשם, unde doct. *Ursinus* in *Horto Aromatico* colligit, ex cinnamomo oleum aliquod balsamicum confectum fuisse, idque adhibitum fuisse in hac compositione, cum alias in forma pulveris, cinnamomum vix commodum ingrediens sit, ad conficiendum hoc balsamum.

Calami odorati) Hujus etiam fit mentio *Jes.* XLIII. 24. *Jer.* VI. 20. *Ezech.* XXVII. 19. Hebr. vocatur קנה, neque dubium est si attendamus ad testimonia citata, quin fuerit aroma pretiosum advectum ex terra longinqua, & ut bene *Hieronymus* notat, ex India, quæ optimam speciem ejus suppeditavit, alias enim *Calamus*, in Arabia, aut Syria natus, minoris pretii æstimabatur. Verus *Calamus*, non confundi debet cum *Acoro*, quem hodie fere illi substituunt. *Plinius* scribit quod *Calamus odoratus veterum fuit arundinis species, quæ nascitur in Syria & India, odorum & unguentorum causa*, *Lib.* XII. *cap.* 22. In Asiaticis & Ægyptiis apothecis vulgo venalis est, unde per universam Indiam seritur. Cumque hic etiam vocitetur בשם, videtur Legislator quoque indicasse, oleum balsamicum, ex juncis illis odoratis, confectum. *Plinius lib.* XV. *cap.* 7. notat, olim *ex calamo balsamum, aliisque similibus siccis, in oleo maceratis, per expressionem factitatum fuisse*.

Vers. 25. *Et cassiæ*) Hebr. קדה, cujus etiam fit mentio *Ezech.* XXVII. 19. dubitant Philologi num *cassiam*, *Irim*, an *Costum* significet, cum balsami, ex illis omnibus confecti, ab antiquis commendentur. De oleo *Irino*, *Dioscorides lib.* I. *cap.* 55. & testatur illud *optimum esse, quod solam Irim redolet, quale in Perga Pamphiliæ, & in Elide Achaiæ componebatur*. Negarique nequit LXX. per *Irim* transtulisse. In Oriente tamen magis frequens erat *Costum*, quod inter aromata odorata numeratur quoque, apud *Dioscoridem* & *Plinium*. Clar. *Ursinus*, Costum irinum hic intelligi vult, propter authoritatem LXX. Interpretum, intelligitque unguentum aliquod ex Costo Irino confectum.

Quingentos siclos) Ut proinde ejus pondus, conveniat cum pondere myrrhæ ingenuæ.

Olei olivarum) Hoc oleum videtur adhibitum, ut reliqua balsamica corpora nonnihil diluerentur, & omnis massa liquidiorem formam acquireret.

Hin) Hic denotat mensuram liquidorum, quam convenire cum 11 congiis atticis, animadvertit Cl. *Bernardus*, libri sæpe citati, pag. 46. & seq.

Vers. 25. *Opus apothecarii*) Id est, secundum artem miscendi, apothecariis, & unguentorum confectoribus, familiarem.

Vers. 26. *Eoque unges tentorium conventus*) Quod proculdubio intelligendum de partibus tentorii aliquibus, cum alias nimia quantitas hujus balsami profunderetur, quænam autem partes venirent ungendæ, non definitur a Mose, quia nonnulla in typo Moses videbat.

Vers. 29. *Res sancta sanctarum*) Id est, res sanctissima, qua non licuit uti ad profanos usus.

Vers. 32. *Carnem hominis ne quisquam eo ungito*] Id est, vulgaris hominis, qui non admittendus erat ad Sacerdotium. Quamvis unctiones inter Judæos admodum essent familiares, nihilominus in vulgari consuetudine non licuit hac mixtura uti, quæ solummodo rebus sacris erat derelinquenda.

Secundum confecturam ejus, ne facito simile ei) Ita adhuc magis cavit Legislator, ne quis hoc oleo abuteretur, dum præter hoc in loco sacro reponendum, simile quicquam confici prohibuit.

Vers. 33. *Propterea exscindetur e populis suis*) Quod quoque intelligendum videtur de judicio divino dictum, exaggeratque reatum, quem contraherent, qui hoc præceptum transgrederentur.

OEconomia.

§. 1. Cum Tabernaculum, una cum primariis vasibus, æque ac Pontifex hoc oleo balsamico debuerint illiniri, necesse est, ut gratissimus odor totam hanc domum impleverit, quod conveniens est majestati inhabitantis: ad splendorem enim regium pertinet, pretiosissimo unguento omnia delibare.

§. 2. Verum in *Theologia emblematica*, unctio spiritualis pertinet ad εὐωδίαν conciliandam toti Ecclesiæ, notandumque

α. *Unguentum* pertinere ad Spiritum Sanctum, ejusque gratissimam œconomiam, conf. 1. *Joh.* II. 27. 2. *Cor.* I. 21, 22. ad hoc unguentum miscendum, præscribuntur

a. *Aromata fragrantia*, quæ significabant varia spiritus χαρίσματα, gratissimum in modum concurrentia, ad communem εὐωδίαν conficiendam; potuitque *Myrrha* denotare constantiam in passionibus, *Cinnamomum* opera charitatis, exhilarantia quemcunque hominem beneficiis excipiendum; *Calamus aromaticus*, qui Diis etiam offerri solebat, obedientiam & subjectionem sub Deo, cum traditione sui in servitutem Dei; *Costus irinus* omne exercitium spei & fiduciæ, quorum Charismatum conjunctio novum hominem constituens, eundem Deo poterat reddere gratissimum.

b. *Oleum* symbolum est ipsius Spiritus Sancti, seu gratiæ ejus, cumque destinabatur ut esset vehiculum εὐωδίας, indicabat illa χαρίσματα sub hac gratia comprehendi, & per illum Spiritum hominum animis induci.

c. *Mensura largior* denotavit copiam gratiæ Spiritus, & donorum, quibus gavisura esset Ecclesia Novi Testamenti.

β. *Subjecta recipientia* hanc unctionem, erant

a. *Pontifex*, qui emblema Christi intercessoris fuit, qui ab hac unctione *Christus* appellatur, conf. *Jes.* LXI. 1. *Psal.* XLV. 8. *Luc.* II. 26. in quo gratia Spiritus variis cum donis se manifestaret, conf. *Jes.* XI. 2. unde & vestimenta ejus, odorem funderent horum aromatum, *Psal.* XLV. 9. quique gratiam illam acciperet ὐχ' ἐκ μέτρυ, *Joh.* III. 34. ac præcipue se commendaret a *Tolerantia* in passionibus, *Charitate* in redimendis miseris, *Spontaneitate* subjiciendi se sub lege, ad quærendam gloriam Patris, nec non vigore *Spei* & *Fiduciæ*, qua de felici rerum eventu persuasus, omnes partes officiorum suorum strenue impleret.

b. *Vasa nobiliora*, ut arca, utrumque altare, ipsa mensa & candelabrum, quæ etiam Christum præfigurabant, ut vidimus, ac horum omnium unctio eandem habuit rationem cum unctione Pontificis, nisi quod nonnulla sanguine aspergebantur,

bantur, ac postea ungebantur, in testimonium individuæ conjunctionis sanguinis & spiritus Christi, id est, justitiæ & vitæ, justitiam enim promeruit Sanguine, vitamque promovet Spiritu.

c. *Tabernaculum* quoque ungebatur, quod fuit symbolum Ecclesiæ, quæ unctionis Christi debuit fieri particeps, unde & *Christiani* dicimur, 1. *Joh.* II. 27. 2. *Cor.* I. 21, 22.

γ. *Usus.*

a *Verus* & *licitus*, qui fuit omnia sanctificare, ita Spiritus Sanctus non tantum testis fuit sanctitatis Christi, verum & causa sanctificationis Ecclesiæ, qui fidelium omnium actiones, cæteroquin in sese corruptas, & fœtidas, & Deo perosas, ita gratissimo suo odore tingit, ut Deo reddat commendatos.

b. *Abusus* prohibitus, dum non licuit simile quippiam in profanos usus conficere sub pœna mortis, hoc testimonium exhibuit, quod mundus *Spiritum illum veritatis accipere non potuerit*, *Joh.* XIV. 17. verum illum Christo esse proprium, & non nisi electis communicandum, qui partem spiritualis domus Dei constituunt.

PARS V.

DE THYMIAMATE.

Analysis.

Tandem pergit Legislator ad compositionem *Thymiamatis*, sive suffitus sacri, cujus descriptio quoque huc rejecta fuerat, ne descriptio muneris Sacerdotum nimium interrumperetur: pertinuit enim oblatio suffitus ad sacrificium juge, & quotidianum Sacerdotii ministerium, describiturque hic suffitus

α. A mixtura & compositione, *vers.* 34, 35.

β. A vero usu, *vers.* 36.

γ. Cui subjungitur prohibitio abusus, *vers.* 37, 38.

Scholia.

Vers. 34. נטף] Philologi vertunt *Stactem*, estque lachryma myrrhæ, quæ profluit ex arbore incisa, distingui tamen debet a *Myrrha libertatis*, quæ ingrediebatur mixturam unguenti sacri, differunt enim forma externa, Stactes quamvis etiam sponte profluat, est pars lachrymarum concrescens, cum prior retineret formam liquidam & fluidam. Ratio compositionis id quoque confirmat, nam oleum unctionis effundi debuit, verum thymiama in pulverem redigi.

שחלת) LXX. vertunt *Onychen*, quod & Vulgatus sequitur, non hic cogitandum est de gemma ὀνύχες, verum de concharum specie, sive de conchilii tegumento. *Dioscorides lib.* II. *cap.* 8. ejus elegantissimam reliquit descriptionem: *In Indiæ*, inquit, *nardiferis paludibus invenitur*, *suavem ideo spirant odorem*, *quod conchilia inibi nardi pabulo vescantur*. *Est autem Onyx alius candidus*, *qui per Mare rubrum affertur*, *alius nigrescens ut Babylonius*, *uterque odoris grati suffitus*, *sed Castoreum quadantenus olent*; *fœminas vulvæ strangulatu oppressas*, *suffitu excitant*, *comitialesque*, addit *Matthiolus*, quod *omnium virium imbecillitatem firmet*, *cordis palpitationem confirmet*, *animique defectum maximopere juvet*, *longoque morbo dejectos*, *recreet*. Officinæ *Blattam Byzantiam* vocant.

חלבנה] Constanter *Galbanum* vertunt, hanc lachrymam, quoque arboris alicujus, describit *Dioscorides lib.* III. *cap.* 81. affirmatque, *Succum esse nascentis in Syria ferulæ*, quodquidam vocant *Metopion*, *laudatissimum genus*, *thuris habet effigiem*, *odore gravi*, &c. unde odore suo serpentes fugare credunt veteres, *Virg. Georg. lib.* III.

Galbaneoque agitare graves nidore Chelydros.

Quod in Africa colligitur *Ammoniacum* vocatur, quia juxta Syrenen in Africa prope Ammonis oraculum colligitur. *Paulus Aetius* asserit, *Ammoniaco usos fuisse antiquos in sacrificiorum suffimentis*, unde *Thymiama* cognominat.

לבנה] Significat *Thus* redolens, cujus sola patria est *Sabæa* Arabiæ provincia, vid. *Jes.* XLIII. 23. LX. 6. quod *Plinius* confirmat *lib.* XII. *cap.* 14. *Thura*, inquit,

quit, *præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ, propria Sabæis*. Nemo felicius descripsit *Garsia*, qui testatur *arbores esse humiles, folia habere lentisco similia, aliamque esse montanam, aliam in planis nasci, arboremque montibus cum fragrosis provenit, optimum Thus proferre, in planitie vero nascentem, proferre Thus nigrum & improbum, quo cum aliarum arborum resinis permixto naves picant & oblinunt*. Albus color in thure commendatur, unde & nomen obtinuit suum Hebr. quod ad Græcos quoque derivatum est: Latini vocant Thus ἀπὸ τῦ θύειν. Germani & Belgæ *Wierook*, quasi sacrum suffimentum; *vveyen* enim est idem quod sacrare, nam ab antiquissimis temporibus thuris usus fuit in cultu sacro. *Arrianus* in *Periplo maris Erythræi* dicit *arbores thuriferas nec altas nec magnas esse, sudare thus in cortice concretum*. *Plinius* arborem quotannis bis incidi, & thus bis meti; verba enim ejus ita se habent, *prior atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantissimo æstu: Autumno legitur ex Æstivo partu, hoc candidum & purissimum est: secunda vindemia est vere, ad eam Hyemi corticibus incisis, rufum hoc exit nec comparandum priori*. *Arrianus* testatur quoque a *servis regiis & ad supplicia damnatis colligi, nam loca esse insalubria, ut & præter vehentibus pestem, & operariis illis certam mortem afferant* πάντοτε θανατώδεις.

Vers. 35. *Opus apothecarii*] Non omnium est lachrymas illas redigere in pulverem, verum ad hoc requiritur artificiosa satis manus, idque propter tenacitatem resinarum, quæ in causa est, ut difficulter subigantur.

ממלח] Quidam *salitum* vertunt, verum concipere non possum ad quem usum sales immiscerentur suffimento, quorum indoles atque natura adeo contraria est, ut crepitando, quando prunas attingunt, omnia resilire faciant. Melius itaque alii referunt ad præparationem, ut hoc verbo denotetur, accurata omnium commixtio & conjunctio.

Vers. 36. *Pones ex eo coram ipso testimonio*] Id est, in altari suffitus ante arcam testimonii collocato, ut supra notavimus ad *vers. 6.*

Vers. 37. *Juxta confecturam ejus*, &c.) Prohibet lex, suffitus, quorum usus vulgaris erat, similes, extra Sanctuarium in usum revocare, scil. nullus suffitus, præter hunc, constare debuit ex quatuor illis designatis speciebus.

Vers. 38. *Exscindetur e populis suis*) Vid. *vers. 33.*

OEconomia.

§. 1. Quorsum in sensu literali spectaverit Thymiama vidimus, quando egimus de Altari Thymiamatum, ut nil superaddendum restet, nisi sola consideratio mixturæ rerum pretiosarum, scil. mixtura odoratuum ad suffitum, habuit, ex conjunctione variarum specierum, gratissimam temperiem odoris, regiæque majestati convenientem, cum aliarum rerum halitus esset gravior, aliarum vero blandior, & ex omnibus simul conjunctis, spirituum animalium amœnissima excitata est refocillatio.

§. 2. Hic suffitus in *Theologia symbolica* repræsentat *Preces Sanctorum* Christo Pontifici quasi tradendas, ut eorum nomine Patri repræsentet, conf. *Psal.* CXLI. 2. *Apoc.* V. 8. VIII. 3. 4. quorsum autem quatuor specierum mixtura tendat non eadem est Interpretum sententia, difficilisque est rei exacta denodatio, cum pleraque in re emblematica rara sint.

α. Quidam referunt ad quatuor partes, sanctorum preces constituentes, de quibus *Paulus* 1 *Timoth.* II. 1. adhortor *igitur ante omnia ut fiant Deprecationes, Preces, Interpellationes, & Gratiarum actiones pro quibusvis hominibus*. Qui id statuunt, existimant *Stacten* referri debere ad *Deprecationes*, quibus conamur infortunia & mala, tum animæ, tum corporis, deprecari, cumque stacte sit lachryma myrrhina amara, repræsentaret illam qualitatem animæ orantis, qua ex sensu amaritudinis loquitur, & quasi lachrymas ex sensu miseriæ fundit. *Onyx* respiceret *Preces*, seu desiderium bonorum quibus mens indiget, cumque Onyx sit pulvis conchiliorum contritorum ad suffimentum, respicit cordis statum ex vehementia desiderii confractionem patientis. *Galbanum* referunt ad *Interpellationes*, quatenus quis intercedit pro fratribus eorumque indigentiis, quod est opus charitatis, desiderantis etiam cum aliqua molestia refectionem animi, ex alieno bono, in solamen Ecclesiæ. *Thus* respiceret *Gratiarum actiones* quibus profitemur ex indebita nos gratia qualiacunque beneficia accepisse, cumque nihil habeamus, quod rependere possimus, optat anima, ut ipsum suspirium mentis gratæ, quæ vellet rependere, Deo gratum sit instar thurificationis.

β. Alii potius quatuor charismata & virtutes animi recte orantis, significari existimant,

mant, quas etiam quatuor enumerare possumus, scil. *Fidem*, *Humilitatem*, *Charitatem* & *Spem*, quarum virtutum conjunctio preces sanctorum reddit consummatas.

a. *Fides* quatenus apprehendit passiones & merita Christi, Deoque repræsentat in restipulatione ut causam juris, conferri potest cum *Stacte*, myrrha enim coalita vulgo refertur ad amarissimas Christi passiones, *Deo oblatas in gratum odorem*, *Ephes.* V. 2. Coalitio autem indicare potest passiones illas concipi ut fide apprehensas, atque ita nobis adhærentes, sine qua fide, nullæ preces Deo possunt esse gratæ, propter studium carnis cum spiritu luctantis, unde precibus adhæreret aliquid male olens, nisi suffimentum meriti Christi id suffocaret.

b. *Humilitas*, orantem præcipue decet *Mich.* VI. 8. quæ est virtus *contriti cordis quod Deus præcipue gratum habet*, *Psal.* LI. 19. *Jes.* LVII. 15. ac proinde elegantissime adumbratur per *Onychen* sive testaceum conchiliorum vas contritum, cui odor adhæret Nardi, id est, Spiritus Sancti propriam abnegationem docentis.

c. *Charitas*, tam necessaria piæ precis conditio, ut nisi adsit, nulla oratio Deo grata sit, 1. *Tim.* II. 8. *Matth.* V. 23. — 26. VI. 15, &c. cujus charitatis repræsentatio sit *Galbanum*, resina summæ sanitatis, prout charitas est gluten amicitiæ tendens ad totius corporis mystici ἑνῶσαι, & corroborationem, hoc enim quærit charitas odore suo, ut omnes convulsiones extinguantur, & spiritus vitæ in omnibus sit vividus ac vegetus.

d. *Spes*, tandem precum omnium quasi basis est, nam orationes nihil aliud sunt, quam spei exercitium, qui nihil sperat, nihil desiderat, aut rogat. *Thus* autem, fumum & halitum suum cœlum versus facile emittens, gratissimum symbolum est Spei, mentis desiderium per suspiria in cœlum mittentis, & quasi supra astra volantis, reliquasque animi virtutes secum evehentis: Notandum est hic quod Thus totius mixturæ fuerit basis, reliquarum specierum odores facile in altum elevans & quoquoversum dispergens.



JOHAN-



JOHANNIS BUXTORFII FIL. HISTORIA ARCÆ FŒDERIS.

CAPUT PRIMUM.

De ARCÆ *Fœderis Nominibus; & An* DEI *Nomen, inprimis Tetragrammaton* יהוה *ei in Scriptura attribuatur?*



EX præcipuis Reipublicæ Judaicæ decoribus, quibus ea a Deo ornata fuit, ARCAM esse FŒDERIS, nemo, Sacrarum literarum vel mediocri cognitione imbutus, ignorare potest. Non quod ea vel ex præstantissimis Cedrorum lignis esset constructa, vel Auro intus & extus obducta, vel Artificio singulari, Bezaleelis ingeniosissimi manu, efformata; sed propter adjunctam certissimam Gratiosæ Dei Præsentiæ cum ea conjunctionem, non tantum Promissionibus ante ejus structuram, sed postmodum etiam reipsa sæpe miraculose prorsus declaratam. Unde factum, ut non tantum inter Israelitas, sed & inter Gentiles, & Arca, & Deus Israelis illi inhabitans, celebritatem & venerationem magnam mererentur.

Mandatum de Arca exstruenda habetur Exodi cap. 25. a v. 10. usque ad v. 23. *Vocatio Bezaleelis*, Ibid. cap. 31. & 35. *Fabricatio* ipsa, Ibid. cap. 37. a v. 1. ad 10. *Illatio* ejusdem *in Tabernaculum*, cap. 40. v. 20. 21. *In Templum* postmodum a Salomone exstructum, 1. Reg. cap. 8.

Ejus Tractationem Historico-Theologicam hac vice suscepturi, ut methodica illa sit, & omnia de ea dicenda ad suum quæque accurate locum referantur, *primo* quædam de ejus *Nominibus* præmittemus: *deinde Realem* ejus considerationem, secundum *Caussas*, *Effecta*, *Subjecta & Adjuncta*, quod Deo Gloriosum, & Ecclesiæ sit salutare, aggrediemur.

Ad *Nomenclaturam* Arcæ quod attinet, varia ea est in Sacris Literis. ארון est *Arca* vel *Capsa*, sc. ad aliquid continendum & asservandum: sicut & pheretrum, in quo ossa Josephi recondebantur, vocatur ארון, Genes. 50. v. 26. R. Bechaj in Legem, fol. 101. col. 3. scribit, ארון derivari ab אור *Lucere*, unde & אורה *Lux*, אור

על שם שהתורה שבתוכו נקראת אור *propterea quod* Thorah [*Lex*] *quæ in ea erat*, *vocatur* Or *Lux*.

Integre & plene vocatur ארון ברית יהוה *Arca fœderis Domini*; quia in ea Tabulæ fœderis seu Legis Divinæ asservabantur; & quandoque ארון הברית *Arca fœderis*.

ארון העדות *Arca Testimonii*, divinæ sc. erga homines voluntatis. *Testimonii*, h. e. Legis Divinæ, duabus tabulis contentæ, quæ frequenter in Sacris Literis *Testimonium* appellatur, ut vel ex Psal. 119. est videre. Et absolute עדות *Testimonium*, Exod. 16. 34. *Et posuit eam* [sc. Urnam Mannæ] לפני העדות *coram Testimonio*, h. e. coram Arca testimonii, per ellipsin prioris Nominis substantivi constructi.

ארון יי׳ *Arca* DOMINI, ארון האלהים *Arca Dei*, ארון אלהי ישראל *Arca Dei Israelis* quod symbolum esset præsentiæ & gratiæ Dei, & ejus quasi domicilium.

ארון עז יי׳. *Arca fortitudinis* DOMINI, 2. Chron. 6. v. 41. Psal. 78. 61. & 105. 4. & 132. 8. quod per eam Deus fortitudinem & potentiam suam exereret, in bello. Paraphrastes Chaldæus in loco posteriore per *Fortitudinem* intelligit *Legem*, reddens, את וארון די בידה אורייך *Tu & Arca*, *in qua est Lex tua*. Et inde per ellipsin prioris Nominis Substantivi, עז יי׳ *Robur*, *Fortitudo Domini*, 1. Parl. 16. 11.

ארון הקדש *Arca Sanctitatis*, 2. Paral. 35. 3.

כבוד יי׳ *Gloria Domini*, & absolute, הכבוד *Gloria*, quod per eam, & cum ea, Deus gloriam suam manifestaret: vel, quod in Arca habitarit Gloria, i. e. Deus gloriosus. Hinc 1. Sam. 4. 12. arca a Philistæis capta, uxor Pineæ, vocavit nomen pueri sui איכבוד, *dicens*, *Translata est* כבוד Gloria *ab Israele*, *quia capta erat Arca Dei*. Sic sumitur a quibusdam Psal. 63. 3. Sic intelligendum quod Apostolus ait ad Rom. 9. 4. *Quorum* (Israelitarum sc.) *est Adoptio*, καὶ ἡ δόξα & Gloria.

קדש *Sanctitas*, Numeror. 4. v. 20. *Ne ingrediantur ut videant*, כבלע את הקדש *quando operient sanctitatem*, *& moriantur*, h. e. Arcam, ut Hebræi omnes explicant, 1. Reg. 8. 8. *Et extraxerunt vectes apparebantque capita vectium* מן הקדש e sanctitate *coram oraculo*, h. e. ex arca. Sic enim pro eo habetur in loco parallelo 2. Paralip. 5. 9. מן הארון *ex Arca*.

קדש הקדשים *Sanctitas sanctitatum*, h. e. Res sanctissima, Numer. 4. 4. *Istud erit opus filiorum Kehat in tentorio conventus* Sancti sanctorum, h. e. *Arcæ*, ut Aben Esra explicat. Sic R. Salomon המקודש שבכולם הארון *Sanctissimi omnium*, *Arcæ videlicet*. Sic v. 10. *Sed hoc facite illis*, *tum vivent*, *& non morientur*: *quando accesserint* את קדש הקדשים ad sanctitatem sanctitatum, &c. h. e. Arcam, Et hinc locus ipse, pars templi interior versus occasum, alias דביר *Adytum*, *Oraculum* dictus, in quo Arca testimonii erat reposita, vocatur קדש הקדשים *Sanctum sanctorum*.

Rationes horum Nominum ulterius ex seqq. patebunt.

Digna vero consideratione hic occurrit, & illustris Quæstio;

An etiam DEI *Nomen*, *imprimis Tetragrammaton* יהוה, *Arcæ in Sacris Literis tribuatur*.

QUæstio est non de nihilo. Movent eam Orthodoxis Photiniani, Sociniani, & ejus farinæ homines, qui asserunt, Nomen hoc Tetragrammaton non ita esse Deo proprium, quin & Creaturis, & quidem tam Animatis, veluti Angelis, quam Inanimatis, ut Arcæ, tribuatur; ac proinde non firmum ab eo posse deduci Argumentum pro Deitate Christi.

Causam quærendi præbent quædam Scripturæ loca, quæ videntur huic sententiæ favere; veluti;

Exod. 16. v. 33. dicit Moses ad Aharonem, *Accipe urnulam & reple illam Omer manna*, ac *repone eam* לפני יהוה coram DOMINO; h. e. *coram Arca Domini*, ut Hebræi, & nostri explicant, & sensus flagitat: Præc. enim versu pro eo dicitur, לפני העדות *Coram Testimonio*. Sic sumunt quidam hanc phrasin Jos. 4. 13.

Numeror. 10. v. 35. 36. *Quum autem cæpit profici Arca*, *dicebat Moses*; קומה יהוה *Surge* DOMINE, *& dispergantur inimici tui*: *Quando vero requiescebat*, *dicebat*, שובה יהוה *Da quietem* DOMINE *decem millibus millium Israelis*. Cui simile est quod legitur Psal. 68. 2. יקום אלהים. *Surgat Deus*, *dispergantur inimici ejus &c.* Illum enim Psalmum nonnulli volunt a Davide scriptum, quum Arcam Domini in arcem Sionis deferret, unde & de illa hæc verba intelligunt.

1. Sam. 4. 7. Quum Philiſtæi audiviſſent Arcam fœderis Dei veniſſe in caſtra Iſraelitarum, timentes dixerunt; בא אלהים אל המחנה *Venit Deus in Caſtra*, &c. v. 8. *Væ nobis, quis nos liberabit e manu* האלהים האדירים האלה *Deorum fortium iſtorum* [vel, *Dei fortis iſtius* :] *hi ſunt* האלהים *Dii qui percuſſerunt Ægyptum*.

2. Sam. 6. 2. *Et ſurrexit & abiit* (Deus) *univerſuſque populus qui erat cum eo, Balaath-Jehuda, ut abducerent inde Arcam Dei* אשר נקרא שם שם יהוה צבאות ישב הכרובים עליו, *quæ vocatur Nomen, Nomen Domini Exercituum, ſedentis inter Cherubim ſuper eam*. Et ibid. v. 5. *David vero, & univerſus populus ludebant* לפני יהוה *coram* Domino, h. e. coram Arca, &c.

Pſalm. 47. 6. עלה אלהים בתרועה יהוה בקול שופר *Aſcendit* Deus *cum Jubilo*, Dominus *cum voce tubæ*, h. e. Arca teſtamenti ſeu fœderis aſcendit. Exiſtimatur enim hic Pſalmus ſcriptus, & publice decantatus, quum Arca ex Kirjathjearim, vel ex domo Obed-Edom, Hieroſolymam transferretur.

Pſal. 24. 7. 8. *Elevate, o portæ, capita veſtra, elevate vos portæ perpetuæ, & introeat Rex Gloriæ : Quis eſt iſte Rex gloriæ?* יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה Dominus *fortis, & potens*, Dominus *potens in prælio*. Huc enim quoque Pſalmum arbitrantur nonnulli ſcriptum eſſe, quando Arca in Sanctum Sanctorum erat inferenda, unde verba iſta per proſopopœjam ad Portas Templi volunt eſſe referenda, quæ admoneantur, ut ſuperliminaria attollant, & ampliores ſe præbeant, vel ut, quam alte & late patent, totas ſe pandant ingredienti Arcæ, æterni Dei domicilio.

Pſal, 132. 8. קומה יהוה למנוחתך אתה וארון עזך *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca Fœderis tui*.

Huc referunt quidam quod legitur Joſ. 3. 11. הנה ארון הברית אדון כל הארץ quod explicant in caſu recto; *Ecce Arca fœderis, Dominus totius terræ*; ſic v. 13. Mentionem hujus expoſitionis facit R. D. Kimchi, & Joſeph Albo in libro עקרים par. 2. cap. 28. Pro ea proferunt, quod voci הברית præfixus ſit Articulus, ac proinde non poſſit cum ſequentibus conſtrui : item quod notatur cum Sakeph Katon, accentu diſtinguente.

Contra eſt, quod Hebræi omnes communiter ſcribant, & ſtatuant, Nomen Dei Tetragrammaton eſſe שם המיוחד Nomen Soli Deo Proprium, & Creaturis Incommunicabile, unde quidam putant vocatum eſſe שם המפורש h. e. שם מובדל *Nomen ſeparatum*, nulli, niſi Deo conveniens, & attributum : Reliqua Dei Nomina omnia, ab operibus ejus deſumpta, comunicari aliquando cum Creaturis; hoc vero deſumptum a Dei eſſentia, ejuſque rationem divine plane exprimens, nulla ratione communicari. Videatur Majemonides in Doctore perplexorum par. 1. cap. 61. Hinc & noſtri Theologi communiter ex hoc Nomine Divinitatem Chriſti quoque probant, eo quod illud nulli, niſi cui & eſſentia Divina, competat.

Ad hanc difficultatem reſpondent quidam, concedendo, tribui hoc Nomen Arcæ (ut & aliis Creaturis aliquando;) verum improprie & figurate, per Metonymiam adjuncti, qua ſigno tribuitur Nomen rei ſignatæ, quod in ea Dominus q. reſideret, & ſic ipſa ſymbolum eſſet gratioſæ & efficacis Dei præſentiæ. Sic ſcribit Petrus Martyr ad 2. Sam. 6. v. 2. *Tanta fuit dignitas & Majeſtas Arcæ fœderis, ut appellaretur* Deus Tzebaoth. *Neque hoc aut rarum cuiquam, aut novum videri debet. Sacramenta enim gerunt nomina earum rerum, quas ſignificant*, &c.

Sic Hebræi quoque quidam ſcribunt, eſſe hoc Nomen quidem Incommunicabile, quandoque tamen על צד ההשאלה *metaphorice* Creaturis quibuſdam attribui : Sic ſcribit R. Joſeph Albo, loco ſupra allegato, *Nomina metaphorica tribuuntur rebus quas ſignificant, vel propter ſimilitudinem quandam cum illis, vel quod de illis doceant. Sic Arcæ tribuitur Nomen Dei*, Numer. 10. *& Joſ. 3. quod doceat de Deo, Legis authore & datore, quæ in Arca erat. Eſt enim Linguæ conſuetudo*, לקרוא הדבר בשם בעל הדבר או מי שנמשך הדבר ממנו או ליחס פעולות בעל הדבר אל הדבר שעל ידו יעשה או יגיע הפעל ההוא : *vocare Rem nomine Domini rei ſeu Authoris illius, a qua eſt, vel attribuere authoris Opera Rei illi per quam illa fiunt aut ad nos perveniunt*. Item; *Moris eſt Scripturæ, ut Gloriam & ſplendorem aliquem viſibilem & ſenſibilem Majeſtatis Divinæ, in Viſione apparentem, vocet nomine* Dei; *eo quod* הדבר המושג לחוש מורה על הדבר הנסתר הבלתי מושג : *res ſenſu apprehenſa doceat de re occulta quæ non apprehenditur. Hinc permiſerunt ſibi Prophetæ cognominare rem ſibi apparentem, nomine Rei occultæ & inviſibilis, ac ſi cum Deo ipſo loquerentur*, &c. *Hinc Veteres Rabbini quoque dixerunt*, גדול כחן של נביאים שמדמים הצורה ליוצרה : *Magna eſt Virtus Prophetarum, qui aſſimilant* (ſeu, *pari loco habent*) *formam cum formatore; eo quod Angelus ſit Mediator per quem Prophetia ipſis* obtin-

obtingit, *vel organum & instrumentum*, *per quod fit signum & prodigium*, docens *de voluntate & beneplacito Divino : Moris etiam est inter homines*, *ut de Mandato ex ore legati vel Ministri ejus prodeunte dicant*, *Regem ipsum illud præcepisse*, *neque aliter cum ipso loquantur*, *quam cum Rege ipso*. Hæc, & alia in hunc sensum plura, illic habet R. Joseph Albo. Sic ad id quod Genes. cap. 16. v. 5. & seqq. dicitur *Angelus* יהוה DOMINI *apparuisse Hagaræ*, *eamque*, *alloquutum esse ;* & postea de Hagare ; ותקרא את שם יהוה הדבר אליה *Et vocavit Nomen* DOMINI *loquentis secum*, את אל רואי *Tu es* DEUS *videns me ;* Abarbanel ita explicat & conciliat ; *Omnem Prophetiam*, *sive illa fiat mediate*, *sive immediate*, *semper attribui Deo Benedicto ipsi*, *eo quod illa sit ab Ipso & Ejus voluntate : hac de causa etiam quandoque Legatum vocari nomine Legantis ipsum*. *Et id ipsum in præsenti quoque loco fieri*. Et iterum ad Exodi 3. ubi versu secundo dicitur *Mosi apparuisse Angelus* DOMINI, qui postea versu quarto vocatur יהוה DOMINUS, ut & v. 7. *Quamvis*, inquit, *nomen* ELOHIM *dicatur sæpius de Angelis ; nomen tamen* TETRAGRAMMATON *nullo modo dicitur nisi de Causa prima*, *Deo Opt. Max. & si quandoque usurpetur de Angelo*, *id fit*, *quatenus ille loquitur nomine Mittentis ipsum*. *Nomen enim illud semper docet de Deo benedicto ipso*, *neque cum alio communicatur*, &c.

Sic existimat quidam posse responderi Socinianis, & conciliari hæc differentia. Excipiunt tamen contra Sociniani, & ajunt, pari modo nomen יהוה metonymice usurpari in illis locis, in quibus *Christo* tribuitur, ceu Dei ad Homines Legato, singularibus ab Eo mandatis, donis, & dotibus instructo, qui nomine Legantis appelletur : Sive proprie, sive improprie Creaturis tribuatur, semper manere aliquo modo cum Creaturis commune. Cætera quoque Nomina Divina, veluti אלהים in V. & Κύριος in N. T. improprie tribui Creaturis. Ut sic non firmius Argumentum pro Deitate Christi *ex Nomine* יהוה, quam ex aliis, desumi possit, & quæstio redeat, utrum Christo proprie, an improprie, tribuatur?

Deinde non tam Arca, quam Gloriosa illa Nubes eam operiens, signum fuit Divinæ præsentiæ. Antequam enim illa Tabernaculum & Arcam obtegeret, Sanctitatem illam nondum habuit, sed tum demum consequuta est. Sic cum illata esset in Templum, Nubes istas iterum replevit domum Domini, 1. Reg. 8. v. 10. unde illa ibidem vocatur *Gloria Domini*, v. 11.

Alii itaque, ad hos scopulos evitandos, simpliciter asserunt, hoc Nomen יהוה ita Deo esse proprium, ut nulli unquam Creaturæ tribuatur in Scriptura. Et horum sententiam arbitramur nos quoque non solum tutiorem, sed & certiorem esse ac solidiorem.

Ad eam confirmandam, ostendemus, in adductis locis Scripturæ, Nomen יהוה nequaquam ad Arcam, seu proprie seu improprie, sed ad Deum ipsum, esse referendum. Priusquam vero ad singulorum locorum explicationem accedamus, axiomata quædam, ad rei hujus intelligentiam scitu & consideratu necessaria, sunt præmittenda.

α. In Veteri Testamento solebat Deus varie suam præsentiam gratiosam, externis, & in sensus incurrentibus signis & apparitionibus, fidelibus manifestare & exhibere; idque non tantum particularibus quibusdam personis, veluti Patriarchis, Prophetis, vel aliis Viris sanctis ; sed & toti Ecclesiæ, postquam sibi populum peculiarem elegit, & in populum adoptavit. Unde & Apostolus scribit ad Hebr. cap. 1. v. 1. *Multis vicibus*, *multisque modis loquutus est Deus Patribus in Prophetis*.

β. Visiones & Apparitiones istæ fiebant non tantum in Somnio, aut Imaginatione, sed & in Visione vera, oblatis quibusdam speciebus externis, quas vel Visu apprehendere poterant, sicut olim factum est Abrahamo, Genes. 15. 18. & 22. Josuæ, in lib. Jos. cap. 5. v. 13. & aliis : vel Auditu, ut Samueli, 1. Sam. cap. 3. &c. in datione Legis toti populo Israelitico, Deut. 4. 12. sic Danieli, Dan. 8. 16. Ezechieli, cap. 2. 3. Esaiæ, cap. 6. 8.

γ. Apparitionum & Specierum talium, toti populo exhibitarum, exempla illustria sunt; *Nubes & Ignis*, in datione Legis in monte Sinai, Exod. 19. Item, cum secundo Moses montem Sinai conscenderet, & *Nubes* montem operuit, de qua dicitur, *quod Gloria Dei habitarit super montem Sinai*, *& operuerit eam sex diebus :* Item ; *Et aspectus Gloriæ Domini erat tanquam Ignis comburens in vertice montis*. Exod. cap. 24. v. 15. 16. 17. *Nubes illa*, *quæ operuit Tentorium Conventus*, Exod. cap. 40. v. 34. & seqq. quæ item Templum, post ejus dedicationem, implevit, 1. Reg. 8. 10. 11. 2. Paralip. 5. 13. 14. *Columna Nubis*, quæ Israelitas, per deser-

tum iter facientes, interdiu, & *Columna Ignis*, quæ noctu ipsos præcedebat & deducebat, Exod. 13. 21. 22. Ps. 78. 14. &c. *Ignis cœlestis*, qui consumebat Sacrificia, Levit. 9. 23. 24. & 10. 1. 2.

δ. Hujusmodi Præsentiæ Divinæ inter Israelitas habitantis domicilium q. & tabernaculum, evidentissimum, & continuum, fuit quoque Arca ista fœderis, seu *Arca Dei*, cui veluti inclusa & alligata erat, cujusque signum erat certissimum Nubes & Ignis eam, una cum toto tabernaculo, operiens, super eo manens, cum eis proficiscens & subsistens, Exod. 40. a v. 30. ad finem, & Numer. 9. 15. Hic enim Deus se præsentem futurum, ex hac superne, e medio Cherubinorum, qui in operculo ejus erant, se loquuturum Mosi, est pollicitus, Exod. 25. 22. Levit. 16. 2. Et sic quoque reipsa factum, Numeror. 7. 89. &c. Unde & Deus Nomen accepit ישב הכרובים *Sedentis vel Habitantis inter Cherubinos*, passim in Sacris Literis. Quamvis enim alibi quoque dicatur *Habitare* & *præsens* esse, veluti in *Monte Tzijonis*, Psal. 9. 12. & 132. 13. Joel. 4. 17. 21. Esa. 8. 19. &c. *Hierosolymæ*, Psal. 135. v. 21. Psal. 46. v. 6. *In Templo*, Psal. 11. v. 4. Habac. 2. 4. 1. Reg. 8. 13. 16. singulari tamen ratione hic præsens semper esse credebatur, & reipsa testificabatur, uti in progressu visuri sumus.

ε. Ab hac præsentia quasi visibili, & palpabili, Arcæ conjuncta, præclara illa præconia est merita, quæ supra audivimus; præsertim ut GLORIA DEI diceretur. Hæc etiam est illa שכינה *Habitatio* (sc. Dei inter Israelitas,) de qua passim Veteres Hebræi scribunt & gloriantur. Hoc idem intelligunt per רוח הקדש *Spiritum sanctum*, quem dicunt in Templo primo fuisse. Unde sub Templo secundo, una cum ipsa Arca, hæc duo quoque dicuntur ab ipsis defecisse. Templum Hierosolymitanum erat veluti ipsius Regia & Residentiæ locus, Sanctum Sanctorum cum Arca intimum & secretius ipiius ταμεῖον conclave & Solium gloriæ, in quo inter Cherubinos residebat, & quiescebat. Hinc scribitur in libro Tanchumah fol. 42. col. 4. לא תאמר שצמצם הק׳בה שכינתו בתוך המשכן אלא אף בתוך הארון שעשה בצלאל צמצם שכינתו שנ׳ הנה ארון הברית ארון כל הארץ זה הק׳בה שהיה בתוכו : h. e. *Neque est quod dicas, Deum præcise restrinxisse suam præsentiam-gloriosam intra Tabernaculum : quinimo præcipue eam restrinxit intra arcam, sicut dicitur:* Ecce Arca fœderis, Dominus totius terræ, h. e. *Deus Benedictus est in medio ejus.*

ζ. Ubicunque igitur Arca erat toto eo tempore, ibi Deus præsto & singulariter gratia & virtute sua præsens esse credebatur. Hinc adorantes, & alia sacra peragentes, versus Arcam se convertebant, Psal. 28. 2. quemadmodum & hodie precantes cœlum versus oculos & manus sæpe attollunt, quia Deus *in Cœlo sedere*, ibi *Thronum suum habere* &c. dicitur in Scriptura; non quod Cœlo sit inclusus, sed quia illic singulari ratione Præsentiam & Majestatem suam exerit. Locus ejus fuit כמו סולם לעלות התפילה לכסא הכבוד *instar Scalæ, per quam precatio ascendit ad Solium gloriæ* [Dei] ut Kimchi scribit Psal. 28. 2. Hinc Arca omnium rerum sanctarum erat sanctissima, omnesque cultus ad eam, ceu ad Centrum, vel ad Cor referebantur, & ab ea vitam & vigorem accipiebant. Unde Cosri par. 2. §. 28. scribit: *Fundamentum Sapientiæ repositum fuit in Arca*, אשר היא במדרגת הלב *quæ Rationem habet cordis*: & §. 26. וכל אלה העבודות לארון ולכרובים אשר הם כמדרגת הלב והריאה *Omnes vero isti cultus* (Tabernaculi) *referuntur ad Arcam & Cherubinos, qua habent rationem Cordis, & Pulmonis.*

η. Arcam itaque respicientes & considerantes, non tam hærebant in eo quod externis sensibus patebat, quam id quod sub ea latebat, Dei videlicet Opt. Max. Majestate & præsentia, nullo quidem loco inclusa vel circumscripta, illic tamen promissa, & se gloriose ac miraculose exerente. Ut sic Arca duo in se comprehenderit, Externum & Internum, Visibile & Invisibile, Rem corpoream & Spiritualem. Quemadmodum ergo homo duplices habet sensus, Externos & Internos, Oculum corporis & Mentis: ita quoque dupliciter res apprehendit, vel secundum speciem & formam externam, vel secundum formam ipsorum internam. Et quo quisque altiore est virtute, fide & Spiritu, eo magis neglecta quasi & superhabita Re externa oculis animi intuetur, & mente concipit Rem internam & spiritualem, sine qua illa nil nisi phantasma quasi est & Schema mortuum. Hinc scribit author libri Cosri par. 4. §. 3. Formæ & figuræ istæ sunt אמתיות בהערכתם אל מה שיבקשהו המחשבה והדמיון והחוש ואינם אמתיות בהרקתם אל העצם אשר יבקשהו השכל *veræ, relatæ ad id quod spectat cogitatio, imaginatio & sensus; non autem veræ sunt, relatæ ad substantiam* (rem significatam & internam) *quam spectat intellectus.*

θ. Qui

θ. Qui ita res intuetur, vel, ut iterum ibidem author libri Cosri loquitur, *cui hic Oculus creatus est, ille revera videt, omnesque reliquos homines intuetur veluti cæcos, eosque docet & dirigit.*

ι. Quemadmodum itaque istiusmodi symbola vident & intuentur, ita quoque de eis loquuntur, nunc secundum speciem illorum externam, quam oculis corporis vident; nunc secundum formam illorum internam, quam oculis animi & fidei concipiunt. Et hæc quoque causa est, cur, de Arca loquentes vel scribentes, non tantum ejus mentionem faciant tanquam Signi, Symboli, seu Organi & Medii Majestatis Divinæ, sed Nominibus Dei ipsis utantur; h. e. ut non tantum dicant; ארון יי *Arca Domini*, ארון האלהים *Arca Dei*; &c. sed & יהוה, אלהים, DOMINUS, DEUS, &c.

κ. Cum ergo id faciunt, quæritur, Utrum necessario dicendum sit, Nomina ista Divina tribui Arcæ ipsi, h.e. fabricæ seu machinæ illi, hominis manu factæ? Hic jam mihi tutius videtur esse, ut simpliciter dicatur; illos, cum ita loquebantur vel scribebant, referre Nomen DEI non ad id, quod sensu externo, sed quod sensu interno viderunt, & mente conceperunt, Deum videlicet ipsum, cujus Majestatem & præsentiam, inseparabiliter Arcæ conjunctam & unitam credebant. Ab hoc enim solo solatium & auxilium exspectare poterant. Hujus gratiosa præsentia Vita & Anima quasi erat ipsius Arcæ.

λ. Sic idem faciebant Sancti Dei viri, quando Deus ipsis, vel sub forma Angelorum, aut Virorum, vel alia, apparitiones exhibebat, ut vel ad illas species apparentes, vel de illis, loquentes, aut scribentes, *Dei* Nomine, & quidem etiam Proprio aliquando, uterentur; non quod illis formis, quas videbant, hoc Nomen attribuerent, sed quod mente & corde suo Deum ipsum in illis latenter præsentem sibi proponerent. Unde in hujusmodi locis & dictis, non ad verborum literam, sed ad mentem & intentionem dicentis, est respiciendum, & secundum eam verba illa sumenda & intelligenda. Quomodo hoc facere potuerint, ut sub specie finita, & loco circumscripta, credere & concipere potuerint, latere aut comprehendi Causam primam infinitam, nullo loco circumscriptam, de eo videri potest elegans discursus in libro Cosri, loco supra allegato, quo exscribendo hic supersedemus, quia est prolixior, & propediem, Deo favente, totum illum librum, Versione Latina donatum, in lucem edere cogitamus.

μ. Causæ cur Deus hac ratione voluerit, seu sub spiritualibus, seu etiam sub corporalibus rebus, suam Præsentiam in V. T. Ecclesiæ testificari, reddi possunt variæ, veluti 1. ut populi illius ruditati & infantiæ se accommodaret, & illos intra terminos quasi & limites contineret, atque ab omni idololatria arceret, qui, nisi visibile & sensibile aliquod signum sibi objectum haberent, vel non credebant, Deum sibi esse præsentem, vel facile ad Idololatriam prolabi poterant, quod vel ex eo liquet, quod, Mose nimis diu in monte Sinai morante, impetuose ab Aharone peterent; *Surge, fac nobis Deos, qui præcedant nos*; Exod. 32. 1. qua occasione & Vitulum Aureum ipsis conflavit. Itaque ne, ad imitationem gentium infidelium, tale quid sibi ipsis facerent, infirmitati fidei ipsorum hæc adminicula & sustentacula quasi indulsit, vel ex voluntate, vel ex præscripto & mandato ejus facta. 2. Voluit suam præsentiam hac ratione certis quibusdam Corporibus, ut Nubi, Igni, Arcæ, quasi includere & incorporare, ut his veluti Typis præfiguraret futuram, definito tempore, λόγου seu Verbi æterni sui incarnationem & inter nos habitationem, Joh. 1. 14. ejusque præludia exhiberet: Imo non negamus, Christum ipsum fidelibus V. T. hac ratione, & eodem fine, apparere voluisse, hunc eos sub his speciebus & formis esse intuitos, & ad illum Nomina illa Divina retulisse.

ν. Sic etiam loqui vel scribere aliquando maluerunt, 1. ut omnem Idololatriæ occasionem & speciem, quæ facile irrepere potuisset, evitarent & præverterent, 2. ut docerent, Externis symbolis non esse inhærendum, sed mente & fide altius ascendendum ad Eum, cujus sunt symbola, & sine quo illa nihil nisi vacuæ & inanes sunt species.

His sic præmissis, videamus nunc supra citata loca, & illorum explicationem.

Primus locus est *Numeror.* 10. 35. 36. ubi legimus, Mosen dixisse, quando proficisci cœpit Arca; קומה יהוה *Surge* DOMINE, *& dispergentur inimici* TUI, *& fugient odio habentes* TE *a facie* TUA: Item, Arca requiescente, שובה יהוה *Da quietem* DOMINE *myriadibus-millibus Israelis*. Hic vero notandum, quod ista verba dicta quidem fuerunt occasione Arcæ vel proficiscentis, vel requiescentis, neque eam excludebant; sed intentionaliter a Mose directa fuerunt non ad id quod Oculis corporis patebat, sed ad Eum qui in illa latebat, & gloriosam suam præsen-

tiam

tiam occultabat, neque nisi Oculo Interno mentis & animi apprehendebatur. Patet id 1. ex iis, quæ ibi adduntur; *Dispergantur inimici* Tui, *fugiant odio habentes* Te, quæ nonnisi ad solum Deum referri debent. A crassa & corporali seu contemplatione, seu fiducia Arcæ externæ, voluit Deus illos abducere ad contemplationem rei Internæ, Arcæ conjunctæ, & fiduciam ac spem in illo solo collocandam. Quid opus dicere hic esse Metonymiam, qua signo tribuatur Nomen rei signatæ, cum, vi Unitionis præsentiæ Divinæ gloriosæ cum Arca, æque ad Deum ipsum hoc, per ἀνθρωποπαθικὴν loquutionem, referri possit? Quia Arcam pro loco Habitationis suæ singulari, & secretiori quasi suo conclavi, elegit Deus, idcirco ea vel se movente, vel requiescente, recte dicebatur Deus ipse seu moveri, seu quiescere; non quod Deus moveri vel requiescere possit; sed quatenus illud, in quo suam præsentiam gloriose manifestavit, & ad quod quærentes & colentes sese respicere voluit, movebatur vel quiescebat. Hac ratione omnis, ab Arcæ præsentia venientis virtutis, gloria Deo soli, cui etiam debetur, adscribitur. Si externa Arcæ fabrica & machina intelligatur, aut simul sumatur, non satis tuto evitari poterit superstitiosæ persuasionis, de insita quadam Arcæ sanctitate, vi & virtute, periculum.

2. Quia Sensus verborum hic est; *Quando proficisci cœpit Arca, tum Moses dicebat*, hoc est, *ita orabat & invocabat Deum*; Surge, &c. Hinc scribit R. Levi ben Gerson; *Commemoratur hic, quod consuetudo Mosis fuerit, ut eo tempore, quo Arca proficiscebatur*, היה מתפלל *oraret, ut Deus exurgat, & hinc inde dispergantur inimici Israelis*, &c. Sic cum Arca quiesceret, orabat; שובה יהוה, *Da quietem*, vel, ut R. Levi ben Gerson explicat; *Reduc decem millia millium Israelis*, (in terram sc. quam promisisti Patribus ipsorum; quia jam antea illam inhabitarunt;) vel sic; *Redige in myriades, millia Israelis*, (decies sc. auctos.) Sic scribit Abarbenel; *Dicit*, Surge DOMINE, *sicut illic*; עתה אקום Nunc surgam, dicit Dominus, nunc exaltabo meipsum, nunc elevabo me, Esa. 33. 10. *Vindicta enim de inimicis vocatur* קימה Surrectio, *sicut dicitur Jobi* 31. 14. ומה אעשה כי יקום אל Et quid faciam, cum surget Deus? *Et cum quiescebat Arca, dicebat Moses* שובה יי' רבבות אלפי ישראל h. e. Det Deus quietem & requiem myriadibus, & millibus Israelis, *sc. ab inimicis & hostibus ipsorum*. Onkelos Paraphrastes Chaldæus; אתגלי יי' *Revela te* DOMINE, &c. תוב יי' שרי ביקרך *Revertere Domine, habita cum gloria tua in medio myriadum, millium Israelis*. Targum Hierosolymitanum; *Et fuit cum Arca proficisceretur*, הוה משה קאים ידוי בצלו ואמר קום מימרא דיי כתקוף חילך *erigebat Moses in Oratione manus suas ac dicebat; Surge, o Verbum Domini, cum fortitudine roboris tui, &c. Et cum Arca quiescebat*, הוה משה זקיף ידוי בצלו *erigebat Moses in precatione manus, & dicebat; Revertere nunc, Verbum Domini, a fortitudine iræ tuæ, & revertere ad nos in misericordia tua bona, benedic myriadibus, multiplica millia filiorum Israelis*. Sic Jonathan Uzielides; *Fuit Moses stans in precatione, orans, & petens Misericordiam a Deo, dicendo: Revertere nunc, o verbum Domini, misericordia tua bona, duc populum tuum Israelis, & habitare fac gloriam Majestatis tuæ inter ipsos, ac miserere myriadum domus Jacobi, millium Israelis*. Jam si hæc verba continent Orationem, tam non possunt illa ad Arcam referri, quam Angelus ille noluit a Johanne adorari, Apocal. 19. 10.

Eadem est ratio loci *Psal.* 68. 2. siquidem occasione deductæ in Syonis arcem Arcæ sit conscriptus, de quo tamen Interpretes non omnino consentiunt.

Psal. 47. qui publice decantatus censetur in solenni illa pompa, quum Arca fœderis ex Cirjathjearim, vel ex domo Obed-Edom, Hierosolyma transferretur, ibi v. 6. legitur, עלה אלהים בתרועה יהוה בקול שופר *Ascendit Deus cum clangore*, DOMINUS *cum voce tubæ*. Hæc verba quoque de Arca, ejusque cum jubilo & voce turbarum translatione, dicta volunt, ac proinde ei nomen אלהים & יהוה tribui.

Resp. 1. Non certum prorsus est, utrum hæc verba de Arca & ejus translatione sint a Davide dicta, & intelligenda. Totus Psalmus versatur in eo, ut ejus author invitet & adhortetur omnes gentes ad Deum celebrandum, argumentis deductis, partim a Dei natura & potentia, partim a beneficiis specialibus, exhibitis populo Israelitico, eos in populum suum adoptando, & inimicos ipsorum exscindendo, ipsisque subjiciendo; adeo ut omnia quæ de Deo dicuntur tam in antecedentibus versum hunc, quam in sequentibus, immediate ad Ipsum referantur. Unde tam Hebræorum, quam Christianorum, Interpretes de Argumento ejus non prorsus inter se conveniunt.

Hebræorum *quidam* explicant eum de temporibus Messiæ, quasi scilicet hic descri-

ſcriberetur, qualis eo tempore ſit futurus ipſorum ſtatus, poſteaquam Meſſias omnes ipſorum & ſuos hoſtes devicerit, regnum ſuum inter ipſos erexerit, eoſque in priſtinam gloriam reſtituerit; quod videlicet ſint omnes quoque ceteras gentes invitaturi & exhortaturi ad Deum Iſraelis ampleƈtendum, laudandum & celebrandum. Hi exponunt עלה non *Aſcendit*, ſed *Exaltetur Deus cum clangore*, DOMINUS *cum voce tubæ*; vel, *Exaltatus eſt*, nunc ſc. Deus *cum clangore*, &c. ſicut dicitur Pſal. 46. 11. ארום בגוים ארום בארץ *Exaltabor in gentibus*, *exaltabor in terra*. Et hac ſignificatione alibi quoque hoc verbum עלה uſurpatum legitur, veluti in hoc eodem Pſalmo v. ult. מאד נעלה *Valde exaltatus eſt*, Pſal. 97. v. 9. מאד נעלית על כל אלהים *Valde exaltatus es ſupra omnes Deos*. Sic in Kal, Prov. 31. v. 29. *Multæ filiæ paraverunt divitias*, ואת עלית על כלנה *tu autem aſcendiſti*, h. e. *exaltata es ſupra omnes*, *ſuperas omnes*. Sic apud Rabbinos frequens eſt in Pihel עלה *Laudare*: hinc & frequenter Dei nomini ſubjungunt, יתעלה *Qui exaltetur*, *Exaltatus eſt*, vel יתעלה שמו.

Alii explicant de eo, quando Moſe ad Deum in montem Sinai, ad accipiendam Legem, aſcendente, inter alia Majeſtatis divinæ ſigna, quoque Clangor tubarum & buccinarum auditus fuit, quo Deus *exaltatus*, h. e. ceu magnus, omnipotens, & terribilis Deus, declaratus fuit, Exod. 19. v. 13. & 19.

Alii de eadem quidem illa hiſtoria, ſed alio ſenſu accipiunt: dicunt nimirum, aut fingunt, eo tempore, quo ſonus ille Buccinæ audiebatur, ablatam fuiſſe tum Majeſtatem Divinam a Monte Sinai, & in אהל מועד Tentorium conventus migraſſe: & de hac Ablatione dici hic verbum עלה, hoc ſenſu; *Aſcendit*, h. e. *Receſſit Deus* (ſc. ſua præſentia *ex monte Sinai in tentorium conventus cum clangore & ſono buccinæ*.) Probationem hujus rei inde petunt, quod protraƈto ſono buccinarum populo permiſſum fuerit montem conſcendere: quia ſcil. tum ablata erat Majeſtas Divina, qua præſente non licuerit ipſis. Videri poſſunt de his liber Jalkut in hunc Pſal. Medraſch Mechilta, ad Exod. cap. 19. Abarbanel in Leg. ſeƈt. יתרו. Pirke R. Elieſaris cap. 47.

Chriſtiani quoque Interpretes nonnihil hic diſcrepant. De Chriſti aſcenſione plerique hinc vaticinium petunt, ſed cum hac differentia; *Alii*, ut Patres plerique, primo & tantum de Chriſto & ejus aſcenſione loqui Pſaltem volunt: *Alii* typice, ſub Arcæ translatione in templum, quæ illam præfigurarit.

Alii tamen etiam aliter. Calvinus: *Porro memoria repetendum eſt, ad Arcam tranſcribi* JEHOVÆ *nomen: quia tametſi illic non incluſa erat Dei eſſentia vel majeſtas, nec virtus etiam alligata, non tamen inane erat præſentiæ Dei Symbolum. Nam ſicuti promiſerat Deus, ſe habitaturum in medio populi, quamdiu eum ex Legis præſcripto Judæi colerent: ita reipſa monſtrabat, vere ſe illis adeſſe, nec fruſtra invocari inter ipſos. Verius tamen hoc in Gloriæ manifeſtationem competit, quæ tandem refulſit in Chriſti perſona*, &c. Wolfgangus Muſculus, his ſententiis recenſitis, ſcribit; *Nobis vero magis iſte Dei Aſcenſus ſit Aſcenſus & augmentum gloriæ Dei, Exaltatio & glorificatio Nominis Dei, quæ facta eſt per Chriſtum a Patre clarificatum, quæ Nominis & gloriæ Dei Exaltatio, per Evangelii prædicationem in toto Orbe obtinuit. Hanc intuetur Spiritus Dei*. Hic ergo eatenus cum Hebræis conſentit, quod per τὸ עלה *Aſcendit* intelligat Exaltationem & glorificationem Nominis Dei.

Genebrardus: *Alludit ad terribilem tubæ ſonitum, in deſcenſu Dei in montem Sinai auditum, quando ſancienda erat Lex, vel ad tubas, quibus utebantur in triumphis, & congregationibus populorum*.

Ita diverſa nonnihil ſunt Interpretum de hoc loco judicia.

2. Quamvis hoc demus, Pſalmum hunc, de Arcæ in alium locum, ſeu in Templum, deportatione eſſe diƈtum, eamque his verbis indigitari, nondum tamen neceſſe eſt, ut dicamus, Nomen Dei ad Arcam hic referri. Poteſt enim hac ratione quoque explicari: *Aſcendit*, h. e. exaltatur *Deus cum clangore*, DOMINUS *cum ſono tubæ*: quia in deduƈtione illa Arcæ, non Arca, ſed Deus cum Pſalmis & Hymnis, tum Jubilo & ſono buccinarum, celebrabatur, ut videre eſt 2. Sam. 6. 15. & 2. Paral. 5. v. 13. ubi expreſſe dicitur; *Erantque tanquam unus clangentes & cantantes ore, ut ederent vocem unam, laudando & celebrando Jehovam*, &c. Utriuſque meminit Pſaltes hoc loco, verſu 2. Prioris; *Omnes populi plaudite manu, jubilate Deo in voce exultationis*: hic poſterioris. Ad arcam, & occaſione Arcæ, hæc fiebant, quia ea fuit locus habitationis Dei, 1. Reg. 8. Pſal. 132. v. 13. 14. ut ſupra diƈtum, non vero Arcæ ipſi. Ad laudandum Deum, in illa ſingulari ratione præſentem, invitantur hic gentes omnes, non Arcam, ut omnia tum antecedd. tum ſeqq. teſtantur. Arca hac notione nunquam debet ſeparatim vel ſumi, vel conſiderari,

rari, ſine Dei majeſtate, illi certo modo quaſi unita, ſicut Pſ. 132. v. 8. dicitur, *Surge in requiem tuam, Tu & Arca fortitudinis tuæ*. Arcam Deus fieri curavit, non ut illa divinis honoribus afficeretur, ſed ut Ipſe, juxta ſuam voluntatem, ad eam coleretur & invocaretur: *Incurvate vos* להדום *ad ſcabellum pedum ejus*, להר *ad montem ſanctitatis ejus*, inquit David Pſalm. *99*. v. 5.*9*. in quibus præpoſitio ל ſumitur pro אל, ſicut alibi dicit; אשתחוה אל היכל קדשך *Incurvabo me ad templum ſanctitatis tuæ*, (ad locum ſcil. ubi erat Arca) Pſal. 5. v. 8. & 138. v. 2. Hinc qui coram Arca ſtabat, dicebatur eſſe לפני ׳׳ *Coram* DOMINO, non quod Arca ſic vocaretur, ſed quia DOMINUS illic ſe præſentem eſſe teſtabatur. Quis dicere aut cogitare poſſit, hæc dicentes vel ſcribentes, Arcam in mente habuiſſe, vel intendiſſe hac appellatione, ac non potius Deum ipſum? Ex mente autem dicentis verba ſunt accipienda.

Imo ſi maxime in communi ſignificatione verbum *Aſcendendi* ſumatur, nec dum ſequitur hæc Nomina ad Arcam neceſſario referenda eſſe. Quia enim Præſentia illa Dei gratioſa, quam ad Arcam reſtrinxit, & ei certo ordine & modo unitam eſſe voluit, ſimul locum mutavit; ea ratione æque Deus ipſe, h. e. glorioſa illa ejus præſentia, quæ Arcæ unita fuit, aſcendiſſe dici poteſt. Unio hæc certiſſima cauſatur promiſcuam iſtam appellationem, ut nunc Arca Dei, ceu externum ejus ſymbolum, vel potius tabernaculum, Apoc. 21. v. 3. nunc Deus ipſe, in Arca quaſi deliteſcens & occultatus, compelletur.

Eadem eſt reſponſio ad locum *Exod. 16. v. 33. & Pſal.* 132. *v.* 8. *Surge* DOMINE *in requiem tuam, Tu & Arca fortitudinis Tuæ*. Compellatio hæc non directa eſt ad Arcam, ſed ad Deum, q. d. *Tu* DOMINE *teſtaris nobis præſentiam auxilii tui, dum Arca inter nos apparet: Tu igitur ad nos per Arcam ingredere, & nobis adeſto*. Hinc diſtincte dicit, *Tu & Arca fortitudinis tuæ*, q. d. *Tu* glorioſa tua præſentia, quam in dedicatione Templi, & Arcæ in Sanctum Sanctorum illatione, exhibuiſti, *& Arca fortitudinis tuæ* ſymbolum & teſtimonium. Hic locus eleganter videtur nos docere, qua ratione Deus & Arca vel inter ſe cohæreant, vel diſtinguenda ſint. Ubi Arca erat, ibi Deus erat: Itaque ſurgente & proficiſcente Arca, Deus dicebatur ſimul Surgere & Proficiſci.

Neque alia eſt ratio loci *Pſalm*. 24. Quis ſanus dixerit, elogia illa; *Rex gloriæ*, DOMINUS *fortis & potens*, DOMINUS *potens in prælio*, DOMINUS *exercituum*, Arcæ hoc in loco tributa eſſe? Non Arcæ illa ſunt, ſed Dei, vel Chriſti, qui Arcæ inter duos Cherubim peculiari cum gloria & majeſtate inſidebat, oracula inde reddebat, & ſuam potentiam oſtendebat. Hæ, ſive precationes, ſive laudationes, cultus tales ſunt, qui nulli creaturæ, ſed ſoli Deo competunt.

Quod attinet ad locum 1. *Sam*. 4. *v*. 7. ubi rumore ad Philiſtæos delato, de Arcæ fœderis in caſtra Iſraelitarum adventu, dixiſſe leguntur: *Venit* אלהים *Deus in caſtra*, & porro; *Quis nos liberabit e manu* האלהים האדירים האלה Deorum fortium iſtorum? *hi ſunt* אלהים *Dii qui percuſſerunt Aegyptum*; Reſpondemus, Philiſtæos ibi loqui ex craſſo ſuo ſenſu. Illi enim, & aliæ ſimiles Idololatricæ gentes, rebus hujuſmodi externis Divinitatem quandam inſitam eſſe credebant, unde & ſibi imaginabantur, eam Arcæ fœderis quoque eſſe rationem, cujus nomen celebre etiam inter gentes erat. Deum verum non agnoſcebant, ac proinde nec intelligere hoc loco poterant. Hinc de Deo, ceu plurium Deorum cultores, nunc in ſingulari numero, nunc in plurali loquuntur.

Joſuæ cap. 3. 11. הנה ארון הברית ארון כל הארץ equidem nonnulli ſic exponunt, *Ecce Arca fœderis, Dominus totius terræ, præit vobis in Jordanem;* quaſi hæc ultima verba epitheti loco Arcæ per Appoſitionem adjicerentur: Sed eſt παρερμηνεία. Hanc interpretationem amplexus eſt Andreas Maſius, addens in Comment. *Appoſitiſſime ad rem, nominat Imperator Arcam Dominum univerſæ terræ, ut penitus omnem ex animis populi non dicam diffidentiam, ſed hæſitationem eliminet. Quis enim dubitat eum, qui omnium rerum Dominus eſt, omniaq; habet in manu, atq; gubernat & moderatur, poſſe ipſam, quam condidit, aquæ naturam, quamq; impoſuit ei legem, ad breve tempus, vel mutare, vel certe ſuſpendere?*

Reſpondemus 1. nullam neceſſitatem eſſe, cur ita exponantur iſta verba: poſſunt enim commodiſſime, ut ipſe Maſius agnoſcit, aliter accipi; ſic videlicet; *Ecce Arca fœderis*, [Arca inquam] *Domini totius terræ, præit vobis in Jordanem*, per ellipſin nominis ארון repetendi poſt הברית; vel per ellipſin nominis ברית ſic; *Ecce Arca fœderis*, fœderis, inquam, *Domini totius terræ*. Sic Kimchius, & R. Salomon. In hunc ſenſum exponunt & Chaldæus Paraphraſtes, Græci LXX. Aquila, Symmachus, Syrus, Arabs, D. Hieronymus, & alii plerique. Hinc verſu 13. dicitur,

tur, נשאי ארון יהוה ארון כל הארץ *Portantes Arcam Domini, Domini* [inquam] *totius terræ*; ex quo ſatis manifeſte patet, ארון non in caſu recto, ſed obliquo eſſe transferendum.

Neque accentus Sakephkaton voci הברית appoſitus, huic expoſitioni obſtat, 1. quia notum eſt hos accentus non ſemper diſtinguere, 2. quia commodiſſime hic inciſum cum exigua reſpiratione facit, ut lectorem moneat, de voce alterutra ex præcedentibus, ad ſententiæ integritatem repetenda.

Nihil etiam obſtat Articulus ה eidem voci præfixus, 1. quia Articulus Nominibus conſtructis aliquando etiam præfigitur, ut docetur, & exemplis illuſtratur in Theſauro Gramm. p. 2. cap. 5. 2. dici poteſt, in ſequenti commate ſubeſſe ellipſin prioris Nominis ſubſtantivi conſtructi, cujus plura exempla paſſim occurrunt, vide Theſaur. Gramm. lib. 2. cap. 4. Hinc ſcribit R. Salomon Jarchi: ואל תתמה על הא של הברית שהרבה מקראות מדברים כך כמו המסגרות המכונות העמק הפגרים: *Neque mireris de Articulo He vocis* הברית, *quia in multis aliis Scripturæ locis ſic loquuntur: ut*, המסגרות המכונות Clauſuras baſium, 2. Reg. 17. 16. *Item* העמק הפגרים Vallem cadaverum, Jerem. 31. 40.

2. Si maxime in caſu recto ſumatur, tamen aliter poteſt explicari & intelligi, ſic videlicet; *Ecce Arca fœderis, Dominus totius terræ, præit vobis in Jordanem*, q. d. *Arca fœderis & Dominus totius terræ*, (ut Pſal. 132. 8.) qui præſentiam ſuam glorioſam in & cum ea vobis promiſit, hancque pro loco habitationis ſuæ elegit. Et ſic iterum hoc Epitheton non ad Arcam, ſed ad Deum referetur.

2. *Sam.* 6. 2. & loco parallelo, 1. *Chron.* 13. 6. volunt Arcam vocari שם *Nomen*, & שם יי׳ צבאות *Nomen Domini exercituum*. De his locis prolixe ſatis egimus in Anticritica noſtra, par. 2. cap. 13. pag. 872. & ſeqq. item pag. 996. & ſeqq. & oſtendimus, quomodo illa aliter explicari poſſint, quo brevitatis cauſa Lectorem remittimus.

Ex his exiſtimamus patere, Nomen Dei, maxime Tetragrammaton, non dici poſſe attribui Arcæ ipſi manufactæ, ſed ubique commode referri poſſe & debere ad Deum ipſum. Et hæc ipſa quoque applicari poſſunt ad alia loca, in quibus videtur nomen Dei Tetragrammaton attribui Angelis, veluti Geneſ. cap. 16. v. 9. 10. & cap. 18. v. 14. 17. 20. &c. Exod. 3. v. 2. 4. 7. Judic. 13. v. 3. 9. 10. Zach. 1. 3. &c. Deum ubique eſſe præſentem quoad eſſentiam ſuam eſt in confeſſo: peculiariter tamen præſentiam ſuam gratioſam teſtatur, quando per Angelos apparet, vel loquitur, ſub quacunque demum forma vel ſpecie illud fiat. Quando hoc facit, Angeli non ſunt nudi ejus Legati, ſicut Reges & Principes hujus mundi ſuos habent Legatos, per quos res ſuas agunt, vel voluntatem ſuam exponunt: ſed Deus ipſe in formis iſtis revera ſingulari ratione præſens adeſt, & loquitur, quod de illis dici nequit. Hinc non tam ipſi loquuntur, quam Deus in ipſis, ſicut olim cum Legem ſuam promulgavit. Corpora illa Angelica quidem ſunt vera, (non imaginaria) quamvis non phyſica: voces quas edunt, etiam tales, non tamen organis corporeis efformatæ; ſed a Deo לפי שעה pro certo tempore, & certo fine, creata, quo ceſſante, & illa iterum diſparent & evaneſcunt. Hinc Scriptura de hujuſmodi formis Angelicis ita loquitur, ut nunc eas deſcribat ab eo quod in ſenſus incurrit, nunc ab eo quod ſub illis latebat, vere tamen aderat. Hinc Geneſ. 18. 1. dicitur JEHOVAH *apparuiſſe Abrahamo*, & mox v. 2. dicuntur *Tres viri ipſi adſtitiſſe*; Senſus ergo eſt, *Deum ipſi apparuiſſe*, h. e. teſtatum eſſe ſingularem quandam ſuam præſentiam, *ſub ſpecie trium virorum*. Unde v. 3. loquitur in ſingulari numero, tanquam cum Deo præſente, dicens; *Domine, ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis, ne quæſo tranſeas a ſervo tuo*; v. 4. in plurali numero, *Capiatur obſecro parum aquæ, & lavate pedes veſtros, & innitimini ſub arbore*; reſpiciens ad ſpeciem trium virorum ipſi apparentium. Sed digreſſio nimis prolixa foret, loca iſta & alia, quæ huc trahuntur, ſigillatim & accurate enucleare. Fiet id commodius alio in loco, Deo faciente, & vitam concedente, ubi ſub incudem revocabimus noſtram de Nominibus Dei diſſertationem. Sufficiat hic ad noſtrum propoſitum oſtendiſſe, Nomen Dei Tetragrammaton ſolum Arcæ non attribui. Et lux ulterior illis accedet ex iis, quæ infra dicentur de Arcæ Forma interna & ſpirituali, cap. 10. &c.

His de Nominibus ARCÆ præmiſſis, nunc ad REI ipſius Tractationem accededemus, & Ejus conſiderabimus, *Cauſam efficientem*, *Materiam*, *Formam*, *Finem*, *Effecta*, *Subjecta & Adjuncta*.

CAPUT II.

De Causa Arcæ Efficiente. Quid sit Vocare NOMINE? *Quis fuerit* URI *&* CHUR, *quorum Filius & nepos Bezaleel fuisse dicitur? A quibus donis & artibus Bezaleel commendetur?*

CAUSSA Efficiens Arcæ *Principalis* est Deus ipse, qui eam facere *jussit*, ejusque *Formam* accurate præscripsit, & Mosi in monte in similitudine & Visione ostendit. *Mandatum* hoc Dei de fabricanda Arca exstat Exod. 25. versu 10. & seqq. *Faciens etiam Arcam e lignis Sittim, duorum cubitorum & semis erit longitudo ejus*, &c. usque ad versum 23. De similitudine ejus Mosi in monte ostensa legitur ibid. v. 8. 9. *Et facient mihi sanctuarium, ut habitem in medio eorum: Omnino ut ego ostendam tibi similitudinem habitaculi, & similitudinem omnium vasorum ejus, sic facietis*. Et v. 40. *Vide autem ut facias juxta similitudinem, quæ tibi est ostensa in monte*.

Causæ *minus principales* fuerunt.

1. *Moses*, ceu proxeneta & mediator, per quem hoc mandatum Deus ad Israelitas detulit, Ibid. v. 2. *Et loquutus est* DOMINUS *ad Mosen, dicendo, Loquere ad filios Israel*, &c.

2. *Bezaleel*, & *Oboliab*, *filius Achisamath*, Arcæ fabri & Architecti; ita tamen, ut ille, Bezaleel sc. fuerit primarius, hic ejus Adjunctus σύνεργος & collega. Exod. 37. v. 1. 2. 7. Hinc illi soli alibi ejus fabricatio adscribitur, vers. 1. *Fecit præterea Bezaleel Arcam e lignis Sittim*; ad quæ verba Abarbenel scribit; *Arcam, propter dignitatem & præcellentiam quam habebat præ cæteris vasis, fecit Bezaleel manibus suis solus, neque accessit alterius alicujus manus, & opera*. Sic Ramban. Unde & passim apud Hebræos vocatur ארון בצלאל Arca Bezaleelis.

Ad *Bezaleelem* quod attinet, describitur a Mose ejus tum *Vocatio*, tum *Persona*.

Vocatio; Exod. 31. v. 1. 2. *Et loquutus est* DOMINUS *ad Mosen, dicendo*; ראה קראתי בשם בצלאל *Vide, vocavi nomine Bezaleelem*, &c. *& replevi eum Spiritu Dei, sapientia*, &c. vel in tempore præsenti; *Ecce ego voco nomine Bezaleelem filium Uri, filii Chur*. Et cap. 35. v. 30. dixit Moses ad filios Israelis, *Videte, vocavit Dominus nomine Bezaleelem*, &c. *& replevit eum &c.*

Persona; 1. a Parentibus: בן-אורי בן-חור *Filium Uri, filii Chur*; nepotem sc. *Chur*, qui ejus fuit avus. 2. a tribu, למטה יהודה *de tribu Jehuda*. 3. a Donis; ואמלא אותו רוח אלהים בחכמה ובתבונה ובדעת ובכל מלאכה *Et replevi eum Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni arte: ad excogitandum, quicquid fabricari potest ex auro, & argento, & ære: Et in arte gemmaria, ad replendum* (h. e. gemmas artificiose inserendas) *& in arte lignaria, ut operetur in omni opere*: quæ eadem Moses repetit Exod. 35.

Oboliabi itidem, sed parcius & diversis nonnihil verbis, describitur 1. *Vocatio*; Exod. 31. 6. *Ego quoque dedi cum eo*, sc. Bezaleele, *Oboliab*, h. e. eum destinavi, ut ipsius sit collega, & eum in opere Tabernaculi, & utensilium ejus, juvet. 2. *Persona*, 1. a Patre; *filium Achisamah*, 2. a tribu, למטה דן *de tribu Dan*.

Ad horum ulteriorem illustrationem & intelligentiam, quæstiones sequentes proponemus;

1. *Quid significet hic*, Vocare Nomine?

Resp. Deum ab æterno non solum novisse, & prævidisse, sed & elegisse ac destinasse ad hoc opus, adeoque, ut vulgo loqui solemus, nominasse Bezaleelem filium Uri, filium Chur. *Deus enim est, qui vocat generationes a principio*, h. e. ab æterno, Esaj. 41. v. 4. Sic inquit ad Jeremiam, cap. 1. v. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te*. Sic Cyrum longe ante vocavit nomine suo, Esa. 45. v. 5. *Vocavi te nomine tuo, cognominavi te cum nondum esses*. Simili phrasi dicit Deus ad Mosen, *Invenisti gratiam coram me, & teipsum novi nomine*, Exod. 33. 17. vide & v. 12.

Hoc idem voluerunt sibi Darschanim, seu Allegorici Hebræorum commentatores, quando ad hæc verba scribunt, *Deum, cum dixit ad Mosen*, ראה Vide, nomine vocavi Bezaleelem, *inspiciendum exhibuisse ipsi librum Adami primi, & ei dixisse*; ראה כל אחד הת קנתיו מאותה שעה ואף בצלאל מאותה שעה התקנתי אותו: *Unumquemque præordinari ab illa hora* (a principio mundi;) *quin & Bezaleelem ab illa hora*

hora præordinavi, *sicut dicitur*, Vocavi nomine Bezaleelem. Sic accipit & explicat hoc Medrasch R. Moses ben Nachman in suis Commentariis.

R. Abraham Seba in צרור המור putat, dum Deus dicit, *Vocavi nomine* (in Præterito,) illum respicere ad locum Exod. 28. v. 3. *Tu autem loquere ad omnes Sapientes corde*, אשר מלאתיו *quem implevi Spiritu Sapientiæ*; ac si sensus esset; *Et ad eum*, *quem implevi Sapientia*, nempe Bezaleelem. Alii v. malunt simplicius exponere; *Quem*, h. e. *quorum unumquemque*: alii per ellipsin nominis לב *Cor*; *Quorum cor implevi sapientia*. Videtur etiam hac phrasi præeminentia tribui Bezaleeli præ reliquis artificibus.

Sed & voluit Deus his verbis prævertere curam & sollicitudinem Mosis, ubinam, post duram & diuturnam populi Israelitici in Ægypto servitutem, sit reperturus, qui peritia & arte sufficienti essent instructi, ad opera illa omnia, quæ Deus facere sibi jusserat, perficienda; aut si qui essent, quos præ ceteris eligere debeat. Ut hos scrupulos ipsi eximeret, dicit Deus; *Non est quod de his sis sollicitus*, *ego jam mihi de artificibus prospexi*, *imo jam nominavi eum*, *qui hujus operis debeat esse architectus*. Itaque poteris tu hac cura supersedere.

Ceterum circa Nominis ejus Etymologiam ludunt Hebræi, illum sic dictum בצלאל ab eventu, quod facturus esset Arcam, quæ sit צל *Umbra* & protectorium Legis *Dei*, quæ in eam reponenda erat. Vide Tanchumah fol. 42. col. 4.

Lepidum est quod de hac ex Talm. Berachoth scribitur in libro Jalkut fol. 107. col. 2. *Rabbi Isaac dixit*, אין מעמידין פרנס על הצבור אלא אם כן נמלכין בצבור *Non constituunt gubernatorem vel præfectum aliquem cœtus vel Ecclesiæ*, *nisi prius cum ea consultent*, *sicut dicitur*; Vide, vocavi nomine Bezaleelem. *Ad hoc enim respondit Moses Deo*, רבונו של עולם אם לפניך הגון לפני לא כל שכן *Domine mundi*, *si tibi idoneus videatur*, *multo magis mihi*. *Dixit ipsi Deus*; *Abi tamen*, *& indica hoc Israelitis*; *Abiit Moses*, *& dixit illis*; *An Bezaleelem sufficientem vel idoneum judicatis*? *Responderunt ei*, *Moses Præceptor noster*; *Si Deo & tibi sufficiens videatur*, *quidni & nobis*? *R. Schemuel bar Nachman dixit*; בצלאל *Bezaleel a Sapientia sua sic fuit nominatus*. *Quando enim Deus benedictus ad Mosen dixit*, *Vade*, *& dic Bezaleeli*; Fac mihi tabernaculum, Arcam, & Vasa; *ivit Moses & ordinem horum invertit dicendo*; Fac Vasa, Arcam, & Tabernaculum. Unde regessit Mosi Bezaleel; *Consuetudo mundi est*, *ut homo primo exstruat Domum*, *deinde inferat in illam vasa*, *& tu dicis*; *Fac Vasa*, *Arcam*, *& Tabernaculum*. *Si Vasa primo faciam*, *quonam reponam illa*? *Forte sic dixit Deus*; Fac Tabernaculum, Arcam, & Vasa. *Respondit Moses*, שמא בצל אל היית וידעת *Num forte in umbra Dei fuisti*, *quod hoc scias*? Idem hujus fabulæ inventoribus nos quoque dicere possumus.

2. *Quisnam iste* אורי Uri, *&* חור Chur *fuerint*, *quorum filius*, *& nepos*, *Bezaleel fuisse dicitur*?

Resp. In libris Mosis de his nil ulterius reperitur, nisi quod חור Chur alibi quoque commemoratur, & cum Aharone & Mose conjungitur. Exod. 17. 10. *Josua pugnavit contra Amalek*; *Moses autem*, *& Aharon*, *& Chur ascenderunt super verticem collis*. Sic ibid. v. 12. *Aharon autem & Chur sustentabant manus ejus ex utraque parte*. Exod. 24. 14. *Habetis Aharon & Chur vobiscum*.

Sed 1. Chron. 2. v. 18. 19. 20. ubi genealogia Chalebi fil. Chezron describitur, sic legitur; *Chaleb autem filius Chezron genuit ex Asubah uxore*, *& ex Jeriotha* (alii reddunt; *Genuit ex Asubah uxore Jeriotham filiam*, *cujus hi sunt filii*, qui sequuntur) *& isti sunt filii ejus*, *Jezer*, *& Sobab*, *& Ardon*. *Mortua est autem Asubah*, *& accepit sibi Chaleb Ephrat*, *& peperit ei Chur*, *Chur autem genuit Uri*, *Uri autem genuit Bezaleelem*. Et v. 50. iterum; *Isti fuerunt filii Chaleb*, *filii Chur*.

Hic jam intricata occurrit quæstio; *An hic Chaleb filius Chezron idem fuerit cum Chaleb filio Jephunneh* (cujus mentio Num. 13. 7. 31. & 14. v. 6. 24. 30. & 26. 65. & 32. 12. &c.) *an vero alius ab eo*?

Quidam volunt utrumque eundem esse: Alii duos faciunt Calebos; quorum unus fuerit pater Churi, qui, inter alios filios, etiam alterum Calebum genuerit, prioris nepotem: & sic putant facilius omnia conciliari.

R. D. Kimchi 1. Chronic. 2. scribit: *Quidam ex Rabbinis nostris dicunt*, *quod hic Calebus sit filius Jephynneh*, & *vocari* יפנה Jephynneh, *quia* פנה pinnah *evacuaverit h. e. se participem non reddiderit conspirationis exploratorum terræ Canaan*. *Quod dicitur*, Othniel filius Kenas, fratris Chalebi, (vel, *Frater Calebi*) Jos. 15. 17. *id ita explicant*, *illum fratrem ejus fuisse a matre*, (uterinum) *non autem filium*

Kenas germanum, ſed privignum, filium uxoris ejus. Id inde putant colligi, quod vocetur aliquando הקנזי Ceniſſeus: *non*; filius Cenas [ut Numeror. 32. 12. Joſ. 14. 6. 14.] *Verum non videtur, rem ita ſe habere juxta ſenſum Scripturæ literalem: Hic enim videtur docere, hunc Calebum fuiſſe ex filiis Hezron prioribus. Præterea dicitur,* quod poſtea duxerit (Chezron) filiam Machir, cum eſſet ſexagenarius, v. 20. *Quod ſi autem, ut Rabbini noſtri volunt, hic Caleb ſit Caleb filius Jephynneh, tum, quando Chezron genuit Calebum, centum ſeptuaginta annorum fuit Chezron. Caleb enim dicit*; Filius quadraginta annorum eram, cum mitteret me Moſes ſervus Domini, &c. Joſ. 14. 7. *Hoc vero factum fuit anno ſecundo exitus ex Aegypto, & Chezron fuit inter eos, qui ingreſſi ſunt in Aegyptum.*

R. Salomon ibidem, ad וכלב בן חצרון הוליד את עזובה אשה *Quia*, inquit, *uxorem habuit, cui nomen erat Azubah, ideo eodem nomine appellavit filiam ſuam, ſicut ſcriptum eſt;* Et mortua eſt Azubah, & accepit Caleb Ephratam, v. 19. *Hinc manifeſte liquet, illum habuiſſe uxorem Azubah appellatam.* Et hæc peperit ei Chur, & Chur genuit Uri, & Uri genuit Bezaleelem; *Quod ſi ſupputationem iniveris horum, deprehendes, horum unum quemque genuiſſe ante completum octavum annum. Nam Caleb fuit 40. annorum, cum mitteretur ad explorandam terram; eo autem tempore omnes jam fuerunt nati. Quando enim erectum fuit Tabernaculum, quod fecit Bezaleel, Caleb fuit 8. annorum cum genuiſſet Azubam filiam ſuam, & 9. quando genuit Jeriutham: & poſt mortem uxoris ſuæ Azubæ, duxit Ephratam, & ea peperit ipſi Chur, anno ſequente, quo fuit decem annorum: & Chur fuit 8. annorum, quando genuit Uri: & Uri fuit 8. annorum, quando genuit Bezaleelem. Sic habes 26. annos. Præterea ſcriptum eſt,* Et omnem איש virum ſapientem corde; Exod. 36. v. 1. *atqui non vocatur Vir, qui eſt infra 13. annos. Itaque Bezaleel, cum fecit Tabernaculum 13. fuit annorum. Sic habes quadraginta annos, minus uno: & conſequitur quoque, ſingulos genuiſſe, antequam eſſent octo annos nati.* Deſumpta ſunt hæc ex Talmud, Sanhedrin cap. 2. fol. 69. col. 2.

De hac ſententia ſcribit Andreas Maſius, Comment. in Joſuam cap. 14. v. 6. *Videamus, qui poſſit Chalebus dici filius Jephunneh; cum in Paralipomenis Cheſrone natus memoretur? Certum eſt, Heſronem inter eos fuiſſe, qui cum Jacobo in Aegyptum deſcenderant, annis circiter 216. ante quam Caleb quadragenarius mitteretur a Moſe ſpeculatum Chananæam. Eſtque etiam illud teſtatum ſacris literis, Calebum inter eos Heſronis filios recenſeri debere, quos ille ex priore conjuge procreavit: non autem ex Machiris filia, quam demum ſexagenarius duxit uxorem. Plane ergo ex his confectum eſt, Calebum Heſronis quidem filium dici, at certe nepotem ex priore uxore eſſe. Alioquin enim plus, quam ter 40. annorum fuiſſet, cum e Cadesbarnea mitteretur ſpeculator. Neque vero inſolens eſt, ut Nepotes inter filios adnumerentur, præſertim ſi ſunt rerum geſtarum gloria clari. Recte ergo filius Jephunneh dicitur, cum Heſronem non patrem, ſed avum, aut fortaſſe proavum, vel abavum habuerit. Quare inſulſum eſt eorum commentum, & ab hiſtoriæ ignoratione profectum, qui fingunt, Heſroni etiam Jephunneh fuiſſe nomen. Ineptius etiam Doctores Hebræorum, in Tractatu Temurah cap. 3. dicunt; Calebum Jephynneh filium eſſe appellatum, non quia parente aliquo, cui id nominis fuerit, natus eſſet, ſed quia fuerit ipſe circumſpectus, cum ad ſceleratæ ſpeculatorum conſpirationis ſocietatem ſe nollet adjungere. Nota eſt enim verbi* פנה *ſignificatio. Sed illud eorundem non ineptum modo, verum pluſquam puerile eſt, quod in Talm. Sanhedrin cap. 8. effutiunt, fuiſſe homines, qui anno ætatis octavo liberos procrearunt.*

Aben Eſra ſcribit ad Exod. 31. על דרך הפשט כלב בן יפונה איננו כלב בן חצרון בראיות גמורות והמשכילים יבינום h. e. *Juxta ſenſum ſcripturæ literalem, Chaleb filius Jephynneh, non eſt Chaleb filius Herzron, ex ſolidis rationibus, quas intelligentes animadvertent.* Druſius ad Joſ. 14. 6. ſcribit: *Aben Eſra mavult hunc ab illo diverſum eſſe. Ei ego aſſentior, dum certiora & veriora edoctus fuero.*

Nos hæc ſuo loco, & aliis perſpicacioribus clarius genealogicas iſtas quæſtiones enucleandas relinquimus.

Cæterum Hebræi ſtatuunt, hujus Bezaleelis avum *Chur*, filium fuiſſe Mirjamæ, ſororis Moſis. Sic Abarbenel Exod. 17. & hoc loco, qui idem hac ipſa de cauſa Exod. 31. & c. 35. tam diligenter exponi & inculcari a Moſe vult Divinam Bezaleelis vocationem, ne ipſemet eum propter cognationem elegiſſe, & aliis prætuliſſe, videretur: *Exiſtimo*, inquit Abarbenel, *inter Iſraelitas cancertationem & æmulationem fuiſſe, quiſnam facere debeat Tabenaculum & vaſa ejus: quin & Moſen ipſum dubitaſſe puto, quiſnam eligi debeat: multi enim ad id videntur ſponte ſe obtuliſſe,*

ut etiam

ut etiam ad ministerium cultus Divini adhiberentur. Et quamvis Moses sciret Sapientiam, & insignem peritiam Bezaleelis, metuebat tamen operi huic eum præficere, eo quod esset filius Uri, filii Chur, filii Mirjam sororis suæ, ne forte dicant Israelitæ; משה עשה עצמו למך ואת אהרן אחיו כהן גדול ואת בני אהרן כהני יי׳ . ואף את בצלאל מפני שהיה נכדה של אחותו נתן כל התרומה בידו והפקידו על מלאכת יי׳ *Moses facit seipsum Regem: Aharonem fratrem suum, Sacerdotem summum; Filios Aharonis, Sacerdotes Domini; Bezaleeli denique, nepoti ex sorore, in manus tradit omnes oblationes seu collectas ad Tabernaculum, & præficit ipsum Operi Domini. His ut occurrat dicit, Deum dixisse; Ego vocavi nomine Bezaleelem, q. dicere voluerit;* Ne cures quid isti dicant: Tu, & omnes illi videbunt, *me* (non *te*) elegisse Bezaleelem filium Uri, nepotem Chur &c. & *me* replevisse illum sapientia, &c.

Quod porro additur, illum fuisse de tribu *Juda*, quæ primaria erat, & *Oboliabum* de tribu *Dan*, quæ infima; R. Bechai ex Talmudicis adducit, *id eo factum*, שלא תהא רוחו גסה שגדול וקטן שוים לפני הקב״ה *ut ne animus Bezaleelis efferretur: quia magnus & parvus æquales sint coram Deo.* Sic observat; *Domum Sanctuarii, seu Templum Salomonis, a Salomone, qui de tribu Juda fuit, & a Chiramo, qui a linea materna de tribu Dan fuerit, 2. Chronic. 2. v. 14. exstructum esse.*

3. *Quænam fuerint ista dona, seu dotes, a quibus commendatur Bezaleel?*

I. *In genere* de illis dicitur; *Et implevi illum Spiritu Dei;* Dicit *Illum*, h. e. cor seu animum ejus. In hoc enim residet Sapientia, Prudentia, & Rerum peritia. Unde Hebræi Sapientiam in Corde collocant, non in Cerebro, cum Platone. Hinc Exod. 28. 3. *Et tu loqueris ad omnes* חכמי לב *Sapientes corde, quos implevero Spiritu Sapientiæ.* Sic Exod. 31. 6. & 35. 10. & 36. v. 1. 2. 8. Proverb. 10. 8. Jobi 9. 4. &c. Et contra homines stulti & improbi *Corde carere* dicuntur, Proverb. 6. 32. & 7. 7. & 9. 4. & 10. 13.

Spiritu Dei, h. e. *meo*, h. e. Spiritus mei donis cumulatissimis, & quidem extraordinarie & miraculose, illum ornavi; *quæ videlicet ad præsentem usum requirentur* & erunt necessaria. Non enim de Spiritualibus donis, vel electorum, vel Prophetiæ, vel similibus, hic loquitur, sed de donis ingenii & industriæ in artibus manuariis, ad constructionem operum externorum.

II. *In specie*, 1. בחכמה *In Sapientia*, 2. ובתבונה Et *in intelligentia vel prudentia;* 3. ובדעת *Et in scientia*, 4. ובכל מלאכה *Et in omni opere vel arte.* Verba ista alibi aliter sumuntur & intelliguntur, pro diversitate sc. subjectæ materiæ. Aliter e. g. Esa. 11. 2. ubi de Christo Prophetia est, ejusque dotibus spiritualibus; *Et requiescet super eum Spiritus* DOMINI, רוח חכמה ובינה *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ* &c. רוח דעת *Spiritus scientiæ.* Aliter Salomon iis utitur in Proverbiis, ut e. g. Prov. 4. 5. קנה חכמה קנה בינה *Acquire sapientiam, acquire intelligentiam.* Communiter volunt per חכמה intelligi *Scientiam theoricam*, quæ versatur in contemplatione naturæ rerum mentali: per בינה vel תבונה *Scientiam practicam*, in vita civili, seu politica, seu œconomica: דעת esse generale, omnium rerum scientiam complectens: מלאכה peritiam & dexteritatem Artium quarumvis manuariarum & mechanicarum. Itaque volunt Hebræi commendari hic Bezaleelem, 1. quod intellexerit naturas omnium illarum rerum, ex quibus Tabernaculum & ejus vasa & utensilia constabant, & quas indigitabant & significabant, 2. quod rationes quoque harum & aliarum Legum intellexerit, & quæcunque adeo ad vitam prudenter instituendam & agendam pertinent; quod, ut nos loqui solemus, etiam bonus Politicus fuerit: 3. quod præter hanc scientiam artium Theoricarum & Practicarum, etiam in Artibus Mechanicis omnis generis fuerit ingeniosissimus pariter & exercitatissimus, ad excogitandum & artificiose effingendum quicquid fabre fieri potest ex auro, argento & ære: In arte gemmaria, ad gemmas auro inserendas: In arte item lignaria, ad quidvis affabre operandum, &c. Exodi cap. 35. v. 14. additur, ולהורת נתן בלבו *Et ad docendum dedit* (Deus) *in animum ejus;* alios sc. artifices, eas artes, quas ipse callebat. Unde colligimus, & hoc peculiare esse donum Dei, cum quis gratia pollet, eas artes quas didicit, alios commode docendi, & in eisdem instruendi.

Admiratione dignum notant Hebræi hoc loco, quod inter Israelitas, qui per 400. annos dura servitute in Ægypto constricti tenebantur, in luto duntaxat & lateribus conficiendis occupati erant, neque artes illas manuarias in ligno, lapide, argento, auro, ære laborandi, gemmas tractandi, &c. addiscebant, vel addiscere poterant, tot adhuc periti artifices reperti fuerint, qui omnia ea, quæ ad Tabernaculi & Vasorum ejus con-

constructionem pertinebant, tanta arte & industria conficere potuerunt; Unus præsertim, in omnibus peritus, & singulari dexteritate instructus. Ex eo argui, illum hæc non vel a se habuisse, vel a Præceptoribus & Magistris addidiscisse, sed a Deo habuisse, ac proinde singulariter a Deo electum & vocatum esse, ut præfectus & moderator esset totius operis Tabernaculi. Pluribus hæc deducunt R. Bechaj, Ramban & Abraham Seba in Commentariis suis in hunc locum.

Sic discimus, Deum eos quos ad opus aliquod vocat, simul necessariis donis instruere abundanter; imo in mediis Ecclesiæ persecutionibus & oppressionibus, quasdam veluti reliquias reservare, & præparare, quorum opera suo tempore ad cultum suum instaurandum, & Tabernaculum Dei erigendum utatur.

Observandum etiam ex hoc loco, quod apud Hebræos nomen *Sapientiæ*, ut & *Scientiæ*, *Intelligentiæ*, artibus Mechanicis & manuariis quoque attribuatur. *Sapientia* scil. ab illis dicitur, quicquid homo a Præceptore & Magistro suo discit. Unde *Sapiens*, pro *Docto* & *Perito* usurpatur, & *Sapiens artifex* est, qui artis, quam profitetur, peritiam habet. Unde & Paulus ait 1. ad Corinth. 3. v. 10. Ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα. *Ut sapiens architectus fundamentum posui*. Sic Homerus Fabrum lignarium *Sapientem* dicit. Et Politianus scribit: *Olim apud Priscum sæculum Sapientes appellari consueverunt etiam qui Sellularias quasdam callebant artes*.

Ad dignitatem illarum artium pertinet, quod Deus hoc in loco testatur, omnem in illis peritiam & industriam, etiam labore acquisitam, a se proficisci; maxime si quis in aliqua excellat, ac proinde Ipsi quoque soli acceptum ferendum, & ad gloriam ejus, & publicum Ecclesiæ & Reip. bonum referendum. Ille, ut artium omnium laudabilium & utilium primus est inventor, sic earundem fautor, altor, & promotor. Nihil enim in homine est boni, quod non superne descenderit, & acceperit a Spiritu Dei &c. Unde Salomon; *Dominus dat Sapientiam: ex ore ejus proficiscitur Scientia & Intelligentia*. Prov. 2. 6.

CAPUT III.

An Arca hæc, quam Bezaleel fecit, sola inter Israelitas fuerit? An vero præter eam adhuc alia, quam Moses fecerit, quamque Israelitæ secum in bellum eduxerunt?

ARDUA est quæstio, & hic præmittenda, quia ex ejus discussione lux infertur aliis quoque, quæ postmodum in sequentibus excutienda erunt.

Diversa autem sunt, & jam olim fuerunt, Authorum de ea judicia, aliis in Priorem, aliis in Posteriorem sententiam concedentibus, ex eo quod præter mandatum quod Exod. 25. habetur, etiam Deuteron. 10. v. 1. *jubetur Moses a Deo Arcam ligneam facere*; & versu 3. *eam fecisse* legitur. Nam in Talmude, Tractatu de Siclis cap. 6. legitur hac de re Disputatio; תני ר׳ יהודה בן אלעאי אמר שני ארונות היו מהלכין עם ישראל במדבר . אחת שהיתה התורה נתונה בתוכו ואחת שהיו שברי הלוחות נתונין בתוכו . זה שהיתה התורה נתונה בתוכו היה מונח באהל מועד : הדא הוא דכתיב וארון ברית ה׳ ומשה לא משו מקרב המחנה . זה שהיו שברי הלוחות בתוכו היה נכנס ויוצא עמהן ופעמים מתראה עמהן . ורבנן אמרי ארון אחד היה ופעם אחת יצא בימי עלי ונשבה קרייה מסייע להון לרבנן אוי לנו מי יצילנו מיד האלהים האדירים האלה מילה דלא חמון מן יומיהון . קרייה מסייע לר׳ יהודה בן אלעאי ויאמר שאול לאחיה הגישה ארון האלהים והלא ארון האלהים בקרית יערים אלא מאי עבדי ליה רבנן הגישה ארון האלהים . וקרא מסייע ליה לר׳ יהודה בר אלעאי עוד הארון וישראל ויהודה יושבים בסכות . והלא בציון היה הארון . אלא מאי עבדי ליה רבנן שהיה בקרוי שעדין לא נבנה בית הבחירה : h. e. *Traditio est: R. Jehuda ben Elai dixit; Duæ Arcæ fuerunt proficiscentes cum Israelitis in deserto; Una, in qua reposita fuit Lex* (Tabulæ legis integræ;) *Altera, in qua fuerunt fragmenta Tabularum* [priorum.] *Illa, in qua erat Lex, reposita erat in Tentorio conventus; hoc enim est quod scriptum est*; Et arca fœderis Domini, & Moses, non recesserunt e medio castrorum, Num. 14. 44. *altera, in qua fuerunt fragmenta Tabularum, fuit ingrediens & egrediens* [proficiscens] *cum ipsis, & sæpius cum ipsis conspiciebatur. Rabbini vero nostri dixerunt; Unica tantum Arca fuit, & nonnisi semel egressa est tempore Eli, & capta fuit. Pro hac Rabbinorum sententia est quod Philistæi dixerunt*; Væ nobis, quis eripiet nos e manu Dei fortis istius, 1. Sam. 4. 8. *Indicantes hanc esse rem, quam nunquam antea viderint. Pro sententia R. Jehudæ est quod legitur* 1. *Sam.* 14. 18. Admove, vel, appropinquare fac arcam Dei, &c. *Atqui tum temporis arca erat in*

in Kirjath jearim, quid ergo facient Rabbini noſtri de illo loco, Admove arcam Dei [h. e. *quomodo, vel, quid ad illum reſpondebunt?*] *Scripturæ locus favens R. Jehudæ, filio R. Elaj eſt;* Arca, & Iſrael, & Jehudah habitant in Tuguriis, 2. Sam. 11. 11. *Atqui tum arca erat in Tzijon; Quomodo ergo ad hunc locum reſpondebunt? quod fuerit* בקרוי *in papilione antequam exſtructum eſſet templum.*

Recentiores etiam Rabbini inter ſe diſſentiunt. R. Bechaj in Deuteron. 10. 1. ſcribit: *Tradiderunt Rabbini noſtri p. m. hanc Arcam* [cujus ſcil. hic fit mentio] *fuiſſe eam, quam Moſes ipſe fecit, non vero eam, quam fecit Bezaleel in opere Tabernaculi. Iſta arca, quam Moſes fecit, fuit* לפי שעה *pro certo duntaxat tempore, ut eſſet quo ſtatim reponeret tabulas, quando de Monte deſcendit, donec Bezaleel ArCam faceret perpetuam. Iſta Arca Moſis egrediebatur cum eis in bellum; Arcam a Bezaleele factam nunquam eduxerunt, niſi tempore Joſuæ, juxta verbum Domini, Joſ. cap. 3. Quando vero a ſeipſis, & proprio motu eduxerunt eam tempore Eli, in occurſum Philiſtæorum, puniti fuerunt, & arca capta fuit. Unde ortus fuit pavor ille Philiſtæorum, ut dicerent;* Quis eripiet nos e manu Dei fortis iſtius: non enim fuit ſimile heri & nudius tertius, 1. Sam. 4. 7. 8. *In hac arca Moſis fuerunt Tabulæ Legis integræ & fractæ, donec facta eſſet arca Bezaleelis, in quam poſtea duntaxat Tabulas poſteriores* (integras) *repoſuit. Hoc ſcilicet eſt quod ſcriptum eſt Exod.* 25. *16.* Poneſque in Arca Teſtimonium [h. e. Legem in tabulis ſcriptam] quod tibi dabo. *Hactenus R. Bechaj*, cujus verba adducere volui, quia dilucidius explicant ſententiam de duabus Arcis. Eandem amplectuntur & ſequuntur R. Salomon Jarchi, & R. David Kimchi ad 1. Sam. 4.

Alii tamen priorem ſententiam præferunt de Una tantum Arca, e quibus eſt R. Abraham Aben Eſra ad Deuter. 10. 1. R. Nachmanides ibidem, & inprimis Don Iſaac Abarbenel, qui in Commentario ſuo in Prophetas priores prolixam de quæſtione hac habet diſſertationem, qua tum ſuam ſententiam confirmat, tum ad objectiones aliorum reſpondet. Quia itaque noſtri Interpretes quoque vel ambigue hac de re ſcribunt, & diverſimode quoque de ea ſentiunt, parcius etiam ab illis tangitur & ventilatur; operæ pretium eſſe duxi, ejus veſtigia ſequi, & ſententiæ utriuſque momenta paulo accuratius hic doctis expendenda proponere.

Sententiam ſuam ergo dicit eſſe hanc; *Non eſſe factam in deſerto niſi Arcam unam, & in ea fuiſſe Tabulas tam integras, quam fractas: hancque Arcam ſemper in medio caſtrorum Iſraeliticorum fuiſſe & profectam eſſe, nec niſi ſemel in bellum eductam fuiſſe tempore Eli, quando capta fuit.*

Hanc ſuam ſententiam ſequentibus probat Argumentis;

1. Quia in hiſtoria ſtructuræ Tabernaculi non reperitur mentio niſi duntaxat Arcæ unius, non duarum; & quidem *tum* in Mandato a Deo Moſi dato; ubi Deus dicit; *Et facient Arcam ex lignis cedrinis*, Exod. 25. 10. *tum* in præcepto Moſis ad Bezaleelem; *Et facient Arcam, & vectes ejus*, Exod. 35. 12. *tum* in ipſa Executione & fabricatione, ſicut dicitur; *Et fecit Bezaleel Arcam*, Exod. 37. 1. *tum* denique in Erectione Tabernaculi, & ſingulorum vaſorum in locum ſuum translatione & repoſitione, ſicut ſcriptum eſt; *Et introduxit Arcam in Tabernaculum*, Exod. 40. 21. Quæ omnia docent, unam tantum fuiſſe Arcam, non duas.

2. Argumentum deducit ex eo, quod Numerorum cap. quarto, ubi officia Kehathitarum deſcribuntur, qui deſtinati erant ad portanda vaſa Sanctuarii in profectionibus Iſraelitarum, non mentio fiat niſi Arcæ unius portandæ. V. 5. 6. dicitur; *Venient autem Aharon & filii ejus, quando transferenda erunt caſtra, & deponent velum tentorii, & operient illo Arcam teſtimonii, ponentque ſuper illam operimentum pellis &c.* Quod ſi vero tum temporis duas Arcas habuiſſent, cur non & alterius mentio fieret inter vaſa & inſtrumenta Sanctuarii? ועוד אנה יעמוד הארון הזה עם הלוחות הראשונות כל ימי המדבר כי המשכן בבית קדשי הקדשים לאחר הפרוכת אין שם שתי ארונות וכן שלמה לא הכניס לבית קדשי הקדשים אלא ארון אחד *Præterea* (ſcribit Nachmanides) *ubi ſubſtitiſſet Arca hæc cum Tabulis prioribus toto eo tempore quo per deſertum profecti fuerunt? Nam in Tabernaculo non leguntur in ſancto ſanctorum duæ Arcæ fuiſſe, & Salomon unam tantum Arcam in Templum, in ſanctuarium intuliſſe legitur.*

3. Numeror. 10. v. 33. dicitur; *Et Arca fœderis Domini proficiſcebatur ante ipſos.* Deuteron. 31. 26. *Accipite Librum Legis iſtum, & reponite eum ad latus Arcæ fœderis Domini Dei veſtri.* Si duæ fuerunt Arcæ, exponendum fuiſſet a Moſe, quænam illa ſit, quæ ante ipſos proficiſcebatur; &, in quamnam illarum reponendus fuerit Liber Legis: Levitæ etiam duas Arcas portaſſent, non unam. Nec poteſt hic excipi, *Arcam fœderis Domini vocari hic eam, in qua fuerunt Tabulæ integræ.*

græ. Nam etiam altera, in qua dicuntur fuisse Fragmenta Tabularum priorum, sic vocatur ex sententia illorum, quia de ea exponunt locum priorem Numerorum 10. 33.

4. Cum populus Israeliticus, ad occupandam terram promissam, Jordanem transire deberent, & Deus, Arca illos præcedente, miraculose effecturus esset, ut aquæ ejus descendentes desuper consisterent, & Jarden (ut David loquitur Psal. 114. 3.) retrorsum converteretur, præfecti sic alloquuntur populum, nomine Josuæ; Josuæ cap. 3. v. 3. *Quum videritis Arcam fœderis* DOMINI *Dei vestri, & Sacerdotes & Levitas portantes eam, tum proficiscemini e loco vestro, ibitisque post illam: Veruntamen interstitium erit inter vos & ipsam, quasi duum millium cubitorum in mensura, ne appropinquetis ei, ut cognoscatis viam in qua vobis sit eundum, nam non transivistis per viam istam ab heri & nudiustertius*. Et v. 5. dicit Josua; *Præparate vos, cras enim faciet* DOMINUS *in medio vestri mirabilia*. Item v. 6. *Tollite Arcam fœderis, & transite ante populum. Tulerunt itaque Arcam fœderis* &c. Ex his sequentia argumenta eliciuntur, eos nou habuisse nisi Arcam unam:

α. Hic Arcæ Unius tantum fit mentio, neque, si duæ fuerunt, definitur quænam sit accipienda, quod merito fieri debuisset.

β. Si, ut contrariæ sententiæ Patroni volunt, duæ fuissent arcæ, quarum una semper ipsis præivit, & profecta est ante ipsos, non opus fuisset illo speciali præcepto, ut eam sequerentur. Illi enim jam ex ante actis illud scivissent. Sic non opus fuisset altera illa commonefactione, ut procul ab ea essent ad bis mille circiter cubitos: nam & de hoc ex præcedentibus profectionibus ipsis constitisset: quia procul dubio in ceteris profectionibus idem ipsis observandum fuisset, quod ipse R. Salomon agnoscit ad Numer. cap. 2. v. 2. Ibi enim, dum describuntur Ordines castrorum Israeliticorum, Josua & Moses sic alloquuntur populum; *Singuli juxta vexillum suum, juxta signa domus patrum suorum, castrametabuntur filii Israel*, מנגר *ex adverso vel opposito*, סביב *circa tentorium conventus castrametabuntur*. Hic R. Salomon מנגר explicat, מרחוק מיל *procul ad spatium milliaris, sicut in Josua dicitur*: Verum interstitium erit inter vos & eam, quasi bis mille cubitorum. Et Baal Turim observat מנגר סביב לאהל in Gematria idem valere, quod לאלפים אמה *Ad bis mille cubitos*. Utrumque enim in literis facit 237.

γ. Dum Josua in his verbis exponit causam, cur præcessura sit Arca; videlicet; *Ut sciant viam, quia nunquam antea per eam transierant*; ex eo arguitur, non consuetum fuisse antea, ut Arca ipsos præcederet. Ut quid enim nunc demum eis exponeret, quod jam antea sciverant, & experti erant? Hac de causa etiam dicit, *Sanctificate vos, quia cras faciet* DOMINUS *mirabilia inter vos*. Præcessio enim Arcæ, tanquam res extraordinaria & insueta, signum erat miraculi postero die eventuri.

δ. Si ordinarium & consuetum fuit, ut Arca præcedat ipsos, ut quid necesse fuit hic Sacerdotibus in specie mandare; *Tollite Arcam fœderis, & transite ante populum*? Arguit hoc sane, rem hanc antea fuisse inter ipsos inusitatam, ac proinde singulari mandato opus fuisse. Agnovit id aliquo modo R. Salomon, qui in suis ad hunc Josuæ locum Commentariis ita scribit; נשתנה מסע הזה מכל המסעות שכל זמן שמשה קיים היה עמוד הענן נוסע תחלה ומראה להם הדרך והארון נוסע אחר שני דגלים עכשיו הארון נוסע תחלה *Differt profectio hæc a ceteris profectionibus. Quandiu enim Moses fuit in vivis, Columna nubis proficiscebatur ante eos, monstrans ipsis viam, & Arca proficiscebatur post duo vexilla. Nunc, quando Columnam nubis non habebant, Arca primo proficiscebatur*. Quibus verbis sibi contradicit, & destruit id quod in Commentariis suis in Legem scripsit, *Arcam fœderis Domini semper ante ipsos profectam esse, & tridui itinere eos præcessisse*. Neque dici potest, *illum in Commentario Legis loqui de Arca in qua fuerint Tabulæ fractæ; in Josua vero de Arca altera*. Sic enim dicendum etiam esset, duas Arcas ante ipsos per Jordanem transivisse, de quo vero nihil legimus in Scriptura. Neque sic etiam necesse habuisset R. Salomon rationem reddere; *quod ob privationem Columnæ nubis proficisceretur ante eos, & viam ipsis monstraret*. Nam quamvis ablata esset Columna nubis, reliqua tamen fuisset Arca altera semper eos præcedens, ad explorandam illis requiem, Num. 10. 33. & docendam viam in qua ire debeant. Cur ergo, & ad quid opus habuerunt, eandem ob causam, Arca secunda? Ex quibus omnibus patet, Historiam istam in libro Josuæ docere, non fuisse inter ipsos Arcam fœderis nisi unam, eamque non semper ante ipsos, sed in medio castrorum, profectam esse, nisi interveniente speciali mandato Divino.

5. Si duæ fuerunt Arcæ, & una illarum semper ante illos profecta fuit in bellum, quomodo Israelitæ, cum cæsi essent a Philisthæis, dixerunt; *Accipiamus ex*

Silo

Silo Arcam fœderis Domini, eaque veniat in medium nostri, & servet nos a manu inimicorum nostrorum, 1. Sam. 4. 3.? Ex hoc utique liquet, illos antea nullam secum Arcam deduxisse. Non dici potest, *illos voluisse adducere Arcam alteram, propter majorem ejus sanctitatem*, quia scil. continebat Tabulas integras. Nam de hac re nihil habetur in Scriptura. Quin & Philistæi, cum ceperunt Arcam, non accepisse leguntur nisi Arcam unam, neque etiam reduxisse & restituisse, nisi unam. Neque dici potest, *illos accepta Arca, in qua erant Tabulæ integræ, ad Tabernaculum remisisse Arcam alteram, quæ ordinarie fuit inter ipsos*. Nam & de hac re nihil habetur in Scriptura: neque major sanctitas fuit illius, quam hujus: Quare itaque petiissent Arcam extraordinariam, repudiata altera, quæ ordinarie solebat ante ipsos proficisci, cum ambæ fuerint æqualis Sanctitatis?

6. In ædificatione Templi a Salomone non legimus, in Sanctum Sanctorum fuisse introductam, nisi Arcam unam; Illa nimirum Arca, quæ capta fuit in agro Philistæorum, 1. *Sam.* 4. & quam cum vitula nova remiserunt, *Ibid. cap.* 6. quæ venit in Kirjat jearim, in domum Abinadab, *cap.* 7. quamque David de domo Abinadab duci curavit in domum Obed Edom, 2. *Samuel.* 6. *v.* 10. & inde in civitatem Davidis, ibid. v. 12. eadem est, quam postmodum Salomon, ex Civitate Davidis, seu Tzijone, introduxit in Sanctum Sanctorum. 1. Reg. 8. 1. &c.

7. Quando Hebræi de Arcæ fœderis, vel in Babelem deportatione, vel ejus absconsione, seu a Josia, seu a Jeremia facta, vel amissione & interitu, vel ejusdem, in diebus Messiæ, Restitutione scribunt, nonnisi de Una Arca loquuntur. Itaque etiam de duabus eos nihil scivisse, est verisimile.

Et hæc sunt Argumenta pro priore sententia.

Videamus nunc etiam *Argumenta eorum, qui Duas Arcas fuisse volunt.*

Primum deducunt ex Deuteron. 10. cap. v. 1. *In tempore illo dixit* DOMINUS *ad me, Dola tibi duas tabulas lapideas similes prioribus, & adscende ad me in montem, & fac tibi Arcam ligneam*. Et v. 3. *Feci igitur Arcam e lignis Sittim, ac dolavi duas tabulas lapideas &c. & descendens e monte, posui Tabulas illas in Arca, quam feceram, & fuerunt illic quemadmodum præceperat mihi Dominus*. Ad hunc locum scribit R. Salomon; ולא זה הוא ארון שעשה בצלאל שהרי משכן לא נתעסקו בו עד לאחר יום הכפורים *Arca hæc non est ea, quam fecit Bezaleel; in Opere enim Tabernaculi demum laborarunt post diem expiationum. Nam cum Moses de monte descendisset, præcepta eis dedit de Opere Tabernaculi, & Bezaleel primo fecit Tabernaculum, postea demum Arcam & reliqua vasa. Unde consequitur, hanc Arcam esse aliam, illam videlicet, quæ solita est cum illis egredi in bellum: Illa enim, quam fecit Bezaleel, non egressa est in bellum, nisi tempore Eli, qua de causa etiam puniti fuerunt, & capta fuit*. R. Mose Bar Nachman dicit illum hoc didicisse ex Aggada, sic enim legi in libro Tanchuma ad hæc verba; יש לשאול ואחר שהוציא משם הלוחות ונתנם בארון שעשה בצלאל מה היה בזה ולמה הוא יוצא עמהם ואומרים ששברי הלוחות היו שם: *Quæri hic potest; Posteaquam inde deprompsit Tabulas, easque reposuit in Arca, quam fecit Bezaleel, quid factum postmodum fuerit de Arca ista, & quare ea cum Israelitis egressa fuerit? Respondent, quia Fragmenta Tabularum in ea fuerunt.*

1. Ad hoc respondet idem Nachmanides; על דרך הפשט *Juxta sensum Scripturæ literalem dicendum est, verbis istis*; Et fac tibi Arcam ligneam, *intelligi Arcam quam fecit Bezaleel: Nam primo mandata acceperat Moses de Tabernaculo & Vasis ejus, quorum præceptorum primum fuit*; Et facient Arcam e lignis sittim, Exod. 25. 10. כי הוא עיקר הכוונה בכל המשכן להיות השם יושב הכרובים: *quia Arca fuit principalis intentio in toto opere Tabernaculi, quod illic Deus inter Cherubinos resideret: postea fecerunt vitulum. Cum Deus placatus, & ipsis reconciliatus esset per Mosen, eique dixisset, quod scripturus sit* (Legem) *super Tabulas istas, sicut super priores; breviter præcepit ei, ut faceret Tabulis istis Arcam ligneam; quam scilicet jussus erat facere pro Tabulis prioribus, ipsi sic repetendo præceptum primum & præcipuum Operis Tabernaculi, a quo reliqua omnia dependent*. Et hinc etiam didicit *Moses, faciendum esse Tabernaculum, quemadmodum antea jam jussus fuerat. Unde illorum verborum*, Et fuerunt illic, quemadmodum præcepit mihi Dominus; *sensus erit*; quod fuerint illic in testimonium in perpetuum, quemadmodum præcepit Dominus *ab initio, quando dixit*; Ponesque in Arca Testimonium, quod dabo tibi, Exod. 25. 16. Conveniamque te illic, & loquar tecum e propitiatorio &c. v. 22. *Cum vero descendisset e monte, reposuit Tabulas in tentorio conventus, donec fa-*

cta esset Arca & Tabernaculum. Quod si enim non fregisset Tabulas priores in Tentorio conventus & illæ mansissent, usque dum arca facta fuisset a Bezaleele. Unde & fragmenta Tabularum priorum necessario illic (in tentorio conventus) *fuerunt, quia eas non detulit secum in montem. Cujus rei probatio inde desumitur, quod Moses hujus præcepti* (quod debeat facere Arcam pro tabulis fractis) *non meminerit Exod. 25. Ibi enim duntaxat meminit Arcæ faciendæ a Bezaleele: hic vero Tabernaculi nullam mentionem facit, & vasorum ejus, quia Arca erat principale, quod reliqua omnia sequebantur, & brevitati hic studuit* (in Deuteronomio) &c. *Ad quæstionem;* quid factum sit de Arca illa, in qua Moses primo reposuit Tabulas, a se facta, una cum Tabulis fractis, per totum iter per desertum? Nam illato tabernaculo, & vasis ejus in Templum, non fuerunt duæ Arcæ: & Salomon non nisi unam arcam intulisse legitur in Sanctum Sanctorum? *Ad hoc*, inquam *respondet;* הארון הזה של משה כשנעשה ארונו של בצלאל גנווהו כרין תשמישי קדושה: *Arcam hanc Mosis, facta Arca a Bezaleele, occultarunt seu in thesauros retulerunt, prout solet fieri de utensilibus sacris.* Per *Thesauros* intelliguntur gazophylacia, seu עליות cœnacula, conclavia, quæ erant supra Sanctum Sanctorum & Templum. Vide l'Empereur in Middoth, &c.

Aben Esra etiam hunc locum exponit de Arca Bezaleelis, & refutat sententiam contrariam.

Sic; *Fac tibi Arcam ligneam*, exponendum erit; *Facere curabis*. Item, *Et feci Arcam*, scilicet בצווי *præcipiendo illam fieri*, h. e. fieri curavi. Nam, qui præcipit aliquid fieri, illud etiam facere dicitur. Sic Salomon Rex ædificavit Templum primum, videlicet per alios, quorum opera ad eam rem usus est. Et sic hoc loco brevis est repetitio mandati jam antea Mosi dati, qualia plura in Deuteronomio occurrunt, unde & משנה תורה *Repetitio Legis*, vocatur.

2. Si maxime dicatur & concedatur, sermonem illic esse de Arca alia, quam Moses sc. fecerit, non tamen inde sequitur, duas fuisse Arcas in usu inter Israelitas. Arca enim illa Mosis, e mero ligno, ut v. 1. dicitur, ideo tantum fuit facta, ut Tabulæ in ea asservarentur, donec Arca Bezaleelis absoluta esset. Ea facta, Tabulæ fœderis in eam translatæ fuerunt, Mosis autem arca in gazophylacium aliquod fuit reposita, & ibi, prout solent res Sacræ, asservata & abscondita. Illa fuit pro usu continuo & perpetuo: hæc pro certo duntaxat tempore. Sic est sententia Abarbanelis. Et hanc sequuntur plerique nostri Interpretes, Nicolaus Lyra, Conradus Pellicanus, Junius & Tremellius, Deodatus, Belgæ, alii.

Secunda ratio desumitur ex eo quod legitur *Numeror.* 14. *Recensetur ibi, qua ratione populus Israeliticus, adversus Deum murmurans, cum eum Deus præmoneret, ne postero die in Cananæam contenderent; sed pedem referrent desertum versus, ne Israelitæ, in Amalekitas, Cananæos armatos, & montium angustias obsidentes inciderent, ac propterea sententiam contra eos ferret, &c. tamen contra Mosis dissuasionem, & Dei verbum, inconsulto ore Domini perrexerint, ac præsidente consilio ad montem contenderint, tanquam per hostes in Cananæam irrupturi essent; & a Mose eo nomine objurgati & deterriti, tamen montis verticem conscendere conati sint; ibi v. 44. dicitur;* וארון ברית יהוה ומשה לא משו מקרב המחנה Et arca fœderis Domini, & Moses, non recesserunt e castris. *Hinc Argumentum deducit R. Elaj in superiore loco Talmudico, Arcam in qua Lex erat, non recessisse e medio castrorum, & proinde necesse esse, aliam fuisse Arcam, quæ ipsos præcesserit, & cum ipsis in bellum processerit.*

Ad hoc Argumentum respondet Abarbenel, se mirari, quomodo ex eo velint evincere duas fuisse Arcas; Non enim dici illic, quod Arca una profecta fuerit cum eis, & Arca alia e medio castrorum non recesserit: sed hoc dicere Scripturam; Israelitas, posteaquam durum decretum contra eos pronuntiatum, & exequutioni datum esset, propter peccatum Exploratorum terræ Canaan, dixisse ad Mosen; *Ecce nos ut ascendamus ad locum, de quo loquutus est Dominus, quia peccavimus;* v. 40. Mosen respondisse ipsis; *Ne ascendatis, & ne pugnetis, ut quid transgredimini sermonem Domini? hoc non prospere cedet*, v. 41. 42. Israelitas autem non paruisse verbis ejus sed absque permissione Dei ascendisse; Mosen vero non cum eis ascendisse, neque etiam Arcam Domini e medio castrorum recessisse, cum eis progrediendo; idque ideo, quia sciverit Deus, illos non prospere rem hanc gesturos, sed ad vesperam cum gemitu & planctu reversuros. Ut sic nihil aliud hinc educatur, quam, neque Mosen, neque Arcam Domini cum eis ascendisse: Neque ex hoc sequi, Arcam adhuc aliam ibi fuisse, quæ cum illis exiverit, sicut non sequitur, ibi Mosen fuisse alium, qui cum ipsis iverit.

Ter-

Tertium Argumentum petitur ex duobus locis Scripturæ; Numeror. cap. 2. v. 17. dicitur: *Tum proficiſcetur* אהל המועד *tabernaculum conventus*, *vel*, *Eccleſiæ*, *nempe caſtra Levitarum*, *in medio caſtrorum*: Numeror. 10. 33. *Profecti ſunt itaque e monte Domini via trium dierum*, *&* *Arca fœderis Domini proficiſcebatur ante eos via trium dierum illorum*, *ad explorandam illis requiem*. In *primo* loco dicitur Tabernaculum profectum eſſe *in medio* caſtrorum; ac proinde etiam Arca, quæ in Tabernaculo erat. In *altero* dicitur Arca fœderis profecta eſſe *ante ipſos*, tridui itinere, quæ inter ſe repugnare videntur. *Ad ea ergo concilianda*, *In* priori *loco dicunt intelligi Arcam Bezaleelis*, *in qua fuerunt Tabulæ Legis integræ*, *hanc ſemper volunt in medio caſtrorum inceſſiſſe*: *In* altero, *Arcam eam quam fecit Moſes*, *in qua aſſervabantur fragmenta Tabularum*. *Sic R. Salomon*.

Reſp. Abarbenel aliter iſta loca explicat, & vult, de una & eadem Arca ſermonem eſſe in utroque loco. Dupliciter autem ille reſpondet;

1. Quod dicitur, *Tentorium conventus profectum eſſe in medio caſtrorum*, id intelligendum eſſe de profectionibus ordinariis; quod ſc. ſemper hac ratione ſolita ſint vexilla & caſtra ſingula progredi ſeu proficiſci; *primo* Vexillum caſtrorum Jehuda, *poſt hoc*, vexillum caſtrorum Rubenis; *poſt hos*, אהל מועד Tentorium conventus, *poſt hoc* vexillum caſtrorum Ephrajim, & *denique* vexillum filiorum Dan; ita ut in medio vexillorum arca fuerit cum Tabernaculo, duobus vexillis eam præcedentibus, & duobus eam ſequentibus. Quod vero in altero loco dicitur, *Et Arca fœderis Domini proficiſcebatur ante eos*; id accipiendum eſſe de eo duntaxat, quod factum fuit in profectione illa prima; quod nimirum Arca præceſſerit ad explorandam illis requiem, h. e. commodum caſtrametationis locum. Hunc illius loci ſenſum eſſe patere dicit ex eo quod additur; *Itinere trium dierum*. Hoc quippe non ea mente dici, ac ſi Arca itinere trium dierum præceſſiſſet in omnibus profectionibus, uti voluit R. Salomon; ſed quod tribus illis primis diebus, ex quo profecti ſunt e monte Sinaj, hæc variatio ſeu mutatio extra ordinem fuerit facta, ut Arca proficiſceretur ante eos, non vero, more ſuo, in medio vexillorum.

Probat hoc ex eo, quod dicitur; *Et profecti ſunt de monte Domini* (Sinai) דרך שלשת ימים *Via trium dierum* (h. e. tridui iter emenſi erant e monte Sinaj.) De his enim tribus diebus intelligendum eſſe quod ſtatim ſequitur; *Et Arca Domini proficiſcebatur ante eos*; rationem ipſam dictare, quaſi diceretur; *Et Arca Domini proficiſcebatur ante eos via trium illorum dierum commemoratorum*, *quibus profecti erant in illo itinere*.

Cur Deus in prima hac illorum profectione per deſertum; ut & in profectione ultima, cum Jardenem trajicerent, Joſuæ cap. 3. voluerit ut præter morem conſuetum Arca præcederet; ſibi videri fuiſſe לזכות את ישראל *ad honorem deferendum Iſraelitis*, כאדם המלוה את חברו *inſtar hominis Amicum ſuum comitantis ad certum viæ ſpatium*.

In hunc ſenſum ſcribit Aben Eſra Numer. 10. 33. במסע הראשון לבדו לא היה כשאר המסעות *Profectio hæc prima ſola non fuit ſicut cæteræ profectiones*. *Quod vero dicitur* v. 21. Et progredi cœperunt Kehathitæ portantes ſanctuarium; *poſteaquam ſc. jam duo vexilla progreſſa erant*, *&* *duo alia ſequebantur*, *ut ibidem habetur*; בכל המסעים חוץ מזה *id intelligendum eſt de cæteris profectionibus*, *hac excepta*, *in qua Arca præcedebat*: וזה היה שלשת ימים בלבד *id vero per tres tantum illos dies* (primos) *duravit*; *&* *hic eſt ſenſus ejus quod dicitur*; Via trium dierum.

2. Dicit Abarbenel; Etiamſi concedatur, Arcam fœderis Domini ſemper ante eos in deſerto profectam eſſe; tamen inde non ſequi, duas fuiſſe Arcas, ſed dici poſse; Numeror. 2. ſermonem eſse de Tabernaculo conventus, & reliquis vaſis ſanctuarii, quæ ibant in medio caſtrorum & vexillorum, excepta Arca cum Tabulis integris & fractis, quæ ante eos proficiſcebatur, ut habetur Numer. 10. neque abſurdum eſse dicere, Arcam fuiſse in loco uno, & Tentorium conventus in loco alio.

Quartum Argumentum eruunt ex 1. Sam. 14. 18. ubi Saul, recenſens populum, & deſiderans Jonathanem filium & Armigerum ejus, atque ulterius ſcire volens, ubi illi eſsent, dicit ad Achijah Sacerdotem, הגישה ארון האלהים *Admove*, *ſume Arcam Dei*. Quomodo, ajunt, hoc dicere potuit Saul? Annon tum Arca fœderis erat in Kirjath jearim in domo Abinadab, non in manibus Achijæ, 1. Sam. 7.? Sequitur itaque, illos ſecum habuiſse Arcam adhuc aliam. Hoc eſt Argumentum, quod in ſupra allegato loco Talmudico urgetur pro ſententia R. Jehudæ ben Elaj.

Reſpondet Abarbenel, Arcam hic commemoratam non eſse illam, in qua fuerunt Tabulæ Legis, ſeu integræ, ſeu fractæ, cujus rei indicium eſt, quod non dicitur,

citur, *Admove* ארון ברית אלהים *Arcam fœderis Domini*; quia nimirum non fuerunt in ea Tabulæ fœderis. Arcam itaque, de qua Saul loquitur, eſse Arcam aliam, quam Iſraelitæ habuerunt, ad aſservandum & deferendum in ea Ephod, h. e. Pectorale cum Urim & Thummim: & hæc illos ſecum duxiſse in bellum tempore Saulis & Davidis, ut, tempore neceſſitatis, illa conſulere & interrogare poſsent, uti exemplum habetur 1. Sam. 30. 8. juxta id quod habetur Numer. 27. 19. 20. 21. *Et dixit Dominus ad Moſen, Cape tibi Jehoſuam filium Nun &c. Et pones de gloria tua ſuper illum &c. Et ille poſtea coram Eleazar Sacerdote ſtabit, & interrogabit eum de judicio Urim coram* DOMINO: *ad verbum ejus egredientur, & ad verbum ejus ingredientur, ipſe & omnes filii Iſrael cum eo &c.*

Hanc Arcam hic petiiſse Saulem perſpicue videtur liquere ex eo quod v. 3. dicitur; *Achijah autem filius Achitubh, fratris Ichabod, filii Phineas, filii Eli Sacerdotis Domini in Silo, geſtabat Ephod.* Et v. 19. *Et fuit adhuc loquente Saule ad Sacerdotem,* [*h. e. dicente,* Admove Arcam Dei] *tumultus, qui erat in caſtris, ibat eundo & creſcebat: propterea dixit Saul ad Sacerdotem,* Collige *manum tuam*, h. e. ne aperias Urim & Thummim, & ne conſulas aut interroges Deum per ea, quia ſc. ex illo tumultu intellexeram fugam & cladem hoſtium, & e veſtigio perſequutus eſt eos. Unde planum ſatis eſt, Achijam non detuliſse ſecum Arcam fœderis Domini, ſed Ephod cum Urim & Thummim; non etiam petiiſse Saulem aliud quam Ephod ad interrogandum per Urim & Thummim, an perſequi debeat Philiſtæos? unde cum vidiſset eos fugientes, dixit ad Sacerdotem, ne interroget, ſed colligat manus ſuas, qui ſtatim eos perſequutus eſt. Quia vero Ephod cum Urim & Thummim in Arca quadam erant, ideo vocat eam ארון האלהים *Arcam Dei*, non vero, Arcam fœderis Domini.

Hunc genuinum eſse loci illius ſenſum vel ex eo apparet, quod nonnulli etiam illorum, qui duas Arcas aſserunt, ita eum exponant, ut R. Salomon & R. D. Kimchi.

R. Salomonis enim gloſsa eſt; *Admove Arcam Dei*, h. e. אורים ותומים *Urim & Thummim*.

R. D. Kimchi: האפוד והאורים והתומים שהיו עם ארון האלהים לשאול על יהונתן *Ephod cum Urim & Thummim, quæ fuerunt cum Arca Dei, ad quærendum per illa de Jonathane.*

LXX. Græci etiam verterunt; Προσάγαγε τὸ ἐφὼδ Adduc Ephod.

Quintum Argumentum petitur ex 2. Sam. 11. 11. ubi Uriah Chittæus ad Davidem dicit; הארון וישראל ויהודה יושבים בסכות *Arca, & Iſrael, & Jehuda habitant in tuguriis: præterea Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei, in ſuperficie agri manent, & ego ingrediar in domum meam &c.?* Hoc videtur docere, præter Arcam illam, quæ manebat in Tzijone, 2. Sam. 6. 12. & 1. Reg. 8. 1. fuiſse aliam Arcam, quæ cum eis in bellum exiverit, & in tuguriis habitavit. Hoc eſt Argumentum, quod in ſupra allegato loco adfertur pro ſententia R. Jehudæ ben Elaj.

Reſpondent ibi Rabbini, *fuiſſe* בקרוי *In tentorio ſeu papilione nondum exſtructo templo*, quod Abarbenel ita explicat & intelligit; Uriam hic non loqui de Arca aliqua, quæ cum ipſis fuerit in bello, ſed de Arca quæ fuit in Tzijone in Tabernaculo, תחת היריעה ſub cortina ſeu aulæo. Dicere itaque Uriam, non decere ut ipſe eat in domum ſuam, dum arca ſit ſub papilione ſeu aulæo.

Abarbenel vero dicit, hanc reſponſionem eſse frivolam & abſurdam. Hoc enim nihil fuiſse מקרי נעשה לשעתו *accidentale aut extraordinarium*, propter quod vel non voluerit, vel non debuerit, Urias ſe conferre in domum ſuam; Arcam quippe ſemper fuiſse in tentorio, & ſic ſequeretur, illum nunquam debuiſse ire in domum ſuam: Præterea Arcam fuiſse in Tentorio ſeu Tabernaculo, non בסכות in Tuguriis, & in Tzijone, non in bello cum Joabo. Itaque ſenſum horum verborum eſſe, Uriam Chittæum non loqui de Arca fœderis Domini, ſed de Arca alia, in qua fuerunt Ephod cum Urim & Thummim, quam ſecum in bellum deducebant, & cum ea Sacerdotem, ut, neceſſitate exigente per ipſum conſulere poſsent Verbum Domini. Ideo dicit nude, *Arca* & Iſrael & Jehuda, non, Et *Arca fœderis Domini*, quod proprium eſt ipſius Nomen.

Ex his ergo fundamentis concludit Abarbenel; *Non factam fuiſſe in deſerto niſi Arcam unam, & in ea fuiſſe Tabulas Legis tam integras, quam fractas; ad latus autem ejus, juſſu Moſis, Levitas repoſuiſſe librum Legis: Hanc Arcam non ordinarie & ſemper cum ipſis in deſerto profectam fuiſſe, neque cum ipſis in bellum exiviſſe: Non enim licuiſſe eam transferre de loco ejus, niſi ex ſingulari & ſpeciali mandato Dei; ſicuti factum fuit in prima ipſorum profectione de monte Sinaj, in profectione poſtre-*

postrema usque ad ingressum illorum in terram Canaan, & in obsidione Jerichuntis; in quibus omnibus eam eduxerunt de loco suo ex speciali præcepto & mandato Dei: Hinc Israelitas, cum ab inimicis suis cæsi essent, eam, sine venia & facultate Dei & inconsulto ejus ore, ex Tabernaculo petentes & educentes, graviter peccavisse, & punitos fuisse, Arcam autem captam: Hanc, a Philistæis restitutam, diu asservatam fuisse in Kirjat-jearim: inde Davidem eam deduxisse in domum Obed Edom Gitthæi; & inde in Tzijonem; quamvis Tentorium conventus totum, Altare, Candelabrum, & cætera vasa Sanctuarii essent in Gibeon: & Gibeonem ivisse Israelitas ad sacrificia sua offerenda, & ad Deum quærendum, licet Arca ibi non esset, sed in Tzijone, juxta id quod legitur 1. *Chron.* 21. *v.* 28. 29. 30. Illo tempore cum vidisset David, quod eum exaudisset Deus in Area Araunæ Jebusæi (in qua Altare exstruxit) sacrificavit illic: Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moses in deserto, & Altare holocausti, erat illo tempore in excelso, quod erat in Gibeon: Non potuerat autem David ire in conspectum ejus, ut requireret Deum, quia territus erat propter gladium Angeli Domini: *Arcam hanc esse eandem, quam postea Salomon introduxit in Sanctum Sanctorum post exstructum Templum: Eandem etiam esse, quam, juxta veterem Patrum traditionem, Rex Josias, tempore vastationis Templi, occultavit; hanc denique esse, quæ sit in adventu Messiæ a Deo iterum revelanda & restituenda.*

CAPUT IV.

De Materia Arcæ ex qua. Quæ & qualia fuerint ligna Schittim? *Cur hanc Cedrorum speciem Deus elegerit? Unde ea Israelitæ in deserto habuerint? Quomodo Auro fuerit intus & extus obducta.*

MATERIA ARCÆ potest considerari dupliciter; tum ea, *Ex qua* illa fuit constructa, tum *Quæ in ea* fuit contenta, quæ ipso Nomine nobis indigitantur, quando vocatur *Arca Fœderis*;

1. *Materia ex qua* fuit gemina; *Lignum*, & *Aurum purum*, quarum illa ad essentiam, hæc & ad ornatum pertinet.

De *Ligno* inquit Deus; Exod. 25. 10. ועשו ארון עצי שטים *Et facient Arcam ex lignis* שטים *Schittim*. Deuteron. 10. 1. simpliciter ארון עץ *Arcam ligneam*. Et c. 37. v. 1. *Fecit præterea Bezaleel Arcam e lignis Schittim*.

De *Auro*, v. 11. וצפית אתו זהב טהור מבית ומחוץ תצפנו *Et obduces eam auro puro, intus & extus obduces eam*. Et sic Bezaleel fecisse legitur Exod. 37. 11.

Circa hæc quæritur;

1. *Quæ vel qualia hæc fuerint ligna* שטים?

שטים formam habet pluralem masculinam. In singulari numero legitur forma fœminina שטה Jesa. 41. 19. Sicut a חטה *Triticum*, pluraliter חטים. Etymologia non est certa: formæ ratione analogia postularet radicem constituere שטט, vel שנט ut חטה, a חנט. Utraque autem radix est inusitata in lingua Hebræa. Posteriorem videtur agnovisse Paraphrastes Arabs, qui reddit אל סנט *Ex ligno Santo*, ut vertit interpres Latinus. Istud סנט omnino videtur esse ex Hebræo שטה, Dagesch in ט, converso in Nun. Quæ illius vocis jam significatio vel usus sit apud Arabes, videbunt ejus linguæ periti. Paraphrastæ Chaldæi Hebræum retinuerunt שטה, שטין. Syrus interpres reddit אשכרעא, quod Latinus interpres hic reddit *Ebenum*. Idem est cum eo quod & in Jonathane Chaldæo paraphraste Jesa. 41. 19. legitur pro Hebræo תאשור, quod alii aliter, multi *Buxum* interpretantur. Persicus Interpres habet שמשר *Schamschar*, vel *Samsar*. LXX. Græci hic reddiderunt ξύλα ἄσηπτα *Ligna imputribilia*, cujus rationem in seqq. audiemus: sed Esa. 41. 19. πύξον *Buxum*. Theodotion vertit *Spinam*. D. Hier. *Spinam*. Samaritanus retinuit Hebræum.

Porro *Cedri* speciem, & quidem nobilissimam, fuisse communiter consentiunt Hebræi omnes, & nostri quoque Interpretes, ex qua & Arca, & Tabernaculum, & reliqua ejus vasa magna ex parte fuerunt confecta. Unde D. Hieron. Joel. cap. 3. scribit: *Cæterum nulli dubium est, omnia, quæ in Tabernaculo Dei legimus, de lignis Sethim fuisse perfecta*. Quia autem variæ sunt *Cedrorum* species, quæ vel qualis illa fue-

la fuerit non ita liquido constat. Septem illarum species nominantur Jesa. cap. 41. 19. quibus Talmudici tres adhuc alias addunt, videlicet אלמונים אלמוגים, אלונים, ut sic decem forent, de quibus in Talm. Tractatu Rosch hasschana fol. 23. 1. Bava basra fol. 80. 2. Taanis fol. 25. 2. Imo usque ad 24. species extenderunt. Hinc legitur in Medrasch Tanchumah. mihi fol. 35. col. 4. כ"ה מיני ארזים היו ומכלם לא נבחרו אלא ז' h. e. *Viginti quatuor species cedrorum fuerunt, e quibus nonnisi septem fuerunt electæ, & præ reliquis insignes; sicut dicitur;* Dabo in deserto ארז שטה והדס ועץ שמן ponam in solitudinem ברוש תדהר ותאשור יחדיו simul; ומכלם לא נבחר אלא שטה בלבד שנא' וגו' *Et ex omnibus nulla est præstantior, quam* שטה, *sicut dicitur;* E lignis שטים Schittim.

Hoc nomine quædam loca denominantur, ob copiam procul dubio istarum Arborum in illis; ut אבל שטים *Abel Schittim in campestribus Moab*, Numeror. 33. 49. Item נחל שטים *Torrens Schittim;* vel, ut D. Hieronymus reddidit, *Vallis spinarum*, Joelis 3. 18. & absolute; *Et misit Josua filius Nun*, מן השטים *ex Schittim duos viros exploratores tacite &c.* Jos. 2. 1. Locus fuit in campestribus Moabitarum, haud longe a mari mortuo, Transjordanicæ Israelitarum regioni vicinus, vel potius in confinio, ut videtur, Israelis & Moabi, quia inde ad Jordanem venientes in terram promissam transiverunt. Ad locum Joelis cap. 3. sic de hac Cedri specie scribit D. Hieronymus: *Est autem genus arboris in eremo, Spinæ albæ simile colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata cædantur: lignumque fortissimum est, & incredibilis levitatis ac pulchritudinis, ita ut ex his etiam vasa torcularium, quæ* ἄρτινας καὶ θηλύας *vocant, ditissimi quique & studiosissimi faciant, quæ ligna in locis cultis, & in Romano solo, absque Arabiæ solitudine, non inveniuntur.* Et ad Micheæ 6. v. 5. ubi in textu dicitur; *Populo mi, memento nunc quid cogitaverit Balak rex Moab, & quid responderit ei Bileam, filius Beor, &* מן השטים *a Sittim usque ad Gilgal* &c. ad hunc, inquam, locum, scribit idem Hieronymus; שטים Schittim *est locus, in quo Balac rex Moabitarum adversum Israel congregavit exercitum,* ὁμώνυμος *arboribus, quæ per eremum montis Sina hodie quoque gignuntur. Nam ubi in LXX, vel Arca Testamenti, vel Altare & Tabernaculum, ceteraque, quæ de lignis imputribilibus facta, referuntur, in Hebraico ponuntur* עצי שטים Ligna Sethim, *quæ habent similitudinem arboris, quam nos vulgo* Spinam albam *dicimus. Unde arbitror & LXX.* σχίνον *interpretatos esse, hoc est*, Lentiscum: *sed paulatim librariorum errore factum esse, ut* σχοῖνον, *id est*, Funes, *pro* σχίνοις h. est, Lentiscis, *legeretur*. Vide eundem Esa. 41. Quod Theodotion & D. Hieronymus *Spinam* vertunt, id quidam non putant intelligendum de *Spina alba*; cum ea inter Carduorum species, & inter arbores, aut frutices, non recenseatur; sed potius de *Spina nigra*; quæ ἰσχυρὰ καὶ ἄσηπτος fuit, ac proinde ad navigiorum costas utilissima habebatur, quod in aquis incorrupta duraret, ut ex Theophrasto colligit Salmasius in Exercit. Plin. pag. 539. qui etiam pag. 1043. probat, materiam ejus, ut & Spinæ Indicæ, ita Ebenum imitari, ut pro ea, ad quam proxime accedebat, venderetur.

Ex Cedrorum specie hac Arcam fuisse factam, non est vero dissimile. Nam quia diuturnus debuit ejus esse usus, & veneratio ejus magna, merito lignorum species electa fuit ἄσηπτος *imputribilis*, tineas & cariem non sentiens, *fortis* item & *pulchra*. Cedro utique digna fuit Arca, Tabulas fœderis Dei in se complectens, & ejus symbolum. Quia humeris Levitarum portanda erat, *leve* adhibendum lignum fuit, quod portantes non nimium gravaret, sicut Hieron. scribit *incredibilis fuisse levitatis*. Unde & Abarbenel; *Ligna Sittim electa fuerunt*, להיותם קלים מאד כדי שיהיה הארון נקל לשאת אותו *eo quod sint levissima, ut arca eo levior esset portantibus eam.*

Alias sterilis videtur fuisse Arbor, nullos fructus ferens, sed ad tabulata, arcas, & similia conficienda, præcipue inserviens. Unde in Proverbium abiit apud Veteres Hebræos; מן שטייא לית הנייה אלא מן קציצה *Ex Schitta seu Cedro nulla est utilitas, nisi ex succisione ejus*, h. e. nisi ut succidatur, & ex ea fiant vasa, tabulata, & aliæ structuræ. Legitur in Tanchuma, sectione וארא, in principio.

2. *Cur hanc, præ aliis Cedrorum speciebus, quæ* שטים *vocatur, elegerit Deus?*

Hebræi allegoricas etiam inquirunt causas. In Tanchuma fol. 35. col. 3. scribitur; למה קורא אותם עצי שטים כדי לרפאות מה שעתידין לעשות בשטים *Quare vocat ea Ligna Schittim? Quia curare debebant, quod facturi erant in Schittim, sicut dicitur;* Et habitavit Israel in Schittim, Numer. 25. 1. & seqq. *Imo non solum ad*

arcam

arcam istam, quam fecit Moses, sed ad quamvis, quam Israelitæ faciunt, adhibenda sunt ligna Schittim. Alia exposito: חטאו בשטים ולקו בשטים ומתרפאין בשטים *Peccaverunt in* Schittim, *percussi fuerunt in* Schittim, *&* *sanati fuerunt in* Schittim. Peccaverunt in Schittim, *sicut dicitur*; Et habitavit Israel in Schittim, & cæpit populus fornicari cum filiabus Moab *&c.* Numer. 25. 1. 2. Percussi fuerunt in Schittim, *sicut dicitur*; Et fuerunt mortui plaga illa &c. Ibid. v. 9. Sanati fuerunt in Schittim, *sicut dicitur*; Ligna Schittim, Exod. 25. Item; *Ipsi fecerunt* שטות Schetuth *stoliditatem, & irritaverunt me faciendo vitulum*, יבואו עצי שטים *veniant ligna* Schittim, *& expient* על שטותן *stoliditatem illorum* &c. Qui vult videat ibi plura, & fol. 43. col. 1.

3. *Unde Israelitæ in deserto tantam potuerint habere horum lignorum copiam, quæ ad opera ista omnia sufficeret?*

R. Salomon scribit ad Exod. 25. 5. ומאין היו להם במדבר *Undenam illa habuerunt in deserto? R. Tanchumah respondet*, יעקב אבינו צפה ברוח הקדש שעתידין ישראל לבנות משכן במדבר והביא ארזים למצרים ונטעם וצוה לבניו ליטלם עמהם כשיצאו ממצרים: *Jacob Patriarcha prævidit per Spiritum Sanctum, quod Israelitæ exstructuri essent Tabernaculum in deserto: itaque Cedros detulit secum in Ægyptum, easque ibi plantavit, & filiis suis præcepit, ut, egressuri ex Ægypto, eas secum sumerent*. Traditionem hanc vide in libro Tanchumah, mihi fol. 35. col. 4.

R. Abraham Aben Esra primo hanc sententiam in dubium vocat; *Ægyptii*, inquit, *existimarunt, illos exire per triduum ad sacrificandum, & postea reversuros, unde procul dubio interrogaturi fuissent ipsos, cur asseres & vectes decem cubitorum secum deferant? quid itaque sic interrogantibus responsuri fuissent?* והנה לא ידענו אם קבלה היתה ביד אבותינו שממצרים הוציאים גם אנחנו נסור אל משמעתם ואם סברה היא יש לבקש דרך אחרת: *Sed ignoramus an per Traditionem aliquam a Patribus acceptam habuerint, quod ex Ægypto illa ligna secum deduxerint; si ita sit, decet ut & nos eam recipiamus: si vero sit opinio duntaxat & conjectura, alia erit quærenda respondendi ratio*; Suam vero sententiam sic exponit: ונאמר כי היה כמוך אל הר סיני יער עצי שטים וכבאם שם אמר להם ששם יתעכבו הרבה ואין עליהם ענן. אז עשה כל אחד סוכה והנשיאים עשו כדמות חצרות כל אחד כפי מעלתו וכרתו כל היער כי עם רב היה ועשו סוכות ומשה לא דבר להם דבר המשכן רק אחר יום הכפורים: *Dicimus itaque, prope montem Sinai fuisse sylvam lignorum Cedrinorum: ad hanc cum venissent, dixit ipsis Moses, illos moram longam illic facturos sine Nube. Tunc itaque quisque illorum sibi construxit tugurium, & principes quidem majora, instar palatiorum, quisque nimirum pro suæ dignitatis gradu, ad quæ conficienda succiderunt totam sylvam, quia populus fuit plurimus. Moses autem nihil ipsis dixerat de Tabernaculo conficiendo, nisi post Diem expiationum*. Itaque, ex ejus sententia, postea progredientes hæc detulerunt, & ad Tabernaculum exstruendum contulerunt, juxta id quod legitur Exodi 35. 24. *Quicunque offerebat oblationem argenti & æris, attulerunt oblationem* DOMINO: *omnis item, apud quem inveniebantur ligna Sittim ad omne opus ministerii, attulerunt*.

Don Isaac Abarbenel fol. 190. 2. aliam habet sententiam; והיותר נכון הוא שהיו באים עמים מכל הסביבות אל מחנה ישראל למכור כל מיני סחורות ומשם קנו השמן למאור והבשמים ושמן למשחה ולקטרת כי אין לחשוב שהוציאו כל זה ממצרים ומשם גם כן קנו שטים: *Rectius*, inquit, *est ut dicamus, venisse ex omnibus circumjacentibus regionibus populos in castra Israelitarum, qui ipsis omnis generis merces adveherent & venderent. Ab his illi compararunt Oleum ad luminare, Aromata, Oleum unctionis, suffimenta ad adolendum. Non enim existimandum est, illos hæc omnia secum ex Aegypto tulisse. Et ab his compararunt etiam ligna Schittim seu cedrina*.

Rivetus in Comment. in Exodum: *In eorum potius concederem Sententiam, qui ligna illa ex Aegypto fuisse ab Israelitis allata, seu in usum tabernaculorum, seu ob ligni raritatem alibi, quod cum paratum esset & siccum, aptius fuit ligno viridi ad constructionem Arcæ & Tabernaculi. Non moror fabulas R. Tanchumah, & similium, asserentium, Jacobum tales arbores plantasse in Aegypto, & futurorum præscium, jussisse Israelitas, ut ligna illa secum deferrent. Est enim hæc intoleranda quidvis asserentium audacia. Sed quemadmodum hoc tempore asservantur ligna, quæ sunt alicujus pretii; exempli gratia Buxi, Ebeni, & similia, ad opera quædam eximia, & pretiosiorem supellectilem: sic Hebræos secum habuisse ligna illa Sittim, quibus, postquam pervenissent in terram promissam, uterentur, ad scitum aliquod & arte exquisita elaboratum opus; quomodo nunc lignis, ex India advectis variarum specierum, videmus armaria*

maria sanctiora fieri, condendæ pretiosæ supellectili. Sic puto apud Israelitas ligni illius selecti & exquisiti reservatas fuisse tabulas, quas postea in usum Sanctuarii obtulerunt.

3. *Quomodo Arca hæc fuerit intrinsecus & extrinsecus Auro obducta?*

Voluit Deus, ut Arca intus & extus obduceretur Auro, & quidem, ut Hebræi volunt, non ea ratione, qua Lignea, Aerea, Argentea, &c. vasa tenuibus foliis aureis incrustantur, *quia illa ligno non ita solide adhærent, neque durabilia sunt, & ætatem ferre possunt*, scribit R. Levi, sed solidi & ductilis auri laminis, quemadmodum hodieque solent Arcæ ligneæ ferro obduci. Hinc dicitur, *Et obducet eam auro puro*. Unde scribunt Talmudici in Tractatu Joma, quod באלו incipit, & in Schekalim cap. 6. כיצד עשה בצלאל את הארון עשאו שלש תיבות שתים של זהב אחת של עץ. נתן של עץ בתוך של זהב ושל זהב בתוך של עץ: *Quomodo fecit Bezaleel Arcam? Fecit quasi tres Arcas, duas Aureas & unam ligneam. Ligneam indidit aureæ, & auream alteram indidit ligneæ, & labia superiora obduxit auro, ut instar unius Arcæ esset;* non quod revera tres Arcas fecisset, sed quod ita obducta esset, ut tres Arcæ videri possent. Meminerunt hujus & R. Salomon in suis Commentariis, Aben Esra, Bechaj, & alii. Quia vero huic rei obstare possit pondus nimium Arcæ, quod inde consequatur, ut portantes eam ejus onere præter modum pressi fuissent, ideo addit Abarbenel, ואחשוב שהיה צפוי הזהב דק ורחוק הוא שיהיו שלש ארונות כי יהיה המשא כבד ולא יוכלו לשאת אותם ד׳ אנשים על בתפיהן כל שכן עם כובד הכפורת והכרובים: *Existimo ego, obductionem hanc auream fuisse ex laminis tenuibus: Et enim absurdum est tres fuisse Arcas (distinctas:) onus enim illarum gravius fuisset, quam ut eas quatuor viri humeris suis portassent, in primis si eis addatur gravitas Operculi & Cherubinorum.* In eundem sensum scribit etiam R. Levi ben Gerson. Fl. Josephus Antiq. Jud. lib. 3. cap. 6. *Eratque intus & extra tota laminis aureis incrustata, latente ligno.*

Ex hac Arcæ, intus & extus Auro obductæ, fabrica, hanc Darschanim seu Homilictæ Hebræorum non ineptam plane eliciunt νουθεσί pro Doctoribus, כמו שהיה הארון זהב מבפנים ומחוץ כן יהא תלמיד חכם תוכו כברו *Quemadmodum Arca intus & extus fuit aurea, sic Discipulorum sapientum* (h. e. Doctorum) *interius debet esse, sicut exterius*. Bechaj fol. 102. col. 2. Tanchumah mihi fol. 42. col. 4. Talmud Joma fol. 72. col. 2.

R. Abraham Seba in Tzeror hammor scribit: Obduces eam auro; *quia Lex in ea reponenda fuit, quæ est* Aurum, & multitudo margaritarum, Proverb. 20. 15. Intus & exterius obduces eam, שצריך לב טהור ונקי לעסוק בה בענין שיהיה האדם פיו ולבו שוים בענין שיהיה תוכו כברו כמאמרם ז״ל: *quia requiritur* Cor *purum & innocens ad ejus studium, sicut requiritur ut Os & Cor hominis correspondeant, &, ut Rabbini nostri dicunt, interius ejus, sit sicut ejus exterius.*

Calvinus: *Voluit Deus aurum in tota superficie, atque etiam vectibus, fulgere, quo pluris fieret Legis dignitas.* Et postea hanc movet quæstionem; *Quid ad Dei cultum sumptuosus tam Arcæ, quam Tabernaculi, & Vasorum omnium, splendor contulerit; cum certum sit, Deum nunquam voluisse coli, nisi pro sua natura, ac proinde cultum ejus semper fuisse spiritualem, ideoque minime situm in pompis externis?* de qua Lector illum ulterius adeat. Nos historiam Arcæ nunc potissimum tractamus, non ejus mysteria, de quibus tamen fortasse etiam aliquid suo loco.

Et sic est Materia ex qua.

CAPUT V.

De iis, quæ in Arca fuerunt. An præter Tabulas, etiam Volumen Legis; Virga item Aharonis, & Urna Mannæ?

SEcundo consideranda venit *Materia in Arca contenta*, *quæ* describitur Exod. 25.16. ונתת אל הארון את העדת אשר אתן אליך *Et pones in Arcam Testimonium, quod tibi dabo.*

Per *Testimonium* intelligi *Legem Dei* exagonium est, ut nulla vel declaratione vel probatione indigeat. Quia vero *Lex Dei* continebatur *tum in Tabulis primis*, quas Moses accepit, & confregit, cujus fragmenta asservabantur: *tum in tabulis secundis integris; tum* etiam *in Volumine Legis* a Mose scripto, hinc Quæstio exsurgit;

An

An in Arca fuerint tantum Tabulæ Legis integræ? An vero etiam Fragmenta Tabularum? vel etiam præter hæc Volumen Legis; Aharonis item Virga, & Urnula mannæ?

Varia ſunt Authorum hac de re judicia;

Qui duas ſtatuunt Arcas fuiſſe, illi volunt, in Arca, in Sancto Sanctorum repoſita, nihil aliud fuiſſe, quam Tabulas Legis integras, Moſi in monte Sinaj datas, cum ſecundo illum conſcenderet: Fractas & Librum Legis in peculiari Arca aſſervatas fuiſſe: Alii volunt, præter Tabulas Legis, (ſc. integras) etiam Virgam Aharonis, & Urnulam Mannæ in ea fuiſſe repoſitam.

Qui unam tantum Arcam fœderis ſeu Teſtimonii aſſerunt, illi iterum in partes abeunt. *Alii* enim ſentiunt, in ea fuiſſe Tabulas Legis tam integras, quam fractas: Librum Legis in alia arca, a latere Arcæ fœderis, ſeu ante eam, fuiſſe repoſitum, ut & Virgam Aharonis, Urnulam Mannæ, & Lenticulam olei; *Alii* volunt, Tabulas utraſque & Volumen Legis in Arca fuiſſe; reliqua vero in Arca peculiari: *Alii*, hæc omnia ſimul in Arca collocant.

Cauſam hujus varietatis & dubitationis præbent diverſa Scripturæ loca, quæ diverſimode hac de re videntur loqui.

Exo. 25. poſteaquam Deus mandatum dediſſet Moſi faciendi Arcam, nihil aliud jubet in eam reponere, quam *Teſtimonium*, h. e. Tabulas fœderis, v. *16. Et pones in ea* את העדות *Teſtimonium, quod tibi dabo*. Et cap. 40. cum Tabernaculum erigeretur, & ſingula in ſuum locum reponerentur, legitur; *Tulitque Moſe, & poſuit Teſtimonium in Arca ipſa*, v. *16.* Sic in repetitione Legis, Deuteron. 10. v. 5. *Converſus autem deſcendi de monte, poſuique Tabulas in Arca, quam feceram, & fuerunt illic, quemadmodum mihi præceperat Dominus*. Sic 1. Reg. 8. cum transferretur Arca in Templum, v.9. dicitur; *Non erant in Arca, niſi duæ Tabulæ lapideæ, quas illic repoſuerat Moſe in Horebo*, &c. Et hinc etiam nomen *Arcæ fœderis* vel *Teſtimonii* obtinuit. Hæc videntur docere, *Solas Tabulas* fuiſſe in Arca.

De Tabulis fractis quidam explicant Deuteron. 10. v. 2. *Et ſcribam in illis tabulis verba, quæ erant in prioribus, quas fregiſti*, ושמתם *& poſuiſti in arca*. Sic enim explicari poteſt, quia verbum eſt præteritum. Vide Tanchumah fol. mihi 42. 4.

Deuteron. 31. v. 25. 26. Præcipit Moſes Levitis portantibus Arcam fœderis Domini, dicendo; *Capite Librum iſtum Legis & ponite eum* מצד ארון *a latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri, ſitque ibi* בך *In te*, h. e. *inter vos*, vel *tibi in teſtimonium:* hic videtur doceri, *Librum Legis* quoque repoſitum fuiſſe in Arca fœderis.

2. Reg. 22. 8. Cum pius Rex Joſias inſtauraret Templum, & eo nomine Saphanem miſiſſet ad Hilkijam Sacerdotem magnum, dixit Hilkija iſte ad Saphanum, *Inveni Librum Legis in domo Domini*, ubi Arcæ nulla mentio, ut videatur voluiſſe dicere, ſe Librum Legis in gazophylacio aliquo reperiſſe.

Exod. 16. v. 33. dicit Moſes ad Aharonem; *Sume urnam, & pone in ea plenum Omer Mannæ, ac repone illam* לפני יי *coram Domino in cuſtodiam in generationes veſtras* [perpetuam]. Hic *Coram Domino* interpretes omnes volunt idem eſſe, quod, *coram Arca teſtimonii*. Ut ſic videatur hinc etiam *Urna Mannæ* in Arca fuiſſe aſſervata.

Numeror. 17. 10. de Virga Aharonis florente, & amygdala matura producente, dicit DOMINUS ad Moſen; *Refer virgam Aharonis* לפני העדת *coram Teſtimonio*, (h. e. Lege, quæ in Arca erat) *in cuſtodiam, in ſignum filiis rebellibus*. Ex quo videtur, etiam *Virgam Aharonis* in Arca fuiſſe.

Hæc duo ultima confirmare videtur Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, cap. 9. ubi de Tabernaculo loquens v. 3. & 4. ſcribit: *Poſt medium autem autem velum erat* σκηνὴ *Scena* (ſeu *Tabernaculum*) *quam vocant Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum*, καὶ τὴν κιβωτὸν *& Arcam fœderis undique, tectam auro*, ἐν ᾗ *in qua erat Urna aurea habens Manna, & Virga Aharonis quæ germinavit, & Tabulæ fœderis. Supra hanc autem Cherubini*, &c.

Hæc fere ſunt loca, quæ ſcrupulum moverunt Interpretibus, & eos in varias Sententias diſtraxerunt, ut vix aliquid certi ſtatuere potuerint, & quidem tam inter Hebræos, quam inter Chriſtianos.

Hinc prolixæ leguntur in utroque Talmude hac de re veterum Rabbinorum diſputationes.

In Talmud Babylonico Tract. Bava baſra fol. 14. 1. *Arca, quam Moſes fecit, duorum cubitorum & dimidii erat Longitudo ejus; Cubiti cum dimidio, Latitudo ejus;*

Cubitum item cum dimidio habebat altitudo ejus: Cubitus quiſque ſupputatur ſex palmorum, Tabularum longitudo erat ſex, latitudo ſex, & craſſities tres (palmos.) *Collocatæ autem erant tabulæ in arca ſecundum longitudinem Arcæ.* כמה לוחות אובלורה הארון. שנים עשר טפחים נשתיירו שם שלשה טפחים צא מהן טפח חציו לכותל זה וחציו לכותל זה נשתיירו שם שני טפחים שבהן ספר תורה מונח שנ׳: *Quantum itaque ſpatium occuparunt Tabulæ in Arca? Duodecim palmos: unde tres remanſerunt reſidui: ab his detrahe palmum; dimidium ſcilicet pro latere uno, & dimidium pro latere altero, reſidui manent palmi duo; in quibus collocatus erat Liber Legis, ſicut dicitur;* אין בארון רק שני לוחות האבנים Nil erat in Arca, niſi duæ Tabulæ lapideæ, quas poſuerat illuc Moſes, 1. Reg. 8. 9. מאי אין בארון רק מיעוט אחר מיעוט *Quid ſibi vult*, Nil *erat in Arca* niſi; *diminutio poſt diminutionem*, h. e. *Quid ſibi volunt duæ adhibitæ particulæ excluſivæ*, אין רק Nil, Niſi? אין מיעוט אחר מיעוט אלא לרבות ספר תורה שמונח בארון: *Non adhibetur excluſiva poſt excluſivam hic, niſi ad includendum Librum Legis, qui repoſitus erat in arca. Jam ergo ubi poſitis in Arca tabulis replevisti Arcam ſecundum longitudinem, reple etiam eam ſecundum ejus latitudinem, & ſupputa, quantum ſpatii ſint inſumpturæ? Sex palmos* (quia unaquæque Tabula habebat ſex palmos, tam in longitudine, quam in latitudine:) *Sic remanent in reſiduo tres palmi: ab his detrahe unum, medium ſcil. pro pariete ſeu latere uno, & medium pro pariete altero, remanebunt duo palmi, in eum finem ne Liber Legis, ſi vel educatur, vel indatur, comprimatur* [& ſic forte lædatur.] *Et hæc quidem ſic dicuntur ſecundum ſententiam R. Meir.* [Hæc, quæ nonnihil obſcure hic dicuntur, paulo clarius proponuntur in Talmud Hieroſolymitano, Tractatu שקלים c. 6. in hunc ſenſum: *Rabbi Meir dixit, Arcam fuiſſe factam cubito ſex palmorum, ut Longitudo Arcæ fuerit quindecim palmorum, quia ſcil. fuit duorum cubitorum & dimidii: Jam vero in ea fuerunt quatuor Tabulæ, & unaquæque in longitudine habuit ſex palmos, & in latitudine ſex. Quod ſi ergo addatur longitudo Arcæ ad ejus latitudinem, reſidui manebunt tres palmi, ex his ſi detrahatur unus pro parietibus ſeu lateribus, remanebunt duo palmi pro volumine Legis*] Sequitur in Talmud. Babyl. *R. Jehuda dixit; Cubito quinque palmorum; facta ſcil. eſt Arca. Tabularum autem tam longitudo, quam latitudo, fuit ſex palmorum, & craſſities trium. Si jam in Arcam reponantur ſecundum ejus longitudinem, quantum ſpatium occupabunt Tabulæ? Duodecim palmos: itaque remanet dimidius palmus: digitus unus pro pariete uno, & digitus pro pariete altero; & ſic reples arcam ſecundum ejus longitudinem. Reple eandem ſecundum latitudinem. Quantum ſpatium ſecundum eam occupant Tabulæ? ſex palmos, unde remanet palmus cum dimidio: hinc detrahe dimidium palmum, digitum videlicet & dimidium pro pariete uno, & dimidium pro pariete altero, reſiduus manebit Palmus, in quo ſcilicet Columellæ ſtabant, ſicut dicitur;* Thalamum ſibi fecit Rex Salomon, ex lignis Libani, cujus Columnas fecit ex argento, ſtratum ex argento, cœlum ex purpura, &c. Cantic. 3. 9. 10. *Capſa autem illa, quam Philiſtæi dono miſerunt Deo Iſraelis, poſita erat* מצדו *ad latus ejus, ſicut dicitur;* Et Vaſa aurea, quæ reddidiſtis ei pro expiatione peccati, ponetis בארגז in capſa, מצדו ad latus ejus, & dimittite eam, & abeat, 1. Sam. 6. 8. *Et ſuper hanc depoſitus fuit Liber Legis, ſicut dicitur;* Capite librum iſtum Legis, & ponite eum a latere Arcæ fœderis Domini, Deuter. 31. 26. *Itaque* מצד הוא מונח ולא בתוכו *a latere ejus fuit poſitus, non intra eam,* ומה אני מקיים אין בארון רק לרבות *Quomodo autem explicabo quod dicitur;* Nil erat in Arca niſi &c.? שברי לוחות *Ad includendum Tabulas fractas &c.* [ut ſc. duæ excluſivæ denotent duplices Tabulas] Et mox: R. Jehuda dicebat, מקמי דליתי ארגז ספר תורה היכא הוה יתיב *Antequam veniret capſa illa* (Philiſtæorum; quia ſupra dictum fuit, ſupra hanc jacuiſſe librum Legis) *Liber Legis ubi jacebat?* דפא הוה נפיק מיניה ויתיב עילוה ספר תורה *Tabula prominebat ex ea* (ſc. Arca) *& ſuper ea jacebat Liber Legis* [ſc. ſecundum ſententiam R. Jehuda.) *R. Meir autem dicebat,* האי מצד ארון מאי עביד ליה לעולם בגויה מן הצד *Hoc* [phraſis iſta] Ad latus ejus, *quomodo explicandum? Semper ſignificat* Intra eam ad latus. *Columellæ autem* [argenteæ] *ubi ſtabant? Exterius. Porro quomodo vel unde probavit R. Meir, quod Fragmenta Tabularum fuerint in Arca? Ex eo quod R. Huna dixit. Dixit enim ille; Quid eſt quod ſcriptum eſt,* אשר נקרא שם שם ה׳ צבאות יושב הכרובים עליו 2. Sam. 6. 2. *Hoc docet, quod Tabulæ integræ & fractæ repoſitæ fuerint in Arca. R. Jochanan dixit, nomine R. Simeonis ben Jochaj; docere id,* שהשם וכל כנויו *quod Nomen Tetragrammaton, & omnia ejus cognomina, repoſita fuerint in Arca* &c. Raf Joſeph probavit, Tabulas fractas quoque in Arca fuiſſe, ex eo quod ſcriptum eſt, אשר שברת ושמתם *Tabulas quas fregiſti, & poſuiſti.* Deut. 10. 2. &c.

Eadem ex parte leguntur in Gemara Hieroſolymitana Schekalim cap. 6. ubi pro eo,

eo, quod in superiori traditione dictum fuit, *Tabulam ex arca prominuisse, super quam positus fuerit liber Legis*, illic dicitur; כמין גלוסקום עשה לו מבחוץ והיה ספר תורה נתון לתוכו *Instar γλωσσοκόμυ scrinioli fecit ei*, [Arcæ] *Moses, & intra illud inditus fuit Liber Legis &c.* Glossa ad גלוסקום notat; דף אחר בולט עשוי כמין גלוסקום *Tabula quædam prominebat facta instar capsellæ*. Manasses ben Israel in Conciliatore vocat *Pluteum arcæ affixum*.

Sic Veteres illi Rabbini hac de re statuerunt, ut non semper serio egisse, sed quandoque etiam ingenio ludere voluisse videantur. Et hinc etiam Neoterici, cum nihil certi ex illorum traditionibus elicere potuerunt, diversimode pronuntiarunt.

R. David Kimchi ad 1. Reg. 8. ad; *Nil erat in arca nisi duæ Tabulæ lapideæ*, scribit; זה ראיה כי לא היו בארון לא שברי לוחות ולא ס״ת וארון שבו ס״ת נראה כי נתנוהו באוצרות בית יי׳ עם אהל מועד ועם הכלים וכו׳: *Hic habetur probatio, quod in Arca, neque Tabulæ fractæ fuerint, neque liber Legis: & quod Arcam illam, in qua fuit liber Legis, retulerint in thesauros seu gazophylacia domus Domini, cum tentorio conventus, & cum reliquis vasis. Et sic videtur colligi ex verbis Chilkijæ Sacerdotis;* Librum Legis inveni in domo Domini, 2. Reg. 22. 8. *Colligitur enim hinc, illum fuisse in loco inusitato, & illo tempore ignoto.*

R. Levi ben Gerson: זה לא ישלול שלא היו שם הדברים שנזכרו בתורה שהם מונחים בו כמו מטה אהרן וצנצנת המן אך שלל בזה שלא היה שם מהתורה רק עשרת הדברים כי הם מקיפים בכח כל התורה: *Hoc non negat, ibi fuisse ea, quæ commemorantur in Lege in eam fuisse reposita, ut, Virgam Aharonis, & Urnulam Mannæ; sed negat tantum, de Lege ibi quicquid aliud fuisse collocatum, præter Decalogum; eo quod ille summam contineat totius Legis.*

Idem ad Numer. 17. 10. Refer virgam Aharonis *coram Testimonio* in custodiam: *Sic invenimus quoque scriptum de Urnula Mannæ, quod posuerint eam* coram Testimonio in custodiam, Exod. 16. 33. 34. (*quia Arca vocatur* Arca Testimonij) *propter Tabulas quæ fuerunt in ea, quæ sunt Testimonium Legis & quæ ad eam pertinent. Ex eo autem quod dicit* coram Testimonio, *potius quam*, coram Arca, *discimus*, שבתוך הארון היו *quod intra Arcam fuerint* [Urna Mannæ, & Baculus Aharonis.] *Nam si extra eam fuissent, dicendum ipsi fuisset* coram Arca, *non*; coram Testimonio. *Quo accedit, quod in meliori custodia fuerint in Arca*, [*quam extra eam.*] Vult dicere, dum Moses inquit, *coram Testimonio*; illum voluisse dicere, *Coram Tabulis*. Ante Tabulas autem uon potuisse reponi, nisi intra Arcam essent.

Aben Esra ad Exod. 25. 16. scribit: הלוחות הם העדות כאילו הם כמו שטר כתובה והם לוחות הברית · והעד נאמן ויקח ויתן את העדות אל הארון · ועוד כי לא כתב משה ספר תורה וספר התורה שמוהו הכהנים מצד ארון ברית יי׳ מחוץ ·ועוד כתוב אין בארון רק שני לוחות אבנים וכו׳ *Tabulæ vocantur* Testimonium (*cujus ibi mentio*) *ac si essent instar Pactorum dotalium; Tabulæ inquam fœderis. Cujus rei clarum testimonium est quod dicitur;* Et posuit Testimonium in arca: Præterea *quia tum nondum scripserat Moses librum Legis, & quia librum Legis sacerdotes posuerunt ad latus Arcæ fœderis Domini exterius* (non Moses:) *quia etiam* 1. *Reg.* 8. *scriptum est;* Nil erat in arca, nisi duæ Tabulæ lapideæ. *Potest autem hic quæri; Deus dicit hic ad Mosen;* Et pones in Arcam Testimonium, quod daturus sum tibi: *Alibi dicitur*, Et dedit ipsi Mosi, cum finem fecisset loquendi cum eo in monte Sinaj, duas Tabulas testimonii, tabulas, inquam, lapideas scriptas digito Dei, Exod. 31. 18. *Atqui vero has confregit, & sic non implevit Legem Dei. Responderi potest; Fortassis hujus rei causa Sapientes nostri dixerunt, Tabulas fractas repositas fuisse in arca. Neque Scriptura refellit ipsorum sententiam. Tabulæ enim tam priores, quam posteriores, sunt Tabulæ fœderis. Deinde possumus etiam dicere; Scripturam hic* (Exod. 25. 16.) *tantum loqui de Tabulis secundis. Neque contra objici potest quod ibi additur*, Quod ego tibi dabo. *Nam etiam de secundis tabulis scriptum legitur;* Et dedit eas Deus mihi, Deut. 10. 4. *Præterea, non legimus, Deum Mosi præcepisse facere Arcam, & in eam reponere Tabulas priores: haud enim ignoravit Deus, Mosen illas fracturum; sed de Tabulis, quas Moses dolavit, dicitur*, Et facies tibi Arcam ligneam, Deut. 10. 1. *Sapientes prisci voluerunt, non de Arca Bezaleelis hoc dictum esse: & rectum est. Juxta sensum autem literalem non absurdum videtur mihi, quod de Arca, quam Bezaleel fecit, hoc sit intelligendum. Sic enim dicitur de illa;* Et facient Arcam ex lignis Sittim [*in numero plurali, ut proinde non possit intelligi de Arca peculiari, a Mose facta.*] *Neque est quod quis quærat, quonam ergo illæ tabulæ primæ fuerint repositæ, usque dum erectum fuerat Tabernaculum? Nihil enim necesse fuit hoc commemorare. Ad hanc expositionem adigit me, quia dicitur;* Et posui Tabulas in arcam, quam feci, Deut. 10. 5. *Si dicatur, rem enarrari prout facta fuit, etiamsi ignoremus ratio-*

nem, quare illud dicat; quid faciemus illi quod ibidem mox sequitur; Et fuerunt illic, quemadmodum præceperat mihi Dominus? *hoc certe evidens argumentum est, Mosen loqui de Tabulis, quas in Arcam fœderis posuerat, & quæ ibi erant usque ad diem hanc*, sicut dicitur 1. Reg. 8. 8. Ecce fuerunt ibi usque ad diem hanc גם לאות ולעד כי ספר תורה לא היה בארון. *nec minus testimonio, quod Liber Legis non fuerit in Arca*. Nam primo *posuit Tabulas in Arcam*, deinde *imposuit ei Operculum, cum Cherubinis*, tertio *descendit & habitavit Gloria Divina* [in nube] *super Cherubinis. Quibus ita positis, quomodo imposuisset Moses librum Legis anno quadragesimo post intra Arcam, nisi removeret operculum ab Arca, una cum Cherubinis?* (subintellige, quod non potuit facere, nec fecisse legitur) *Sed non opus est his omnibus*. Hactenus Aben Esra.

Abarbenel ad 1. Reg. 8. 9. in hanc inclinat sententiam*; In arca fuisse, tum Tabulas fractas, tum Integras, tum etiam Librum Legis; nequaquam vero etiam Urnam Mannæ, & Virgam Aharonis. De* Tabulis *probat authoritate Rabbinorum veterum, qui voluerunt, utrasque Tabulas in Arca fuisse. De* Libro Legis, *dicit se sequi etiam illorum sententiam, qui statuerunt, Illum, non extus in quodam scrinio, sed intra Arcam fuisse;* כי היו הלוחות וספר התורה ממין אחד ומה שכתוב בזה כתוב בזה ולכן היה ראוי שישבו יחד *quia sc. Tabulæ, & Liber Legis fuerint ejusdem speciei, & quod scriptum erat in illis, idem scriptum erat in hoc* [Libro Legis.] *Itaque decuisse, ut in uno eodemque etiam loco essent*. כל זה היה התורה אחת וכאלו אותו הארון היה מקום התורה ובית גנזיה אם הכתובה באבנים ואם הכתובה בגוילים: *Omnia hæc*, inquit, *fuerunt Lex una, perinde ac si Arca esset locus Legis, ejusque gazophylacium; tam ejus quæ scripta fuit in Lapidibus, quam quæ scripta fuit in membranis*. Præterea existimat, quia jam probavit, ut supra visum, in Israele non fuisse nisi Arcam unam, se etiam simul hoc evicisse; quod necessario hæc omnia debuerint in ea fuisse. Itaque quod 1. Reg. 8. 9. dicitur; *Non fuerunt in Arca, nisi duæ Tabulæ lapideæ, quas illic reposuerat Moses in Horeb* אשר כרת *quas pepigit Dominus cum filiis Israel* &c. ejus sensum esse; אין בארון דבר אחר לא צנצנת המן ולא מטה אהרן ולא דבר קדושה אחרת כי אם התורה האלהית וזה אם הלוחות השניים ר״ל השלמות והנשברות כי על כלם נאמר שני הלוחות כפי מכתבם ואם התורה והמצות אשר כרת השם עם בני ישראל בהוציאו אותם מארץ מצרים שהיו שם בספר התורה אשר כתב משה: *Nulla alia res fuit in Arca, non Urna Mannæ, non Virga Aharonis, vel ulla alia res sancta; sed sola Lex Divina; eaque tum in Tabulis utrisque tam integris quam fractis; tum etiam in Lege & Præceptis, comprehensa*, אשר כרת *quam* [Legem] *pepigit Deus cum filiis Israel, cnm educeret eos ex Aegypto, quæque tum comprehensa fuerunt in libro Legis a Mose scripto*. Ideo, quando dicitur, אשר כרת *non significari, quod Tabulas pepigerit Deus cum Israele, sed Legem & Præcepta, per ellipsin copulativæ* ו ET, *quasi dixisset*, ואשר כרת Et id quod pepigit Deus cum Israele*; nempe Liber Legis*.

Hanc Abarbenelis expositionem refutat R. Samuel Laniedo in כלי יקר Kelijakar fol. 411. & 412. col. 1. *Literalis*, inquit, *sensus horum verborum* אשר כרת עם בני ישראל *est de Decem præceptis, quæ in Tabulis scripta fuerunt, non vero de Libro Legis. Arguit hoc, quod statim sequitur*, Cum egrederentur ex Ægypto; *hoc idem valet quod*, proxime & statim post egressum illorum ex Ægypto: *hoc vero factum est per data Decem præcepta, non per Librum Legis. Deinde idem evincit absentia copulæ* ו Et, *quando dicitur* אשר כרת [non ואשר.] *His enim verbis rationem quasi reddit Scriptura, quare in Arca nihil præter Tabulas lapideas fuerit; quod sc. Moses illas eo reposuerit, & quod res fuerit, quam pepigit Deus cum filiis Israelis statim ab egressu illorum ex Aegypto; eaque omnium charissima & pretiosissima, cum qua nulla alia sit commiscenda*,

Quod ad *Librum Legis* attinet, qui Deut. 31. 26. jubetur *a Sacerdotibus accipi & reponi ad latus Arcæ*, quod nonnulli de latere interiori accipiunt, & proinde idem esse volunt, quod, *In arcam*; quæritur, utrum intelligatur non de Libro Legis toto, prout hodie eum habent V. Libris comprehensum, sed de solo Deuteronomio? Abarbenel videtur accipere generaliter de tota Lege, una cum Deuteronomio, usque ad ejus finem. Sic enim scribit: *Jubentur Levitæ ferentes arcam accipere librum Legis, una cum Cantico Mosis, & reliquis quæ sequuntur usque ad finem, quæ jam in eo scripta erant, & eum reponere ad latus Arcæ fœderis Domini, idque propter Canticum (Deuteron. 31.) de novo additum, in Testimonium: ideo enim Liber Dei tam diligenter erat custodiendus, ideo etiam deposuit Deus Librum Legis in manum Levitarum arcam ferentium, ut reponerent eum in latere Arcæ, quo illic extaret Testimonium illud fideliter custoditum, neque ullus illud falsare aut adulterare posset.*

ſet. Nequit enim homo falſare aut depravare aliquid in libris, in manum Tribuum integrarum, & Sacerdotum, depoſitis. Ille enim liber Legis in arca, ad latus ejus, repoſitus, de falſo commiſſo teſtaretur. וראוי היה שיושם ספר התורה בצד הארון כי לפי שהיו בו לחות הברית שהם אוצר התורה וכוללים לכל מצותיה היה ראוי שתדבק התורה האלהית ללוחות והם אליה כמו שידבק הכלל לפרטיות : *Et ſane decuit, ut liber Legis in latere Arcæ ſeu in arca reponeretur: quia enim in ea fuerunt Tabulæ fœderis, quæ ſunt Theſaurus Legis, comprehendentes generaliter omnia præcepta ejus, conveniebat utique ut Tabulis adhæreret & adjungeretur Lex Divina, quia illa ſe ad invicem habebant, ut Univerſale & particulare.* Vide eundem ad v. 9.

Sic R. Levi ben Gerſon, qui tamen vult, ad latus Arcæ exterius, non intra arcam fuiſſe: ſic enim ſcribit: צוה לקחת את ספר התורה הזאת ולשום אותו מצד ארון ברית יי׳ להורות שכולו היה מפי הגבורה כמו שהיו עשרת הדברים אשר בארון מפי הגבורה: *Præcepit, ut acciperent librum Legis hujus, eumque reponerent a latere Arcæ fœderis Domini, ad docendum, Totam Legem eſſe ex ore Dei omnipotentis, quemadmodum Decem præcepta, quæ in Arca fuerunt, ex ore Dei fuerunt.*

R. Moſes Majemonides in Præfatione libri Jad: *Totam Legem ſcripſit Moſes præceptor noſter, antequam moreretur, manu ſua propria, & dedit exemplar unicuique tribui: Unum vero dedit reponendum in arcam in teſtimonium, ſicut dicitur;* Capite librum Legis iſtum, & ponite eum a latere arcæ fœderis &c.

R. Abraham Seba in Tzeror hammor, ſect. וילך circa finem; ואמר שצוה ללוים שיקחו את ספר תורת הזה לרמוז שספר תורה אחר היה שם וישימו אותו מצד ארון ברית יי׳ ויהיה שם לעד על בני ישראל כשיעברו על דברי התורה ׃ ואם באולי אפשר שישראל יעברו על התורה ויאבדו ספרי תורתם שיהיה ספר התורה הזה שמור ביד הליים לעד לעולם להיות להם לעד והנה צוה שישימו אותו מצד ארון ברית יי׳ להיות גנוז ושמור ולכן נקראו הלויים שומרי התורה דכתיב כי שמרו אמרתיך כנגד המצות ובריתך ינצורו על שמירת הספר: *Præcipit Levitis, ut accipiant Volumen Legis hujus, nempe aliud quam quod Moſes tum ſcripſerat, qui illic erat, & reponant eam ad latus Arcæ fœderis, ut ibi ſit in teſtem contra filios Iſrael, ſi tranſgreſſi fuerint verba Legis; &, ſi forte contingat, ut tranſgrediendo Legem, amittant volumina Legis, ibi præſto ſit hoc exemplar cuſtoditum ſub cura Levitarum, in perpetuum, in teſtimonium ipſis. Hinc mandavit, ut eum reponerent ad latus Arcæ fœderis; quo ſc. ibi cuſtodiretur, & conſervaretur. Hac de cauſa vocantur Levitæ Cuſtodes Legis, ſicut dicitur;* Nam cuſtodiunt eloquium tuum, (*nempe, Præcepta*) & fœdus tuum ſervant (*cuſtodiendo ſc. Volumen Legis*) Deut. 33. 9.

In Devarim rabba ſect. וילך fol. mihi col. 300. col. 3. *Rabbini noſtri dixerunt; Cum reſciviſſet Moſes, ſibi moriendum eſſe, eo die quid fecit? Rabbi Jannai dixit; Scripſit tredecim exemplaria Legis, duodecim pro ſingulis tribubus,* ואחר הניח בארון *& unum repoſuit in arca, quo, ſi quis vellet aliquid depravare, recurrere poſſent ad illud exemplar, quod in arca erat.*

Jonathan ben Uziel, Paraphraſtes Chaldæus, verſum illum Deut. 31. 26. ita exponit: סבו ית ספרא דאוריתא הדא ותשוון יתיה בקופסא מן צטר ימינא דארון קימא דיי׳ אלהכון ויהי תמן בכון לסהיד: *Reponite librum Legis hunc, & reponite eum in capſa, ad latus dexterum arcæ fœderis Domini Dei veſtri, & ſit illic inter vos in Teſtimonium.* Videtur ille per קופסא intelligere ſcriniolum, vel capſellam aliam, ad latus Arcæ affixam, vel adjectam.

Sic iſti omnes hoc mandatum *de Toto Libro Legis* acceperunt. Quam ſententiam approbat & Franciſcus Junius in notis ſcribens: *Qui autem hoc libro ſolum Deuteronomium, id eſt,* τὴν δευτέρωσιν τοῦ νόμου *contineri putant, ii anguſtiorem, quam par eſt, ad hunc locum interpretationem afferunt. Nam iniquum foret, ſive hanc* δευτέρωσιν, *ſive Canticum ipſius, ita commendari, omiſſa Lege ipſa, & toto libro Moſis: & certum eſt, hoc demum a Moſe Sacerdotibus imperatum eſſe, quum exaraviſſet omnia, quæ fuerunt opus in illo ipſo libro fœderis authentico, cujus ſæpe mentionem fecit, ut Exod. 17. & 24. & alibi paſſim.*

Author libri Coſri videtur ſtatuiſſe, ſolas Tabulas fuiſſe in Arca. Nam par. 1. §. 87. ita ſcribit; וסרו אלה הסברות במעמד הגדול ההוא ומה שלוה אליו אל הדבור; האלהי מן המכתב האלהי שחקק עשרת הדברות האלה בשני לוחות אבנים יקרות ונתן אותם אל משה וראו אותם מכתב אלהי כאשר שמעו אותם דבור אלהי ועשה להם במצות האלהים ארון וכו׳: *Iſtæ opiniones* (Philoſophorum) *refutantur per Stationem illam magnam* (in monte Sinai,) *& per Scripturam Divinam, comitantem Sermonem Dei, dum Decem illa præcepta inſculpſit duabus Tabulis e lapidibus pretioſis, eaſque Moſi dedit, in quibus viderunt & agnoverunt Scripturam Divinam, quemadmodum ex ore Dei ea audiverunt. Moſes dein, ex mandato Dei fecit pro il-*

lis

lis Arcam &c. Et parte 2. §. 28. שרש החכמה מופקד בארון אשר הוא במדרגת הלב ר"ל י' הדברים *Radix seu fundamentum Sapientiæ depositum fuit in Arca, quæ habet rationem Cordis*, h. e. Decem præcepta, ותולדותיהם והם התורה מצדו כמה שאמר ושמת אותו מצד ארון ברית יי' *& proles* (h. e. particularia) *illorum, quæ sunt Lex, a Latere ejus, sicut dicitur*; Et pones illum a latere Arcæ fœderis Domini &c. Deut. 31. 26.

Ita sunt Hebræorum hac de re sententiæ, quas ipsis illorum verbis magna ex parte producere volui, ut videatur, quibus Authoribus, quibusque Rationibus, singulæ nitantur. Res est obscura & ambigua, ita ut difficile sit ἐπίκεισιν instituere, & certi aliquid pronuntiare.

Controvertitur præcipue, non de Tabulis integris, de quibus nemo dubitat; sed 1. *de Tabulis fractis*, 2. *de Libro Legis*, 3. *de Urna Mannæ, & Virga Aharonis; Utrum vel hæc omnia, vel quædam illorum, etiam in ea fuerint?*

I. Pro *Tabulis fractis* adducitur in Talmud a Raf Josepho,

1. Locus Deut. 10. 2. sed argute magis quam solide. Quod enim illi hæc verba, אשר שברת ושמתם ita exponunt, *Et inscribam tabulis verba quæ fuerunt in Tabulis primis*, quas fregisti, & posuisti in Arca; violentum est, & præter mentem authoris. Rectius vertitur per futurum, ושמתם *Et pone eas* (sc. Tabulas has secundas, ubi illis Decalogum inscripsero) *in arca*. Sic reddunt omnes, quotquot vidi, Interpretes & Commentatores.

2. Quia cum Moses primo Montem conscendisset, & mandatum faciendi arcam accepisset, simul ipsi dictum fuit, ut facta Arca in eam reponeret Testimonium, seu Tabulas testimonii, Exod. 25. Hoc vero mandatum non implevisset, nisi illas eo reposuisset. Responderi autem potest, hoc præceptum æque referri posse ad Tabulas secundas, quia Deus non ignoravit Mosen primas fracturum. Vide sup. in Aben Esra.

3. Dicit Abarbenel, decuisse ut quæ sunt ejusdem speciei, eodem loco collocentur. Id vero probabili tantum nititur conjectura, nullo evidenti loco Scripturæ. Contra potius videtur esse quod 1. Reg. 8. dicitur, *Nil in arca fuisse præter duas* (non quatuor) *Tabulas lapideas*.

Hinc Nachmanides existimat, Tabulas has fractas, una cum Arca temporaria a Mose facta, fuisse primo in Tabernaculo asservatas, postmodum, facta Bezaleelis Arca, in gazophylacia Sacra repositas. Communis tamen Talmudicorum sententia est, utrasque in Arca fuisse.

II. Pro *Libro Legis, eoque integro*, ut supra vidimus, *intra Arcam reposito*, affertur locus;

Deut. 31. 26. *sæpius jam allegatus*. Hic vero non diserte dicitur, quod fuerint jussi Levitæ reponere librum Legis בארון In *Arcam*, sed מצד הארון *A latere Arcæ*, seu, *Ad latus Arcæ*; quod equidem posset etiam de latere interiori accipi, sed magis verosimile videtur, accipiendum esse de exteriori, quod videtur etiam præpositio מ indigitare. Neque dicitur, *A latere Testimonii*, vel, *Tabularum*, in media sc. arca repositarum, sed, *A latere Arcæ*, exterius sc. ad latus ejus. Sic 1. Sam. 6. 8. dicunt Philistæi ad Sacerdotes & Divinos suos; *Tollite arcam* Domini, *& imponite eam plaustro: & vasa aurea, quæ reddidistis ei pro expiatione pro peccato ponetis in capsa* מצדו a latere, ad latus ejus. Hic utique non de latere interiori, sed exteriori accipitur.

Hinc R. Jehuda in Talmud scripsit, Tabulam seu Capsulam, aut Scrinium, prominuisse extra Arcam, ei sc. adhærens, & huic impositum fuisse librum Legis. Hinc etiam Jonathan, Paraphrastes Chaldæus vertit; *Reponite librum Legis in capsa, ad latus dexterum Arcæ fœderis Domini*.

Quod ex 2. Reg. 22. 8. affertur, ubi Hilkijas Sacerdos magnus dicit; *Inveni librum Legis in domo Domini*; illud nihil ad rem facit. Illis potius favet, qui senserunt, extra arcam, in capsa quadam fuisse asservatum, & a Chilkijah Sacerdote, cum fissuras Templi repararet, in loco quodam insitato repertum, unde, quasi inventa præda ex inopinato, tanta lætitia perfusus fuit, ut exclamaret; *Inveni* &c. Dicit, *In Domo Domini*, non in Arca.

Adhæc, cum Tabulis in Arcam repositis, Operculo cum Cherubinis fuerit clausa, &, ea ita clausa Gloria Domini in nube Eam contexerit, non probabile est, remoto operculo & Cherubinis, eam reclusam, & Librum Legis in eam intrusum esse. Quod Aben Esræ est argumentum.

Neque etiam probabile est, tantæ Arcam fuisse capacitatis, quæ nonnisi duos cubitos cum semisse, tam in longitudine, quam in latitudine continebat, ut totum simul Volumen Legis, una cum Tabulis complecti potuerit,

Quod

Quod ſi etiam liber Legis ideo fuit in Archivis Sacris in Sancto Sanctorum aſſervatus in Arca, ut ibi ſit *in Teſtimonium Iſraelitis*, ut textus loquitur, hoc eſt, ut neceſſitate exigente eum inſpicere & conſulere poſſent, ſi forte vel exemplarium depravatio contingeret, vel prorſus deperderentur, uti ſupra allegati Authores, R. Jannai in Devarim rabba, Abraham Seba in Tzeror Hammor, Majemonides & Abarbenel, volunt; tum hac occaſione & Sanctum Sanctorum, & Arca aperienda ac reſeranda fuerunt, quoties tale quid uſu veniret.

Utrum vero extra tempus conſuetum, quod in die Expiationum erat, Pontifici ſummo licuerit Sancta Sanctorum ingredi? res eſt incerta. Diximus de ea quædam in Anticritica noſtra par. 2. cap. 13. pag. *909*. Illis adjiciatur, quod in Additionibus Talmudicis legitur in Bava baſra fol. 14. 1. ubi in loco ſupra allegato *Gemara* dicit, *Tabulas, & Volumen Legis, ita complevisse concavitatem Arcæ, ut duo palmi reſidui eſſent, ne Liber Legis, ſi vel inde depromeretur, vel in eam inſerretur, comprimeretur*; Ad hæc verba ſcribunt Additiones, per modum Objectionis; ואם תאמר הלא לא היו מוציאין אותו מן הארון דהא אסור ליכנס בבירת קדשי הקדשים וביום הכפורים לא אשכחן בסדר יומא שהיה מוציאו: *At qui nunquam educebant eum ex Arca: prohibitum enim erat ingredi Sanctum Sanctorum: Et in die Expiationum, quo Sacerdos ſummus ingrediebatur, non legimus, quod inde eum exprompſerit*. Ad hoc autem reſpondent ita: דלצורך כדי לתקן שרי ליכנס בבירת קדשי הקדשים כדאמרינן בעירובין והכא נמי יכול ליכנס שם כדי לתקן ספר תורה כדי שלא יתעפש ויתקלקל וגם משחרב משכן שילה עד שבנה שלמה בית המקדש היו יכולין להוציאו מן הארון ולעיין בו: *Exigente neceſſitate ad aliquid in eo reparandum, licitum fuiſſe ingredi Sanctum Sanctorum, legimus in Eruvin fol.* 105. *&* 14. *Pariter ergo hic dicere licebit, potuiſſe Sacerdotem ſummum ingredi* (alio ſc. tempore) *ad librum Legis conſervandum, vel reparandum, ne putreſcat vel corrumpatur. Quin & ex quo vaſtatum fuit Tabernaculum Silo, uſque ad exſtructionem domus Sanctuarii a Salomone, potuerunt illum ex Arca eximere & inſpicere*. Ita iſti ſentiunt, veſtigia Talmudica ſequentes. De hoc, num forte alibi plura occurrant, ulterius diſpiciendum.

III. Pro *Urna Mannæ* & *Virga Abaronis*; non multa reperio, vel in Veterum, vel in recentiorum ſcriptis. Abarbanel ad 1. Reg. 8. *9*. ad; *Nil fuit in Arca, niſi duæ Tabulæ* &c. ſcribit: כתבו המפרשים לא אמר הכתוב בזה לשלול שלא היה בו פנצנת המן ומטה אהרן כמו שבא בקבלתם ז״ל כי דברים האלה ר״ל צנצפרת המן ומטה אהרן היו בארון משמרת לבני ישראל: h. e. *Interpretes ſcribunt, Scripturam bis verbis non negare, quin in ea fuerit urna Mannæ, & Virga Abaronis, ſicut habetur in Cabala, ſeu Traditione quadam Rabbinorum noſtrorum, quod res iſtæ, Urna, inquam, Mannæ, & Virga Abaronis, fuerint in Arca cuſtodita pro filiis Iſrael*.

Miror, cur in genere dicat, *Interpretes ſcribunt*! Ego hactenus ex omnibus non niſi unum R. Levi ben Gerſon vidi, qui id ſcribat, cujus verba ſupra ſunt producta. Quod de *Traditione quadam veteri Rabbinorum* addit, ſimiliter neſcio, unde id habeat. Mihi hactenus nulla talis Traditio, ſeu in Talmud, ſeu in Medraſchim occurrit. Hoc equidem ſcribitur in Talmude; *Quando abſcondita fuit Arca, una cum ea abſcondita quoque fuiſſe, Urnam Mannæ, Lenticulam olei unctionis, & Baculum Abaronis cum ejus floribus & amygdalis*; ſed tamen non dicitur, iſta in Arca fuiſſe. Procul dubio tamen, prout vir fuit multæ lectionis & obſervationis, de tali aliqua traditione aliquid ipſi innotuit.

R. Levi ben Gerſon itaque ad duo loca Scripturæ provocat, Exod. 16. 33. ubi *Urna Mannæ* לפני יי׳ *coram Domino* jubetur referri, & v. 34. *repoſita* dicitur לפני העדת *coram Teſtimonio*: & Numer. 17. 10. vel, juxta alios, 25. ubi *Virga Abaronis* לפני העדת *coram Teſtimonio*, jubetur referri & reponi.

Teſtimonium, inquit, hoc, ſunt Tabulæ lapideæ, intra Arcam repoſitæ. Hæc jubentur referri & reponi coram Teſtimonio. Ergo intra Arcam repoſita fuerunt: quia extra eam non fuiſſent לפני *in facie ejus, & coram eo*. Et ſic dicendum fuiſſet, *Coram Arca*, non, *Coram Teſtimonio*.

Item; Jubentur reponi למשמרת in cuſtodiam, ſc. diligentem & tutam. Atqui in meliori cuſtodia fuerunt in Arca, quam extra eam.

Sed alii reſpondent ad hoc; *Coram Domino*, & *Coram Teſtimonio*, idem eſſe quod *Coram Arca fœderis*, ſeu *Teſtimonii*, quæ Symbolum etiam erat *Præſentiæ Domini*. Sic v. 4. *Reponeſque illas virgas in tabernaculo Eccleſiæ* coram teſtimonio, v. 7. *Et poſuit Moſes virgas coram Domino in tabernaculo teſtimonii*. An omnes duodecim virgas vel jubetur hic reponere, vel repoſuit Moſes intra Arcam? Nequaquam: ſed; *In tabernaculo Eccleſiæ coram Teſtimonio*, idem eſt quod; *In ea parte Tabernaculi in qua erat Teſtimonium*, hoc eſt, Arca cum Tabulis teſtimonii ſeu fœderis. Sic exponit

ponit R. Salomon לפני הארון *Coram Arca*, & Aben Esra: לפני יי׳ Coram Domino, *id est, coram Testimonio*, שהוא הארון *quod est Arca, quæ sic vocatur propter tabulas fœderis, quæ fuerunt in ea.*

Abarbenel addit; *Non decuisse etiam, ut ista, quamtumvis sanctissimæ res fuerint, conjungantur cum Tabulis: neque enim æqualia fuisse, ut uno eodemque loco cum illis manere & asservari debuerint.*

Et sic communiter Hebræi volunt; *Ante Arcam*, seu, *Coram Arca*, in scriniolo forte aliquo Arcæ annexo fuisse reposita. Sic scribit R. Moses Majemonides, in הלכות בית הבחירה cap. 4. אבן היתה בקדש הקדשים במערבו שעליה היה הארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה אהרן h. e. *Lapis fuit in Sancto Sanctorum, in parte ejus Occidentali, cui imposita fuit Arca; & ante eam, Urna Mannæ, & Virga Aharonis.* Sic Moses Mikkotzi in Libro Præceptorum magno fol. 210. col. 1.

Hic vero contrarius videtur Apostolus, qui in Epistola ad Hebræos cap. 9. de Tabernaculo loquens, scribit: *Post medium autem velum erat* σκηνὴ *Scena* (vel Tabernaculum) *quam vocant Sanctum Sanctorum, aureum habens thuribulum*, καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης *& Arcam fœderis undique tectam auro*, ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης *in qua erat Urna aurea habens manna, & Virga Aharonis quæ germinavit, & Tabulæ fœderis* &c. Quibus verbis æque videtur inferere Arcæ hæc tria omnia.

Ut hanc difficultatem concilient, varios excogitarunt modos Interpretes.

1. Sunt qui ἐν ᾗ referunt, non ad proximam vocem τὴν κιβωτὸν, sed ad remotiorem τὴν σκηνὴν, ut dicat Apostolus; In Tabernaculo Secundo, quod vocant Sancta Sanctorum, fuisse etiam Urnam mannæ, & Virgam Aharonis, scil. ante arcam; Tabulas autem in arca. Hanc sententiam prolixe tuetur Franciscus Junius in Parallelis Sacris.

Huic vero sententiæ aliis obstare videtur, quod non de σκηνῇ, sed κιβωτῷ immediate subjungatur ὑπεράνω δὲ αὐτῆς, *Supra hanc autem Cherubim gloriosi obumbrantes propitiatorium*, unde & quæ sequuntur ad Arcam referenda sunt. Itaque

2. Alii hanc solutionem afferunt, quæ commodior videtur, ἐν ᾗ ab Apostolo non stricte sumi, pro *In qua*, vel *Intra quam*, sed laxius, pro *Cum*, ex Hebraismo, in quo Præpositio ב non solum significat *In*, sed & *Cum*, *Ad*, *Prope*, *Juxta*, ut Jos. 10. v. 11. Judic. 18. 12. Sic respectu Urnæ & Virgæ Aharonis significabit, *Cum qua*, vel, *Prope quam*, *Juxta quam*; respectu Tabularum, *In qua*.

In hac tamen Solutione nonnullis hoc videtur durum, neque admodum probabile, τὸ ἐν ᾗ in uno eodemque loco in gemino significato adhiberi. Unde sicut intelligitur de Tabulis, ita quoque intelligendum esse de Urna, & Virga.

3. Alii tempora distinguunt, & dicunt, Intra Arcam fuisse hæc omnia tempore illo, de quo loquitur Paulus, nempe quando primum exstructum fuit Tabernaculum Mosaicum, & quamdiu Arca illa cum Tabernaculo deferri debuit per desertum. Tunc enim, cum locum commodum non haberent ad ista omnia collocanda, cum instabile & vagum esset Tabernaculum, ea reposuisse in Arca cum Tabulis Legis: sed cum postea exstructum esset Templum Salomonis, stabile videlicet Tabernaculi & Arcæ domicilium, idque amplum & spatiosum, tunc solam Legem mansisse intra arcam, reliqua ante illam ad latus ejus fuisse disposita & asservata. Apostolum itaque loqui de Statu Tabernaculi ambulatorio; In libro Regum 1. cap. 8. sermonem esse de Templo stabili, in quo omnia in commodiorem ordinem fuerint redacta.

Sed & hæc Sententia suas habet difficultates. Nam primo nemo nescio quæ hæc sit, quæ fingitur, necessitas tempore Tabernaculi per desertum vagantis, ut sine expresso mandato intra Arcam eas reponere quasi coactus fuerit Moses. An adeo difficile fuisset ipsi scriniolum aliquod conficere, in quod reponerentur? *Deinde* mutatio tempore Salomonis facta, nullo nititur fundamento. Scriptura de hac re nihil habet. Nullibi jubentur hæc, seu hoc, seu illo tempore, intra Arcam reponi, sed Coram ea, vel Ante eam ad latus ejus.

Ex his tribus sententiis, duæ priores videntur maxime probabiles; & inter has Secunda non displicet, neque ejus difficultas allata tanta, quin commoda explicatione leniri possit.

Scriptura nimirum dicit, *Urnam & Virgam Aharonis referendas esse coram Testimonio*. Per *Testimonium* hoc alii Hebræorum jam olim intellexerunt *Tabulas*, alii *Arcam*, de quibus variæ circumferebantur Traditiones, uti supra ex Talmudicis vidimus. Si *Tabulæ* intelligantur, res est extra controversiam, istas fuisse in Arca. Si *Arca* vocatur *Testimonium*, attendendnm, quomodo, ex illorum sententia, illa *coram*

ram

ram Arca reposita fuerint. Communis tum habebatur Traditio, quæ, uti vidimus, utrique Talmud est inserta, tum Hierosolymitano, tum Babylonico, *seu* דפא *Tabulam*, *seu* גלוסקמא *γλωσσόκομον capsellam adjectam fuisse Arcæ fœderis* [a Mose videlicet] *instar appendicis alicujus in hunc usum*, & fortassis etiam ut liber Legis ei indatur. Hoc jam sic posito, recte dici potest hæc omnia fuisse in Arca: quod enim in hac capsella Arcæ adjecta fuit, in censu habebatur eorum, quæ in Arca erant, licet non omnia eodem modo, & uno in loco. Sicut in Aula Regis dicuntur esse etiam ii, qui juxta eam suum domicilium habent, ad aulam tamen pertinent: ita, quia hæc duo singulariter jubebantur reponi *coram Arca*, connumerabantur inter ea quæ ad Arcam pertinebant, & in ea erant. Sic itaque dici potest, Apostolum, qui aliud spectavit, neque sibi propositum habuit accurate Tabernaculum & Vasa ejus describere, sed summarie duntaxat quædam ex præcipuis recensere, hæc, sive uno, sive altero modo, dicere *In Arca fuisse*, ex communi aliqua, quam tum habebant, hac de re Traditione, quarum ille peritus fuit. Sic quod de *Janne & Jambre*, Magis Pharaonis, dicit 2. ad Timoth. 3. 8. sane nomina illa non habuit ex Scriptura, in qua non leguntur, sed ex Traditionibus Judæorum illa refert, in quibus crebro memorantur, ut videre est in Lexico Chald. Talm. pag. 945. 946. Et plura ejus rei exempla produci possent, in quibus ex communi opinione sæpe quædam referunt, & supponunt Scriptores Sacri. Neque male dixit de his, *ἐν ᾗ In qua erant*, pro, *In & cum qua*; quia, ut Scriptura loquitur, *coram Testimonio* erant; h. e. vel contigue & proxime juxta arcam posita, vel continue per adjectam arcæ appendiculam ei adhærebant. Ut tam id, quod in Arcæ appendice, quam quod intra Arcam ipsa erat, *ἐν αὐτῇ In illa* fuisse, dici possit, maxime ab eo, qui non accuratam alicujus rei descriptionem instituit. Sic Præpositio ב *In* apud Hebræos denotat quandoque *Inhæsionem*, quandoque הדבוק והנגיעה *Adhæsionem*, & *Contactum*; ut Jobi 19. 20. בעורי ובבשרי דבקה עצמי *In cute mea & in carne mea hæsit os meum*, pro, Cuti & carni meæ adhæserunt ossa mea, præ afflictione scil. & macie. Drus. in Parte altera Annotat. in Novum Test. scribit ad hunc locum; In urbe *natus esse dicitur & qui natus* ad eam, *hoc est, in ejus territorio: Sic*, in Jericho Jos. 10. 10. *valet*, ad Jericho: In Gabaon, *h. e.* prope Gabaon: In Kirjath-jearim, Jud. 18. 12. *Sic forte*; In qua Urna aurea &c. *ut dicat*, *Urnam auream mannæ fuisse* prope arcam, *& tabulas fœderis* in arca, *proprie loquendo*. Sic quod *Urnam Mannæ* vocat *Χρυσῆ Auream*, non ex Mosis ipsius textu, sed authoritate LXX. Græcorum dixit, qui Hebræorum צנצנת reddiderunt *στάμνον Χρυσῆ*. In textu Hebræo nuspiam materia exprimitur, ex qua illa urna fuerit. Et vetus est apud Hebræos Traditio, illam *Testaceam* fuisse. Ea legitur in Mechilta, libro antiquissimo in Exod. fol. 20. 1. & in Tanchumah fol. 29. col. 4. Quocunque igitur fundamento ista nitantur, potuit Apostolus ita loqui, seu ex rei veritate, seu ex fama, & Traditione recepta.

Cæterum eodem loco dicit Apostolus quoque, *quod Sanctum Sanctorum habuerit Χρυσοῦν Θυμιατήριον Aureum Thuribulum*. Hujus etiam nullam mentionem facit Moses. Unde quomodo id vel intelligendum sit, vel conciliandum, laborant Interpretes.

Quidam per *θυμιατήριον aureum* intelligunt *Altare aureum suffitus*; illudque intra Velum in Sancto sanctorum locant, &, Sacerdotem summum singulis diebus bis, mane & vesperi ad suffitum faciendum ingressum esse volunt; semel autem duntaxat in anno eodem ingredi solitum cum Sanguine, ad expiandum Tabernaculum.

Quod Altare hoc fuerit in Sancto Sanctorum, putant probari posse ex loco Exod. 30. 6. ubi legimus: *Et pones illud* (nempe, Altare thymiamatis) *ante velum, quod est super vel juxta Arcam testimonii*, *ante Propitiatorium*, *quod est super Testimonio*.

Verum Hebræi omnes hic reclamant, & Altare suffitus extra Velum Sancti Sanctorum locant, proxime tamen ei, & e regione Arcæ. R. Salomon: מכוון כנגד הארון מבחוץ *Situm e diametro ex opposito Arcæ extrinsecus*. Sic Aben Esra, מחוץ לפני הכפורת שיהיה כנגדה נתון *Extrinsecus ante propitiatorium, ut recta ex adverso Arcæ sit collocatum*. Abarbenel: *Dicit*; Et pones illud ante velum; להגיד שיניחו את המזבח בהיכל קדש מחוץ לפרוכת באמצע רחב האהל *ad indicandum, ut collocent Altare hoc in Templo sancto extra velum, in medio latitudinis tentorii*: Quod est על propter (*sic ex ejus mente particula hæc vertenda hic*) Arcam testimonii; *nam* על *sæpe usurpatur pro* בעבור; Ante propitiatorium שיהיה מזבח הזהב מכוון לנגד הכפרת *ut sc. Altare aureum sit directe oppositum Propitiatorio*; Quod est super Testimonio; *in loco Sancto, ubi te conveniam* &c. Majemonides in הלכות בית הבחירה cap. 3. §. 17. *Al-*

17. *Altare suffitus fuit quadratum cubitale*, והוא נתון בהיכל מכוון בין הצפון לדרום משוך בין השולחן והמנורה לחוץ · ושלשתן היו מונחין משליש ההיכל ולפנים כנגד הפרוכת המבדיל בין קדש ובין קדש הקדשים *& erat positum in Templo inter Aquilonem & Meridiem, nonnihil vero inter Mensam & Candelabrum extra vergens* [versus Orientem ad portam Templi.) *Omnia autem tria sita erant a trientali seu tertia parte Templi & Interioris adyti ex opposito Veli distinguentis inter Sanctum & Sanctum Sanctorum*. Desumpta sunt hæc ex Talmud Joma cap. 3. & 5. Alia omittimus ad hujus rei probationem, quia id hic non est proprie instituti nostri.

Alii accipiunt de Thuribulo aureo, quod singulis annis in Adytum inferebat Sacerdos summus, & ibi relinquebat in annum sequentem, quo cum alio thuribulo in die Expiationum volunt ingressum, & eo illic reposito, quod priori anno reliquerat, extulisse. Nam sine thuribulo & suffitu non licitum ipsi erat ingredi Sanctum Sanctorum, Levit. 16. Ut sic semper Thuribulum in Sancto Sanctorum fuerit; uno sc. quotannis illuc illato, & altero elato. Hæc est sententia Villalpandi in Ezechielem Tomo 2. par. 2. lib. 4. cap. 51. & seqq.

Sed hoc sine ullo teste & authore, quantum ego scio, dicitur & fingitur, & natum esse puto ex non recte assecuta mente Hebræorum, ritum hunc adolendi in Die expiationum describentium. Peti illa possunt ex Talmud Joma cap. 5. Siphra fol. 168. Abarbenele in Levit. 16. & aliis. Scribunt illi quidem, Sacerdotem summum, stipatum duobus aliis, in Sanctum Sanctorum cum thymiaterio ingressum esse, & illud ibi ante arcam deposuisse, sed addunt etiam, ipsum illud iterum idem inde extulisse. Nempe quater ajunt in die Expiationum ingressum Sanctum Sanctorum, 1. cum thymiaterium, cum prunis & aromatis, in illud intulit, illud ibi relinquens, donec cæteros etiam cultus peregerit. 2. cum Sanguine juvenci, eo octies inter vectes Arcæ spargendo. 3. cum Sanguine hirci mactati, &c. 4. sub vesperam נכנס ומוציא את הכף ואת המחתה *ingreditur & effert inde acerram & thuribulum*, Majemon. in עבודת יום הכפורים cap. 4. Tal. Joma cap. 7. Abarbenel Levit. 16. diserte: ונכנס פעם רביעית כדי להוציא משם את המחתה והכף שנשארו שמה מעת ההקטרה *Ingreditur quarta vice, ad auferendum inde thuribulum & acerram, quæ ibi remanserunt a tempore quo suffitum fecit*. R. Levi ben Gerson rationem reddit, 1. cur hæc ibi tamdiu relicta fuerint? שאין ראוי שיוציא משם הכף והמחתה טרם השלם העיכול לקטרת ולאש אשר במחתה *quia sc. non conveniebat ut ista vasa inde efferat, antequam perfecte consumpta fuerint Suffitus & Ignis in Thuribulo* &c. 2. cur Scriptura nullam exertam mentionem faciat efferendorum horum vasorum? לפי שאינו מכוון בעצמו ואינו מצורך הכפרה *quia hoc non de præcipuo scopo fuit hujus diei, neque de necessitate Expiationis*. 3. cur efferenda fuerint? בהכרח יתחייב זה לכבוד המקום ההוא שלא ישאר שם האפר בכל השנה עד בא יום הכפורים אחר שיסירה משם הכהן הגדול *quia hoc pertinebat ad honorem illius loci, ne cinis per totum annum ibi relinquatur, usque ad sequentem Diem Expiationum, quo demum illum removeat Sacerdos magnus*. Sic directe hæc opponuntur sententiæ illi Villalpandi. Qui plura de iis volet, dictos Authores adeat, ut & R. Mosen Gerundensem in sect. אחרי מות mihi fol. 92. col. 1.

Itaque cum hujus sententiæ vestigia aliqua neque in Scriptura, neque in Hebræorum monumentis, deprehendantur, videamus an aliquid aliud ex illis eruere queamus.

Scribunt Hebræi, quando Sacerdos summus in Die Expiationum ingressus fuit Sanctum Sanctorum cum thymiamate, inter alias hujus Diei, & ceterorum, in Ritibus Sacris differentias, hanc quoque fuisse, quod בכל יום היה חותה במחתה של כסף ומערה לתוך של זהב והיום חותה בשל זהב ובה היה מכניס *diebus ceteris suffitum facturus prunas de Altari cepit in Thuribulo argenteo, & ex eo illas evacuarit in thuribulum aureum; hoc vero die decerpserit prunas thuribulo aureo, & in illo eas retinuerit* (vel, & cum illo in Sanctum Sanctorum ingressus fuerit.) Siphra mihi fol. 168. col. 1. in parascha אחרי מות. Majemonides in הלכות יום הכפורים cap. 2. §. 8. Jalkut fol. 165. col. 1. Abarbenel in אחרי מות in principio.

Probabilius itaque dici fortassis potest, peculiare aliquod fuisse Thuribulum aureum, in eum finem & usum destinatum, ut cum eo Sacerdos summus quotannis in Die expiationum ingrediatur in Sanctum Sanctorum. Et de hoc dicere Apostolum; *quod Sanctum Sanctorum habuerit Thuribulum Aureum;* non quod in eo fuerit inclusum & conservatum (nam sic contra mandatum Sanctum sanctorum ingredi, & prius thuribulum inde repetere debuisset, suffitum facturus,) sed quod huic usui peculiariter inserviret, ut eo Sacerdos summus in Sancto Sanctorum adoleret. Neque enim accuratam recensionem ibi instituit Apostolus eorum quorum mentionem facit,

facit, ut ipsemet fatetur v. 5. Conjecturam hanc possit fortassis confirmare, quod in supra adductis locis Hebræi alia quoque notant, in quibus Thuribulum hoc aureum Diei expiationum ab aliis discreparit; veluti, *cum ordinaria thuribula ceperunt quatuor cabos*; *hoc*, *nonnisi tres*, ut tanto levius esset, & Sacerdos magnus, variis cultibus hoc die oneratus, levaretur &c. Sed hæc אגב אורחא obiter & in transcursu hoc loco.

CAPUT VI.

De Forma Arcæ in Genere, ejusque Idea, Mosi a Deo in monte exhibita. Conciliatio Loci Mosaici Exod. 25. 40. cum Allegatione Apostolica in Epist. ad Hebr. cap. 8. v. 5.

FORMA Arcæ fœderis consideranda sequitur. Hanc nobis Scriptura describit *primo* in Genere: *secundo* in Specie.

I. *Generaliter*; quando Deus dicit in genere de Tabernaculo, omnibusque ejus partibus & vasis; Exodi cap. 25. v. 9. *Et facient mihi Sanctuarium, ut habitem in medio eorum*, ככל אשר אני מראה אותך את תבנית המשכן ואת תבנית כל-כליו וכן תעשו *Juxta omnia, prout ego videre facio te structuram tabernaculi, & structuram omnium vasorum ejus, sic facietis*. & v. 40. ראה ועשה בתבניתם אשר אתה מראה בהר *Vide & fac secundum structuram illorum, quæ tibi ostensa est in monte*. Sic cap. 26. v. 30. והקמת את המשכן במשפטו אשר הראית בהר *Et eriges Tabernaculum secundum judicium ejus*, h. e. *secundum modum ejus, qui tibi ostensus est in monte*.

His verbis indicatur, quo omnia circa Tabernaculum & ejus vasa rite & secundum Dei voluntatem fiant, eorum omnium formam, figuram, structuram, videndam exhibitam esse realiter Mosi prius in monte. Sic exponit Abarbenel: posteaquam allegoricam horum verborum adduxisset expositionem, inquit; וכפי הפשט מבלי פנות אל דרכי הרמזים נראה לפרש מסכים למה׳ שאחז״ל שהראהו הקב״ה למשה בהר בראיה מוחשת נגד עיניו את תבנית המשכן ואת תבנית כל כליו כאילו היו שם במציאות מוחשים וכו׳ h. e. *Juxta sensum literalem autem, non respiciendo ad figuras & mysteria, exponimus hæc verba cum Rabbinis nostris; quod videre fecerit Deus Mosen in monte, visione sensibili coram ipsius oculis, structuram Tabernaculi, & structuram omnium vasorum ejus, ac si ibi reipsa & in sensus incurrentia adessent. Factum est autem ipsi hoc miraculum, meo judicio, ideo, ut structuram, seu ideam operis totius perfecte conciperet, & sic etiam artificibus adhibendis ad illud rite mandare posset. Nam res Geometricæ, secundum suas dimensiones omnes, tum phantasiæ, & imaginationi, tum sensuum apprehensioni exhibitæ, longe melius concipiuntur, quam nudis verbis propositæ & delineatæ. Animus enim non tam bene capit res auditas, ut Visus capit res visas. Sic videre fecit Deus Mosen in monte totam terram Canaan a Gilead usque in Dan*, Deut. 34. v. 1. Sic Aben Esra, Ramban &c. Expositionem hanc confirmat Stephanus Actor. 7. 43. *Tabernaculum*, inquit, *testimonii fuit Patribus nostris in deserto, sicut disposuerat is, qui dixerat Mosi, ut illud faceret secundum figuram quam viderat*.

Sic ergo תבנית Structura, Forma, Similitudo illa, Mosi in monte exhibita, idea fuit & Archetypus, juxta quam artifices *omnia* facere debebant. Inter quæ procul dubio vel prima fuit Arca, omnium quæ in Tabernaculo erant rerum, quarumque recensio ibi mox sequitur, maxime eximia.

Noluit Deus Tabernaculi, Arcæ, reliquarumque rerum formam & fabricam arbitrio Mosis relinquere: non etiam nuda verbali descriptione uti voluit, sed præter hanc oculis Mosis Archetypum visibilem miraculose effictum exhibuit, ut nec Moses quicquam juberet, nec Artifices facerent, quod non a Deo esset profectum, præceptum, & videndum propositum. Ex quo discimus, quemadmodum nihil est in quo magis sibi placeant homines, quam in excogitandis & adinveniendis ex suo cerebro modis, quibus existimant Deum colendum esse: ita nihil esse quod Deo magis displiceat & exosum sit, qui ubique testatur, se nolle coli mandatis & doctrinis hominum, sed ex suo ipsius præscripto, nec ullum Cultum ipsi gratum esse, quem ipse non instituerit. Tales cultus arbitrarii τῆς ἐθελοθρησκείας equidem videntur habere λόγον aliquem σοφίας, ut Apostolus loquitur ad Coloss. cap. 2. v. 23. sed tamen οὐκ ἐν τιμῇ τινὶ ἐστι *nullius sunt pretii*, ut ibidem ait: obvelantur prætextu & titulo bonæ intentionis, sed opera inde profecta Deo non sunt grata, sicut olim in

Somnio Regi Cosræo devote & magno zelo, secundum suam opinionem, Deum colenti, sæpius vox, veluti ab Angelo profecta, audita fuit; כונתך רצויה אבל מעשיך אינם רצויים *Intentio tua bona, & grata est Deo, sed opera tua non sunt grata: Frustra enim colitur Deus doctrinis, quæ sunt mandata hominum*, Esaj. 29. 15. Elegans hac de re legitur discursus in libro Cosri part. 3. §. 23. הלא הקדמתי לך בדברי כי ההתחכמות והסברא בתורה איננו מביא אל רצון האלהים: *Nunquid antea tibi jam dixi, Propriam sapientiam, & Rationem in Cultu Divino, non conciliare homini benevolentiam Dei: secus enim illi qui duos Deos credunt* (Manichæi) *& Æternitatem Mundi, Artifices item imaginum spiritualium* (Magicarum.) *Solitariam vitam agentes in montibus* (Eremitæ & Anachoretæ,) *& Igni filios suos comburentes, quoque appropinquarent ad Deum. Jam vero diximus, non dari accessum ad Deum, nisi per præcepta Dei ipsius:* בעבור שהוא יודע שעורם ומשקלם וזמנם ומקומותם *quia Ipse solus novit eorum mensuram, pondus, tempus, loca, & reliqua eo pertinentia, per quorum observationem quis adipiscatur, ut Deo gratus esse & conjungi queat, sicuti in Opere Tabernaculi de singulis ejus structuris dicitur*; Et fecit Bezaleel Arcam; Et fecit propitiatorium; Et fecit aulæa &c. *quemadmodum Dominus ipsi præceperat, Exod. 39. sine ulla scil. additione vel detractione: neque in illis operibus quicquam erat, cum nostra opinione & ratione conveniens, unde tandem concluditur*: Videns ergo Mose universum opus, quod prorsus fecissent illud, quemadmodum præceperat Dominus, benedixit illi, Ibid. v. 43. *Absoluto Tabernaculo statim subjungitur*, Majestatem Divinam resedisse super eo, Exod. 30. v. 34. *quia scilicet omnia confecta, & ad finem perducta erant duabus rebus, quæ sunt* עמודי התורה *Columnæ Legis; prima est, ut Lex sit a Deo: altera, ut corde fideli acceptetur ab Ecclesia: Tabernaculum enim fuit ex præcepto Dei, & ejus Opus* (confectio) *fuit ab universa Ecclesia, sicut dicitur*; Loquere ad filios Israel, ut accipiant mihi oblationem ab omni viro, quem sponte impulerit cor ejus, Exod. 25. v. 2. *liberrima scil. voluntate. Hinc absolutioni quoque ejus statim respondit Eventus exspectatus, Majestas scil. & Gloria Divina, sicut dictum fuit*: Et facient mihi sanctuarium, ut habitem in medio illorum, Exod. 25. 8. &c. Post quædam interjecta, quibus rem hanc declarat ab Exemplo rerum naturalium, tandem concludit, non debere hominem Sapientiam suam propriam cum Verbo Dei conjungere, juxta illud Salomonis, אין חכמה ואין תבונה ואין עצה לנגד יי *Non est Sapientia, neque Intelligentia, neque Consilium, coram Domino*, Proverb. 21. 30. Vide eundem part. 1. §. 79. & 98. & part. 2. §. 49. Simile quid legitur de Davide 1. Paralip. 28. ubi, postquam narrasset suum de construendo Templo propositum, & voluntatis Dei per Salomonem, quem ad hoc opus delegerat, patefactionem; tamen præscribit omnia filio suo, & ei singulorum descriptionem tradit, & additur v. 19. *Omnia scripta manu Domini ad me, intelligere fecit, omnia opera structuræ*, h. e. ut R. David Kimchi explicat; הנה לך הכל בכתב מסודר כמו שהוא מיד יי' על כל מלאכות התבנית; h. e. *En tibi omnia hæc in Scriptura exhibita & ordinata, sicuti profecta sunt a manu Domini, de omnibus & singulis structuræ operibus.*

Divus Apostolus in Epistola ad Hebræos cap. 8. v. 5. supra adductum locum Exod. 25. v. 40. citans, alio videtur sensu hoc accepisse, vel aliam rationem innuisse, cur forma Tabernaculi Mosi ostensa fuerit in monte; ideo videlicet, quod illud fuerit umbra rerum cœlestium & Tabernaculi spiritualis, sive jam per istud, ut quidam volunt, intelligatur Cœlum ipsum, sive ut alii malunt, Corpus & caro Christi: Instituens quippe ibi comparationem inter Christum Sacerdotem in cœlis perpetuum, & Sacerdotes Leviticos temporarios, inquit: *Ut qui* [Sacerdotes Levitici] *exemplari & umbræ deservierint rerum cœlestium, sicut divinitus dictum est Mosi, quum absoluturus esset Tabernaculum; Vide enim, inquit, ut omnia facias secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte*; quibus verbis videtur indicare velle, Exemplar Mosi in monte ostensum, non fuisse ideam & formam Tabernaculi terreni faciendi, sed Tabernaculi Cœlestis & spiritualis, per illud terrenum adumbrati & figurati. Quæritur itaque;

An recte, & quo sensu, Apostolus hæc Dei ad Mosen verba hic adducat?

Respondetur, omnino non impertinenter Apostolum hæc verba allegare ad suum propositum, neque ejus citationem tollere finem illum propositæ Mosi formæ Tabernaculi in monte, quem nos ex sensu literali elicuimus.

1. Clarissimus D. Rivetus, Comment. in Exodum ita conciliat & explicat: *Sic*, inquit, *existimo convenire Apostoli applicationem; Illud ipsum exemplar, quod in Monte osten-*

te ostensum est Mosi, fuit tantum exemplar rerum cœlestium & spiritualium; Multo magis ergo illud, quod ad illius figuram & formam in terris a Mose est exstructum. Utrumque ergo, tam quod vidit Moses in monte, quam quod expressit, fuerunt rerum cœlestium ἀντίτυπα, quorum Unum, in Visione repræsentatum, hunc usum habuit, ut Mosen informaret; alterum, a Mose exstructum, proprie populo Israelis in figuram datum est cœlestium illarum rerum, quæ in Christo suum habent complementum. Hoc igitur vult Apostolus, non immerito se Tabernaculum illud, & quæ in eo fiebant, appellasse Typum rerum cœlestium, quia forma Tabernaculi, & reliquorum, non est ab eo excogitata, nec forte se obtulit ei cogitanti, sed a Deo ei fuit ostensa, qui cum vellet Christi sacerdotium, & quæ in cœlo pro nobis fecit significare, talem illi formam Tabernaculi construendi præmonstravit, qualem aptissimam ad spiritualia & cœlestia significanda vidit. Id autem probat ex verbis Mosis, quæ dicta sunt. Sic ille per *σκιὰν* & *ὑπόδειγμα τῶν ἐπερανίων Umbram & exemplar rerum cœlestium*, intelligit *Res vere spirituales & cœlestes, per utrumque Tabernaculum significatas*; cui Sacerdotes terreni & Levitici olim serviebant.

2. Conveniet applicatio fortassis etiam hoc modo, si dicamus, Apostolum intelligere per *Umbram & exemplar*, Tabernaculum Mosaicum; per *Res cœlestes*, Tabernaculi formam Mosi in monte ostensam. Quemadmodum enim Tabernaculum in monte ei ostensum exemplar & *σκιαγραφία* fuit Tabernaculi exstruendi in terra: sic vicissim & reciproce Tabernaculum terrenum fuit *σκιὰ* & *ὑπόδειγμα* illius quod Moses vidit, exacte illud repræsentans. Si quæras, quomodo Tabernaculum in monte ostensum vocetur *ἐπερανιον cœleste?* Respondeo 1. ideo, quia in Visione spirituali & miraculosa ei fuit ostensum, qualia *Divina* & *Cœlestia* vocari solent: 2. quia *Mons* ille, in quem Moses ad Deum conscendit, typus fuit Cœli: 3. fieri potest, ut Mosi in monte cum Deo versanti, idea illa videnda exhibita fuerit in Cœlo. Sic hæc verba, *In Monte* referenda erunt ad designandum locum in quo Moses tum erat, non ad locum in quo Idea illa erat; ut; *Et eriges Tabernaculum secundum modum ejus qui tibi ostensus est in monte*, Item: *Vide & fac secundum structuram illorum quæ tibi ostensa est in monte*, h. e. dum in monte esses. Sic plura extant exempla in Sacris Literis Visionum in cœlo, quas in terra versantes viderunt. Ita Johannes Apocalyp. cap. 21. 10. *Et sustulit me* (Angelus) *per Spiritum in montem magnum & sublimem, & ostendit mihi urbem magnam, sanctam, inquam, illam Hierusalem, descendentem e cœlo a Deo*. Vidit nimirum in monte eam primo in cœlo existentem, deinde ex eo descendentem. Quicquid sit, videtur Apostolus simul innuere voluisse, non frustra Mosi ideam hanc spiritualem & cœlestem exhibitam fuisse, sed ut indicaretur, Tabernaculum erigendum nihil aliud esse, quam umbram & exemplar rerum spiritualium & æternarum. Ita quoque satis plena evadit applicatio Apostoli. Hæc enim erit periphrasis verborum ejus: *Ut qui serviunt Tabernaculo, quod nihil aliud erat, quam σκιὰ & ἔκτυπος Tabernaculi Mosi in cœlo ostensi, sicut ipsi dictum fuit, cum absoluturus esset Tabernaculum, Vide ut facias omnia secundum exemplar quod tibi in monte versanti est ostensum; ut inde sc. addisceret, Tabernaculum suum altiora & sublimiora, cœlestia nimirum bona, denotare & præfigurare, neque in eo hærendum & subsistendum esse, vel cogitandum, illud perpetuo duraturum & permansurum, sed adventantibus illis bonis cessaturum, una cum ejus Vasis, & totius cultus Ministris* &c.

Cæterum per Tabernaculum Mosaicum Cœlestia & sempiterna fuisse adumbrata, de eo Hebræi quoque veteres aliquid viderunt.

In Talmud Chagigah cap. 2. אמר ר׳ שמעון בשעה שאמר הקב״ה לישראל להקים את המשכן רמז למלאכי השרת שיעשו אף הם משכן ובעת שהוקם למטה הוקם למעלה והוא משכן הנער מטטרון שבו מקריב נפשותיהם של צדיקים לכפר על ישראל בימי גלותם ולכך כתיב את המשכן שהשכן אחר הוקם עמו׃ h. e. *R. Simeon dixit, Ea hora qua jussit Deus Israelitas erigere Tabernaculum, indicavit Angelis ministerii, ut & ipsi facerent Tabernaculum. Cum itaque erigeretur Tabernaculum inferius, erectum quoque fuit superius Tabernaculum Metatroni seu Angeli Metatoris, in quo offert animas justorum, ad expiationem faciendam pro Israele, tempore captivitatis ipsorum, Et hac de causa dicitur* את המשכן Exodi 40. (q. d. *cum Tabernaculo.*) *quia aliud Tabernaculum erectum fuit cum eo*. Idem legitur in Bemidbar rabba sect. 12. fol. 249. col. 2. 3. Tanchumah fol. 69. col. 1. Quæ in his lateant mysteria, jam non disquiremus. Considerandum quis ille מטטרון seu *Metator*, de cujus Tabernaculo hic sermo? de quo videatur Lexicon nostrum Chald. Talm. Rabb. pag. 1192. quod illud Tabernaculum ejus? quomodo in eo offerat, vel obtulerit animas justorum, & expiationem fecerit pro Israele?

In Additionibus Talmudicis רשב״א R. Simonis bar Abraham, in Berachoth cap.

5. sub

5. ſub fin. *Scito quod in Arboribus, Fontibus, & cæteris rebus Horti Edenis fuerint* ציורין לדברים דקין מאד *figuræ rerum ſubtiliſſimarum, per quas vidit & intellexit Adamus primus* בעניינים רוחניים *res Spirituales; quemadmodum etiam Deus nobis dedit* ציורי *formas ſeu Figuras Tabernaculi, Sanctuarii, & omnium vaſorum ejus, Candelabri, Menſæ, & Altarium,* לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמתות העליונות *in typos rerum Intellectualium, & ad intelligendas ex iis veritates cœleſtes. Verum ea procul dubio in horto Edenis, in quo habitavit Adam, magis nota & clara ei fuerunt, ſicut & ipſe magis ſanctus fuit, ceu creatura manibus Dei ipſius formata, & Angelus Dei. In Arboribus etiam horti & fontibus [fluviis] ejus* רמז לו סודות מופלאים *præfiguravit Secreta admiranda &c.* In En Iſrael, mihi fol. 31. col. 4.

R. Bechaj in ſectione תרומה fol. mihi 104. col. 3. *Quod dicitur;* Facies & tabulas tabernaculo e lignis Schittim עומדים ſtantes (*permanentes*, hoc enim ſenſu hic ſumitur;) *id* על דרך הקבלה *juxta modum explicandi Cabaliſticum ſignificat Virtutes ſuperiores : nihil enim in Tabernaculo & vaſis ejus erat,* שלא יהיה מצוייר למעלה *quod idem non fuerit figuratum ſuperne, ſicut dicitur;* תבנית Similitudinem vel ſtructuram Tabernaculi, ותבנית & ſimilitudinem omnium vaſorum ejus; Exod. 25. 8. *Et ſic ait David;* כל מלאכת התבנית Omne opus ſimilitudinis (*figuratæ ſc. in monte*) 1. Paralip. 28. 12. Item, ותבנית כל אשר היה ברוח. Similitudinem vel Structuram omnium eorum quæ fuerunt in Spiritu. *Senſus nimirum horum eſt, licet Tabernaculum & Sanctuarium vaſtari debuerint, & vaſa ſacra corporalia deperdi in captivitate; inde tamen non concludendum eſſe, quod ſicut hic inferius* [in terra] *peribunt,* כך פסקו למעלה תבניתם ודוגמתם *eadem ratione ſuperius* (in cœlo) *Similitudo & figura illorum deſituræ ſint. Abſit,* אבל הם עומדים וקיימים לעולם *ſed perſtabunt & permanebunt illa in perpetuum,* ואם פסקו למטה עתידים לחזור לקדמותם *& ſi ceſſent vel aboleantur hic infra, tamen ſuo tempore in priſtinum ſtatum reducentur.*

Idem R. Bechaj ſcribit fol. 102. col. 1. על דרך הקבלה ועשו הארון דוגמא לכסא הכבוד וזהו שאמור ואת תבנית כל כליו שהראה הקב״ה תבנית כל כליו המשכן שלכך היו פורשין על הארון בגד תכלת שהתכלת דומה לרקיע ורקיע דומה לכסא הכבוד וכו׳ h. e. *Juxta Cabalam, dum dicitur;* Et facies Arcam; *Arca typus eſt Solii gloriæ Domini, hinc enim mox dicitur;* Et ſtructuram vel ſimilitudinem omnium vaſorum ejus; *monſtrando ſc. Moſi ſtructuram ſeu exemplar omnium vaſorum Tabernaculi. Ideo enim expandebant ſuper Arcam pannum hyacinthinum, quia Hyacinthinum ſimile eſt Expanſo* [cœlo] *& Expanſum ſimile eſt Solio gloriæ. Et hoc eſt quod ſcriptum eſt Numeror.* 4. 6. Et expandent pannum כליל תכלת totum hyacinthinum deſuper; *ubi per* כליל תכלת *denotatur, quod totus fuerit ſimilis hyacinthino ſuperiori, ad exemplar loci Majeſtatis Divinæ ſuperne, qui totus eſt hyacinthinus.*

Ex quibus patet, ſecundum Hebræos etiam, Tabernaculum terreſtre exemplar fuiſſe & umbram rerum cœleſtium, ut Apoſtolus ait. Neque procul dubio, hæc & alia, ipſi ignota fuerunt.

Et hæc de Forma Arcæ in Genere.

CAPUT VII.

De Forma artificiali, ſeu materiali Arcæ in ſpecie; Ejus Menſura, Corona, Annulis, & Vectibus.

II. AD *Specialem deſcriptionem Formæ* quod attinet, conſideranda venit Forma Arcæ, tum *Materialis*, τεχνικὴ, quæ inerat ejus materiæ; tum *Spiritualis*; extrinſecus ad eam accedens, & præſtantiam ac virtutem ſingularem ei largiens.

Circa *Formam* τεχνικὴν, quæ quadrata fuit, diſtincte exponitur *Forma Arcæ ipſius*, & *Operculi* ſeu *Propitiatorii*, eam contegentis.

Arcæ ergo ipſius indicatur tum *Menſura*, tum quædam *Appendices*.

I. *Menſura*, ſecundum Longitudinem, Latitudinem, & Profunditatem; De *Longitudine* dicitur; אמתים וחצי ארכו *Duo cubiti & ſemiſſis Longitudo ejus*; De *Latitudine;* ואמה וחצי רחבו *Cubitum cum ſemiſſe latitudo ejus*. De *Profunditate;* ואמה וחצי קמתו *Cubitus cum ſemiſſe altitudo ejus*, Exod. 25. 10. & 37. 1.

De אמה *Cubito* ſciendum, illum communiter ab Hebræis definiri *ſex* טפחים *palmis*, licet quidam ei quinque duntaxat palmos attribuant, ut ſupra ex Talmudicis

viſum

visum טפח Palmus quatuor continet digitos. De *Cubitis* scribit R. Abraham Harophe in libro שלטי הגבורים *Schilte haggibborim* cap. 72. *Sciendum, cubitos, de quibus Rabbini nostri loquuntur, non fuisse omnes æquales, & ejusdem generis. Nam Cubiti Altaris aurei, Cornuum, Ambitus, & fundamenti seu fundi ejus, fuerunt quinque palmorum, secundum R. Jehudah in Talm. Menachoth, cap.* 11. *in Mischna quinta. Et hi vocantur* אמות קטנות Cubiti parvi. *Verum Cubiti structuræ Templi, & reliquarum rerum sacrarum, fuerunt sex palmorum, secundum sententiam R. Meir, quam omnes sequuntur. His cubitis dimensus est Moses Tabernaculum, & vocantur* אמות של משה Cubiti Mosis, *Item* אמות בינוניות Cubiti mediocres; *quod in Sanctuario cubiti fuerint his aliquanto majores. In Talm. Massecheth Kelim, cap.* 17. *Mischna* 9. *dicunt Rabbini nostri, quod duos cubitos habuerit Porta Orientalis montis domus, super quo erat Susan* regia; *Unum super angulum Orientalem aquilonarem, & unum super Angulum Orientalem australem; priorem excessisse dimidio digito cubitum Mosis; alterum dimidio digito excessisse priorem, ita ut integro digito major fuerit cubito Mosis. Porro artifices, occupati in opere sanctissimæ & eximiæ hujus domus, semper accipiebant* (ab offerentibus) *ea quæ faciebant in opere, cubito Mosis, & restituebant cubito hoc, qui digito uno illum superavit; in rebus puta pertinentibus ad fissuras domus, quæ non fuerunt magni momenti vel pretii; idque ideo, ut aliquid de suo addant, non detrahunt, ne prævaricationis rei fierent, contra Legem quæstum facientes ex re Sacra & Deo dicata. Verum Aurifices & Argentifices accipiebant cubito Mosis, & reddebant cubito ampliore dimidium digitum duntaxat, ne magnum acciperent damnum, si redderent cubito integrum digitum majore. Cubito autem mediocri, quem vocant, dimetiebantur, ut dictum, res quasdam Sacras, velut, Longitudinem & Latitudinem Templi, magnam item partem vasorum & utensilium ejus, quasdam etiam res communes & prophanas.*

Sic ergo Arca continebat in Longitudine cubitos duos cum semisse, qui faciebant Palmos quindecim, & hi Digitos sexaginta. Quæ communis est Hebræorum omnium sententia.

Quærunt autem, *Utrum hæc mensura sit intelligenda de Interiori ejus capacitate, an de exteriori forma, una cum crassitie asserum & obductionis auri?* Communis est responsio, exteriorem esse hanc dimensionem: שאם נמדוד הרוחב והאורך מבפנים היה הכפרת נופל בתוך הארון כי היה ארכו כארך הארון ורהבו כרחבו *Nam si de interiore longitudine & latitudine acciperetur, propitiatorium incidisset in Arcam, quia longitudo & latitudo ejus fuerunt sicut longitudo & latitudo Arcæ*, scribit R. Levi Gerson.

II. *Appendices, seu Accessoria quædam Arcæ* describuntur; veluti, 1. *Corona aurea* in ejus circuitu superne, 2. *Quatuor annuli* aurei, in quatuor ejus angulis seu extremitatibus, 3. *Vectes* his annulis inserendi, ut iis portetur.

1. De *Corona* dicit Textus; ועשית עליו זר זהב סביב *Et facies super eam* (ei) *coronamentum aureum in circuitu;*

ועשית עליו (*Et facies super eam*) h.e. בעליון הארון *In summitate Arcæ*, ut Abarbenel explicat.

זר זהב סביב *Coronam auream, Limbum, circumquaque.* Ita זר explicant omnes, a radice זרה quæ aliquando *Cingere* significat, ut Psal. 139. 3. ארחי ורבעי זרית *Viam meam & accubitum meum cinxisti*. Sic R. Salomon: כמין כתר מוקף לו סביב למעלה משפתו *Quasi species coronæ circumdata erat ei superne in labio ejus; Nam arcam exteriorem* (h. e. exteriorem arcæ obductionem ex auro) *fecit altiorem quam interiorem, eousque ut ascenderet usque ad crassitudinem propitiatorii, & aliquantulum altius; quo propitiatorio incumbente lateribus* (arcæ,) *Corona ista paululum transcenderet crassitudinem operculi*. R. Levi: הוא סבוב מזהב מקיף על עליוני הארון מבחוץ *Est circuitus ex auro in summitatibus arcæ exterius*. Limbus seu coronamentum hoc ita labiis Arcæ circumductum erat, ut simul emineret superne, & impositi operculi seu propitiatorii crassitudinem cingeret. Non solum enim ad ornatum, sed & ad hunc usum serviebat, כדי שיכנס בו הכפרת ויחזיק בו *ut ingrediatur in illum* (scil. limbum) *operculum, & illud contineret*, שלא ישמט מעל הארון *ne ab arca decidere & exilire posset*, ut R. Levi, & Abarbenel scribunt.

Porro quod זר scribatur sine Jod, nempe non זיר, scribit R. Bechaj fieri ללמדך זכה אדם בתורה נעשת לו זר לא זכה בתורה נעשת לו זר *ad docendum si dignum se lege reddat homo per ejus observationem, illam futuram ei* זר Coronam; *sin minus*, זר Alienam, Peregrinam: Vel aliter: *Si homo Legem discat & observet, Eam futuram ipsi* זר Coronam auream; *si secus*, זרה ממנו *eam ab ipso* ablatum iri, *neque ipsi consociatam mansuram.*

2. De *Quatuor Annulis* aureis; ויצקת לו ארבע טבעת זהב ונתתה על ארבע פעמתיו

ושתי

ושתי טבעת׳ על צלעו האחת ושתי טבעות על צלעו השנית *Et fundes ei quatuor annulos aureos, quos indes quatuor ejus angulis; duos videlicet annulos in latere ejus uno, & duos annulos in latere altero. Quæritur;*

Ubi, & quo modo hi Annuli quatuor fuerint Arcæ annexi vel inserti?

Rationem dubitandi præbet vox פעמתיו, cujus significatio est nonnihil ambigua. Communiter exponunt זויות *Angulos.* פעם unde plur. פעמים significat *Gressus, Ingressus, Incessus.* Unde quidam reddunt hic, *In quatuor pedibus ejus:* & hinc Arcæ *pedes* tribuunt, de quibus tamen faciendis Scriptura silet. Hinc est quod Aben Esra scribit: חפשתי בכל המקרא ולא מצאתי פעם שהיא זוית רק מלשון רגל *Quæsivi per universam Scripturam, & non inveni, quod* פעם *alicubi significet* Angulum, *sed tantum* Pedem, ut Jesaj. 26. v. 6. רגלי עני פעמי דלים *Pedes pauperis, gressus egenorum.* Psal. 85. 14. וישם לדרך פעמיו *Et posuit in viam gressus suos.* Cantic. 7. 2. מה יפו פעמיך *Quam pulchri sunt pedes vel gressus tui: & alia plura. Unde dicendum mihi est, Arcam pedes habuisse: vile enim & contemptibile fuisset, si Arca collocata fuisset in terra.*

R. Salomon significationem זוית *Anguli* retinet; eosque vult fuisse in parte Arcæ superiori, בזוית העליונות סמוך לכפרת היו נותנים שתים מכאן ושתים מכאן לרחבו של ארון *In angulis, ait, superioribus, prope operculum, indebant duos hinc, & duos illinc secundum latitudinem Arcæ.* Sic fere R. Levi ben Gerson.

Rabbi Moses bar Nachman quidem expositionem R. Salomonis probat; sed addit; אבל לא ידעתי למה אמר שבזוית העליונות סמוך לכפרת היו הטבעות שהכובד היה גדול יותר מאד ועוד כי דרך הכבוד הוא שיהיה הארון נשא ונבוה למעלה על כתפות הכהנים פעם *Verum nescio, cur dicat, in angulis superioribus, prope propitiatorium, fuisse Annulos; quia sic gravitas nimia fuisset: deinde honorificum magis fuit, ut Arca sursum emineret & exaltaretur super humeris Sacerdotum.* Postea affert R. Aben Esræ expositionem, de qua ait; ואין דבריו נכונים כלל *Et verba ejus non sunt recta ullo modo. Quod si autem, ut ille vult,* Pedem *significat vox* פעם, *tum præcipit Scriptura, ut Annuli fiant in angulis Arcæ inferioribus, quibus illa insidet, & vocat Latera inferiora* Pedes; *quia* לשון הקדש יתפוש כל הצורות לדמות האדם ויאמר לכל דבר לעליונו ראש ולצד התחתון רגל *Lingua sancta omnes formas refert ad similitudinem hominis: Sic supremam alicujus rei partem vocat* Caput, *inferiorem,* Pedem. *Et sic revera fuit, quod Annuli fuerint in angulis inferioribus, & Arca superius eminuerit, sicut exposui. Mea tamen sententia* פעם *non est* Pes, *sed significat* Passum, Gressum; *& dicit Scriptura hic* פעמותיו *respectu gressuum Sacerdotum arcam ferentium, sicque duo indicantur;* primo, *quod Annuli fuerint in angulis inferioribus* ממש סמוכים למושב הארון *reipsa conjuncti cum basi Arcæ;* deinde, *quod totius longitudinis arcæ interstitium fuerit inter duos annulos. Nam Arcæ longitudo spectabat Orientem, duorum Annulorum alter erat in capite Orientali, alter in Occidentali; duo reliqui Annuli erant in Aquilone: gressus autem seu pedes Sacerdotum ambulabant inter Annulos, & ante eos.* Hactenus R. Nachman.

Abarbenel tamen Aben Esræ sententiam sequitur, & sic versum hunc de Annulis exponit; *Dicit* ויצקת Et fundes, (*ad indicandum, illum debere aurum immittere vel infundere in formam: debebant enim fieri opere duro, solido, & malleato,* ויצקת לו *Et fundes ei*) h. e. לצורכו *ad ejus usum: iis enim ferenda erat arca:* Quatuor annulos, & pones in quatuor פעמותיו h. e. *in quatuor* רגליו *pedibus ejus. Unde colligitur, si res ita sit, Arcam habuisse quatuor pedes in quatuor angulis suis, & in his pedibus fuisse annulos. Porro vero explicat Scriptura, quomodo hi quatuor annuli illic fuerint collocati; dum ait;* Duos annulos in latere ejus uno, & duos annulos in latere ejus altero; *ut duo annuli fuerint ad latus unum in duobus pedibus, duo ad latus alterum in duobus pedibus.*

R. Levi ben Gerson scribit: הארון לא היו לו רגלים לפי הנראה מהפשט *Arca non habuit pedes, ut videtur ex sensu Scripturæ literali.*

De his non est cur curiosius inquiramus, aut cum quoquam contendamus. Nachmanidis tamen sententia hic præ cæteris probabilitatem habere videtur, quam etiam suo calculo approbat R. Bechaj fol. 102. 2. addens, ideo etiam debuisse annulos poni in inferiore parte Arcæ, ut ea emineret, לרמוז על דוגמתו שהוא רם ונשא גבוה ותלול למעלה למעלה *quo sic etiam repræsentaret exemplar suum* [Deum] *qui est altus, excelsus, exaltatus, & elevatus super omnia.*

Usus horum annulorum fuit, Ut iis inserantur Vectes, quibus humeris Sacerdotum impositis, Arca ferretur. Videamus ergo nunc

3. *Vectes* Arcæ. De his dicitur; ועשית בדי עצי שטים וצפית אתם זהב: והבאת את הבדים בטבעת על צלעת הארון לשאת את-הארון בהם: בטבעת הארון יהיו הבדים לא ממנו

יסרו ממנו *Et facies Vectes e lignis Schittim, & obduces eos auro: Et induces vectes in annulos, qui sunt in lateribus Arcæ, ut illis deferatur Arca: In annulis arcæ erunt* [manebunt] *vectes, non recedent inde.* His verbis

α. Jubentur fieri בדים *Vectes e lignis Schittim, & obduci auro.* Longitudo eorum fuit, ut Hebræi scribunt, decem Cubitorum.

β. *Induci vectes in annulos qui sunt in lateribus Arcæ*, & quidem ita, ut nunquam inde recedant, vel auferri & amoveri debuerint, unde dicitur, לא יסרו ממנו *Non recedent inde.* Vide Haskuni etiam.

γ. Indicatur Usus horum Vectium, qui erat, *ut iis portaretur Arca.* Officium portandi datum erat *filiis Kehat*, qui erant de *filiis Levi*, ut legere est Numer. 4. 4. 5. 6. 15. & 10. 21. & 7. 9. Sic 1. Chronic. 15. 15. *Tuleruntque filii Levitarum arcam Dei, quemadmodum præceperat Mose juxta Verbum Domini, humero suo cum vectibus qui erant super eos.*

CAPUT VIII.

Quare Arca humeris, & quidem a Levitis, portanda fuerit? An ipsorum officium hoc fuerit peculiare; an cum Sacerdotibus commune? Quomodo eam portarint, & cur vectes non educendi? Conciliatio quorundam Scripturæ locorum ἐναντιοφανῶν.

Circa ea quæ præced. capite dicta sunt; quæritur;

1. *Quare Deus Arcam vectibus oblongis voluerit humeris Levitarum portari?*

INter 613. præcepta Mosaica referunt Hebræi & hoc, לשאת את הארון על הכתף כשמוליכין אותו ממקום למקום *ut gestetur Arca super humero, quando illam deferunt ex uno loco in alium, juxta id quod dicitur;* Filiis vero Kehath nihil dedit: כי עבודת הקדש בכתף ישאו *quia ministerium* (i. e. quæ ad ministerium pertinebant) *in humero ferre debebant*, Numer. 7. 10. *Hinc non imponebant eam vel alicui jumento, vel currui. Hujus rei cum oblitus esset David, & plaustro novo imposuisset Arcam, Uzza, qui illud deducebat, punitus est*, 2. *Sam.* 6. Moses Mikkotzi in Libro præceptorum magno, præc. affirm. 168. Majemon in הלכות כלי המקדש cap. 2. §. 12.

Cur ita præceperit Deus? de eo scribit Majemonides in libro More nevochim par. 3. cap. 45. *Quod vero Arca in humeris, non in curribus portabatur, fiebat tum honoris causa, tum ne forma & structura ejus corrumperetur: hac etiam ratione non corrumpebatur amiculum & pectorale.*

R. Levi ben Gerson, ad Numer. 7. 9. באה המצוה להם בזה המקום שישאו משאם בכתף מצד קדושת הארון ויתר הדברים שהיו נושאים וכו׳: *Datur hoc in loco Kehathitis præceptum portandi arcam in humeris, propter Sanctitatem Arcæ, & reliquarum rerum sanctarum, quas ferebant* &c. Et mox: *Non invenimus in alio loco præceptum de ferenda arca in humeris nisi in hoc. Et in hoc erravit David, cum ad se adduci curaret Arcam, quod in curru eam devexerit, fuitque hoc causa rupturæ quam Deus fecit in Uza; unde postmodum eam in humeris per Levitas adduxit, qua de causa dicitur 1. Paralip.* 15. 11. 12. 13. 14. Vocavit itaque David Tzadokum & Abyathar Sacerdotes; Levitas autem, Uriel, Asajah, Joel, Schemajah, Eliel & Amminadab: Dixitque eis: Vos estis capita patrum Levitarum, sanctificate vos & fratres vestros, & inferte arcam Domini Dei Israelis: Quia a principio non adfuistis, פרץ יהוה בנו rupturam fecit Deus in nobis, כי לא דרשנהו כמשפט quia non requisivimus eum secundum ritum (*sicut fieri debebat:*) *quibus ultimis verbis respicitur ad historiam supra adductam 2. Sam. 6. & 1. Chronic.* 13. 10.

In Sepher hachinnuch fol. 141. col. 1. *Quia omnis gloria Israelitarum consistebat in Lege*, שבה נבדלו משאר העמים ונעשו חלק הש״י *per quam discernuntur a reliquis populis, & peculium Dei fiunt, idcirco decens & æquum est*, לשאת אותה בכתפי האנשים הנכבדים והמקודשים שבנו *ut portetur humeris nobilissimorum & sanctissimorum virorum, qui sunt inter nos.*

2. An Levitarum, filiorum Kehath, hoc officium fuerit proprium & peculiare; an vero commune cum Sacerdotibus?

Causam quærendi præbent quædam Scripturæ loca, in quibus & *Sacerdotes* leguntur Arcam Dei gestasse. Hac de re iterum scribitur in Sepher hachinnuch l. c. *R. Moses ben Majemon scribit*: Etiamsi hoc præceptum in specie datum sit Levitis; tamen id pro eo duntaxat tempore fuit, scilicet in deserto, ob paucitatem & raritatem Sacerdotum in diebus illis, sicut patet ex libro Josuæ, & ex libro Samuelis. *De hoc scribit R. Moses bar Nachman*; Quod Majemonides ait, translatum esse hoc præceptum ad Sacerdotes, non est verum. Absit ut dicamus, ullum præceptum in Lege mutatum esse, & aliquando Levitas ineptos factos esse ad ferendam Arcam. *Optime! Etenim Levitæ portabant Arcam tempore Davidis, sicut dicitur*; Fuit autem, cum adjuvisset Deus Levitas portantes Arcam fœderis Domini, 1. Chronic. 15. 26. *Item*; Et omnes Levitæ portantes arcam, v. 27. *Verum dicendum, quod secundum Legem tam Levitæ, quam Sacerdotes omnes, apti fuerint ad ferendam Arcam, quia omnes vocantur* Levitæ, *sicut dicitur*; והכהנים הלויים Et Sacerdotes Levitæ, Jos. 3. 3. *Item*; Et sanctificaverunt se Sacerdotes & Levitæ, ut inferrent arcam DOMINI Dei Israelis &c. quemadmodum præceperat Moses, juxta verbum Domini, humero suo cum vectibus qui erant super eos 1. Chroc. 15. 14. 15. *Ad quod in libro Siphra* (est Commentarius antiquus in Leviticum) *scribitur*; Ubi præcepit hoc Moses? Quando dixit, *Et filiis Kehath* &c. Num. 7. 9. Nam omnes vocantur filii Kehath. *Præterea scribit* (sc. Nachmanides,) *Quod Majemonides ait*, id clare patere ex libro Josuæ & Samuelis; *id illic non reperitur, sed contrarium. Dicitur enim illic*; Et præceperunt populo, dicendo; Cum videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes Levitas portantes eam, Jos. 3. 3. *Verum res ita habet, uti diximus, totam tribum Levi legitimam fuisse ad ferendam Arcam. Confirmatur id etiam ex Talmud Sota; ubi legimus*; כיצד עברו ישראל את הירדן בכל יום הלויים נושאים הארון והיום נשאוהו כהנים: Quomodo transiverunt Israelitæ Jordanem? singulis aliis diebus Levitæ portabant arcam, sed illo die ferebant eam Sacerdotes; q. d. *Quo die transiverunt Jordanem, ferebant eam Sacerdotes soli. Sic enim scriptum est*; Et dixit Josua ad Sacerdotes, Ferte arcam fœderis, & transite ante populum; v. 6. *ut scilicet miraculum* (de quo v. 5.) *illis fiat per Sacerdotes, qui sunt Sanctitas Sanctitatum in illa tribu. Et fortassis dum Majemonides scripsit*, clare id quod dicit patere ex libro Josuæ, *ad hunc ipsum locum respexit. Sed hæc ejus expositio prorsus non est necessaria, sicut ostendimus. Non est etiam quod scrupulum tibi moveat id quod* 1. *Reg.* 8. 6. *dicitur*; Et intulerunt Sacerdotes (nempe Soli) Arcam fœderis Domini in locum suum, in Adytum domus, in Sanctum Sanctorum: *Nam, quia Levitis fas non erat ingredi in Sanctum Sanctorum, ideo intulerunt eam Sacerdotes soli. Itaque juxta Nachmanidem fundamentum hoc tenendum, Totam tribum idoneam fuisse ad ferendam Arcam*, sicut scriptum est; Dixitque Levitis &c. portate Arcam sanctitatis in domum, quam ædificavit Salomon filius Davidis, Rex Israelis, ne sit vobis onus in humero; *sc. ulterius; Sensus est; ne opus habeatis porro eam humeris deferre ex uno loco in alium; nequaquam autem quod, si forte necessitas requirat Arcam ferre, Levitæ id non potuerint aut debuerint facere. Et hoc manifestum & notum est omnibus*. Hactenus ex Sepher hachinnuch.

R. D. Kimchi scribit Jos. 3. 3. majoris honoris & sanctitatis causa aliquoties adhibitos fuisse Sacerdotes ad ferendam arcam; nempe ter, ut Talmudici scribunt quibus ille quartum addit locum: *Hucusque*, inquit, *Levitæ ferebant arcam, nunc ferunt eam Sacerdotes* להקדישו יותר *ad majorem ejus Sanctificationem, propter miraculum quod hac vice coram ea factum est. Rabbini nostri scribunt* (in Sota cap. 7.) *in tribus locis legi, Sacerdotes gestasse Arcam, primo, in transitu Jordanis cap. 3. deinde cum circumiverunt urbem Jericho, Jos. 6. tertio, quando retulerunt eam Philistæi in locum suum, quod fuit, cum David fugeret coram Saule, sicut dicitur*; Reduxit ergo Zadok & Abyathar arcam Dei in Jerusalem, 2. Sam. 15. 29. *ubique sc. ad tanto magis eam sanctificandam. Præter hos tres invenimus adhuc quartum locum, exstructo videlicet Templo, quando Sacerdotes eam intulerunt ex civitate Davidis, in Sanctum sanctorum, 1. Reg. 8. Fortassis quia tum intulerunt eam in locum suum, in quo perpetuo manserat, ideo hoc præterito nonnisi tria numerarunt illi loca.*

R. Moses Majemonides in More nevochim par. 3. cap. 45. *Ad magnificentiam Do-*

Domus [templi] *augustiorem reddendam, magnificavit dignitatem ministrorum ejus, separatosque esse voluit Sacerdotes & Levitas ab aliis.*

3. *Quomodo eam portarint? & Cur vectes non fuerint ex Annulis educendi?*

Abarbenel: היו הכהנים מכניסים כתפותיהם תחת הבדים ההם והיו בזה האופן נושאים את הארון מבלי שיגעו בו בידיהם · והיה לפי זה הארון בשאתם אותו עליון למעלה מכתפיהם לפי שהבדים היו בטבעות שהיו ברגלי הארון למטה · והכהני׳ יכניסו כתפיהם תחתיהם וישאו את הארון למעלה ולפי שהיו הטבעות לצורך הבדים והבדים כדי שלא יגעו בעצם הארון הוצרך להזהיר בטבעות הארון יהיו הבדים לא יסורו ממנו: *Sacerdotes immittebant humeros suos sub vectes illos, & hoc modo portabant Arcam, ut non opus haberent manibus suis eam contingere: Ac proinde Arca, ab ipsis sic gestata, fuit super humeros ipsorum: quia Vectes fuerunt in Annulis qui erant in pedibus Arcæ, & Sacerdotes illis vectibus humeros suos submittentes, Arcam elevabant sursum. Et quia Annuli erant propter Vectes, & Vectes ideo, ne Arcam ipsam tangerent; ideo necesse fuit præcipere,* Ne vectes ex Annulis unquam recederent.

R. Moses Majemonides in הלכות כלי המקדש cap. 2. scribit: כשנושאין אותו על הכתף נושאים פנים כנגד פנים ואחוריהם לחוץ ופניהם לפנים ונזהרים שלא ישמטו הבדים מן הטבעות שהמסיר אחד מן הבדים מן הטבעות לוקה כמו שנאמר בטבעות הארון יהיו לא יסורו ממנו: *Quando ferent arcam in humeris, ferent eam faciebus obversis introrsum,* (versus arcam) *& tergo extrorsum: cavebunt etiam ne elabantur vectes ex Annulis: nam qui removet vectem aliquem ex annulis, vapulat, sicut dicitur;* In annulis arcæ erunt, non recedent inde. Desumpta sunt hæc ex Talmud Joma fol. 72. 1. ubi disputant; Utrum Vectes ita arcte in Annulos intrusi fuerint, ut immobiles fuerint, an vero laxius, ita ut hinc inde potuerint moveri? Respondent, מתפרקין ואין נשמטין *hinc inde quidem moveri potuisse, non tamen excidere.* Id R. Salomon ita explicat; *Vectes in capitibus seu extremitatibus crassos fuisse, ut vi caput unum intrudendum fuerit in annulum; in medietate vero fuisse tenuiores, ac proinde non ita arcte intra cavitatem annulorum, quin hinc & illinc moveri potuerint: propter crassitiem autem capitum extremorum non potuisse excidere, vel exsilire.*

4. *Quomodo cum præsenti Præcepto, de non educendis ex Vectibus Annulis, concilietur, quod Num.* 4. *v.* 5. 6. *dicitur;* Venient autem filii Aharonis &c. ושמו & ponent vectes ejus?

Hic enim posterior locus videtur docere, illos Vectes ab Arca eduxisse & removisse, donec texissent eam, & tum reposuisse.

Aben Esra scribit, quosdam exponere, quod hic dicitur, *Et imponent vectes ejus,* id intelligendum esse, *quod humeris suis tum vectes imponere debuerint.*

R. Moses bar Nachman: Τὸ שמו Ponent, *vult dicere,* שיתקנו אותם *ut aptent eos,* להיות יוצאים לשאת אותו בהם *ut egrediantur* (ex annulis) *quo iis portare possent arcam. Nam Annuli ampli erant, unde Vectes in illis pro lubitu suo magis vel minus prominebant, nunquam tamen prorsus ex eis avellebantur.*

Chaskuni: *Quatuor Vectes fuerunt, duo* קבועים *fixi & immobiles erant, & de his dicitur;* Non recedent ab ea: *de duobus alteris dicitur hic;* Et ponent vectes ejus. Vel aliter: *Non fuerunt illic nisi Vectes duo, sed in illis erant* שני חריצים *duæ incisuræ vel fossulæ, quibus indebant annulos, ne Arca vel ascendendo, vel descendendo, decideret:* Vel; *Ponent vectes super humeros portantium.*

Abarbenel amplectitur sententiam Nachmanidis.

5. *Quomodo cum hoc præcepto, de non loco movendis Vectibus, conveniat quod legitur* 1. *Reg.* 8. *v.* 8. ויאריכו Et prolongarunt (h. e. *longius extraxerunt*) vectes, ut conspicerentur capita vectium e Sanctuario, ante Adytum?

Don Isaac Abarbenel ita explicat; *Quod dicitur;* Et prolongarunt vectes e Sanctuario ante Adytum; *ejus expositio est;* quod longius extraxerint illos foras; *eo quod non necesse futurum esset, ut ulterius portaretur humero; ut propter illorum extractionem conspicerentur ante Adytum capita illorum, & Sacerdos magnus in Die Expiationum eo ingrederetur ad adolendum inter Vectes, neque vel respiceret, vel circumvagaretur hinc inde,* (Antea enim, scribit R. D. Kimchi, ante & retro æqualiter prominebant) *Quod si dixeris;* Atqui longitudo vectium non erat nisi decem cubitorum, neque in Lege dicitur, quod extra velum conspecti fuerint; Adytum etiam

ſeu Sanctum Sanctorum viginti duntaxat cubitorum erat; unde licet illos extraxerint, non potuerunt conſpici exterius ante Adytum? *Ad hoc dicimus, illos Arcam in adyto non collocaſſe proxime ad parietem Occidentalem, ſed aliquantum longius ab eo, ut conſpici poſſent vectes exterius, quando extraherentur:* Et ibi fuerunt, *dicitur ibidem in Textu*, uſque ad diem hanc; *h.e. in eo ſitu & ſtatu, quia illos vectes nunquam ab Arca removerunt, neque etiam reduxerunt vel retraxerunt eos, ſed ita extracti manſerunt perpetuo. Atque hujus rei cauſa non clauſæ fuerunt januæ Adyti, ſed Velum faciendum fuit diſtinguens inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Sic communiter Interpretes exponunt. R. Levi ben Gerſon vero aliter: Scribit ille*, Hi Vectes, quorum in loco præſenti fit mentio, non fuerunt illi quos Moſes fecit Arcæ, ſed Salomon fecit vectes alios ad ferendam Arcam, qui longiores Moſaicis fuerunt, quo plures Sacerdotes eam ferre poſſent (*antea enim quatuor tantum Sacerdotes eam ferebant; duo ſcil. ad unumquemque vectem.*) Itaque quod dicitur, ויאריכו הבדים ſignificat, illos longiores vectes feciſſe, quam antea fuerint, quorum ſc. longitudo ea erat, ut capita eorum conſpicerentur e Sanctuario ad faciem adyti, h. e. ad portam Sancti Sanctorum: neque tamen exterius in Templo conſpiciebantur, ſed pertingebant duntaxat uſque ad ſuperficiem Adyti in craſſitie parietis: ibi deinceps erat Velum, ad diſtinguendum. Etſi enim ibi fuerint portæ, eæ tamen non claudebantur, quia vectes impediebant ne claudi poſſent. וזה יותר נכון אצלי *Et hoc rectius mihi videtur*, inquit Abarbenel.

Et hæc de Arca ipſa: ſequitur nunc ſecundo loco conſiderandum Operculum.

CAPUT IX.

De Operculo Arcæ, ſeu Propitiatorio; De Cherubinis.

OPERCULUM Arcæ accurate deſcribitur v. 17. 18. 19. 20. 21. *Et facies* כפרת *Operculum ex auro puro, duorum cubitorum & dimidii, erit longitudo ejus: Facies & duos Cherubinos ex auro,* מקשה *opere continenti facies eos, in duabus extremitatibus Operculi: Facies autem Cherubinum unum in extremo uno, & Cherubinum in extremo altero:* מן הכפרת ex *Operculo facietis Cherubinos, in duabus extremitatibus ejus: Et erunt Cherubini expandentes alas ſuperne,* סככים *obtegentes alis ſuis propitiatorium: & facies ſuas unus verſus alterum obverſas habebunt, ad, verſus operculum erunt facies illorum: Et impones operculum Arcæ ſuperne.*

Operculum hoc vocatur כפרת, & extra controverſiam eſt, quod per hanc vocem ſignificetur Tabula illa, qua arca tegebatur, & claudebatur. Quidam verbo כפר generalem adſcribunt *Tegendi* ſignificationem, & inde quoque כפרת nihil aliud, quam *Tectum*, *Operculum*, *Operimentum*, ſignificare volunt. Alii deduxerunt illud a verbo כפר *Expiare*, *Expiationem facere*, *Placare*, *Propitium reddere*; unde LXX. nonnunquam reddiderunt *ἱλαστήριον ἐπίθεμα Propitiatorium Operculum*, quod Deus illic ſe propitium & placatum populo ſuo oſtenderet; utramque nominis *ἐτυμολογίαν* conjunctim exprimentes, Exod. 25. v. 16. alibi tamen *ἱλαστήριον* ſolum vocant. Ad hujus imitationem dicit Apoſt. in Epiſt. ad Rom. cap. 3. v. 25. de Chriſto, *quod Deus eum propoſuerit, vel ante, ab æterno conſtituerit ἱλαστήριον per fidem in ejus ſanguine;* innuens, propitiatorium hoc terrenum typum fuiſſe Chriſti, in quo & per quem Deus nobis eſt placatus & reconciliatus.

Circa Operculum ſeu Propitiatorium hoc in deſcriptione Moſaica notantur ſequentia:

1. *Materia*, quæ fuit *Aurum purum*. Abarbenel ſcribit; *Neceſſe fuit, ut fieret Operculum, non ex lignis Cedrinis, ſed totum ex auro puro & ſolido, quia & tegenda erat Arca, & bene cuſtodiendæ Tabulæ, quæ in ea erant.* In Talmud Schekalim: יבוא זהב של הכפרת ויכפר על זהבו של עגל *Veniat aurum propitiatorii, & expiet pro auro conflati vituli.*

2. *Menſura*, quæ, in longitudine & latitudine, ipſius Arcæ longitudini & latitudini reſpondebat. Craſſities ejus in Scriptura non commemoratur. Rabbini tamen aſſignarunt ei טפח *Palmum*, notante R. Salomone. Ita adaptatum erat, ut exacte reſponderet arcæ, eamque tegeret.

3. Jubentur *Duo Cherubini* ei addi: Hic quæritur;

Quid Cherubini ſint? quæque eorum fuerit forma?

De hoc variæ ſunt Authorum ſententiæ.

Aben Eſra vult in genere ſignificare *Formas* צורות, & Caph eſſe de radice, quod colli-

colligit ex Ezechiele, qui formas singulas animalium quæ vidit, vocat כרובים. *Ezechiel enim*, inquit, *dicit, se vidisse, Animal habere quatuor facies, & unam ex eis fuisse* faciem bovis, cap. 1. v. 10. *In alio autem loco de Animali seu Bestia eadem agens, pro* Facie Bovis, *dicit, Faciem Cherubini*, cap. 10. v. 14. *Nam de illa Forma, quam vidit vice prima, dicit in altera;* Hoc est animal, quod videram sub Deo Israel, in flumine Chobar, & cognovi, quod Cherubini essent, cap. 10. 20. *& sic omnia quatuor animalia vocat Cherubinos.*

Josephus in Antiquitatibus lib. 3. cap. 6. scribit, *Cherubim propitiatorii fuisse figuras animalium volucrium, specie nova, a nullo unquam homine conspecta. Hac Mosen dicere se vidisse in Dei Sede* (quam Hebræi כסא הכבוד *Solium gloriæ* appellant) *figurata*. Et lib. 8. cap. 2. *has Cherubicas figuras, quanam specie fuerint, neminem conjicere posse vel eloqui*. Philo Judæus: *Propitiatorium basis est duarum imaginum volucrium, quæ sermone vernaculo vocantur Cherubim, hoc est*, Multa scientia.

Mercerus in Lexico Pagnini adnotat; *Hoc nomen cum* רכב, *quod est* Vehi, *affinitatem habet. Videtur enim hoc nomine significari, vel res spiritalis, vel corporalis, Imago, artificis manu fabrefacta, quæ, tanquam volucris, alis expansis vehatur, vel ob motus celeritatem vehi ac volare videatur*: *unde Psal.* 18. *& 2. Sam.* 22. Nubem *appellat* Cherub, *quod nubes sint velut alæ Dei. Ezechiel cap.* 10. *satis ostendit, se per* מרכבה Quadrigas, *ipsos* כרובים, *seu*, ipsa quatuor animantia, *quæ alata vehi & volare apparebant, intelligere, unde apparet duarum harum radicum affinitas.*

Improprie vel metaphorice hoc nomen כרוב propter Dignitatem Regiam attribuitur Regi Tyri, Ezech. 28. 14. את כרוב ממשח הסוכך *Tu es Cherubinus unctus oleo unctionis.*

Hebræi communiter volunt, habuisse facies & formas *Puellorum* & sic dici ex lingua Aramæa, in qua רביא, vel רוביא est *Puer*, ut כ quidem sit origine sua servile, sed usu transeat in radicalem, qualia plura in hac lingua inveniuntur. Juxta R. L. ben Gerson dicuntur ita *Pueri*, quasi רובים *Crescentes*, a רבה *Crescere, Magnum fieri*, מפני גדול הנפלא הנמצא בהם *propter accretionem admirandam, quæ in illis deprehenditur*, sicut eadem notione Latinis dicuntur *Adolescentes*, ab *Olesco*, quod *Crescendi* signif. habet.

In Talmud Chagigah fol. 13. col. 2. מאי כרוב אמר ר׳ אבהו כרביא שכן בבבל קורין לינוקא רביא *Quid est* כרוב? *R. Asbu dixit*, כרביא Quasi adolescens [species pueri:) *sic enim in Babylonia Puerum vocant* רביא Rabjah.

Hanc traditionem fere omnes neoterici Judæi amplectuntur. R. Salomon; דמות פרצוף תינוק להם *Speciem habebant faciei adolescentum*. R. Levi ben Gerson: הם כצורות בן אדם צעיר הימים *Sunt instar hominum juniorum, puerorum, qui vocantur* רובים. Majemonides in More par. 3. cap. 1. כרוב הוא צעיר לימים בני אדם *Cherubinus est homo ætate minor*. Abarbenel post adductas Talmudicorum & Aben Esræ sententias, subjungit; די במקום הזה לדעה שהיו הכרובים כצורת ילדים קטנים עם כנפים *Sufficit hoc in loco scire, quod Cherubini habuerint formam parvulorum puerorum cum alis*. Vide & Abraham Seba in Tzeror hammor.

Cur non unum, sed שנים כרובים *Cherubinos duos facere jussit?*

Cherubinos hos docuisse על מציאות המלאכים *de existentia Angelorum*, & Angelos sub hac forma repræsentasse, Hebræi unanimiter docent. Itaque Deum jussisse duos *Cherubinos* facere, (in numero plurali) non unum, supra quos sit Deus, qui inde dicitur sedere super Cherubinis; כדי שלא תחשוב שהוא צורת האל הנעבד *ne existimet quisquam, hanc esse formam Dei ipsius qui coli debet*. Quod si quis objiciat, *Atqui sic concludi posse* שתי רשויות *duas esse Potestates, seu, duos Deos!* Respondent, *nequaquam*: היו פורשים כנפים למעלה מקבלים שפע כח הבא להם מלמעלה *nam ideo extendebant alas superne, ad recipiendam sc. influentiam virtutis desuper a Deo ipsis venientis*, Bechaj fol. 102. 2. Desumpta sunt autem hæc ex Majemonide in More par. 3. cap. 45. ubi ita scribit; *Præcepit Deus supra Arcam duorum Cherubinorum figuram facere, ad existentiam Angelorum in animis hominum confirmandam. Quod si una tantum figura fuisset, h. e. unius tantum Cherubini forma, id facile errandi causam præbuisset. Existimare enim quis facile potuisset, ac si esset figura Dei colendi, sicut Idololatræ faciunt, vel, quasi Angelus unicum duntaxat esset individuum, atque ita in multiplices errores inducere. Duos autem Cherubinos faciendo, cum hac declaratione;* Dominus Deus noster Deus Unus; *extra omne dubium posuit istos articulos; primo quod Angeli existant, & illorum sint multi; deinde etiam omnem ansam errandi*,

di, vel cogitandi, ac si illi Deus essent, sustulit hac declaratione; quia Deus sit Unus, & quod ille hos multos crearit.

Cæterum crisin suam exercet R. Bechaj etiam in eo, quod dicatur שנים כרובים, non שני; Id ideo factum esse dicit, quod שני τὸ notet השויה *Æqualitatem*; veluti cum dicitur שני לוחות *Duæ tabulæ*; שני כבשים *Duo agni*; שני השעירים *Duo hirci*. Itaque שנים dicendum hic fuit; כי חלוקים הם בעניינם זה זכר וזה נקבה *quia diversæ fuerunt q. conditionis; unus erat masculus, & alter fœmella*. Quod vero postmodum etiam dicatur מבין שני הכרובים; Item ויעש שני כרובים זהב, id fieri, לרמוז השוויתם בזהב ובאחדות *ad designandam illorum æqualitatem, respectu materiæ, & cum operculo continentiæ*.

Sic scribit Abarbenel in Legem fol. 191. col. 3. היו שנים להיותם מתחלפים במין כמו שהתבאר באלהיות *Fuerunt duo, eo quod fuerint differentes specie* (sexu) *sicut explicatur in Theologia Cabalistica*.

Porro ait, *Juxta sensum literalem duo Cherubini, masculus & fœmella fuerunt, ad docendum, quam Deo chari & dilecti sint Israelitæ*, בחבת זכר ונקבה *nempe Amore maris & fœmellæ*. Quo facit quod scribitur in Talmud Joma cap. 3. *Dixit Raf Katina, Eo tempore, quo Israelitæ ascendebant* [Hierosolymam] *ad festum, retegebatur ipsis propitiatorium, & ostendebantur Cherubini*, שהם מעורים לזה זה *qui denudati erant unus erga alterum, & dicebant ad eos*; ראו חבתכם לפני המקום כחבת זכר עם נקבה *Videte quo amore vos complectatur Deus, amore sc. maris erga fœminam!*

Abarbenel ad 1. Reg. 8. scribit: *Possumus etiam dicere, quod Cherubini habuerint formam puelli & puellæ, ut Rabbini nostri voluerunt, ad significandum, omnes, tam mares quam fœminas e filiis Israel, a pueritia statim debere operam dare Legi, & hoc studium per totam vitam continuare, nocte & die in ea legendo, & observationi Præceptorum ejus operam dando: hac ratione puerum mundaturum semitam suam, ut David loquitur Psal.* 119. 9. *& consequuturos, ut alis quasi expansis sursum ferantur, & cum superis conjungantur.*

R. Bechaj iterum: *Fieri etiam potest, ut duorum Cherubinorum alter, formam habuerit Hominis adulti; alter, formam Pueri parvi, sicut Ezechiel vidit. Faciem primi* (animalis) פני כרוב *sicut faciem Cherubini* (pueri,) *& Faciem secundi*, פני אדם *sicut faciem hominis* (adulti,) *sicuti Rabbini nostri super hoc* ἀλληγορίζουσι, *dum ajunt in* Chagiga f. 13. 2. היינו כרוב היינו אדם אלא אפי רברבי ואפי זוטרי Facies Cherubini, *Facies hominis, nihil aliud denotat, quam Faciem hominis adulti, & Faciem hominis parvuli; iterum ad denotandum, quod non aliter diligat Deus Israelem, quam Pater filium suum*, שהיא אהבה חזקה *qui est Amor fortissimus*: Sed hæc in transitu: plures allegorias qui de his volet, authorem dictum adeat.

De his Cherubinis Propitiatorii dicit porro sequentia;

α. מקשה תעשה אתם *Opere solido & continenti facies eos in duabus extremitatibus propitiatorii.*

Illud Hebræi ita explicant, ut velint indicari, Cherubinos debere fieri ex massa auri solida, & quidem eadem ex qua constabat propitiatorium, non separata & singulari, ut quidam volunt.

Abarbenel: כי היה זהב הכפורת גוף מלא בלתי חלול מבפנים בחתיכה אחת ויכו אותה בפטיש עד שיציירו ממנה הכפורת והכרובים *Quia aurum Propitiatorii fuit corpus plenum* [*solidum*] *non concavum interius, ex frusto seu massa una constans, quam malleo tamdiu tundebant, donec effingerent Propitiatorium & Cherubinos.*

R. Levi ben Gerson; *Voce* מקשה *vult dicere, ut faciant hoc Propitiatorium, malleo eousque massam auream tundendo, ut ista tusione seu percussione simul fiant Cherubini a duabus extremitatibus propitiatorii*; כדי שיהיו הכרובים והכפרת מחתיכה אחת במספר *ut Cherubini & Propitiatorium sint ex frusto seu massa numero una.*

R. Salomon; מקשה תעשה *Non facies eos* בפני עצמם *per se, scorsim, & conjuges eos cum capitibus propitiatorii, posteaquam eos feceris, sicut Aurifices facere solent figuras fundendo; sed statim ab initio, quando facturus es propitiatorium, capies auri quantum satis, & malleo illud in medio percuties, ut capita superius in duabus extremitatibus protuberent, ad formandos ex protuberantia ista extremitatum Cherubinos.*

Sic Hebræi intelligunt hoc quod hic dicitur; מקשה, *Opere duro, solido, & continenti cum ipso operculo*; quam expositionem confirmant ex eo quod sequitur, ut audiemus:

β. ועשה כרוב אחד מקצה מזה וכרוב אחד מקצה מזה *Et fac Cherubinum unum ex latere uno hinc, & Cherubinum ex latere altero illinc*: מן הכפרת תעשה את הכרבים *Ex operculo facies Cherubinos in duabus extremitatibus ejus.*

Ad

Ad hæc verba Abarbenel ſcribit; *Videtur hic verſus duplicatus & ſuperfluus* (videtur ταυτολογία eſſe; & idem dicere cum eo quod jam præceſſit, *In duabus extremitatibus ejus*;) *verum nequaquam ita eſt; ſed declarat, Cherubinos non debere poni ad unum Arcæ latus, nec ita, ut non ſint invicem oppoſiti; ſed unum ex latere uno, alterum ex latere altero: Non etiam debere fieri ſeparatim, & poſtea demum cum propitiatorio conjungi; ſed* מן הכפרת Ex ipſo propitiatorio *faciendos eſſe in propitiatorio*, in duabus extremitatibus ejus; nempe, *ſecundum ejus longitudinem.*

R. Salomon; Facies Cherubinum unum ex latere uno &c. *Ne dicas, vel exiſtimes, duos Cherubinos faciendos eſſe in unaquaque extremitate, ideo explicandum fuit, Cherubinum unum ponendum eſſe in una extremitate.* Ex propitiatorio ipſo facietis Cherubinos; זהי פירושו של מקשה תעשה אותם שלא תעשה בפני עצמם ותחברם לכפורת: *Hæc verba continent explicationem ejus quod antea dixit*, מקשה Opere continenti facies eos; *h. e. non facies eos ſeorſim vel ſeparatim, conjungendo eos poſtmodum cum propitiatorio.*

γ. והיו הכרבים פרשי כנפים למעלה *Et erunt Cherubini expandentes alas ſurſum;* סככים בכנפיהם על הכפרת *obtegentes, vel obumbrantes alis ſuis ſuper propitiatorium:* ופניהם איש אל אחיו *Et facies eorum, unius erga alterum* (erant:) אל-הכפרת יהיו פני הכרבים *Ad, vel, verſus propiatorium erunt facies Cherubinorum.*

Abarbenel ad hæc verba ſcribit; *Prius debuiſſet mandare, ut conficerentur alæ Cherubinis; deinde demum dicere, ut expanderent alas ſurſum. Verum res ita habet, ſicut dixi*, Cherubh *ſignificare* Puerum alatum; *unde dicitur 2. Sam.* 22. 11. Et equitavit ſuper Cherubino, & volavit; *ſc. Cherubinus. Itaque non neceſſe fuit præcipere, ut Cherubinis alas facerent; nam dum dixit* Cherubinos, *per ſe notum fuit, illos debere habere alas. Præcepit autem primo*, ut ſurſum expanderent alas; *ad ſignificandum, illorum deſiderium ferri in cauſam ipſorum Deum Opt. Max.* quia Excelſus deſuper excelſo cuſtodit: & excelſi ſunt ſuper eos, ut Salomon ait Eccleſ. 5. v. 7. deinde, *quamvis deſiderium ipſorum primo ſurſum vergeret; juſſit ut converterent ſe etiam deorſum, ad benefaciendum iis, quæ infra ipſos ſunt. Hoc eſt quod dicitur;* Obtegentes alis ſuis propitiatorium; 3. Jubet, ut fiant *Facies ſuas obvertentes unus e regione alterius. Ut ſic habeas facies ſurſum, Facies deorſum, & Facies in medio. Iterato autem dicit;* Verſus propitiatorium erunt facies Cherubinorum; *ad indicandum, quod in omnibus ſuis ſitibus, ſive ſurſum, ſive deorſum, ſive erga ſe invicem, cuſtodiant Legem, quæ erat ſub propitiatorio.*

Et ad 1. Reg. 8. Facies ſuas erga ſe invicem obvertebant, לרמוז על הסכמתם *ad ſignificandum mutuum conſenſum & concordiam illorum, ſicut Author Precum noſtrarum alicubi dicit;* כולם אהובים כולם ברורים כולם עושים באימה וביראה רצון קוניהם *Omnes amore flagrant, omnes ſunt pueri, omnes cum tremore & timore faciunt voluntatem Creatoris ſui.*

R. Levi ben Gerſon; *Cherubini* expandebant alas ſuas ſurſum, כאלו ירצו לעוף להגביה עצמו למעלה *ac ſi vellent volare & ſurſum ſe in altum evehere. Et hac ratione fuerunt alis ſuis* סככים Obtegentes ſuper propitiatorio, כאילו היו כנפיהם סוכה עליה *ac ſi alæ ipſorum eſſent* סוכה *tugurium vel tabernaculum ſuper eo. Erant etiam* obvertentes facies ſuas unus erga alterum; *& tamen nihilominus* facies ipſorum deorſum ſpectabant verſus medietatem propitiatorii, *quaſi reſpicerent ad id quod erat infra ipſos.*

R. Salomon: Expandentes alas] שלא תעשה כנפיהם שוכבים אלא פרושים וגבוהים למעלה אצל ראשיהם שיהא עשרה טפחים בחלל שבין הכנפים לכפורת כדאיתא בסוכה: *Non facies alas ipſorum cubantes, ſed expanſas & in altum extenſas verſus capita illorum, ut decem palmorum intervallum ſit concavitatis illius, quæ eſt inter alas, & inter propitiatorium* ut eſt in Maſſecheth Succa, cap. 1. fol. 5. col. 2. Et hinc altitudinem etiam, ſeu ſtaturam Cherubinorum, fecerunt decem palmorum, R. Bechaj fol. 103. 1.

Concludit hanc Propitiatorii & Cherubinorum deſcriptionem, inquiens, ונתת את הכפרת על הארן למעלה *Et impones propitiatorium Arcæ deſuper*; nempe intra coronam ſeu limbum illum aureum arcæ ſuperne circumductum, de quo ſupra, ut exacte arcam clauderet. Circa hoc quæritur;

Utrum Tabulæ Legis fuerint impoſitæ in arcam, antequam ei impoſitum fuit Operculum, an vero poſtea demum, remoto ſc. iterum Operculo?

Ratio quærendi & dubitandi eſt, quod Exod. 25. poſt præceptum de facienda Arca, v. 16. ſubjungatur ſtatim, ante Propitiatorii deſcriptionem: ונתת אל-הארן את העדת

הערת אשר אתן אליך *Et pones in arcam Teſtimonium quod tibi dabo*. Unde videtur colligi, Deum jubere, facta Arca ſtatim in eam reponere Teſtimonium, antequam fieret propitiatorium.

Hic vero poſt præceptum de Propitiatorio faciendo, iterum dicitur; ואל הארן תתן את-הערת אשר אתן אליך *Et ad* (in) *arcam pones teſtimonium quod tibi dabo*. Hoc videtur dicere, poſtea demum debuiſſe in arcam poni Teſtimonium.

Abarbenel ita conciliat; *Cum jam v. 16. hoc dixerit, hic illud repetendo vult indicare, non debere illum* [Moſen] *operculum Arcæ ſuperimponere, niſi poſteaquam indiderit in eam Tabulas teſtimonii, quaſi diceret;* Superimpones Operculum ipſi Arcæ, poſteaquam in eam indideris Teſtimonium quod tibi dabo: tunc enim demum impones ei operculum; &, impoſito hac ratione operculo, obtinget tibi Prophetia, & conveniam te illic, ac loquar tecum e medio Propitiatorio inter Cherubinos, ut non opus habeas ulterius montem conſcendere ad prophetiam petendam: ibi enim, e medio Cherubinorum Teſtimonium operientium, omnia Iſraelitis indicanda tibi præcipiam.

Sic R. Levi ben Gerſon: *Secunda vice hic commemorat vel repetit præceptum de inferendo teſtimonio in Arcam, ut doceat, non debere imponi Arcæ operculum, niſi poſteaquam illatum fuerit in illam Teſtimonium, ne defectus aliquis in ea exiſtat*, h. e. ne forte damnum aliquod ei inferatur, ſi removendum eſſet operculum ad arcam inferendam.

R. Salomon: לא ידעתי למה נכפל *Neſcio quare hic repetatur iſtud præceptum: jam enim ſup. v. 16. dixerat;* Et pones in arcam teſtimonium. *Dici poteſt, fieri* hoc ad docendum שבעודו ארון לבדו בלא כפרת יתן תחלה העדות לתוכו ואחר כך יתן הכפרת עליו וכן מצינו כשהקים את המשכן נאמר ויתן את העדות אל הארון ואחר כך וישם את הכפרת על הארון מלמעלה׃ *Arca adhuc ſola ſine Operculo exiſtente, indendum eſſe ei Teſtimonium. Sic enim in Erectione Tabernaculi dicitur primo;* Tulitque & poſuit Teſtimonium in Arca; *deinde*: Et Propitiatorium poſuit ſuper Arcam ſuperne.

Abraham Seba in Tzeror hammor: *Et pones Propitiatorium ſuper Arcam ſuperne, & in Arcam indes Teſtimonium quod tibi dabo*, שהוא התורה להורות שאחר שהיו הכרובים עשוים בכפורת יתן העדות בארון ולא קודם לכן אחר שתכלית התורה בעבור הכרובים׃ *hoc eſt, Legem, ad docendum, poſteaquam Cherubini fuerint facti in Propitiatorio, illum inferre debere Teſtimonium in arcam, non prius: quia finis Legis eſt propter Cherubinos.*

CAPUT X.

De Forma Arcæ Spirituali, tum quoad Signum, tum quoad Signatum.

PRæcedenti Capite dictum eſt de Forma Arcæ architectonica ſeu materiali, ſecundum ſenſum Scripturæ literalem & hiſtoricum, ex mente Hebræorum: Myſteria, & Allegorias, quas vel ex Philoſophia, & Theologia naturali, vel etiam Sublimiori, afferunt, perſequi non libuit.

Quia vero Arca, neque a Materia, neque a Forma iſta, quam hactenus tractavimus, eam vel Nobilitatem & præſtantiam, vel Virtutem & Operationes, habere potuit; [de quibus infra etiam ſuo loco dicetur,] ideo neceſſe eſt aliquid altius & divinius ei acceſſiſſe, unde iſta ſint profecta; Forma ſc. alia, *ſpiritualis*, quæ potiſſimum Eſſe ei tribuit, per quam & eſſet quod erat, & ei uſui inſerviret, ad quem deſtinata erat; de qua nunc quoque aliquid dicendum, quantum quidem, pro ingenii tenuitate, de rebus ſublimibus & admirandis iſtis, Scripturæ ductu, conſequi nobis licebit.

Formam ergo *Spiritualem* Arcæ ponimus in Conjunctione evidentiſſima Gratioſæ præſentiæ Divinæ cum ea; a qua, *Arca* DOMINI, *Arca Roboris* DOMINI, *Gloria* DOMINI, &c. paſſim in Scriptura vocatur.

Hanc *promiſit* Deus ſtatim, cum Arcam fieri juberet, dum ejus delineationi, & deſcriptioni continuo ſubjungit, & Moſi dicit: *Et conveniam te illic, & loquar tecum e propitiatorio* [Arcæ] *inter duos Cherubim, quod eſt ſuper arcam Teſtimonii, quæcunque præcipiam tibi dicenda filiis Iſrael.* Dum enim dicit, ſe ex Propitiatorio arcæ cum Moſe loquuturum, ſimul promittit, ſe illic præſentem futurum.

Quod promiſit, revera poſtmodum illum præſtitiſſe, variis in locis Scriptura teſtatur.

Exod. 40. 33. 34. & seq. *Itaque cum absolvisset Mose opus* (Tabernaculi erigendi;) *operuit Nubes tabernaculum Ecclesiæ , & Gloria* DOMINI *replevit tabernaculum : neque poterat Moses ingredi tabernaculum Ecclesiæ , quia habitabat super illud Nubes, & Gloria Domini replebat tabernaculum: quumque recedebat Nubes a tabernaculo , proficiscebantur filii Israel in cunctis profectionibus suis : quod si non recedebat Nubes , tum non proficiscebantur usque ad diem qua recedebat : Quia Nubes Domini erat super Tabernaculum interdiu ; Ignis vero erat noctu* בו *in eo* [sc. Tabernaculo,] vel, *In ea* (scil. Nube) *in oculis totius domus Israel , in omnibus profectionibus eorum*. Hoc quidem dicitur de Tabernaculo in genere ; alibi tamen explicatur , ipsam Nubem Tabernaculum texisse *supra tectum Testimonii* , h. e. *arcæ* testimonii : Sic enim legitur

Numer. 9. v. 15. *Quo autem die erectum fuit Tabernaculum , Nubes texit tabernaculum,* לאהל העדות *ad vel super tentorium testimonii : & vespere fuit sicut aspectus Ignis super tabernaculo, usque ad mane:* וכן יהיה תמיד *& sic erat jugiter: Nubes operiebat illud* [scil. interdiu] *& species Ignis noctu.* &c.

Et hinc scribitur in Chaskuni Exod. 40. Et non potuit Moses ingredi in Tabernaculum ; *ea sc. hora qua erectum fuit ; quia e vestigio habitavit super illud Nubes , ad testificationem amoris Dei erga Israelem* אלא אחרי כן היה מסתלק הענן מתוך האהל ושוכן על הארון : *sed postea nubes illa ablata fuit a Tabernaculo , & habitavit super Arca , sicut dicitur*, Et conveniam te illic e propitiatorio ; Item : *Sic , cum Templum a Salomone perfectum esset , sanctificavit Deus illud Nube : sed postea* היה מצמצם שכינתו על הארון בין הבדים *præcise restrinxit habitationem suam gloriosam supra arcam , inter Vectes*.

Numerorum 16. ubi describitur murmuratio universæ congregationis filiorum Israel contra Mosen & Aharonem , dicitur v. 42. *Fuit autem cum congregaret se congregatio contra Mosen & Aharonem , tum verterunt faciem suam ad tabernaculum Ecclesiæ : & ecce operuit illud Nubes , & conspecta est Gloria Domini : v. 43. Venit quoque Mose & Aharon coram Tabernaculo Ecclesiæ , v. 44. Et loquutus est Dominus ad Mosen, dicendo*, &c. quemadmodum nempe antea promiserat , e propitiatorio.

Deuteron. 31. 14. 15. *Et dixit Dominus ad Mosen ; Ecce appropinquaverunt dies tui , ut moriaris : voca Josuam , & state in Tabernaculo Ecclesiæ , & præcipiam ei : Perrexit ergo Moses & Josua , steteruntque in Tabernaculo Ecclesiæ : Et apparuit* DOMINUS *in tabernaculo , in Columna Nubis , stetitque Columna Nubis super ostium Tabernaculi*.

Levit. 16. v. 2. *Dixitque Dominus ad Mosen ; Loquere ad Aharon fratrem tuum , ut ne ingrediatur omni tempore Sanctuarium* [Sanctum Sanctorum] *intra velum , coram Propitiatorio quod est supra eam , ne moriatur* : *In nube enim apparebo super Propitiatorium*.

Numer. 7. v. 89. *Quando ingrediebatur Mose tabernaculum Ecclesiæ , ut loqueretur cum eo , audiebat vocem loquentis ad se e propitiatorio , quod erat super arcam Testimonii inter duos Cherubim , & loquebatur ei* . Vide & Numer. 9. 8. & Numer. 11.

Sic posteaquam Salomon Templum & Domicilium Dei stabile ædificasset , & in illud per Sacerdotes Arcam intulisset, dicitur ; *Fuit autem cum exirent Sacedotes e Sanctitate* (Sancto Sanctorum) *Nubes replevit domum Domini , neque poterant Sacerdotes subsistere ad ministrandum , propter Nubem : repleverat enim Gloria* DOMINI *domum* DOMINI , 1. Reg. 8. 10. 11. & 2. Paralip. 5. v. 11. 13. 14.

Hinc , ut supra dictum fol. 9. Deus vocatur יושב כרובים *Inhabitans Cherubinos ;* & quod dicitur *Habitare in Tabernaculo , in Tzijon , Hierosolymæ , in Templo* , ultimate *ad Arcam* omnia referuntur, & eum præcise locum, unde Mosi loquebatur, ut Hebræi volunt. Hinc est quod R. Bechaj scribit in sect. תרומה, fol. 103. col. 1. *Porro nosti , Mosen audivisse vocem Dei ibi* , מבין שני הכרובים מתוך שיעור טפח כי שם צמצם הק"בה שכינתו *ex inter duos Cherubinos , e medio mensuræ palmi . Illic enim præcise q. terminavit Deus suam habitationem seu præsentiam suam, non obstante quod de Eo scriptum sit* ; Annon cœlum & terram ego impleo , dicit Dominus? Jer. 23. v. 24. וכן תמצא במדרש תנחומא ר׳ יהושע דסכנין אמר משל למערה שהיא על מפת הים נעש צים נתמלאה המערה והים לא חסר כלום כך צמצם הק"בה שכינתו בין שני הכרובים ואף על פי כן הודו על ארץ ושמים : *Sic in Medrasch Tanchumah R. Josua Sichnensis dixit , rem hanc similem esse Speluncæ , ad littus maris sitæ , quæ commoto mari repletur , mari nullum decrementum inde patiente : sic, inquit , Deus*

præcise suam præsentiam & habitationem restrinxit inter duos Cherubinos, & tamen Majestas ejus est & manet super cœlum & terram.

Forma hæc Spiritualis consideranda venit partim in Signo, partim in Signato.

Ad *Signum* & *Symbolum* pertinent ea, quæ dicuntur *De Nube & Igne Arcæ propitiatorio seu operculo incumbentibus*; de *Gloria* item DOMINI ibi conspecta.

Ad *Signatum*, quod Deus dicit; EGO *conveniam te illic, & loquar tecum:* Item, EGO *in nube apparebo super propitiatorio*: Item, *Audiebat Moses vocem Loquentis secum* (Dei) *e propitiatorio*: quod item *Deus* dicitur *Habitare in Sanctuario*, Exod. 25. 8. *inter Cherubinos, habitare in medio filiorum Israel*; hinc Tabernaculum Nomen sortitum est ut diceretur משכן *Habitaculum*, sc. Dei: hinc *præsente Arca*, *Deus* ipse dicebatur, & credebatur a fidelibus, *præsens* esse, quod & eventus comprobavit: hinc & Externi populi Divinitatem Arcæ adscripserunt: hinc qui *coram Arca* erat, *coram* DOMINO esse dicebatur, sup. f. 3. & 18. sic *Dominus in columna Nubis & Ignis dicitur præcessisse* Israelitarum castra, Exod. 13. 21. Sic cum arca in Templum allata, nubes gloriæ Domini replevisset illud, dicit Salomon; *Deus dixit, se habitaturum in Caligine*, 1. Reg. 8. &c.

Hæc omnia utique docent, Signa ista visibilia & in sensus incurrentia non fuisse vana, vacua, & Re sua destituta, sed eam suo modo continuisse & exhibuisse.

Ad hanc rem paulo pressius enucleandam, & planius illustrandam, aliquot subjiciemus Quæstiones.

CAPUT XI.

Nubes & Ignis, seu Columna Nubis & Ignis, quarum in locis ante adductis, & alibi, in historia Tabernaculi & Arcæ, fit mentio, quæ & quales fuerint?

HOc videlicet quæritur; *Utrum Nubes illa fuerit ex Nubibus quæ generantur ex vaporibus ascendentibus; & Ignis ille, Ignis elementaris, seu simplex, seu mixtus, flammans & urens ut nostri Ignes; an vero alterius fuerint naturæ, vel miraculosæ?*

Præmittendum ab initio, solenne Deo fuisse, in illustrioribus Apparitionibus, & Gloriosæ ac gratiosæ suæ præsentiæ patefactionibus, *Nube & Igne uti.*

Sic Populum per desertum deduxit, *interdiu in Columna Nubis*; *noctu, in Columna Ignis eos præcedendo*, Exod. 13.

Sic cum in monte Sinaj descensurus, & Legem promulgaturus esset; *Mons Sinaj fumabat totus, & descendit super ipsum Gloria* DOMINI *in Igne, ascendebatque fumus ejus, sicut fumus fornacis*, Exod. 19. 18.

Cum Moses Tabulas priores, quas a Deo accepit, indignatione conflati & culti Vituli aurei, fregisset, & secundo Montem conscenderet, ad alias accipiendas; *Operuit Nubes montem, & habitavit Gloria Domini super montem, & operuit eum sex diebus, vocavitque Dominus Mosen e medio Nubis*, Exod. 24. 15. 16. 17.

Cum idem erexisset & dedicasset Tabernaculum, Arcamque in illud collocasset, *Nubes operuit Tabernaculum interdiu*; *Ignis vero, seu in Tabernaculo, seu in Nube, erat noctu*, Exod. 40. a v. 34. ad finem. *Et sic erat jugiter*, Numer. 9. 15. 16.

Sic, Salomone Templum exstructum dedicante, & Arca in illud introducta, *Nubes replevit domum* DOMINI: *& Gloria Domini eam replevit*, 1. Reg. 8. 10. 11.

Sic alibi, in Novo quoque Testamento, hujus rei exempla exstant.

Non dubium est, quin hæc omnia Unius & ejusdem fuerint generis.

Extra controversiam puto & hoc esse, neque Nubem hanc naturalem & ordinariam, neque Ignem, vel elementarem simplicem, vel compositum & mixtum fuisse. Ordinaria enim nubium materia talis non est, quæ tam diu perdurare potuisset, & constanter vices illas habere, quas istæ nubes habuerunt. Ignis etiam naturalis vi sua urendi & comburendi plus forte huic instituto nocuisset, quam profuisset.

Restat itaque ut dicamus, Extraordinarium & Miraculosum quid fuisse, maxime si attendamus, Signorum & Portentorum istorum subitaneum ortum & productionem, eorundemque conservationem, finem, usum, & operationes.

Hic vero jam iterum quærit Abarbenel; *An fuerit res aliqua miraculose eo tem-*

tempore primum producta, & pro certo tempore; an vero jam producta fuerit a prima Mundi creatione?

Prolixe & profunde hac de re agit Exod. cap. 40. sed præter morem suum, satis intricate, ut difficulter inde vel ejus sententiam, vel argumenta elicias. Nos ex iis quædam duntaxat, quæ ad sententiam ejus explicandam facient, producemus.

Vult ille, Nubem & Ignem hunc esse a Deo creatum statim die Ceationis primo; *Dico itaque*, inquit, *Deum creasse die primo Nubem quandam ad Gloriam suam, non generatam e vaporibus ascendentibus, ut reliquæ nubes, quia tum nulli adhuc vapores erant; sed creavit Nubem illam ex nihilo, ut reliquas Creaturas diei primi: & quia illa Nubes erat turbida & crassa, ideo dicit de ea Scriptura;* Et Tenebræ erant super faciem abyssi. *Post e vestigio creavit Deus illo die & Lucem Divinam creatam, quæ vocatur apud nos Gloria Dei; fecitque ambo illa statim, ut inservirent ad faciendum Diem & Noctem: Luce quippe illa apparente & lucente, factus est Dies: Stante Nube illa densa & tenebricosa circa eam, & Lucem ejus abscondente, facta est Nox. Et hoc est quod dicitur;* Et distinxit Deus inter Lucem & Tenebras: & vocavit Deus lucem Diem, & Tenebras vocavit noctem; *distinxit nempe usum hujus, a tempore usus illius, & præfixit uni terminum suum in Die, alteri terminum suum Noctu, &c.*

Item; Gloria Domini [cujus Scriptura passim facit mentionem, in locis quibusdam supra allegatis & similibus] *dicitur* העלול הראשון ממנו יתברך *de Causato primo producto a Deo. Illud enim est principium viarum, & creaturarum ejus. Et hoc est, inquit, quod a Sapientibus nostris vocatur* שכינה. *Non enim cogitandum vel existimandum est, Eximios illos viros, Sapientes nostros, vocasse* שכינה *Lucem creatam sensibilem, ut Majemonides voluit; vel Essentiam & Quidditatem Dei, ut R. Nachmanides sensit, sed* שכינה *vocant* אותו העלול הנאצל ממנו יתברך ראשונה *Causatum illud, primo ab illo emanans: Illud quia est ex numero Entium, & principium seu primum omnium, ejus apprehensionem a Deo petiit* (quando scil. dixit; *Ostende mihi Gloriam tuam*, Exod. 33. 18.) *sed denegatum ei fuit, quandiu viveret, sicut dicitur;* Quia non videbit me homo & vivet. *Nam* כי להיותו העלול ההוא הראשון שמו כשם רבו וחותמו של הק"בה מכונה בכנויו *quia illius Causati primi Nomen, est sicut Nomen Magistri sui, & Sigillum Dei Benedicti, ideo cognominatur Nomine ipsius. De hoc eodem dicitur;* ופני לא יראו Et facies mea non videbitur &c.

Item De Luce illa primi diei dicit; *Creata est ex nihilo in Die primo, ut usus ejus esset in diebus Creationis, donec crearentur Luminaria;* ואז נחתם ונגנז אותו אור כדי להשתמש בו הק"בה בעתורת הצורך לאוהביו ולשמרי מצותיו כפי מה שתגזור חכמתו *tunc* (creatis luminaribus) *obsignata & recondita fuit illa Lux, ut ea Deus uteretur tempore necessitatis erga Amicos suos, & custodientes præcepta ipsius, prout Sapientiæ ipsius visum fuerit.* Et sic dicunt Sapientes nostri, ראה הקב"ה את האור שאינו כדאי להשתשש בו רשעים וגנזו לצדיקים לעתיד לבוא ולכך לא נאמר בו ויהי כן לפי שלא התמיד שמושו ונסתתר במחיצתו ומפני שלמותו הנפלא אמר וירא אלהים את האור כי טוב ולא אמר וירא אלהים כי טוב כשאר הנבראים וכו' *Vidit Deus Benedictus Lucem, quod non deceat ut ea utantur Impii, idcirco recondidit eam pro usu justorum, & abscondita fuit in loco suo. Et propter admirandam ejus perfectionem dicitur;* Et vidit Deus lucem quod bona esset; *non vero;* Et vidit Deus quod bonum esset; *ut in cæteris creaturis* &c.

Porro autem non vult, Nubes istas gloriosas, & Ignes visibiles, in quibus Deus apparuit, fuisse *Emanatum illud a Deo primum*, seu illam ipsam Nubem & Lucem, quæ primo Die dicit creata, & postmodum in locis suis recondita esse; sed aliquid ab ea derivatum & emanans. Posteaquam enim illic multis docuisset, quod, & qua de causa, Deus vocetur *Lux*; & comparationes elegantes instituisset inter *Deum & Lucem*; subjungit; *Itaque propter istas similitudines eleganter competit Deo Nomen Lucis; maxime juxta sententiam* המאמתים *Verorum Theologorum, dicentium,* שהוא עצמו אור החלטי *quod essentia sua sit Lux absoluta. Quia ergo Lux est, Influentia quoque [ab ipso emanans] est Lux. Et quemadmodum in Corporibus inter nos existentibus duæ sunt Species Ignis naturalis ordinarii; primo Lux Solaris superior, secundo Lux Ignis* [elementaris] *inferior; & his ex æquo duæ competunt Operationes, Illuminandi sc. & Comburendi, juxta Cabalistas; ac Lux superior agit in Inferiorem, eam movet, ejusque causa est; Inferiorque a superiori movetur: quasi esset* כלי פעולתו *Instrumentum seu subjectum operationis ejus: quia Sol agit in Elementum Ignis & movet eum: sic existere fecit Deus Benedictus duas species Lucis supernaturalis, prima est,* רוחני העליון שהוא הנאצל הראשון שכינתו *Spiritualis suprema, quæ est Emanatum primum,* שכינתו, *cui simile quid nos habemus in Sole: secunda est* האור הנברא

הנראה בהר סיני ובשאר המקומות לעיני בני ישראל *Lux creata, quæ apparuit in monte Sinai, & in reliquis locis, in oculis filiorum Israel, cui simile quid nos habemus in Igne* (Elementari.) *Hinc dixerunt Rabbini nostri;* נובלת אורה שלמעלה הוא גלגל המה Deciduum a Luce superiore est Sphæra Solis; *quibus verbis Lucem istam primam intellexerunt. Hæc Lux secunda ordinatur a Luce superiore, & mittitur ab ea, omnisque ejus operatio & existentia, ubicunque ea sit, docet* על שרות השכינה האלהית והשפעתה באותו מקום וכאלו האור הנברא הוא דגל מחנה שכינה de habitatione τῆς שכינה *Lucis illius primæ Divinæ, & influentia ejus, in illo loco* (in quo hæc secunda apparet,) *quasi Lux creata sit Vexillum castrametationis* τῆς שכינה. Sic dixerunt Rabbini nostri b. m. כל מקום שהכבוד נגלה השכינה שורה עליו *In omni loco in quo Gloria* [Lux & Splendor visibilis] *revelatur* (Lux creata visibilis) *in eo habitat* השכינה [quæ est invisibilis & sensibus imperceptibilis.] *Porro notum est,* שסביבות השני אורים הטבעיים אשר אצלנו ר"ל השמשיי והאשיי ימצא החשך בהכרח *quod circa duas Luces naturales nostras, Solarem, inquam, & Elementarem, necessario existant tenebræ &c. Ad eundem modum se res habet circa Luces Superiores. Nam ecce* השכינה האלהית *Divina illa* שכינה (Lux prima,) *quæ est* העלול הראשון *Causatum primum, circa se habet* ענן וערפל *Nubem & caliginem, quæ est Imperfectio Intellectus nostri circa apprehensionem ejus: Lux etiam secunda creata* (quæ apparuit Israelitis &c.) *itidem circa se habet Nubem & caliginem: Nubes enim semper operiebat eam. Et quemadmodum Tenebræ Solis non sunt sicut Tenebræ Ignis; Tenebræ, enim Solis nihil aliud sunt, quam quod non possimus cernere lucem ejus, seu, privatio visus ejus, non vero res per se existentiam habens: Tenebræ vero Ignis res sunt per se existens, Nubes sc. densæ & tenebricosæ circumdantes eum: sic in Lucibus superioribus seu supernaturalibus Tenebræ quæ attribuuntur* τῇ שכינה, *non sunt res existens, sed solum privatio apprehensionis ejus: & Tenebræ Lucis creatæ* (apparentis in Visionibus Divinis) *sunt Nubes circa eam, visus ejus impedientes, propter densitatem & turbiditatem* [ut ita dicam] *illius Nubis &c. Et quemadmodum Sol est Princeps maximus corporum cœlestium, & Efficiens seu Agens fortissimum omnium elementorum, virtus ejus maxima in generatione, adeoque princeps mundi generationis & corruptionis: Sic Lux Divina Spiritualis,* h. e. שכינה עילאה *est Princeps spiritualium & intelligibilium omnium, Agens item & influentiam communicans Cœlo & Terræ: Lux item creata, quæ comparatur cum Igne qui est Princeps mundi corporalis, maxime accedit ad naturam Spiritualitatis: quia splendor & claritas ejus est simplicissima & purissima, magisque illuminans, quam Lux Solis, nedum Ignis* &c. Qui volet, videat integram ejus hac de re Dissertationem l. c. Ex his Lector aliquo modo, quæ ejus de Gloriosis istis Nubibus & Ignibus fuerit sententia, satis potest percipere; & quid de ea sentiendum sit, ipse judicare, Lubricis illam fundamentis innixam, nemo non videt. Adducere tamen eam voluimus, tum ut de ea constaret, tum quia in seqq. quædam expendendi, & ad institutum nostrum transferendi & accommodandi, dabitur occasio.

Nos simplicissimum esse existimamus, ut dicamus, Nubis & Ignis illius materiam, neque ex Cœlestibus, neque ex Elementaribus corporibus, sed ex nihilo tum a Deo, pro sua Omnipotentia, לפי שעתו pro illa hora, & ad certum tempus, fuisse extraordinarie & miraculose *creata* & producta, & quamdiu ipsi lubuit illis, pro signis & symbolis gloriosis gratiosæ suæ præsentiæ uti, conservata; postmodum iterum procul dubio in nihilum redacta: neque necesse esse, ut ultra hæc de illis inquiramus, quia Scriptura non plus de his nobis revelavit. Extra hanc sapere velle, est periculosum & temerarium. Et hæc videtur fuisse sententia R. Levi Gersonidis Exod. 13. ad; DOMINUS *proficiscebatur ante eos;* ita scribentis; ר"ל שהשם יתע' היה מהלך לפניהם במה שהיה נאצל ונשפע מאותו והוא עמוד הענן יומם ועמוד אש לילה להאיר להם כדי שיוכלו ללכת יומם ולילה כאשר ירצה השם יתע' *Vult dicere, Deum Opt. Max. profectum esse ante ipsos per id quod emanabat & defluebat ab ipso, Columnam sc. nubis interdiu, & Columnam ignis noctu, ut nocte & die proficisci possent, prout visum Deo fuerit,* Et cap. 14. ad; *Et profectus est Angelus* DOMINI *præcedens castra Israelitarum;* יתכן שקרא מלאך האלהים הכח השופע מאת השם יתע' שישפע ממנו זה הפלא העצום ר"ל הענן ועמוד האש *Videtur vocare Angelum Dei, Virtutem illam influentem a Deo: ab ipso enim fuit maximum istud miraculum; Columna, inquam, Nubis & Ignis.*

Sic verbo *Creandi* hac de re utitur Esajas, quando cap. 4. v. 5. ait; וברא יי *Et creabit Dominus super omnem locum montis Tzijon, & super loca convocationis ejus Nubem interdiu & fumum, & splendorem Ignis flammantis per Noctem.* De *Igne* dicitur fuisse כמראה אש *quasi Species Ignis,* Numer. 9. 15. Unde videtur

Aspe-

Aſpectum, Speciem, Similitudinem Ignis, non naturalem Ignem fuiſſe. Ita idem intelligendum de *Nube*.

CAPUT XII.

An Nubes & Ignis duæ diſtinctæ, vel conjunctæ res fuerint; ita ut una eademque jam ſub Nubis, mox ſub Ignis ſpecie apparuerit?

CAUSAM quærendi præbet, quod Scriptura videatur ambigue hac de re loqui locis ſupra allegatis, & de utriſque modo tanquam de Duabus, modo ut de Una loqui; veluti Exod. 40. *Quia Nubes Domini erat ſuper Tabernaculum interdiu; Ignis vero erat noctu in eo* בו.

Numer. 9. 15. *Quo die erectum fuit Tabernaculum, Nubes texit Tabernaculum ſuper tentorio Teſtimonii · & veſpere fuit* [ſcilicet illa Nubes] *ſicut aſpectus Ignis ſuper Tabernaculo uſque ad mane*.

Hinc diverſæ ſunt, tum de his, tum de Columna Nubis, & Columna Ignis, quæ procedebant caſtra Iſraelitarum per deſertum, Exod. 13. & 14. Interpretum ſententiæ, ut *quidam* exiſtimarint, Unam fuiſſe & eandem columnam, diverſe tamen affectam, & diverſo munere atque uſu præditam, quod ea quæ Numerorum cap. 9. dicuntur, illis videntur arguere, & Exod. 14. verſu 24. ubi *Columnæ Ignis & Nubis*, tanquam unius ejuſdemque rei fit mentio: *alii* vero, fuiſſe duas numero, reque diſtinctas.

Attingit hanc quæſtionem ex noſtris Lyranus Exod. 13. & 14. & concludit; *Quid autem verius ſit, non bene apparet ex ipſo Scripturæ textu, certum eſt tamen, quod utroque modo potuit eſſe, quia totum illud fiebat Divino miraculo.*

Ex Scriptura ſatis aperte colligitur. 1. Et Speciem Nubis, & Speciem Ignis hic fuiſſe: 2. eodem tempore ambo adfuiſſe, 3. neutram in tota illa profectione ablatam eſſe, licet una tantum de die, altera nocte appareret, vide Numerorum 9. 16.

Videtur itaque res ita conciliari poſſe, ut dicamus hanc fuiſſe Nubis iſtius rationem, quod illi conjuncta fuerit Species Ignis, & eidem quaſi incluſa; & ſic exterius fuerit nubiloſa, interius Ignea; interdiu apparebat in profectionibus Iſraelitarum ſuper Tabernaculo Nubes, quia propter Splendorem Solis alia luce opus non habuerunt: noctu Ignis, quia propter tenebras noctis Nubes non poterat conſpici, nec ejus uſus fuiſset. Quemadmodum nimirum circa Ignem materialem ſemper eſt fumus, & Fulgura conſpiciuntur e Nubibus obſcuris; ſic Ignis ille glorioſus, Tabernaculum totum intus replens, exterius circumdatus fuit Nube & Caligine. Talis videtur ratio fuiſſe illius Nubis, de qua legimus Matth. 17. v. 5. *Adhuc eo loquente, ecce Nubes lucida inumbravit eos, & ecce vox e Nube*, &c. h. e. Nubes lucem in ſe continens. Vide & Apocal. 14. v. 14. *Aſpexi autem & aderat* νεφέλη λευκή; *Nubes candida, & ſuper nubem ſedebat quidam ſimilis homini &c.*

Sic videtur intellexiſſe ex Hebræis R. Moſe bar Nachman, qui ad Exod. cap. 40. 34. ita ſcribit; אמר כי הענן יכסה את האהל מכל צד והוא מכוסה וטמון בו וכבוד יי׳ מלא את המשכן כי תוכו מלא הכבוד כי הכבוד שוכן בתוך הענן תוך המשכן בענין שנ׳ בהר סיני אל הערפל אשר שם האלהים׃ *Dicit, quod Nubes ex omni parte operuerit Tabernaculum, adeo ut illud tectum & abſconditum fuerit in ea, & Gloria Domini repleverit Tabernaculum, quia interius plenum fuit Gloria* (Igne & Luce:) *quia Gloria habitavit in medio nubis, intra tabernaculum, ſicut in monte Sinai, de quo dicitur;* Et Moſes acceſſit ad Caliginem, in qua erat Deus, Exod. 20. 20. Sic ad Deut. 5. 22. ubi dicitur, *Verba iſta loquutus eſt Dominus ad totam congregationem veſtram in monte, e medio Ignis, Nubis & Caliginis;* ſcribit idem; בי ענן וערפל סביביו *quia Nubes & Caligo fuerunt circa eum;* ſc. Ignem.

Sic Aben Eſra, ad Exod. 40. 38. Dicitur ibi; *Quia Nubes Domini erat ſuper Tabernaculum interdiu,* ואש תהיה לילה בו Et ignis *erat noctu* בו *in eo* (ſc. Tabernaculo) vel *in ea*, (ſc. Nube;) utroque enim modo poteſt exponi pronomen hoc relativum, quia utrumque משכן & ענן eſt generis maſculini. Ad hæc ergo verba ſcribit Aben Eſra; בענן או במשכן והראשון נכון *In Nube an in Tabernaculo? prius eſt rectum*. Sic quod legitur Exod. 24. 16. *Et habitavit Gloria Domini* (Ignis & Lux) *ſuper montem Sinai*, ויכסהו הענן, explicant; *Et obtexit eam*, ſc. *Gloriam Do-*

mini

mini (Ignis & Lucis speciem habentem) *Nubes*; non vero; *Et obtexit eum* (sc. Montem.)

Hanc sententiam sequitur quoque Abarbenel, uti ex iis, quæ supra ex eo sunt adducta, est colligere, & in seqq. mox videbimus. Videri potest idem ad 1. Reg. 9. 1. ubi prolixe, & in quibusdam magis diserte, se explicat.

CAPUT XIII.

Quid in his locis intelligatur per Gloriam Domini; *an de utroque Nube sc. & Igne; an vero de Ignea specie proprie & præcipue intelligatur?*

QUamvis utraque hæc species miraculosa fuerit, & a Deo extraordinarie producta, unde *Nubes* etiam vocatur ענן י״י *Nubes Domini*, Exod. 40. 38. Num. 10. 34. utraque etiam eundem usum habuerit; tamen videtur ex collatione locorum Scripturæ, *Gloriam Domini* in hoc argumento præcipue & plerisque locis sumi *de Ignis & Lucis specie apparente*.

Hinc Exod. 24. 16. *Et habitavit Gloria Domini super montem Sinai, & operuit eam nubes sex diebus: vocavitque ipsum Mose die septimo, & aspectus Gloriæ Domini erat tanquam Ignis comburens in vertice montis, in oculis filiorum Israel*. Quibus verbis satis manifeste indigitari videtur, *Gloriam Domini* non fuisse Nubem, sed aliquid Luce sua & Splendore suo igni simile, Nube circumdatum: per sex dies nil nisi Nubem apparuisse Israelitis: die autem septimo, fissa & aperta quasi illa Nube, apparuisse *Gloriam Domini* instar Ignis comburentis.

Sic Exod. 40. distincte dicitur, Nubem operuisse Tabernaculum, & intus *Gloriam Domini* replevisse illud; quod de Igne mox ibidem explicatur. Sic Numer. 16. 43.

Exod. 16. v. 7. *Et mane videbitis Gloriam Domini* &c. & v. 10. *Fuit autem, cum loqueretur Aharon ad universum cœtum filiorum Israel, respexerunt ad desertum, & ecce Gloria Domini conspecta est in nube*: quod Lyranus explicat; *Fulgor quidam insolitus, repræsentativus divinæ potentiæ ad arguendum populi murmurationem*. Sic Abarbenel; *Quod dicitur;* Et mane videbitis gloriam Domini, *non est explicandum de Pane* [Manna] *neque de Carne* [de Coturnicibus] *sed de Igne qui apparuit toti populo, ad eos redarguendos & puniendos propter murmurationes ipsorum*.

Levit. 9. 6. *Et apparebit vobis gloria Domini*: quænam *Gloria* intelligatur, exponitur v. 23. 24. *Et apparuit Gloria Domini toti populo, & egressus est Ignis a facie Domini*, & consumpsit &c.

Num. 17. 7. *Et ecce operuit illud* [Tabernaculum sc.] *Nubes, & conspecta est Gloria Domini*.

Ezechiel. 10. 4. *Et repleta est domus Nube, & atrium repletum est Splendore Gloriæ Domini* &c.

Sic in Novo Testamento: Lucæ 2. 9. *Et ecce Angelus Domini supervenit ipsis* [sc. pastoribus,] *& Gloria Domini circumfulsit eos*.

Apoc. 18. 1. *Et post hæc vidi alium Angelum descendentem e cœlo, habentem potestatem magnam: & terra illuminata fuit ipsius Gloria*.

Sic forte de Divino aliquo fulgore & splendore intelligendum quod Actor. 7. 55. dicitur; *Quum autem esset plenus Spiritu Sancto, intentis in cœlum oculis, vidit Gloriam Dei*. Sic Act. 22. 6. *Subito de cœlo circumfulsit me Lux multa*, & v. 11. *Quum vero non viderem præ gloria lucis illius*. Sic Splendor Faciei Mosis, ex monte Sinai a colloquio cum Deo descendentis, vocatur ἡ δόξα τοῦ προσώπου αὐτοῦ *gloria vultus ejus*, 2. ad Corinth. 3. 7. Sic Splendorem Solis & Lunæ vocat *Gloriam*; 1. ad Corinth. 15. 41. *Alia est*, inquit, gloria *Solis*, *alia* gloria *Lunæ*, *& alia* gloria *stellarum*, *stella enim a stella differt in gloria*, h.e. claritate, lumine, splendore. Vide & Apoc. 18. 1. Marci 9. & Lucæ 9.

Ex his & aliis, quæ colligi & adduci possent locis, patet, *Gloriam Domini* in illis de Igne & Luce illa miraculosa, quæ Igni conjuncta erat, intelligi. Unde Majemonides in libro More nevochim parte 1. cap. 64. hujus phraseos homonymiam exponens, scribit; *Sic per* Gloriam Domini *significatur nonnunquam Splendor aliquis creatus, quem Deus quasi per prodigium & miraculum alicubi habitare facit, ad Magnificentiam suam ostendendam, ut Exod. 24. 16. & Exod. 40. 35.* Et author libri Cosri par. 2. §. 7. *Hactenus expositum mihi est mysterium Proprietatum Divinarum*,

rum, & simul declaratum, quo modo intelligendum sit, quod legimus de Gloria Domini, *de* Angelis Domini, *&* השכינה, *quod scilicet hæc sint Nomina, quæ dicuntur de rebus quæ a Prophetis videntur, ut cum dicitur;* Nubes Domini, Ignis consumens, Nubes densa & caligo, Ignis & Splendor, vel Splendor Ignis &c. Et §. 8. הכבוד ניצוץ אור אלהי מועיל אצל עמו ובארצו *Gloria Dei est Lux Divina* (incidens in subtile ac spirituale aliquod corpus) *quo Deus dignatur populum suum, & terram ejus.*

Quærit hic Abarbenel; *Quare &* הנאצל הראשון *Emanatum illud primum* (de quo sup. loquutus est cap. præced.) *&* אור המוחש האלהי *Lux illa sensibilis Divina* (quæ in Ignis specie visibiliter apparuit) *vocentur Nomine* Gloriæ Domini?

Respondet; *Ideo quia Deus Benedictus in Scriptura cognominatur* אור Lux, *sicut dicitur;* Quia tecum est scaturigo vitæ, *in Luce tua* videbimus *Lucem*, Ps. 36. 10. *Item:* Sed dextera tua, & brachium tuum, & *Lux vultus tui*, quia complacueras in eis, Ps. 44. 4. *Lucere fac* faciem tuam, & servabimur, Ps. 80. 4. 8. 20. Sic dicit Salomon; In *luce faciei Regis* est vita, Prov. 16. 15. Et illustretur *luce vitæ*, Jobi 33. 30. Surge, illuminare, quia venit *Lux tua*, & *gloria Domini* super te orta est, Esa. 60. 1. Super te exorietur Dominus, & *gloria ejus* super te videbitur, ibid. v. 2. Ecce *gloria Dei Israelis* veniebat de via Orientali &c. & terra ipsa *splendebat propter gloriam ejus*, Ezech. 43. 2. *Quinimo non solum Prophetæ cognominarunt Dei gloriam nomine Lucis, sed & Sapientes gentiles tradiderunt, quod sit* אור מוחלט Lux absoluta. Hinc Plato scripsit in libro העצמים העליונים de Substantiis superioribus; העלה הראשונה יש לה יותר עליונות מן הספור אולם נלאו הלשונות מלספרה בעבור אהדותה לפי שהוא למעלה על כל אחדות ׳ ואמנם יסופרו כל העלות אשר אורן מארת העלה הראשונה שמעלה הראשונה תאור עלולה והיא לא תאור מאור אחר לפי שהיא האור הגמור והמוחלט אשר אין למעלה ממנה אור: Causa prima sublimior est, quam ut exponi possit, nec ulla lingua explicare eam potest propter Unitatem ejus, quia est super alia omnia: exponi autem possunt omnes causæ, quarum Lux est a Causa prima. Causa enim prima illustrat effectum suum, ipsa vero non illustratur a Luce alia, quia est האור Lux mera & absoluta, supra quam non est Lux alia: Et hujus rei causa inexplicabilis est, quia supra eam non est alia causa. *Cum hoc consentit, quod senex Abuchamad scripsit in libro Luminarium Divinorum, his verbis;* Si sciveris, generationes sive sæcula suum habere ordinem & gradus, scire etiam debes, quod non concatenentur in infinitum, sed ascendant ad fontem primum, qui est Lux per se, cui non advenit Lux alia prior, a qua Lucem recipiat, & per quam Lux ejus adjuvetur, sed lucet ex se, & illuminat alia omnia. Unde nullum est dubium, quin nomen Lucis vere competat Luci supremæ, supra quam nulla est alia, & a qua Lux descendit in omnia reliqua &c. *Ex quibus ipsorum dictis liquet, quod Deus Benedictus sit Lux absoluta, & aliis omnibus Lucem communicet. Et hæc ipsa est sententia Cabalistarum, qui vocant Deum* אור קדמון Lucem primam, æternam, אור צח Lucem purissimam, אור מצוחצח Lucem splendidissimam; *quia visum ipsis fuit, nomen* Lucis *melius exprimere Ejus naturam & essentiam, quam alia Nomina; non vero eo sensu quo existimavit Aben Resched seu Averroes in destructione Destructionum, ubi scribit;* Leges seu Religiones veræ, nec dicunt de Deo, quod sit corpus; quia dicerent falsitatem, neque dicunt quod sit Non-corpus, incorporeus; quia sic dicerent, Ipsum non esse; sed dicunt, quod sit Lux, quia Lux est præstantissimum omnium sensibilium, & Causa omnium quæ videntur, sicut Deus est causa omnium entium. *Existimavit nempe ille, nomen* Lucis *de Deo dici* על צד הרמוי *per similitudinem,* לא על צד דפיקרת האמות *non per vim veritatis,* καθ' ἀλήθειαν, *sicuti Philosophi saniores, cum sapientibus nostris Talmudicis consentienter, ajunt & scribunt; Omnia entia intelligibilia & spiritualia esse concatenata, dependentia a Luce prima, neque aliud esse, quam Diffusionem Lucis illius gradatim per omnia illa entia intelligibilia & spiritualia factam, donec tandem Lux illa incorporetur in splendoribus Solis & Stellarum, qui faciunt ut sensibilia fiant visibilia; qui Gradus ex omnibus Lucis gradibus est infimus, quia Lux Intellectus ea est perfectior, & Angelorum lux perfectior est hac; Lux vero prima, perfectissima omnium; ut proinde nomen Lucis de Deo Opt. Max. & de illis* ὁμωνύμως *dicatur, ut pluribus explicatur in Libro Luminarium supra citato. Sed & juxta sententiam Averrois, qui ait,* Deum vocari Lucem per Similitudinem, *habentur hanc ad rem illustrandam nonnullæ similitudines. Quemadmodum enim Lux facit res visibiles, quæ sine ea sunt in tenebris, ac si prorsus non essent: sic Deus dat existentiam & Lucem rebus, quæ videntur & sentiuntur. Et quemadmodum Lucem Solis, propter summum ejus splendorem & claritatem, oculus humanus non potest videre, quamvis causa sit ut res videantur; &, si homo propius & fixe eum intueri*

tueri velit, oculi ejus percutiuntur, & hebetantur, ut nec illud amplius videre queat, quod alias videre potuit: sic non potest Intellectus humanus apprehendere Deum secundum veritatem suam, & si terminum suum egrediatur, apprehensio ejus confunditur, aut moritur, ut olim ben Assaj. Unde in *libris Prophetarum dicitur, quod sit Velum separans circa Lucem Divinam, & quod sit abscondita in Nube & Caligine, sicut David ait;* Nubes & caligo circa eum, Psal. 97. 2. *Item;* Posuit tenebras latibulum suum, Psal. 18. 12. *Et hoc ipso sensu dicit Habacuc cap. 3. v. 4.* Splendor illius ut lux Solis, קרנים מידו לו splendores, radii, a manu ejus sunt ei, & ibi est Absconsio fortitudinis ejus; *Vult nimirum dicere;* Lucem Divinam similem esse Luci sensibili, quatenus קרנים מידו לו *cornua*, h. e. Splendor & Lux magna *e manu Ejus* ipsi est, h. e. quia Lucem a se habet, non aliunde mutuatam & acceptam; propter summam vero ejus claritatem & fulgorem, eam absconditam esse; quia sc. occultatur & absconditur ab oculis hominum. *Quemadmodum porro in Luce Solari, & Ignea, præter Illuminationem, quæ opus est longe præstantissimum, utilissimumque, etiam invenitur Combustio & Consumptio, quæ est opus pessimum & perniciosum: Sic Deus Opt. Max. est Lux, & Illuminans, vitam, existentiam, omneque bonum in creaturas infundens, pro sua gratia & misericordia: sed simul etiam ab ipso proveniunt, prout justum & æquum est, Pœna, Combustio & Consumptio, adinstar consumptionis Ignis; in eos sc. qui eam promeruerunt. Hinc dicit Propheta;* Ideo mittet dominator Dominus exercituum in pingues ejus maciem, & in loco Gloriæ ejus ardebit ardendo, secundum combustionem Ignis: & erit Lux Israelis in ignem, & Sanctus ejus in flammam, & comburet ac devorabit spinam ejus, & veprem ejus in die una: Jesa. 10. 16. 17. h. e. *Mittet in inimicos Israelis maciem & consumptionem, quia pingues sunt in prosperitate sua, & loco Gloriæ ejus, quæ ab ipso derivari & infundi debebat, derivabitur ab ipso Combustio & Consumptio: Israelitis vero contraria evenient omnia: quia Deus Benedictus erit ipsis in Lucem, & in Ignem calefacientem ac fœcundantem; Inimicis autem ipsorum in flammam, quæ comburat & consumat eos sicut sentes & vepres aridas, combustioni destinatas. Et hoc respectu, Pœnæ sc. & Iræ, dicitur;* Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est; Deut. 4. 24. *Quamvis enim illuminet, tamen etiam comburit & consumit peccatorum animas. Quæ cum ita se habeant, propter has similitudines omnes cognominatur Deus nomine Lucis, maxime cum juxta Cabalistas sit Lux absoluta: & quia Lux est, binc & Influentia, ab ipso emanans, Lux est.* Hactenus Abarbenel.

Ex his itaque apparet, *Gloriam Domini* proprie dici de Igne, ac Luce & Fulgore ex eo radiante; non quasi hæc Ipsa fuerint *Gloria Dei*, sed *gloriosum maxime* apparentis illic Dei *Symbolum*. Major enim in Igne, luce, & splendore, Gloria, quam in Nube, caligine, & obscuritate, Hinc 2. Paralip. 2. 3. quasi discernuntur, per interpositam copulativam ET, quando dicitur; *Et populus videbat, quando descendebat Ignis & Gloria Domini super domum*; quamvis etiam τὸ *Et* hic possit dici ἐξηγητικὴ prioris, ut Joh. 3. 5. *Ex aqua, & Spiritu.*

CAPUT XIV.

Quis in hac Gloria *apparuerit? seu, Cujus Rei Symbolum illa fuerit?*

Gloria illa apparens & visibilis utique non erat ipsa Res Divina, sed illius Symbolum, unde appellatur Gloria Dei, singulariter sc. in ea & vere præsentis, & habitantis; non quod Deus ratione essentiæ suæ, vel loco aliquo circumscribatur, vel magis in uno loco sit, quam in alio; sed quod ipsi placuerit, secundum liberrimam suam voluntatem, in illis locis, ubi hæc Signa exhibuit, hac ratione suam Præsentiam, Gratiam, Curam & Providentiam, singulari ratione manifestare, fidei ipsorum confirmandæ causa.

Hunc usum habuit Columna Nubis & Ignis, quæ præcedebat castra Israelitarum ex terra Ægypti exeuntium, & in terram Canaan contendentium. Hinc dicitur de illis; *Et* Dominus [יהוה] præcedebat eos *interdiu* in Columna Nubis, *ut deduceret eos per viam: noctu vero* in Columna Ignis. Ubi diserte dicitur, Dominum *præcessisse in his*; quia scil. signum certissimum fuerunt Divinæ præsentiæ, ea miraculose animantis & moventis.

Eadem fuit ratio horum in monte Sinaj populo Israelitico apparentium; unde, iis in montem Sinaj descendentibus, dicitur; Et dixit Dominus ad Mosen; *Ecce Ego*

Ego venio ad Te in densitate nubis, Exod. 19. 9. Item, *Descenderat autem* DOMINUS *super montem Sinaj*, *super verticem montis*, Ibid. v. 20.

Eadem fuit ratio Nubis & Ignis, ad Arcam super tabernaculo, & in eo apparentium, & eam comitantium, neque inde recedentium, ut sc. his signis certo crederent & persuasi essent; Deum illic gratia sua cum illis esse. Hinc dicit Deus ad Mosen, post mandatum de Arca facienda datum; *Et conveniam te illic*, *& loquar tecum e propitiatorio*, *quod est super Arcam testimonii*, Exod. 25. 22. quod Onkelos reddit; ואזמין מימרי לך תמן Et præparabo, sistam Verbum meum (τὸν λόγον μȣ) *tibi illic*. Hinc juxta ductum Nubis & Ignis super tabernaculo proficiscentes, dicuntur profecti & castrametati, על פי יי׳ *Juxta os & præscriptum* DOMINI, Num. 9. v. 18. 19. 20. 21. 22. 23. ubi Onkelos iterum; *Juxta os Verbi Domini*. Sic cap. 12. 5. *Tunc descendit* DOMINUS *in columna nubis*, *& stetit ad ostium Tabernaculi*. Vide & Exod. 33. v. 9. *Erat autem quando Moses ingrediebatur tabernaculum*, *descendebat columna nubis*, *stabatque ad ostium tabernaculi*, *& loquebatur cum Mose*, Deus sc. sicut dicitur v. 11. *Et loquebatur* DOMINUS *ad Mosen* &c. v. 12. *Et dixit Moses ad* DOMINUM. Et sic in pluribus aliis locis.

Ex Hebræis R. Levi ben Gerson hæc ita explicat, ad Exo. 13. *Dum*, inquit, *dicitur*; Et DOMINUS præcessit ante eos, &c. *vult dicere*, שהשם יתע׳ היה מהלך לפניהם במה שהיה נאצל ושופע מאותו *quod Deus Benedictus iverit ante ipsos*, *per id quod emanavit & influxit ab eo*, *Columnam nempe Nubis interdiu*, *& Columnam Ignis noctu*, *ad lucem præbendam ipsis*, *quo proficisci possent die & nocte*, *prout Deus voluerit*; *nam profectiones & castrametationes ipsorum omnes fiebant juxta præscriptum Dei*. *Hæc autem miracula continuavit Deus Israelitis toto illo tempore*, *quo in deserto fuerunt*, *ut tanto magis ipsis innotesceret Dei omnipotentia*, כדי שיאמינו באמונה שלמה *& fide perfecta in ipsum crederent*.

Abarbenel in eundem locum: *Vera sententia & mens hujus loci manifesta est*, *quia nomen Tetragrammaton* יהוה *dicitur de Deo qui creavit mundum*. *Dum ergo dicitur*; Et DOMINUS proficiscebatur ante eos, ענינו שהשנחתו היתה הולכת לפניהם לשמרם מכל דבר רע *sensus est*; *Providentiam Dei specialem profectam esse ante ipsos*, *ad custodiendum eos ab omni re mala*, *sicut nempe alibi dicitur*; Quoniam præcedit vos DOMINUS, & congregabit vos Deus Israelis, Esaj. 52. v. 12. *Item*; Et transibit Rex eorum ante eos, & DOMINUS in capite eorum, Mich. 2. 13. שהכל הוא רמז להשנחתו הליונה יגיד הכתוב שהוא יתברך ביכלתו והשנחתו עליהם עשה ביסוד האויר עמוד מן השמים עד הארץ ישר ונכון כעמוד וכו׳: *hæc enim omnia significant Curam & Providentiam ipsius Divinam*, *& indicat Scriptura*, *Deum Benedictum*, *sua Potentia & Providentia sua super ipsos*, *fecisse in elemento aeris Columnam a cœlo in terram porrectam*, *&c.*

R. Bechaj. fol. 78. *Quia Voces hæ* ההליכה וההעתקה *Eundi & loco se movendi non competunt in Deum Benedictum*, *idcirco ita explicanda sunt hæc verba*, *quod Columna nubis proficiscens ante eos interdiu*, *ad deducendum eos in via*, *& Columna Ignis noctu ad lucendum ipsis*, היה אות וסימן שהשם המיוחד עמהם ביום ובלילה *fuerint Signum*, *quod Deus Benedictus diu noctuque sit cum ipsis*.

In Talmud & Medraschim volunt per hæc indigitari duplicem Dei proprietatem, מדרת הרחמים *Gratiæ sc. & Misericordiæ*, ומדרת הדין *& proprietatem judicii*; quasi sc. iis significare voluerit, Deum, siquidem ipsi vera fide & obedientia adhæserint, fore ipsis *gratiosum* semper & propitium Protectorem; sin minus; *Vindicem* illum experturos; vel, Deum sua providentia & potentia, Israelitas quidem sua gratia & favore protecturum, Inimicos autem ipsorum puniturum, & instar ignis consumpturum. Videatur R. Moses bar Nachman, & R. Bechaj. ad Exod. 13.

Magna hæc erat Dei gratia, quod præter Arcam ipsam, quam jussit facere, hæc Spiritualia, visibilia tamen, & sensibus perceptibilia signa, voluerit miraculose addere, eaque non momentanea, sed stabilia, & longo tempore continuata, ut omnem diffidentiam ex animis illorum eximeret, & e contra fidem ipsorum de Dei gratia, misericordia, & potentia, confirmaret.

Sacramentalis itaque loquutionis species est in supra adductis & similibus locis; qua tamen nolim dicere Signo tribui Nomen rei signatæ; nam DEI Nomen proprium incommunicabile est ulli creaturæ; sed qua explicatur, quid signa hæc signent & obsignent fidelibus, ne in illis hæreant & subsistant, sed altius animis suis assurgant ad Eum, qui invisibiliter, vere tamen, ibi præsens est, & quem hæc visibilia significant & exhibent. *Signum enim* recte dicitur ab August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 1. *esse res*, *quæ præter speciem*, *quam sensibus ingerit*, *aliquid aliud ex se facit in cogitationem venire*. Et hinc nec Nubes, nec *Ignis* dicuntur

tur יהוה, sed יהוה dicitur *in Nube & Igne* fuisse; *non Nubes, vel Ignis* loquutus est ad Mosen, sed *Deus in vel e nube & Igne*. Vide & quæ sup. diximus cap. 1.

Quamvis autem hæc communiter de DEO dicantur, & totam SS. TRINITATEM complectantur, recte tamen singulariter & terminative referenda esse ad secundam Ejus personam, Æternum DEI FILIUM, existimamus. Quoties enim Deus præsentiam suam declaravit patribus vel mortalium rebus intervenisse, seque his exhibuisse, vel illis loquutus esse memoratur, id per Christum, qui Dei Patris expressa est imago, λόγος & Orator, & qui destinatus Mediator inter Deum Patrem & homines semper fuit, esse factum, Theologi plerique omnes censent, neque de eo dubitandum. Nam, ut Tertullianus adversus Marcionem lib. 2. scribit; *Christus semper egit in Dei Patris nomine: ipse ab initio conversatus est & congressus cum Patriarchis & Prophetis*. Et adversus Praxeam: *Christus ad colloquia humana semper descendit, ab Adam usque ad Patriarchas & Prophetas; in Visione, in Somnio, in Speculo, in ænigmate ordinem suum præstruens ab initio semper: & Deus in terris cum hominibus conversatus est non alius quam Sermo, qui caro erat futurus*. Plura in eandem sententiam apud eum authorem leguntur. Justinus quoque Martyr, & Philosophus nobilis, idem multis rationibus apud Tryphonem Judæum comprobat Quin & *non soli Græci atque Latini sacrarum rerum Scriptores vetustissimi, verum etiam Syri eam opinionem habuerunt, ut ex ipsorum scriptis percepi*, scribit Andr. Masius in Comment. in Josuam, cap. 1. Drus. in Exod. c. 54. *Deus habitat in nobis per Spiritum suum: item per Sermonem suum. Uterque ideo* שכינה *dicitur, quod reddunt* Divinitatem: *sed ipsa vox Hebræa significat proprie* Habitationem. *Usi sunt ea Onkelos & Jonath. Exod. 29. 29. Nam ubi est in fonte*; Habitabo in medio filiorum Israel, *ipsi transtulerunt*; Collocabo Divinitatem meam in medio filiorum Israel. *Quænam hæc Divinitas? An Spiritus Sanctus? An potius Sermo ille, de quo legimus*; Sermo caro factus & habitavit in nobis. Item; In quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. *Duplici ergo de causa dici potest* שכינה; *vel quia ipse habitat inter nos: vel quia plenitudo Divinitatis in eo habitat.*

Et sane Apostolus Paulus idem haud obscure docere videtur 1. Epist. ad Corinth. cap. 10. dum ait; *Nolim autem vos ignorare fratres, Patres nostros omnes sub illa Nube fuisse, & omnes per mare transivisse; & omnes baptizatos esse in Mosen Nube & Mari*, v. 1. 2. Item; *Hæc autem typi nostri fuerunt*, v. 6. 11. quod non tantum de eo intelligendum, quod Israelitas fecisse, ac propterea punitios fuisse, ibi legitur, sed & de reipsa, quod Christus in signis & Symbolis ibi commemoratis, (Nube sc. Manna, & Petra) præsens jam tum fuerit. Probatur id 1. ex eo, quod profectiones Israelitarum, sub ductu & protectione illius Nubis per totum desertum, comparet cum Baptismo nostro, a quo Christus nulla ratione excludi potest. 2. quod de Petra, illos per desertum sequente, & copiosam aquam suppeditante, diserte dicat; *Petra autem illa fuit Christus*. 3. quod iterum v. 9. dicat; *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, & a serpentibus perierunt*. Quibus verbis respicit ad historiam, quæ legitur Numer. cap. 21. v. 4. 5. 6. Dicuntur ibi Israelitæ loquuti esse contra *Deum & Mosen*; sc. tanquam eos, qui ipsos ex Ægypto eduxerunt, & in desertum illud induxerunt, ut ibi, ex penuria panis & aquæ, morerentur; *ille* quidem ceu *Dominus*, *hic* tanquam Minister & legatus ejus. Hoc refert Apostolus ad *Christum*, dicens, illos tentasse *Christum*. Unde sequitur, Christum fuisse ex ejus mente Deum illum, qui sub Nube eos deduxit, quæ eadem ipsa fuit, quæ postea obtexit Tabernaculum & Arcam.

Hebræos etiam, tam Veteres, quam Recentes, aliquid hic vidisse, quamvis ad veritatis ipsius agnitionem, vel confessionem, non pervenerint, vel ex eo patet, quod tantopere desudarint, & discrepantes sint, in describendo & definiendo Eo, qui in his Signis Mosi & Israelitis apparuit, & eos per desertum in terram Canaan deduxit: atque in iis ea protulerint, quæ nec nudæ alicui Creaturæ, nec ulli Angelo creato possunt attribui.

Qui hic sub Specie Nubis & Ignis apparuit in Tabernaculo & Arca, & qui ex Arca e medio Cherubinorum Mosi loquutus est, *Idem* est procul dubio, qui antea apparuit Mosi in rubo ardenti, & illic ad Mosen dixit, *se descendisse ut liberet populum e manu Ægyptiorum, & inde educat eos e terra illa ad terram bonam & latam, lacte & melle fluentem*, Exod. cap. 3. *Idem* qui postea, exeuntibus ipsis ex Ægypto, ante confectum Tabernaculum, præcessit eos, interdiu in Columna nubis, noctu vero in Columna Ignis Exod. 13. &c. *Idem*, qui Mosi, cum mandatum ei daret de fabricanda Arca, promisit se illic ei appariturum, & loquuturum ea quæ Ipsius

Ipſius nomine Iſraelitis mandare debebat; *Idem*, qui, defuncto Moſe, Joſuæ ſucceſſori ejus dixit, *Quemadmodum fui cum Moſe, ſic ero tecum*, Joſ. 1. qui poſtquam Jardenem tranſiviſſent, eidem in Jericho apparuit tanquam *Princeps exercituum Domini*: Joſ. cap. 5.

Atqui huic dictis in locis attribuuntur ſæpius *Nomina Divina*, quæ nulli Creaturæ communicari poſſunt, veluti Tetragrammaton יהוה paſſim; *Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Jacobi*; *Princeps exercituum Domini*: Exod. 3. 6. & 4. 5. Eidem attribuuntur *Divini honores*: Timebat Moſes adſpicere eum, quod non feciſſet, ſi nudus & creatus Angelus fuiſſet, Exod. 3. v. 6. Tribuitur eidem *Adoratio*, Joſ. 3. 14. & jubetur ſolvere calceamentum ſuum de pedibus ſuis, quia locus ſuper quo ſtat, ſanctus ſit: quod nunquam viri ſancti fecerunt, aut facere juſſi ſunt, Angelis ipſis apparentibus, ſed ſolum, ut Hebræi ſcribunt, quando השכינה עצמה Deus ipſe per ſuam שכינה Divinam inhabitationem in aliquo loco apparuit. Adſcribuntur eidem *Opera Divina*, Liberatio Iſraelitarum ex Ægypto, Introductio in terram Canaan, Defenſio adverſus hoſtes, paſſim ſub Dei perſona loquitur, & ſibi omnia ea, quæ Dei propria ſunt, adſcribit, &c. quæ ex dictis locis poſſunt colligi. Ea autem talia ſunt, quæ nulli Angelo creato competunt, ſed alicui, qui *major & præſtantior Angelis fuit*, de quo Deus ſc. dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: Item; *Ego ero ei pater, & ipſe erit mihi in Filium, quem adorant omnes Angeli Dei, cujus thronus eſt in ſæculum ſæculi*, ad Hebr. 1. v. 4. 5. 6. 8.

Idem vero etiam aliquando *Angelus* DOMINI vocatur, Exod. 3. 2. *Apparuit autem ei* Angelus DOMINI. Exod. 14. 19. *Profectus eſt itaque* Angelus DEI, qui præcedebat caſtra. Exod. 23. 20. *Ecce ego mitto* Angelum meum *coram te*. Numer. 20. 16. *Et miſit* Angelum ſuum, *& eduxit nos ex Ægypto* &c.

Circa hæc concilianda perplexi admodum ſunt Hebræi, & varia excogitarunt: quia viderunt majus & ſublimius aliquid, quam ordinarii & creati Angeli conditio admittat, his ſubeſſe. Vide Ab. Eſr. ad Exod. 23.

Quidam dixerunt fuiſſe *Michaelem*, alii *Gabrielem*. Hinc in Medraſch Schemoth rab. ſect. 2. ad Exod. 3. legitur; ר׳ יוחנן אמר זה מיכאל ור׳ חנינה אמר זה גבריאל ר׳ יוסי הארוך כל מקום שהיו רואין אותו היו אומרים שם רבינו הקדוש כך כל מקום שמיכאל נראה שם הוא כבוד השכינה *R. Jochanan dicebat, Angelus hic fuit Michael: R. Chanina dixit; fuit Gabriel: quemadmodum ubicumque videbant R. Joſen procerum, dicere ſolebant; hic eſt Magiſter noſter Sanctus: ita ubicunque apparuit Michael, dicebant; Hic eſt Gloria habitationis Divinæ*, h. e. Deus ipſe præſens eſt. R. Bechaj fol. 98. col. 1. ex quodam Cabaliſta adfert, ideo probabile eſſe, intelligi Michaelem; quia ille ſit ממונה על הסליחה *præfectus Remiſſioni peccatorum*; & שר החסד *Princeps gratiæ & Miſericordiæ*.

Alii vocarunt hunc Angelum מטטרון *Metatorem*, h. e. מורה דרך *Ductorem, qui itinera & manſiones Iſraelitarum caſtris definivit & deſignavit*. Hunc quomodo deſcribant, attendendum. Quidam eum faciunt ipſum Michaelem, & שר הפנים *Principem faciei* DEI, unde in libro Zorobabelis; אני הוא מטטרון שר הפנים ומיכאל שמי *Ego ſum Metatron, Princeps faciei, & Michael eſt nomen meum*; quod ſc. Deo ſemper præſens ſit, in ejus facie conſtitutus, & mandata ejus exſpectans & accipiens; In Talmud Chagigah fol. 15. col. 1. ſcribunt, דארח יהיבא ליה רשותא למיתב למיכתב זכותא דישראל *quod ei datum ſit officium, conſedendi & conſcribendi merita Iſraelitarum*. Cabaliſtæ ſcribunt, illum fuiſſe רבו של משה *Præceptorem Moſis*. In Tzeror hammor in Exod. ab initio mox, ubi de miſteriis nominis משה *Moſis* agit author, inter alia ſcribit, per ראשי תיבות, ſeu abbreviatam ſcribendi rationem, literas ejus initiales denotare מטטרון שר הגדול *Metatron Princeps maximus*, (ſic vocatur Michael, Dan. 12. 1.) מטטרון, & והוא שדי בחשבון מטטרון *per Gematriam ſeu Arithmeticam Cabalam, per numerorum æquivalentiam eſt* שדי *Deus omnipotens*. Unde & R. Salom. ad Exod. 23. 21. ad *Nomen meum in medio ejus*, ſcribit; *Rabbini noſtri inquiunt, Angelum hunc eſſe Metatron, cujus Nomen eſt* כשם רבו *ſicut Nomen Domini ejus, nempe* שדי *Dei Omnipotentis*: Utrumque enim in numeris valet 314. Scribunt autem id Rabbini in Talmud Sanhedrim, cap. 4. fol. 38. 2. & inde in Jalkut, & apud complures alios. Rabbi Bechaj in Exod. fol. 98. col. 4. exponens, quo ſenſu Exod. 24. 1. dicatur; *Et dixit* (ſc. Deus) *ad Moſen*, Aſcende ad DOMINUM &c. ſcribit; *Juxta ſenſum literalem factum hoc eſt ante datam Legem, unde v. 2. dicitur*; Accedat Moſes ſolus ad DOMINUM, *nempe* in Denſitate nubis, ut dicitur cap. 19. v. 9. *quod idem eſt cum eo, quod cap. 20. 21. dicitur*; Moſes autem appropinquavit ad caliginem in qua erat Deus; & *ſic omnia quæ illic cap. 20. a v. 18. dicuntur, contigerunt ante datam Legem*. Juxta Cabalam vero

ſic eſt illorum ſenſus; Et ad Moſen dixit השם המיוחד *Deus unus*, Aſcende ad DOMINUM, עלה אל מטטרון ששמו כשם רבו h. e. *Aſcende ad Metatorem cujus nomen eſt ſicut nomen Domini ſui* (h. e. qui nomen Dei gerit.) Et ſic quoque exponunt Doctores noſtri in Medraſchim. *In hoc enim Nomine duo comprehenduntur, quæ de natura ejus docent: ſignificatio* ſc. Domini, & Legati. Domini; *ex lingua ſeu ratione loquendi Sapientum noſtrorum, qui Heram ſeu Dominam vocant* מטרונה Matronam; Legati, *ex lingua Græca, qui Legatum vocant* מנטטור. *Imo & tertium ſignificatum in eo comprehenſum eſt;* Cuſtodis ſc. quia משמרת Cuſtodia, *Chaldaice dicitur* Matterat. *Quia itaque cuſtodit Mundum, ideo vocatur* Cuſtos Iſraelis. *Ex ſignificatione ergo vocabuli addiſcimus,* שהוא ארון לכל מה שתחתיו שכל צבא העליונים והתחתונים הלא הם ברשותו ותחת ידו והוא השליח למי שעליו ולמעלה ממנו שהשליטהו על הכל ושמו ארון לביתו ומושל בכל קנינו *quod ſit Dominus omnium quæ infra ipſum ſunt; quia omnes Exercitus ſuperiores & inferiores ſunt ſub poteſtate & ſub manu ipſius; ipſe etiam Legatus eſt Ejus qui ſupra ipſum eſt, qui Dominatorem eum conſtituit omnium, & Dominum totius domus, & omnium facultatum ſuarum.* Poſt quædam interjecta, ne quis ex his concludat, hunc *Metatorem eſſe Deum*, per præoccupationem huic ſcrupulo ita occurrit; *Porro ſciendum,* כי המלאך הזה שטעה אחר בעניינו ונכשל בו להסתפק בשתי רשויות ויצא לתרבות רעה וכו׳ *quod circa hunc Angelum nonnemo erraverit & impegerit, & crediderit duos eſſe Deos, ſicque in peſſimam hæreſin inciderit: Et ſic facile accidit ei, qui non cautus eſt circa ejus conſiderationem, ut peccet in animam ſuam, & in laqueum incidat ac reatum magnum, cujus nulla eſt expiatio* &c. Videtur his Verbis Chriſtianos notare, qui hunc Angelum faciunt Chriſtum, & Chriſtum verum cum Patre Deum.

R. Moſes Gerundenſis ad Exod. 23. ſcribit: ועל דרך האמת השלאך הזה שהובטחו בו בכאן הוא המלאך הגואל אשר השם הגדול בקרבו *Sed in veritate Angelus ille, qui hic ipſis promittitur, eſt Angelus Redemptor, in quo eſt Nomen illud Dei magnum:* quia in (nomine) יה יהוה eſt Rupes ſæculorum, Eſa. 26. 4. *& idem ille eſt qui dicit;* Ego ſum Deus Bethel, (h. e. domus Dei) Gen. 31. 13. *nam conſuetudo Regis eſt, ut habitet in domo ſua. Vocat autem eum Scriptura* Angelum, *eo quod tota Mundi gubernatio eo modo per ipſum fiat. Rabbini noſtri dicunt, eſſe* מטטרון Metatron *ſeu* Metatorem, *quod nomen ſignificat* Οδηγὸν Viæ Ductorem. *Sed hæc omnia prolixius expoſui in ſectione* בא אל פרעה. Ibi ergo ad Exod. 12. 12. *Et in omnibus Diis Ægyptiorum faciam judicia,* אני יהוה *ego* DOMINUS, ſcribit; *Mea ſententia intelligit Scriptura hoc loco Principes* (Angelos & Aſtra) *Superiores; Deos Ægyptiorum, quemadmodum alibi dicitur;* Erit præterea in die illa viſitabit Dominus ſuper Exercitum excelſi in Excelſis, & ſuper Reges terræ in terra, Eſa. 24. 21. *Dejecit nimirum Sydus ipſorum, & principes Syderum una cum eis, quod Scriptura breviter & tecte innuit.* Faciam, ait, judicia אני עצמי Ego per meipſum, *non per Angelum* iſtum, *ut R. Salomon explicat. Aliter Rabbini noſtri in ſuis Medraſchim; ubi ajunt;* Et tranſibo per terram Ægypti; Ego ſc. & non Angelus; Et percutiam omne primogenitum; *Ego, & non Seraphinus aliquis;* Et in omnibus diis Ægyptiorum faciam judicia; *Ego, & non Angelus aliquis;* Ego Dominus; *Ego ſum Deus, & non alius. Hæc nempe eſt illorum mens; Quia ſeries orationis Moſis cum Iſraelitis poſtulaſſet, ut diceret;* Et tranſibit Dominus per terram Ægypti, & percutiet omne primogenitum; *ideo dum ſermonis filum mutat Moſes; explicant ipſi, illum indicare voluiſſe, Deum hæc per Seipſum, non per Angelum aut Legatum aliquem, facturum; prout ſcilicet Reges ſolent ſontes aut hoſtes ſuos plectere per manus Spiculatoris ſui,* qui apud Deum ſunt *Seraphini; quia ab illis procedit Ignis conſumens oſores Dei* &c. Idem ad Exod. 3. v. 2. ubi dicitur; *Apparuit autem ei Angelus* DOMINI *in flamma Ignis,* ſcribit: *Scriptura ait primo,* Et apparuit ei Angelus DOMINI; *poſtea ait;* Videns autem DOMINUS (יהוה) quod declinaret ad videndum, & vocavit eum Deus (אלהים) e medio rubi: *Unde R. Abraham dicit, per* אלהים *hic intelligi Angelum antea commemoratum, ſicuti & illic;* Vidi אלהים Deum facie ad faciem Geneſ. 32. 30. *Angelum dicere hic;* Ego ſum Deus Patris tui; כי ידבר השליח בלשון שולחו *loquens ſc. tanquam Legatus nomine Legantis ipſum;* ואיננו נכון *ſed hoc non eſt rectum: Moſes enim, maximus Propheta, non abſcondiſſet faciem ſuam coram Angelo. Rabbini noſtri dicunt, Angelum hunc fuiſſe Michaelem &c. Sed in rei veritate Angelus hic, eſt* מלאך הגואל *Angelus Redemptor, de quo dicitur;* Quia Nomen meum in medio ejus, Exod. 23. *Angelus ille, qui Jacobo dixit;* Ego ſum Deus Bethel, Gen. 32. 30. *Et de hoc dicitur;* Et vocavit eum Deus. *Vocatur autem titulo illo* Angeli, *ſecundum conſuetudinem communem* (quia pleraque in hoc mundo ſolet Deus Angelorum opera perficere:) *Sic dicitur in uno*

loco;

loco; Et eduxit nos DOMINUS ex Ægypto; *in alio;* Et misit Angelum suum, & eduxit nos ex Ægypto; *Item*; ומלאך פניו Et Angelus faciei ejus servavit eos, Esa. 63. 9. *quasi diceret*; Angelus ille qui est facies ejus, *juxta id quod scriptum est*; פני ילכו Facies mea ibit, & requiescere faciam te, Exod. 33. 14. *Angelus ille, de quo dictum est*; Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, ומלאך הברית & Angelus fœderis, in quo vos complacetis, ecce venit, dicit Dominus exercituum, Malach. 3. 1. *Sic ille*.

Vult nimirum, Angelum hunc fuisse *Angelum Redemptorem*; de quo quidem dicit, quis non fuerit, sed non explicat, nec explicare potuit, quis ille fuerit. Tribuit ei *Nomen Dei*, & quidem Nomen Dei proprium Tetragrammaton, & negat, illud Legato Dei competere; Tribuit eidem *Opera Divina*, dum eum vocat Angelum *Redemptorem*, non tantum corporalem, sed & spiritualem; *Angelum faciei Dei*, Deum exacte referens, & exprimens; imo *Faciem Dei ipsam*: dum denique eum facit *Mediatorem fœderis* inter Deum & homines.

R. Bechaj dicit, illum esse constitutum *Dominum & Dominatorem omnium, Dominum totius domus Dei, & omnium facultatum Dei; Custodem & conservatorem Mundi, & Israelis; Omnia* dicit *ipsi subjecta esse*, &c. Quæ omnia qua ratione Angelo alicui creato, seu Michaeli, seu Gabrieli, seu cuicunque alii competant, viderint ipsi. Valida, vel ex his, pro hujus Angeli Divinitate & æqualitate cum Deo, argumenta possunt elici, quibus Judæi constringi queant. Pulchre hæc cum iis conveniunt, quæ Apostolus, comparatione instituta inter Christum & Angelos, de Christo dicit, Hebr. 1. 2. *Quem constituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit; qui quum sit Splendor gloriæ, & character personæ illius, sustinens omnia verbo illo suo potente* &c. & cap. 2. *Constituisti eum hæredem omnium, omnia subjecisti sub pedibus ipsius*. Et cap. 3. *Fidelem ei, qui ipsum constituit, ut & Moses fuit, in tota domo ipsius*, v. 6. *At Christus, ut filius, domi suæ præest, cujus domus sumus nos* &c.

Sed & Abarbenel, sagax alioqui & circumspectus in Judaismi defensione scriptor, ita sese hic implicat, ut manifesta relinquat veritatis vestigia, & in eos se laqueos induat, e quibus vix eluctari possit. Sententia ejus, quam sup. fol. 112. & seqq. ut & fol. 121. produximus, de Nube, & Igne, qui Gloria Dei vocatur, huc redit; *Visibilem illam Lucem & Gloriam, fuisse aliquid emanans a superiore aliqua & cœlesti Luce; Luce videlicet, primo die creata*; Lucem illam *Primam* vocat הנאצל הרהשון *Emanatum a Deo primum*, העלול הראשון *Causatum Dei primum, principium viarum & creaturarum ejus, Lucem superiorem, a qua missa sit Lux inferior illa supra Tabernaculum apparens, & Israelitis lucens: Lucem illam primam post creata luminaria fuisse a Deo reconditam & asservatam, ut seqq. temporibus usibus justorum inserviret; esse hominibus imperceptibilem & inaccessam in hac vita, esse Gloriam illam Dei, quam Moses sibi ostendi petierit* Exod. 33. 18. *sed non obtinere, vel assequi & apprehendere potuerit: Nomen ejus esse sicut Nomen Dei ipsius, Sigillum Dei benedicti, ac propterea ejus nomine quoque vocari: esse Principem Spiritualium & intelligibilium omnium, esse Agens & influentiam communicans cœlo & terræ: Omnia entia intelligibilia & spiritualia esse dependentia ab hac Luce prima, imo nihil aliud esse, quam Diffusionem lucis illius gradatim factam; Lucem hanc esse perfectissimam omnium: hanc eandem esse illum* שכינה Ἐνοίκησιν *Divinam inter homines habitantem, de qua passim Rabbini scribunt; non vero Lucem creatam & sensibiliter apparentem; Faciem Dei, quæ videri nequeat &c.*

Hæc & alia, quæ de his scribit, quibus fundamentis scribat, & Luci illi primæ creatæ attribuat, vel quomodo illi attribui queant, quin simul ipsi Divinitas ipsa attribuatur, nos sane videre non possumus, neque ille, si viveret, satis explicare posset. Fateri utique cogeretur, Angelum seu Legatum hunc Dei, Israelitis datum & missum, talem esse, qui ejusdem, cum Mittente ipsum, sit Naturæ, cui & Nomina, & Attributa, & Opera, & Honores iidem, una cum illo æqualiter competant.

Nempe concedimus, Lucem illam visibilem Israelitis apparentem fuisse missam a Luce superiore & cœlesti, & hanc esse emanans primum a Deo, non autem per Creationem, sed per æternam Generationem; Authorem omnis Lucis, quæ est in Hominibus, Angelis, & omnibus creaturis: & hoc sensu recte dici *Principium viarum & creaturarum Dei*, Πρωτότοκον πάσης κτίσεως *Primogenitum omnis creaturæ, per quem condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia &c.* ad Coloss. 1. 15. & in Apoc. cap. 3. 14. ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ.

Est *Lux prima*, sed non illa, quæ primo die fuit creata, verum ea de qua Joh.

cap. 1.

cap. 1. *Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ in mundo* [cum crearetur] *jam erat, per quam ipse mundus factus est*, v. 9. 10. & cap. 3. 19. *Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines tenebras potius quam Lucem*; Ille, qui dicit; *Ego sum Lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit Lucem*, cap. 8. 12. *Quamdiu sum in mundo, Lux sum Mundi*, cap. 9. 5. *Ego Lux in mundum veni*, cap. 12. 46. *Lux illa Gentium & populorum*, de qua Prophetæ; Esa. 42. 7. & 49. 6. *Lux sempiterna*, cap. 60. 19. 20. Conf. Act.13.27. Luc.2.32. נוהרא דמן נוהרא *Lumen de lumine, Deus verus de Deo vero*, uti a Syris appellatur, in Rituali Severi Alexandrini Patriarchæ p. 61. & alibi. Lux ista hominibus ex se est imperceptibilis & inaccessa, *Lucens in tenebris & tamen tenebræ eam non comprehendunt*, Joh. 1. 5. *Facies Dei*, & Εἰκὼν τȣ̃ Θεȣ̃ τȣ̃ ἀοράτȣ *Icon & imago Dei inconspicui*, Col. 1. 15. *Quem qui videt, & novit, videt & novit Patrem*, Joh. 14. 9. & 8. 19. Ἀπαύγασμα τῆς δόξης, ϗ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτȣ̃, Heb. 1. 3. *Cujus gloriam, dum inter homines ἐσκήνωσε*, שכן habitaret velut in Tabernaculo, *spectarunt* δόξαν ὡς μονογενȣ̃ς παρὰ πατρὸς *velut gloriam Unigeniti egressi a Patre* Joh. 1. 11. Qui est *Unum cum Patre*, Joh. 10. v. 30. *Qui est in Patre, & Pater in ipso*, v. 38. Atque hinc etiam

Idem habet cum Patre Nomen: *quacunque enim habet Pater, ipse similiter habet*, Joh. 16. 15. qui *dedit illi Nomen, quod est supra omne Nomen*, Philip. 2. 15.

Idem est *Sigillum Dei Benedicti*, quem *Pater* ἐσφράγισεν *signavit, hoc est, Deus*, Joh. 6. 27. h. est, quem indita virtute sua, quasi sigillo, a ceteris hominibus distinxit, ut in eo tanquam antitypo Deus Pater appareat &c.

Magnum aliquod hic latere mysterium agnovit Abarbenel, qui 1. Reg. 9. ab initio hac de re agens, & eam explicans, hæc notatu digna subjicit verba; ואמנם ביאור זה והוכחת אמתתו אונו ממה שיאות לזה המקום כי הוא דרוש עמוק מי ימצאנו וסוד מסודות התורא ומסתריה ואם תרצה לבוא עד תכונתו כפי דעתי לך לך מארצך ומחומריותיך ומבית אביך והפשט ממך המנהגים ועיין בספר מחזה שדי אשר אני עושה כי שם ביארתי כל זה בשלמות: *Sed plena hujus rei explicatio non est hujus loci: est enim Quæstio profunda valde, & una ex Secretis & Arcanis Legis, scrutatu difficillima. Quod si vero meam de ea sententiam plene cupis cognoscere, egredere e terra tua, & a materialibus tuis, e domo item patris tui, & exue a te omnia quibus es imbutus*, [h. e. abnega & desere tuam rationem, carnales cogitationes, adeoque omnia quæ hactenus didicisti] *& consule librum* מחזה שדי [Visiones omnipotentis] *quem conscribo. Ibi enim hæc omnia plenissime & perfectissime explico*. Librum hunc alibi quoque citat, velut in מעיני הישועה, mihi fol.26. col. 2. ubi dicit esse opus ingens ורחב מן הים & mari ipso amplius: sed per calamitates exilii ab inimicis illum sibi esse subductum & ereptum, nec dum eum recuperare potuisse.

Ceterum quia Abarbenel hic mentionem injecit Lucis illius primo die creatæ, eamque huc, licet violenter, trahat, non possum quin de illa addam quædam alia, quæ apud Hebræos leguntur, notatu forte non indigna, neque ἀπροσδιόνυσα.

Quod ille ex Hebræis adducit, *Lucem illam primam, posteaquam Luminaria quarto die erant creata, fuisse a Deo absconditam & in usum justorum asservatam*, extat in Bereschit rabbah, sect. 3.

Ibidem etiam hoc legitur; *R. Simeon, filius Jehozadak quæsivit ex R. Samuele bar Nachman, dicens ei; Quia de te audivi* שאתה בעל אגדה מהיכן נבראת האורה *quod magnus sis*, ut nos loquimur, *Theologus, & sublimis SS. literarum interpres, dic mihi, unde creata sit Lux illa prima? Respondit ei*; מלמד שנתעטף בה הקב״ה כשלמה והבהיק זיו הדרו מסוף העולם ועד סופו *Scriptura docet, quod Deus Benedictus involverit se in ea ceu vestimento, & splendere fecerit splendorem gloriæ suæ ab uno fine mundi, usque ad alterum, sicut dicitur*; Amiciens se luce, veluti vestimento, Psal. 104.

Ibidem dicitur; *Cum Deus dixit*, יהי אור Esto Lux, *Lucem illam jam fuisse, sicut dicitur*; ויהי אור Et fuit Lux.

Illustris in hanc rem locus adducitur in libro Jalkut ex antiquo libro Pesikta, ad; *Surge lux mea, quia venit Lumen tuum*, Esa. 60. 1. ubi dicitur *Lux hæc esse Lux Messiæ*. Verba sunt: *Dixit Synagoga Israelis coram Deo Benedicto; Domine mundi, propter Legem, quam dedisti mihi, quæ vocatur* Fons *vel* Scaturigo vitæ, *oblectatura me sum in Luce tua; Quid est*, In luce tua videbimus lucem? זה אורו של משיח *Hæc est Lux Messiæ, sicut dicitur*, Et vidit Deus lucem, quod bona esset; *docet enim hoc, quod præviderit Deus sæculum Messiæ & opera ejus, antequam crearetur mundus, ac proinde absconderit eam pro Messia & ejus generatione, sub Solio gloriæ suæ.*

suæ. Dixit Satan coram Deo Benedicto; Domine mundi; Lux illa, quæ abscondita est sub Solio gloriæ tuæ, cujus est? Respondit ei Deus; למי הוא עתיד להחזירך ולהכלימך בבושת פנים *Ejus qui te pudefacturus est, & pudore atque ignominia affecturus. Regessit Satan; Domine mundi, ostende illum mihi. Dixit ei Deus;* בוא וראה אותו *Veni & vide eum; Posteaquam vidit eum, contremuit,* (Jac. 2. 19. *Diaboli credunt, & contremiscunt*) *& cecidit in faciem suam, dicens,* בודאי זהו משיח *Certe, hic est Messias,* שעתיד להפיל ולכל האומות בגהינם *qui me, & omnes populos, detrusurus est in gehennam, sicut dicitur;* Absorpsit mortem in æternum, & absterget Dominus Deus lachrymam ab omni facie, Esa. 25. 8. *Ea hora commoti populi, dixerunt; Domine mundi,* מי הוא זה שאנו נופלי׳ בידו מה שמו ומה טיבו *Quis est ille, in cujus manum nos incidemus? quod est nomen ejus? & quæ est conditio ejus? Respondit Deus B. Nomen ejus est* אפרים משיח צדקי *Ephraijm Messias Justitiæ meæ, hic exaltabit staturam suam,* (Lucæ 1. 32. *Hic erit Magnus*) *& staturam generationis suæ, illuminabitque oculos Israelis, & servabit populum suum, neque ulla gens aut lingua poterit insurgere in ipsum, sicut dicitur;* Non faciet exactionem inimicus ab ipso, neque inimicus affliget eum, Ps. 89. 23. *Omnes ejus inimici & hostes conturbabuntur & fugient a conspectu ejus, sicut dicitur;* Et conteram a facie ejus hostes ipsius, ibid. v. 24. *Quin & flumina cessabunt in mare* (influere) *sicut dicitur;* Et ponam in mari manum ejus & in fluminibus dexteram ejus; Ibid. v. 26.

Itaque ex his, posita hypothesi Abarbenelis, *quod Lux illa, Israelitis hic & alibi apparens, fuerit Lux illa primæ diei;* sequitur, *Deum Benedictum Ipsum involutum fuisse in nube illa ignea & lucida, & luxisse ab una extremitate mundi ad alteram:* Item, *Illam jam tum fuisse, quando Deus dixit,* Esto lux. Item; *Lucem illam fuisse Lucem Messiæ, & Messiam ipsum;* Denique, *Messiam esse Deum Sanctum & Benedictum.*

Cæterum, quia in isto loco plura habentur, de Passionibus & Beneficiis Messiæ, præclara documenta, ad veritatem, in Messia exhibitam, illustrandam non parum facientia, & cum doctrina Christiana convenientia, non ingratam fore Digressiunculam spero, si totum illum locum hac occasione hic produxero, & cum Lectoribus communicavero. Varia enim ex illis contra Judæos hodiernos poterunt elici testimonia.

Sic ergo ibidem porro scribitur; *His dictis cepit Deus pacisci cum eo* (Messia sc.) *posteaquam fugissent inimici ejus, dicens ad eum; Istorum, qui absconditi sunt apud te, iniquitates, intrudent te in Jugum ferreum, & facient te sicut Vitulum, cujus oculi caligant, constringentque vel strangulabunt spiritum tuum in jugo: propter iniquitates istorum lingua tua adhærebit palato tuo,* הרצונך בכך *Num ita est voluntas tua?* (Num voluntarie hoc vis in te suscipere?) *Dixit Messias ad Deum; Domine mundi; Fortasse isti dolores per annos multos durabunt?* Respondit Deus, Per vitam tuam, & per vitam capitis tui, *Septimanam unam decrevi super te, si hoc tibi sit molestum, e vestigio expellam eos.* Ille [Messias;] Domine mundi בגילת לבי ובשמחת לבי אני מקבל עלי ע״מ שלא יאבד אחד מישראל *Cum exultatione cordis mei, & cum lætitia cordis mei recipio istud in me, modo ne vel unus pereat ex Israele; & non tantum illi serventur, qui vivent in diebus meis, sed & illi qui absconditi sunt in terra; neque etiam tantum mortui in diebus meis, sed etiam omnes, qui mortui sunt inde ab Adamo primo hucusque; neque etiam tantum isti, sed & omnes abortivi & embryones; denique, omnes quos constituisti creare, & non creati sunt. Sub hac conditione ego volo, & in me hos dolores recipiam. Dixerunt; Septimana illa, qua Filius Davidis* (Messias) *veniet, sument trabes ferreas, & imponent eas collo ipsius, adeo ut incurvetur statura ejus, exclamet, fleat, & vox ejus ascendat in cœlum, dicens ad Deum; Quanta erit fortitudo mea! quantus erit spiritus meus! quandiu durabit anima mea! quandiu durabunt membra mea!* Non sum caro & sanguis. *Illam horam deflevit David, dicens;* Exaruit tanquam testa, virtus mea, Psal. 22. 16. *Tunc dixit ei Deus; Ephraijm Messia justitiæ meæ, jam suscepisti in te hoc a sex diebus Creationis; nunc itaque erit dolor tuus, sicut dolor meus: ab eo enim die, quo Nebucadnezar impius ascendit, domum meam vastavit, Templum incendit, & ego filios meos* [Israelem] *deportavi inter gentes mundi, juro tibi per vitam meam, & vitam capitis tui, me non conscendisse solium meum: quod si mihi non credis, en rorem, qui est super caput meum, sicut dicitur;* Quia caput meum plenum est rore, Cantic. 5. 2. *Messias respondit; Nunc acquiescit animus meus in me; sufficit enim servo, sit sicut Dominus ipsius. Rabbi Isaac dixit; Ea hora, qua Messias revelabitur, omnes reges gentium mundi commiscebuntur inter se, Rex Persiæ contra Regem Arabiæ, & dum Rex Arabiæ ibit, & consilium ab eis petet, Rex Persiæ convertet*

se,

se, & vastabit totum Mundum, omnesque populi mundi commovebuntur & terrebuntur, procident in facies suas, apprehendent eos dolores sicut dolores puerperæ, Israelitæ etiam commoti, & perturbati, dicent; Quonam ibimus & conferemus nos? Dicet itaque eis (Messias:) *Mei filii, nolite vobis timere;* כל מה שעשיתי לא עשיתי אלא בשבילכם *quicquid feci, propter vos solos feci, quare timetis?* Nolite timere, *appropinquarunt dies Redemptionis vestræ, neque sicut fuit redemptio prima, sic erit Redemptio posterior: Redemptionem enim primam sequuta est Afflictio & servitus Regum: sed post Redemptionem posteriorem nulla sequetur Afflictio, nullaque nova servitus. Rabbini nostri tradiderunt; Ea hora, qua Messias veniet, & stabit super tecto domus sanctuarii, proclamabit & dicet ad Israelitas; Humiliati & afflicti, appropinquavit tempus redemptionis vestræ, si id non credatis, en Lucem meam, quæ oritur super vos, sicut dicitur,* Surge lux mea, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, Esa. 60. 1. *Et super vos solos orta est, sicut porro ibidem dicitur;* Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus super te videbitur, v. 2. *Ea hora splendere faciet Deus Lucem Messiæ & Israelis, & ambulabunt omnes ad Lucem regis Messiæ, & Israelis, sicut dicitur;* Et ambulabunt gentes ad lumen tuum, & Reges ad splendorem ortus tui, ibid. v. 3. *Venientque & lingent pulverem qui erit sub pedibus ipsius Regis Messiæ, sicut dicitur;* Et pulverem pedum tuorum lingent, Esa. 49. 23. *Post hoc venient omnes, procident omnes in facies suas coram Messia & Israele, dicentes; Simus Tibi & Israeli in servos, & unusquisque ex Israele habebit* 2800. *servos, sicut dicitur;* In diebus illis erit quum apprehendent decem viri, ex omnibus linguis earum gentium, apprehendent, inquam, oram viri Jehuda, dicendo, Ibimus vobiscum, audivimus enim, Deum esse vobiscum, Zach. 8. 23. *Porro tradiderunt Rabbini nostri; Exsurrecturi sunt Patres nostri in mense Martio, & dicent; Messia, justitia nostra; quantumvis nos simus Patres sui, præstantior tamen es quam nos, quia portasti iniquitates filiorum nostrorum, & transiverunt super te afflictiones duræ, quales nec super priores, nec super posteriores transiverunt, erisque in irrisionem & subsannationem inter gentes, propter Israelem, sedebis in tenebris & caligine, neque oculi tui videbunt lucem, adhærebit cutis tua ossibus tuis, & corpus tuum erit aridum instar ligni, oculi tui caligabunt a jejunio, & virtus tua exarescet sicut testa; Omniaque hæc evenient tibi propter peccata filiorum nostrorum; An voluntas tua est, ut fruantur bono quod affluenter Deus gratificatus est Israeli? Forsan propter dolores, quos sustinebis propter ipsos, gravissimos, dum te etiam ligabunt, & in carcerem tradent, non est tibi beneplacitum in illis? Respondit eis* (Messias;) *Patres Mundi, Quicquid feci, unice propter vos feci, & propter filios vestros, ut illi fruantur bono, quod Deus effudit super Israelem. Illi vicissim respondebunt, Ephrajim Messia, justitia nostra, Ita placeat tibi, ut pari modo placetur Animus Creatoris tui & noster.* R. *Simeon ben Phassi dixit; Ea hora exaltaturus est Deus Messiam usque ad cœlos cœlorum, & diffundet super eum de splendore gloriæ suæ, propter gentes mundi, propter Persas impios, & dicent ei* (Patres;) *Messia, justitia nostra, esto Judex super istos, & fac eis prout tibi placet: nisi enim essent miserationes Dei magnæ, jam dudum unico momento perdidissent te ex mundo, sicut dicitur;* Nunquid filius pretiosus est mihi Ephrajim? &c. *Quare vero dicit ibidem,* Miserando miserebor ejus (*verbum* Miserendi *geminando?*) *Ideo,* רחם Miserendo *dicit, quia miserebitur ejus ea hora qua erit compactus in carcere, dum quotidie dentibus suis super eo frendent, oculis suis nictabunt, capita sua movebunt, & labia sua diducent, sicut dicitur;* Omnes videntes me, subsannabunt me, diducent labium, movebunt caput, *& per totum illum Psalmum* (nempe vigesimum secundum:) ירחמנו [Miserebitur ejus, *dicit; nempe eo tempore quo egredietur e carcere: quia tum non unum, vel duo regna venient super ipsum, sed centum quadraginta quatuor, & dicet ei Deus Benedictus; Ephrajim Messia justitiæ meæ, ne timeas ab eis, nam omnes isti Spiritu labiorum tuorum morientur; sicut dicitur;* Et Spiritu labiorum suorum occidet impium, Jesa. 11. 4. *Tunc e vestigio faciet Deus Messiæ septem thalamos seu cœlos nuptiales, e lapidibus pretiosis, margaritis, smaragdis, & ex unoquoque scaturient quatuor flumina vini, lactis, mellis, & balsami purissimi, amplexabiturque eum Deus coram Justis, introducet eum in thalamum, ut videant eum justi, & dicet eis Deus: o justi mundi, nondum tulit Ephrajim Messias justitiæ meæ vel mediam partem dolorum suorum,* [h. e. præmiorum pro doloribus suis] *unum adhuc superest, quod ego ei daturus sum, quod nullus oculus vidit a sæculo, sicut dicitur;* Oculus non vidit, o Deus, præter te, Esa. 64. 3. *Ea itaque hora advocabit Deus ventum aquilonarem & ventum australem, dicetque eis; Honorate, & sternite coram Ephrajimo Messia justitiæ*

ſtitiæ meæ ex omnibus ſpeciebus aromatum, quæ ſunt in horto Edenis, ſicut dicitur; Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, ut fluant aromata illius, veniatque dilectus meus ad hortum ſuum, & comedat fructum ſuavitatem ejus, Cantic. 4. 16. *Item*; Exſurge lux mea, quia venit lumen tuum, Eſa. 60. 1. *Ea ſcilicet hora, qua Deus B. dicet Tzijoni, Surge; illi dicent; Domine Mundi, ſta tu ante, & Ego poſt te; Ille viciſſim, Recte dixiſti, ſicut ſcriptum eſt*, Nunc ſurgam, dicit Dominus, Pſ. 12. 7. *Porro ſequitur in Eſa. v.* 4. Leva in circuitu oculos tuos, & vide; *Ea ſcilicet hora adducet Deus Eliam, Meſſiam, habentes in manibus ſuis paropſidem olei, & baculos ſuos, & congrebabuntur coram eis omnes Iſraelitæ, Majeſtate Divina præcedente eos; ſequentibus Prophetis. Lege ab illorum dextra, Angelis a ſiniſtra, ducentque eos in Vallem Joſaphat, ubi congregabuntur omnes gentes, ſicut dicitur*; Et congregabo omnes gentes, Joel. 4. 2. *Tunc adducet Deus omnia Idola gentium, inderque eis ſpiritum & animam, & jubebit eos tranſire pontem gehennæ; illis tranſeuntibus, & eo pervenientibus, ſubito fiet inſtar fili, & incident in gehennam* &c. Hactenus illic.

Hæc ex Hebræis producere voluimus, ut appareat, illos vel olfeciſſe, vel etiam cognoviſſe, ſed ænigmaticis & obſcuris figuris texiſſe & involviſſe, quod in his Miraculoſis & Divinis apparitionibus, ac nominatim ſub Nube illa & Igne ſuper arca apparente, aliquid ſublimius latuerit, quam quod oculis corporeis cernebant aut cernere poterant, quod ſc. a Deo quidem exiverit, & miſſum ſit, tale tamen ſimul fuerit, cui Divina Nomina, Attributa, & Opera competebant; ac propterea cum Patre verus ſit Deus. Cui enim hæc competunt, & attribuuntur, eum neceſſe eſt Deum eſſe. Iſtud vero, quia velo Moſis oculis eorum obducto aſſequi non potuerunt, hinc in iſta ſententiarum avia declinarunt, & iis ſe laqueis implicarunt, e quibus ſe extricare, ſi urgeantur, vix poſſint, quin ad ulteriorem Veritatis confeſſionem adigantur. Nam qui, vel Angelo alicui creato, vel Luci primævæ, quæ nova eſt Abarbenelis ſententia, ea omnia ſana cum ratione adſcribi queant, quæ audivimus? Sed Lectori induſtrio & ſagaci ipſimet, hæc accuratius examinanda, &, quomodo in Judæos retorqueri queant, expendenda relinquimus. Sufficit nobis, indicium hujus rei feciſſe. Redeamus ad Arcam ipſam, &, Forma Arcæ hactenus explicata, ad ejus Finem conſiderandum progrediamur.

CAPUT XV.

De Arcæ Cauſis Finalibus.

FINIS, propter quem Deus Arcam fieri juſſit, eſt;

1. *Gloria Dei*, ut illa per hoc præſentiæ ejus Symbolum tanto illuſtrior fiat, tum inter Judæos, tum inter Gentes. Omnia enim Deus facit propter ſuam Gloriam.

Hinc Arca vocatur, כבוד *Gloria*, & כבוד יי׳ *Gloria Dei*, 1. Samuel. 4. v. 21. 22. *Tranſlata eſt Gloria ex Iſraele, quia capta eſt Arca Dei*. Pſal. 26. v. 8. *Domine, dilexi habitaculum domus tuæ, & locum Tabernaculi Gloriæ tuæ*. Eſaj. 64. v. 11. *Domus Sanctificationis & gloriæ noſtræ*; & ſic pluribus in Scripturæ locis. Hinc quod 2. Sam. 6. 2. legitur; אשר נקרא שם שם יי׳ צבאות ישב הכרובים עליו quidam ita conſtruunt & explicant; *Propter quam* (ſc. Arcam) *proclamatur & prædicatur Nomen, Nomen Domini Dei Exercituum, inſidentis Cherubinis*; quia *propter miracula varia, quæ ad Arcæ præſentiam Iſraelitis facta ſunt, mirabiliter divulgatum & promulgatum fuit nomen Dei exercituum, tam inter Philiſtæos, quam inter Iſraelitas: per eam enim notum factum fuit, Deum inter Iſraelitas habitare, ſcribit Abarbenel*. Hinc audientes Philiſtæi, Arcam veniſſe in caſtra Iſraelitarum, timuerunt & dixerunt, *Venit Deus in Caſtra, Væ nobis, Væ nobis; quis liberabit nos e manu Dei fortis iſtius: hi ſunt Dii, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto*, 1. Sam. 4. 7. 8. Sic cap. 6. 20. dicunt viri Bethſchemeſch: *Quis poterit ſtare coram Jehovah Deo ſancto iſto?* Hinc nubes Arcam tegens, & Ignis fulgor, Tabernaculum totum replens, vocantur *Gloria Domini*.

2. Ut eſset Symbolum corporale & viſibile, ſignificans & deſignans definitum locum, in quo Deus inviſibilem, ſed certam & efficacem ſuam præſentiam, per ſermonem ſuum ſit exhibiturus, ad ædificationem, conſolationem, & confirmationem fidei Iſraelitarum. Hinc poſteaquam Operculum Arcæ fieri & eidem imponi juſſit, addidit; *Et conveniam te illic, & loquar tecum e propitiatorio inter duos Cherubinos qui ſunt ſuper Arcam Teſtimonii* &c. ad quæ verba R. Salom. notat: *Quando tibi deſigna-*

gnabo tempus, quo tecum loquuturus sum, illum locum figam & constituam, ut eo veniam & tecum loquar, Exod. 25. 22.

Ad Levit. cap. 1. v. dicitur *; Et clamavit ad Mosen, & loquutus est Dominus ad eum* מאהל מועד *e tentorio conventus*; quo videtur innui, non præcise e loco Arcæ, & e Propitiatorio ei loquutum esse. Quærunt itaque Hebræi *;*

Quomodo hæc duo loca inter se concilientur?

Mentionem hujus ἐναντιολογίας facit R. Salomon in suis Commentariis Exod. 25. v. 22. *Hic*, inquit, *dicitur ;* Et loquar tecum e propitiatorio ; *in alio autem loco dicitur ;* Et loquutus est ad eum e tentorio conventus, Levit. 1. 1. *h. e., e Tabernaculo extra propitiatorium ;& sic habentur duo loci* מכחישין זה את זה *contradicentes sibi invicem. Itaque tertius locus venit*, והכריע ביניהם *præponderans inter eos, & conciliationem ostendens*; Et cum veniret Moses ad Tentorium conventus, ad loquendum cum eo, audivit vocem loquentem ad se desuper propitiatorio , quod est super Arca Testimonii e medio duorum Cherubinorum , & loquutus est ad eum , Num. 7. 89. *Nempe Moses ingrediebatur in Tabernaculum conventus , & cum esset in ipsa porta , vox e Cœlo descendit e medio Cherubinorum , quam inde egressam , audivit Moses in tentorio conventus .*

Desumpta sunt hæc ex Bemidbar rabba , parascha נשא , sub finem , ubi prolixius hæc ita leguntur; *Quare dicitur hic* (Num. 7. 89.) In Tabernaculum conventus? *Quia alibi scriptum est* ; Et loquutus est ad eum e tentorio conventus, [Levit. 1. 1.] *An ex ipso tentorio conventus? Responsum ad hoc habetur in eo quod dicitur* Exod. 25. 22. Et conveniam te illic , & loquar tecum de super propitiatorio &c. *Atqui sic neque possum dicere* ; E tentorio conventus ; *quia scriptum est* ; Desuper propitiatorio *: neque possum dicere* ; E propitiatorio , *quia scriptum est* , E tentorio conventus*:* באיזה צד נתקיימו שני כתובים הללו *Qua ergo ratione concilianda sunt ista duo Scripturæ loca ?* זו מדה בתורה שני כתובים זה כנגד זה והרי הם סותרים זה על ידי זה יתקיימו במקומן עד שיבוא כתוב אחר ויכריע ביניהן *Hæc est proprietas Legis , quando duo loca sibi invicem sunt contraria , ut alter per alterum destruatur , conciliantur per alium Scripturæ locum, qui inter illa duo præponderat. Quid ergo vult dicere ;* Et cum veniret Moses ad Tentorium conventus , ad loquendum cum eo? *Indicat , quod Moses ingressus fuerit , & subsistente eo in Tentorio , vox e cœlo descenderit* כמין סילון של אש *quasi per canalem vel tubum igneum inter duos Cherubinos , & ipse eam intus* [in Sancto Sanctorum] *ad se loquentem , audiverit* (exterius) &c. Qui vult videat ibi plura ad loci hujus explicationem , ut & in Jalkut, & Siphra, sectione ויקרא , in principio , ubi probant Vocem hanc, utut potentem & claram , tamen substitisse in tentorio , neque extra illud , vel ab aliis , auditam fuisse &c.

Aben Esra existimat , ista conciliatione nihil opus esse , & aliam explicationem ostendit, scribens Exo. 25. לא אבין איך יכחיש זה הפסוק פסוק וידבר יי' אליו מאהל מועד לאמר׃ כי אהל מועד שם כולל את המשכן ואת כל אשר בו ואין צריך למכריע *Non intelligo, quomodo Locus Exod. 25. 22. destruat alterum Levit. 1. 1. Nam illic per* Tentorium conventus *intelligitur totum Tabernaculum , & quicquid in eo erat . Ut sic nihil opus sit loco tertio præponderante & contradictionem conciliante .* Nam sic per Synecdochen totius , per *Tentorium totum* intelligitur ejus pars , *Sanctum Sanctorum*, & in eo *Propitiatorium* &c.

Cur Deus Voce sensibili & audibili cum Mose loqui voluerit e Propitiatorio ? ejus hanc rationem reddit Abarbenel Num. 7. 89. *Quemadmodum Mosi præcepta dans de faciendo Tabernaculo, quo tanto melius formam & figuram singulorum animo conciperet, & artificibus de iis mandata dare posset, ideam eorum ipsi in mente oculis videndam proponit :* כן כשהיה השם מדבר אליו הדברים שיכתוב משה בתורה מהספורים והמצות והיה כדי שיהיו נכתבים הדברים ההם באותו אופן עצמו שיצאו מפי הגבורה הוצרך יתברך להשמיעם למשה בקול מוחש כדי שאותם המלות והדברים בעצמם ובלשונם שישמע באזניו יכתוב על ספר תורה במעתיק מספר קדמון *sic cum Deus ipsi loquutus esset Verba, quæ scribere debebat in Lege, seu historias, seu præcepta, quo illa Verba ab eo scriberentur eo ipso modo, quo egressa sunt ex ore Dei, necesse fuit ut Moses illa audiret voce sensibili; ut, inquam, illæ ipsæ voces, Verba , & phrases , quæ auribus suis auditurus erat, in Volumine Legis scriberet, perinde ac si ex antiquo volumine ea describeret.*

Quærunt hic etiam *; Utrum Moses potuerit ingredi Tabernaculum ad loquendum cum Deo , quandocunque voluit , pro suo lubitu : an vero vocationem Dei exspectare debuerit?*

Causa quærendi, quod Exod. 40. v. 35. scriptum sit*: Et non poterat Moses ingredi*

gredi Tabernaculum conventus, quia habitabat super illo Nubes, & Gloria DOMINI *replevit Tabernaculum*. Sic Exo. 24. v. 16. 17. 18. *Et habitavit Gloria Domini super montem Sinai &c. & vocavit ipsum Mose die septimo e medio nubis &c. Et ingressus est Moses* (vocatus sc.) *in medium nubis*. Hæc videntur docere, quod Moses, sine vocatione & facultate accepta, non potuerit ingredi Sanctum Sanctorum, seu locum Gloriæ Divinæ. Iterum vero legitur Numer. 7. 89. ובבא משה אל אהל מועד *Et cum ingrederetur Moses tabernaculum conventus ut loqueretur cum eo, audiebat vocem loquentis ad se e propitiatorio*, &c. & Numer. 9. v. 9. ubi Moses a quibusdam, eum de Paschate immundorum consulentibus, respondet; עמדו ואשמעה מה-יצוה יי לכם *Exspectate hic, & audiam quid Dominus præcepturus sit vobis*. Hæc videntur docere, Mosen etiam non vocatum, ad Deum ante propitiatorium consulendum, sua sponte ingressum esse, & quotiescunque ingrederetur, vocem Dei audivisse e propitiatorio inter duos Cherubinos &c.

Abarbenel ita conciliat ad Exod. 40. Prima vice, cum Moses Arcam fœderis, & Tabulas, quæ in arca fuerunt, e Tentorio suo, quod extra castra erat, transferret, repositurus ea in Sanctum Sanctorum, tunc illum audivisse vocem loquentis ad se e propitiatorio, quod erat super arca testimonii e medio Cherubinorum; (qua sc. facultatem ingrediendi acceperit.) Et sic intelligendum quod habetur Numer. 7. Quod Exod. 40. dicitur: *Non potuisse Mosen ingredi Tabernaculum conventus* &c. docere, tantam fuisse Loci illius Sanctitatem, ut ne quidem Moses, Dominus & Princeps Prophetarum, potuerit interius adytum nisi vocatus [prima sc. vice) ingredi, sicut dicitur Lev. 1. 1. ויקרא אל-משה וידבר יי' אליו מאהל מועד *Et clamavit ad Mosen, & loquutus est* DOMINUS *ad ipsum, e tentorio conventus*: ista enim verba respicere & referri ad præcedd. Exod. 40. 35. משם והלאה נעשה לו שם בית ונכנס תמיד בכל עת שורצה כמו שנ' *inde & ulterius ibi quasi Domum ipsius fuisse, in quam ingressus sit, quotiescunque voluerit, sicut dicitur Num.* 9. 9. Exspectate hic, & audiam &c. Sic in lib. Numer. sect. נשא fol. 283. col. 2. scribit: *Dum Scriptura ait*; Et cum ingrederetur Moses tentorium conventus, audivit vocem loquentis ad se; *docet*, שבכל עת שהיה משה רוצה לשמוע הקול האלהי היה בא אל אהל מועד ומיד הוא שומע את הקול *quod quotiescunque Moses vellet audire vocem Dei, ingressus sit Tabernaculum conventus, & eam audiverit; neque ut Talmudici volunt, suspensum fuit a Vocatione*, אלא ברצון משה *sed ab arbitrio & beneplacito Mosis. Et sic tradiderunt Rabbini*, שמשה היה מנבא בכל עת שירצה *quod Moses prophetarit, quotiescunque voluit. Quod vero Talmudici evincere volunt, semper præcessisse & præcedere debuisse Vocationem Dei, ex eo quod* Levit. 1. 1. *dicitur*; Et vocavit Mosen, & loquutus est Dominus ad eum; *atque inde* בנין אב *generalem regulam exstruere; id nullo nititur fundamento. Ibi enim ita factum fuit, eo quod tunc erectum fuisset tabernaculum, & Nubes obtexisset tentorium conventus, atque Gloria Domini Tabernaculum replevisset; ut hac de causa non posset Moses ingredi, &c. Hujus rei causa necesse fuit, ut Deus vocaret Mosen hac vice, ad loquendum cum eo e tentorio conventus; quia sc. non potuit a se ipso illuc venire; non vero quod hac ratio & regula fuerit universalis, in omnibus cum Deo colloquiis observata, ut exspectanda ipsi fuerit singularis vocatio*.

3. Ut hoc quasi sanctum Fanum esset Israelitis, ad quod externo cultu Deum pro necessitatibus suis invocarent, suamque Religionem exercerent, & Divinam potentiam atque providentiam præsentissimam experirentur. Erat semper mirifica Hebræorum propensio ad Idolorum cultum, more cæterarum nationum. Itaque hoc suo Sacrario, populum suum electum prorsus a cæterarum gentium omnium multivariæ & nefariæ religionis communione voluit secernere, & simul efficere, ut ne ipse inter se diversis colendi ritibus scinderetur, sed uniter eandem religionem retineret & coleret, dum ad hoc unicum sacrarium, e quo solo, tanquam suo operto, responsa dare, & potentiæ suæ signa potissimum patefacere volebat, omnium spem bonam, quasi affixam, retineret; non quidem, quasi arca ipsa aut beneficii, aut damni dandi facultatem, vel per se venerationem illam haberet, cum ex qua materia esset composita, testatum consignatumque ante Sacris Literis esset; sed ut Deum ipsum, qui ibi providentia sua præsto semper se futurum erat pollicitus, illic adirent, illic cultus, honores, preces, ipsi offerrent. Hinc scribit Abarbenel ad Jerem. 3. 16. *Arcæ Sanctitas faciebat etiam* לאזהרת הפרטים *ad commonefactionem singulorum. Dum enim sciebant, illic esse Arcam fœderis Domini, sciebant, se ob ejus præsentiam expavescere & timere debere a peccato; præterea eo venire, & coram ea orare pro Remissione peccatorum suorum*, להיותו מעון השכינה *eo quod esset locus habitationis Dei*. Huc pertinet, quod R. Majemonides scribit in More nevochim par.

3. cap. 45. *Constat homines olim Templa exstruxisse Stellis & Planetis, in iisque collocasse Imaginem aliquam, Stellæ vel Syderi certo consecratam, ad quam colendam omnes unanimiter consenserant. Hinc nos jussi sumus Templum ædificare Deo Opt. Max. & in illo collocare Arcam, atque in hanc reponere duas Tabulas lapideas, in quibus scriptum erat:* Ego sum Dominus Deus tuus; non habebis Deos alios coram me: Non facies tibi sculptile &c. Vult dicere, ideo Deum hoc fecisse, ut eos ab Idololatria gentilium tunc usitata avocaret, hocque medio in veri Dei cultu contineret, cujus rei causa Tabulas Legis in ea collocarit, quæ ipsos de vero Cultu edocerent. Quamvis enim hunc Usum habuerit Tabernaculum totum, & postmodum Templum a Salomone constructum; tamen intimum ejus adytum, Sanctum Sanctorum appellatum, & in eo Arca, centrum q. erat, in quo Divinitas residebat, & unde illa sese per externa signa, & voces quoque ac sermones inde auditos, exerebat.

4. Ut in Arca asservaretur Lex Dei, duabus Tabulis lapideis, digito ipsius Dei insculpta & inscripta; ut Ipsi quidem pactorum fœderis perpetuo essent memores, & legem Dei sibi observandam recordarentur; Deus vicissim a parte sua testaretur, se Tabularum illarum fœderis fidelem esse custodem atque vindicem. Magnam enim authoritatem, magnumque pondus id ei Legi addebat, cujus observationi perpetuam dare operam jusserat.

5. Denique eum in finem Ecclesiæ Israeliticæ hanc Arcam cum adjuncta omni ejus gloria indulsit, & proposuit, ante, & post Templum primum exstructum, ut ea Typus esset Christi, ceu Gloriæ illius majoris quæ sub Templo secundo in Carne apparitura erat, & prioris Templi gloriam superatura, juxta vaticinium Haggæi cap. 2. v. 7. 8. *Sic ait Dominus exercituum, Adhuc unum pusillum, & commovebo cœlum & terram, mare & aridam: Commoveboque omnes gentes, & veniet Desiderium omnium gentium,* [Messias promissus & desideratus] *ac replebo domum istam gloria, dixit Dominus exercituum*; quæ verba non solum Apostolus de Christo explicat ad Hebr. cap. 12. 26. sed & ר׳ עקיבה דריש ליה לימות המשיח ועל מלך המשיח *R. Akiva illud exposuit de diebus Messiæ, & de rege Messia*, teste R. Salomone, in Sanhed. cap. ultimo, Et v. 10. *Major erit gloria domus hujus posterioris, quam gloria domus prioris.*

Quemadmodum nempe Templi primi Gloria erat Arca visibilis & corporalis, unitam & conjunctam habens Præsentiam Dei invisibilem in ea habitantem, gloriose tamen per varia effecta, per Sermonem audibilem & sensibilem, per varia κατορθώματα & miracula sese exerentem: ita Templi secundi Gloria fuit Christus, stante adhuc illo exhibitus, & commoratus inter Judæos, Corpore & carne humana vestitus, unitam sibi habens naturam Divinam in una persona, invisibilem eam quidem, sed Doctrina, factis & miraculis gloriosissime se exerentem; Unde Johannes cap. 1. v. 14. *Caro factus est, & habitavit in nobis* [sicut sc. olim Deus jussit sibi Tabernaculum fieri, *in quo habitaret inter Israelitas*, Exo. 25. 8.] *& spectavimus gloriam ejus veluti gloriam unigeniti a Patre, plenum gratia & veritate* (sicut sc. olim Gloria Domini replevit Tabernaculum, & ab Israelitis conspecta fuit Exod. 40.) Nicodemus ad Christum veniens, dixit; *Rabbi, scimus te a Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo*, Joh. 3. 2. Et Christus ipse, Joh. 14. v. 11. *Credite mihi, quod ego in Patre sum, & Pater in me: Sin minus, propter ipsa facta credite mihi.* Et ipsi hostes Christi Matth. 27. 54. & Marc. 15. 39. *Vere iste homo Filius Dei erat*, &c. Hinc quidam Interpretes Apoc. 11. 19. ubi legimus; *Tunc apertum est Templum Dei in cœlo, & visa est Arca fœderis ejus in Templo ejus*; per *Arcam* intelligunt *Christum*. Sic Interpretes Belgæ in suis notis. Pareus: *Persistit in Veteris templi allegoria, in cujus adyto erat Arca fœderis, Christi typus, nulli visa, nisi Pontifici semel quotannis. Sic Christus olim fuit occultus, vix per transennam populo cognitus. In Novo Testamento apparuit in carne, sed humilis, nec gloria ejus cernitur nunc in Evangelio, nisi in fide. Judicio peracto, videbitur Arca fœderis in cœlo, hoc est, apparebit Christus suis electis in gloria cœlesti sicuti est.*

Quemadmodum etiam Hebræi ipsi fatentur, כי עיקר כל המשכן היה הארון והכרובים: *quod fundamentum, radix, cor & medulla totius Tabernaculi, atque adeo totius cultus Levitici, fuerit Arca cum Propitiatorio & Cherubinis* (ut Cosri scribit part. 2. §. 28. & ibi R. Jehudah Muscatus) *& ad eam referebantur & respiciebant*: ita nos quoque dicimus, Christum totius Legis ceremonialis fuisse finem, hancque nihil aliud continuisse, quam typos & umbras Illius, quarum expressa imago & veritas in Ipso fuerit completa & exhibita. Quemadmodum ergo Arca, & locus illius

illius, in quo olim ſeu repoſita, ſeu occultata erat, jam dudum evanuerunt, una cum omnibus ſuis cultibus, ſine ulla reſtitutionis ſpe: ita nos quoque hinc concludimus & colligimus, Legem illam, quæ ad eam unice reſpiciebat, eſſe abolitam, & alium cultum introductum.

Quemadmodum Vox & Sermo ille Dei, qui e Propitiatorio ſenſibiliter audiebatur & percipiebatur, Deum quaſi incorporatum repræſentabat, quamvis ratione humana aſſequi vix poſſimus, quomodo a Deo, qui ſimpliciſſimus eſt Spiritus, Sermo talis ſenſibilis & articulatus proficiſci poſſit: ſic Chriſtus, λόγος ille Patris æternus, Caro factus eſt, & in ea, definito tempore manifeſtatus, quod magnum eſt illud myſterium pietatis, omnem humanæ rationis captum ſuperans.

Quemadmodum autem Judæi negant, ex eo, quod Deus בקול נגשם, vel בדבור נגשם *Sermone*, vel *Voce incorporata*, ut loquuntur, cum ipſis in monte Sinaj eſt loquutus, ſequi, ſe Deum corporeum facere; eo quod rem hanc factam eſſe certo compertam habeant, licet modum ejus ignorent: ſic non eſt quod Chriſtianos ex eo, quod dicant *λόγον illum Dei definito tempore Carnem factum eſſe*, vel, *in Carne manifeſtatum eſſe*, *Carnem aſſumpſiſſe*, urgeant, illos Deum corporeum facere. Locus hac de re extat in Coſri par. 1. §. 88. ubi Coſri, ex eo quod Judæus ipſi recitavit, qua ratione ex ore Dei, in monte Sinaj cum ipſis loquentis, Decalogum acceperit; Ipſi regerit; *Qui vos audit dicentes, Deum loquutum eſſe cum populo veſtro, eique ſcripſiſſe Tabulas lapideas, aliaque ſimilia*, הדין עמו שייחם אליכם ההגשמה *jure vobis poteſt attribuere Incorporationem* (quod Deum corporeum faciatis.) *Attamen nec vos hoc nomine culpandi eſtis, quia Apparitiones & Actiones illæ magnæ negari non poſſunt a vobis. Excuſandi etiam eſtis, quod reijciatis omnem ratiocinationem, & ſpeculationem Intellectualem*. Judæus reſpondet: *Abſit, ut Deo adſcribamus falſitatem & mendacium, aut ut aliquid occurrat in Lege, quod Intellectus non admittat, vel falſitatis redarguat. Primum Decalogi præceptum eſt*, ut credamus in Deum: *Secundum*, continet prohibitionem de non colendis diis aliis, & non faciendo Sculptili, Imagine, & Similitudine ulla, (Dei): כללו אל דבר מהגשים *Summa; ne Corporeum faciamus Deum. Et qui quæſo Illum non eximeremus a Corporeitate, cum nonnullas Ejus creaturas ab ea excipiamus, veluti Animam rationalem, quæ revera homo eſt? &c.* Et mox: *Verum rite facimus, quod non rejiciamus ea, quæ accepimus in Divina illa Congregatione Sinaitica, dicentes*, שאין אנחנו יודעים איך נגשם הענין עד ששב דבור וקרע את אזננו: *nos ignorare, quomodo incorporata ſit illa res, quæ Verbum vel Sermo facta eſt, & aures noſtras penetravit*, &c. כי לא יחסר לו יכולת *quia non deeſt ei potentia.*

CAPUT XVI.

De Effectis Arcæ tum Bonis, tum Malis in genere.

EFFECTA ARCÆ non hoc ſenſu hic nominamus & adducimus, quaſi illa per ſe Virtutem Divinam miracula patrandi habuiſſet; novimus enim, Quantitatis per ſe nullam eſſe efficaciam; & Omnem effectionem tribui formis. Quia ergo ſupra docuimus, ad formam Arcæ internam referri Conjunctionem Dei præſentiæ ipſius cum ea; per Effecta intelligimus ea, quæ Deus ipſe ad Symbolum & ſignum hoc ab Ipſomet inſtitutum, & mandatum fecit.

Hebræi Arcam referunt inter ea, quæ contraria Effecta produxerunt, Bona ſcil. & Mala; Pœnas ab Iſraele avertentia, Bonaque conferentia, & Pœnas adducentia. Hinc ſcribit Abarbenel ad Jerem. 3. v. 16. בהיותם זכאים היה הארון שומר ומגין בעדם ובהיותם חוטאים היה הארון אשר בתוכם סבת חרבנם ואיבודם וכו': *Cum erant juſti & pii, Arca eos cuſtodivit & protexit: quando vero erant peccatores, Arca, quæ in medio ipſorum erat, fuit Cauſa vaſtationis & perditionis illorum.*

Rabbi Bechaj in Legem fol. 84. col. 3. adducit ex Medraſch quodam; ג׳דברים הם כל אחד מהם דחה את הפורענות והביא אלו הם הקטרת והארון והמטה *Tria ſunt, quorum unumquodque depulit pœnam, & adduxit pœnam; nempe Suffitus, Arca, & Baculus Moſis.* Suffitus *depulit pœnam, ſicut dicitur*; Et poſuit Suffitum, & expiationem fecit pro populo, Num. 17. 12. *Idem adduxit pœnam ſuper Nadab & Abihu*, Levit. 9. Arca *fuit, quæ occidit Uzam, & viros Bethſchemeſch, ſicut dicitur*; Et occidit in viris Bethſchemeſch aliquos, quia introſpexiſſent in arcam Domini, 1. Sam. 6. 19. *Eadem fuit, quæ benedictionem attulit Obed Edomo, ſicut dicitur*; Et benedixit Dominus Obed Edom, & univerſæ domui ejus, 2. Sam. 6. 11. *Baculus*

Saphi-

Saphirinus Mosis occidit primogenita Aegypti, & plagas attulit Aegyptiis, idem fuit, qui aquas elicuit e Petra.

Huic simile est quod legitur in Talmud Sota, שני דברים היו קדושים וגדולים וכסבורים בני אדם שהם קשים וכדי להוציא לעז עליהם כתב בהן דבר יי' גדול של שבח וברכה: *Duo fuerunt Sancta & magna, quæ hominum opinione visa sunt mala, unde ad vindicandum ea a sannis & contemptu, attribuit eis Deus laudem & benedictionem,* ואלו הן קטרת וארון *Et hæc duo sunt Suffitus & Arca. Ne de Suffitu dicat homo,* קשה הוא קטרת *Exitiosus est* Suffitus, *eo mortui sunt Nadab & Abibu, eo combustus est cætus Korachi, eo leprosus factus est Uzias, idcirco eximium hoc in ejus laudem scriptum est, quod Israelitæ liberati sint per eum, sicut dicitur;* Et fecit suffitum, & expiationem fecit pro populo, & cohibita fuit plaga, Num. 17. 12. *Sic, ne quis de Arca dicat, Mala est: Arca percussit Philistæos, Arca percussit Bethschemeschitas, Arca occidit Uzam, ideo Scriptura ei attribuit Benedictionem, sicut dicitur;* Et benedixit Dominus Obed Edomo, & toti domui ejus; *ut nos doceret,* שאין הקטרת והארון הורגין אלא עונות הורגין *quod nec Incensum, neque Arca necem afferat, sed Peccata* &c.

CAPUT XVII.

De Effectis Arcæ Bonis & salutaribus. Cur David eam in persequutione Absolomica domum remiserit?

AD *Effecta* Arcæ *Bona* & salutaria pertinet, Benedictio, quæ contigit Obed Edomo propter eam; quod item, cum Sacerdotes Arcam in Jordanem inferrent, & pedes eorum in aquam intingerentur, ad primum plantæ pedis ipsorum vestigium aquæ impressum, Aquæ desuper descendentes constiterint, & in acervum assurrexerint; infernæ autem, consumptæ fuerint & interciderint, populoque transitum præbuerint &c. Jos. cap. 3. Sic, cum Arca septies circa urbem Jericho circumlata esset, & quidem septimo die septies, conciderunt muri Jericho, & Israelitæ eam conscendentes ceperunt, Jos. cap. 6.

Quæri hic potest; *Cum Arca præsentiæ Dei certissimum esset Symbolum & Sacramentum, quare David, in persequutione Absolomica, eam secum habere noluerit, sed domum reducere jusserit?*

Historia extat 2. Sam. cap. 15. Cum Absalon Regnum ambiret, & populi animos sibi conciliasset, ut ei adhærerent, & magna conjuratio esset, David, nuntio hoc accepto, cum suis fugit a facie Absalomi. Cum transiret torrentem Cedron, præter innumeros alios, qui ipsum sequebantur, dicitur v. 24. *cum Ipso fuisse etiam Tzadokum Sacerdotem, & omnes Levitas, portantes Arcam fœderis Domini, & statuisse illic ad latus,* sc. littoris, *Arcam Dei, donec universus populus transivisset: Regem autem ad Tzadokum dixisse; Reduc Arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, atque illam ostendet mihi, & Tabernaculum ejus: si vero sic dixerit, Non est mihi beneplacitum in te, ecce me, faciat mihi quod bonum est in oculis suis.*

Talmudici nugantur hic; *eo die Abjatharum remotum esse a Sacerdotio magno, & in ejus locum substitutum fuisse Tzadokum, eo quod David ad Tzadokum dixerit;* Reduc arcam Dei in Urbem; *Remotum fuisse ideo, quod interrogaverit per Urim & Thummim, & nullum responsum acceperit: Tzadoko autem per illa interrogante, responsum datum fuerit: Davidem, cum hinc videret, ablatum fuisse Spiritum Sanctum ab Abjathare, & resedisse super Tzadokum, cognovisse, adesse jam tempus implendæ maledictionis, qua Deus maledixit semini Eli; Abiathar enim ex ejus semine fuit, ab Ithamare filio Aharonis; Itaque dedisse Sacerdotium Tzadoko, qui fuit de filiis Phineas, filii Eleasaris, filii Aharonis, ut impleretur illud, quod dixit Deus;* Ecce ego do ei pactum meum Pacis, & erit ei, & semini ejus post eum, pactum Sacerdotii perpetui, Numer. 25. 12. 13. *Non tamen unctum fuisse Tzadokum, neque in Sacerdotio magno confirmatum, nisi tempore Regni Salomonis.* Meminerunt horum R. D. Kimchi, & alii. Extant autem in Talmud Joma, cap. 7. Et hanc dicunt esse causam, cur David primo hic alloquutus fuerit Tzadokum, non Abijatharem.

Cur autem jusserit eos reducere Arcam, causam non addunt. Non prorsus extra oleas videtur esse, quod Abarbenel scribit; *Ideo Davidem hoc præcepisse, quod non con-*

conveniens esset, ut Arca sequeretur ipsum; modo enim Deus voluerit, se reversurum & eam visurum, ut non opus sit eam hinc inde una secum oberrare in exilio: si Deus noluerit eum reducere, מבואר הוא שהארון לא יועיל בדבר כי כאשר דבר מלך שלטון *palam esse, quod Arca nihil ad hanc rem profutura sit, quia* Secundum verbum Regis est potestas, *ut Salomon loquitur, Eccles.* 8. 3. *Et hoc est quod dicit,* Ecce me, faciat mihi quod bonum est in oculis suis. *Arca autem hæc,* inquit, *fuit Arca fœderis Domini, in qua fuerunt Tabulæ Legis integræ, & Tabulæ fractæ, sicut ajunt in Talmud Bava bathra, cap.* 1. *Sacerdotes autem isti eduxerunt eam secum, existimantes, ejus sanctitatem protectricem fore Regis Davidis;* David autem *mandavit, ut eam reducerent Hierosolymam, quia curæ ipsi fuit honor Arcæ, & timuit ne Deus ejus causa se puniret, sicuti fecit tempore Eli, quando Israelitæ Arcam fœderis Domini, sine speciali mandato, eduxerunt in bellum, & propterea puniti fuerunt.* Ex quo apparet, Davidem non in Arca, sed in Deo fiduciam suam habuisse, neque ab illa, sed ab hoc, auxilium & restitutionem sui exspectasse; ac proinde nihil præter ordinem facere voluisse, Arcam superstitiose, sine mandato & promissione speciali Dei, secum deducendo, quasi illa suamet sanctitate, & insita quadam virtute, sibi profutura esset: ac propterea eam Sacerdotes, sententia operis operati imbutos, reducere jussisse, ne præpostera & perversa in eam fiducia peccaret, graviores Dei pœnas accersseret, aliosque in suo errore confirmaret. Symbolum gratiosæ Dei præsentiæ non contempsit, sed præter ordinem illo uti noluit, re significata contentus, quam, vi promissionis Divinæ, etiam absque Symbolo & Sacramento, præsto sibi fore confidit. Et sic ejus exemplo discimus, quid & nos de Sacramentis sentire; quantum eis tribuere, quaque ratione iis uti debeamus. Videbatur hic casus necessitatis, in quo Arcæ præsentia multum solatii & auxilii Davidi afferre posset. Tamen, quia rite id non fieri poterat, ea carere maluit.

CAPUT XVIII.

De Effectis Arcæ Malis, seu Pœnarum. quæ experti sunt 1. Israelitæ in genere, cæsi a Philistæis. 2. Bethschemeschitæ. 3. Uza filius Abinadab.

Effectorum malorum, seu Judiciorum pœnæ ex ea consequutorum, eorum occurrunt quædam, quæ Israelitis evenerunt; alia, quæ Exteris Gentibus.

Prioris generis sunt sequentia:

1. Quod cum Israelitæ a Philistæis cæsi essent, illi hujus rei causam absentiæ Arcæ tribuisse videntur, unde Seniores Israelitarum suaserunt, ut ad instaurationem prælii e Silo secum sumant Arcam fœderis Domini, quo eos servet e manu inimicorum suorum, quod & fecerunt, magno cum jubilo & triumpho eam in castris excipientes; & tamen ea quoque præsente cæsi, & in fugam conjecti fuerunt, triginta millibus peditibus ex ipsis occumbentibus, & Arca ipsa capta, 1. Sam. 4.

2. Quod, cum Arca a Philistæis remitteretur, & in agro Josuæ Bethschemeschitæ subsisteret, ac nonnulli ex Bethschemeschitis in Arcam Domini introspexissent, percussi fuerint ex illis quinquaginta millia, & septuaginta viri, 1. Sam. cap. *6.*

3. Quod, cum David Arcam, a Saule neglectam, de domo Abinadab reduxisset, & Uza, filius Abinadab eam, manu admota, retinuisset ne caderet, bovibus sc. declinantibus, furor domini in Uzam exarsisse dicatur, eumque percusserit, ut subitanea morte ibi juxta Arcam Dei occumberet, 2. Sam. cap. *6.*

Circa *Primum,* quæritur;

An recte Seniores Israelis, cladem a Philistæis sibi illatam, acceptam retulerint Arcæ fœderis absentiæ, an vero non? Et qua de causa postea, præsente Arca ipsi puniti fuerint, & Arca a Philistæis capta?

Respondemus; illos nec recte censuisse & pronuntiasse hac de re; neque rite postea Arcam secum eduxisse, ac propterea etiam adducta Arca graviter punitos fuisse. Ratio, quia non ex fide, sed ex crassa superstitione provenit illa opinio ac persuasio. Quod eximius Christi servus, & gravissimus olim Academiæ nostræ Basileensis Theologus, J. Jacobus Gryneus, in sua de Arca Fœderis dissertatione, eleganter sequentibus rationibus demonstrat;

1. Quia

1. Quia illa opinio contumeliosa erat in Deum, ut quæ cladem Deo, defensionem, victoriam & salutem, Arcæ fœderis affingeret; quasi vel Deus non det victoriam unus & solus, vel absente Arca dare seu non velit, seu non possit.

2. Quia non agnoscebant cladis proximam causam, in ipsis Israelitis hærentem, videlicet multiplicem & horribilem Divinæ Legis transgressionem, quam comitantur atroces pœnæ. Ex Talmudicis ipsis supra audivimus, *non Arcam necem afferre, sed Peccata*.

3. Quia hæc opinio plane Ethnica est, tribuere sc. Symbolis id, quod solius Dei est, ut, cum ingenti plausu ab Israelitis excepta fuit Arca, sic ea formidini fuit hostibus, ut exclamarent; *Venit Deus in castra, væ nobis! quis nos liberabit e manu Deorum fortium istorum: hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum* &c.

4. Quia Arcæ in castra deportatio pugnabat cum ejusdem fine ꝫ, qui non erat, Ducem belli adversus hostes agere, sed, esse symbolum præsentiæ Dei, responsa dantis inter Cherubinos.

5. Quia facta, quæ non reguntur mandato Divino, non sunt Deo grata, eoque accersunt pœnas, sicuti hoc ipso Israelitæ sunt experti.

Don Isaac Abarbenel, sequentes adducit causas, cur puniti fuerint, & Arca capta;

1. Ait; *quia Israelitæ tunc fuerunt mali & graves peccatores coram Domino, unde pœna ipsorum fuit privatio Coronæ capitis ipsorum, quæ erat Arca, juxta illud;* Et conteram excellentiam fortitudinis vestræ, Levit. 26. v. 19. *Item;* Et desolabo sanctuaria vestra, v. 31. *Atque hoc innuitur eo quod dicitur;* Fuit autem a die, qua mansit arca in Kirjath-jearim, multi elapsi sunt dies, viginti nempe anni, & lamentata est universa domus Israel, sequutaque est Jehovam, Dixitque Samuel ad universam domum Israel, hisce verbis; Si toto corde revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos e medio vestri, & Astharoth, & præparate cor vestrum Domino, & servite ei soli: tum liberabit vos de manu Philistæorum, 1. Sam. 7. 2. 3. *Ex his enim discimus, illos per pœnitentiam non revertisse ad ipsum, ad illud usque tempus, quo eos Samuel redarguit, sed regnasse prius inter ipsos peccatum Idololatriæ, & idolum Michæ, quod eousque retinuerant, neque sustulerant. Et hac de causa cæsi fuerunt ab inimicis suis.*

2. *Factum illud fuit propter peccata filiorum Eli, in quorum manibus & potestate Arca erat, unde cum hi puniti fuerunt, capta fuit & Arca. Hoc indigitatur cum dicitur;* Et erant ibi duo filii Eli cum Arca fœderis Domini, Hophni, & Phineas, 1. Sam. 4. v. 3. *hoc est, propter peccatum ipsorum hoc accidit.*

3. *Quia Israelitæ peccarunt, arcam Dei deducentes in bellum, & educentes eam a Sancto Sanctorum, sine venia & mandato Dei. Arca enim non movebatur neque egrediebatur e loco suo, nisi juxta os, h. e. verbum & præscriptum Domini per Prophetam. Quia ergo Israelitæ honorem Arcæ ludibrio habuerunt, neque consuluerunt os Samuelis, qui inter ipsos habitus fuit Propheta, neque etiam Heli per Urim & Thummim, ideo puniti fuerunt, ut cæderentur ab inimicis suis, & Arca caperetur.*

4. *Quia Israelitæ non converterunt se ad Dominum, neque ab eo salutem & liberationem petierunt, sed existimarunt, Deum propter Arcam ipsos liberaturum, ut Arca ipsius conservaretur. Itaque, quia eam adduxerunt, ut una cum ipsa tuti essent, & non converterunt se ad Deum suum, ideo hæc ipsorum pœna fuit,* שכשל עוזר ונפל עזור *ut corrueret Auxiliator, & caderet Adjutus, ut Esajas loquitur cap. 31. v. 3. & ut tum ipsi, tum Arca, abirent* בלא כח לפני רודף *absque fortitudine ante persequutorem, ut Jeremias* loquitur in Threnis cap. 1. v. 6.

5. *Quia voluit Deus Benedictus ostendere populis & principibus Sanctitatem Arcæ, & quia Israelitæ ejus honorem prostituerunt, eam e loco suo illigitime educentes, ideo nulla cum ipsis fecerit miracula in bello; posteaquam autem erat inter inimicos, signa & prodigia ediderit, ut & inter Israelitas, posteaquam reducta esset ex agro Philistæorum; ad ostendendum, quod Nomen Domini vocetur super ea,* ושיש האל בזו הארון & quod Deus sit in ista arca, *neque illi debitum honorem detulerint, dum eam eduxerunt, &c.* Hæc Abarbenel.

Discimus ergo hinc, graviter peccare omnes eos, qui neglectis fidei & pœnitentiæ exercitiis atque documentis, nimium Sacramentis tribuunt, atque in Idola ea convertunt, illis ea accepta ferentes, quæ Dei solius sunt; Fidem, Justificationem, Sanctificationem & Regenerationem; hancque pestilentem de Opere operato persuasionem iram Dei ejusque graves pœnas accersere, ut Exemplum Israelitarum hoc loco docet. Quibus similes erant illi הפושעים prævaricatores inter Israelitas, apud Jeremiam subinde clamantes & crepantes: היכל יי׳ היכל יי׳ היכל יי׳ *Templum Domini,*

mini, *Templum Domini*, *Templum Domini*, Jerem. 7. v. 4. q. ſc. Deus propter ſolum Templum inter ipſos erectum eos ſervaturus eſset. Aliter ſenſit David, ut in præced. quæſtione vidimus.

Circa Secundum, de eo quod viris Beth-Schemeſch accidit, quæritur

1. *Quodnam fuerit eorum peccatum propter quod adeo graviter peccati fuerunt?*

Scriptura commemorat 1. Sam. 6. cum Philiſtæi Arcam a ſe captam, plauſtro impoſitam, una cum muneribus Iſraelitis remiſiſsent, Vaccas plauſtro illi alligatas ſe direxiſse per viam *Betſchemeſch* [quod non longe diſtabat a Cirjath-jearim, paſſibus circiter 5000. fere ad Auſtrum, ut quidam volunt :] eo tempore Viros Betſchemeſch, occupatos in meſse, levantes oculos ſuos vidiſse Arcam adventantem, & lætatos eſse; plauſtrum autem, ubi veniſset in agrum Joſuæ Bethſchemſchitæ, ſubſtitiſse: Arca ibi recepta, eos concidiſse ligna, & vaccas in holocauſtum immolaſse Domino: Arca a Levitis in lapide quodam magno, qui ibi erat, depoſita a Levitis, & Satrapis Philiſtæorum eouſque eam deducentibus domum reverſis, arca in agro illo manente, quoſdam ex Betſchemſchitis introſpexiſse in eam, eaque propter graviter a Deo punitos eſse.

Verba Hebræa de hoc illorum peccato ſunt; v. 19. כי ראו בארון יהוה *Quia viderunt in Arcam Domini*. Id quid ſit vel fuerit, quæritur?

Paraphraſtes Chaldæus reddit; על דחדיאו דחזו ארונא דיי׳ כד גלי *Eo quod lætati eſſent videntes arcam Domini captam*.

R. Salomon ad id quod v. 13. dicitur, וישמחו לראות *Et lætati ſunt videndo eam*, ſcribit; היו מסתכלין היאך הוא בא לבדו ימשמחתם נהגו בו קלות ראש ולא היו מסתכלין בו באימה ודרך כבוד *Aſpicientes eam adventantem ſolam, gaudio levi ac temerario eam exceperunt, neque aſpiciebant eam cum tremore & debito reſpectu*. Sic quoque videtur intellexiſſe quod v. 19. dicitur, quia nihil ad ea verba notavit.

R. D. Kimchi ad v. 13. ſcribit; *Adeo lætati ſunt videntes Arcam*, עד שמרוב שמחה פרצו לראות בארון ופתחו וראו מה שבתוכו לפיכך נענשו *ut præ magnitudine lætitiæ prærumperent ad introſpiciendum in arcam, eam aperientes, & videntes quid in ea ſit, unde & puniti fuerunt, juxta id quod ſcriptum eſt;* Ne ingrediantur ut videant, quando operient ſanctitatem, & moriantur, Numer. 4. 20. In hanc ſententiam quoque ſcribit Rabbenu Jeſchajah.

R. Levi ben Gerſon; *Percuſſit Deus viros Bethſchemeſch, qui videntes arcam Domini*, ולא עזבו מלאכתם שהיו קוצרים קציר חטים *non dereliquerunt opus ſuum: erant enim tunc metentes meſſem triticeam*.

Deſumpta ſunt hæc poſtrema ex Talmud Sota cap. 7. fol. 35. col. 1. 2. ubi legitur: ויך באנשי בית שמש כי ראו בארון משום דראו ויך אלהים · ר׳ אבהו ור׳ אליעזר חד אומר קוצרין ומשתחוים היו וחד אמר מילי נמי אמור מאן אמרירה להא דאימריית ומאן אתא עלך דאיפייסת Et percuſſit Viros Betſchemeſch, quia viderunt arcam, *hoc eſt, quia viderunt, ideo percuſſit eos Deus. R. Aſbu & R. Elieſer diſputabant, inter ſe* (quomodo ſc. hoc ſit intelligendum:) *Unus dicebat, metebant & incurvabant ſe* [non ſc. honoris cauſa deſiſtentes ab opere ſuo, unde contemptibilis erat hic ipſorum aſpectus:] *Alter dicebat, verba etiam* (ſc. ignominioſa contra eam) *protulerunt, dicentes; Quis irritavit te, cum irata contra nos fuiſti?* (non liberando ſc. populum tuum) *Et quis placavit te, quando placatam te oſtendiſti?* [ſponte ſcilicet ad nos revertendo.]

Abarbenel poſteaquam has Sententias omnes adduxit; aliam ipſe profert, quam putat magis eſse vero conſentaneam. Sic ergo ait: *Poteſt etiam dici, quod 70. illi viri, qui mortui ſunt e Bethſchemſchitis, ideo interempti fuerint, quod adventante ad ſe Arca, & ſcientes, quæ ea fecerit inter Philiſtæos, dixerint;* Quis poterit conſiſtere coram Deo ſancto iſto? & ad quem aſcendet a nobis? *h. e. Quis poterit conſiſtere coram ea? Nam dum Arca erat extra Tabernaculum, grandem edidit ſtragem & internecionem. Quod ſi itaque & nos moriamur, ſicut mortui ſunt Philiſtæi propter eam, ad quem e nobis ibit?* h. e. *In quamnam urbem mittemus eam, quemadmodum Philiſtæi eam ab una urbe ad alteram miſerunt? Hoc itaque metu compulſi, miſerunt Legatos Kirjath-jearim, ad ſignificandum ipſis, Philiſtæos remiſiſſe Arcam Domini, dicendo;* Deſcendite abducite arcam ad vos. *Poſteaquam viri Kiriath-jearim abduxiſſent Arcam, & eam detuliſſent in domum Abinadab & Eleaſaris filii ejus, retinuerunt eam, neque a ſe dimiſerunt, quemadmodum fecerant viri Betſchemeſch. Æquum igitur fuit, ut e Bethſchemſchitis, qui ejecerunt arcam e medio ſui, neque ei volue-*

runt habitationem inter se concedere, morerentur septuaginta viri. Quia enim idem fecerunt quod Philistæi, qui eam expulerunt ex uno loco in alium, conveniens fuit, ut simili pœna afficiantur, & quidam ex illis moriantur. Ex viris autem Kirjathjearim ne unicus quidem mortuus est, quia eam benigne exceperunt. Juxta hanc expositionem, quod v. 20. dicitur; Dixerunt ergo viri Bethschemesch, Quis poterit stare coram Deo sancto isto &c. *Item;* Miseruntque nuntios ad habitatores Kirjathjearim &c. v. 21. *Item;* Venerunt ergo viri Kirjathjearim, cap. 7. v. 1. *hæc, inquam, omnia facta erant ante necem septuaginta illorum virorum, quasi diceretur;* Dixerunt enim; Miserant enim nuntios; Venerantque viri Kirjathjearim &c. *Ideo autem hæc* (quæ sc. antea gesta erant) *postea demum commemorantur: Superius dictum fuerat, Deum, connumeratis illis viris 70. quos percussit in viris Bethschemesch cum vidissent arcam, percussisse quinquaginta millia, & luxisse populum; ideo postea subjungit causam, quare illos 70. percusserit, dicens; illud ea de causa factum esse, quod noluerint domicilium & habitationem arcæ concedere inter se, sed eam miserint a se in Kirjathjearim; ideo percussisse ex eis 70. quot sc. viris constat Synedrium magnum. Atque hæc, meo judicio, convenientissima est expositio, juxta sensum Scripturæ literalem. Eam confirmat, quod dum dixerunt;* Quis poterit stare? *percussorum & morte sublatorum nullam mentionem fecerint, eo sc. quod tum nondum mortui fuerant.* Hactenus ille.

Quicquid horum sit, videntur illi peccasse *Curiositate*, & *licentiam* usurpasse sibi non concessam. Non frustra arca operimento erat tecta, unde sine mandato operimentum illud aperire & auferre, atque inspicere eam non licebat sub pœna mortis, Num. 4. v. 5. 20. Ad vasa sanctitatis (*inter quæ & Arca erat*) ne quidem ipsis Levitis, custodiam Tabernaculi habentibus, accedere, eaque contingere licebat, ne moriantur, Num. 18. 4. Et cum hac Curiositate & Licentia procul dubio etiam Contemptus aliquis concurrebat, quamvis externis holocaustis & sacrificiis eam honorare velle videri voluerint.

2. Quænam horum Bethschemeschitarum fuerit pœna, & quot ex illis morte sublati fuerint?

Causam hujus quæstionis præbet Textus historiæ, cujus verba partim videntur subobscura, partim impropria, & a consueta alias Scripturæ phraseologia recedentia.

Ita ea habent: ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש ויתאבלו העם כי הכה יי׳ בעם מכה גדולה h. e. *Et percussit in populo septuaginta viros, quinquaginta mille viros, & luxit populus, quod edidisset Dominus in populo plagam vel stragem magnam.*

Insolitum & improprium est 1. quod majori numero 50000. præponitur minor 70. virorum: 2. quod, si conjunctim isti numeri sint accipiendi & exponendi, omittatur conjunctio Copulativa ET; 70. & 50000. viri

Hinc diversæ extiterunt hac de re Interpretum Hebræorum sententiæ.

Paraphrastes Chaldæus transtulit: וקטל בסבי עמא שבעין גברא ובקהלא חמשין אלפי גברא ואתאבלו עמא ארי מחא יי׳ בעמא מחא סגיאה *Et occidit in Senioribus populi 70. viros, & in cætu* (plebejorum) 50000. *viros, luxeruntque populus* &c.

Talmudici in loco supra allegato ex Tractatu Sota, unum volunt esse explicationem alterius: Sic enim illic: ר׳ אבהו ור׳ אלעזר חד אמר שבעים איש היו וכל אחד ואחד שקול כחמשים אלף וחד אמר חמשים אלף היו וכל אחד ואחד שקול כשבעים סנהדרי *Rabbi Asbu & R. Eleasar disputabant de horum verborum sensu; Unus dicebat; Septuaginta duntaxat erant, sed quorum unusquisque æquivalebat* 50000. *Alter dicebat; Quinquaginta mille fuerunt* [sc. percussi] *quorum unusquisque æquivalebat 70. assessoribus Synedrii.* Idem legitur in Bemidbar rabba, sect. 5.

R. Salomon, uti perpetuo, ita & hic, in horum Rabbinorum sententia acquiescit, nihilque ulterius addit.

R. David Kimchi literam contextus premens, ait; חסר וי׳ו השמוש חמשים אלף איש כמו שמש ירח ראובן שמעון *Deficit Vau servile seu copulativum, pro,* ET quinquaginta mille viri; *sicut & in istis;* Sol Luna (*pro*, Sol ET Luna) *Habac.* 3. 11. *Item*, Ruben Simeon [*pro*, Ruben ET Simeon,] 1. *Chron.* 2. 1. Postea, quasi incertus, adducit etiam Paraphrastæ Chaldæi & Talmudicorum sententias.

R. Levi ben Gerson etiam sequitur Talmudicos.

Abarbenel de his Sententiis omnibus dicit, quod sint זרים מאד בפשט הכתוב *absurdæ valde secundum sensum Scripturæ literalem;* idque postea prolixius ita ostendit:

dit: 1. *Betschemesch*, ait, *fuit oppidum parvum, de quo non dici potest, quod in eo percussi fuerint* 50000. *viri, & remanserint quos ablegarent ad Kirjathjearimitas*. 2. *Si maxime dicamus, tantum illic populum fuisse, quæritur, quomodo illi omnes morte mulctati sint propter leviusculum peccatum? Nam si dicamus, id ideo factum esse, quod non destiterint ab opere suo,* לא היה עון פלילי *hoc non adeo grave fuit peccatum; quamvis impossibile sit, ut* 50000. *viri messuerint; Et cum dicatur, Betschemeschitas eo die obtulisse holocausta, & sacrificia sacrificasse, procul dubio tum destiterunt ab opere suo, lætantes & honorantes Deum de opibus suis. Quod si aliquid inconveniens vel minus dignum contra Deum sunt loquuti, procul dubio id a paucis duntaxat factum fuit, non a toto Cœtu. Si Arcam aperuerunt, non potest id factum fuisse ab omnibus* 50000. *viris, ut propterea omnes illi morte affecti fuerint. Meo itaque judicio dicendum, nonnisi Septuaginta viros e Betschemeschitis percussos fuisse; idque, vel quod minus decenter de Arca sint loquuti, vel quod illi* 70. *soli non destiterint ab opere suo, vel etiam quod illi soli Arcam aperuerint, & manum ei admoverint, sicut Scriptura ait;* Et extraneus, qui accesserit, morietur, Numer. 1. v. 51. *Et æquum erat hos* 70. *a Deo morte affici propter peccatum suum. Nam cum Philistæi, qui non illustrati fuerunt luce Legis & Veritatis, mortui fuerint, eo quod contigissent Arcam fœderis; quanto magis morte puniendi fuerunt Israelitæ, qui ejusdem criminis se reos fecerunt, cum Deus dicat;* In propinquis meis sanctificabor, & in conspectu totius populi glorificabor, Levit. 10. v. 3. *Quod ad* 50000. *alteros attinet, quorum fit mentio, hic fuit numerus omnium impiorum, qui mortui fuerunt propter Arcam, tam in urbibus Philistæorum* [de quibus cap. 5.] *quam in Bethschemesch, qui omnes in universum* 50000. *Istud voluit Scriptura hic significare, quia hac narratione hic absolvit & concludit historiam Philistæorum, reditum Arcæ, & Miracula Arcæ circa omnes eos qui ipsius causa morte affecti fuerunt. Sic præfixum* ב In, *in* באנשי בית שמש *ponitur pro* עם Cum; *sicut ibi*, ברכבו ובפרשיו In (*h. e.* Cum) curribus, & in (*h. e.* Cum) equitibus ejus, Exod. 14. 17. *Sic Ephodeus in Grammatica sua quoque docet* ב *aliquando poni pro* עם. *Sic ergo, dum Scriptura ait*, Quinquaginta mille viros; *perinde erit, ac si dixisset;* Et percussit una cum 70. viris Betschemesch, qui inspexerant Arcam, summatim 50000. *Tot enim percussi fuerunt in universum propter Arcam. Hæc expositio clarissima & planissima est, ad emergendum e variis dubiis supra commemoratis. Refert postmodum Scriptura*, Viros Bethschemesch luxisse, eo quod percussisset Deus populum plaga magna; *quæ fuit Mors illorum* 70. *virorum; eo quod respectu Parvi illius loci hæc plaga maxima fuerit. Sic ille.*

Nostri Interpretes sic fere intelligunt, quod 70. illi fuerint de Sacerdotum genere; 50000. ex Israelitis omnibus, quorum alii in stativis erant, ut suos fines a Philistæorum incursionibus defenderent, alii frequentia maxima confestim accurrerint, quum Bethschemeschitarum acclamationes, & famam de reversa arca audivissent. Vide notas D. Junii & Trem. Deodatum, Biblia Belgica, Petrum Martyrem &c. Lyranus Paraphrastem Chaldæum sequitur.

Circa *Tertium* quæritur;

Quodnam fuerit peccatum Uzæ propter contactum Arcæ mortui?

Historia extat 2. Sam. cap. 6. v. 4. 5. 6. & 7. & 1. Chron. 13. Cum David Arcam de domo Abinadab reduceret, & venissent ad *Aream Nachon*, (quæ in lib. Chronicorum dicitur, *Area Cidon*) Uzam, qui Arcam comitatus erat, quum boves declinarent, extendisse manum, & eam retinuisse; hujusque rei causa exarsisse furorem Domini contra Uzam, & percussisse ipsum ibi על השל *propter errorem vel imprudentiam*, ut mortuus ibi fuerit juxta Arcam &c.

Causam hujus pœnæ vocat Scriptura של, quam vocem plerique deducunt a Radice שלה, per ablationem tertiæ radicalis ה, & reddunt, *Errorem*, *Imprudentiam*. Sic Paraphrastes Chaldæus; על דאשתלי *Eo quod erraverit*.

R. Salomon; על השגגה *Propter errorem;* שהיה לו לדרוש *quia primo interrogare debebat, & consulere Prophetam* (num sc. hoc ipsi esset licitum) קל וחומר נושאיו נשא בירדן הוא עצמו· לא כל שכן h. e. *Argumento a majori ad minus; Portantes se portavit sc. Arca per Jardenem, quanto magis seipsam hic portare & sustinere potuisset?* Ad hanc ipsius Glossam intelligendum, sciendum, illam desumptam esse ex Talmud Sota fol. 35. col. 1. ubi legitur: *Posteaquam ascendisset ultimus ex Israelitis e Jardene, reversæ fuerunt aquæ in locum suum, sicut dicitur;* Et fuit cum ascendisent Sacerdotes, portantes Arcam fœderis Domini, e Jordane, ablatæ fuerunt plantæ pe-

dum Sacerdotum in ſiccum, & reverſæ ſunt aquæ Jordanis in locum ſuum, & fluxerunt ſicut antea ſuper omnes ripas ſuas, Joſ. 4. 18. *& ſic habetur, Arcam, & Portantes eam, & Sacerdotes ſtetiſſe ab una parte, Iſraelitas* (populum) *a parte altera, & per conſequens,* נשא ארון נושאיו *portavit Arca portantes ſe, & tranſivit, ſicut dicitur;* Quum autem finem tranſeundi fecisset univerſus populus, tranſivit arca, & Sacerdotes qui erant ante populum &c. *Et propter hoc mulctatus fuit Uza, ſicut dicitur;* Et venerunt uſque ad aream Cidon, & extendit Uza manum ſuam ad Arcam Dei; 1. Chron. 13. 9. אמר לו הקב'ה עוזא נושאיו נשא עצמו לא כל שכן *Tum dixit ei Deus, Uza; Portantes ſe portavit, quanto magis ſeipſam!* Andreas Maſius Comment. in Joſuam ad cap. 4. v. 11. ſcribit; *Videntur quidem iſta in hanc ſententiam dicta, Sacerdotes, cum arca juxta priorem illam ripam, e qua flumen primo attigerant, adhuc inſtitiſſe in fluminis alveo, nunc vero demum per tranſverſum evadere in Cananæam. Unde natum eſt Talmudicorum commentum, quod illo, quem nuper citabam, loco ſcriptum reliquerunt; cum jam univerſus populus tranſiviſſent in Cananæam, Sacerdotes retuliſſe Arcam in eam ipſam ripam, e qua primum in aquas deſcenderant; cum proxime ad eam inſtitiſſent: cumque ſubito, diffuſa aquarum illa mole, quæ adhuc fuerat Arcæ præſentia cohibita, repletus fuiſſet alveus, tum demum tranaviſſe, per interlabentes aquas, Arcam in Cananæam, ſpectante ex adverſa ripa populo, atque ſuos bajulos ſecum tranſvexiſſe, ut jam ipſa portaret eos, a quibus fuiſſet nuper portata. Sed inſulſum hoc commentum etiam Kimchi exagitat. Nimirum iſti homines quidvis potius comminiſcuntur, quam ut patiantur ſe non ineptos videri.*

Rabbi David Kimchi de præcedenti Rabbinorum expoſitione ſcribit Joſ. 4. v. 11. ואני תמה מזה הדרש מה הצריכה לזה לאלה הפסוקים *Ego vero miror hanc ipſorum expoſitionem; quid enim opus eſt his ad verſuum horum explicationem?* &c. Et ad 2. Sam. 6. ſcribit: *Uza erravit, quando tenuit eam: nam hoc non conceſſum erat niſi filiis Levi, qui præ reliquis Iſraelitis ſanctificati fuerunt. Quod ſuperius dicitur,* quod Eleazarum fratres ejus ſanctificaverint, ut cuſtodiret Arcam Domini, 1. Sam. 7. 1. *id intelligendum eſt de cuſtodia domus, in qua Arca fuit, ad conſervandam ſcil. eam mundam, everrendo, & aqua conſpergendo coram arca; non quod ipſi permiſſum fuerit manum ad arcam extendere, & eam loco movere. Hoc enim nulli poterant facere niſi Levitæ. Et ſic David faſſus eſt hoc peccatum, ſicuti 1. Chron. 15. 13.* dicitur, Quia a principio non adfuiſtis, rupturam fecit Deus in nobis, quia non requiſivimus eum ſecundum ritum. *Rabbini noſtri volunt, Uzam peccaſſe in eo, quod exiſtimans arcam lapſuram in terram, eo quod declinaſsent boves, eam tenuerit, atque ita detraxerit honori & ſanctitati Arcæ, quaſi ſeipſam non poſset tenere ſine bajulo, & hujus rei cauſa punitum eſse &c.*

Sic Rabbenu Jeſchajah: *Morte mulctatus fuit* על השגגה ששגג לשלוח יד בארון ולא שם לבו שהארון יישר את הפרות מבלי מנהיג *propter errorem quem commiſit, extendendo manum ad Arcam, non cogitans, Arcam per ſeipſam vaccas in rectam viam directuram, ſine rectore vel ductore.*

Abarbenel, more ſuo, accuratius & exactius hæc explicat: במעשה הזה היו ארבעה פשיעות גדולות *In actione hac,* inquit, *concurrerunt quatuor prævaricationes magnæ; 1. Quia, ex præſcripto Legis, geſtatio Arcæ Levitis ſolis injuncta erat, ut illi humero portarent Arcam, ut ſupra vidimus, ideo grave peccatum fuit commiſsum in eo, quod nunc Arcam impoſuerint plauſtro novo. In Bemidbar rabba quoque ſcribunt, hac in re peccatum fuiſse* (a Davide,) *atque eo nomine Achitophelem increpuiſse Davidem, dicendo ei; Diſcere debebas a Moſe præceptore tuo, Levitas nonniſi humero debere geſtare Arcam. Id quod verum eſt. Nam quamvis Philiſtæi idem quoque fecerint, illi nullam Legis & Præceptorum habuerunt notitiam, ut qui alieni erant & extranei: quod vero Iſraelitæ Philiſtæorum exemplum hac in re ſunt ſequuti, & Legem Domini deſeruerunt, Arcam non uti præceptum erat adducendo, peccatum fuit graviſſimum. 2. quia ne quidem Levitis permiſsum fuit Arcam Dei attingere, neque etiam ipſimet corpore ſuo eam geſtarunt & contigerunt, ſed portarunt eam Vectibus; Unde prævaricatio fuit, ſi Levitæ Arcam ipſam contigiſsent, nedum reliqui Iſraelitæ. 3. prævaricatio fuit Uzæ propria, qui non fuit Levita, neque facultatem habuit tangendi Arcam Dei, ſicut dicitur;* Quicunque acceſserit, qui, inquam, acceſſerit ad Tabernaculum Domini, morietur, Num. 17. v. ult. *4. ex ſententia Rabbinorum noſtrorum peccavit* ὀλιγοπιστίᾳ *exiſtimans Arcam prolapſuram in terram, & ſic apud ſeipſum diminuit ſanctitatem Arcæ, quaſi per ſe non poſſet ſubſiſtere ſine bajulo, unde Deus B. ei dixit; Bajulos ſuos bajulavit Arca, ſeipſam quanto magis? Quia itaque Deo non confidit, neque credidit Providentiam ejus Arcæ adeſſe, ideo morte mulctatus fuit. Hoc docet, quod legimus in 1. libro Chronicor. cap. 15. v. 2.*

Tunc

Tunc dixit David, non eſt fas ut quiquam portent arcam, niſi Levitæ: illos enim elegit Dominus, ut portent Arcam Dei &c. *Item*; Et vocavit David Tzadokum, & Abijatharem Sacerdotes, & Levitas, Urielem &c. Dixitque eis; Vos eſtis capita patrum Levitarum, ſanctificate vos & fratres veſtros, & inferte Arcam Domini Dei Iſraelis in locum quem præparavi illi: Quia a principio non adfuiſtis, rupturam fecit Dominus Deus in nobis, quia non requiſivimus eum ſecundum ritum; h. e. *Quia vos Levitæ a principio non adfuiſtis, vectibus ex præſcripto Legis eam portantes, ideo rupturam fecit Deus in nobis; quia non requiſivimus & conſuluimus, neque more & modo conſueto eam adduximus.*

Sic itaque duo notantur præcipua peccata pœnam hanc accerſentia Uzæ; quod contra præceptum Dei Arcam 1. currui impoſuerit & deportarit, 2. eandem audactius contigerit.

CAPUT XIX.

De Effectis Arcæ miraculoſis, quæ exteris gentibus evenerunt; nominatim Philiſtæis; & quidem cum in Deo ipſorum Dagone, tum in Populo ipſo.

Atque hæc hactenus conſideranda nobis venerunt circa Pœnas & judicia Dei, quæ propter Arcam Iſraelitis evenerunt.

Sed & ea ſunt notabilia miracula, quæ *Exteris Gentibus* ex præſentia Arcæ acciderunt, *Philiſtæis* nominatim, quæ hiſtoria extat 1. Samuel. cap. 6.

Primo memoratur illic, quod poſteaquam Arcam ceperunt ab Iſraelitis, *eam tulerint Aſdodam, & introduxerint in domum Dagonis Dei ſui, eamque ſtatuerint juxta Dagon: craſtino vero die quum ſurrexiſſent, repertum fuiſſe Dagonem dejectum in faciem ſuam coram Arca Domini: Itaque ipſum ſuſtuliſse, & in locum ſuum reſtituiſse: Quum vero poſtero die mane redirent, denuo proſtratum fuiſse Dagonem in faciem ſuam coram arca Domini, caput & ambas palmas manuum ejus in limine abſciſſas jacuiſſe, nec quicquam de eo niſi corpus, ſeu truncum, remanſiſse, & hac de cauſa Sacerdotes Dagonis, neque quoſvis alios, ingredientes domum Dagonis, ſuper limen Dagonis in Aſdod calcaſse.*

Quærunt hic Hebræi;

1. *Quo fine Philiſtæi Arcam in fanum Dei ſui, juxta Dagonem, repoſuerint?*

Alii volunt Honoris, alii, Ludibrii cauſa hoc ab illis eſse factum. Extat ea de re locus in Medraſch Samuelis, mihi fol. 55. col. 3. רבי יחנן ור' שמעון בן לקיש נחלקו׳ ר' יוחנן אמר כבדוהו אמרו זה אלוה וזה אלוה יבוא אלוה וישרה אצל אלוה׳ ר' שמעון בן לקיש אמר כך יהיה שכרן אלא אמרו זה נוצח וזה נצוח יביא נצוח ויתעבר לנוצח *R. Jochanan & R. Simeon de hac re diſputarunt. R. Jochanan dixit; Philiſtæi dixerunt, Hic eſt Deus* (nempe Dagon) *& hic eſt Deus* (nempe Arca:) *veniat igitur Deus unus, & habitet juxta Deum alterum. R. Simeon ben Lakiſch autem dixit, ſi res ita haberet, tum mercedem, & præmium* [non pœnam] *meriti fuiſſent: ſed dixerunt, Hic* [Dagon] *eſt victor, & hic* [Arca] *eſt Victus: veniat igitur Victus, & ſervus ſit Victoris.*

Atque hæc poſterior ſententia videtur eſse magis vero ſimilis, quod voluerint Arcam Dagoni ſuo, tanquam Deo ſuo tutelari, & victoriæ datori, ſpolia opima offerre, atque ita de parta victoria non ſolum contra Iſraelitas, ſed & de ipſorum Deo, triumphum agere. R. Samuel Laniado in כלי יקר exiſtimat, ideo in textu non dici וישימוהו *Et poſuerunt eam*, ſed ויצגו (Et ſtatuerunt;) quod hoc verbum Servitutem importet, ſicut illic, אצגה נא מן העם אשר אתי *Statuam*, vel, *ſtare faciam de populo qui mecum eſt*, Geneſ. 33. 15. ſc. ad miniſtrandum, & ſervitia ipſius Jacobi: Pariter hic dici, ויצגו *Et ſtatuerunt*; ut ſc. Arca ibi ſtaret ad ſerviendum Deo ſuo Dagoni.

2. *Quomodo Deus hanc injuriam & contumeliam vindicarit?*

Lento gradu ad vindictam ſui Divina procedit ira, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſat, ſcribit Valer. Max.

Primo

Primo reperiunt mane Dagonem נופל לפניו prostratum in terram coram Arca Domini; illæsum tamen & integrum. Quod hic dicitur נופל לפניו ambiguum est: relativum enim pronomen in לפניו potest referri vel ad Dagonem, vel ad Arcam, & significare, *Prolapsum in vel super faciem* suam: vel, *Ad faciem* ejus, h. e. *ante Arcam*. Quamvis juxta literam probabilius sit, referendum esse ad Dagonem, quia de Arca postea sequitur; non desunt tamen ex Hebræis, qui posteriori sensu accipiunt. Versu secundo dicitur, illos statuisse Arcam אצל דגון quod est, *Juxta Dagonem*, *Ad latus ejus*. Dicunt itaque, illum, cum caderet in faciem, debuisse jacere *juxta Arcam*, non *ante Arcam*: indicari ergo שהיה בזה נס בתוך נס *quod hic fuerit Miraculum in Miraculo*. Quamvis enim Dagon staret juxta Arcam, ad latus ejus in eodem pariete, tamen eum ruentem, conversum sc. & e loco suo collaterali egressum, ita cecidisse, ut ante faciem Arcæ ex adverso ejus jaceret. Ad hoc innuendum subjici postea; *Ad faciem*, vel, *Ante Arcam Domini*. Meminit hujus ante productus Samuel Laniado. Idem notat in eo quoque occulti aliquid, quod non dicatur in Præterito, דגון נפל *Dagon cecidit*, sed נופל *Cadentem:* ideo enim ita loqui Scripturam, ut indicet, quod illa forma & ratio Cadendi non fortuita & per accidens fuerit, sed ex certa intentione, sicut cum quis, instar servi, sponte procidit coram Domino suo. Sic Lyra: *Pronus jacebat, quasi faciens ei reverentiam.*

Secundo commemoratur, *illos his non obstantibus reposuisse Dagonem in locum suum*, existimantes sc. illum accidentaliter & casu quodam cecidisse: *quum vero postero mane redirent; illos non tantum, uti antea, reperisse Dagonem dejectum in terram, ante faciem Arcæ, sed & caput ejus atque ambas manus abscissas veluti, ad vel in limine Templi, nec quicquam remansisse præter Dagonem*, h. e. est corpus & truncum ejus, ut Jonathan exponit.

Nempe ne, ut prius, sibi fingerent fortuito hæc evenire, miraculo factum, ut caput & manus ejus abscissæ fuerint &c. & ad limen domus inventæ.

Quod dicitur; רק דגון נשאר עליו *Tantum Dagon remansit in eo*; Hebræi ita intelligunt. Quidam ajunt, *Corpus Dagonis totum retulisse formam Piscis; Caput & Manus, formam humanam*. Sic R. D. Kimchi. Alii: כי דגון מטיבורו ולמטה היה צורת דג ולפיכך נקרא דגון ומטיבורו ולמעלה צורת אדם כמו שנאמר וגו׳ *Dagonem inde ab umbilico & infra habuisse formam Piscis, atque hac de causa nominatum fuisse* דגון (nam דג *Dag* est Piscis:) *ab umbilico sursum, formam habuisse hominis, sicut dicitur*; Et duæ volæ manuum ejus abscissæ. *Hinc itaque dici*, Tantum *Dagon remansit in eo; ea sc. pars ipsius, quæ formam* Dag sive Piscis *referebat*; ignominiæ sc. causa. Alii עליו reddunt; *Juxta eam*, sc. arcam.

Quod porro dicitur v. 5. *Ideo nec Sacerdotes Dagon, nec alii omnes, qui ingrediuntur domum Dagon, calcant super limen Dagon in Asdod, usque ad diem hanc*; hunc morem illos ideo observasse, quod existimarint, locum illum esse sanctum, quod in eo repererint Caput & Manus Dagonis, ut Abarbenel scribit. Superstitiose sc. & idololatrice hunc morem introduxerunt in honorem Dagonis Dei sui. Hinc in Jalkut Sam. fol. 66. col. 2. scribitur; מכאן ראיה שמניחין דגון ועובדין את המפתן *Hinc probatur, quod derelicto Dagone coluerint Limen*. Ibidem additur; *Rabbi Jeremias, nomine R. Samuelis filii Raf Isaaci docuit*; ישראל המרו את אלהיה יותר מאומות העולם דכתיב על כן לא ידרכו כהני דגון׃ אבל בישראל כתיב ופקדתי על הדולג על המפתן *Israelitæ exacerbarunt Deum suum magis quam Gentiles. Nam de Gentibus mundi scribitur*; Ideo non calcant Sacerdotes Dagonis &c. *At de Israelitis scriptum est*; Et visitabo transilientem super limen, Soph. 1. 9. Sensus est, quod isti Sacerdotes, & cæteri, domum Dagonis ingredientes, nihil aliud egerint, nisi quod non calcarint super limen ejus, sed transiverint super illud per viam, quæ ibi erat, sine transilitione vel insilitione: Israelitæ autem protervius egerint, insiliendo in Templum sine reverentia & honore.

3. *Cur Deus hoc Miraculum per Arcam ediderit?*

Abarbenel ait; כי לא רצה האלוה ית שיהיה הבעל אצל ארון הקדש *Quia noluit Deus Benedictus, ut Baal esset juxta Arcam sanctam*. R. Levi ben Gerson: על צד המופת עשה הש״י לכבודו שהפיל דגון ארצה לפני ארון יי׳ להעיד כי אין עוד מלבדו *Miraculose prostravit Deus Dagonem in terram ante Arcam Domini, propter gloriam suam, ut testaretur, nullum præter se esse Deum.*

D. Chrysost. Orat. 5. adversus Judæos: *Ut hostes* (Philistæi) *intelligerent, victoriam ipsis cessisse non ob impotentiam Dei, sed ob iniquitatem eorum, a quibus colebatur, etiam Arca capta in aljena terra vim suam ostendit, dum, Idolo bis in solum dejecto, effecit, ut etiam comminueretur.*

Nos

Nos Christiani ulterius dicamus; Quia supra audivimus, Christi typum gessisse Arcam, adeoque Christum in ea & cum ea fuisse; ideo & hic typum elegantem, si attendamus, inveniemus.

Quemadmodum ad Arcæ præsentiam prostratus fuit in terram Dagon, idolum præcipuum Philistæorum, capite & manibus ejus abscissis: ita Christus in hunc mundum venit, ut destrueret Opera Diaboli, & variam Idololatriam, per Vocationem Gentium, ex illorum animis exstirparet: sic docens, *nullam esse communionem Christo cum Belial, Templo Dei cum simulacbris*, 2. ad Cor. 6.

Quemadmodum Dagon ipse suo casu & ruina testatus est, Deum Israelis esse verum Deum: ita etiam Diaboli ipsi asserebant, Christum esse Dei Filium.

Quemadmodum Arca capta & devicta, victores suos vicit, & de throno suo in terram dejecit: ita Joh. 18. legimus, cum Judas, instructus cohorte militum & ministris, venisset cum lucernis & armis ad quærendum & capiendum Christum, & ipse eis obviam procedens, & ex eis quærens, *Quem quæritis*, ipsique respondissent, *Jesum Nazarenum*, & Jesus respondisset, *Ego is sum*; illos retroactos, & quasi fulmine percussos humi cecidisse. Mortem obiit, *ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat Imperium*, Heb. 2.

Quemadmodum Arca a Philistæis quidam capta fuit, sed retineri non potuit, verum nolentibus volentibus restituta: ita Christus etiam a Judæis quidem capi, crucifigi, & occidi debuit: sed nec in cruce, nec in sepulchro, nec in morte retineri potuit &c.

Et hæc de miraculo, quod ad Arcæ præsentiam circa Deum Philistæorum factum est.

Secundo, post exemplum potentiæ & virtutis suæ editum in *Dagone*, Deo Philistæorum, vindictam suam exercuit quoque in *Populo*, & *primo* quidem in *Asdodæis*, de quibus dicitur; *Aggravata est autem manus Domini in Asdodæos, & desolavit eos & percussit eos* בעפלים *mariscis; Asdodum, & fines ejus*: *secundo*, cum Asdodæi hoc viderent, &, consilio prius habito cum Satrapis suis, Arcam a se ad Gath ablegasent, in *Gathæis*, sicut dicitur; *Fuit autem, postquam circumduxerunt eam, manus Jehovæ fuit contra civitatem contritione magna valde, & percussit viros civitatis a parvo usque ad magnum, & in locis occultis enatæ sunt eis mariscæ*: *tertio* in *Ekronitis*: Nam cum Gatthæi quoque metu hinc perculsi essent, nolentes eam diutius secum retinere, miserunt eam in *Ekron*, aliam Philistæorum satrapiam, *qui statim exclamarunt, dicentes, Circumduxerunt ad me arcam Dei Israel, ut interficiant me, & populum meum: & mittentes, congregaverunt omnes Philistæorum satrapas, ac dixerunt, Dimittite Arcam Dei Israelis, ut revertatur in locum suum, & non interficiat me & populum meum. Erat enim contritio mortis in tota ea urbe, gravis erat valde manus Dei ibi: & qui non fuerant mortui, percussi fuerunt mariscis, ascenditque clamor civitatis in cœlum.* Hæc extant cap. 5.

Circa hæc quæritur

1. *Quænam fuerit ista plaga, qua Satrapiæ istæ quatuor Philistæorum percussi leguntur?*

Dicitur de ea, ויך אותם בעפלים *Et percussit eos* בעפלים. Quid בעפלים sit, non adeo liquidum. Pro hac voce in margine legendum substituitur בטחרים sed & hoc incertum, quia istæ voces, alibi quam in ista historia, non leguntur.

Quidam *Plagam* indigitari putant indefinite, voce ויך *Et percussit*: *Locum*, בעפלים, quod explicant *Partes posteriores, clunes vel nates*, ut & בטחרים vocem marginalem. Sic LXX. Græci, & Symmachus, Paraphrastes Syrus, Arabs, D. Hieronymus. Jonathan Paraphrastes Chaldæus vocem טחרים retinuit &c.

Alii per hæc Nomina *Morbum* ipsum intelligunt ejus loci. Quam interpretationem videtur confirmare locus Psal. 78. 66. ויך צריו אחור חרפת עולם נתן למו quem ita nonnulli reddunt; *Et percussit inimicos suos* [nempe Philistæos qui Arcam abduxerunt] *in posterioribus, opprobrium sæculi dedit eos* [quod sc. in pudendas & probrosas corporis partes jussu Divino invasisset. Quo sensu & Paraphrastes Ch. reddidit.] Sic Deuteron. 28. 27.

Porro quis & qualis Morbus fuerit, quoque quærunt. Alii aliter nominant & describunt. Quidam ἕδραν προπίπτουσαν *Sedem prociduam*, vel παράλυσιν τῆς ἕδρας *Resolutionem sedis*, qui morbus, pueris & infantibus familiaris. Josephus τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος fuisse auguratur. Aquila τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκος opinatur; Cancri scilicet genus quoddam, non summam tantum cutem, sed subjectam etiam carnem depascens.

Recen-

Recentiores plerique Interpretes, vel *Hæmorrhoides*, vel *Mariſcas*, reddunt. Et ſic quoque Hebræi plerique, addentes inſuper, morbum hunc non fuiſſe exterius, ſed in partibus loci illius interioribus abſconditum, atque inde magis dolorificum, & minus curabilem, quod arguunt ex eo, quod dicitur; ויסתרו להם עפלים *& occultatæ fuerunt illis iſtæ* עפלים v. 9. De his videantur præter Commentatores quoque Lexicographi, & Nicolaus Fullerus in Miſcellan. Theol. lib. 5. cap. 3.

Porro autem præter iſta, quæ in Textu Hebræo hoc loco habentur, & ex eo ſunt adducta, adjicit Vulgata Verſio Latina ad verſum ſextum ſeqq. quæ in Hebræo non habentur; *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magna in civitate*. Sic LXX. καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες. καὶ ἐγένετο σύγχυσις θανάτου μεγάλη ἐν τῇ πόλει. Quæritur itaque.[1]

II. Quid de hoc aſſumendo ſit ſententiendum, unde id natum, & huc translatum?

Nicolaus de Lyra ſcribit: *Totus iſte verſus non eſt in Hebræo, nec in libris antiquis, ſed per modum Gloſſæ primo fuit additum hoc extra textum, eo quod infra cap. 6. exprimitur iſta plaga Murium facta in quinque civitatibus principalibus, quarum Aſdod erat una: & poſtea aliqui imperiti hunc verſum inſeruerunt textui, ſicut & in pluribus aliis Scripturæ locis reperitur*. Veriſſime. Capite 6. Sacerdotes & Divini Philiſtæorum conſulti, quid de Arca eſſet faciendum, quæve debeat eſſe hoſtia pro peccato, quam ei reddituri ſint? reſponderunt; *Secundum numerum Principum Philiſtæorum, quinque Ani aurei, & quinque mures aurei, quia plaga una eſt omnibus vobis, & principibus veſtris: Facietiſque imagines anorum veſtrorum, & imagines murium veſtrorum, qui devaſtarunt terram, & dabitis Deo Iſrael gloriam*. Murium cap. 5. nulla fit mentio: quia vero hic Philiſtæi eorum meminerunt, tale quid factum fuiſſe non eſt dubitandum. Diverſæ autem ſunt de illis Interpretum ſententiæ. R. Sal. exponit de Morbo ipſo ſupra memorato: עכברים נכנסים ושומטים בני מעיהם ויוצאין *Mures ingrediebantur, & extrahebant inteſtina illorum, ut egrederentur*. Abarbenel, המורסות ההם הנולדות בפי הטבעת באותו חולי דמות עכברים וקצת הרופאים קראום כן להדמותם אליהם *Puſtulæ ſive Ulcera illa, enata in orificio podicis ipſorum ex illo morbo, habebant ſimilitudinem murium. Et quidam Medici ſic vocant eas, quod muribus ſint ſimiles. Dicit de illis*, Qui devaſtarunt terram; *quia iſte morbus vaſtavit & afflixit ipſos*. Quod R. Salomon ſcripſit, deſumptum eſt ex Medraſch שוחר טוב, quod his verbis adducitur in Jalkut fol. 15. col. 2. ad; *Et gravis fuit manus Domini ſuper Aſdodeos:* לפי שאמרו הרשעים אלה הם האלהים המכים את מצרים י׳ מכות היו לו ושלמו׳ אמר ליה הקב״ה אין לי מכה עתה אני מביא עליכם מכה שלא נהירה מעולם אלו עכברים שהיו שומטים במעיכם חזרו לעשות להם ספלים היה העכבר אומר לספל אנו שלוחים של מי שאמר והיה העולם ואתם בריותיו תן כבוד למי שברא והיה הספל נבקע ועכבר עולה מן התהום ושומט את בני מעיו: *Quia dixerunt impii iſti; Hic eſt Deus qui percuſſit Ægyptum, decem habuit plagas, quæ finitæ ſunt omnes, ideo dixit eis Deus Benedictus, Nullane mihi amplius ſupereſt plaga? Imo adducam nunc ſuper vos plagam, quæ non fuit a ſæculo; nempe Mures, qui extrahent & corrodent viſcera veſtra. Fecerunt itaque ſibi ſimpula, ſeu pelves* (ad tegendas ſc. nates ſuas:) *tunc dixit Mus ad pelvim; Sumus Legati ejus, qui mundum ſolo verbo creavit, & vos eſtis ex creaturis ejus, da gloriam Deo, & rupta ſeu fracta pelvi mus aſcendit ex abyſſo, & extraxit viſcera ipſorum*, וזה אחד מהדברים שהשליט הקב״ה את הרך בקשה *& hoc eſt unum ex iis rebus, ubi Deus dominari fecit molle in durum*. Adducitur etiam a Kimchio, quamvis paulo aliis verbis. Item in Medraſch Samuelis fol. 55. col. 3. *Quomodo hoc factum eſt?* היה יושב בטחור ועכבר עולה מתהום ושומט בני מעיו ויורד לו לתהום *Si quis ſedebat ſuper ano, mus aſcendit ex abyſſo, & extraxit viſcera ejus, & iterum deſcendit in abyſſum*. R. Levi ben Gerſon intelligit hoc de peculiari plaga, qua Deus præter morbum hominibus inflictum, per Mures omnia vaſtantes terram quoque afflixerit: ſic enim ille; וידמה שכבר שלח הש׳ עוד שם עכברים היו משחיתים את הארץ והתפשטה המכה הזאת בכל ערי פלשתים ולזה אמרו להם כומריהם וקוסמיהם שיעשו להם צלמי טחורי זהב ועכברי זהב כמספר הסרנים

[1] Hallucinatur Buxtorfius, dum Vulgatam verſionem ex ipſo hebraico codice debere ſemper corrigi putat. Nam hebraici codices qui innumeri ferme ſunt tum orientales cum occidentales inter ſe ita in multis, & multum diſſident ut vix unum alteri ſimile invenires exemplar. Ex quo igitur hebraico codice emendanda eſſet Vulgata verſio incertum omnino foret. Vulgatam verſionem non ſemper eſſe hebraicæ lectioni obnoxiam egregie probat Ludovicus Capellus li: 5: ſuæ crit: ſacræ ubi luculentiſſime oſtendit non ſemel ex ipſa verſione Vulgata reſtitutam, ac reſtituendam eſſe multis in locis hebraicam lectionem. Oportet doctiſſimum Ludovici Capelli opus adire ubi multa inveniet lector ſatis idonea ad judicandum de hebraicis exemplaribus variiſque verſionibus tam novi, quam veteris teſtamenti.

הסרנים וזהו האשם שישיבו ליי' כדי שתסור ידו מעליהם *Deus quoque immiserit illis Mures, terram vastantes, & plagam hanc diffusam fuisse per omnes civitates Philistæorum, unde Sacerdotes & Divini ipsorum dixerunt, ut facerent Imagines anorum seu mariscarum aureas & Mures aureos, juxta nunerum scil. Satraparum Philistæorum* &c.

Sic itaque, quod hic dicitur, & cap. 5. reticetur, aliquis supplere volens, ad marginem codicis sui adscripsit, quod postea ab imperitis librariis in textum insertum, sedem illic, errore non animadverso, occupavit, & retinuit.

CAPUT XX.

De Subjecto, seu Loco Arcæ.

SUBJECTUM Arcæ sequitur. De Contentis in Arca dictum supra in Materia. Hic de Loco breviter agendum, in quo reposita & asservata erat.

Mandatum a Deo Mosi erat, ut ea reponeretur in *Tabernaculum*, & quidem interiorem ejus partem, quæ קדש קדשים Sanctum sanctorum dicebatur, Exodi c. 40. v. 1. 2. 3. *Loquutus est autem* DOMINUS *ad Mosen, dicendo; Die mensis primi, prima, inquam, ejus, curabis erigendum Tabernaculum Ecclesiæ, Et pones ibi Arcam testimonii, quam velo teges.* Et cap. 26. v. 31. 32. 33. 34. *Facies & Velum ex hyacinthino, & purpura, & vermiculo cocci, & bysso retorta, opere Phrygionico facies illud cum Cherubinis: Et pones illud super quatuor columnas lignorum Schittim auro obductas, [uncini earum aurei] super quatuor bases argenteas: Ponesque velum sub uncinis, & introduces illuc, intra Velum, Arcam Testimonii, dividetque velum illud vobis inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, Ponesque insuper Propitiatorium super Arcam Testimonii in Sancto Sanctorum.*

Exequutio Mandati Divini habetur iterum Exod. 40. v. 18. 19. 20. 21. *Erexit igitur Moses Tabernaculum* &c. *Tulitque, & posuit Testimonium in Arca* &c. *Introduxitque Arcam in Tabernaculum, posuitque Velum Tentorii, & texit Arcam Testimonii* &c.

Erat hic locus Dignitate & Sanctitate primus, situ autem postremus, in quem ex Sancto, per *Velum*, separationem faciens, patebat ingressus, partem Tabernaculi occupans, quæ *ad occidentem* vergebat; Longitudo & latitudo ejus, secundum Hebræos, fuit viginti, altitudo, triginta cubitorum.

In hoc loco asservabatur Arca, cum aliis quibusdam, Urnula Mannæ, Lenticula olei Unctionis, Virga Aharonis, Libro Legis, de quibus supra; neque inde, nisi mandato Divino singulari, educebatur, uti factum in transitu Jordanis, & occupationis urbis Jericho. Posteaquam in terram Canaan venissent, in Galgale, primo castrametationis loco eam deposuerunt, ubi, si vera est Hebræorum supputatio quæ in Seder Olam rabba legitur, per quatuordecim annos substitit: Tot enim partim in subjuganda, partim dividenda terra illic occupati fuerunt. De hoc vide Andream Masium, Comment. in Jos. cap. 18. ab initio. E Galgale translata est Siluntem, ubi, iterum secundum Hebræorum Chronologiam, substitit annis trecentis sexaginta novem. Postea a morte Eli, Nobi aliquandiu commoratum fuisse Tabernaculum asserunt, ad mortem usque Samuelis, per tredecim annos; dehinc, mortuo Samuele, in Gibeon quinquaginta annis; & interea, dum Tabernaculum esset Nobi & Gibeone; Arcam tamen fuisse in Kirjath-jearim, donec eam David inde transferret; & primum quidem in Domum Obed-Edom, deinde in Civitatem suam, Hierosolymam: quemadmodum vicissim, cum Arca esset in civitate Davidis, Tabernaculum tamen manebat Gibeone; donec, ut illi numerant, post annos 43. in Templum Salomonis omnia deferrentur, uti videre est 1. Chron. 16. 39. & 2. Chron. 1. 3. & seqq. ubi Salomon, post mortem Patris, in excelso Gibeonis etiamnum sacrificasse legitur. Sic tandem ad ipsum Templum Salomonis devenit, & per Sacerdotes illata est in locum suum, אל דביר הבית אל-קדש הקדשים אל-תחת כנפי הכרובים *in Adytum seu Oraculum Templi, nempe in Sanctum Sanctorum, sub Alas Cherubinorum;* quos sc. ultra eos, quos Moses fecit in propitiatorio, fecerat Salomon, qui alis suis contingebant Parietes Sancti sanctorum, atque etiam se invicem; ita ut sub alis eorum locus Arcæ esset, & tum eam, tum vectes ejus superne circumdarent, illique Cherubini, quos Moses fecerat in duabus propitiatorii extremitatibus, essent sub alis magnorum Cherubinorum, quos fecit Salomon, scribit Isaac Abarbenel. Calculos adductos Chronologicos subducere & examinare jam non est instituti nostri.

Adducta semel in Sanctum Sanctorum Templi Salomonici Arca, non legitur post inde egressa vel educta. Num antea licuerit eam, sine mandato speciali, loco movere, & huc illuc transferre? diversum sentiunt authores, aliis in affirmativam, aliis in negativam sententiam concedentibus, quorum posteriorum rationes non prorsus videntur contemnendæ. Vide quæ huc faciunt, supra in Causa Efficiente, ad Quæst. quartam, Utrum una fuerit Arca, vel duæ? & in Effectis fol. 154. ad Quæst. Quare David eam, in persecutione Absolomica, secum habere noluerit, sed Hierosolymam reducere jusserit?

Si quis quærat, *Quid de Tabernaculo, in quo hucusque, asservata erat, postmodum factum sit, ut de aliis Vasis Sacris, quorum nullus amplius usus erat, vel in quorum locum alia a Salomone substituta fuerunt?*

Respondetur, ea abscondita fuisse באוצרות in Gazophylaciis Templi, seu עליות Cœnaculis & conclavibus quibusdam, quæ erant supra Sanctum Sanctorum, & Templum, de quibus legitur 1. Chronic. 28. v. 11. 12. *Dedit autem David Salomoni filio suo similitudinem porticus & domuncularum ejus, & cellariorum ejus, & cœnaculorum ejus, & cubiculorum ejus interiorum, & domus propitiatorii: Denique similitudinem quæ fuerunt in Spiritu cum eo*, [quæ dictante & inspirante Sp. sancto cognoverat,] *pro atriis domus Domini, & pro omnibus cubiculis per circuitum*, לאוצרות בית האלהים לאוצרות הקדשים *pro Thesauris domus Dei, & pro Thesauris rerum sanctarum*. Quibus verbis designari loca, ubi utensilia illa Mosaica collocari commode potuerint, vulgo existimant. *Ab hominum oculis*, scribit Cl. Constantinus l'Empereur in Codice Middoth p. 87. *removerunt plurima, quæ ad Ceremonialem cultum pertinerent. Quo istud forte innuere voluerunt veteres fideles, fore tandem, ut omnes suæ ceremoniæ honeste seponantur, & abrogatæ ab hominum oculis removeantur.*

Sufficiant hæc de Subjecto Arcæ Loco.

CAPUT XXI.

De Adjuncto Temporis. Utrum Arca fuerit in Templo secundo?

ADJUNCTA Arcæ quod attinet, *Temporis* circumstantia inprimis consideranda venit, circa quam nobilis & famosa occurrit quæstio, *Utrum Arca Fœderis etiam in Templo secundo fuerit? Si non fuit, quonam illa devenerit? Et an aliquando sit restituenda?*

Triplex est quæstio. Videamus ordine singulas, & in hoc quidem Capite primam;

1. *Utrum etiam fuerit in Templo secundo?*

Causa quærendi, quia nulla in historia sacra, & libris Canonicis; neque in reædificatione Templi, neque alibi ejus fit mentio.

Vetus est Hebræorum Traditio, Arcam, ut & quædam alia, in Templo secundo non fuisse. Legitur ea in Talmud Babyl. Mass. Joma cap. 1. in fine & in Talmud Hierosol. Taanijoth cap. 2. in princ. his verbis: מאי דכתיב וארצה בו ואכבד וקרינן ואכבדה מאי שנא דמחוסר ה״א אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני ואלו הן ארון וכפרת וכרובים אש ושכינה ורוח הקדש אורים ותומים h. e. *Quid est, quod scriptum est*, Et complacebo in ea (*Domo secunda*,) & glorificabor, *quod scribitur in Textu* ואכבד *sine He in fine, & ad marginem legendum notatur* ואכבדה *cum He? Quid docet, quod He deficiat in Textu in hac voce? Docet de quinque rebus, in quibus differentia fuit inter Templum primum, & Templum secundum* [quæ scilicet in posteriori non fuerunt.] *Hæ autem sunt*, 1. *Arca cum Propitiatorio*, 2. *Ignis sacer* [consumens Sacrificia] 3. *Habitatio seu Præsentia Divina*, 4. *Spiritus Sanctus*, 5. *Urim & Thummim.* Trita & nota passim, tum inter Hebræos, tum inter nostros, hæc est Traditio, cujus & Commentatores Biblici ad locum illum, & alii passim mentionem faciunt, ut illorum hac de re verba allegare sit supervacaneum. Neque reperire facile est, qui aliter sentiat.

Unus R. Asarias, quod sciam, aliam tuetur sententiam, in Meor enajim, par. 3. cap. 51. Agit ibi prolixe de loco Hag. cap. 1. & anxie conquirit varia, in quibus Domus secundæ gloria primam superarit. Tandem ad hanc Traditionem Talmudicam veniens, in hunc sensum scribit; *Quin etiam de quinque illis rebus, quas tradunt defuisse in Domo secunda, possumus dicere, quod, etiam juxta verba eorundem*

Rabbi-

Rabbinorum nostrorum, קצתם נמצאו בו בקצת זמנו quædam extiterint in ea per aliquod ejus tempus. Nam in eodem codice Joma cap. 1. in Gemara Babyl. dicunt, quod Ignis cœlestis in Templo primo cubans super altari fuerit instar Leonis, in Templo secundo, instar Canis. Si objiciatur illud Derasch, quod educitur ex scriptione defecta vocis ואכבר, respondeo, מיהוה הוה סיועי לא מסייעא quod Argumentum sit infirmum, nec quicquam præsidii sit in eo. Nam gradus ejus non fuit in Templo secundo, qualis fuit in templo primo, interea extiterit etiam in eo aliquanto tempore, ut sup. ostendimus sub finem cap. 50. Et, si Scriptori librorum Machabaicorum fidem habemus, refert ille lib. 2. cap. 1. quod idem confirmat Josephus Hebræorum lib. 1. cap. 3. Esram & Nehemiam orasse pro Igne e cœlo, & senem quendam ostendisse ipsis speluncam, in qua Jeremias, tempore vastationis Templi, eum absconderit, & fuisse instar aquæ aut olei crassi, atque inde eos illum accepisse. Et ibidem cap. 2. memoratur, illos ideo Arcam non potuisse reperire, quod Jeremias, qui illam quoque absconderat, jurarit, illam non revelatum iri usque dum Dominus collegerit captivos. Quin & videbis dissensiones Rabbinorum nostrorum in Joma Babyl. cap. 5. ut & in Talmud Hierosolymitano. Abarbenel etiam Comment. in Haggæum historiam hanc de Igne Sacro adduxit, sicut eam accepit a Josepho. Sic, si verum sit quod Josephus Romanis scripsit lib. 3. cap. 9. non destituti fuerunt sub domo secunda Responsis Urim & Thummim, per ducentos circiter annos ante tempus seu destructionem ejus, quando peccata populi nostri hanc maceriam ruperunt. Tunc enim effloruit hæresis Sadducæorum, ut Rabbini nostri testantur in Joma cap. 4. ubi agunt de Miraculis, quæ cessarunt sub Templo secundo, ex quo mortuus est Simeon Justus. Unde dicere possumus, quod etiam Rabbini nostri, de defectu harum quinque rerum loquentes, לא כונו אלא לצדדין וסרונין non intellexerint illud nisi κατά τι certo modo & respectu. Et, nisi esset dictum Rabbinorum nostrorum in Talmud Hierosolymitano Kidduschin, quod citavi sub finem capitis præcedentis, super id, quod in Esra scriptum est, עד עמוד הכהן לאורים; Num ergo fuerunt Urim in Domo secunda? dicerem, quod ab initio, cum exstrueretur, quando illustre adhuc fuit Spiritus sancti donum in populo nostro, uti ejus rei testes vivi sunt Haggæus, Zacharias, Malachias &c. absque dubio fecerint Urim & Thummim secundum omnia illorum requisita, quod item responsum dederint, si per illa interrogabantur, sicuti temporibus prioribus: hoc enim sibi vult quod dicitur, עד עמוד הכהן לאורים Quod itaque Rabbini nostri de illorum defectu dixerunt, non intellexerunt nisi de certo Templi secundi tempore; יען אפשר כי ברוב מלחמות היונים כל כלי הקדש ובגדי הקדש הלכו שבי לפני צר quia fieri potest, ut propter multa Græcorum bella omnia vasa & vestimenta sacra ab hostibus in captivitatem abducta fuerint &c. Item; Neque silentio prætereundum, quod omnes Promissiones Prophetarum quorumcunque intelligendæ sint cum conditione, sicut Zacharias ait; Remoti quoque venient, & ædificabunt in Templo Domini; & erit ita, si audiendo audieritis vocem Domini Dei vestri, Zach. 6. 15. &c. Et hujus rei causa dici etiam potest, quod Prophetæ Haggæi, dicentis; Major erit gloria domus hujus posterioris, quam gloria prioris; mens fuerit docere de continuatione & conservatione ejus, ita ut revera vocet eam Posteriorem, seu Ultimam, & indicet, illos a Deo accepturos eadem quæ fuerunt in Domo priore, & plura; cum conditione tamen posita, ut & Israelitæ a sua parte faciant quod sui est officii, & ut debito modo se ad bonum hoc recipiendum præparent, &c.

Sic quidem ille, quamvis titubanter, sentit, sed infirmis rationibus suffultus, partim authoritate librorum Machabæorum, partim dissensionibus quibusdam Doctorum Talmudicorum: Illis quantum sit tribuendum, quantum etiam Judæi illis alias tribuant, est notum, nec probatione indiget. Exequuti sunt hoc argumentum alii. Quantum ad dissensiones Talmudicorum attinet, neutri dissentientium dicunt, quod ille dicit. Aliqui ajunt, illam a Babyloniis fuisse ablatam, & Babelem asportatam. Major tamen pars, tum veterum, tum recentiorum, huc inclinant, ut indefinite dicant, Templum secundum ea fuisse destitutum, non quod non esset in rerum natura, sed quod fuerit occultata & abscondita, ac proinde illi eam præsentem non habuerint, & ad suum usum, uti in seqq. videbimus.

Porro superiorem Traditionem de defectu Arcæ sub Templo 2. confirmant Rabbini, dum scribunt passim, sub eo defecisse quoque שכינה Habitationem Dei extraordinariam in populo, dum nimirum tunc cessavit Prophetia; hujusque rei caussam fuisse defectum Arcæ. Quod aliqui adhuc Prophetæ extiterint sub Templo secundo id donum ipsis profluxisse a virtute שכינה Templi primi.

Hinc scribit Author libri Cosri par. 1. §. 87. Prophetiam durasse in populo, per 900. circiter annos, donec, rebellante populo, Arca absconderetur. Et par. 2. §. 23. ubi agit de præstantia & nobilitate terræ Israelis, ait, ואילו לא היתה מעלה אלא

התמודת השכינה בה באורך תת"ק שנה היה מן הדין שתכספנה הנפשות היקרות לה *Et, si non haberet aliam prærogativam, quam quod* שכינה *in ea continue fuerit per 900. annos, æquum esset, ut eam desiderarent animæ generosæ.* Et §. 24. *Iniquitas autem hæc inde est, quod caremus perfectione ea, quam Deus nobis promisit sub Templo secundo, quando dixit;* Canta, & lætare filia Tzijon, Zach. 2. 14. *Divinitas utique præsto & parata fuisset, sicut ab initio, si omnes voluissent reverti in eam animo alacri & prompto: sed quidam tantum ex captivitate Babylonica reversi sunt, major autem pars, ex præcipuis eorum, remanserunt in Babylonia, malentes in captivitate manere sub servitute, ne avellerentur a suis habitationibus, & possessionibus. Et fortassis hac de re dixit Salomon;* Cantic. 5. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat; *per* τὸ Dormire *intelligens captivitatem*, & per *Cor vigilans*, Continuationem Prophetiæ inter ipsos; *Vox dilecti mei pulsantis*; *Vox* sc. Dei vocantis ad revertendum; *quia caput meum repletum est rore*; de שכינה Majestate Divina emigrante ex umbrosis locis Sanctuarii &c. Et par. 3. §. 65. הנבוא' התמידה עם אנשי בית שני ארבעים שנה מהזקנים הנעזרים בכח השכינה שהיתה בבית ראשון שהנבואה הנקנית נסתלקה בהסתלק השכינה *Prophetia duravit inter viros Templi secundi adhuc per 40. annos, in senioribus quibusdam* [veluti Haggeo, Zacharia, Esra, & aliis similibus] *quibus ea contigit virtute* τῆς שכינה, *quæ fuit in Templo primo: Prophetia enim habitualis tollitur, sublata* שכינה. R. Bechaj in sect. ויגש Genes. 45. *A die quo resedit* שכינה *in monte Sinaj in datione Legis, non recessit ab Israele, usque dum vastata esset domus Sanctuarii prima. A quo autem tempore vastata fuit Domus prima, non habitavit* שכינה (ordinarie sc. & jugiter ut in Templo primo.) Absentia hæc τῆς שכינה juxta ipsos arguit absentiam Arcæ, quia ea fuit ejus domicilium & habitaculum inseparabile.

Hinc scribit Josephus Albo in libro עקרים par. 3. cap. 21. וראוי שתדע שהמצא הנבואה על ידי נביא על בלתי ראוי או בלתי מוכן לא יספיק להשפיע מן המקבל ההוא על זולתו אלא בהמצא הארון והלוחות באומה וגם כן אחר שנעדר הארון לא היה אפשר שתמצא הנבואה אפי' על ידי נביא על בלתי מוכן ולזה לא הגיעה הנבואה לברוך בן נריה באמצעות ירמיה לפי שלא הוה מוכן אליה וכבר נגנז הארון והגיעה לחגי וכו': h. e. *Scire enim debes, quod si existat Prophetia, per manum alicujus Prophetæ, super eum qui non est aptus aut præparatus, ea non possit effundere donum illud ab eo super alium, nisi præsente in populo existente Arca, & Tabulis. Quin & posteaquam ablata fuit Arca, non potuit Prophetia per manus etiam Prophetæ derivari in imparatum. Unde non pertigit Prophetia ad Baruch filium Nerijæ, mediante Jeremia, eo quod ille non paratus esset ad eam: Abscondita autem jam Arca pertigit ad Haggæum, Zachariam, & Malachiam, quia hi viderunt Jeremiam, Ezechielem, & magis parati fuerunt ad eam quam Baruch. Verum ab his postmodum ea non propagata est in alios sequentes,* לפי שלא היו בזמן הארון *quia illi non fuerunt tempore Arcæ, neque Influentia illa, quam acceperunt, sufficiens fuit, ut transiret ab ipsis in alios,* אחר שלא היה שם ארון *quandoquidem tum non fuit Arca. Cujus rei probatio inde petitur, quod in Domo secunda plures Viri sancti & strenui, dignique adeo Prophetia, fuerint, quam in domo prima, & tamen Prophetiæ donum non habuerunt,* לפי שלא היה שם ארון *eo quod in ea non esset Arca.*

In Tanchumah fol. 57. col. 3. legitur: טיטוס הרשע נכנס לבית קדש הקדשים גרר את הפרוכת נכנס בשלום ויצא בשלום' ויצא בשלום ובני אהרן נכנסו לחקטיר ויצאו שרופים *Titus impius ingressus est Sanctum Sanctorum, dilaceravit Velum, ingressus est in pace, & egressus est in pace* (salvus:) *Filii Aharonis ingressi sunt ad adolendum, & egressi sunt combusti.* Nota, hic tantum Veli violati, nullam Arcæ, vel propitiatorii fieri mentionem.

Sic ergo ex his apparet, communem Hebræorum sententiam esse, sub Templo secundo defuisse Arcam.

CAPUT XXII.

II. *Quonam ea devenerit post primi Templi excidium, & quid de ea factum sit?*

De hoc discrepantes fuerunt jam olim sententiæ inter Talmudicos, aliis eam una cum aliis vasis sacris in Babyloniam abductam; aliis, in loco suo, sed occultatam & ignotam, mansisse, asserentibus.

In Talmud Babylonico Tract. Joma cap. 5. legitur in Mischna: משניטל הארון אבן

אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים וכו' *Ex quo ablata est Arca , Lapis quidam fuit inde a diebus Prophetarum priorum , qui* שתיה *vocabatur , tres digitos a terra elevatus ; super illo reponebat [Sacerdos summus Thuribulum .]* Ad prima hujus Mischnæ verba scribitur in Gemara , fol. 53. 2. משנגנז לא קתני אלא משניטל תנן כמאן דאמר ארון גלה לבבל׃ דתניא ר' אליעזר אומר ארון גלה לבבל שנאמר ולתשובת השנה שלח המלך נבוכדנאצר ויביאהו בבלה עם כלי חמדת בית יי' ר"ש בן יוחאי אומר ארון גלה לבבל שנאמר אשר לא יתר דבר אמר יי' אלו עשרת הדברות שבו׃ *Non dicitur (in Mischna)* Ex quo abscondita est , *sed* , Ex quo ablata est *; nempe juxta ejus sententiam, qui dixit, Arcam migrasse seu deportatam esse Babelem . Traditio enim est, quod R. Elieser docuerit ; Arca Babelem est asportata , probans id ex eo quod dicitur*; Et vertente anno misit Rex Nebucadnezar, & adduxit eum (Jehojachin) Babelem, cum omnibus vasis desiderabilibus domus Domini , 2. Chron. 36. v. 10. *Idem docuit R. Simeon ben Jochaj , illud probans ex eo quod legitur 2. Reg.* 20. *v.* 17. Ecce dies veniunt , & deferetur quicquid est in domo tua , & quæ condiderunt Patres tui ad hanc usque diem, in Babel, non remanebit quicquam , dixit Dominus : *his , inquit , ultimis verbis intelliguntur Tabulæ decem præceptorum , quæ in Arca fuerunt ; significans , ne illas quidem remansuras.* Eadem Sententia extat in Seder olam rabba , cap. 25. Sequitur in Talmud *:* ר' יהודה בן לקיש אומר ארון במקומו נגנז שנאמר ויאריכו הבדים ויראו ראשי הבדים מן הקדש על פני הדביר ולא יראו החוצה ויהיו שם עד היום הזה׃ *R. Jehudah ben Lakisch dixit ; Arca in loco suo mansit abscondita, sicut dicitur ;* Et prolongarunt vectes, & apparuerunt capita vectium ex Sancto coram Adyto, & non visa fuerunt foris , & fuerunt illic usque ad diem hanc, 1. Reg. 8. 8. & 2. Chron. 5. 8.

Sic ille tuetur alteram sententiam, quod Arca non fuerit Babelem abducta , sed in loco suo, verum occultata & abscondita, manserit.

Huic R. Jehudæ ben Lakisch instantiam movit R. Ula sequentem*:* ופליגא דעולא דאמר עולא שאל ר' מתיה בן חרש לר"ש בב יוחאי ברומי וכי מאחר שר' אליעזר מלמדנו פעם ראשונה ושנייה ארון גלה לבבל ראשונה הא דאמרן ויביאהו בבלה עם כלי חמדת בית יי' שנייה מהאי דכתיב ויצא מן בת ציון כל הדרה מאי כל הדרה חדרה׃ *Objectionem movit R. Ula, dicens; R. Matthias, filius Fabri, interrogavit R. Simeonem ben Jochaj , dicens ; Posteaquam R. Eliеser e duobus Scripturæ locis nos docuit , Arcam in Babyloniam esse deportatam , primo quidem ex adducto jam loco 2. Chronic. 36. 10. deinde ex Thren. 1. 6. ubi dicitur ;* Et egressus est a filia Tzijon omnis הדרה (decor ejus ;) *quod videlicet hic* הדרה *idem sit quod* חדרה *, nempe ,* כל מה שגנוז בחדרי חדריו *quicquid reconditum erat in intimis penetralibus ejus ; quomodo tu diversum ab eo doces ?* Respondit ei, שאני ארון במקומו הוא נגנז *Alia est ratio Arcæ, ea in loco suo mansit , sicut dicitur*; Et prolongarunt capita vectium &c. & fuerunt ibi עד היום הזה usque ad diem hanc ; וכל היכא דכתיב עד היום הזה לעולם הוא והכתיב ואת היבוסי ישב ירושלים לא הורישו בני בנימין וישב היבוסי בקרב בני בנימין עד היום הזה׃ *Ubicunque enim dicitur in Scriptura ;* Usque ad diem hanc *; idem significat quod* לעולם In sæculum, in perpetuum, *sicut ibi ;* Et Jebusæum habitatorem Jerusalem non expulerunt filii Benjamin, propterea habitavit Jebusæus cum filiis Benjamin usque ad diem hanc. Judic. 1. 21.

In Avoth R. Nathanis, circa finem *:* דברים העשויים ונגוזים אלו הן אהל מועד וכלים שבו וארון ושברי לוחות וצנצנת המן והמטה ומקלו של אהרן שקדיה ופרחיה ובגדי כהונה ובגדי כהן משוח אבל מכתשת של אבטינס שלחן ומנורה ופרכת עדין מונחין ברומי *Hæ sunt ea quæ fuerunt facta , & abscondita sunt ; Tabernaculum conventus & ejus Vasa , Arca , Fragmenta Tabularum , Urna Mannæ , Virga Aharonis ejusque flores & amygdala, Vestes Sacerdotii , & Vestes Sacerdotis uncti . Sed Mortarium Astinæ* (in quo contundebat aromata ad suffitum ,) *Mensa Candelabrum & Velum, adhuc reposita sunt Romæ.*

Ubi abscondita fuerit Arca? de eo sequentia leguntur apud Talmudicos. In Schekalim cap. 6. in Mischna: *In Sanctuario Templi Rabban Gamalielis, & R. Chananjæ Antistitis Sacerdotum incurvabant se quatuordecies,* והיכן היתה יתירה כנגד דיר העצים שכן מסורת בידם מאבותיהם ששם הארון נגנז *Quorsum autem dirigebatur incurvatio illorum? Versus conclave lignorum, quia Traditionem habebant a Patribus suis acceptam, ibi absconditam esse Arcam.* In Talm. Bab. sup. citato loco*:* אמר ר' נחמן תנא וחכמים אומרים ארון בלשכת דיר חעצים הוא נגנז׃ אמר רב נחמן בר יצחק אף אנן נמי תנינא מעשה בכהן אחד שהיה מתעסק וראה את הרצפה שהיה משונה מחברותיה ובא והודיע את חביריו ולא הספיק לגמור את הדבר עד שיצאה נשמתו וידעו בייחוד ששם ארון גנוז מאי הוה מתעסק בקרדומו היה׃ *Dixit Raf Nachman , Traditio est , Sapientes nostros docuisse , Arcam in conclavi atrii lignorum esse absconditam . Et Raf Nachman filius*

Isaac

Isaac dixit, se quoque audivisse vel legisse Historiam de quodam Sacerdote, qui dum illic in munere suo occupatus esset, viderit pavimentum in loco quodam esse nonnihil immutatum a reliqua pavimenti structura. Abiens itaque & significavit collegis suis. Non autem poterat absolvere verbum, cum ecce moreretur & anima ejus evolaret. Itaque certo hinc cognorant, Arcam illic esse absconditam. Quid faciebat Sacerdos ille? Occupatus erat in securi sua, [findendis lignis.] Eadem historia legitur iu Talm. Hierosol. Tract. Schekalim cap. 6. pauculis immutatis. Sacerdos iste ibi dicitur fuisse בעל מום *Illegitimus, vitio aliquo laborans,* ומפציע עצים *& findens ligna.* De Morte ejus additur, *R. Hoschajam tradidisse,* הקיש עליה בקורנס ויצאת ושרפתו *illum malleo percussisse super illum pavimenti locum, & ignem egressum combusisse ipsum.*

Alii statuunt, illam occultatam esse in ipso Sancto Sanctorum, & eo ipso loco quo reposita erat, in crypta quadam abstrusa, eum ipsum in finem statim ab ædificato Templo a Salomone constructa. Res ita habet:

Primo ajunt, in medio, & ipso centro Sancti Sanctorum, fuisse Lapidem quendam, cui superimposita fuerit Arca. R. D. Kimchi ad 1. Chron. 35. v. 3. אבן היתה בבית קדשי הקדשים במערבו ועליה היה הארון מונח *Lapis fuit illic in Sancto Sanctorum, in occidentali ejus parte, & super eum reposita fuit Arca.* Quod desumpsit ex Talmud, Joma cap. 5. Mischna 3. ubi additur ושתייה הותה נקראת גבוהה מן הארץ שלש אצבעות *Et ille lapis vocatus est* שתיה, *tres digitos a terra altus; extra eam eminens.* De hoc Lapide legitur in antiquissimo libro Zohar in Exod. col. 398. ת״ח כד ברה קב״ה עלמא אשדי חד אבנא יקירא מתחות כורסי יקריה ושקעא עד תהומא׳ ורישא דההוא אבנא נעיץ גו תהומי ורישא אחרא לעילא וההוא רישא אחרא עלאה איהו חד נקודה עלאה דקיימא באמצעיתא דעלמא ומתמן אתפשט עלמא לימינא ולשמא לא ואתקיים ההוא נקודה באמצעיתא׳ וההוא אבנא אתקרי שתיה דמינה אשתיל עלמא בכל סטרין׳ תו שתיה ש״ת יה׳ קב״ה שוי ליה למהוי יסודא דעלמא ושתילו דכלא וכו׳ h. e. *Tradiderunt Sapientes; Quando creavit Deus Benedictus mundum, projecit Lapidem quendam pretiosum de sub Solio Gloriæ suæ, ut immergeretur in Abyssum: Caput seu extremitas hujus lapidis una, infixa erat in medio abyssi, extremitas altera erat superne: porro ista extremitas altera superna, erat Punctum, quod situm erat in centro mundi, a quo mundus protendebatur ad dexteram & sinistram, positumque erat, ut dictum, illud punctum in medio. Lapis autem ipse vocatur* שתיה, *quia ex eo plantatus est mundus* (& se diffundebat) *ad omnia latera. Alii dicunt vocari* ש״ת י״ה *quasi* שתיה [Posuit Deus;] *quia Deus posuit eum, ut esset fundamentum mundi, & plantatio omnium.* Prolixe deinde explicatur quomodo ab hoc puncto medio omnia proveniant, & inter alia; תמן קאים בית קדשי הקדשים וארון וכפורת *Ibi stetit etiam Sanctum Sanctorum, Arca, & Propitiatorium* &c. Item, *Cum Arca venisset ad hoc punctum, incepit & dixit;* Hæc est requies mea in sæculum, hic habitabo, quia desideravi eam, Psal. 134. 14. Similia his leguntur in Talm. Joma f. 154. In Targum Jonathanis Exod. 28. 30. scribitur, *huic lapidi insculptum fuisse Nomen Dei Tetragrammaton.* Unde blasphema illa fabula nata de Christo, quod Sanctum Sanctorum ingressus, inde Nomen Tetragrammaton didicerit, pergameno inscripserit &c. Vide Lexicon nostrum Chald. Talmud. Rab. fol. 2541.

Secundo ajunt, sub hoc lapide cryptam illam fuisse. Rem ita describit R. D. Kimchi ad 2. Chron. 35. v. 3. Dicitur ibi in Textu; *Dixitque* (Josias) *Levitis, qui erudiebant universum Israelem, & qui consecrati erant Domino; Ponite Arcam Sanctitatis in domo, quam ædificavit Salomon filius Davidis, Rex Israelis;* ad hæc verba sic ille commentatur; *Fortassis extulit eam inde Menasse, cum Sculptile posuisset in domum Dei. Mirandum tamen est, quod eam non restituerit illuc, posteaquam humiliatus pœnitentiam egit, & idolum illud e domo Dei removit. Rabbini nostri tradiderunt, illum his verbis præcepisse, ut Arcam absconderent, ne una cum cæteris captivis abduceretur. Dicunt enim, fuisse Lapidem in Sancto Sanctorum, ad Occidentalem ejus partem, cui Arca fuerit imposita, & ante eam Urna Mannæ cum Virga Aharonis: Salomonem enim, quando ædificavit Templum, cum præscivisset, illud vastandum esse, exstruxisse locum quendam pro abscondenda Arca, infra* [sub illo lapide] *per loca abdita, profunda, & tortuosa, quem locum obtexerit Lapis ille: Josiam itaque hic præcipere, ut in illo loco abscondant Arcam, sicut dicitur;* Ponite Arcam Sanctitatis &c. *& sic illos abscondisse cum Arca simul Virgam Aharonis, Urnam mannæ, & Oleum unctionis sacrum.* Meminit hujus Traditionis, iisdem pene verbis, Abarbenel comment. in Danielem cap. 9. ad v. 24. Addit autem ille, quod illi factum hoc Salomonis probent ex 1. Reg. cap. 6. 19. ubi dicitur; ודביר בתוך הבית מפנימה הכין לתתן שם את ארון ברית ה׳ *Et Adytum in medio domus intrin-*

intrinſecus (per cuniculos occultos) *præparavit* [effodit] *ut eo reponeretur* [abſconderetur] *Arca Fœderis Domini* (tempore neceſſitatis.) Abſconſionem ejus ex 2. Chron. 35. v. 3. qui locus modo fuit productus. *Joſias enim*, inquit, *ex Hulda Prophetiſsa reſciſcens, tandem vaſtatum iri Templum, præcepit Levitis, ut abſconderent Arcam Fœderis in domo, quam ædificavit Salomo, ne diriperent eam inimici, ſicut cætera vaſa Sanctuarii. Et hæc vera eſt expoſitio. Nam ſi aliter eſſet, quid ſibi vellet, quod hic præcipit, ut reponatur Arca in Domum ſeu Templum, in quo jam per quadringentos annos fuerat? Scimus enim eam non fuiſse ablatam cum reliquis vaſis, quæ abduxit Rex Babel*. Hæc Abarbenel d. l. Et huc reſpicere videntur Talmudici, quando ajunt, ארון במקומו נגנז *Arca in loco ſuo fuit abſcondita*.

Quis abſconderit eam? Hebræi fere unanimiter factum hoc attribuunt Joſiæ Regi. In Talmud Hieroſ. Schekalim : ומי גנזו יאשיהו מלך יהודה מה ראה שגנזו מצא כתוב בו יולך יי׳ אותך ואת מלכך אשר תקים עליך אל גוי אשר לא ידעת וגו׳ עמד וגנזו שנא׳ ויאמר ללוים המבינים לכל ישראל הקדושים ליי׳ תנו את ארון הקדש בבית אשר בנה שלמה בן דוד מלך ישראל כי אין לכם משא בכתף עתה עבדו את יי׳ אלהיכם ואת עמו ישראל *Quis abſcondit eam? Joſias Rex Jehudah. Quid vidit, h. e. quid permovit ipſum, ut eam abſconderet? Quia invenit ſcriptum in ea* (in libro Legis) Abducet Dominus te, & Regem tuum, quem conſtitues ſuper te, ad gentem quam non noſti tu & Patres tui &c. Deuter. 28. 36. *Exſurrexit itaque & abſcondit eam, ſicut dicitur*; Et dixit Levitis, qui erudiebant univerſum Iſraelem, & qui conſecrati erant Domino, Ponite Arcam Sanctitatis in domo, quam ædificavit Selomoh, filius Davidis, Rex Iſraelis, quia non erit vobis onus in humero: ſervite igitur nunc Domino Dei veſtro, & populo ejus Iſraeli, 2. Chron. 35. 3. Idem extat in Talmud Hieroſol. Schekalim cap. 6. Atque ita plerique Rabbini hac de re ſcribentes.

Senſus eſt; *Cum Chilkias Sacerdos inveniſset librum Legis, Moſis manu ſcriptum, in domo Domini, & Saphan ſcriba illum legiſset coram Rege, refertur, Regem auditis verbis libri, veſtimenta ſcidiſse. Cauſsam ſciſsarum veſtium fuiſse, quod codex ſeu Volumen Legis, quod una convolutione a fine ad principium involutum erat, qui alias dupliciter ab utroque latere convolvi ſolet, ita ut eum a principio aperientibus primo ſe offerrent maledictiones quæ Deuteron.* 28. *cap. habentur, ac prima verba, quæ Rex legis, eſsent*; Aufert Dominus te, & Regem tuum, quem tibi impoſuiſti, ad gentem, quam non noviſti. *Quod cum pius Rex animadverteret, non fortuito aut caſu hoc eveniſse putavit, ſed pro ſiniſtro omine accipiens, præ triſtitia veſtimentum dilaceraſse; & mox, dimiſſis, qui ſuper hac re Prophetiſsam Huldam conſulerent, veram rei ſignificationem intelligens, nimirum, a Deo impendere civitati mala ea, quæ in libro Legis legiſset, juſſiſse mox Arcam fœderis abſcondi, ne inimicorum manibus profanaretur.*

R. Bechaj in Legem fol. 199. col. 4. *In ſectione* בשלח (fol. 84. col. 2.) *ſcripſi, Arcam hanc, quam Bezaleel fecit, Joſiam Regem abſcondiſſe in Sanctuario, cum Urna Mannæ, & reliquis rebus ſacris, in cavernis templi ſubterraneis. Cauſa autem, quæ permovit Regem, ut Arcam præ reliquis Vaſis ſanctuarii abſconderet; fuit duplex*; Primo, לעלוי לקדושתו *propter ſummam præcellentiam Sanctitatis ipſius; nullum enim, ex omnibus Vaſis Sacris, dignitate & Sanctitate ei eſt comparandum, & quemadmodum primo omnium ante reliqua fuit facta, ſic præ illis quoque fuit ſanctificata*, ceu דוגמא *Typus Solii Gloriæ* (Dei) ומעון לשכינה *& habitaculum Majeſtatis Divinæ*; והשכינה לבקה לעולם עם הארון *præſentia enim Divina perpetuo eſt conjuncta cum Arca. Unde in Templo ſecundo non fuit Arca, & deficiente Arca abſuit quoque* שכינה *Præſentia Divina. Quia ergo Joſias ſcivit, Templum per Nebucadnezarem vaſtatum iri, ut omnes Prophetæ, qui eo tempore vixerunt, hoc prædixerunt, & ſubinde creparunt; & extra omnem controverſiam apud ipſum erat, Vaſa omnia Babelem deportatum iri, ideo, ut honoris Arcæ rationem haberet, voluit eam abſcondere*. Secundo; *quia in Arca ipſa deprehendit ſignum profectionis ſeu migrationis; dum vectes Arcæ, qui longiores erant tempore Salomonis, in diebus ipſius abbreviati fuerunt, & ad eam menſuram redierunt, quam habuerunt tempore Moſis. Nam quando Iſraelitæ ingrediebantur in Sanctuarium, & velum cum duobus vectibus videbant, extra velum apparebant protuberantes inſtar duarum mammarum mulieris, apparentium ſub veſtimentis ejus. Horum vectium meminit Salomon Cant.* 4. 5. *inquiens*; Duo ubera tua ſunt ſicut duo hinnuli gemelli capreæ &c. *Quando autem abbreviati fuerunt tempore Joſiæ, & introrſum redacti ſunt, Iſraelitæ ingredientes, non viderunt eos egredientes & protuberantes e velo ut antea ſolebant; quia nempe redierunt ad eam menſuram, quam habuerunt tempore Moſis. Ex hoc itaque ſigno cognovit Joſias, Arcam ad iter paratam eſſe, & abituri-*

rien-

rientem. Præterea observavit, cum Chilkias Sacerdos ingrederetur ad cultum peragendum in Templo, illum ibi reperisse librum Legis, a latere Arcæ fœderis Domini, ubi repositus erat, excessisse in medium templum: hinc didicit, hoc esse signum Captivitatis, & vastationis domus Sanctuarii &c. Itaque signa ista animadvertens, visum est ipsi eam abscondere.

Author eruditus libri Cosri eandem tenuit sententiam, quod sub Templo secundo Arcæ usu destituti fuerint. Hinc scribit par. 1. §. 87. ועשה להם משה במצות האלהים ארון והקום עליו המשכן הידוע ונשאר זה בין בני ישראל כל ימי הנבואה כתשע מאות שנה עד שמרו העם וננגז הארון ונבר עליהם נבוכדנצר והגלם h. e. *Deinde fecit eis Moses, ex mandato Dei, Arcam, & erexit super ea Tabernaculum, quod remansit ita inter filios Israelis per nongentos circiter annos; donec illi rebellarunt Deo, & Arca absconderetur, ipsi autem a Nebucadnezare in captivitatem adducerentur.* Vult autem, illos in ejus locum aliquid ibidem substituisse, cui Velum distinguens inter Sanctum Sanctorum prætenderint; ut nempe caute sic occurrat Objectioni; Quomodo in Templo secundo peragere potuerint quædam Sacra, intra velum ante propitiatorium facienda? Nam par. 3. §. 39. circa finem, agens de quibusdam Ceremonialibus, quæ circa cultum Divinum post Mosen instituta fuerint, & non ordinationis Ecclesiasticæ, sed Præcepti vim habuerint, tum a Salomone sub templo primo, tum ab Esra sub templo secundo, tertiam partem sicli populo imponendo ad opus Dei, Neh. 10. 32. tandem & hoc subjungit; ומה שהעמידו במקום הארון תכונה שתלו לפניה הפרוכת בעבור שידעו כי הארון גנוז לשם *Quod item constituerunt in loco Arcæ structuram quandam, coram qua suspenderunt Velum, ut scirent, ibi absconditam esse Arcam.* Quamnam ibi תכונה *Structuram* intelligat, an Lapidem illum שתייה, super quo reposita erat Arca, an aliquid aliud eam repræsentans, incertum. Tantum ex ejus verbis liquet, illum sensisse, ipsos aliquid eo in loco ordinasse, quod & Arcæ locum, & terminos, ubi circiter lateret, designaret, & eam repræsentaret; idque eum in finem, ut R. Jehudah Muscatus in Comment. addit; למען יתכוין הכהן אל מול פניו שאם לא כן היאך יתקיימו כתובים אלו וכסה ענן הקטרת את הכפרת אשר על העדות וגו׳ ולקח מדם הפר והזה באצבעו על פני הכפרת קדמה ולפני הכפרת יזה שבע פעמים וגו׳ *ut Sacerdos versus illud faciem suam dirigeret in peragendo cultu. Nam si hoc non fecissent, non impleri potuissent ista;* Ponetque incensum super ignem coram Domino, operietque nubes incensi propitiatorium quod est super Testimonium, Levit. 16. 13. *Item;* Et accipiet de sanguine juvenci, & asperget digito suo contra faciem propitiatorii ad Orientem: coram propitiatorio, inquam, asperget septem vicibus, &c. v. 14. Hinc addit author ipse; *Ut scirent Arcam ibi esse absconditam*, hoc est, ut idem Muscatus explicat; בכך יוכלו לצמצם הבטחם וכונתם אליו *ut Sacerdotes ad peragendum cultum ingredientes scirent, Arcam illic esse absconditam, & sic possent præcise & accurate dirigere aspectum & intentionem suam ad eam, dum facerent incensum, & sanguinem aspergerent, ut dictum. Verum,* inquit porro, חרוש הוא שחדשו מעצמם לפי הצורך כיד י״ הטובה עליהם *Structura illa, & quæ ei conjuncta fuerunt vel accesserunt, aliquid novi fuit, quod illi a seipsis innovarunt, temporis præsentis necessitate exigente, secundum manum Domini bonam super iis.*

Cum hoc consentit, quod R. Levi ben Gerson scribit, in Sect. אחרי מות a principio ad; *Cum hoc ingredietur Aharon in sanctuarium*, Levit. 16. 3. *Sciendum est, quod in Domo secunda non fuerit Arca, quia eam antea absconderat Josias; attamen fuit ibi Sanctum Sanctorum, & Figura Cherubinorum, ad docendum de existentia Formarum abstractarum, cujus causa Sanctum Sanctorum fuit. Etiamsi autem non erat ibi Arca, ut doceretur, Arcam & Propitiatorium non remorari vel impedire Cultum, ideo, posteaquam dixisset.* v. 2. Loquere ad Aharonem fratrem tuum, ut ne ingrediatur omni tempore sanctuarium, intra velum, coram propitiatorio, quod est supra Arcam, ne moriatur; *subjungit v.* 3. בזאת יבוא אהרן Cum hoc ingredietur Aharon *in sanctuarium; Et v.* 12. והביא מבית לפרכת Et inferet *intra velum*, & v. 15. Et inferet sanguinem ejus *intra velum;* nempe, *quamvis ibi neque sit Arca, neque Propitiatorium. Et hoc secuti sunt & observarunt viri Templi secundi, in quo multi Prophetæ fuerunt. Existimarim tamen, in Templo secundo fuisse Propitiatorium, quia Lex cavit circa Aspersionem sanguinis Juvenci, & Hirci Diei expiationum, ut fierent* על פני הכפרת ad faciem propitiatorii, ולפני הכפרת & coram propitiatorio. *Hactenus ille.* Sic scribit Adrichomius in Descriptione Hierosolymæ, Numer. 77. *Quam* (sc. Arcam) *quidam nunquam reversam, sed post reditum a captivitate aliam in ejus locum a Judæis factam esse, existimant.*

Desumpsisse hæc videtur R. Levi ex libro Siphra, in quo sect. אחרי מות cap. 1. §. 1. fol. 165. col. 2. legitur; בזאת יבוא אהרן אל הקודש מה ת״ל לפי שנ׳ אל הקדש

אל

אל פני חכפרת אשר על הארון שיכול אין לי אלא קודש שיש בו ארון וכפורת בו אין ארון וכפורת מנין ת"ל בזאת יבוא אהרן אל הקדש לעשות קודש שאין בו ארון וכפורת כקודש שיש בו ארון וכפורת h.e. Cum hoc ingredietur Aharon in Sanctuarium, Levit. 16. 3. *Quid volunt hæc verba dicere ? An , quia dicitur* , In Sanctuarium , ad faciem propitiatorii quod est super arcam ; *non intelligi sanctuarium , nisi in quo sit Arca & Propitiatorium ? Unde ergo habetur de Sanctuario , in quo non est Arca & Propitiatorium ? Ex eo quod dicitur ;* Cum hoc ingredietur Aharon in Sanctuarium , *scilicet ad faciendum in Sanctuario , in quo non est Arca & Propitiatorium , sicut in Sanctuario , in quo est Arca & Propitiatorium .* In Commentario R. Aharonis Aben Chajim hoc sic explicatur: *Quid sibi vult* אל הקדש In Sanctuarium? *Videtur enim esse superfluum : scribere quippe potuisset ;* Cum hoc ingredietur Aharon , cum Juvenco &c. *per se enim est , quod Ingressus hic dicatur de Sanctuario , de quo antea loquutus fuit* v. 2. *Quia dicitur* In Sanctuarium, *& additur* , Ad faciem propiatorii quod est super Arcam, *videtur docere , non loqui eum nisi de Sanctuario , in quo sit Arca & Propitiatorium , quale fuit in Tabernaculo , & in Templo primo . Et si dixisset ;* Cum hoc ingredietur Aharon , cum juvenco ; *& præterea nihil ; intellexissem ; Illum cum juvenco non debere venire , nisi in Sanctuarium in quo sit Arca & Propitiatorium ; ut quemadmodum præsente Arca & propitiatorio ingrediebatur cum sanguine juvenci in die Expiationum ; sic etiam ingrediatur , quando nulla illic est Arca vel Propitiatorium , veluti fuit in Templo secundo ;* שהמקום גורם לא הארון *Locus enim causatur ingressum , non Arca . Hoc disco ex eo quod dicitur* אל הקדש In Sanctuarium ; *absolute ; ad significandum , quod* קדש Sanctuarium , ולפני לפנים & Adytum *vocetur ac habeatur , etiamsi in eo neque Arca sit , neque Propitiatorium ; quod item sic quoque cum juvenco illud ingredi debeat .*

A Josia Arcam esse absconditam aliquot in locis asserit Abarbenel, veluti 1. Sam. 4. ad v. 2. & 3. *Et hæc* (Arca Bezaleelis) *est eadem, quam juxta traditionem Sapientum nostrorum occultavit Rex Josias in vastatione Domus Sanctuarii nostri .* Sic ad 1. Reg. 8. v. 9. Et prolixius Daniel. cap. 9. At in Commentariis in Proph. Hag. cap. 1. v. 8. כי חגה הארון גנזו יאשיהו או ירמיהו הנביא *Arcam abscondit Josias , aut Jeremias* (ut sc. scripsit Joseph , ben Gorijon , quem mox & ipse adducit , & nos quoque jam audiemus.)

Et hæc de ista Quæstione ex Hebræorum Doctorum mente & sententia . Audiamus de eadem nunc etiam alios.

Josephus ben Gorion lib. 1. cap. 17. *Arca autem non aderat , quia abstulerat eam Jeremias Propheta , una cum omnibus cortinis , quas fecerat Moses servus Domini in deserto , & posuit eas in monte Nebo , ubi invenit speluncam , in cujus concavitate posuit eas. Cumque sequerentur Sacerdotes , qui fuerunt in diebus illis , Prophetam , ut adverterent locum , respiciens Jeremias post se , & videns eos , iratus juravit , dicens ; Nemo hominum sciet locum , donec venero ego & Elias Propheta , famulus Domini ; tunc restituemus Arcam in locum suum , intra Sanctum Sanctorum , subter alas Cherubim .* Ad verba ; *Restituemus Arcam ;* scribit Seb. Munsterus ; *Certum est , Arcam Domini non fuisse translatam in Babylonem cum reliquis vasis sacris aureis & argenteis , alioquin restituta fuisset cum eisdem , quod tamen non legimus. Nam Ezræ primo , ubi scribuntur restituta vasa quinque millia & quadringenta , non fit mentio Arcæ Domini . Sed & Judæi constanter dicunt , in primo Templo fuisse ista quinque , Arcam cum Propitiatorio , Cherubim , Ignem cœlitus missum , Spiritum Sanctum , Urim & Thummim , quæ non fuerunt in Templo secundo , quia exspectabatur tunc Dominus Templi , & verus ille Propitiator , qui solus hominibus remittit peccata eorum .*

Lib. 2. Machab. cap. 2. v. 1. *Est autem proditum monumentis literarum , Jeremiam Prophetam jussisse &c.* & v. 3. *Illud etiam proditum extat , ut Tabernaculum & Arcam Propheta , edito sibi oraculo , sequi jusserit ; quumque pervenisset in montem , in quem Moses cum ascendit , possessionem Domini contemplatus est , progressusque Jeremias, conformatum in antrum domicilium reperisset , intulerit eo Tabernaculum , & Arcam , & Aram suffimenti , atque ostium obstruxerit : deinde , ut quidam , notandæ viæ causa , quum eodem una consequuti accessissent , locum deprehendere non potuerint : Utque ea re cognita , increpans eos Jeremias , dixerit , ignotum fore locum illum , donec Deus recollegerit multitudinem populi , ac placatus fuerit : Tum demum Dominum illa ostensurum , gloriamque ejus cum Nube apparituram , quemadmodum & tempore Mosis apparuit , & sicut Salomo petiit , ut locus magnifice consecraretur .*

4. Esdr. cap. 10. v. 23. *Et Arca Domini direpta est .* Ita sibi hi duo authores contradicunt.

Josephi Gorionidis , & Scriptoris librorum Machabæorum sententiam , secutus est ,

& plu-

& pluribus assumentis interpolavit Epiphanius, in lib. De Prophetarum Vita & interitu, in Vita Jeremiæ ex versione Jani Cornarii: *Hic est ille Propheta, qui ante mutationem Templi arculam apprehendit, quæque fuere in ea singula, & curavit ea absorberi in saxum. Et loquutus est Sacerdotibus plebis, & quicunque aderant majoribus, Profectus Dominus e Sina in cœlos, sed revertetur in Majestate & virtute Divina. Et hoc indicium adventus ejus erit, quando gentes universæ ligno supplicabunt. Addidit præterea, Arcam hanc nec quisquam reserabit unquam, neque Sacerdotum, neque Prophetarum, excepto Mose, electo Dei. Tabulas quas continet ipsa, nullus explicabit, præter Aharon. Cæterum in Resurrectione primum Arca resurget, & prodibit e Saxo, inquam Sina monte locabitur, & omnes sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat. Tunc saxum sigillavit digito, inscribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturæ ferri, & Nubes petram cooperuit, & eum locum nemo novit. Quin ne nomen quidem usque in hunc diem, & usque in consummationem seculi datur legere. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, ubi primitus fabricata est Arca, in medio montium, in quibus jacent Moses & Aharon sepulti: in noctibus porro nubecula nitet, modo ignis, eodem loci. Pro typo, qui erant ab initio, quoniam nunquam cessabit majestas Dei a lege ejus.*

Theophylactus in Epist. ad Hebr. cap. 9. *Veruntamen primum non ita fuit: cæterum quando erat occultanda Arca temporibus Jeremiæ; forsan (inquiunt) reposita sunt & hæc in Arcam.*

Inter Hebræorum, & Josephi Gorionidis, ut & authoris libror. Machabæorum, præter alias totius facti discrepantias, hoc interest, quod *illi* Absconsionem adscribant Regi Josiæ; *hi*, Prophetæ Jeremiæ. A Jeremia abscondi non potuisse, ostendit Clariss. Rivetus Exod. 25. & Johannes Mullerus in Judaismo Refutato pag. 475. & seqq. quo Lectorem remittimus. [1]

Conveniunt utrique in hoc, 1. quod Arca neque in Babyloniam transportata, neque deperdita & consumpta, sed occultata & abscondita fuerit in vastatione Templi primi, & quidem Josiæ & Jeremiæ temporibus: 2. quod Tempore Messiæ iterum sit revelanda & restituenda.

Sed hic jam iterum Sententiarum sunt divortia;

I. Sunt qui hæc omnia, quæ de Absconsione Arcæ traduntur, pro meris somniis habent, & commentis ac fabulis Judaicis, & volunt, Regem Babyloniæ, una cum reliquis vasis & utensilibus Sacris, Arcam quoque fœderis, diripuisse & abduxisse, & cum, post expletos LXX. captivitatis annos, Judæi Hierosolymam rediissent, Cyrum eis Arcam quoque restituisse. Probant id seqq. fundamentis;

1. *Quod Esræ cap. 1. v. 7. 8. legatur, Cyrum restituisse Judæis omnia vasa domus Domini, quæ transtulerat Nebucadnezar Hierosolyma. Cum ergo Arca quoque esset ex illis vasis, procul dubio & eam inter restituta fuisse.*

Ad hoc respondent alii; clarius probandum primo esse, Arcam quoque ablatam & abductam fuisse.

2. *Quia in Templo secundo omnia Festorum Sacrificia peregerunt: Ex his autem fuit, ut in Festo expiationum Sanguine juvenci aspergerent coram Propitiatorio, seu Operculo Arcæ. Itaque necesse esse, ut Propitiatorium, & per consequens etiam Arcam, habuerint;*

Ad hoc audivimus paulo ante excipere authorem libri Cosri, Viros Domus secundæ

1 Arcam a Jeremia vel absconditam fuisse, vel abscondi potuisse egregie probat Gaspar Sanctius Societatis Jesu Theologus, & divinarum Scripturarum interpres præstantissimus. Nam Jeremias abscondere potuit arcam vel sub Joachim, vel Jechonia antequam regnum iniret Sedecias, sub quo vastata est Jerosolyma. Tunc enim cum didicisset a Jeremia (quem verum Dei prophetam esse experimento cognoverat) excisum iri civitatem a Chaldæis facile ab illo impetrare potuit, ut arcam a direptione, & subsannatione subduceret, ac etiam illam absconderet, ubi Chaldæi nec inquirere, nec invenire potuissent. Si vero quis negaverit, Jeremiam a Jechonia arcam nec petiisse; nec impetrasse, tunc dicendum, & probabiliori quidem ratione, quod Jeremias impetrare potuit a Nabuchodonosor vel ejus magistro militum Nabuzardam quibus erat eo nomine carissimus propterea quia auctor semper extitit ut depositis armis Nabucodonosoris potestati se traderent. Regiæ benevolentiæ argumentum ex Jeremiæ verbis cap. 39. 11. satis superque colligitur. Hæc sunt Prophetæ verba . . . Præceperat autem Nabucodonosor Rex Babylonis de Jeremia Nabuzardam magistrum militum dicens, tolle illum, & pone super illum oculos tuos: nihilque ei malifacias, sed ut voluit sic facias ei . . . ex quibus verbis probe patet nihil prorsus quantumcumque magnum videretur negatum iri Jeremiæ. Arcam non fuisse direptam neque Babylonem abductam ex Jeremiæ cap. ult. aperte colligitur; nam cum Jeremias numerasset omnia, quæ ablata sunt de templo, de mensa tamen, vel arca, nec verbum unum cum essent illa commemoratu dignissima; unde constat a Chaldæis non esse sublata, atque insuper argumentum non leve sumitur ab ipsis Jeremiæ fuisse concessam.

Quidquid vero Joseph ben Gorion de arca, & ipsius absconsione dicat, hic non inquirimus, cum longe inter se distent Machabæorum liber & historia ben Gorionis, nam ille totus sacer, ac divinitus inspiratus ut in primo Thesauri nostri tomo indicavimus; hic vero totus humanus humanis tantum viribus concinatus; unde nil mirum si ben Gorion historia in multis dissidet a Machabæorum libro. Qui uberiora de Machabæorum libris, deque ipsorum librorum auctoritate scire desiderat, adeat Joannem Morinum, Dupinium, Natalem Alexandrum, Senensem Sixtum, Serarium ubi plura.

cundæ aliquid aliud in ejus locum ſubſtituiſſe, quod vicem Arcæ ſuppleret; & ex R. Levi ben Gerſon, Arcam & Propitiatorium non impedire cultum, ſufficere, ſi ſit Sanctum Sanctorum, &c.

3. *In ſecundo Templo fuiſſe Altare aureum, Candelabrum aureum, Menſam in qua panes propoſitionis erant, & Velum. Itaque probabile eſſe, ibidem fuiſſe Arcam, quia hæc omnia conjuncta erant.*

An conſequentia hæc firma & neceſſaria ſit, dubitari poteſt. Et Abarbenel ad Hag. 1. negat hæc in Templo ſecundo fuiſſe. Sic enim illic ſcribit: אך אמנם ראוי לדעת שלא לבד אלה הדברים חסרו שמה כי גם המנורה והשלחן וכל כלי המשכן ויריעותיו וקרשיו ושאר הדברים שעשה משה במדבר וצנצנת המן ומקלו של אהרן ושמן המשחה כולם נגנזו ולא שבו בבית שני וכו׳ *Verum ſciendum eſt, non ſolum quinque illas res defuiſſe in Templo ſecundo; nam & Candelabrum; & Menſa, & omnia vaſa Tabernaculi, & aulæa, & ejus aſſeres, cum reliquis, quæ Moſes fecit in deſerto, Urnula item Mannæ, Virga Aharonis, & Oleum unctionis; hæc, inquam, omnia aſcondita fuerunt, neque redierunt in Templo ſecundo. Hoc vero ideo factum eſt, quia non conveniebat, ut illis Tabernaculi vaſis, quæ Moſes pro Iſraelitis fecerat, uterentur in Captivitate, ſed quando Iſraelitæ omnes eſſent in terra ſua. Ideo cum major pars tribuum erant in captivitate, neque reverſæ fuerant, par non fuit ut paucæ tribus reverſæ iis uterentur. Sic quia Oleum Unctionis Sacræ proprium fuit Regum de domo Davidis, abſconditum manet, donec Regnum revertatur ad domum ſuam. Quinque autem rerum deficientium duntaxat mentionem faciunt Sapientes noſtri, quia illæ erant Univerſales, populo neceſſariæ, & fundamenta totius Sanctitatis Templi, divinitatiſque ejus.*

4. *Quod Joſephus lib. 7. Belli Judaic. cap. 24. inter Spolia reportata, & in Triumpho oſtentata, referat quoque* Legem Moſaicam. *Per Legem hanc ſcilicet intelligunt* Duas Tabulas Legis, *quæ in Arca erant: & inde concludunt, neceſſario ſequi, illum & Arcam cepiſſe & abduxiſſe, ac per conſequens in Templo fuiſſe.*

Sed nec dum probatum, per Legem apud Joſephum intelligi Tabulas Legis: poteſt enim & Volumen Legis aliquod intelligi, qualia plura in Templo procul dubio, & ejus conclavibus aſſervata fuere.

5. *Quod ex hiſtoria Evangelica conſtet, Velum, Sanctum a Sancto Sanctorum diſtinguens, fuiſſe in Templo ſecundo. Itaque neceſſe eſſe, ut Arca in Sancto Sanctorum tum fuerit: ſecus, cui bono velum illud inſerviiſſet?*

Hebræi concedunt Antecedens, ſed negant Conſequens, ut in ſuperioribus vidimus. Etiamſi non omnia & ſingula, quæ in Sancto Sanctorum primi Templi, hic quoque fuerint, fuerunt tamen procul dubio quædam: adfuerunt ſigna & rudera loci illius, in quo Arca erat repoſita, erant Cherubini, erat juxta R. Levi ben Gerſon, propitiatorium, vel, juxta authorem libri Coſri, aliud aliquod ſymbolum, quod Arcæ vicem ſupplebat. Et aliæ ſunt cauſæ, cur Locus ille non negligendus, ſed ad formam prioris Templi ſeparandus, & ſacer habendus erat.

Porro qui hanc ſententiam tenent, illi fere & hoc ſtatuunt, illam, cum aliis quinque millibus & quadringentis illis aureis & argenteis vaſis templi Hieroſolymitani, quorum mentio Eſdræ cap. 1. v. 7. 8. 9. 10. 11. & 3. Eſdræ cap. 1. v. 41. Dan. 1. 2. a Nebucadnezare in templo Bel Dei ſui poſitam, ac divinitus præſervatam, poſt LXX. captivitatis annos, una cum eiſdem, a Cyro Judæis reverſuris reſtitutam: Reſtitutam, in Templum ſecundum in Sancto Sanctorum a Judæis repoſitam, conſervatam, & tempore Vaſtationis Templi ſecundi a Tito Veſpaſiano captam, & Romam delatam eſſe, Romæque adhuc hodie in Templo Lateranenſi conſpici, denudatam tamen auro. Adrichomius in Theatro Terræ Sanctæ, in deſcriptione Jeruſalem cap. 77. Sed argumenta quæ pro hac ſententia confirmanda adducunt, admodum videntur infirma.

1. Conantur illud quidam probare ex Flavio Joſepho, de Triumpho Titi, cujus ipſe ſpectator fuit, ita ſcribente: *Eminebant, quæ apud Hieroſolymam in Templo reperta ſunt: Primo loco Menſa aurea, ponderis talenti magni: ſecundo loco erat Candelabrum, ſimiliter auro quidem factum, ſed opere commutato ab uſus noſtri conſuetudine. Tertio denique loco poſt hæc portabatur Lex Judæorum, noviſſima ſpoliorum.* Hic per *Legem Judæorum* intelligendum eſſe, non ſcriptum aliquod Moſaicæ Legis volumen, ſed *Arcam fœderis, Tabulas Legis continentem*, probare nititur Auguſtinus Torniellus, Tom. 2. Annal. ſacror. A. M. 3885. fol. 440. & ſeq. Verum ſi hoc ſenſiſſet, procul dubio nominatim ejus mentionem feciſſet. Deſcripſit ea, quæ eminuerunt in Templo Hieroſolymitano: meminit menſæ Aureæ, Candelabri aurei; cur non & Arcæ auro obductæ mentionem feciſſet in ſpecie, ſi eam intellexiſſet?

Cur ultimo loco, inter *spoliorum novissima* & ultima eam collocasset Josephus, cui primus merito debebatur? Sic lib. 1. cap. 17. scribit, *Vespasianum præcepisse, ut Lex & Velum interioris templi, in Regia ipsius asservarentur.* Quod ajunt, illam etiamnum Romæ asservari, id suspectum reddunt tot aliarum rerum ibi & alibi asservatarum reliquiæ, quæ vel ipsa sui, diversis in locis, multiplicatione & propagatione fidem veritatis derogant.

2. Producunt Arcum Titi ac Vespasiani Triumphalem, in quo & Arca Fœderis repræsentata, hodieque in Via Sacra Romæ conspiciatur. Hac de re sic scribit Christianus Adrichomius, in Descriptione Hierosolymæ, Num. 77. *Porro post excidium Jerusalem Titus & Vespasianus Arcam fœderis, & duas Tabulas Legis, cum Virga Mosis, & virga Aharon, item Mensam auream, & Panes aliquot propositionis, Candelabrum quoque aureum, ac quatuor columnas, e Hierosolomorum templo Romam traducta, in celeberrimo, quem insigni pompa de Judæis egerunt, triumpho, tota urbe spectante, inter alia spolia a Judæis portari fecerunt, Simone Gioræ fil. Seditiosorum duce, ac septingentis Judæis captivis, seminudis, manibusque vinctis, triumphatorem & spolia præcedentibus. Cujus Triumphi usque hodie perenne Romæ, via sacra, juxta Pacis templum, extat monumentum in Triumphali Arca, qui est supra Ecclesiam S. Mariæ novæ, cujus fronti hæc inscripta sunt verba;* SENATUS POPULUSQUE ROMANUS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AUGUSTO, & ob victoriam & perpetuum . . . . *reliqua ob vetustatem non possunt legi. In quo etiam arca, ex uno quidem latere, ipsum Titum triumphantem in curru, duobus equis, totidemque monocerotibus ducto, conspicere licet: ex altero vero latere, Arcam fœderis, & Candelabrum illud ditissimum septem ramorum, & Vasa Templi, tanquam ante currum Titi portarentur, insculpta. Triumpho autem peracto, Vespasianus universa Templi Hierosolymitani Vasa & donaria, Romæ in Pacis templo, magnifice splendideque a se ædificato, reposuit: Legem vero Judæorum, & Penetralium vasa purpurea, in Palatio condita servari præcepit. Quæ quidem omnia, Arca videlicet, auro tamen nudata, tabulæ Legis, Virga Mosis & Aharonis, Panes quoque propositionis, ac quatuor Columnæ, Romæ in Ecclesia S. Johannis Lateranensis adhuc servantur.* Arcus illius Triumphalis delineationem, æneis formis excusam, videre est apud Augustinum Torniellum in Anall. l. citato.

Quod vero ante currum Titi illic portari visitur, & *Arcam* dicit Adrichomius; id non *Arcam*, sed *Mensam* panum propositionis *Auream* fuisse, sentiunt Villalp. Tomo 7. in Ezech. ad calcem, Cornelio a Lapide in Exod. cap. 25. Abulensis, alii.

Torniellus concedit hoc; sed ait, *Ultimum, quod plane non amplius apparet, esse Legem, hoc est, Fœderis Arcam Tabulas Legis continentem, tali tamen prospectu effigiatam, quod parum ejusdem Tabulæ occuparet. Quamvis,* addit, *postea eadem cælatura, vel Temporum diuturnitate deciderit, vel, ut quidam non immerito suspicantur, a Judæis Romæ commorantibus, qui visibile illud perfidiæ suæ a Deo castigatæ monimentum ferre non possunt, posterioribus temporibus clam abolita fuerit, vel potius ab his, præsertim Rabbinis, vel de ipsorum consilio abrasa, qui Fœderis Arcam adhuc in antro montis Nebo abditam esse, & in fine mundi, ad eorundem Judæorum consolationem, revelandam fore, mordicus tenent, & credi ab aliis volunt.*

Sed quis non videt, meram divinationem esse, dum id definit, *quod* ipsemet fatetur *amplius plane non apparere?* Et cur Arca, præcipuum Judææ spolium, *minimam ejus Tabulæ partem* occupasset? Itaque cum primum concedat esse Mensam; secundum Candelabrum aureum; tertium hoc procul dubio fuit Legis Mosaicæ Volumen in Templo asservatum. Qua ratione hæc Tabula cum narratione Josephi supra adducta per omnia conveniet.

In loco supra pag. 188. ex Avoth R. Nathanis adducto, memorantur quædam horum, quæ Romæ adhuc asserventur, sed inter illa non est Arca.

II. Alii Traditiones illas, seu Judaicas, seu ex Scriptore librorum Machabaicorum, de Absconsione Arcæ a Jeremia amplectuntur: sed ajunt, postmodum, cum Deus locum, in quo sacer Ignis absconditus erat, Judæorum Duci Nehemiæ revelaret, 2. Machab. cap. 1. v. 19. 20. & seqq. simul monstrasse Arcam & reliqua vasa sacra, quæ Jeremias occultaverat; & sic deinde in Templo reædificato in suum locum esse repositam, Augustin. Torniellus in Annalibus Sacris. *Alii* vero volunt, illam absconditam mansisse, & adhuc delitescere, atque in fine Mundi demum, post Conversionem Judæorum, & hanc resurrecturam, atque e Petra, in qua eam abscondit Jeremias, exituram. Ex his præter alios complures, est Sixtus Senensis in Bibliotheca Sacra, & Villalpandus in Ezechielem Tom. 2.

Fabu-

Fabulosa autem illa pleraque, & nullam vel verisimilitudinis, nedum veritatis speciem habere, qui cordatiores sunt, merito semper judicarunt, ut cum magno quondam Gryneo nostro, nec nobis ea refutare vel examinare libeat.

III. Sunt qui concedunt, Arcam non fuisse sub templo secundo, sed negant, illam esse, seu a Josia, seu a Jeremia, absconditam, ac proinde neque olim iterum repertam, & Judæis restitutam, neque etiam unquam restituendam: verum justo Dei judicio in Israelitarum peccata, in primi Templi vastatione periisse, sive quod illa a Babyloniis tum capta, direpta, & tandem corrupta, sive quod capta a Nebucadnezare Hierosolyma, & succenso Templo 2. Reg. 25. Arca quoque simul combusta fuerit.

De Direptione ejus intelligi potest, quod 2. Reg. 24. v. 13. legitur Nebucadnezar, cum obsidione cingeret Hierosolymam, & Jehojachin ad illum egressus se ei dederet, *extulisse illinc omnes thesauros domus Domini, & concidisse universa vasa aurea, quæ fecerat Salomo Rex Israelis in templo Domini, sicut dixerat Dominus;* nempe 2. Reg. 20. vers. 17. per Esajam Prophetam; *Ecce dies veniunt, & deferetur quicquid est in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui ad hanc usque diem, in Babel, non remanebit quicquam in ea, dixit Dominus.* Sic 2. Chron. 36. *Vertente autem anno misit Rex Nebucadnezar, & abduxit eum in Babel cum vasis concupiscibilibus domus Domini.* Confirmat hanc sententiam, quod Hebræorum multi, ut supra vidimus, hæc de Arca quoque capta & in Babel abducta explicent, & in universum pœne omnes concedant, Arcæ præsentia Templum secundum destitutum fuisse.

Causæ, cur Deus noluerit sub Templo secundo Arcam cum adjuncta Gloria, & Præsentiæ suæ signis, eis indulgere, reddi possunt variæ.

1. Peccata Israelitarum gravia, quibus meruerunt, ut visibile hoc Habitationis Divinæ inter ipsos symbolum eis auferretur.

2. Quod Templum secundum illustrari debuerit majori gloria; præsentia nempe corporali Ejus, qui per Arcam fuit adumbratus, Messiæ sc.

3. Ut hoc exemplo Deus ostenderet, paulatim Typos illos omnes esse abolendos, qui in se nihil habebant propriæ sanctitatis, nec eam conferre poterant, quamvis ad tempus pædagogiæ veteris populi inservirent.

4. Quod Deus voluerit e Propitiatorio oracula tamdiu fundere, & populo suo in rebus dubiis respondere, donec eos per Prophetas suos abunde de omnibus necessariis instituisset &c.

Ex his omnibus sententiis ea quam ultimo loco produximus, nobis certe videtur vero omnium simillima. Cetera, quæ de Arcæ absconsione, & restitutione futura, proferuntur, infirmioribus nituntur fundamentis, quam ut assensum nostrum illis largiri queamus.

CAPUT XXIII.

III. *An aliquando, tempore videlicet Messiæ, sit Judæis restituenda?*

ITa sentiunt Hebræi, & sic intelligunt, quod de Absconsione ejus tradunt; illam sc. non periisse, sed adhuc a Deo asservari, & tempore Messiæ ipsis restitutam iri.

Hinc scribit Abarbenel ad 1. Sam. 4. והארון המיוחד הזה הוא העתיד להגלות בביאת משיחנו מהרה יגלה *Et Arca ista singularis eadem revelabitur tempore Messiæ nostri, qui utinam cito adveniat?* Et ad Dan. cap. 9. *Vasa sacra, quæ fuerunt in Sancto Sanctorum, videlicet, Arca fœderis Domini, Tabulæ digito Dei scriptæ, Liber Legis Mosis, qui repositus erat ad latus Arcæ, & Vasculum Olei unctionis, quod juxta hanc fuit; hæc, inquam, vasa Sancta omnia, in vastatione Templi primi abscondita fuerunt;* ובשוב יי׳ את שיבת ציון ישובו כולם באופן שיהיה קדש הקדשים בבית השם בכל כליו וקדושתו *cum vero Deus reducet captivitatem Tzijonis* (nos ex præsenti captivitate liberabit) *revertentur & restituentur omnia, ut Sanctum Sanctorum sit in domo Domini cum omnibus vasis suis, & sanctitate sua.*

Huc tendit etiam quod legitur in Talmud Sota fol. 35. col. 1. De Uza legitur 2. Sam. 6. 7. וימת שם עם ארון האלהים *Et mortuus est ibi cum Arca Dei.* Ad hæc verba dicit R. Jochanan; עוזא בא לעולם הבא שנ׳ עם ארון האלהים· מה ארון לעולם קיים אף עוזא בא לעולם הבא *Uza venit in sæculum venturum* [vitam æternam,]

nam,] *ſicut dicitur*; Cum Arca Dei. *Atqui Arca Dei perſtat, ſeu, permanet in ſæculum. Ergo & Uza venit in vitam æternam*; quia nimirum Arca non deperdita, ſed abſcondita eſt, ut ibi gloſſa R. Salomonis habet.

Eadem fuit ſententia authoris librorum Machabæorum, & Joſephi Gorionidis, ut ex ſupra adductis locis liquet.

Paulo aliter ſenſiſſe videtur R. Bechaj, uti colligere eſt ex iis, quæ ex ipſo adducta ſunt ſub finem cap. *6*.

Sententia hæc fundata eſt,

1. In eo, quod de Abſconſione Arcæ tradunt.

Atqui, uti audivimus, fundamentum hoc nimis infirmis tubicinibus eſt ſubnixum. Deinde ſi hoc maxime detur, quod abſcondita fuerit tempore Templi primi, dubium tamen faciunt nonnulli, an poſt exſtructum Templum ſecundum non iterum inventa, & in illud repoſita; & poſt illud deſtructum demum & illa direpta & deſtructa fuerit. Et quis ſibi fingere, aut perſuadere poſſit, eam a Templi primi excidio in hunc uſque diem eo in loco Templi, quem fingunt, ſartam tectam delitefcere, & poſt tantum annorum intervallum, aliquando revelandam? Templum ſecundum juxta Judæorum calculum ſtetit per 420. annos: Ab ejus excidio & deſolatione ad hoc tempus præterierunt 1600. & plures anni. Et quot præterlabentur adhuc, antequam id, quod Judæi exſpectant, ſit futurum?

2. In eo quod credunt Tertium Templum tempore Meſſiæ & liberationis ipſorum exſtructum iri.

Sed & hoc fundamentum ruinoſum eſt. Fruſtra & Meſſiam, & talem Meſſiam, qualem illi deſcribunt, & talem Liberationem, & Templi reædificationem, Legis & Cultus Moſaici inſtaurationem, & alia quæ his cohærent exſpectant, & ſomniant. Sic nempe, juxta Euripidem Αἱ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδες *Spes paſcunt exules* Judæos, ſed ſpes fallaces, inanes, & incertæ. Nimis prolixam gigneret digreſſionem, ſi de his cum Judæis hic congredi vellemus. Fieri id poterit, Deo vitam & valetudinem prorogante: alia occaſione. Quod ad *Tertium Templum* attinet, qui de eo tum Judæorum argumenta, tum Chriſtianorum ad ea exceptiones & reſponſiones, aliquid noviſse cupit, adeat authores, qui contra Judæos ex profeſso ſcripſerunt; in primis, D. Chryſoſtomum Oratione tertia & quinta adverſus Judæos, Martinum Raymundum in Pugione fidei par. 2. cap. *9*. §. 14. 15. 16. Paulum Burgenſem in Scrutinio Scripturarum Diſtinct. 4. cap. 4. Fortalitium Fidei (cujus author floruit circa Annum Chriſti 1420. & ulterius) lib. 3. mihi fol. 125. & ſeqq. Joh. Hornbeck de Convincendis & convertendis Judæis lib. 3. cap. 2. pag. 255. & ſeqq. Joh. Mullerum in Judaiſmo detecto cap. *9*. §. *6*. Conſtantin. L'Empereur in Præfat. Codicis Middoth &c.

Aſsertioni huic ipſorum, de Reſtituenda Arca, opponunt quidam ex noſtris Scriptoribus locum ex Jeremia cap. 3. v. 16. ubi Propheta dicit; והיה כי תרבו ופריתם בארץ בימים ההמה נאם יהוה לא יאמרו עוד ארון ברית יי ולא יעלה על לב ולא יזכרו בו ולא יפקרו ולא יעשה עוד: h. e. *Et erit cum multiplicabimini, & creſcetis in terra in diebus illis, dictum Domini, non dicent amplius; Arca fœderis Domini, neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur ejus amplius, neque viſitabunt (eam) neque fiet ultra.*

Nicol. Lyranus ad verba; *Nec fiet ultra*; ſcribit; *Per dicta etiam patet falſitas Judæorum, dicentium, quod in adventu Meſſiæ reddetur eis Arca teſtamenti*, &c. Et Dan. *9*. 24. ad hæc verba; *Et ad ungendum Sanctum Sanctorum*; dicit, *Judæos hoc exponere de Arca fœderis, & aliis vaſis ſanctuarii, quæ per Meſſiam debeant recuperari*; eiſque opponit præſentem locum Jeremiæ, & ex eo concludit, non eſse recuperanda. Sic Galatinus de Arcanis Cathol. Veritatis lib. 4. cap. 17.

In Fortalitio fidei lib. 3. in cap. ubi decimumquartum Judæorum argumentum contra Adventum Chriſti refutat, de non reædificato Templo: *Ad ſecundum*, inquit, *in quo quærebatur, ſi daretur tertium Templum materiale, quid contineret? dicit Judæus, quod contineret Arcam, Tabulas, Virgam, & Manna. Sed contra hoc eſt Jeremias in capitulo* 3. Non dicent ultra, Arca Teſtamenti &c. *ubi eſt gloſſa Doctorum Judæorum, quod*, Pro tempore, Hieruſalem, Syon, Solium Domini, Juda, Iſrael, Sanctuarium, Terra; *omnia hæc vocabula ſignificent gloriam Paradiſi*.

Petrus de la Cavalleria in lib. *Zelus Chriſti* fol. 58. ex hoc loco ſimiliter concludit,

cludit, *Legem Mosis in futurum cessaturam*. Et fol. 60. a. *Si Tabulæ digito Dei scriptæ* (quæ in Arca erant) *debebant tempore Messiæ redire; dic mihi, Judæe, quomodo, cum fuerint perditæ*, (*quia non apparuerunt tempore Esdræ in domo secunda*;) *quomodo, inquam, Prophetæ tacuerunt post Jeremiam, & nemo dixit, quod debent redire aliquo tempore? Apparet ergo, quod Arca, & Tabulæ, & Lex Mosis ipsius manu scripta, debebant perire. Ergo & cessare. Quia non erat credendum, quod tales reliquiæ perirent, si servari Lex Mosis in futurum debebat, aut quod de iis tam mirabilibus reliquiis, sicut erant Tabulæ digito Dei scriptæ, & Lex Mosis ipsius manu scripta, non fieret per Prophetas, post Jeremiam, expressa mentio, & de earum duratione, & inventione. Sed quia cessare debebat Lex Mosis, de Scripturis Originalibus ipsius Legis non est facta mentio post illam Prophetiam Jeremiæ. Et mirabili secreto Dei sunt perditæ tam mirabiles reliquiæ: sicut ipsa Lex cessare debebat, ita & ejus originalia desierunt.*

Sic alii plures ex recentioribus.

Abarbenel autem contra excipit in מעיני הישועה Dan. cap. 9. *Non*, ait, *dicit Jeremias, in diebus illis non fore Arcam, sed dicit; Dum Israelitæ habitabant in terra sua, fuisse Sanctitatem omnem in Arca Dei; deinceps autem* [tempore Messiæ] *quando in terra ipsorum multiplicabuntur Gentes Mundi, venientes ad quærendum Dominum, juxta illud;* Et confluent ad eum omnes gentes; *tum illas gentes non dicturas;* Arca fœderis Domini; *Ratio; quia Gradus ipsorum non eo usque ascendet, ut accedant ad arcam Dei, aut ut inspiciant in locum habitaculi Judicii; sed eo tempore vocaturas esse Hierosolymam* Thronum vel Solium Gloriæ Domini, & ad illam *congregatum iri omnes gentes in nomine Domini. Sanctitatem enim, quam Viri Templi secundi attribuebant Arcæ fœderis, Gentes illas attributuras Urbi Hierosolymæ.*

Sed hæc ipsius expositio, utut eam valde commendet atque extollat, cum verbis Prophetæ non congruit.

Nulla enim illic Gentium exterarum mentio, sed alloquitur Judæos filios rebelles, illos ad pœnitentiam invitat, promissionem iis facit. Et de his illum hoc in versu loqui, docet particula עוד *Ulterius, Amplius*; In illo tempore *non dicent* עוד *Ulterius, Amplius*; sicut sc. hactenus fecerunt. Num antea Gentes a Deo & ejus fœdere alienæ, jactarunt Arcam, & de ejus sanctitate gloriabantur? Nequaquam, sed Judæi. De Gentibus postea demum facit mentionem v. 17. ubi dicit; *Eo tempore quo Gloriatio Ecclesiæ non amplius futura sit de Arca Dei & ejus sanctitate, sed tota sancta, & solium Jehovæ futura, omnes gentes ad eam accessuras in nomine Domini, & non amplius ambulaturas post duritiam cordis sui mali.* Hoc est quod dicit Gentes facturas, posteaquam ea fuerit Ecclesiæ facies, qualem in præcedd. verbis descripsit: non autem quod Abarbenel dicit. Si hoc voluisset Propheta, dicere debuisset: *Et erit cum multiplicati fueritis & creveritis in terra, congregabunt se ad Hierosolymam omnes gentes, &c. & non dicent &c.* Illi, de quibus Propheta dicit; *Non dicent ultra, non cogitabunt ultra de ea, non recordabuntur ejus ultra, non visitabunt eam ultra* (nam particula עוד *Ultra* his omnibus verbis subservit) sunt ii, qui antea ita dixerunt &c. Atqui hi non fuerunt Gentes exteræ & a Rep. Israelis alienæ, sed Judæi ipsi. Ergo his aliam Ecclesiæ faciem depingit & ob oculos ponit, & de alia sanctitate vaticinatur. Violenter hæc ad Gentes solas torqueri & trahi, quis non videt? An illi de ea cogitarunt, de ea sunt loquuti, eam visitarunt?

Idem Comment. in Jeremiam cap. 3. prolixius hanc suam sententiam confirmat & deducit. *Tempore*, inquit, *Templi primi, quo Israel sequebatur libidinem cordis sui, omnis ipsorum Sanctitas consistebat in Domo Sanctuarii, & in Arca Dei, quæ ibi erat; Idque partim propterea, quod per Arcæ præsentiam custodiebantur, & certi erant de gratiosa Dei providentia, siquidem justi essent &c. partim quod per Arcam, quæ Tabulas fœderis continebat, retraherentur a peccato, & invitarentur, ad remissionem peccatorum a Deo petendam; partim quod ad eam juramenta fieri solerent; & denique, quod coram ea orarent, si cœlum occlusum esset, & pluvia non descenderet, vel pestis, bellum, vel aliæ calamitates publicæ ingruerent. Itaque dicere Prophetam, tempore redemptionis & collectionis futuræ per Messiam, tantam fore inter Israelitas Sanctitatem, ut non tantum, dum pauci adhuc, unus e civitate, & duo ex familia, congregati erunt, justi, pii, & probi sint futuri, sed etiam posteaquam multiplicati fuerint & creverint in terra; quod alias communiter fieri non soleat, cum crescente populo Sanctitas plerumque decrescat; adeo ut tempore homines non dicturi sint;* Arca fœderis Domini; *sanctitatem scilicet in Arca, & fœdere Dei in ea comprehenso, collocando, imo ne quidem* de ea cogitaturi aut locuturi, vel ejus mentionem facturi sint,

ſint, ſc. in Juramentis præſtandis coram ea; *cum Sanctitatem in ſeipſis ſint habituri, & ſecum circumlaturi, atque ubique incenſum Deo gratum oblaturi, Malach.* 1. 11. non etiam amplius eam viſitaturi; *ad orandum pro publicis neceſſitatibus & calamitatibus Eccleſiæ*; non denique facturi, *ſc. mentionem fœderis, quod olim Deus cum illis pepigit*; neque Deus novum fœdus cum illis pacturus; *eo quod univerſa Hieroſolyma in eo gradu Sanctitatis & gloriæ ſit futura, quo olim fuit Arca, ita ut non tantum Iſraelitæ eam Sanctitatem illi ſint delaturi, ſed univerſæ gentes &c.* Huc redit ſumma eorum, quæ ille pluribus verbis exponit, quæ apud eum videre poteſt qui volet.

Sed quis non videt, quam violenta & detorta ſit expoſitio?

1. Admittimus, quod ait, in verbis his agi de Temporibus Meſſiæ, ſed tempora illa male definit, de Corporali Hieroſolyma, & liberatione ipſorum e præſenti captivitate. Vaticinatur Propheta de Statu Eccleſiæ tempore Meſſiæ. Eccleſia autem illa non ſunt Iſraelitæ ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum: *Collectio* etiam de qua agit v. 14. non eſt collectio corporalis, ſed ſpiritualis; non ad Legem & cultum Moſaicum iterum inſtaurandum, ſed ad fidem in Meſſiam.

2. Male definit cauſam propter quam Propheta dicat; *in illis diebus nullam amplius mentionem factum iri Arcæ &c.* quia ſc. tanta Iſraelitarum collectorum omnium ſit futura Sanctitas, &c. Aliud Propheta reſpexit, & intellexit.

3. In recenſendis Arcæ Finibus eum, qui non poſtremus eſt omittit, quod ſcil. ea fuerit Typus & Figura Chriſti: in applicandis illis ad Prophetæ ſcopum & mentem, vim illi facit; quia de illis ne gri quidem in contextu. Et hinc

4. Etiam male παραφράζει & explicat totum illum locum, & nominatim verſum illum, in quo Arcæ mentio, quaſi verſus 16. tantum referendus eſſet ad Gentes, de quibus poſtea demum agit, v. 17. non ad Iſraelitas.

R. David Kimchi ita: *Etiamſi multiplicemini & fœcundi fiatis in terra, tamen non invidebunt vobis Gentes, ut veniant & bellum vobis inferant, atque ſic neceſſe habeatis in bellum exire & Arcam Dei vobiſcum ducere, prout moris illorum fuit, ut in bellum egredientes Arcam ſecum deducerent: In diebus enim illis iſta re nihil erit opus; Nullum quippe amplius erit bellum. Hinc dicit*; Non dicent &c. Non aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur ejus, non viſitabunt eam, neque fiet ultra; *ſc. iſta res, ut educant Arcam in bellum.*

R. Salomon; Non dicent amplius, Arca fœderis (*quia univerſa congregatio veſtra erit ſancta, ac ſi illa eſſet ipſa Arca.* Neque fiet amplius) *id ſc. quod olim factum eſt in Silo, quando eam, tempore Eli, eduxerunt in bellum cum Philiſtæis.*

Hanc vero expoſitionem Abarbenel ipſe rejicit, inquiens; ואתה רואה שכל אלו הם דברים חיצוניים אין בכתוב דבר לא מהמלחמה ולא משאר הדברים ולכן לא נחה דעתי עם הפירוש הזה עם היותו שנטה אליו יונתן *Tu, lector, vides, hæc omnia eſſe ἀπροσδιόνυσα: nihil quicquam enim Textus habet vel de bello, vel de cæteris: unde non poſſum aſſenſum præbere huic expoſitioni, quamvis Jonathan etiam ad eam inclinet.* Ita eſt: Uſque ad illum verſum nihil ibi extat de Gentibus, nihil ibi dicitur de bello, neque de Arca educenda. Et, ſi nullum bellum amplius futurum, quid opus verbis iſtis omnibus? Ubi vero dicitur in Scriptura, poſt adventum Meſſiæ, nulla amplius fore bella? Non etiam moris fuit ut Arcam ſecum in bellum unquam educerent, ſine ſpeciali mandato Divino, ut ſupra viſum; ac proinde hic uſus non inter fines Arcæ referendus, qui alii fuerunt. Eductio ejus in bellum, res fuit extraordinaria. Adde quod jam ſub Templo ſecundo non amplius fuit Arca, ut ſupra viſum.

Itaque hactenus in Judæorum expoſitionibus nihil ſolidi, neque mens & ſenſus verborum horum ſufficienter oſtenſus.

Locus videtur notatu & conſideratu digniſſimus, qui Judæos vehementer torquet, unde parci ſunt in eo tum allegando, tum explicando; In Talmud & Medraſchim nihil ad rem faciens hactenus deprehendi.

Noſtri Interpretes in eo explicando etiam variant.

Quidam, referente Lyrano, totam hanc capitis hujus partem inde a v. 14. explicant de reditu populi ex Captivitate Babylonica, & eorum poſt reditum ſtatu. Quia enim plures eorum remanſerunt in Babylone, detenti amore prolis quam ibi genuerant, & poſſeſſionum quas acquiſiverant, ideo dici v. 14. *Et aſſumam vos, unum de civitate, & duos de familia, & introducam vos in Tzijon.* Quod ver. 15. ſubditur; *Et dabo vobis Paſtores juxta cor meum & paſcent vos ſcientia & intelligentia*; exponunt de Zorobabele, Eſra, Nehemia, Haggeo, & Zacharia, qui gubernaverunt populum in temporalibus & ſpiritualibus, verſ. 16. *Non dicent ultra; Arca fœderis Domini, &c.* de eo, quod in Templo ab eis reædificato non fuerit Arca,

Arca, ut supra visum; Et sic reliqua, prout possunt, adaptant ad istud propositum.

Huic sententiæ recte obviare seu obstare dicit Lyranus 1. quod v. 17. subditur; *In tempore illo vocabunt Hierusalem Solium Domini;* eo quod non legamus, Hierosolymam, post tempus captivitatis Babylonicæ, fuisse in tanta solemnitate & reverentia; sed semper, vel quasi semper, subjecta servituti; primo Persarum; postea Græcorum; & ultimo Romanorum: 2. quod porro dicitur; *Et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini;* eo quod iterum non legamus, de Gentilibus tum, nisi paucos quosdam, ad Judaismum conversos esse. 3. addatur & hoc; quamvis in secundo Templo Arca non fuerit, tamen ejus memoria, cultus, locus, a Judæis fuit conservatus, & in veneratione habitus, perinde ac si ipsa Arca ibi adhuc præsens adfuisset, uti itidem supra vidimus. Ut hæ phrases multiplices, quas Propheta adhibet, non omnes illi tempori accommodari queant.

Alii ergo hæc incommoda animadvertentes, totum locum de Christo, & statu Ecclesiæ sub ejus Regno accipiunt, & ad eam hæc applicant. Quorum sententia vel ideo non contemnenda, 1. quod plura alia, eaque illustria, vaticinia in Prophetis extent, hoc sensu cum præsenti Prophetia convenientia: 2. quod Judæi liberali manu hoc ultro concedant & largiantur, unde illos, confessione hac constrictos, ulterius urgere possumus.

Ne autem totius illius Capitis analysin prolixam instituamus, & per ambages multas rem aggrediamur, notandum, inter Christianos plerosque, & Judæos omnes, convenire de his

I. Quod inde a v. 14. ad 18. Propheta agat de temporibus Messiæ; quia enim talia ibi extant, quæ nec olim, nec hodie impleta dicere possunt, necessario fateri coguntur, ea impleta iri tempore Messiæ.

II. Quod vaticinium hic contineatur de nova Ecclesiæ facie futura tempore Messiæ.

III. Conditionem & faciem hanc Ecclesiæ depingi 1. κατ' ἄρσιν per negationem & remotionem quarundam rerum, quibus antea insignis erat. 2. κατὰ θέσιν, per positionem, & affirmationem aliarum rerum, quibus illa tum sit illustris futura.

In hoc tertio Capite jam est Dissensus inter nos, & quidem tum de his quæ *negantur*, tum de iis quæ *ponuntur*, & *affirmantur*.

De iis quæ negantur, agit versus 16. *Et erit, quum multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, dixit Dominus; non dicent ultra, Arca fœderis Domini, nec ascendet super cor, neque recordabuntur illius, neque visitabunt,* (vel, recensebunt, vel, desiderabunt) *eam, neque fiet ultra.*

In his verbis duo sunt observanda; 1. Circumstantia temporis, quando id, quod prædicit, sit futurum, 2. Res ipsa, quid illud sit?

I. *Temporis* circumstantia his verbis notatur; *Et erit, cum multiplicati fueritis, & creveritis in terra.*

Ut hoc intelligatur, & verba hæc cum præcedentibus & sequentibus apte concilientur [quod Abarbeneli difficile videtur] necessario quædam eorum quæ præcedunt, summariter sunt videnda.

Posteaquam Deus per Prophetam ab initio capitis ad v. usque 12. non obstante multiplici perfidia, apostasia & Idololatria, tam decem Tribuum, quam Judæorum, quam graviter iis exprobrat, constantem suum amorem & benevolentiam testatus esset & obtulisset; versu 12. & 13. illos ad se de novo revocat & invitat, suamque illis gratiam, sub conditione tamen pœnitentiæ veræ per agnitionem peccatorum suorum, & novam obedientiam, pollicetur, & promittit: quam hortationem vers. 14. iterat, & novis rationibus ac promissionibus suffulcit & confirmat. Et in hac jam Parte verba ista, de quibus agimus, occurrunt, quæ proin paulo accuratius nobis expendenda;

Hortatio continetur his verbis; שובו בנים שובבים quæ dupliciter ab Interpretibus intelliguntur & exponuntur. Quidam, *Convertimini*, sc. a vestra idololatria & apostasia ad Me: Alii *Revertimini*; sc. ex Babylone, quasi sc. de facto illos ex ea revocaret, & hac ratione præcipiendo reditum ipsis promitteret. Equidem non adeo multum interest, utrum quis sequatur: Nam qui alteram expositionem sequuntur, Conversionem & pœnitentiam, in præcedentibus jam requisitam & exactam, supponunt: qui priorem, Reditum & reductionem illorum ex captivitate non excludunt. Potiorem tamen esse priorem per *Convertimini*, apparet ex descriptione subjecti, בנים שובבים *Filii aversi, perversi, rebelles;* hoc enim sensu Nomen seu Participium istud hoc loco usurpatur; hinc v. 1. dicitur; *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis,* ושוב אלי *sed revertere ad me.* Sic v. 6. *Vidistine quæ fecerit*

משבה ישראל *aversa, rebellis Israel?* abiit &c. v. 7. *Et dixi, posteaquam fecit omnia ista; Revertere, & non est reversa* &c.

Rationes hortationis sunt istæ;

I. כי אנכי בעלתי בכם *Quia ego maritus vester sum*; ac proinde æquum est, ut vos ad me, ceu sponsa ad sponsum & maritum suum, revertamini. Vel; *Quia ego maritus vester ero*; scilicet de novo, & manebo, non obstante vestra prævaricatione, qua contra me prævaricati estis, & totam terram vestra fornicatione replevistis.

II. ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה והבאתי אתכם ציון *Et assumam vos, unum ex urbe, & duos e familia, & adducam vos Tzijonem.*

Hic jam quæritur, *De qua Assumptione & Adductione loquatur? Quidam* intelligunt hoc de Reductione ex captivitate Babylonica, ex qua non omnes redierunt Tzijonem, sed plures remanserunt.

Christiani Interpretes majori ex parte hic volunt non agere Prophetam de illa reductione corporali, sed promissionem & vaticinium facere, de quorundam ex Judæis assumptione, & in Regnum Christi, atque ad ejus Ecclesiam adductione; quam per *Tzijonem* intelligunt, ut alias sæpe iu Prophetis: De his illum dicere, *Unum ex urbe, & duos e familia*; eo quod pauci omnino, respectu reliquorum, ab initio prædicationis Evangelii convertendi essent.

Sic quod sequitur v. 15. ונתתי לכם רעים כלבי ורעו אתכם דיעה והשכיל *Et dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia & intelligentia*; hoc, inquam, Hebræi intelligunt de Prophetis, & aliis quibusdam Viris Sanctis, Spiritu Dei actis, & populo datis post reductionem, ut & de piis quibusdam Principibus & Gubernatoribus: Christiani, de Apostolis, vera Christi scientia & cognitione homines instruentibus. Sequentibus dein verbis volunt describi, qualis futurus sit Ecclesiæ status, posteaquam illa, per Vocationem & Accessionem etiam Gentium ad eam, fuerit aucta & multiplicata.

Quia vero nulla discretionis vel transitionis ad novam prophetiam nota hæc cum præcedentibus cohærent, & ad præsentes Judæos, cum quibus Prophetæ Dei nomine res erat, referri videntur, difficilius fortassis hæc expositio Judæis persuadebitur.

Quod si meam interponere licet sententiam, putarim, sine periculo & præjudicio sequentis vaticinii, posse hoc Judæis indulgeri & concedi; quo tanto minus habeant quod de violenta interpretatione conquerantur, & eo fortius in sequentibus constringi queant, in quibus nobis ultro quædam largiuntur.

Sic duæ constituentur hujus Prophetiæ a v. 14. ad 19. partes; quarum *Prima*, promissiones contineat de eo quod Deus illis eo tempore præstiturum se polliceatur, *Altera*, de eo quod postmodum sit futurum, posteaquam restituti, & in terra sua iterum radicati & confirmati erunt, tempore Messiæ.

Nam 1. Judæi has duas partes agnoscunt; & nostro scopo nihil obsunt, 2. Constat, usitatissimum hoc esse Prophetis, ut subinde, de liberationibus temporalibus agentes, maxime de Captivitate Babylonica, ex abrupto quasi evolent, & ab illis transitum sibi faciant ad Liberationem spiritualem per Messiam ipsis inculcandam, itaque arcte sæpe has conjungant & admisceant, quasi de una & eadem re ageretur. Observare hoc licebit ubique, diligenter Prophetas legenti & scrutanti.

Causæ hujus rei sunt plures; 1. quia Liberationes hujusmodi illustriores typi fuerunt Liberationis Spiritualis per Messiam; veluti Eductio Israelitarum ex Ægypto, & in terram Canaan introductio: Liberatio è captivitate Babylonica, & Hierosolymæ restitutio: 2. ut hac ratione populum revocarent subinde a contemplatione & gaudio liberationis corporalis, quæ transitoria & momentanea quasi est, ad considerationem Liberationis spiritualis a Peccato, Diabolo, & Morte, facienda per Eum in quo Omnes etiam reliquæ promissiones ipsis factæ etiam sunt & Amen, a quo, & propter quem, omnis benedictio corporalis & spiritualis in nos redundat, nobisque exspectanda, MESSIAM videlicet; atque ita desiderium ejus acuerent & excitarent, fidem illorum confirmarent. 3. quia nulla amplius liberatio illis insignis & illustris restabat speranda, præter hanc, eaque fieri debebat non ita longo post tempore, stante videlicet adhuc & florente Urbe & Templo secundo.

Prima itaque parte largiamur Judæis, agi seu de Reductione & captivitate Babylonica, seu decem tribuum ex Assyria; & per Pastores promissos intelligi tum Prophetas, tum Gubernatores, singularibus donis Spiritus S. instructos, quales fuerunt Zorobabel & alii, qui tum in Ecclesiasticis, tum in Politicis paverunt populum secundum cor & voluntatem Dei. Neque enim negari potest, huc accomodari posse Prophetæ verba versus 14. & 15.

Secun-

Secunda parte largiuntur illi nobis, agi de temporibus Meſſiæ, ubi prima quæſtio occurrit; *Quomodo iſta verba;* Et erit cum multiplicati eritis, & creveritis in terra in diebus illis, dicit Dominus; non dicent ultra &c. *ſint intelligenda, & ad futura tempora Meſſiæ applicanda?*

Duabus notis, ſeu phraſibus, deſignat Tempus, quo id quod ſequitur ſit futurum;

1. *Et erit cum multiplicati eritis & creveritis*. Abarbenel quærit, quomodo hæc cohæreant cum ſequentibus? & alienum plane ſenſum his verbis affingit. Nos exiſtimamus optime cohærere cum præcedentibus verbis, & cum ſequentibus. Cum *præcedentibus* ita; In illis nimirum indicavit Propheta, illos quidem in patriam eſſe reducendos, ſed non univerſalem fore illam reductionem, ſed, reſpectu eorum qui ſponte & ultro in Babylone manſuri erant, reſtrictam & parcam; dum ait; *Aſſumam unum ex urbe, & duos e familia*: hic jam promittit ipſis multiplicationem & accretionem in terra; ac proinde etiam diuturniorem & ſtabilem in ea commorationem. Cum *ſequentibus*; quia indicat ſic, quid futurum & eventurum ſit, poſteaquam in ea adoleverint, multiplicati fuerint, & radices quaſi egerint; id nimirum quod ſequentibus aliquot dicit verſibus.

2. *In diebus illis*: ſic v. 17. *In tempore illo vocabunt* &c. v. 18. *In diebus illis ibunt domus Jehudah*. Quinam ſunt *Dies illi*, de quibus loquitur Propheta? *Illi ipſi Dies*, de quibus in præcedd. verbis eſt loquutus; quibus ſc. Hieroſolymis erunt multiplicati, aucti, numeroſi, & habitantes. Quinam vero iſti? *Dies*, quibus Hieroſolyma & in ea Templum reædificatum cum cultu ſacro ſtabit, vigebit, florebit, & quidem non proximi ei tempori, quibus Propheta hæc enuntiavit, ſed remotiores, quia Multiplicatio & Accretio illorum non brevi, ſed notabili aliquo Temporis ſpatio, fieri poterat. Uno verbo *Tempus Templi ſecundi*, & quidem *Ultimum*, unde ſæpius in Prophetis, in ſimilibus vaticiniis, deſignatur per אחרית הימים *Finem dierum*, *Ultimos dies*; ut Eſaj. 2. v. 2. והיה באחרית הימים *Et erit in fine dierum, præparatus erit mons Domini* &c. ubi R. D. Kimchi ipſe nobis hanc regulam tradit, כל אחרית הימים הוא המשיח *Ubicunque dicitur* אחרית הימים *intelliguntur dies Meſſiæ*. Sic ait Jacob Geneſ. 49. *Congregamini, & annuntiabo vobis, quod continget vobis* באחרית *in noviſſimis diebus*; inter quæ eſt illuſtris illa Prophetia; *Non recedet ſceptrum de Juda* &c. Sic alibi. *Ultimi* vocantur, non mundi, ſed Status tum præſentis Judæorum, tum Politici, tum Eccleſiaſtici; quia tum ab ipſis prorſus auferri debebat ſceptrum; quia tum Oeconomia Legalis finem erat habitura, Typi, Sacrificia & ceremoniæ Legales omnes abolendæ, Urbs evertenda, Templum deſolandum; quia denique hæc tempora, Meſſiæ ſcil. regni, ultima erunt Mundi periodus, in quam finis ejus incidet.

Sic puto nulla vis infertur verbis Prophetæ, & ſatis plane fluunt omnia. Simul etiam recentiorum Judæorum error redarguitur, quaſi Meſſias circa finem Mundi eſſet venturus, Judæos in terram ſuam ex præſenti exilio reducturus, & illis Urbem, ac Templum novum ædificaturus, atque univerſum Cultum Moſaicum inſtauraturus. Propheta nobis hic tempus Meſſiæ deſcribit ita, quod ſit futurum, dum illi, inde a reductione ex captivitate Babylonica, in terra ſua erunt numeroſi, aucti, florentes, & cultum ſuum exercentes. Et hæc explicatio confirmari poteſt aliis Scripturæ locis, quibus docetur, Meſſiam ſtante Templo ſecundo venturum, quæ peti poſſunt ex authoribus, qui ex profeſſo contra Judæos ſcripſerunt. Atque hæc dicta ſunto de primo, Temporis videlicet circumſtantia. Videnda nunc

II. *Res ipſa*, ſeu, *Quid illud ſit, quod de hoc tempore hic Propheta prædicit?* Duo dicit, v. 16. & 17.

Primo, quid in poſterum non amplius ſit futurum; v. 16. *Non dicent ultra; Arca fœderis Domini, neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur ejus, neque viſitabunt eam, neque fiet ultra.*

Locus inſignis, & meo judicio conſideratu digniſſimus: non enim fruſtra & otioſe Propheta hanc de una & eadem re varietatem & conduplicationem phraſium adhibuit, ſed ſingulare aliquid & maxime memorabile procul dubio notare voluit. Quod & Abarbenel animadvertit; מה צורך בכל ההכפל הזה *Quid*, inquit, *opus fuit omni iſta ingeminatione?* מי יתן וארע *Utinam id ſciam & intelligam!* Videamus paucis; 1. *Verba*, 2. *Senſum*.

Dicit ergo Propheta; *α.* לא יאמרו עוד *Non dicent ultra, Arca fœderis Domini*; ſine expreſſo nominativo, quinam ſint illi, qui non ultra ita ſint dicturi: Quia vero dicit עוד *Ultra*; hinc colligere eſt, illum eos intelligere, qui antea, & ad illud uſque tempus, ita ſoliti erant dicere, Arcam, vel potius Deum ad Arcam colere,

& de ea gloriari; Eos ipsos, qui apud eundem Jeremiam subinde crepabant & Prophetis objiciebant; היכל יי׳ היכל יי׳ היכל יי׳ *Templum Domini*, *Templum Domini*, *Templum Domini*, cap. 7. vers. 4. Omnis enim Templi cultus referebatur ad Arcam, ubi Deus se præsentem testabatur. Deinde, quando tertiæ personæ Verba ita ponuntur sine Nominativo expresso, indefinitam & impersonalem constituunt loquutionem; & sic *Non dicent*, idem est quod, *Non dicetur*, &c. Sic Jerem. 16. vers. 15. 16. *Propterea ecce dies venient, dicit Dominus,* ולא יאמר עוד *quibus non dicetur amplius, vivit Dominus, qui ascendere fecit filios Israel e terra Ægypti: sed, Vivit Dominus, qui ascendere fecit filios Israel de terra Aquilonis*. Quem locum Judæi quoque de temporibus Messiæ exponunt. Sic cap. 23. v. 7. 8. Vide & Jerem. 31. 29.

β. ולא יעלה על לב *Neque ascendet super cor*, h. e. nemo etiam de ea vel *cogitabit*. Hoc enim est *Ascendere super cor*. Jerem. 7. 31. *Quod non præcepi*, ולא עלתה על לבי *neque ascendit super cor meum*; de quo ne cogitavi quidem. Sic cap. 32. 35. Sic explicatur in textu ipso Ezech. 38. 10. ביום ההוא יעלו דברים על לבבך וחשבת מחשבת רעה *In die illo ascendent verba super cor tuum, & cogitabis cogitationem malam*. 2. Reg. 12. 5. כל־כסף אשר יעלה על לב־ איש להביא בית יי׳ *Omne argentum quod ascendet super cor viri ut adferat in domum Domini;* h. e. quod afferre cogitaverit &c.

γ. ולא יזכרו בו *Neque recordabuntur, vel mentionem facient ejus*. Quia enim non cogitabunt de ea, hinc neque ejus mentionem facient.

δ. ולא יפקדו *Neque visitabunt* [sc. eam] vel, ut alii, *Non requirent, non desiderabant eam* vel, *Non deponent eam sc. custodiendam*; in Templo nempe: vel, *Non recensebunt eam*. Quocunque modo sumas, significatur aliquid circa Arcam fieri solitum prioribus temporibus, quod tunc sit cessaturum & finem habiturum.

ε. לא יעשה עוד *Non fiet amplius*. Varie hoc accipiunt & exponunt Interpretes. Quidam, ut Hebræi; *Non fiet amplius; quod sc. ante hac fieri consueverat, ut eam secum educant in bellum*. Alii; *Non fiet amplius, sicut antea, ut ad eam orent, sacrificent, adoleant, & cultum sacrum peragant; horum nihil ulterius ei fiet*. Alii simplicissime & ad literam; *Non fiet amplius*; sc. *Arca*, de qua sola & unica nominatim ibi sermo. Et hæc expositio videtur cum præcedd. quoque convenientissima.

En mirum, & forte non frequenter usurpatum, verborum de una & eadem re apparatum, quo insolitum & peculiare aliquid Prophetam inculcare, & penitus intimis animi medullis imprimere voluisse, non est dubitandum. Quid illud fuerit, id est, de quo nunc nobis dispiciendum.

De Arca Prophetam loqui, concedunt Hebræi. Quos vero illi sensus infarciunt, nimis insulsi sunt & jejuni, uti jam vidimus. Arca Fœderis, uti in superioribus prolixe visum, erat Symbolum externum præsentiæ Divinæ, & ejus q. domicilium, habitaculum, & Solium gloriæ, quod inter Israelitas erexit; Ea intus in se continebat & concludebat Tabulas fœderis, seu Legis Divinæ, extus adjunctam habebat Gloriam Divinam in Nube & Igne apparentem; Ad eam respiciebant & referebantur Cultus omnes, Precum, Sacrificiorum, Oblationum, & similes alii.

Dum ergo Propheta ait; In diebus illis, Messiæ sc. venturi, dum illi in terra sua sint futuri, non amplius dictum iri; illic Arcam esse Fœderis Domini, nullas amplius de ea cogitationes futuras, nullam mentionem &c. significat, illo tempore Arcam, & omnia quæ ad eam pertinebant, quæque eam consequebantur, abolenda esse, & tollenda, Arcam, Legem, Fœdus antiquum, Signa illa & Umbras præsentiæ Divinæ inter homines habitantis; Cultus omnes ad eam fieri solitos &c. Atque ita mutationem harum rerum omnium, aliamque novam Ecclesiæ, & Cultus Divini, faciem futuram, juxta id quod dicitur Jerem. 31. 22. כי ברא יי׳ חרשה בארץ *Quia creabit Dominus novum in terra*: & v. 31. *Ecce dies veniunt, & feriam cum domo Israel, & cum domo Juda fœdus novum*.

Atqui, objicit hic Abarbenel, *secundum hanc expositionem*, הוא ייעוד רע ולא טוב *dicendum, hanc esse Promissionem malam (h. e. Comminationem) non bonam. Liquere autem, hic boni aliquid promitti*.

Respondemus; nequaquam id sequi. Nam ita prædicit Deus harum rerum ablationem & abolitionem, ut alia majora bona earum loco promittat, quæ privationem hanc locupletissime compensent, quarumque Arca cum suis appendicibus nil nisi umbra & typus fuit. Versus enim hic cum seqq. duobus est conjungendus, & initium tantum continet promissionis, quæ in illis plenius proponitur & explicatur; Mutationis scilicet in statum augustiorem & perfectiorem, quæ non est pro mala, vel pœna, habenda. Hæc mutationis consequentia, & persuasio de perpetuitate totius Legis & Cultus Mosaici, facit, ut Judæi hanc expositionem aversentur, quam tamen

tamen veteres aliquando agnoscunt & fatentur. Unde in Medrasch Koheleth cap. 11. v. 8. legitur; תורה שאדם למד בעולם הזה הבל הוא לפני תורתו של משיח *Lex, quam homo discit in hoc sæculo, vanitas est præ Lege Messiæ*. Et in Jalkut Jesaiæ, Num. 296. הקבה יושב ודורש תורה חדשה שעתיד ליתן על ידי משיח *Deus Benedictus sedet & explicat Legem novam, quam daturus est per Messiam*. Quænam est illa *Nova Lex Messiæ*? Novus colendi Dei modus per Evangelii prædicationem, Legem veterem non destruens, sed complens, illi non contrarius sed subordinatus. Dum ergo Propheta totalem Arcæ abolitionem & obliterationem prædicit, insignem innuit mutationem omnium rerum futuram. Itaque videamus nunc, quid futurum, & in Arcæ ablatæ locum successurum promittat.

Secundo ergo, *quid eo tempore sit futurum?* his verbis exponit; בעת ההיא יקראו לירושלים כסא יי׳ ונקוו אליה כל-הגוים לשם יי׳ לירושלם ולא ילכו עוד אחרי שררות לבם הרע *In illo tempore vocabunt Hierosolymam* (vel, *vocabitur Hierosolyma*) *Solium Domini, & congregabuntur ad eam omnes gentes, ad Nomen Domini* (inquam) *Hierosolymam, neque ibunt ultra post duritiem* (vel, ut alii, *post speculationem*) *cordis sui mali*.

Duo hic verbis promittit, 1. quod ea Sanctitas & Gloria, quæ olim attributa fuit Arcæ fœderis, sit futura totius Hierosolymæ: 2. quod ad eam, non ut olim soli Israelitæ, vel Judæi, sed omnes gentes sint confluxuræ, & se congregaturæ.

α. *Primam promissionem*, de Sanctitate & Gloria Hierosolymæ totius, agnoscit ipse Abarbenel, sed male intelligit, & applicat, ad Sanctitatem sc. Israelitarum, quam tempore Messiæ sint habituri, quæque tanta sit futura, ut Arca non amplius sint opus habituri, vel eam desideraturi &c. At hoc delirium vel ipsa experientia refutat. Cum enim Messias venire debuerit stante & durante templo Secundo, Judæis adhuc multiplicatis & florentibus in terra sua, quamnam illi eo tempore sanctitatem præ se tulerunt, vel ostenderunt? Quinimo, si adhuc venire deberet, ubi eam inter Israelitas inventurus esset, nisi ipsemet eam afferret & conferret? Atqui hoc postremum Judæi nolunt, ut qui Messiam nudum hominem fingunt, & ab eo nil nisi corporalia & terrena beneficia exspectant. Itaque sic omnis illis hujus restitutionis spes evanescit: vel alium debent Messiam sistere.

Propheta dicit; *In illo tempore vocabitur Hierosolyma Solium Domini*.

Per *Hierosolymam* intelligi potest vel literaliter & proprie *Urbs Hierosolyma*, vel ea cujus illa typus erat, *Ecclesia Christiana, Hierosolyma illa nova*.

Solium Domini, vel *Thronus Dei*, est gloriosa sedes, in qua Deus quasi residet, dum suam gloriam, præsentiam & Majestatem inde exerit. *Omnis locus, quem Deus ad manifestationem splendoris & gloriæ suæ destinavit, vocatur* כסא Solium, Thronus, scribit Majemonides in More par. 1. Cap. 9. Sic *Cœlum* dicitur „ כסא *Thronus Dei*, Jesa. 66. 1. Sic *Sanctuarium* vocatur כסא *Solium*, Jerem. 17. 12. כסא כבוד מרום מראשון מקום מקדשנו *Solium gloriæ, altum a principio, locus Sanctuarii nostri*. Et quia in ipso Sanctuario, ex Arcæ propitiatorio inter Cherubinos Mosi loquebatur, hinc ibi præcise Thronus ejus fuisse intelligitur, instar Regis, e throno suo regali, cui insidet, responsa & mandata dantis. Unde Psal. 80. 2. *Qui sedes super Cherubin, manifestare*.

Quod si cui placet proprie de Urbe *Hierosolyma* hoc accipere, sensus erit; *In diebus illis, non erit amplius Hierosolyma celebrata ab eo, quod Deus illic in Templo, & in eo in Arca inter Cherubinos resideat, & thronum suum habeat; sed quod Dominus ipse non in Nube & Igne, sed in Carne manifestatus illic sit appariturus, neque per Vocem ex Arcæ propitiatorio egressam, & soli Mosi loquentem, sed publice in Urbe, in Templo, in compitis viarum, in campis &c. docturus, & Evangelium suum prædicaturus, & inde illud per Apostolos suos in orbem universum propagaturus*. Tunc enim *e Tzijon exivit Lex, & verbum Domini de Jerusalem*, Esa. 2. 3. sicut olim verbum Domini ad Mosen ex Arca est egressum. *Tunc venit ad Templum suum Dominus ille, quem in V. T. quæsiverunt*, Malach. 3. 3. Tunc impletum fuit, quod apud Zachariam promisit cap. 3. v. 3. *Revertar ad Tzijonem, & habitabo in medio Hierosolymæ, & vocabitur Hierosolyma urbs Veritatis*, (non umbrarum & typorum,) *& Mons Domini Dei exercituum, Mons ille sanctitatis*. Qui locus nostrum præsentem egregie illustrat.

Quod si quis per *Hierosolymam* intelligere malit *Ecclesiam* in genere, ut innumeris in locis, significabitur, Sanctitatem ejus non amplius uni duntaxat *Loco* alligatam fore, in quo Cultus Divinus exerceatur, vel ad quem dirigatur, sed omni in loco, ubi Ecclesia fuerit, & Deum rite coluerit, Deum præsentem futurum, & solium suum ibi habiturum: juxta illud Christi; *Ubicunque duo aut tres congregati fuerint*

fuerint in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Thronus & Solium Regis erectum, eſt ſignum, Regem ibi præſentem eſſe, Majeſtatem & Regnum ſuum exercere & exerere. Dum ergo *Arcæ* fœderis abrogandæ loco, *Hieroſolymam totam* hac dignitate & hoc titulo ornat, quod futura ſit *Ipſius Solium;* ſignificat non amplius in uno duntaxat loco, & ulnæ vel palmi ſpatio, ut olim intra arcam, præſentiam ſuam quaſi incluſam, & adſtrictam fore, ſed longe latius extenſam. Atque ita majorem hujus novæ Hieroſolymæ, h. e. Eccleſiæ facit gloriam, quam veteris. In hac enim quidem etiam habitabat, ſed non tota, verum in Adyto tantum & Sancto Sanctorum, ubi intra Arcam, inter Cherubinos, Sedere & Habitare dicebatur. Prædicit ergo nunc, hanc dignitatem, quæ Sancti Sanctorum, & Arcæ erat propria & peculiaris, communem fore in illis diebus, Meſſiæ ſc. toti Hieroſolymæ, adeo ut ubicunque in ea quis Deum ſeu colat, ſeu quærat, præſentem habeat. Hoc ſcilicet eſt, quod Meſſias noſter Samaritanæ dixit; *Mulier crede mihi* Ἔρχεται ὥρα *venit tempus* (h. e. propinquum & ante fores q. eſt) *quando neque in monte hoc* (Garizim,) *neque Hieroſolymis adorabitis Patrem: ſed venit hora,* καὶ νῦν *& nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate,* Joh. 4. 21.

Altera hujus promiſſionis *pars* eſt; *Et congregabuntur ad eam omnes gentes, ad Nomen Domini, Hieroſolymam* (ſc. *ibunt*, vel ad Nomen Domini Hieroſolymis, *ſc. invocandum & colendum,*) *& non ibunt ultra poſt duritiem, vel, lubitum cordis ſui.*

Uti in præcedentibus verbis egit de dignitate & amplitudine Loci: ſic in his de *Amplitudine perſonarum.* Olim Eccleſia Dei unius tantum populi Iſraelitici anguſtiis erat incluſa & circumſcripta, ceteræ gentes ab ea arcebantur & alienæ erant: ibi *notus erat tantum in Jehudah Deus, & in Iſrael tantum erat magnum Nomen ejus: in Salem erat tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Tzijon,* Pſal. 76. 1. 2. Tum *annuntiavit verbum ſuum Jacobo, ſtatuta & Judicia ſua Iſraeli: neque fecit ſic ulli Genti,* Pſ. 147. 20. *Nulla alia gens fuit, cui Deus tam propinquus eſſet,* Deut. 4. 7. Hic vero promittit jam promiſcue *Omnium Gentium ad eam congregationem*, ex quacunque illi ſint natione, tribu & lingua, & quidem *ad Nomen Domini illic colendum & invocandum.* Quod idem eſt cum eo quod apud Malachiam prædixit Deus cap. 1. v. 11. *Ab ortu Solis, uſque ad occaſum ejus, magnum erit Nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſuffimentum offeretur Nomini meo, & munus purum:* כי גדול שמי בגוים *quia magnum erit Nomen meum in Gentibus.*

Emphaticum eſt, quod dicit; *Omnes Gentes.* Id Lyra non male explicat; *Aliqui ex omnibus Gentibus per fidem charitate formatam*, h. e. per charitatem efficacem.

Ad Nomen Domini, Hieroſolymam; Jam ante nominatim mentionem fecit Hieroſolymæ: quod hic illud repetit quoque, emphaticum eſt, & ex uſu linguæ, quæ ſolet ea, quæ maxime ſunt notabilia, iterato ſæpe inculcare, ad mentem lectoris ad attentionem excitandam. Mirum autem erat tum temporis vaticinari de congregandis ad Hieroſolymam gentibus, quæ tanto intervallo ab ea diſtabant.

Ad Nomen Domini; ſc. invocandum & colendum, una cum reliquis fidelibus, h. e. convertent ſe a ſuis Diis, & a ſuis vanitatibus, ad verum Deum agnoſcendum, confitendum & colendum: Vel, *Ad verbum Dei* vera fide complectendum, h. e. Evangelium Regni Dei: nam & hoc ſæpe per *Nomen Domini* intelligitur, quia ſicuti Deum ex ipſius Nominibus cognoſcere addiſcimus, ſic etiam ex ejus Verbo: Vel, *Ad Nomen Domini,* h. e. *ad Meſſiam*, qui, ſecundum Hebræos, aliquando etiam hujus phraſeos nomenclatione inſignitur, cuique Nomen יהוה, itidem ex Judæorum confeſſione, tribuitur: Sic enim legitur in Bereſchith rabba, citante Raymundo Martino in Pugione Fidei, par. 2. cap. 11. §. 21. Citatur ibi locus, cum hoc noſtro prorſus parallelus, Soph. 3. 9. *Quia tunc vertam ad populos labium electum, ad invocandum omnes Nomen Domini, & ad colendum eum humero uno;* ad quæ verba dicto in libro ſcribitur; אין שם יי׳ האמור כאן אלא מלך המשיח *Non eſt Nomen Domini, cujus hic ſit mentio, niſi Rex Meſſias, ſicut dicitur,* הנה שם יי׳ בא ממרחוק Ecce Nomen Domini venit a longinquo, Eſa. 30. v. 27. Quod Nomen יהוה Meſſiæ competat, atque etiam inter ejus Nomina a Judæis referatur, jam dudum ex ipſorum ſcriptis probatum dederunt Raymundus Martini, Galatinus, & alii, quorum ſcripta hic compilare nolumus.

Confitentur Judæi ſponte, agi hic de Vocatione Gentium ad Cultum Veri Dei Iſraelis tempore Meſſiæ & ejus regni, ut & pluribus aliis locis, quæ ipſimet producunt, & ſuppeditant, quia ea tam aperta ſunt, ut negare non poſſint, veluti Eſa. 2. 2. & 18. 7. & 19. 18. 19. & 60. 1. 2. 3. 4. &c.

Differentia eſt in eo, 1. quod illi Adventum Meſſiæ, & ſic hanc converſionem gentium

gentium, rejiciunt in finem Mundi, & cum Resurrectione mortuorum conjungunt, quam regnante Messia futuram volunt. 2. quod illi Regnum Messiæ terrenum somniant, qui, debellatis omnibus ipsorum inimicis, pacem universalem in orbe sit effecturus, Judæos in pristinam, & majorem, gloriam & potentiam evecturus, & sic, seu per mille, seu per quotquot annos, regnaturus, & una secum Judæos universi orbis, & omnium gentium Dominos facturus. 3. quod fingunt, Messiam Veterem Cultum Mosaicum cum universa ejus pompa magnifice instauraturum, cujus admirandus & venerandus splendor, cum Judæorum liberatione, gloria, & omnigena prosperitate, sit Gentes permoturus, ut, missis suis vanitatibus, una cum Judæis humero uno, Deum eundem, eodem modo agnoscant, colant, & confiteantur. Verum in hæc nunc digredi, & ulterius cum Judæis congredi, non est præsentis nostri instituti.

Præsens hic locus, secundum expositionem allatam, & magna ex parte Judæorum principiis innixam, docet, Adventum Messiæ, non in fine Mundi, sed in fine Dierum Legis, & Templi secundi, futurum: & eo tempore, Arcam cum universo cultu ad eam spectante & relato, non tantum non amplius in usu futuram, sed ne quidem ejus mentionem quenquam de ea facturum, vel cogitaturum, multo minus reparatum iri: Ecclesiam neque amplius externas has ceremonias & umbratiles cultus usurpaturam, neque ad eam, vel in Templo Hierosolymitano, cultum suum peracturam, neque angustiis Judææ & unius populi Judaici finibus inclusam iri, sed ad eam ex omnibus Gentibus confluxuros, qui missis inanibus cordium suorum speculationibus, Idololatriis, & ἐθελοθρησκείαις, ad Deum verum & vivum, in Messia Gloriam suam manifestantem, se convertant, eum in Spiritu & veritate, sine discrimine locorum invocent.

Et sic omnino existimamus, præsentem locum illustrem valde continere Prophetiam de Arcæ, & totius cultus ceremonialis, abrogatione, mutatione, & novi introductione; atque ita recte & solide concludi & inferri posse, Arcam tempore Messiæ Judæis non amplius restituendam esse. Non frustra tot verborum & phrasium de Arca congerie hic usus est Propheta. Et quæcunque Judæi contra hæc asserunt, ita sunt futilia, ut nemini ea facile sint persuasuri. Abarbenel communem cæterorum Rabbinorum expositionem, ceu absurdam & frivolam, refutat. Non dubito, si illi reviviscerent, & ipsius expositionem viderent, quin eodem eam judicio condemnarent. Itaque cum videamus 1. nihil solidi contra hanc interpretationem afferri posse, 2. eam cum antecedentibus & consequentibus apte, & sine ulla vi aut detorsione, cohærere & conciliari, 3. consentire cum pluribus aliis Scripturæ locis, quæ idem, quod nos hinc elicimus, manifeste & aperte tradunt, nil causæ video, cur ab ea recedamus, vel de alia cogitemus.

Reliquum columnæ hujus spatium compleat, quod de Virginum explorata olim ad Arcam integritate scribunt Hebræi, & sic ad Effecta Arcæ referri potest. R. D. Kimchi Judic. 21. 11. Dicitur ibi in textu; *Hoc est autem quod facietis; Omnem masculum, & omnem mulierem, quæ experta est concubitum virilem, interficietis*; v. 12. *Et invenerunt &c.* Ad hæc verba scribit ille; והיאך נודע זה יתכן כי חעבירים לפני הארון ומי שקלטה הארון היא הבתולה *Et quomodo hoc cognoscere potuerunt? Fieri potest, ut transire fecerint eas ante Arcam, ut quam receperit & retinuerit Arca, fuerit Virgo*. Sic ille. Præter illum autem apud nullum alium authorem de hoc legere meminisse possum. Alii scribunt, *ipsos transire fecisse eas* לפני הציץ *ante Coronam* [sc. Pontificis maximi:] *quæ virum experta erat, ejus facies flavescebat, seu pallebat*. Sic probatas fuisse filias Midjanitarum, Num. 31. Hunc tamen modum non probarunt, quia de hac Corona scriptum est; לרצון *In beneplacitum eis coram Domino*, Exod. 28. 38. *In beneplacitum*, ajunt, esse debebat Corona illa, non לפורענות *ad pœnam*. Itaque tertium modum, qui vulgaris magis, habebant, לחושיבם על חביות של יין *imponendo eas Dolio vini*, בעולה ריחה נודף בתולה אין ריחה נודף *Subactæ odor diffundebatur; Virginis non item*. Hoc experimento scribunt exploratas fuisse Virgines Jabes Gilead. Vide de his Talmud, in Jevammoth cap. 6. fol. 60. 2.

THEO-



THEODORI HASÆI DISSERTATIO DE העץ שטים SIVE DE LIGNO SITTIM,

Ad illustranda multa S. Scripturæ loca.

ARGUMENTUM.

§. 1.



Omina. §. 2. Usus, præcipue in vasis tabernaculi. §. 3. Locus ES. XLI. 19. §. 4. Quid sit נחל השטים *JOEL III. 18. Non est torrens, Kedron; Ille non a cedris nomen habet. §. 5. Sed est vallis Sittim, in Moabitide; Cujus illa sit emblema. §. 6. Dicta ab ubertate lignorum* Sittim. *Sæpe urbes dictæ, ab arboribus, quæ ibi locorum crescebant. v. gr.* Thamar, Alon, Digla, Rimmon, Tapuah, Bacha, Gophna; Sanim, Zanatha, *&c. Vallis* Siddim; *Cur a LXX. vertatur,* κοίλας ἁλυκή. *Ob sal bituminis: quod ibi effoditur. §. 7.* שטים *a variis varie explicatur. Quomodo LXX. transtulerunt,* σχοίνων. *Hoc ipsum videtur esse* שטים. *§. 8. Sententia Danæi, qui per* Larices *explicat, examinatur. Larices an flammas ægre concipiant. Unde Larix dicta. Paucis in locis cognita. §. 9. Aliorum opiniones. §. 10. Quidam* ἐπέχουσιν. *§. 11. An fuerit* cedrus? *§. 12. Quod refutatur argumentis. §. 13. Transitur ad indagationem arboris. In quem finem* postulata *præmittuntur; §. 14. Fuit illa* spina *ita dicta* Arabica, *aut* Ægyptia, *sive* acacia. *Hæc describitur ex scriptoribus Græcis,* Herodoto, Theophrasto, Dioscoride, Ægineta. *§. 15. Latinis* Plinio, Servio, Hieronymo, *qui emendatur. §. 16. E recentioribus* Brunfelsio, Bellonio, Prospero Alpino. §. 17. Veslingio, *Valerio* Cordo, *Castore* Durante, §. 18. *Ex periegetis nostri ævi;* Coppino, Neitschitzio, Dappero, Fuhrero, Thevenotto. §. 19. (1) *NOMINA.* Ἀκάνθη, Ἄκανθος, *SPINA Arabica, Ægyptia, Indica, Thebaica, Acacia, (quo nomine etiam ejus succus appellatur) Cachia; Illustratur Virgilius.* Acanthus, *quæ* Brancha Ursina *alias. §. 21. Segul, Schock, Skials, Schamuth, Spina Syria, Alexandrina: §. 22. Præcipuum autem est* שטים, *quod latet apud* Ægy-

Ægyptios in vocibus Sant, Zante, Sonte, Setta, Σάττεμ, σάττιεν, Σήτινα δένδρα, Setan, dorn *est* דרדר, *Et Arabes*, Santon, Schont, Sant, Sent, Seitan. §. 24. *Unde vox* שטים *derivanda*. §. 25. (2) *Loca, in quibus nascitur. Cur simul* Ægyptia *&* Arabica *dicatur*. §. 26. *Provenit in* Ægypto, *in agro Thebaico, in Tindio; In* Abydo, *Urbs* Ἄκανθος, Ἀκανθόπολις. §. 27. *In* Ἀβύλῳ. *Quænam ista urbs? Legendum in* Ἀβύδῳ. *Emendatur Strabo*. §. 28. *In* Arabia. §. 29. *Præsertim in via, qua ex Ægypto itur ad Sinai*. §. 30. *Inde lignorum Sittim copia Israelitis in deserto esse potuit*. §. 31. *In* Cappadocia, Ponto, Babylonia, Mesopotamia. §. 32. *In* Palæstina, *insula* Cereina, Gallia, Germania, America. §. 33. (3) *MAGNITUDO*. §. 34. (4) Figura. §. 35. (5) *Reliqua, quæ huc pertinent*. Caudex, Cortex, spinæ, flores, fructus *describuntur*. §. 36. *Hi vocantur* Alkarath, *&* Olafon; *quæ non sunt Arabica, sed Græca*; Κεράτιον, λόβος. §. 37. (6) Succus *Acaciæ, Gummi Arabicum, Babylonicum*, Sonti. §. 38. (7) *USUS, qui est multiplex*. (α) *In* medicina, §. 39. *In ædificandis domibus, conpingendis navibus, & conficiendis vasis, in præparandis baculis*. §. 40. *in pascendis animalibus*. §. 41. *In nectendis corollis, in suffiendo*; §. 42. *In præbendo umbram, in conficiendo atramento*. §. 43. *Reliqua* (8) attributa, *quod visu amœna; accepta naribus*, §. 44. *duritiei singularis, & viroris perpetui*. §. 45. *Ex comparatione eorum, quæ in Sittim requiruntur cum iis quæ in spina Arabica deprebendimus, concludimus, hanc esse, quæ* lignum Sittim *in sacris dicitur*. §. 46. *Occurritur objectioni, quod non tantæ sit magnitudinis, quæ tribuitur ligno Sittim*. §. 47. *Ex hac spina compactam fuisse coronam Christi spineam probabiliter concluditur*. §. 48. *Unde fuerunt jam ab antiquis temporibus, qui de hac arbore cogitarunt, inter Judæos, Romano-Catholicos, & Protestantes*. §. 49. *Est illa elegans imago Christi* §. 50. 51. *& membrorum ecclesiæ*; §. 52.

§. 1.

QUantum literatus, præcipue autem cœlesti consecratus disciplinæ orbis τῷ πάνυ BOCHARTO debet, quod animalium Biblicorum historiam nobis luculentissimis commentariis illustratam reliquit, tantum profecto illos quos similem in modum conscriptos de *Paradiso* & *phytologia sacra* vel confecerat, vel pollicitus erat, libros evanuisse, saltim non apparuisse, dolendum est. Quanquam enim labor ille, quem in *Hierophytico sacro* non ita pridem adornando exantlavit Matthæus *Hillerus*, Theologus ac Philologus egregius, sit insignis, nec sua defraudandus laude, eaque amplissima, non tamen ille totum nobis BOCHARTUM per omnia reddidisse videtur. Huic si licuisset profligare, quod inchoaverat, opus procul dubio certiora nobis constarent etiam de שטים עץ *ligno* sive *arbore SITTIM*, cujus in sacris non infrequens occurrit mentio. Eam enim Bochartus rerum scriptorumque orientalium, inprimis Arabicorum, sine quibus in hoc quidem studiorum genere nihil, quod operæ pretium sit, conficias, habebat copiam, ut qui cum eo posset paria facere, adhuc repertus sit nemo. Non despondendus tamen est animus, sed sperandum surrecturum aliquem, isti operi, qui supponat humeros, parique, si pote, successu expediat. Interea eundum est, qua possumus, si ire non datur, qua volumus, & si non statim occurret, totum qui sibi paradisum exornandum visitandumque eligat, forte, si complures singulas plantas, flores, arbores sibi lustranda, curandaque solerti opera sumserint, hortum sacrum in aprico positum habebimus. Nos rei faciemus periculum, & in curiosiori contemplandis oculo, Lignis SITTIM & *Mosis RUBO*, jam quidem specimen qualecunque exhibebimus.

§. 2. Quod ad NOMEN arboris SITTIM ejusque genuinam significationem & ἔτυμον adtinet, de iis dissertatione sequenti uberius disserendi dabitur locus. Nunc id tantum monemus varie illam vocem, & tantum non cum omnibus vocalibus scriptam, pronunciatamque fuisse. Jonathan habet שיטא vel שטה, Onkelos שיטין, Syrus ܫܘܛܐ, *Sotim*, Hieronymus ad Es. XLI. 19. *Settim*. Et in *Onom. loc. s. Scripturæ SATTIM*. Aquila & Symmachus Σήττα, LXX. σάττεμ, Num. 25. 1. σήττειν, Sattein Jos. II. 1. aut σάττειν Jos. III. 1. ξύλον ἀσήπτον, Dioscorides Σήτινον δένδρον. Vulgatus *Setim*, *Eusebius* in Onom. Στάγιν *Stagin*. Arabs سنط, Ægyptii *Sont*, *Zanti*.

§. 3. USUS ejus potissimus erat, ut materiam præberet istis rebus, quæ ad tabernaculum Mosaicum olim spectabant in primis. Ex eo ligno facti sunt tabulæ atque asseres Tabernaculi arrectarii Ex. XXVI. 15. XXXVI. 10. illorum *transtilla* Ex. XXVI. 26. *Altare* tabernaculi Ex. XXVII. 1. ejusque *vectes* Ex. XXVII. 6.

Altare ſuffitus Ex. XXX. 1. XXXVII. 25. ejuſque *vectes* Ex. XXX. 5. XXXVII. 28. *Altare holocauſtorum* Exod. XXXVIII. 1. ejuſque ἀναφορεῖς vſ. 6. Præcipue ex hoc ligno fabricata fuit glorioſum illud præſentiæ divinæ pignus ARCA *fœderis* ſive *teſtimonii*, Ex. XXV. 10. XXXVII. 1. Deut. X. 3. ejuſque *vectes* Ex. XXV. 13. 28. XXXVII. 4. 15. 28. *Menſa propoſitionis*, Ex. XXV. 23. XXXVII. 10. ejuſque *vectes*. Ex. XXV. 28. & XXVII. 10. *Columellæ* denique *velorum* Ex. XXVI. 32. 37. XXXI. 36. Pariter inter oblationes ſpontaneas populi numerantur ligna *Sittim*; Ex. XXXV. 7. 24.

§. 4. Sunt alia loca, quæ τῶν SITTIM meminerunt. Etenim id fit Eſ. XLI. 19. ubi inter arbores pulcherrimas, pinguiſſimas, optimas, fragrantiſſimas amœniſſimaſque v. gr. *cedrum*, *myrtum*, *balſamum*, *abietem*, *buxum*, & תאשור, quam *ſorbum* faciunt, quoque שטה recenſetur, promittiturque fore, ut in *locis incultiſſimis*, nec aquis divinæ gratiæ irrigatis, in deſerto hujus mundi, inſignes pietate, & virtute Viri pergratum odorem virtutum ſpirantes, doniſque Spiritus S. largiter imbuti exiſtant, floreantque.

§. 5. Occurrit etiam τῶν שטים mentio apud prophetam JOELEM III. 18. ubi dicitur *fontem e domo Dei exiturum*, & irrigaturum את-נחל השטים *torrentem* ſive *vallem Schittim*, נחל enim recte utroque modo transfertur, vel *rivus*, vel *vallis*, quia, quæ valles ſunt tempore æſtivo, cum eas ſol exſiccavit, ingruentibus imbribus hyberno tempore fluminum ritu labuntur. Quæritur, quid per illum ſit intelligendum? Quamquam enim ſpiritualis ſenſus hic locum habeat, quod jam Aben-Eſra & Abarbenel, Judæorum præſtantiſſimi, obſervarunt, ſenſus tamen prius literalis eruendus, ac ſtatuminandus eſt. Fruſtra enim ſane laboratur de ſenſu myſtico, antequam de proprio ac nativo ſatis conſtet. In quem tamen lapidem nimium profecto impegit adhuc interpretum multitudo. Sed de eo conquerendi heic non ſatis aptus locus eſt. C. VITRINGA, P. vir magnus, (*a*) cum locum quæreret, non procul a templo Hieroſolymitano diſtantem, in quem aquæ, quæ in templo per ſubterraneos adyti meatus dilabebantur, quique heic loci intelligendus eſt, in eas cogitationes devenit, heic loci rivum Kedron, ἀπὸ τῶν Κέδρων dictum, eſſe intelligendum, in quo illæ aquæ olim reciperentur, atque hunc eſſe נחל השטים, quod ſimul exiſtimaret in eo Judæorum ſecutus veſtigia שטים ſignificare *cedros*; Sed cauſæ adſunt, quibus impedior, ne huic opinioni premam pollicem. Nam [α] promittitur aliquid ſingulare, atque mirum; tale autem non erat, quod fons aquarum ex templo fluens undas ſuas exoneraret in Kedronem. Id enim, dum templum ſtetit, ſemper factum eſt. Ille [β] rivus Servatoris nobilitatus tranſitu nunquam & nuſquam appellatur vallis *Sittim*, vellem vel unicum ſaltim rei ejus fuiſſe datum teſtimonium. Ecquis pro lubitu affinget rebus nomina? [γ]. Kedronem a Cedris fuiſſe denominatum, quæ in ejus fuerint marginibus conſitæ, dubitatur jure merito a viris eruditiſſimis, cum jam antiquiſſimis temporibus atque adeo Davidis ævo hoc nomen obtinuit, ut patet ex 2. Sam. XV. 23. 1. Reg. XV. 13. 2. Reg. XXIII. 4. Cedri autem Hebræis dicuntur ארזים, & ſic debuiſſet dici נחל הארזים; non קדרן, nec ſingulari, ſed plurali numero הקדרונים id nominis ſcribendum fuiſſet, uti non legitur הר הזית ſed הר הזיתים, *mons olearum*, Pariter [δ] pone, hanc vallem a cedris dictam, cedri tamen non ſunt arbores Sittim, ut deinceps luculenter oſtendemus. Ne dicam, [ε] ligna Sittim propter Hieroſolymas, ſaltim abundanter creviſſe, id vero nondum eſt probatum, cum ſint, ut deinde audiemus, qui tales arbores ibi viſas eſſe plane negent. Hæ ſunt rationes, quibus fit, ut nondum vallem vel rivum *Sittim* eundem cum torrente *Kedron* eſſe, & apud Joelem indicari, perſuaſus ſim.

§. 6. Non itaque opus eſſe arbitror, ut a propria ſignificatione recedamus, ſed hic intelligamus locum, ab arboribus dictum SITTIM, (*b*) qui commemoratur Num. XXV. 1. XXXIII. 49. Joſ. II. 1. III. 1. & Mich. VI. 5. Erat ille poſitus in campeſtribus Moabitarum, capitalium Iſraelis hoſtium, trans Jordanem, ita tamen ut non procul ab illo abeſſet; A mari mortuo diſtabat tribus circiter, quatuorve milliaribus. Hunc innuit Benjamin Tudelenſis, quando in itinerario ſuo, ſive מסעית pag. 44. ſcribit ex monte oliveti conſpici poſſe כל ארץ הככר ונחל השטים על הר נבו *Totam planitiem, & vallem Schittim uſque ad montem Nebo*. Ad terram ſanctam proprie non pertinebat, licet deinceps etiam pars ejus ceſſerit Rubeni. Propudioſo Baal. Peoris cultu, & ſcortationibus fœdiſſimis populorum, cum quibus nullam

(*a*) In libro vernaculo; *Inleydinge tot het rechte verſtand van den tempel Ezechielis* (Franeq. 1687.) T. II. p. 390. ſqq.

(*b*) Neque enim moramur Judæorum ineptas allegorias, qui explicant quaſi שטות, i. e. ſtultitiam, quod in illo loco Iſraelitæ commiſerunt מעשה שטות i. e. factum ſtolidum. Vide JalKut p. 1. fol. 244. col. 4. Bechorot fol. 5. 6. Sanhedrin. fol. 106. 1. שפתי חכמים ad Num. XXV. 1.

lam Deus populo suo volebat esse necessitudinem, & cæde XXIV. millium & maledictionibus Bileami, & infestatione regis Balaci factus est infamis. Potest itaque elegans symbolum esse hominum a fœderibus Dei alienorum, idololatrarum, hostium Dei, blasphemorum, & sceleribus, scortatione præsertim spirituali, diffamatorum. Quando igitur in oraculo dicitur *fontem e domo Domini egressurum*, *& irrigaturum vallem Sittim*, innuitur cum allusione ad fontem, quem e templo manasse, non solum constans Judæorum docet traditio, sed & loca Ez. LVII. 1. sqq. Zach. XIV. 8. Apoc. XXII. 1. huc aperte alludentia confirmant, aquas salutarium donorum, doctrinæ Evangelicæ, Spiritus sancti, quæ *tria* potissimum sub symbolo aquarum proponuntur, ex ecclesia, quæ domus Dei est, emanaturas, & abunde irrigaturas vallem Sittim, i. e. regiones etiam extra Palæstinam sitas, a gentilibus, atque hostibus Dei inhabitatas, & turpissimo idolorum cultu, & spirituali scortatione pollutas insigniter. Quo, ut cum Hieronymo loquar, *spinas nostras*, *& vitia atque peccata*, *quæ nullam frugem habuere justitiæ*, *commutent in Domini novalia*, *& ariditatem nostram rigent aquis purissimis*, *& pro spinis ac vepribus*, *flores virtutum multiplices germinemus*.

§. 7. Inditum autem huic loco nomen est ab arbore SITTIM, quod ibi ejus uberior esset proventus. Atque ita heic accidit, quod alias frequenter, ut arbores videlicet appellationem dederint urbibus, vallibus, montibus, locisve aliis, illis quæ abundabant. Vicus prope Æliam, & urbes Benjaminitarum, Simeonitarum, Zabulonitarum dictæ *Rimmon* a רמון, quæ vox notat *malum Punicum*. Urbes, tribuum Judæ, Ephraimi insignitæ sunt nomine a *malis* deducto תפוח & בית-תפוח. Cui ignota est urbs Syriæ תמר, *Thadmor*, *Palmyra* a Salomone condita, aut urbs Judææ ad Asphaltiten lacum, quam Ptolomæus vocat *Thamaram*, utraque dicta a תמר, *palma*, quod palmetis vicinia ferax esset? Ita a *quercubus* אלון, *Alon* oppida Danis & Naphthali, uti a *moris* urbs ברא, quæ Tyrios a Galilæis dividebat, appellata fuere. Sic civitas *Gophna* vel *Guphna*, quæ erat vel Judæ, vel Ephraimi, quamque toties Josephus memorat, nihil est aliud, quam נפן *vitis* confirmante id Eusebio in voce φάραγξ βότρυος. Ἡ γόφνα, ἄμπελος ἑρμηνευομένη. Simili ratione ex sententia Bocharti Geogr. p. I. L. I. c. 4. נופר Gen. VI. 24. significat locum cupressis consitum, דבלה, *ficuum massa* denominationem dedit urbi Moabitarum Ezech. VI. 14. uti & patriæ uxoris Prophetæ Hoseæ Hos. I. 3. Et, veluti oppidum Judæ nominatum fuit צנן Jos. XV. 37. & mentio fit urbis צאנן Mich. I. 11. quæ *a spinis* denominatur ibi locorum largiter provenientibus, ita parilem ob causam appellatio data est locis, *Sittim* dictis. Sic & hic locus dictus, quemadmodum Σεννὰ a סנה testibus Hieronymo, Eusebioque locus in finibus Sebastes in regione Acrabattine, pariter, uti Ζόαθα urbs Arabiæ Petrææ apud Ptolomæum. Hanc autem vallem השטים, non crediderim aliam esse, quam עמק השדים, quæ commemoratur Gen. XIV. 8. 10. & in vicinia maris mortui sita erat. Alexandrini Interpretes transferunt κοιλάδα ἁλυκὴν, *vallem salsuginosam*. Quæritur, quid illa sibi velit? Responsio in promtu est. Dicta est ita ob copiam fontium חמר, i. e. bitumine, quod inter salia præstantissimum habebatur, abundantium, quod discimus ex Gen. XIV. 10. Sed hæc obiter.

§. 8. Variæ sunt variorum de arbore שטים sententiæ. Οἱ ἑβδομήκοντα diversimode exponunt, unde colligas, neque ipsos de re satis fuisse certos, neque (*c*) iisdem hominibus totam illam translationem deberi, quorum nomina præ se fert. Sæpius, sc. vicies quater virtutem proprietatemque indicaturi, & cedrum respicientes vertunt ξύλα ἄσηπτα, in quo aperta est ad Σήττιν allusio. Eadem hac locutione utuntur 2. Par. III. 10. ubi describitur opus מעשה צעצעים (*d*) quod explicant per δύο χερουβὶμ, ὁ ἔργον ἐκ ξύλων ἀσήπτων, inde factum fuit, quod putarent Cherubinos illos ex lignis Sittim fabrefactos. Quandoque ipsam vocem Σήττιν retinent; Num. XXV. 1. Jos. II. 1. III. 1. ubi Σάττειν vertunt. In loco Numerorum Aldinus codex habet Σάτγειν, Oxoniensis Σαβέτειν. Interdum certam arboris speciem designant, ut quando vertunt πύξον *buxum* Es. XLI. 19. Bis transferunt τῶν χοινῶν vel χοινίων, funiculorum Joel III. 18. & Mich. VI. 5. Aperte constat heic vocem esse corruptam & loco χοινῶν *junctim* scribendum χίνων, *lentiscorum*, quod jam suo tempore adnotavit Hieronymus, quamquam Jo: MORINUS in exercitationibus sacris L. I. ex. VI. c. 8. id excusare conatur quasi per metonymiam effectum ponentes pro causa ita transtulerint. Est vir doctus, qui conjecit forte χωτῶν, non χινῶν, ibi legendum esse.

(*c*) Rectissime hinc colligitur non ab iisdem auctoribus illam τῶν ό versionem consarcinatam esse. Qui enim Pentateuchi autores sunt, constanter explicant per ξύλα ἄσηπτα, nisi quod, ubi nomen proprium est, retineant ipsam vocem.

(*d*) De iis dissertationes Viri juvenis singularis expectationis J. H. A. DORIEN vide, quarum primam Musæo meo inserui Tom. II. p. 260. sqq. quam altera propediem sequetur.

esse. Sed quid? si vocem ipsam שטים ita expressam dicamus, Sittim, Schintim, & elistot Schinim; σχινῶν & correpte σχοινῶν.

§. 9. De HIERONYMI sententia mox plura monebuntur. Lambertus DANÆUS in *physicæ Christianæ* Tr. III. c. 76. ita quid senserit exponit. *Ego, si modo aliquis conjecturis locus relinquatur, existimo Sittim arbores esse eas, quas LARICES optimas Græci vocant; sunt enim hujusmodi, ut nulli fissile rimis sit hoc genus arboris, itaque se a carie conservet, odore non sit injucundo, mellei s. crocei coloris, tractabile. Quod in montibus nascitur & saxosis locis, &, quod dictu mirum flammam ex igne non concipit, tardeque & ægre comburitur. Perpetuo ergo Dei tabernaculo perpetua quoque, & imputribilis hæc arbor, & materies maxime consentanea esse videtur*. Hæc Danæus. Sed cur ei assentiri nequeam, sequentes sunt rationes. (1) Quod nihil reperiatur, sive nomen, sive attributa spectes, quod ad Sittim referri possit. (2) Quod in illis locis, in quibus ligna Sittim adhibita leguntur, laricum nulla copia. Extra Italiam vix nomen notum. Audiamus VITRUVIUM L. II. c. 9. p. 35. *Larix non est notus, nisi his municipibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi & littora maris Adriatici*. HARDUINUS in Plinium fatetur hanc arborem in certi alicujus nominis Gallici possessionem venisse. In Germania invenitur in sola Silesia. Bellonius Græciæ fuisse ignotam scribit & Clusius Hispaniæ. A plagis orientalibus plane abest. (3) Quod nemo veterum vel recentiorum in eam opinionem unquam venerit. Vix autem potuisset id fieri, si aliqua probabilis ratio illius rei potuisset dari. (4) Interea, quæ de ejus virtute, qua dicitur ægre flammam concipere, & comburi, leguntur passim apud PLINIUM L. XVI. c. 18. PALLADIUM in mense Novembri, VITRUVIUM l. c. ISIDORUM [e] Orig. L. XVII. c. 7. alios. Ea negant prorsus *Matthiolus* epp. L. IV. 1. ad *Ulyssem Aldrovandum*, & in comm. ad Dioscoridem L. I. p. m. 80. editionis Venetæ a. 1560. HARDUINUS in Plin. l. c. BRODAEUS Miscell. L. III. c. 3. Joh. BODAEUS a Stapel in *Theophr.* de plantis p. *166*. J. C. SCALIGER in exerc. contra Cardanum.

§. 10. Levinus LEMNIUS Herbarii Bibl. c. 37. *citrum* fuisse conjicit, sed adducta argumenta contra laricem etiam contra hanc sententiam pugnant. Cui accedit, quod citri magnitudo longe infra illam magnitudinem sit, ut ex ea cædi possint asseres, quales arbor Sittim Israelitis ad exstruendum tabernaculum præbuit. Quæ etiam ostendunt, quid sentiendum sit de illorum opinionibus, qui heic de buxo, picea, lentisco, similibus agi existimant. Lutherus vertit föhren; [f] föhren, föhren, quæ *pinum* Germanis notat. Uti Tigurini, foh rinen, idest, einem föhren Baum, sed vilior hæc arboris species est, quam ut heic locum commode habeat, nec in istis regionibus ejus, quod sciam, est copia, Dani tamen eum sequuntur ut alias, & vertunt *Tyr-træ*, & Sueci, qui habent *Furotra*. Præeuntes autem omnes habent Talmudicos, in rosch haschana fol. 25. 1. Bavabasra fol. 80. 2. & Taanis fol. 25. 2. citante Buxtorfio, qui in loco Esaiæ שטה vertunt תורניתא, i. e. *pinum*. Versio Dialecto scripta Saxoniæ inferioris habet *Boeken*, i. e. Buchen; *fagum*. Piscator; Hartz bäume, i. e. arborem *resinosam*, Judæorum Germanica; Dannenholtz: Persa reddidit שמשר. Syrus explicat אש כרעה, quam vocem in loco Es. XLI. 19. adhibet Jonathan Targumista, & quam latinus Syrus interpres reddit *Ebenum*. Arabs سنط aut אל סנט, quod latina versio transfert, ex *ligno Sancto*, quod idem esse cum שטה & שטים proxime demonstrabitur.

§. 11. Non desunt, qui egregium & modestiæ & sinceritatis exhibent documentum, qui se, quid illud arboris fuerit, vel plane ignorare confitentur, vel saltim valde dubitanter & sine affirmatione loquuntur. Huc quoque pertinent, qui ipsas vocis literas retinendas sibi censuerunt. Id fit ab Hieronymo Es. XLI. 19. & in Joel. III. 18. & eodem loco ab Aquila, a Samaritano, a Chaldæo, abs Arabe, a Symmacho; Santes Pagninus *ligna Sittim;* C. *Uhlenbergius*, Holtz Setim, qui sequitur Vulgatum, qui habet *ligna Setim*. Belgice, *Schittim hout*. Angli *Shittim wood* vel *Shittah tree*; Versio Cambrica, *a choed Sittim*, Seb. *Schmidius* SCHITTIM transtulerunt. Huc τὐς ἑβδομήκοντα, qui Pentateuchum Græce loquentem fecerunt refero, qui, ut visum est sæpius per ξύλα ἄσηπτα interpretantur, quandoque tamen voce Σίττα utuntur ut & Josephum, qui A. J. L. III. c. 6. ξύλα ἰσχυρὰ καὶ σήψιν πάθειν ὐ δυνάμενα describit, utrosque ad arborem cedri alludentes.

§. 12.

(e) Hujus verba sunt, *Larici hoc nomen a Castello Laricino inditum est, ex qua tabulæ tegulis affixæ flammam repellant*. Perperam; Neque enim Larex a Laricino, cujus nominis castellum obsedit Cæsar, sed hoc ab illa nomen tulit. Estque vox Gallo-Græca teste Dioscoride L. I. cap. 92. Καὶ ἀπὸ Γαλατίας τῆς πρὸς ταῖς ἄλπεσιν ἣν ἐπιχωρίως οἱ τῆς δὲ ἐπίοικοι λάριξα ὀνομάζουσιν.

(f) Vide de hac voce Viri ampl. Diederici STADENII *explicationem verborum, quibus in versione sua usus est* Lutherus, p. 211.

§. 12. Enim vero vulgaris est sententia, quam *Defendit numerus junctæque umbone phalanges* speciem CEDRI, quales enumerant Judæi decem, lectissimas pulcerrimasque, fuisse arborem SITTIM. Vide quæ ex Rosch haschana, ex Bavabathra, Thaanith notavit Buxtorfius & ex eo alii complures. Hanc olim jam tenuit PHILO de Mosis Vita L. III. p. m. 665. ubi ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα κίονας κέδρου τῆς ἀσηπτοτάτης ἀπὸ στελέχων κοπέντας, *tabulas quadraginta, & octo, cedri maxime imputribilis a caudicibus suis excisas* commemorat. Hanc multi tenent Judæorum. In מכלל יופי explicatur הוא מין ממיני הארז טוב בהם, Est species cedri, & quidem præstantissima, quæ depromta sunt ex D. Kimchio in L. Radicum, qui sub ארז ponit עצי שטים & in commentario in Exodum hæc explicat per *cedrum lectissimam*. Hunc sequitur R. Bechai. R. Isaaco Abarbeneli sunt, עצי שטם הוא ממיני ארזים והן עבים וקלים מאוד: *Ligna Sittim erant cedrorum species, erant autem magnæ soliditatis, & levitatis*. Apud R. Isacidem Salomonem ad Ex. XXVI. 15. huc referunt verba Cant. I. 17. *Trabes ædium nostrarum sunt cedrinæ*; Verba ipsa deinceps §. 30. vide. Judæos magno numero sequuntur omnis familiæ Christiani J. B. VILLALPANDUS, Thomas MALVENDA, Emanuel SA, Arias MONTANUS, J. B. CARPZOVIUS, (*g*) Sebastianus SCHMIDIUS, (*h*) Christ. SONTAGIUS, A. PFEIFFERUS, Sebastianus CASTALIO, Martinus CELLARIUS, vel BORRHAUS, Emanuel TREMELLIUS, Franciscus JUNIUS, Eduardus LEIGH, Joh. BUXTORFIUS, Henr. AINSWORTH, Joh. COCCEJUS, Cyprianus de VALERA, Franc. BURMANNUS, Hermannus WITSIUS, & quod miratus sum, C. VITRINGA. (*i*)

§. 13. Sunt autem causæ neque unæ, neque leves, quæ me in alia omnia ire cogunt. [1] Nihil enim voces, quæ Orientalibus populis cedrum significant, cum hac voce Sittim habent affinitatis. Nihil porro [2] heic affertur, quod ad hanc opinionem confirmandam magnopere faciat. (3) In illis præterea locis, in quibus olim usus fuisse lignorum Sitim legitur, in Arabiæ desertis, cedrorum nihil deprehendere vel volæ, vel vestigii licet, quidquid etiam eum in finem impenderim operæ, impendi autem sane non proletariam. Si autem cedri his in locis non crescunt ex ejus lignis tot machinas fuisse præparatas audacter inficior, quod tantæ molis, magnitudinisque arbores hominum opera vix potuissent illuc transferri aliunde per quatuor saltim aut quinque dierum intervalla, præcipue in tam festino ac præcipitato itinere, quo tuta omnia illis timenda erant, quodque per loca pene inaccessa & non sine summis molestiis faciendum erat. [4] Adde contrarium diserte patere ex loco Es. XLI. 19. ubi ארז a שטה aperte distinguitur. Uti & factum ab interpretibus plerisque. Quin quod ultimo loco pono, clarissime (5) rem conficiunt totam ipsa Dei verba, quæ leguntur 2. Sam. VII. 7. ubi dicit, se nunquam dixisse *quare non mihi ædificastis domum*? coll. 1. Par. XVII. 1. Ubi David ait, se *quidem habitare in domo cedrorum, cum sub cortinis esset arca fœderis*, Deinde Dei verbum adducitur, *quo nunquam se conquestum, quod non cedrorum Domum sibi exstruxerint, testatur* vs. 6. Dici hæc nunquam potuissent, si ligna Sittim, ex quibus tabernaculum exstructum est, fuissent cedri? Sic enim Deus jussisset sane domum cedrorum sibi exstrui, Deusque habitasset in domo cedrorum; Nunc autem aperte innuitur, talem arboris speciem domui Dei exstruendæ adhibitam, qualis nondum adhibita fuerat. Et sane hoc argumentum mihi quantivis momenti esse videtur. Quin tantum abest, ut de cedro cogites, ut de nulla arbore minus. Diserte enim Deus negat, se in domo cedrorum habitasse. Nec id satisfacit, si velis dicere, intelligendam certam cedrorum speciem, diversam quidem ab iis, quæ ארזים, dicuntur, qualesque in Libano proveniunt, cum a cedris hæ arbores toto differant genere & quoad figuram, & formam, & magnitudinem & caudicem, & folia, & flores, & fructus, & tantum non per omnia.

§. 14. Enim vero parum nos juvaret scire, qualis arbor Sittim non fuerit, nisi simul indicetur, quæ & qualis fuerit. Antequam id fiat, ponenda sunt requisita quædam, quæ omnino postulantur in illa arboris specie, quæ illorum lignorum Sittim tueri nomen velit. [A] Oportet talem esse arborem, in qua vestigia saltim nominis Sittim adhuc apparent. Neque enim credibile est tam commemorabilis arboris appellationem ita eradicatam fuisse, ut ejus vel umbra nusquam appareat. (B) Debuerunt ex antiquioribus ejus nonnulli meminisse. Quis enim sibi persuadeat,

(*g*) In diss. de Arca fœderis, quam olim a. 1656. Jenæ sub præsidio Joh. *Frischmuthi* defenderat, quæ deinceps collectioni ejus dissertationum, quæ omnes notæ sunt melioris inserta fuit.

(*h*) In diss. quam παραλειπόμενα de lignis *Sittim* inscripsit, vulgavitque, Altorfiis 1719. in qua paucissima de lignis *Sittim* leguntur.

(*i*) In Comment. ad Es. XLI. 19. & in tract. vernaculo de *templo Ezechielis*.

deat, memoriam arboris tam famosæ, tantæque celebritatis ita esse obliteratam, ut qui de ea cogitaret, nemo unus esset mortalium? [C] Non longe ab illis locis, in quibus ejus usus fuit, inquirenda illa arbor est, in finibus videlicet Ægypti & Arabiæ. Si enim terra in qua tunc temporis versabantur Israelitæ, non fuisset ferax illarum arborum, tanta earum copia in deserto palabundis Jacobi nepotibus neutiquam potuisset suppetere. (D) Necesse est, talis ut indicetur arbos, quæ omnibus gaudeat proprietatibus, in illis lignis Sittim necessario requisitis, v. gr. Ut exstruendis domibus, vasis, habitaculis sit idonea, ut tantæ magnitudinis, qualem fuisse descriptio columnarum, tabularumque tabernaculi, arguit, ut dura, neque putredini facile obnoxia, & quæ sunt hujus generis alia. Si in qua arbore singula hæc reperero, non dubitabo eam nomine insigniendam τῶν *Sittim*, idque credam, donec quid aptius, solidiusque proferatur. Reperiuntur autem ea omnia in arbore, quæ hodieque provenit in illis locis, ubi populus tabernaculum ejusque vasa ex his lignis confecit, vulgo ACACIA, vel spina Arabica dicta. Quod cum moneo, non quidem rem plane novam atque inauditam profero. Ipsemet enim ostendam hanc sententiam & vetustioribus venisse in mentem, & ab eruditis recentioris ætatis, qui sane caveæ non infimæ sunt, approbatam fuisse. Cum autem parum de ea nobis constet, & tamen operæ pretium sit, ut curatius cognoscatur, paulo uberius de ea disseram, & quæ de ejus nominibus, attributis, virtutibusque in veteris, ac propinquioris ævi monimentis observare datum est, exponam: Ita fiet, ut non solum res, quam toties sacer codex meminit, nostræ magis pateat scientiæ, verum & tum demum firmius de ejus mysterio judicium ferri poterit, quando ejus natura & proprietates perspectæ nobis, ac plenius exploratæ erunt. Eum in finem *generales* quasdam ejus descriptiones antiquorum pariter, ac novorum scriptorum præmittam, deinde ad *specialia* progressurus.

§. 15. Meminit ejus HERODOTUS L. II. c. *96*. p. m. 124. de rebus Ægyptiacis scribens ait, Τὰ πλοῖα σφίτοισι φορτηγέουσι ἐςὶ ἐκ τῆς ἀκάνθης ποιεύμενα, τῆς ἡ μορφὴ μὲν ἐςὶ ὁμοίη τῷ κυρηναίῳ λωτῷ· τὸ δὲ δάκρυον, κόμμι ἐςί; *Naves eorum onerariæ sunt factæ e spina, cujus figura simillima est loto Cyrenæo, & cujus lachryma gummi est.* Uberius descripsit THEOPHRASTUS hist. plant. L. IV. c. 3. p. 303. Ἡ δὲ ἄκανθος καλεῖται μὲν διὰ τὸ ἀκανθῶδες ὅλον τὸ δένδρον εἶναι πλὴν τοῦ σελέχους. Et ita pergit, ϗ γὰρ ἐπὶ τῶν βλαςῶν, ϗ ἐπὶ τῶν φύλλων ἔχει, μεγέθει δὲ μέγα, ϗ γὰρ δωδεκαπήχυς ἐξ αὐτῶν ἐρέψιμος ὕλη τέμνεται διττὸ δὲ τὸ γένος αὐτῆς ἡ μὲν γὰρ ἐςι λευκὴ, ἡ δὲ μέλαινα ϗ ἡ μὲν ἀσθενὴς ϗ εὔσηπτος, ἡ δὲ μέλαινα ἰσχυροτέρα τε ϗ ἄσηπτος, διὸ ϗ ἐν ταῖς ναυπηγίαις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια αὐτῇ τὸ δένδρον δὲ οὐκ ἄγαν ὀρθοφυές ὁ δὲ καρπὸς ἐλλοβος. καθάπερ τῶν χεδρόπων, ᾧ χρῶνται οἱ ἐγχώριοι πρὸς τὰ δέρματα ἀντὶ κηκίδος, ἄνθος ϗ τῇ ὄψει καλὸν ὥςε ϗ ςεφάνους ποιεῖν ἐξ αὐτοῦ, ϗ φαρμακῶδες διότι ϗ συλλέγουσιν οἱ ἰατροί. Γίνεται δὲ ἐκ αὐτῆς ϗ τὸ κόμμι, ϗ ῥέει &c. Latinam versionem non addo, quod & verba sunt facilia intellectu, & fere tota a Plinio translata mox legentur. Audiamus porro DIOSCORIDEM, qui L. I. c. 133. ita *Acaciam* describit, Ἀκακία φύεται ἐν Αἰγύπτῳ Ἄκανθα ἐςὶ δενδρώδους, θαμνώδης, οὐκ ὀρθοφυής, ἄνθος ἔχουσα λευκὸν, τὸν δὲ καρπὸν, ὥσπερ θέρμου ἐν λοβοῖς κείμενον, ἐξ οὗ δὲ ἐκθλίβεται τὸ ἐγχύλισα &c. καὶ κόμμι δ' ἐκ τῆς ἀκάνθης γίνεται &c. Quæ ex translatione Ant. *Saraceni* ita Latine exhibentur. *Acacia in Ægypto nascitur, spina arboris magnitudinem accedens, fructuosa, in rectum minime assurgens, florem habens candidum, fructum vero lupini in modum siliquis inclusum. Ex eo succus exprimitur* &c. Idem L. III, c. 15. Ἄκανθα Ἀραβικὴ ἔοικυια τὴν φύσιν εἶναι, δοκεῖ τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, σύφουσα, ϗ πρὸς ῥοῦν. Γυναικεῖον, ϗ πρὸς ἀναγωγὴν αἵματος, ϗ πρὸς τοὺς ἄλλους ῥευματισμοὺς ἡ ῥίζα παραπλησίως εὔθετει; *Spina Arabica natura similis est spinæ albæ. Adstringit & ad fluxum muliebrem, ad ejectionem sanguinis, & alias effluxiones pariter radix similem in modum utilis est.* Dioscoridi addo Paulum ÆGINETAM L, VII, p. 229. [edit. Basileensis a. 1508.] Ἄκανθα Αἰγύπτια, οἱ δὲ Ἀραβικὴ. Στυπτικῆς δὲ ϗ ξηραντικῆς ἄγαν ἐςὶ δυνάμεως, ὅθεν αἵματός τε ϗ τῶν ἄλλων ῥευμάτων ἐςὶν ἐφεκτικὴ. *Spina Ægyptia, quam alii Arabicam vocant stringentis & valde siccantis est naturæ, unde ad sanguinem, & alias fluxiones adhibere apta est.*

§. 16. Ex Latinis autoribus eam describit PLINIUS L. XIII. c. 9. §. 19. *Nec minus spina celebratur in eadem gente duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id utilissima navium costis. Candida facile putrescit. Aculeus spinarum & in foliis;* [errat Plinius, nam in foliis non esse spinas αὐτοψία docet] *Semen in siliquis; quo coria perficiuntur Gallæ vice. Flos & coronis jucundus, & medicamentis utilis. Manat & gummi ex ea. Sed præcipua utilitas, quod cæsa anno tertio resurgit. Circa Thebas hæc* &c. Quæ ex Theophrasto descripta unusquisque videt.

Idem

Idem L. XXIV. c. 12. hujus meminit. *Servius* ad Virg. Georg. L. II, v. 119. *Acanthus*, ait, *arbor est in Ægypto semper frondens, ut oliva, laurus. Acanthus dicta, quæ spinis est plena. Abundat hac etiam Corcina insula.* Si eidem Servio credendum, hanc Ægyptiam spinam quoque innuit Virgilius, quando Eccl. IV. vs. 20. colocasiæ, quæ inter Ægyptiacas plantas est, adjungitur acanthus. *Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.* Sed id negat *Salm.* in Ex. Plin. p. 534. Observanda sunt inprimis, quæ de ea habet HIERONYMUS, quod in illis locis, cum commoraretur, optime arborem illam cognovit. In comm. ad Es. XLI. 19. *Quia omnibus natura harum arborum nota est, DE SETTA tantum Hebraica edisseramus: Est autem genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem, unde omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta sunt instrumenta, quæ appellantur SETHIM, quod lignum imputribile, & levissimum, omnium signorum tam in fortitudine, quam in nitore soliditatem superat & pulchritudinem*; & ad Mich. VI. 5. *Sittim est locus ὁμώνυμος arboribus, quæ per eremum montis Sina hodie quoque gignuntur. Nam ubi in LXX. vel arca testamenti, ceteraque quæ de lignis imputribilibus facta referuntur, in hebraico ponuntur ligna SETHIM, quæ habent similitudinem arboris, quam nos vulgo SPINAM ALBAM dicimus.* Rursus ad Joelem III. 18. *Est genus arboris in eremo spinæ albæ simile, colore & foliis, alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata cædantur. Lignumque fortissimum est, & incredibilis lævitatis ac pulchritudinis, ita ut ex his etiam vasa torcularium, quæ ἄρσενας καὶ θήλυας vocat, ditissimi quique & studiosissimi faciant.*

§. 17. Ad propioris ætatis scriptores, ut accedamus, Otto BRUNFELSIUS, medicus Basileensis in Onomastico Medicinæ quod prodiit Argentorati, 1534. ita describit. ACACIA *Arbor est Ægypti sic dicta, & spina non ea, ex qua hodie muniunt, cerasa adstringentia & pruna amara ferens. Officinæ arborem vocant, quæ Gummi Arabicum desudat. Vocatur & Syria spina. Spissatur & ex arbore & ex spinæ fructu: succus adstringendi vires habens.* P. BELLONIUS acaciæ meminit Observ. L. II. c. 56. sequentem in modum. *Lucescente die ad Arabici sinus littus pervenimus, Sues ad quartam partem post nos relicta; atque per sterilem solitudinem itinere facto, ubi nullæ stirpes nascebantur præter ACACIAM, cujus gummi diligenter ab Arabibus colligitur, idque est, quo in Europa in atramento & coloribus conficiendis utuntur, licet recentiorum nonnulli aliter existiment. Demonstrabimus tamen in libro de arboribus perpetuo virentibus, id esse, quod veteres* Gummi Arabicum *nuncuparunt. Ejus folia adeo tenuia sunt, ut earum ala pollice contegi queat, quæ si numerentur trecenta & quinquaginta reperies. Incolæ ejus ramos longis perticis flagellant, ut folia decutiant a pecore devoranda.* Omnium luculentissime describit illam Prosper ALPINUS in libro de *plantis Ægyptiorum* c. 1. qui cum his in oris occurrat rarenter, & rem tam tractet valde accurate, adscribam ejus verba. „ ACACIA, quam „ SANT Ægyptii appellant, in Ægypti locis a mari remotis nascitur, hujusque „ arbores copiosissimæ in montibus Synai, penes rubrum mare positis proveniunt. „ Crescuntque ad mori magnitudinem, ramosque sursum latius expandentes; quod „ etiam Dioscorides admonuit, dicens: arborem non in rectum se attollere. Caudex, quanta est, pruni magnitudo cernitur, corticemque habet nigrum, asperum, multis acutissimis spinis munitum. Arbores, quæ in prædictis montibus spectantur, spinis albis horridissimæ existunt, asperrimoque cortice truncus cernitur: „ Folia oblonga, parva, minutissime incisa habet, tanaceti proxima & flores parvos, pallidos, subflavos, atque etiam albos, rotundos, parvos lanæ floccos imitantes, platani fructibus forma plane similes, his tamen longe minores, & nihil „ aliud flos hujusce arboris videtur, quam mollis lanugo parvum rotundumque globulum efformans, non ingrati est odoris. Quæ Cayri aluntur, flavos habent flores vel pallidos, & quæ sunt in montibus Arabiæ, albos. Ex floribus siliquæ lupinorum æmulæ proferuntur, ipsis veruntamen minores, imprimis virides, & mox „ nigræ apparent; quæ semina dulcium siliquarum seminibus sunt similia, & in siliquarum folliculis sunt conclusa, folia, flores, ac fructus gustum asperitate multa ac stipticitate feriunt. Ex immaturis siliquis, viridibus succum exprimunt, „ quem coquunt, ut indurent. Nonnulli etiam ex foliis floribus imperfectis succum „ parant, sed eo est hic bonitate inferior. Cayri Coriarii ad denigrandas pelles „ multam copiam illiusce succi absumunt. Hujus arboris mas atque fœmina reperitur. Mas quidem spinis est horridus, fructus non edit. Fœmina spinis paucioribus, mollioribusque referta est, eaque intra ramos non habet, sed tantum extra. Quæ arbor est fœcundissima, florere orientibus Plejadibus, Novembri scilicet Mense incipit, & rursum iisdem occidentibus: scilicet mense Martio, bisque „ in

„ in anno fructus fert atque maturat. Sine dubio hanc arborem esse veram antiquorum Acaciam, vel spinam Ægyptiacam, ex notis affirmandum est; præcipueque, quia nulla alia arbor spinosa in Ægypto reperitur, quæ magis notis acaciæ tributis respondeat; atque multo magis, quod illi *Kachiam* quoque nominant. "

§. 18. His addenda sunt, quæ Alpini Commentator Jo. VESLINGIUS, Mindensis, Professor pariter Patavinus addidit in de eodem argumento libro; qui Patavii Anno 1638. excusus est. *Arbor Acaciæ inter Ægyptias spinas antiquissimis Scriptoribus nobilis, & ut refert Athenæus, injectis olim corollis, quam propriis ornamentis conspectior fuit; quamvis & læto foliorum virore & intermicante spisso flosculorum auro horridos aculeos inumbrans, per se oculis gratissima sit. Caudicem spinis carentem non raro ampliorem deprehendi, quam ut brachio meo circumdari potuerit. Non* ὀρθοφυὴ, *teste Theophrasto, sed a mediocri saltem altitudine, densiore sylva ramorum, in latus magis, quam in rectitudinem se exporrigentem folia, quam in propositæ ab Alpino figuræ ramo duplo majora sunt, nec circa petiolos, nec circa apicem in angulos acuminata æqualis alarum veluti remigiis remoti sui latera sistant; ut ad solem Occidentem inter se commissa, sic ad eundem Orientem sensim repanda. Fructus siliqua concluditur, non rotunda, ut ex Democrito affertur; sed complanata atque ex intervallis compressa, nec nisi qua semen continet, parte leviter uberata. Latitudine pollicem transversum metitur, longitudine dispar est. Non siliquarum ejusdem arboris alias digiti, alias manus quoque, spithamæve mensuram superasse vidi, non ternis tantum, aut quaternis, sed octonis; etiam denis, pluribusque seminibus inter arctatos lobulos invicem subornatis. Flores in arbore copiosi, in corollarum quoque contextum olim recepti, staminum innumerabilium densa phalanga cerasi minoris ambitum æquantes.* Castor DURANTES, Medicus Papæ Sixti V. in *herbario novo* Italice conscripto, quod ex Editione Veneta 1667. in folio possideo Acaciam Ægyptiacam p. 3. ita describit, *l'ACACIA è arbore che nasce in luoghi lontani del mare, ve ne sono gran quantità di questi arbori nelli monti del Sinai, posti quasi vicino al mar rosso. Crescono quasi della grandezza d'un moro rosso. Si allargandosi al di sopra. Il tronco è della grossezza d'un pruno, ha la corteccia negra, aspera armato di pungentissime Spine. Li arbori, che si vedono nei sudetti monti, sono armati d'acutissime spine, & di corteccia asprissima. Ha le foglie longhe, piccole, minutamente intagliate quasi come il Tanaceto; li fiori piccoli gialli pallidi; & ancho bianchi, rotondi alti assomigliano un fiocco di lana, al tutto simile a i frutti del platano, ma sono multo minori di quelli. Li fiori di questi arbori non pare altro che una piccola balla rottonda formata di molle lanugine, d'odore gratissimo. Quelli si coltivano nel Cairo hanno dei fiori pallidi, & quelli, che nascono nei monti dell'Arabia bianchi li semi producono in silique simili ai Luppini, ma minori nel principio verdi & poi diventano neri.* Valerius CORDUS in Dioscoridem citante Bauchino ita scribit; *Est acacia secundum omnes Græcos, Latinos, & Arabes scriptores in Ægypto nascens arbuscula, cujus siliquæ, in Gummi Arabico vocato, quod ex acacia arbore manat, sæpe a me inventæ: Acantha simpliciter Theophrasto. Venditur hodie non minus, quam olim Indicæ & Ægyptiacæ spinæ, hoc est, Acaciæ materia pro Ebeno, quæ propter similitudinem facile ementibus imponit*, Observa in margine legi: SETHIM *in sacris literis vocatur*. Ex quo patet jam sub initiis seculi XVI. fuisse, qui hanc arborem de *Sittim* explicuit.

§. 19. Addamus aliquot periegetarum testimonia. Joh. COPPINUS, Gallus, Vir dignitate illustris (*k*) in itinerario Ægypti, quod ejus adjunctum est libro, quem *le Bouclier de l'Europe* vocat, Cap. X. ita has arbores describit, postquam desertum Arabiæ meminisset. *On rencontre ici quantitè d'autres arbres, qui ont de longues epines blanchatres fort piquantes, & qui jettent des fleures d'une odeur fort agreable. Quand les Arabes passent avec des troupeaux, ils en abattent les feuilles & les fleurs pour les paistre, plusieurs assurent, que c'est de cette sorte des epines, dont la courone de nostre Seigneur estoit composeè, & effectivement ils se rencontre de ce memes arbres dans la terre sainte.* Accuratius adhuc sistit nobis hanc arborem eques Saxonicus, Georgius Christophorus von NEITSZSCHITZ in septem annorum itinerario, quod editum est Budissæ. a. 1673. ubi integrum caput VII. libri c. IV. illi destinavit; quam vocat Gummi Baum; Der Gummi Baum / dergleichen wir im folgenden weg biß zu den Bergen Sinai viel angetroffen / ist so hoch und groß / als ein Birn- und Apfel Baum / breitet sich mit seinen Aesten sehr weit aus / hat dornichte Stacheln eines halben Fingers lang / trägt Früchte wie Bohnen / von Gestalt

und

[*k*) Ita ipse titulum suum exhibet. *Autrefois Capitain Lieutenant de Cavalerie, Consul des Francois a Damiett & Syndic de la terre sainte, a present visiteur des Hermites de l'institut reforme sous l'invocation de* St. Jean Baptiste *au Diocese du Puy.* Liber ille lucem vidit, a Lyon. 1686. 4.

und Schalen denselben gleich / jedoch nicht so groß / sondern etwan noch zweymahl so groß / als eine ziemliche Linse / und schwartz / und hat der Baum kleine zackichte Blätterlein / fast wie wicken-Stroh; Et paulo post. Von den-selben rinnet ein solches Gummi oder Hartz herab fast wie vom Kirsch-Baume / nur daß es härter und süsser ist; Dahero es dann die Mohren vor eine sonderbahre delicate und anmuthige Speise fressen / zc. Olaus DAPPERUS in Arabiæ descriptione p. 343. Es wächset alda im grossem Uberfluß / eine Frucht / welche von den alten Griechen und Lateinern Acacia, und von den Arabern Akakià genennet wird / auch eine Art des Schleendorns / oder wilden Palm-Baums ist. Die Araber nennen diese Frucht Karat; gleichwie auch das glückliche Arabien nach der grossen Menge dieser Gewächsen / daran diese Früchte hervor kommen auf Arabisch Balad Alkarat genennet wird. Es werden auch die Früchte dieses Baums anders von Arabern Ollafon genennet / welch zur Nahrung der Kameelen dienen; die Ægyptier nennen diesen Baum Sant. Die Araber ziehen aus diesem Baum einen Gummi welchen sie auch Akakia nennen / &c.

§. 20. Addam quæ habet Christophorus FUHRERUS ab Haimensdorff, patriciorum Noribergensium nobilissimum decus in hodoeporico p. 110. & p. 130. *Narrat se invenisse in deserto arbores, non nimium altas, sed spinis obsitas, ramis omnibus oppletis foliis parvis, quas dicunt SEGUL*, Latine *ACACIAM*, unde *Gummi Arabicum, vocari alias SPINAM CHRISTI, quia in ea opinione versantur ex ea coronam spineam esse factam*. Nicolaus Melchisedecus TREVENOTTUS L. II. c. 27. Wir reiseten in der wüsten Sin. In solcher Ebene giebt es viel Acacien-Bäume / daraus ein Hartz gezogen wird / das die Arabier Acacien nennen. Man muß dabey mercken / daß die / so jetzt in Franckreich so häufig gefunden werden / uns aus America so häufig werden zugeführet / und dieses Hartz hievon nicht zu bekommen ist. Denn / das man in denen Laden Acacia heist / ist ein dicker Safft von wilden Pflaumen / der zu uns ins Teutschland gebracht wird / dieselbe sind nicht höher und dicker als unsere gewöhnliche weiden / alleine sie haben sehr zarte Blätter / und Stacheln. Die Araber samlen das Hartz ohne einiges Ritzen der Bäume. Denn es fliessot von sich selber / und verkauffen es hernach in der Stadt.

§. 21. Sed eamus nunc per partes *specialius*, & arboris hujus denominationes, solum natale, flores, fructus, figuram, magnitudinem, usum, & cetera, quæ huc pertinent, consideremus solertius. Simpliciter *Ἄκανθην* vocant Herodotus, & Galenus & Symmachus. Sic Philo in L. de insomniis *Sethim* vertit *Ἄκανθος*. *Ἄκανθον* autem *similem myrrhæ Arabicæ* Isidorus, unde succus inde emanans *ἀκάνθινος* vocatur. *Acanthum* etiam Virg. L. II. Georg. vs. 119.

Divisæ arboribus patriæ; solo India nigrum
Fert ebenum; solis est thurea virga Sabæis:
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, & baccas semper frondentis
ACANTHI?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?

Hic per acanthum intelligere videtur, nostram (*l*) quam Ægyptiam vocant, spinam arboribus enim variis suas patrias terras adsignaturus, Indiæ ebenum, thus Arabibus, Judæis balsamum, & Ægypto, quam cum Æthiopia illi vicina conjungit, tribuit Acanthum. Servius quoque in hac sententia fuit. Errare autem illum, quando ad Virg. Ecl. IV. vs. 20. acanthum herbam appellat, docet *Salmasius* in Ex. *Plin.* p. m. 534. seqq. 534. Sed de toto hoc Poetæ loco copiosissime disputantem vide Tobiam ALDINUM in descriptione *plantarum rariorum horti Farnesiani* (Romæ 1625. f.) pag. 13. sqq. Rationem, ob quam *Ἄκανθος* nuncupatur, hanc addit Theophrastus *διὰ τὸ ἀκανθῶδες ὅλον εἶναι*, i. e. ut utar verbis Servii, quia *spinis est plena*. Græcia recentior vocat *Ἄκαθθιν*, *ν* mutato in θ more populorum Orientalium. Ut autem ita simpliciter, & quasi *κατ' ἐξοχὴν* *spinæ* nomen tulit, ita simul a patria, in qua nascebatur, cognomen additum fuit. *Ἄκανθην Ægyptiam* appellant HIPPOCRATES Opp. sect. V. p. m. 573. & 671. ÆTIUS, ORIBASIUS, PLINIUS. *Ἄκανθον Αἰγύπτιον* Theophrastus, & Athenæus, uti Strabo, & Stephanus eandem ob causam *Θεβαϊκὴν*. Cœlio Aureliano in de *morbis acutis* L. I. c. 37. Acantha Ægyptia, quam nos spinam Ægyptiam dicimus, describitur. Cum autem Ægyptus Arabiæ vicina esset, & utrobique arbos illa cresceret ab utraque regione nomen traxit; sic *Ἀραβικὴ* & *Αἰγύπτια* appellatur Aeginetæ L. VII. & Galeno in L. de simpl. medicamentorum facultatibus (*Ἄκανθος Αἰγύπτια, ἔνιοι δὲ Ἀραβικὴν ὀνομάζουσιν*) Plinio, cui spina *Ægyptia*, sive *Arabica* audit. Ab Arabia sola vocatur

(*l*) Erat enim & alia *ἄκανθος*, quæ frequens in Italia, cujus usus erat in ornandis poculis, & in opere topiario, in texendis vestibus, cujus meminit *Virg.* Ecl. III. vs. 45. Æn. I. vs. 649. 711. *Theocr.* Idyll. 1. vs. 55. ibique schol. *Plin.* XXII. vs. 22. *Vitruv.* L. IV. c. 1. Dioscor. L. III. c. 19. Tu consule sis *BODAÆUM* ad Theophr. p. 307. *Salm.* Exerc. & Plin. p. 535. Et in *homon. hyles iatricæ* p. 1. sqq. p. 535. EMMENESSIUM ad Virg. Eccl. IV. 20. HARDUINUM ad Plin. T. IV. p. 201. Vocant eam Braneam Ursinam, *Herbam marmorariam*. Germanice Welsch Blumenblau. Gallice *Brauche l'Ours*.

Plinio *ſpina Arabica*, & Dioſcoridi Ἄκανθη Αραβικὴ; ACACIÆ (*m*) nomen occurrit frequenter apud Dioſcoridem, Oribaſium, alios. *Acacia Africana* dicitur recentioribus, quod ex Ægypto Africæ parte petatur, uti & *Indica*, ut ex Valerio Cordo didicimus, quod omnes merces, quæ olim ad nos ex Ægypto venerunt, dicebantur Indicæ. Interea hæc nomina exprimunt vim ipſam vocis *Sittim* quam ab סן ACUMINE arceſſendam eſſe mox demonſtrabo; Sive enim ἄκανθον, ſive ἄκανθην, ſive ἀκάκιαν ſcribas, omnia deſcendunt ab ἄκη, ἄκις, *acumine*, *mucrone*, ita ut ἄκανθος & ἀκάκια, prorſus idem ſit, quod שטים. Aliquando ab Ægyptiis in hunc uſque diem vocatur *Cachia;* quæ vox, niſi valde fallor, corrupta eſt ex ἀκακία; quam Arabes pronunciant *Achachie*. Unde ſequioris ætatis ſcriptores, quod c. pronunciarent, ut ſ. durius, confuderant cum plane alius generis planta Ægyptiorum *caſia.* Hinc ſuccus Acaciæ Ægyptiæ dicitur *Rhob Chachiæ*, de quo vide *Alpinum* de *Medic. Ægypt.* L. IV. c. XI. & confer *Salm.* Exerc. p. 539. & 1308.

§. 22. Sunt & alia *nomina*, quæ huic arbori impertiuntur. FUHRERUS loco ſupra adducto ſcribit eam arborem Arabibus dici SEGUL, Latinis (rectius Græcis) *Acaciam*: L. RAUWOFFIUS in itinerario p. m. 564. acaciam Babylonicam teſtatur dici SCHACK, und SCHAMUT; Priorem vocem eſſe Hebræorum שכות qua *ſentes* ſignificantur, vix dubium eſt. Num vero poſterior *Schamut* ſit *Sant* vel *ſont* (*n*) Ægyptiorum, deſpiciant alii. Joh. Michael WANSLEBIUS, cui amicitia Jobi Ludolfi nomen inſigne excitavit, *dans la relation d'un voyage fait en Ægypte* [impreſſa Lutetiæ Pariſiorum a. 1677.] p. 97. inter arbores Ægypti recenſet les Seials, & addit, *qui eſt, a ce, que je croi une eſpece ſauvage de l'Acacie*. Germanice nominari non memini, niſi quod *Neitzitzius* appellet ein Gummi-Baum: & Tabernamontanus ein Schottendorn, quam vocem putavi olim ex שטה expreſſam, nunc re rectius expenſa video in ſermone noſtro vernaculo *ſiliquas*, aut *folliculos* vocari Schotten/ Hülſen, & hinc ſpinas proferentes ſiliquas nomen ſuum traxiſſe, ſicut ob eandem rationem quoque *karat* & *alchart* ea arbos appellata fuit, de qua re vide §. 36. *Syria* ſpina quoque dicitur Hermolao apud Bauh. p. 427. & O. Brunsfelſio l. c. Angelus a S. *Joſeph* in Gazophyl. Perſico p. 412. hæc exhibet *ſpinæ Arabicæ* ſynonyma: مغيلان شوكتى العربيه خلر مغيلان Quæ poſterior denominatio, *Schykoth in lingua Arabica proprie ſpinam Arabicam exprimit*. Apud Perſas enim eodem docente شوك, *Schuk* eſt *ſpina*. Alias etiam dicitur *Acacia Alexandrina*. Appellationes quaſdam alias pete ex Chriſtiani *Mentzelii indice plant. multilingui, p. 3.*

§. 23. Id vero cum primis advertendum eſt, ipſum nomen *Sittim* in Ægypto, æque ac Arabia in hunc uſque diem acaciæ huic adhæſiſſe. Proſperum ALPINUM teſtantem ab Ægyptiis etiam vocari SANT audivimus WANSLEBIUS l. c. inter arbores Ægyptiacas diſerte adducit *Zante;* hancque dicit eſſe *Acaciam*. Idem fit ab Eduardo Meltono in itin. L. I. cap. 8. Eſt autem hæc vox eadem cum ΣΟΝΤΙ, *Schonti*, quæ Ægyptiace notat *ſpinas*. Nam in N. T. Coptico Matth. VII. 16. & Ebr. VI. 8. vox ἄκανθαι transfertur per ΣΟΝΤΙ. Unde etiam ratio patet, ob quam hanc arborem κατ' ἐξοχὴν dixerunt ἄκανθον, vel ἄκανθην, vel *ſpinam* & quidem *ſpinam Ægyptiacam*. Ita enim accurate expreſſerunt vocem, qua Ægyptii utebantur, & quod omnium ſpinarum hæc maxima, utiliſſima atque adeo princeps eſſet, κατ' ἐξοχὴν id nominis retinuit. Hieronymus, Aquila, Symmachus, Vulgatus Σίττα, Σίντα, Σάττειμ, σάττειν, σάττιων ut mox videbitur, retinuerunt. Apud Dioſcoridem L. III. c. 1. cum Agaricum deſcribit inter alia dicitur: λέγουσι δὲ οἱ μὲν φύτου ῥίζαν εἶναι τίνες δὲ ἐν τοῖς στελέχεσι τῶν δένδρων κατὰ σῆψιν γένεσθαι; ſed recte ὁ θαυμάσιος SALMASIUS ex vetuſtiſſimo, optimoque codice ita reſtituit; λέγουσι δὲ οἱ μὲν φύτου ῥίζαν, τίνες δὲ ἐν ΣΗΤΙΝΟΙΣ ΔΕΝΔΡΕΣΙ. Ut enim apud Dioſcoridem δένδρα κέδρινα, λεύκινα, δρύινα, dicuntur a κέδρῳ, λευκῷ, δρυῒ ita שטה a *Sitta Setta* fit Σήτινον. Et ita locum illum etiam legit *Avicenna* ſive *Alrais Abulahi Albaſen*, *Ebenhali Ebenſina*, id enim plenum ejus nomen eſt. Illuſtre in hanc rem etiam teſtimonium exſtat Andreæ de *Alpago*, Bellunenſis in Avicennæ indice ſive *in interpretatione vocum Arabicarum quæ apud Ebn Sina occurrunt* citante *Salmaſio in Homon.* c. 102. Alcharad vel alchard vel alchrad eſt *fructus arboris magnæ ſpinoſæ*, *quæ oritur*

(*m*) Succus ſ. gummi ex hac arbore expreſſum in pharmacopoliis etiam nunc vocatur *Acacia*; Iſidorus hoc voluit innuere quando de Xyloglyco loquens, addit, *Hujus arboris pomo ſuccus expreſſus* acacia *Græcis dicitur*. De ſpina Arabica id verum eſt, non Xylo glyco. Ætius, Ἄκανθα Αἰγυπτία ἐκ αὐτῆς ἡ Ἀκάκια σκευάζεται. Quod & apud Græcos factum Galenus L. I. de antid. 14. ad verſic. Andromachi ſenioris docet, Δάκρυον ἐν μίσγοιο βάλλων κυανέοιο ἀκάνθης. Δήλοι γὰρ τῆς ἐκ τῆς Αἰγυπτίας ἀκάνθης γίνοι AKAKIAN; *Lacrymam bene miſcet cærulea ſpina*; *Innuit acaciam ex ſpina* Ægyptiaca factam.

(*n*) M enim & N. perſæpe permutantur.

tur in Ægypto, & in regione dicta BASSERA, & ab Ægyptiis appellatur SETAN. Idem pluries de hac hujus nominis *Setan* ratione apud Ægyptios monet. Vide, quæ deinceps adducam §. 36. & 37. BAUHINUM in hist. plant. L. XII. pag. 428. Perquam etiam memorabile est, quod invenio in RUDOLPHI, Canonici seu Sacerdotis, (Kirchherr vocatur) Suchensis in Westphalia, qui ab anno 1336. ad 1350. adeoque ante quatuor sæcula Orientem peragravit, itinerario, quod in collectione, quam Nicolaus ROTHIUS, civis & bibliopola Francofurtensis ad Mœnum sub auspiciis sæculi elapsi divulgari curavit, Latine, Germanice translatum apparet. Ibi T. I. p. 857. legitur, *In vicinia Nili* (in tractu Thebano, ubi magnam esse harum arborum copiam mox ostendetur) *reperiri Ligna SITTIM, quæ secari possint, non comburi*. Nostram acaciam innui dubio caret. Eam tunc vocatum lignum *Sittim*, hinc discimus. Cum autem de iis affirmetur, *secari posse*, *non comburi* vel generatim ejus durities, atque imputribilitas innuitur, uti similem ob rationem id de larice refertur, vel reliquiæ antiquæ traditionis in eo latent, arborem Sittim fuisse illum rubum, in quo olim Dominus apparuit Mosi, cujus rei probatio insequentis dissertationis erit argumentum.

§. 24. Nec Ægyptiis olim, sed & *Arabis* eodem nomine notam fuisse constat. Salmasius c. l. Arabes hanc arborem vocare شيطان *seitan* vel *seten* testatur Golius in Lex. p. 1225. Idem Arabibus appellari سنطن *santon* affirmat. Dioscoridis translator, quando ille L. I. c. 133. *de Acacia* agit, utitur voce سنطن *Santon*. R. Saadias Gaon, auctor versionis Arabicæ Pentateuchi, quæ in Bibliis Polyglottis Parisiensibus Londinensibusque exstat, constanter utitur voce سنط, *Sont*, *Sant*, vel *Sent*. Nihil enim diversius est, pronunciatione vocalium apud Arabes. Colligamus nunc nomina, quibus arbor illa insignitur, atque uno obtutu sistamus. Vocatur ἄκανθη, ἄκανθος, *Acacia*, *spina*, *spina Arabica*, *Ægyptiaca*, *Syria*, *Indica*, *Africana*, *Thebaica*, *Acacia Alexandrina*, *Cachia*, *Segul*; *Scials*, Gummi-Baum, *Schock*, *Schamuth*. Cum Sittim autem conveniunt שטה, unde שיטן, Σάτταμ, vel Σάτταν, vel Σάττιαν, vel Στίγαν, ut est apud Eusebium, vel Σάτγαμ, ut habet Aldinus codex, vel Σαβέταμ, uti in Oxoniensi legitur. Σήττα, σήττα, *Setim*, *Settim*, *Sant*, *Santon*, *Sent*, *Sont*, *Setan*, *Syttim*, *Zante*, σήτινα δένδρα, *Seitan*, quæ omnia ex una radice שטה derivari, in propatulo est.

§. 25. Quænam autem, inquis, prima hujus vocis radix, atque originatio est? Dicam breviter. Radicem puto biliteram esse quærendam. Idque etiam in omnibus pene linguæ Hebrææ, vicinarumque vocibus locum habet, id, quod si plus observaretur, major sane multis accenderetur lux, qua nimium quantum adhuc caremus. Quo enim quid simplicius, eo melius. Una litera vix vocem constituere potest. Oportet itaque saltim binas esse. Atque hoc etiam in hac voce evenit. Eaque est שן vel צן, obsoleta, quæ tamen adhuc superest, in שנן, & צנן, & habet notionem *acuendi*, etwas spitzig und scharf machen. Probabo id copiose dissertatione sequenti, ubi סנה Ex. III. 2. omnino per *rubum*, vel *senticetum* explicandum esse evincam. Datum autem id nominis huic arbori est percommode, quod spinis, quarum proprium quarti modi, ut Logicorum παῖδες ajunt, est *acutum esse*, armata munitaque sit. Habemus inde *Sen*; Solet autem in derivationibus sæpe addi nominibus d vel t. Sic v. gr. ab eadem radice שן, dens; Zahn, More Chaldaico ש mutatur in ת, & tum additur d, unde Belgis est *tand*. Cum primis autem Arabes fœmininum genus, aut etiam nomen plurale indicaturi, solent nominibus addere ה vel א finale cum duobus punctis, quod per ת exprimunt, pronuntiantque *ton* saltim inter eos honestiores, & eruditiores; Vulgus enim id non curat. Habemus, *Sent*, *Sant*, *Santon*, qua voce Arabs interpres utitur. Ut autem Arabes, quod cum Chaldæis, & Syris commune habent, amant ת, ita Hebræi hanc literam fastidiunt, solentque vel cum ט commutare, vel plane elidere, vel etiam elisionem compensare per dagesch forte. Sic v. gr. quod Græcis est σίνδων, Latinis *Sindon*, Hebræis est סדין, Chaldæis סדין vel סדינא, Syris ܣܕܘܢܐ *Seduna*. Ab אנף *spiravit*, est אף, אפים *nasus*, *ira* quod præcipue irati per nares spirent. Sic Chaldæi etiam & Syri loco Dagesch fortis habent ן. Sic אנת ponunt pro אתה, הנפק pro הפק, מנרעה pro מרעה אנפא pro אפא. Atque sic ex *Sant*, *Sent*, *Senton*, שנטי factum שטה, *Sitta*, & in plurali שטים. Eodem modo, uti חטה, triticum venit a radice חנט, *protrudit*, *protulit*, unde Chaldæi חנטין, *triticum*. Et Arabes integre dicunt חנטה. Et sic habemus veram propriamque significationem τῶν *Sittim*, quæ est *aculeorum* sive *spinarum*: Vide diss. seq. §. 23. Videntur Arabes aliquando scribere Sittim, & etiam illud pronunciare, ut *Sint* vel *Sent*, uti teste *Rauwolfio* terebinthum vocant *bont*, & scribunt tamen boti, vel botim.

§. 26. Ab examine *nominis* hujus ad LOCA ejus *natalia*, in quibus producitur, progredimur. Illorum primaria ſunt ÆGYPTUS & ARABIA. Unde (1) præcipuæ cauſæ repetendæ ſunt, ob quas hæc arbos ſimul ſpina *Ægyptiaca*, & *Arabica* appellatur. Addimus tamen & alias ejus rei rationes. (2) Quia Arabia & Ægyptus ſæpe confundi ſolent. (3) Imo quidquid ab oriente ad Nilum, & inde ad alveum Bubaſticum, & Peluſiacum patebat, id priſcis ſcriptoribus *Arabia* dicebatur. (4) Quia Gummi Arabicum, quod Acacia ſudabat, non niſi per Ægyptum in Europam deportaretur.

§. 27. ÆGYPTUM autem feracem illius eſse teſtantes audivimus ex veteribus Herodotum, Dioſcoridem, Theophraſtum, Plinium, Servium, quibus adde auctorem libri de ſimpl. medic. ad Paternum, T. XIII. opp. Gal. p. 984. *Acacia fructus eſt arboris ſpinoſæ, quæ maxime in Ægypto naſcitur* ex recentioribus Alpinum, Veslingium, Wanslebium, Rudolphum Suchenſem, quibus adde Joh. *Hellfricum*, qui circa a. 1595. Ægyptum peragravit, in hodoeporico, quod exſtat in collectione Rhociana T. I. p. 735. *Is prope Cairum*, ait, *in deſertis inveniri arbores, ex quibus Gummi Arabicum manat, tam altas, quam duorum Virorum eſt ſtatura, paucis inſtructas ramis & FOLIIS*. Unde & *Ægyptiæ* nomen tulit, apud Strabonem, Ætium, Galenum, Plinium, ut ſupra viſum eſt. In urbe Cairo in hunc uſque diem, viridaria eſse his acaciis refertiſſima αὐτόπτης Alpinus affirmat. In primis in agro ſive νόμῳ Thebaico, uber ejus erat proventus. Theophraſtus enim; Πόλυ τὸ δένδρον ἐςι, κ̀ δρύμος μέγας περὶ τὸν Θηβαϊκὸν νόμον, *Arbor hæc large provenit, ejuſque ingens ſylva eſt circa agrum Thebanum*. Plinius quoque circa Thebas creſcere obſervat L. XIII. c. 9. Inde nomen exſurgit ſingulare *Spinarum Thebaicarum*, quarum meminit STRABO L. XVIII. p. 809. & STEPHANUS de urbibus in voce Ἄκανθος, & hinc ejus ſuccus a Galeno eſt dictus κόμμι Θηβαϊκὸν, cujus etiam meminit Scribonius Largus. In urbe prope Nilum TINDIO tales non defuiſse acacias ex iis patet, quæ ex Helladico, rerum Ægyptiarum ſcriptore affert Athenæus L. XV. c. 7. In ABYDO prope foſsam fuiſse ἄλσον ἀκάνθων τῶν Αἰγυπτίων τὸ ἱέρον τȣ̃ Ἀπόλλωνος, confirmat Strabo L. XVII. p. 813. Ut autem abundantia τῶν Sittim, locis variis, dedit nomen, ita idem quoque uſu venit in Ægypto. Ibi enim non procul a Memphi, & quidem, ut Stephanus habet, ſtadiis circiter 320. ſita erat urbs Ἄκανθος, (non ut apud Ptolemæum legitur κάνιθων, vel, ut codex Palatinus habet ἄκαθων) quæ ab illa arbore nomen tulit, Ἀκανθοπόλεως: i. e. עיר השטים, uti vocatur apud Diodorum Siculum L. I. quod in illa eſset τῆς ἀκάνθης Θηβαϊκῆς ἄλσος ἀμέγεθες, ἐξ ἧς τὸ κόμμι συνάγεται, *Spinæ Thebaicæ lucus valde ingens, ex qua gummi colligitur*. (o) Quæ verba ſunt Stephani in Ἄκανθος, cum quibus gemina habet Strabo L. XVII. pag. 809.

§. 28. Eſt & alius Ægyptii locus Ἄβυλον, dictus harum acaciarum fertilis, ſi ſana eſt lectio verborum Demetrii in Ægyptiacis, quæ habet Athenæus L. XV. c. 7. p. 680. Scilicet is ſcribit, περὶ Ἄβυλον πόλιν τὰς ἀκάνθας ταύτας εἶναι φησι, γράφων ȣ̃τως, ἔχει δὲ ὁ κάτω τόπος, καὶ ἄκανθαν τίνα δένδρον ὁ τὸν καρπὸν φέρει στρόγγυλον ἐπὶ τίνων κλωνίων περιφέρων, ἄνθει δ' οὖτος, ὅταν ὥρα ᾖ, καὶ ἔςι τῷ χρώματι τὸ ἄνθος καὶ ἀφεγγὲς; *prope Abylon urbem eſſe tales* [ex quibus ſc. corollæ fiebant] Ἀκάνθας, quas ita deſcribit; *Inferior locus habet ſpinam quandam arborem, quæ fructum fert rotundum* [p] *in ramis teretibus;* ſequentia verba ipſe Caſaubonus fatetur ſe concoquere non poſſe, ibique aliquid deeſſe. Id ex iis tamen elicitur, illi arbori *florem fuiſſe, eumque nitidum*. Sed quænam urbs illa Ἄβυλον? In Ægypto hujus nominis invenio nullam. Cogitavi aliquando anne locus in campeſtribus Moabitidos, quæ אבל השטים Abel *Sittim*, i. e. *Vallis Sittim* ſ. ἀκάνθων Num. XXXIII. 49. & a Joſepho *Abila* vocatur, de qua ſupra §. 7. intelligenda. Sed cum hic diſerte ſermo ſit de Ægypto, & Demetrius deſcripſerit τὰ κατ' Αἴγυπτον, in illa quoque hæc urbs eſt inveſtiganda. Puto itaque Ἄβυλον convertendum in Ἀβυδὸς, fuit autem hæc urbs Ægypti in nomo Tinite, regia Memnonis, cujus meminere Ptolomæus, Stephanus, Plinius, & inprimis Strabo l. c. Nam, cum perfacilis ſit τȣ̃ Λ & Δ permutatio, Ἀβυδὸν in Ἄβυλον tranſire potuit nullo negotio. Et integrum in Abydo fuiſſe ἀκάνθων τῶν Αἰγυπτίων lucum Strabonem docentem ſtatim audivimus.

§. 29. Vicinæ Ægypto eſt ARABIA. Quamobrem mirandum non eſt, ſi & in illa harum plantarum occurrit affluentia. Magna eorum copia redundare Arabiam auctor eſt *Dapperus* in deſcr. *Arabiæ* p. 343. In regione *Jemen* prope urbem Giurex terri-

(o) Confer de hoc loco *Salm.* exerc. Plin. p. 532. & quæ Holſtenius & de Pinedo ad illum notarunt. Uti autem locus idem dictus שטים & אבל שטים, ita & ἄκανθος & ἀκανθόπολις, Κύνων πόλις & Κύνω, Λατόπολις & Λάτυς, Ἀντινόȣ πόλις & Ἀντίνοος, λύκων πόλις & Λύκω.

(p) Errat Demetrius, quando hunc fructum rotundum facit.

territorium esse satis amplum, quod ACACIARUM FERACISSIMUM. Jacobus GOLIUS docet in notis ad Muhammedem Alferganum p. 85. Prope Meccam non alias arbores frugiferas dari, quam *Arbores deserti Ismael Abulfeda* notat in descr. Arabiæ p. 288. (*q*) per quas vix aliam arborum speciem, quam harum, quæ in deserto Sinai, ut nunc videbitur, erant, intelligere licet. In Arabia inter alias arbores magna copia reperiri Acaciam, ex qua gummi Arabicum, testatur Joh. Jac. *Breuning* a *Buochenbach*, eques Wurtenbergensis, itinerarii pag. 178. Hinc ut Ægyptiæ, ita ARABICÆ *spinæ* nomen ei frequenter adhæsit. Ita enim vocari a Dioscoride, Plinio, Galeno, Ægineta, Oribasio jam visum est, uti etiam, quo modo simul & Arabica & Ægyptia dici potuerit §. 26. ibi ostensum.

§. 30. Præcipue autem iis exuberat illa plaga, qua ex Ægypto itur in Arabiam, atque in ea prominentem montem SINAI. Hieronymum *per eremum montis Sina sua ætate istas arbores gigni* referentem audivimus. P. BELLONIUS L. II. c. 56. urbe Sues ad quartam milliaris partem post se relicta, iter fecisse per sterilem Arabiæ solitudinem, ubi NB. *nullæ stirpes nascebantur præter ACACIAM*, atque ita extra Arabiæ desertum non reperiri putabat, in quo tamen doctissimus Pater fallitur. Magnam earum arborum copiam esse in monte Sinai in vicinia maris rubri auctor est Castor *Durantes*. Alpinus *acaciæ arbores copiosissime in montibus Synai penes rubrum mare positis provenire* asserit. Mart. a BAUMGARTEN in *Braitembach*, qui a. 1507. per has regiones in Palæstinam iter fecit, se vidisse in illis locis commemorat *multas arbores, ferentes spinas oblongas & praeacutas, de quarum genere coronam Domini Jesu fuisse tradunt*. Confirmant idem periegetæ optimæ notæ passim; N. M. *Thevenottus*, *Fuhrerus*, *Neitzschitz*, *Choppinus*, quorum verba superius §. 19. adducta legi possunt. Adde his P. della *Valle*, qui in itin. p. I. pag. 114. testatur *in illa via, qua ex Ægypto ad desertum Sinai itur, regionem esse infrugiferam, sed tamen in vallibus quibusdam multas palmas illasque ARBORES, EX QUIBUS GUMMI ARABICUM EFFLUIT, reperiri, seque eas invenisse tales, quales Bellonius describit*. Idem pag. 120. commemorat se ab altero latere montis venisse in petrosam & angustam vallem, in qua ad rivos aquarum multas repererit arbores, *ex quibus Arabicum Gummi proveniat, palmasque, sub quibus Arabes tentoria sua fixerint*. Adde Joh. Jacobum BREUNING von BUOCH NBACH itiner. pag. 181. In propinqua Arabiæ Moabitide non defuisse acacias nostras vel nomen evincit, quod in ea valli inditum est, τῶν SITTIM. Vide supra §. 7.

§. 31. Non itaque obscurum amplius est, quomodo in desertis Arabiæ palantes Jacobi nepotes tantam vim nancisci potuerint Lignorum Sittim, quæ sufficeret tabernaculo exstruendo, totque ejus vasis conficiendis: Magnam enim omnino affluentiam illorum fuisse per omnem illam viam, qua a sinu Arabico ad montem Sinai itur, nunc palam est. Cum enim tellus ipsa sponte sua tam largam copiam lignorum ad istos usus maxime idoneorum iis offerret, carere poterant aliis, non sine immensis laboribus, ac sumtibus longe aliunde advehendis; Neque in tam inopinato ac festino exitu tanta mole lignorum semet onerare vel in tam difficilibus viis, inter incredibiles solis urentis ardores potuissent, vel si voluissent. Quando itaque apud R. Salomonem Isacidem in Ex. XXV. 5. quæritur מאין היו להם במדבר *Unde illæ* arbores *illis in deserto obvenerunt?* inepte respondet Tanchuma. יעקב רבינו צפה ברוח הקדוש שעתידין ישראל לבנות משכן במדבר והביא ארזי למצרים ונטעם וצוה לבניו ליטלם עמהם כשיצאו ממצרים *Jacobus pater noster prævidit per spiritum S. fore ut exstrueret tabernaculum in deserto, & adtulit cedros in Ægyptum, & plantavit eas, & præcepit filiis suis, ut eas secum auferrent, ex Ægypto abituri*. Eadem repetit fere Raschius ad Exod. XXVI. 15. Verba dabo ex versione Johannis Frid. BREITHAUPTI; *Ex asseribus, qui stabant & unice ad id præparati erant, facienda erat fabricatio, nam Jacobus Pater noster plantaverat cedros in Ægypto & dum ipse morti vicinus erat, præceperat filiis suis, ut educerent illas secum, quando ex Ægypto erant egressuri, eisque dixerat fore, ut sanctus ille Benedictus, iisdem præciperet, quo facerent tabernaculum in deserto ex lignis Schittim, videte igitur, inquiebat Jacobus, ut sint præparata illa ligna in manibus vestris & hoc est, quod composuit Poeta Babylonicus* [quem dicunt fuisse הקליר] *in poemate suo dicens* טף מטע מזורזים קורות בתינו ארזים i. e. *volavit plantatio eorum qui parati erant*; trabes ædium nostrarum sunt cedrinæ. [Cant. I. 17.] ad *indicandum, quod instructi esse debeant, ut per illorum manus ante præparatæ essent cedri ad hanc rem*. Sed hæ liræ sunt Judaicæ atque ædepol liræ! Repetunt tamen & alibi. Vide R. BECHAI in Comm. in Pentat. fol. 101. col. 1. & Gur. Arjeh fol. 105. col. 2. circa fin. ac notas in שפתי חכמים, quos

(*q*) Adjuncta est ea Gallice edito *itineri in Palæstinam LA ROQUII*, quæ prodiit Amst. 1718. 8.

quos Breithauptus excitat. *Intolerandam quidvis asserentium audaciam id vocat* A. *Rivetus* in comm. ad Ex. XXV. 5. Non tamen consciscere possum, quando putat, uti *hoc tempore asservantur ligna* ex. gr. *buxi & Ebeni, ad opera eximia, & pretiosiorem supellectilem, sic Hebræos secum habuisse lignæ Sittim, quibus postquam pervenissent in terram promissam uterentur*. Verum id mihi prorsus non fit simile vero. Neque enim in tam præcipitato itinere cogitarunt de exquisito ligno, ex quo sibi supellectilem pretiosiorem compararent, neque tantæ longitudinis asseribus opus erat ad eam conficiendam. Nec illud elicias ex verbis Ex. XXXIX. 24. ligna illa, quæ secum ex Ægypto adportaverant, ad usum tabernaculi contulisse, sed id tantum innuitur, ab unoquoque quicquid lignorum Sittim præsto erat in sylvis excisum, ad tabernaculi structuram collatum. Tolerabilior magis sententia est R. Abarbenelis, in Comm. ad Pentat. fol. 101. col. 1. qui rejecta opinione Raschii & ὁμοψήφων, addit, יותר נכון היא שהיו באים עמים מכול הסביבות אל מחנה ישראל למכור כל מיני סחורות ומשם קנו שמן *Longe rectius dicitur ex finitimis regionibus confluxisse Gentes ad Castra Israelis, ut omnis generis merces venderent, a quibus etiam oleum acceperunt*. Verum enim vero in arenis imperviis eremi Sinaiticæ tantæ molis lignorum vendendorum causa convenisse populos, nusquam legimus, nec per rerum naturam facile fieri potuit. Quanto magis creditu proclive est ipsos Israelitas, usos fuisse iis arboribus, quæ in via ipsa sponte sua in oculos peregrinantium ingerentes se iis cædendas offerebant?

§. 32. Quamquam autem propria veluti & primaria harum spinarum sedes sint Ægyptus & Arabia, non tamen solæ sunt. Nam in Cappadocia & Ponto tales occurrere, licet præstantia Ægyptiis & Arabicis longe inferiores, jam antiquitas docuit. Dioscorides L.I. c. 133. eas ita describit, φύεται δὲ καὶ ἑτέρα ἀκάκια ἐν Καππαδοκίᾳ καὶ Πόντῳ παρεμφέρουσα τῇ Αἰγυπτίᾳ. Ἐλάττων μὲν τοὶ παρὰ πολὺ, καὶ χαμαίζηλος, καὶ τρυφωτέρα. περίπλεως δὲ ἀκανθώδης σκολοποειδὴς, φύλλα ἔχουσα πηγάνῳ ὅμοια. Τῷ δὲ φθινοπώρῳ φέρει σπέρμα ἐν θυλάκοις συγεζευγμένοις τειχώροις, ἐλάττον φάκου κ. τ. λ. Breviter rem omnem ita exprimit Oribasius; φύεται ἑτέρα Ἀκάκια ἐν Καππαδοκίᾳ καὶ Πόντῳ, παρεμφέρουσα τῇ Αἰγυπτίᾳ, πλὴν ἥττων τῇ δύναμει καθέστηκεν, ἐς τὰ ὀφθαλμικὰ ἀνεπιτήδειος οὖσα. *Nascitur altera acacia in Cappadocia & Ponto, quæ Ægyptiæ quidem similis est, cœterum minime efficax, & ad curandos oculos inutilis*. Plinius in *Galatia* illas collocat. BABYLONIA quoque fert. L. RAUWOLFF se invenisse genus Acaciæ prope Euphratem, quam *Schock* & *Schamut* Arabes appellarint, & prope urbem *Bir*, quæ in Mesopotamia trans Euphratem sita est, se invenisse tantæ magnitudinis, ut nusquam alibi pares ejusdem, sive fructus sive arbores spectes, testatur Itin. L. II. c. 1. p. 554. Idem profitetur circa urbem Racha ad ripas Euphratis, & prope urbem Babelis illas arbores visas L. II. c. 3. & 7. p. 564. & 574. Andreas de *Alpago* Bellunensis in explicatione Ebn Sina scribit *spinosam arborem quam Ægyptii vocant Seitan, crescere in Ægypto & in regione dicta BASSORA*. Inde nomen Acaciæ *Babylonicæ* & gummi, quod Arabicum vulgo vocant, etiam *Babylonicum* sive de *Babylonia* in pharmacopoliis appellant. Imo Serapion arborem ipsam dixit *Spinam Babylonicam*. Unde qui hoc ei datum cognominis a Cairo, quæ & *Babylon* dicatur, putant [quod & factum est a Francisco *Alexandri*, Vercellensi in *Pharmacopoeo Apolline*,] errare videantur.

§. 33. In PALÆSTINA s. *terra sancta* non deesse affirmat Joh. *Coppinus*, cujus verba vide §. 19. Prope urbem Scythopolin שטה affatim crescere se docturum promisit Bochartus Hier. p. I. c. 31. quod utinam præstitum ab eo esset. Inde ei nomen datum ostendemus diss. seq. §. 22. Ei rei etiam fidei faciunt loca *Sittim* inde denominata de quibus antea. In Rama Palæstinæ inveniri auctor est *Bellonius* obs. s. L. II. c. 82. Insulam *Cercinam*, quæ in mari Mediterraneo non procul ab urbe Tunetana Africæ imminet, hac spina *abundare* SERVIUS ad Virg. G. L. II. vs. 119. pridem adnotavit. In GALLIA nunc provenire, sed propter soli, cœlique mutationem ab Ægyptia esse degenerem testatur HARDUINUS ad Plin. L. XXIV. c. 16. In hortis *Germaniæ* inveniri auctor est G. Wolffg. WEDELIUS, diss. dec. IX. & 3. p. 21. Inter plantas Noribergenses eam recenset J. Georg. VOLKAMERUS in *Flora Noribergensi* pag. 5. Quin in ipsa AMERICA crescere constat. Nicolaus Melchisedecus THEVENOTTUS illas acacias, quæ nunc in Gallia sunt, ex America ad nos advehi, auctor est, & e Mexicana provincia in Italiæ hortos illatas, quæ ab Ægyptiis, exceptis siliquis, non multum differant, disco a Joh. RHODIO in N. ad Scribonium p. 84. Figuram, uberrimamque descriptionem Acaciæ Indicæ ex insula S. Dominici (alias Spagnola s. Hispaniola) advectæ, & in hortum Cardinalis Farnesii illatæ nobis dat Tobias *Aldinus*, in *descr. plantarum rariorum horti Farnesiani*

nesiani p. 1. sqq. In *transactionibus philosophicis* societatis regiæ Londinensis a. 1714. mense Aprili n. 339. leguntur literæ *Cottboni* MATHER [*r*] Doctoris Theologiæ ad Joh. *Woodvardum* scriptæ Bostoni in nova *Anglia*, in quibus inter plantas Americæ recenset. *Acaciam nigram*, quam lignum esse *Sittim* recte conjicit.

§. 34. Quod ad [3] *quantitatem* i. e. altitudinem, crassitiemque hujus acanthi adtinet, auctores non paululum variant. Alpagus generatim vocat *arborem magnam spinosam*, *Oribasius* vocat spinam *arborescentem*, *non recta in altum crescentem*. Ægyptiacas duorum hominum altitudinem exæquare supra audivimus. *Durantes* & *Alpinus* ad *mori*, *Neitschizius* ad *pyri* vel *mali*, *Thevenottus* ad salicum magnitudinem assurgere testantur. Nec humilem sane oportet illam arborem fuisse, ex qua mali navium potuerunt excitari, quod ab Ægyptiis factum Herodotus auctor est. Hieronymus *tam grandes has arbores esse*, *ut latissima ex illis tabulata cædantur*, refert. Veslingius *se caudicem spinis carentem non raro ampliorem deprehendisse*, *quam ut brachio suo circumdari potuerit*, *commemorat*. Ex *Neitschitzii* narratione, quæ antea excitato in capite occurrit, colligere est, hominem insidentem camelo, illæsum sub ejus foliis transire posse. Idemque docet figura, si accurata est, quam habet J. J. *Breuning* a *Buochenbach*. Itiner. p. II. c. 29. ubi equites erecti camelis inequitant; neque tamen ramos vertice attingunt. Et, quid multa? Theophrastus, antiquissimus ac gravissimus Auctor perhibet δένδρον μεγέθει μέγα, exque illo ὕλην τέμνεσθαι δωδεκαπήχυν, DUODECIM CUBITORUM. Non ait, duodecim pedum, sed ulnarum vel cubitorum, i. e. viginti quatuor pedum. Idque eo est credibile magis, quod id de nostra ætate confirmetur. Sic Acaciam horti Farnesiani describit Tobias *Aldinus* in libro jam sæpius adducto: *Hujus arboris magnitudo nunc nucem Ponticam æquat*, & *superat altitudine*, *quippe dimensa ad* CUBITOS DUODECIM & *procerior qualibet esset*, *nisi præteritis annis Hibernum frigus valde læsisset*. Apud Bauhinum H. P. L. XII. p. 430. Honorius Bellus refert se *alere acaciam ad sex cubitos se attollentem*, *quæ nondum semen produxerit*. Si id fit in Italia in peregrino solo, quid fiet in Arabia, ubi illius arboris sedes est? Sique planta, quæ nondum semen produxit, ad tantam adsurgit altitudinem, quid non jure exspectes de illa; quæ ad justam maturitatem pervenit? Sunt hæc probe observanda, quod unicum illud dubium, quod forte contra sententiam nostram, qua Sittim esse acaciam statuimus, moveri posset, uno veluti halitu difflet. Atque inde liquet id quoque, grandem errare errorem Hesychium, quando ἀκάκιαν vocat βοτάνην

(r) Excessit e. vivis de 13. Martii a. 1728. Bostoni in nova Anglia æt. a. *63*.



§. 35.

§. 35. Quod arboris adtinet FIGURAM eam tibi in hac Fig. delineatam exhibeo, quam ex comm. Jo. BODÆI a *Stapel* commentario in Theophrastum depromsi, & quam omnium deprehendi esse accuratissimam. Exhibent eam etiam alii v. gr. ALPINUS de plantis Æg. p. 5. Castor DURANTES in herb. novo p. 3. P. BELLONIUS in Obs. p. III. Jac. *Dalechampius* L. II. Hist. plant. p. 161. C. BAUHINUS in hist. plant. L. XII. p. 428. Ol. *Dapper* in descriptione Arabiæ p. 344. [ubi inter tres arbores ibi depictas, media est acacia.] J.H. URSINUS in arboreto Biblico p. 1319. *Lemery* in dict. p. 5. & diversimode pag. 510. Indicæ icona attulit in descriptione *plantarum horti Farnesiani* p. I. Tobias ALDINUS P. And. *Matthiolus* exhibet quoque ejus figuram, sed eum lectores fefellisse a multis accusatus, cum repræsentaverit non Acaciam, sed arborem, quam vocant, Indiæ, quæ Clusio appellatur siliqua Silvestris, cui affinxerit tantum spinas. Sed vide sis, quæ in ejus defensionem adduxit Aldinus pag. 10, 11. Illa pariter imago, quam ex antiquissimo Dioscoridis codice habet Salmasius Ex. Plin. T. I. p. 52. nihil habet, quod cum nostra conspiret Arabiæ spina.

§. 36. Reliqua, quæ ad hujus arboris περιεχόμενα pertinent sc. *caudicem*, *folia*, *flores*, *fructus*, ea ex iis, quæ ex Theophrasto. Plinio, præcipue Durante, Alpino, Veslingio, Neitschitzio adlata sunt, tam clare hauriri, ac illustrari possunt, ut ulterioris explicationis vix indigeant. Breviter complectar omnia. CAUDEX est niger, crassus, qualis est, pruni. Spinis caret ex sententia Veslingii, sed secundum Durantem & Alpinum est multis acutissimis asperrimisque spinis munitus, quod ita conciliandum, ut ille de inferiori trunco loquatur, qui lævis est, hi de superiori, qua exsurgere incipiunt rami. *Cortex* est niger, vel cineraceus & asperior, qua in altitudinem adscendit. SPINÆ illæ sunt horridæ, magnitudine dimidii digiti, binæ, ut plurimum, junctæ, & a se invicem divaricatæ. Tobias Aldinus ita describit. *Aculei cuilibet folio in lateribus pediculi connascuntur, bini initio, etiam colore carneo, postea albescentes, validi, unciam & amplius longi, diu remanentes in ramis decidentibus foliis*. Hæc sunt oblonga, valde parva, pinnatim minutissime incisa, atque acuminata. Refertur hæc tam exigua esse, ut pollice possint contegi 350. si fides Bellonio & Breuningio. FLORES sunt amœnissimi visu; coloris diversi, in Arabia candidi, in Ægypto pallidi, subflavi, flavi, odoris gratissimi, ita ut parvos lanæ floccos imitentur, sintque quasi mollis lanuginis, ex se pulverem remittentes, exigui ac rotundi globuli, unde Virgilio l. c. videntur dicti *baccæ* magnitudine cerasi minoris, vel pisi majoris, texendis corollis apti, crescunt copiosi. Conferat cum his, cui lubet, quæ de Americanæ acaciæ floribus annotavit Tob. *Aldinus* in libro sæpius excitato pag. 5. Ex floribus proveniunt FRUCTUS, instar leguminum; siliquæ scilicet, λόβοι, quæ primo viridem, at deinde nigrum colorem induunt, latitudinem habent pollicis transversi, longitudo non est æqualis, digiti tamen, vel manus, quin & spithamæ magnitudine. Singulis folliculis insunt fabæ, eæque nigellæ, non rotundæ, sed complanatæ, asperioris gustus, earum numerus est vulgo ternarius, sed & ad denarium usque augetur. Sunt autem illæ, quasi isthmo interceptæ, eoque fragili. Eæ sunt arbori seminis loco; ita Plin. L. XXIV. c. 12. *Semen omnium lenticulæ simile minore est tantum & grano, & folliculo*. Geminatam lentem exæquant magnitudine. Illæ autem siliquæ toti fructui dederunt nomen. Vocantur enim قرظ *Karath* & cum articulo القرظ *alkarath*. Ita Bellunensis in interpretatione vocum Avicennæ; *Acacia fit ex fructu arboris SETAN* [nota hanc vocem, Sittim vicinam] *qui ALKARAD appellatur*. Inde toti Arabiæ Felici nomen inditum esse, ut vocetur *balad Alkarat*, i. e. regio *karat*, propter incredibilem horum fructuum copiam nescio ex quo observat Olaus DAPPERUS, in descriptione Arabiæ p. 343. Vox autem illa non est Arabica, sed Græca, haud dubie a mercatoribus Græcis, qui succum Acaciæ hinc in suas vicinasque regiones lucri causa larga copia transportabant, ei indita, sc. κεράτιον, κερατώνιον *siliqua*, quam alias Arabes *Charnub* vocant. Ita etiam οἱ λόβοι s. folliculi acaciæ fructus vocabantur κεράτια ἀκάνθης Galeno L. I. de comp. med. & Diosc. περὶ εὐπορ. φαρμ. L. I. §. 99. Dapperus quoque fructus eosdem ab Arabibus *Ollason* dici affirmat. Neque hanc vocem puto ex Arabum lingua petendam, sed pariter Græcam esse. Ο ΛΟΒΟΣ, ut notet folliculos, in quibus fructus latet arboris. Quæ vox *lobus* est, quæ siliquis varii generis datur, [vide Bauhini catal. plant. p. 404.] Uti & Latinorum *Lupinus*, quæ ejusdem est significationis.

§. 37. Præcipuo autem loco notandus est SUCCUS ille, qui ex hac arbore sudat, quique illi famam conciliavit, quem Dioscorides de parab. L. I. §. 99. & 103. vocat ἀκακίας χύλισμα. Alias ille absolute dicitur κόμμι, *Gummi*, veluti κατ᾽ ἐξοχὴν; Arrianus in periplo; φέρει δ᾽ ἐπὶ τῷ φλοιῷ πηγνύμενον τὸν λίβανον, ὡς τίνα, καὶ τῶν

παρ

παρ' ἡμῖν ἐν Αἰγύπτῳ δένδρων δάκρυα τὸ KOMMI. Marcellus Empiricus cap. 19. & 20. appellat A'KANΘINON, uti *Celsus*. L. V. c. 2. Acanthinum quia defluit ex arbore, quam κατ' ἐξοχὴν probavimus esse dictam AKANΘON. Cum primis a patria sua *Arabici* nomen tulit. Unde Plinius L. XIII. c. 11. gummi ex *Arabica spina*, & Democrates apud *Galenum* de *antidotis* c. 3. *Gummi Arabicum*, *liquorem acaciæ* appellant. In officinis *Gomme Arabique*; Arabisch Gummi. Apud *Scribonium* Largum dicitur *Commis* [i. e. Gummi] *Alexandrina* Cap. LXXII. uti Marcello Empirico c. 14. *Alexandrinum Gummi*, cujus rei causa est, quod sive ex Ægypto, sive Arabia apportetur per Alexandriam devehatur in Europam. Aliquoties insignitur *Babylonicum*, non ut sunt, qui volunt, dictum ab urbe Ægypti, *Cairo*; quam Babylonem quoque vocatam notum est. Quid enim eo opus, cum jam supra §. 32. evicerimus circa proprie dictam Babyloniam Asiæ Acaciam provenisse? Cum autem Ægyptus præcipue produceret [videatur Galen.] L. IV. τῶν κατὰ τόπους, uti & L. IV. de *composs. medicam.* & in Arteriaca L. VII. c. 2. & cap. 4. cujus locus insignis erant *Thebæ*, hinc *Thebanum*, nuncupatum. Rationem supra §. 27. pluribus dedi. Plinius c. l. *Gummi optimum esse ex Ægyptia spina*, *vermiculatum*, *colore glauco*, *purum*, *sine cortice*, *dentibus adhærens*, scribit. Brevis, at accurata est ejus descriptio, quam dedit nobis Samuel DALE, medicus Londinensis, in Phytologiæ p. II. c. 11. (quæ Londini prodiit a. 1705.) p. 426. *Gummi Arabicum dictum substantia est gummosa ex albo flavescens, albida & pellucida, saporis aquei viscosi, incisione sponte exsudans. Eligendum vitri modo pellucidum, sincerum, in vermiculorum speciem contractum, candidum vel ad flavedinem inclinans. Succus ille refrigerat, siccat, crassarum partium est, incrassat, adstringit.* Color ei est varius v. gr. glaucus, niger, rufus, croceus, vermiculatus, cæruleus, purpureus. [*s*] Uti autem acacia & ipsam arborem, & ejus pariter fructum significat, ita & vox illa, qua Copti utuntur nominaturi acaciam arborem, ΣONT, notat ejus succum, & exponunt, Theriacam s. antidotum teste Andr. *Mullero*, Greifenhagio in Gloss. S. p. 102.

§. 38. Neque negligendum omnino, quod in his arboribus crescit, instar fungorum, AGARICUM dictum: MULLERUS *Greiffenhagius* in Gloss. S. p. 102. Gummi hujus Settæ putat *Agaricum* dici, & forte apud Bellonium loco Gummi Arabicum legendum *Agaricum*. Sed nescio unde hæc depromserit. Nam apud Dioscoridem L. III. c. 1. ut in optimæ notæ codice, quem Salmasius in homon. Jatr. c. 102. excitat, ita legitur; *λέγουσι μὲν ἀγάρικον φυτοῦ ῥίζαν, τινὲς δὲ ἐν σηπτοῖς δένδρεσι κατὰ σῆψιν γίνεσθαι, καθάπερ καὶ οἱ μύκητες ἐπιφύονται*; *Sunt qui* agaricum *dicunt radicem esse plantæ, alii ajunt nasci per putredinem in SETINIS arboribus, sicut fungi nascuntur.* Et, ut fungum describit. Plinius L. XVI. cap. 8. *Galliarum glandiferæ arbores maxime Agaricum ferunt. Est autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens.* Ita Agaricum non resinam, sed fungos notaret Setinarum arborum; i. e. עצי שטים; ut supra ostendi, quemadmodum vulgo pro laricis fungo sumitur. Sed unde id nominis Agaricum? An forte idem quod Arabicum? Agar enim mater Arabum; Unde Arabes Agareni dicti! Sed nolo huic disquisitioni immorari, cum extra fori mei limites sit. Confer *Salmasium* loco, quem excitavi, Matthiolum in Diosc. p. m. 341. alios. Observo tantum id nominis apud plerasque gentes retentum fuisse: Græcorum enim ἀγάρικον, est Latinorum ACARICUM; Italorum, & Hispanorum, *Agarico*, Gallorum, *Agari*, Maurorum *Tarichum*, Germanorum, Tannen-Schwam.

§. 39. Usus hujus arboris neque unus, neque exilis est. Præcipue (α) in *medicina* faciunda. Ubi in censum cum maxime venit succus ille, quem statim descripsimus. Is, sensim decidit arboribus, cum pluvia est frequens tum in massam pellucidam, pulcram, crassam, candidam, puram confluit, quæ vocatur *Gummi thuris*, & tinctoribus serici valde in usu est. Exprimitur etiam ex arboris siliquis, floribus, fructu, radicibus. Sunt quidem, quam plurimi, qui liquorem illum, qui in nostris officinis eo nomine venit, dubitant, imo plane negant ex Arabia, aut Ægypto ad nos deferri, sed commixtum esse ex succo Amygdalarum amararum, cerasorum, prunorum sylvestrium, vitium, olearum, ulmi. Vide J. C. *Scaligeri* exerc. contra Card. Ex. 163. Audiamus Avicennæ interpretem Bellunensem; *Licet ex arbore ab Ægyptiis appellata* Setan *colligatur Gummi, tamen Gummi Arabicum est illud*, *quod*

[*s*] Vide de hoc acaciæ succo latius disputantes SALMAS. in Exerc. Plin. p. 529. seqq. BODÆUM a Stapel ad Theophr. IV. 3. & Cap. IX. c. I. p. 966. Joh. RHODIUM ad Scribonium Largum c. XLI. p. 84. &c. LXXII. p. 134. SARACENUM ad Diosc. p. 20. *Harduinum* ad Plin. LXXIV. c. 12. BAVHINUM in hist. plant. L. XII. p. m. 427. sqq. & 431. sqq. MATTHIOLUM ad Diosc. p. 129. 130. Tobiam ALDINUM de *plantis horti Farnesiani* p. 17. - 25. Nic. LEMERI Materialium Lex. p. m. 3511. *Jonstonum* in hist. nat. de *arboribus* p. 233.

quod colligitur arbore dicta Amgailam, *& acacia fit ex fructu arboris* SETAN. Sed cum contrarium doceant tot testes irrefragabiles, & αὐτόπται, qui in Ægypto versabantur, cum Alpinus ad testimonium manuum suarum provocet, cum Serapio Arabs, atque ipse Avicenna id testentur apertissime, non dubito quin ex spina nostra Arabica, atque Ægiptia, gummi illud eliciatur, atque in has oras deportetur, quamvis neque id ausim infitiari, succos illos, qui illo nomine in myropoliis nostris venduntur, sæpe, ut fit, adulteratos & ex variis fructuum arboris liquoribus commixtos esse. Breviter utilitatem hujus succi complectitur ex vetustioribus PLINIUS L. XXIV. §. 66. quod *Spisset, stringatque destillationes omnes, & sanguinis exscreationes, mensiumque abundantiam, etiamnum radice valentior*. Quæ ex Dioscoride hausit. Verba Galeni & Ætii, & Æginetæ, & Theophrasti jam excitavimus antea. Ex recentioribus *Bodæus a Stapel*, qui medicinam exercuit Amstelodami, ad quatuor corporis mala depellenda idoneum scribit *dysenteriam*, *coliacam passionem*, *alvi fluxum*, & *choleram*. Non puto autem me luculentius dare posse indicium, ejus, quem præstat, usus, quam verbis Prosperi *Alpini*, quæ non piget adscribere ex c. l. Ita ille; *Ægyptia acacia*. „ Ægyptii acaciæ arboris utuntur succo „ ex siliquis immaturis expresso, vel etiam ex floribus, foliis, vel ex fructibus etiam. Succi hujus usus apud eos frequentissimus & ad oculos roborandos, atque „ ab inflammationibus, quæ ibi sunt frequentissimæ, tuendos, ad oris, auriumque „ omnia ulcera, nec non ad labiorum cissuras, ad dentes collabentes roborandos, „ atque firmandos, succo in pulverem redacto, post ablutionem ex decocto ejusdem „ succi, vel foliorum, vel florum, parato, factam, utuntur supra gingivas asperso, ac eo dentibus confricatis. Sanguinem spuentibus dragmam singulo mane aliquo liquore dissolutam, potandam afferunt, mirasque ad quamcumque sanguinis „ fluxionem firmandam semper vires habuisse apud eos cognitum est. Eo sæpissime „ hoc solo auxilio multas mulieres ab immodico uteri profluvio pene mortuas revixisse, atque sanatas fuisse certo scio. In iis quidem, quæ has immodicas patiuntur vacuationes, clysteribus ex acaciæ foliorum, florumque decocto paratis in „ uterum injectis utuntur atque etiam succo pulverizato, prædicto cum decocto dissoluto, atque immisso. In alvi fluxionibus eodem modo tum clysteres frequentant „ tum per os succum feliciter exhibent. Ad anum, uterumque foras procidentem „ succo dissoluto cum foliorum, florumque decocto, nihil habent præstantius, ac „ frequentius quo utantur. Ad eos linimento ex succo acaciæ opobalsamo, acetoque parato etiam injungebant. Ad pudendorum, aliarumqne debilium partium „ ulcera difficilia, succi aqua pluries loti pulverizati usus est illis familiarissimus, „ Decocto etiam utuntur, ad exsiccandas pustulas omnes, præsertimque Gallicas, „ sed decoctum parant etiam cum modico ligni Guajaci. In pueris etiam ad achores in capite, & decocto, & pulvere *utuntur*. *Hicque acaciæ est usus apud eam „ gentem nunc frequentatus*. " Cum quibus tamen in primis conferri velim, quæ leguntur apud Tobiam ALDINUM in descriptione *rariorum plantarum horti Farnesiani* cap. I. sect. 2, 3. Si tamen mavis, morborum, quibus hanc acaciam adversari, in variis scriptoribus observavi, dabo catalogum secundum Alphabeti literas cunque *Achores*; *Alvi fluxus*: *Ani ulcera*; *Arteriæ asperitas*; notante Scribonio, *Articulorum debilitas*, qui hoc gummi fovendi; *Aurium ulcera*; *Ad capillorum nigrorem* promovendum. *Catarrhi*; *Chiragra*; *Cholera*; Secundum Columellam ad *laxitatem* promovendam facit; *Coliaca passio*. *Clysteres*, *fluxus mensium*; *Hæmorrhagia*; *Hæmoptisis*. *Ignis sacer*; *Mensium* abundantia; *Oculorum inflammatio*, *& procidentia*, Eorum *ulcera*; *Perniones*; *Podagra*, contra quam & decocto, & unguento ex acacia utebantur. *Pterygia*; *Pustulæ* in combustionibus, præcipue in *morbo Galliæ*. *Sanguinis spuitio*, *& fluxus*; [Vide in H.] *Tussis* contra quam valde commendat Ætius. *Ulcera oris*, *aurium*; *oculorum*, *pudendorum*; *Uteri procidentia*; *Venena*, unde in antidoto contra illa sc. Theriaca plurimus ejus est usus· *Vulnera*, commendante præsertim Celso.

§. 40. Lignum hoc porro (β) valde idoneam materiam præbet construendis ædificiis, adornandisque insignis duritiei vasis. *Latissima ex illis tabulata cædi* refert, Hieronymus. ἐξ αὐτῶν ἐρέψιμον ὕλην τέμνεσθαι. Ex illis *tectis idoneam materiam cædi* testatur Theophrastus. Idem Hieronymus auctor est ex illis *etiam vasa torcularium* (ad quæ conficienda lignis opus est durissimis & solidissimis) *ditissimos quosque & studiosissimos facere*. In navibus compingendis eorum egregia est utilitas. Herodotus jam sua ætate memoravit *naves* onerarias Ægyptiorum ex iis compingi & simul rationem, qua id fit, pandit. Quod & confirmat Theophrastus, quando scribit de ea arbore; ἐν ναυπηγίοις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια αὐτῇ, cui suffragatur Plinius, *Spina nigra*,

gra, incorrupta etiam in aquis durat, ob id utilissima navium costis. Quin & malos navium inde præparari Herodotus confirmat. Ait enim de Ægyptiis ἱστῷ ἀκανθίνῳ χρέωνται: ubi ἄκανθον nostram indicare arborem, indubium est. Nec multis memorabo, quod P. BELLONIUS L. II. observ. cap. *66*. memorat, de BACULIS oblongis, *teretibus*, *lævigatis*, & *satis gravibus ex hac arbore revulsis*, & quidem ea, ex qua Mosis virga confecta erat, qua Petram percussit, *quibus donati sint a Caloieris* i. e. monachis in monte Sinai &c.

§. 41. Quemadmodum autem ex his constat, quæ utilitas hinc redundet ad homines, ita [γ] in nutriendis, pascendisque animalibus hæc arbor cum suis foliis, floribus, fructibus non destituitur usibus. Pergratum præbet camelis, in his, incultis ac sterilibus locis pabulum, teste gravissimo NEITZSCHITZIO: Idem suo suffragio communientem audivimus *Dapperum*. *Incolas solere ramos longis perticis flagellare, ut FOLIA decutiant a pecore devoranda* auctor est Bellonius c. I. Idem confirmat BREUNING a Buochenbach p. 181. Die Araber schlagen mit ihren langen Spiessen oder Copien an die Aeste damit die Schafe oder Hamel davon ihre Nahrung haben. & Joh. *Coppin* l. c. *Quand les Arabes passent avec des troupeaux*, *ils en abbattent les feuilles*, & *les fleurs pour les paitre*. Quam quidem observationem suo non carere usu, ex iis palam est, quæ §. 33. dissertationis sequentis annotabuntur.

§. 42. Porro (δ) ad *corollas* connectendas hujus arboris flores adhibebantur. Theophrastus jam suo tempore ei adscribebat ἄνθος τῇ ὄψει καλὸν, ὥστε καὶ στεφάνους ποιεῖν ἐξ αὐτοῦ. Ex quo sua hausit Plinius, quando *florem* ejus *coronis jucundum* vocat. Hellanicus apud Athenæum L. XV. p. 680. meminit *nigrarum*, *candidarumque spinarum prope templum in oppido Tindio*, *quibus coronas injiciunt textas e floribus arcanthi*, *mali punicæ* & *vitis*. Erantque ii flores eam in rem apti quod ut statim ostendam, pulcherrimi essent coloris. Porro [ε] fructus arboris ad *suffiendum* gratumque excitandum odorem jam Hippocratis ætate fuit aptus judicatus. Ille enim ἀκάνθης Αἰγυπτίης καρπὸν, κέδρου κείσματα, καὶ μυρσίνης φύλλα ξηρὰ *leviter contrita oleoque balsamino subacta vult adoleri* In L. *de natura muliebri* p. 574. & *de morbis mul.* Lut. 672.

§. 43. Præterea [ζ] cum illæ arbores præ aliis æstimandæ, quæ & ori cibum & toti corpori refrigerium præbent, sive, quarum *fructus* palato sunt grati, & sub quarum umbra sedere licet (Cant. II. 3.) nostra spina præ aliis digna laude est, quod non solum ejus fructus nonnullis sunt in delitiis; ut visum est, sed & sub ejus tegmine recubantes suavissima umbra refocillentur, quod passim itineraria referunt. *Denique*, (si & id adjungere liceat) [θ] fructu hujus arboris utebantur, ad nigrum inducendum rebus colorem. Incolas Ægypti eo uti, loco gallæ, ad perficienda coria memoriæ prodidit Theophrastus; Et, qui eum per omnia fere sequitur, Plinius. Bellonius gummi Arabico in Europa uti in atramento & coloribus conficiendis testatur, idque se in libro de *arboribus perpetuo virentibus* demonstraturum pollicetur. Coriarios Cairi ad denigrandas pelles multam copiam succi Acaciæ etiam nunc absumere, declarantem percepimus Alpinum. Quin & hodiernum in diem Gummi Arabici ad colorem nigrum præparandum in his quoque locis esse accepi. Falsum itaque est, quod in Jelammedenu sect. וארא habet; מן שטייה לית הנייה אלא מן קציורה *Ex arbore Sittah nulla utilitas*, *nisi ex ejus excisione*.

§. 44. Restat, (4) ut adjiciamus, proprietates arboris, ejusque ligni, quibus fit, ut tantum aliis longe antecellat. (α) Erat *amabilis visu* ob varietatem colorum. Truncus & caudex & fructus erant nigri. Spinæ aculeatæ candidi coloris, foliorum lætus viror. Flores vel albi, vel flavi, atque ita auro quasi ac argento aculeorum horrorem mitigabant. Rami ab omni parte latissime extensi, gratissimam viatori fesso & solis æstibus tosto in ardentibus eremi arenis umbram præbebant. Certe pulchritudo florum celebratur passim. Ἄνθος ejus ὄψει καλὸν Theophrastus, Plinius *jucundum*, Demetrius apud Athenæum καλλιφεγγὲς, quam vocem Hesychius λαμπρὸν explicat, vocant. Habebant itaque sensus tantum non omnes, qui singulari titillabantur voluptate. Corpus totum tegebat umbra. Succus ex arbore manans saltim illius regionis incolis suavissimus erat cibus. Oculis suavior adspectus offerri non poterat. Neque in sylva tam copiosa abesse poterant jucundo volucres mulcentes aera cantu. Coppinus scribit: *L'on y trouve quantite d'oiseaux*, *qui viennent de bien loin pour d'y desalterer*. Exhibebatur (β) denique naribus acceptissimus odor, quem flores exhalabant. Plinius inter arbores odoras recensuit. In suffitu excitando folia ejus accensa ex Hippocrate didicimus. *Coppinus* testatur, que cettes *arbres jettent des fleurs d'une odeur fort agreable*. *Baumgartem* a Bretienbach itin. L.I. c.22. refert, cum ille deserta, quæ ex Ægypto ad Sinai ducunt, peragraret, *floruisse* eo

tempore arbores ſpinas ferentes præacutas, quæ ſemet MIRIFICO ODORE non parum recrearunt, quarum ſpinarum multas ſecum abſtulerint. Tobias Aldinus de floribus ejus ſcribit eis *datum odorem gratum & ſuavem, nec diſſimilem ab eo, qui in viola lutea, KEIRI dicto vulgo, ſentitur, at paulo acutiorem odorem tamen illum, cum ſiccatus eſt, diu pertinaciter retinere, mira ſuavitate*.

§. 45. Summa (γ) *durities ſoliditaſque* hujus ligni non ex eo ſolum conſtat, quod rebus adhibitum fuit, tales, quæ virtutes omnino exigebant, quales erant torcularia, navium coſtæ, malique & ſic porro, ſed & id auctorum confirmatur teſtimoniis. Ita Hieronymus vocat *lignum fortiſſimum*. Immo tanta illa erat, ut [δ] putredinis eſſet expers. Hinc ἄσηπτα ligna dicuntur. Theophraſtus *ſpinam nigram*, ἰσχυροτήραν nominat & ἄσηπτον Hieronymus lignum *imputribile*. Plinius etiam *incorruptam in aquis durare* poſſe docet. Quæ quidem tales qualitates ſunt, ut non ſolum bene conveniant illis lignis, quæ Sittim in ſacris dicuntur, verum etiam prorſus illis neceſſariæ; cum tabernaculum, ejuſque inſtrumenta per tot ſæculorum gyros durare, & circumquaque circumferri debuerunt. Nec omitti (ε) denique debet perpetuus immarceſſibilis arboris viror, vigorque. Foliis inſtructa eſt ſemper. Et raro flores, fructuſque deſunt. Bis enim per annum ii proveniunt, menſe Martio, & Novembri. Hinc inter Arbores *perpetuo virentes* numerat Bellonius. Servius ad Virg. G. II. 19.

Balſamaque & baccas SEMPER FRONDENTIS acanthi.

acanthum vocat *arborem SEMPER IN ÆGYPTO FRONDENTEM.*

§. 46. Jam velim conferri, quæ ſupra §. 14. obſervavi de iis, quæ requiruntur, ſi arborem Sittim indagare velimus, illiſque cum iis, quæ de Acacia notavimus, conflictis, num in HAC Sittim invenerimus, arbitrari. Nimirum; Cum hæc nomen Sittim in hunc uſque diem apud Arabes atque Ægyptios retinuerit; Cum non defuerint ab antiquiſſimis temporibus, qui de hac arbore cogitaverint. Cum in ipſis illis locis, in quibus olim Iſraelitæ iis lignis uſi ſunt, illæ arbores occurrant, idque valde abundanter, idque ita, ut vix alius generis ibi inveniantur. Cum omnia, quæ de arbore *Sitta* referuntur, in noſtra reperiantur abunde; Cum præbeat materiam ſolidam, duram, pulchram, incorruptibilem, atque adeo exſtruendo tabernaculo, conficiendiſque ejus vaſis apprime idoneam. Cum nihil obſtet, cur minus de hac explices. Cum ex adverſo nullum hucuſque productum ſit arborum genus, in quod iſthæc omnia quadrant, cum hæc omnia ita ſint, tui ſit, æque Lector, arbitrii, tui judicii, numne ſubductis rationibus, hanc debeamus facere cogitationum noſtrarum ſummam; העץ שטים eſſe ACACIAM, ſive *ſpinam Arabicam*. J. Q. D. O.

§. 47. Unicum, quod inſignes quoſdam eruditione Viros adhuc impedivit, quo minus in hanc ſententiam irent pedibus, hoc eſt, quod acacia non ejus ſit magnitudinis, ut ex ea tantæ altitudinis, latitudiniſque aſſeres cædi potuerint, quales ad ſtructuram tabernaculi adhibitas fuiſſe, ſacri ſcriptores commemorant. (א) Enimvero, ſi noſtra tempeſtate non tales ſunt, male infertur, non olim tales fuiſſe. Illa tempeſtate, qua tellus nondum ita habitata eſſet, uti noſtris factum eſt temporibus, magis parcebatur ſylvis atque arboribus. Poteſt fieri, ut certo tempore, certoque in loco ad eam magnitudinem, denſitatemque arbor excreverit, cujus ſimilis nunquam & nuſquam alias viſa eſt. Diſerte dicitur de עצי אלמוגים, ex quibus Salomon Columnas templi, ſuaque palatia fieri fecit, *tale lignum nunquam deinde aſportatum fuiſſe, neque unquam viſum in hodiernum uſque diem* 1. Reg. X. 12. Anon paria fortaſſe de עצי שטים, quibus populus Iſraeliticus tunc utebatur, dici potuerunt? Incredibilia ſunt, quæ de magnitudine cedrorum ad exſtructionem templi adhibitarum, leguntur. Tu vero tantas exſtitiſſe negabis, quod forte ſimiles nunc haud facile reperias? Contrario documento ſunt, quindecim aut ut alii numerant, viginti illæ, quæ ad hunc uſque diem in vertice montis Libani cum omnium admiratione cernuntur, quarum truncorum περιφέρεια eſt 37. ſi demas duos pollices, explicatorum autem ramorum 120. pedum, referentibus fide digniſſimis auctoribus, qui noſtra Patrumque ætate oculis ſuis luſtrarunt. Sunt autem hæc ſolæ tantæ magnitudinis, cum reliquæ, quæ in eodem loco ſunt, vix cum iis comparandæ, nec ſimiles in toto terrarum orbe conſpiciantur. [†] Sed neque opus eſt huc ut dilabamur: (ב) Potuit enim fieri, quod ſæpe eſt ab aliis tentatum, ut reliquis ramis amputatis harum arborum, tabernaculi ſtructuræ inſervientium caudices ad inuſitatam altitudinem evecti fuerint. Porro, (ג) quiſquis apud animum ſuum cogitat Theophraſto auctore arborem eſſe δωδεκαπήχυν, *duodecim cubitorum*, i. e. viginti

(†) *La Roque* itin. Syriæ p. 73. *Maundrell* dans la Voy. p. 239. de Bruin. in itin.

ginti quatuor pedum, qui nostra etiam ætate ejus inveniri longitudinis attendit. LATISSIMA *ex iis tabulata cædi* teste Hieronymo, *Malos* navium inde confici scriptore Herodoto, ne nunc quidem brachiis viri posse circumdari, insidentes camelis alto vertice, ne ramos quidem adtingere, quæque alia §. 34. adtulimus, is quidem confitebitur, nihil de magnitudine arboris Sittim afferri in sacris, quod non spinæ Arabicæ conveniat probe.

§. 48. Anquiritur a S. Scripturæ interpretibus, ex quonam spinæ genere illa texta fuerit corona, qua sanctissimum Servatoris patientis caput olim cinctum fuit. Magna est diversarum sententiarum multitudo. Nolo eas recensere. Neque enim in his spinis hærere diu lubet. Astipulamur enim ex parte magno viro Isaaco Casaubono in Ex. Anti-Baroniana LXXIV. qui judicabat *multas adeo ruborum species esse, ut inanis atque inutilis labor foret quærere, quænam species ad coronam Christi spineam fuerit adhibita.* Sed, quid si de hac acacia cogitemus? Sane non desunt argumenta, ex quibus hanc opinionem, nec absurdam, nec improbabilem esse, evinci potest. Sc. (1) Triga Evangelistarum, qui illius coronæ mentionem fecerunt, utuntur voce ἀκάνθων, quæ ea ipsa est, qua acaciam nostram a veteribus insignitam fuisse vidimus; ita ut propriam significationem verborum retineamus, de *acacia* nostra interpretantes. (2) Est porro hæc arbor ad corollas nectendas valde idonea, eumque etiam in usum ab antiquissimis temporibus adhibita, uti §. 42. ostendimus. (3) Quamquam enim P. BELLONIUS L. II. c. 88. testetur se præter Rhamnum, & cappares spinosas Hierosolymis non potuisse invenire fruticem spinosum, unde existimat Rhamnum præbuisse materiam coronæ illi, potuit tamen diligentem ejus investigationem facile effugere, præcipue cum inter alios COPPINUS, [Vide §. 19.] diserte testetur *circa Hierosolymam etiam acacias reperiri*. Jo. *Bauhinus* in hist. plant. L. XII. p. 430. scribit se possidere ramum hujus fruticis HIEROSOLYMA REPORTATUM. Immo (4) vetusta atque universalis traditio est, ipsam hanc acaciam fuisse Christi spinam. Testimonia hujus rei aperta exstant, qualia jam §. 48. adtulimus *Coppini*, *Fuhreri*, *Dapperi*, *Breuningii*, *Baumgartneri*. Christi ἀκανθῶν cum Mosis βάτῳ jam sua ætate contulit Clemens, qui ab Alexandria nomen tulit, *pædagogi* L. II. c. 9. Unde (5) non mirum si & recentioribus ex eruditorum choro hæc sententia arrisit. Sane BODÆUS a Stapel in Comm. ad Theophr. L. III. c. 17. p. 258. *veri* similius est, inquit, *spinam Servatoris nostri, ex acacia fuisse, arbore Judææ familiari, quæ* ἄκανθη κατ' ἐξοχὴν *veteribus dicta fuit.* Ne dicam (6) ita commode, ἐξ ἀκάνθων σταφυλὴν, καὶ σῦκα ἀπὸ βάτων posse colligi, hoc est, ex collatione rubi Mosis, quem acaciam s. lignum Sittim fuisse differt. ostendam sequenti, cum Christi corona spinea non invenustas nasci meditationes, si comprobari posset, Jesum Christum V. T. inchoaturum, legemque laturum in eodem spineto visum esse, in quo, ut per omnem V. T. œconomiam habitavit, ita sub ejus finem peccata generis humani expiaturus, publice in cruce propositus est.

§. 49. Quæ cum ita sint, mirum profecto foret, si illius Arabicæ arboris nemini uni venisset in mentem, cum eam fuisse arborem Sittim nunc a nemine uno dubitari amplius posse existimem. Verum enim vero ex iis quæ adducta sunt, patet non defuisse omnino, nobis ὁμοψήχους. De Hieronymo nullum dubium est. Symmachus in loco Joel. III. 18. explicat שטים per ἀκάνθας, quod spinæ Arabicæ proprium, Theodotion transfert ἄκανθ, quæ spinæ Arabicæ propria sunt nomina. Judæorum Doctores maximam partem militare pro *Cedro* monitum est. Non desunt tamen nostram causam agentes. R. SAADIAS Gaon, cujus nunc habemus versionem Arabicam, id vidit, cum سنط transfert, quæ vox etiam nunc Ægyptiis, Arabibusque eo sensu in usu est. Idque ejus testimonium eo observandum est magis, quod ille non solum Ægyptius esset, ex urbe Pithom oriundus, unde הפיתומי dictus, sed & in Arabia vixit, immo ad radices montis Sinai sepultus. Unde unus omnium minime, qualis illa arbor esset ignorare poterat. Aben Esra tamen, quo inter eos vix sapientior exstitit, de certa specie in deserto Arabiæ explicavit. Ita enim ad Ex. III. 2. לפי דעתי כי כל סנה אחד הוא יהיא מין קיץ יבש וככה הוא בלשון ישמעל וכב הר סיני בעבור הסנה: *Quantum ego judico, unius generis rubus in utroque loco* [Ex. III. 2. & Deut. XXXIII. 16.] *& est species aridæ spinæ, sic dicta in lingua Arabica, unde etiam mons Sinai nomen habet ab hoc rubo* סנה. Idem fieri abs auctore Hitzcuni, qui *in sylvis deserti eas crescere fuisseque lignum leve & pulchrum* testatur, docet P. FAGIUS in notis ad Targum Ex. XXV. 5. Rudolphum Suchensem qui sæculo vixit decimo quarto, acaciam Ægyptiacam vocasse ligna Sittim supra §. 23. vidimus. Viros doctos, qui scita Ecclesiæ Romanæ sequuntur, ut plu-

plurimum depræhendo meæ ſententiæ favere; Cujus rei cauſa facilis hariolatu eſt. Tenentur ſequi verſionem vulgatam, quam Hieronymi putant. Hunc autem nobiſcum ſenſiſſe, & *Setim* vel *Sithim* retinuiſſe, oſtendimus. Nec deſunt omnino in cœtu proteſtantium, qui eandem nobiſcum opinionem defenderunt, inter quos nominaſſe ſuffecerit Jo. Henr. URSINUM, *Anglos* commentatores, Edmundum CASTELLUM, Jo. Henricum MAJUM, Andr. MULLERUM, Greiffenhagium, Salomonem TILLIUM, Matthæum HILLERUM, Joannem HAMMIUM, (*u*) & Ludovicum WOLTERS.

§. 50. His nunc exploratis perſpici demum poteſt, quarum rerum ſymbola, atque emblemata in ſacris literis arbor Sittim commode præbere queat. Placet pleriſque interpretibus eam referre cum ad Chriſtum, tum ad eccleſiam ejuſque membra. Nec ſane inepte; Erat vel arbor, vel frutex ex terra oriens, cui CHRISTUS comparatur toties arboris, fruticis, germinis, radicis, virgæ, imo צמח & פרי הארץ Eſ. IV. 2. nomine dictus. Creſcebat in deſerto, Chriſtus & natus eſt, & adolevit in eremo tum hujus mundi, tum eccleſiæ Judaicæ. Erat illud horridum deſertum Sinai, qui mons Zioni opponitur. At ſtatum eccleſiæ V. T. ſub quo Chriſtus natus eſt, oppoſitum novi, vocari Sinai notum eſt. Proferebat ſpinas maledictionis ſymbolum; Chriſtus maledictionem omnem in ſe ſuſcepit, maledictus habitus & pro nobis maledictio factus. Intacta nocebat nemini, at recte utentibus plurimum afferebat emolumenti. Verum pungebantur, vulnerabanturque ſpinis ii, qui in eam violenter irruebant. Chriſtus nocet nulli, prodeſt omnibus. Non tamen impune Chriſtus laceſſitur, ſed facit, ut hoſtes ſui experiundo cognoſcant, quam ſit σκλήρον πρὸς κέντρα λακτίζειν, & quam φοβερὸν ἐμπέσειν εἰς χεῖρας Θεȣ͂ ζῶντος: Et ſic quibuſdam erat futurus למקרש, aliis autem לצור & לאבן נגף לפח למוקש מכשול, Eſ. VIII. 14. Aliis ἀνάστασις aliis vero πτῶσις καὶ σημεῖον ἀντιλεγόμενον Luc. II. 34. Τιμὴ τοῖς πιστεύȣσιν, reliquis λίθος προσκόμματος, καὶ πέτρα σκανδάλȣ 1. Petr. II. 7. ad exemplum columnæ igneæ, quæ præſidio erat populo Dei, at pernicies Ægyptiis. Etſi autem ſentibus erat horrida, nihil tamen ejus adſpectu erat pulchrius nihil amœnius, etſi Chriſtus apparuit ἐν ὁμοιώματι σάρκος ἁμαρτίας, omnium viliſſimus Eſ. LIII. 3. 4. hominum tamen fuit pulcherrimus, Pſ. XLV. 3. nihilque eo deſiderabilius, gratiuſque. Eadem arbor, quæ inhorreſcebat vepribus, ſucco ſaluberrimo, cum ſponte ſua emananti, tum cultello vulneribuſve elicito, diffluebat. Videre mihi heic videor imaginem illius, qui in cruce ſpinas geſſit palam, cum interea totum corpus pretioſiſſimo ſucco ſanguinis ſui, qui cum ſponte in horto, tum ex vulnerato corde in ligno crucis effluebat, madefactum uberet, cum tamen omni hominum generi univerſalis quaſi quædam panacea, contraque morbos omne genus tutiſſimum remedium factus fuit.

§. 51. Soliditas, durities, atque, putredinis expers vis ligni revocat nobis in memoriam τὴν δύναμιν τῆς ζωῆς ἀκαταλύτȣ, quæ in Chriſto fuit, Hebr. VII. 16. Illumque in eo ſtatum, in quo vel in ipſo ſepulchro omnis expers fuit cariei, ſecundum Pſ. XVI. 10. Act. II. 27, 31. XIII. 35, 36. Defatigatis & marceſcentibus inter ardores ſolis in deſerto nihil magis optatum, nihil acceptius quidquam erat umbra illa, qua frondes illius arboris contegebant ſub ea conſidentes. In deſerto hujus mundi palantibus, & æſtibus accenſæ divinæ iræ, conſcientiæ læſæ, infernaliumque flammarum toſtis nihil ſuavius, nihilque, quod recreet, levetque magis eſt, quam umbra meritorum Chriſti. Confer Pſ. XXIII. 3. XXXVI. 8, XCI. 2. Cant. II. 3. Eſ. IV. 5, 6. Ezech. XVII. 23. Suavis ille odor, quem ſpargebant Settæ flores, pictura quaſi quædam eſt exquiſitæ illius fragrantiæ, quam illa vitæ Arbor longe lateque diſſeminavit, partim ſacrificio ſuo, quo παρέδωκεν ἑαυτὸν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, partim inculpata vitæ ſuæ ſanctimonia, partim τῇ ὀσμῇ τῆς γνώσεως αὐτȣ͂ φανεροῦντι ἐν παντὶ τόπῳ; partim annuntiatione Evangelii per Apoſtolos, qui facti ſunt Deo Chriſti εὐωδία ἐν τοῖς σωζομένοις, καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις; 2. Cor. II. 14. ſqq. Quum autem tabernaculum Moſaicum ex aſſeribus ligni Setim fabricatum fuit, quod olim incoluit, pulcherrimam heic intuemur imaginem naturæ terrenæ & humanæ Chriſti, quæ habitaculum eſt cœleſtis & divinæ, in qua illa olim habitavit σωματικῶς Col. II. 19. Quemadmodum idem propoſitum fuit in lignis Sittim arcæ, auro circumdatis puriſſimo, ut ita utriuſque in Chriſto naturæ conjunctio ſignificaretur.

§. 52. Quum autem illud ab omnibus fere interpretibus unanimi conſenſu ſtatuatur, lignum Sittim non ſolum Chriſti, ſed & ECCLESIÆ, ejuſque membrorum, i. e. fidelium eſſe emblema, fundamentum illius theſeos ex utriuſque comparatio-

(*u*) In diſſ. de *panibus propoſitionis* ſect. II. §. 2. ſqq.

ratione, & jam dictis facile exhiberi potest. Pone enim tibi ob oculos arborem, in eremo Sinaitica ex terra ad alta exsurgentem, pulchram, jucundam adspectu, licet nigram, licet spinosam, tamen ligni solidi, nec putredini obnoxii, odoris suavissimi, succum proferentem merito suo habitum maximi, corporis valetudini muniendæ, morbisque omne genus depellendis valde idoneum; perpetui fere viroris, ex cujus lignis facta sunt una cum tabernaculo, omnis generis sacra vasa; Vivamne heic contemplaris imaginem illorum qui sunt, sicut *arbores plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructus suos dant tempore suo*, Ps. I. 3. quæ *ut palma florent*, & *sicut cedrus*, *in Libano* crescunt Ps. XCII. 13. Qui hominum more ex terra prodeunt; alta tamen & cœlum spirant, quærunt, meditantur inque illud se evehunt. Qui sæpe numero sub arborum Symbolo veniunt. Et, quod magis est, qui ipso hoc nomine שטים designantur Es. XLI. 19. [Vide supra §. 4.] Quibus mundus, in quo vivunt, mera est eremus Sinaitica, æstu torrida, aquis salutaribus & resocillantibus gratiæ carens, avia, ululantibus feris horrida, quæ collecta est in deserto gentium Es. XXI. 1. Jer. IV. 11. Cant. III, 6. Qui sunt similes illis *tentoriis kedar*, *quæ nigra quidem erant*, & *tamen desiderabilia*, Cant. I. 5. i. e. adspectu quidem viles in oculis mundi, at formosi in oculis Dei Ps. XLV. 10. sqq. Qui a nativitate ipsa spinis peccatorum cincti sub eorum onere ingemiscunt, & maledictionem commerentur. Qui inter sentes persecutionum, uti lilium inter spinas, crescunt, caputque efferunt. Quorum summa est firmitas & constantia, utpote in opere Domini ἑδραίων καὶ ἀμετακινήτων, sicut, quoad ecclesiam totam ejus perpetuitas & æternitas heic in memoriam revocatur Ps. XLV. 7. Matth. XVI. 18. XXVIII. 2. Hebr. I. 8, 4. Qui ab hostibus suis impune non læduntur. Qui fructus Deo, hominibusque acceptos & suaves producunt. Qui jucundissimum sanctimoniæ & bonorum operum dispergunt odorem. Quorum folia sunt εἰς θεραπείαν τῶν ἐθνῶν Ez. XLVII. 12. coll. Apoc. XXII. 2. In quibus vigent ὑποτύπωσις τῶν ΥΓΙΑΙΝΩΝ ΤΩΝ λόγων 2. Tim. I. 13. ἡ διδασκαλία ΥΓΙΑΙΝΟΥΣΑ Tit. II. 1. quorum preces, instar θυμιαμάτων accensæ in cœlos adscendunt εἰς ὀσμὴν τῆς εὐωδίας. In quibus Christus olim ἐσκήνωσεν, & etiam nunc spiritu suo & gratia habitat; & quasi tabernaculum suum figit. Inter quos Deus delitiatur, colitur eo quem ipse describit modo qui versantur inter ejus sacerdotes, sacrificia laudum & gratiarum actionis, θυσίας ζῶσας, ἁγίας, εὐαρέστους τῷ Θεῷ, immo semet ipsos offerentes. Quorum denique *folia non facile marcescunt*, sed perpetuo virore superbiunt, qui *plantati in domo Jehovæ*, *in atriis Dei*, *nostri florent*; & *fructus adhuc in senectute ferunt*, *pingues* & *virides*, qui putredinem non extimescendam habent, sed vel in cineres & pulverem redacti olim, ut mortis triumphatores, τῷ ἀμαραντίνῳ τῆς δόξης στεφάνῳ cincti, & τῇ κληρονομίᾳ ἀφθάρτῳ, καὶ ἀμιάντῳ, καὶ ἀμαράντῳ, τῇ τετηρημένῃ ἐν οὐρανοῖς fruentes florebunt, splendebunt, lætabuntur æternum.



THEODORI HASÆI DISSERTATIO DE *RUBO MOSIS

הסנה dicto,

Ad Exodi III. 2. 3. 4. illustrandum,

In qua, qui ille fruticis, arborisve fuit, investigatur.

ARGUMENTUM.

P*roemium & divisio* §. 1. סנה (1.) *notat* rubum, *quod significare POSSE probatur* [A] *ex ejus* etymo, *quod est* סן, acuendi *notionem habens* §. 2. *Id ut pateat, præmittitur frequentem esse permutationem literarum* ש & ש, & ס, & ז, & צ, *ut apud Arabes* ز Ze, *Sin* ش, *Schin*, ص, *Sad*, ض *Dad vel ts. Chinensium regio vocatur* China. צין, essin, Thsin, Sein, Schin, Σῖναι, Θῖναι SINGTHEI, Czina, Cina, Tzanna &c. §. 3. 4. *Probatur autem ex ipsis* [א] Codicibus *apud Hebræos, Chaldæos, Syros, Arabes, Græcos, Germanos*, צנן שנן, תנא : σχενόω, Zinnen. §. 5. [ב] *ex figura* literæ ש *&* Σ, *quæ est* σημαντική §. 6. [ג] *Ex vocibus variarum linguarum, quæ* שן *vel* סן *vel* זן *involvunt, & omnes* acuminis *retinent notionem; v. gr. quæ* [α] dentem *significant, apud Hebræos, Chaldæos, Persas, Arabes.* §. 7. *Apud Germanos, Italos, Belgas, Gallos, Hispanos.* ז *in d,* ש *in* ח *mutatum.* S *&* z *inferioris Germaniæ incolæ mutant in d. vel* t. Dentelles, §. 8. *Quæ* (β) arma *notant vel* generatim, אזניך, *vel* speciatim *adhibentur de* gladiis, sagittis, curribus falcatis. שנאן, Pf. LXVIII. 18. Falcibus; *unde Germanorum* fense §. 9. §. 10. *Hinc Persarum* Sani. *Unde* Σαωίον, *hasta Persarum, Samnitum, Indorum.* §. 11. Sentis, צנים & צלות. *Quomodo illa ab accumine dicta! Habebant cuspides.* Pf. V. 13. תרס, Tartschen, θύρεος §. 12. *Vel indicant* (γ) *cuspidem calami, stylum, aut* (δ) *CLAVUM aut* (ε) *acutum* scopulum, §. 13. *aut* (ζ) *hamum aut* (η) *naves parvas piscatorias, aut* (θ) cotem; βάσανος *P. & M. permutantur, aut* (ι) *literas* acuminatas, (κ) *aut* palmam, *in quibus omnibus* acuminis *habetur ratio.* §. 14. *Et cum* acuere *ad mentem* [Λ] *sæpe refertur, & doctrinam.* §. 15. *Id etiam usu venit orientalibus. Unde* שנא, & תנא, *est* legere, discere, docere, *quibus mens acuitur.* ש *in* ח *sæpe permutatur Gen. IV.* 22. שנן *Deut. VI.* 7. §. 16. *Kiriath Sanna,*

* Hanc de Rubo dissertationem, qua passim ligna Sittim illustrantur, inserendam quoque putavimus.

na, דביר *Sanchuniathon*. Sunna, *Alsunna*, §. 17. *Mischna hinc dicitur*, *qs. doctrina*. §. 18. *Lingua confertur gladio acuto*: שנינה, *dicterium*, *scomma*. חוד. Sanna. §. 19. *Forte* [μ] *mons Sinai hinc appellatus*, *quasi* Montaigu. Spitzbergen, *nisi ab ipso τῷ* סנה *dictus*. *Rubi in lapidibus montis Sinai*. §. 20. *Ex quibus cum pateat veram notionem τȢ* סן *vel* סנן *esse* acuendi; *Nunc liquet quomodo SPINIS*, *quibus proprium est* acutum *esse*, *inde potuit nomen* Sanim *dari & rubus dici* סנה, צנים. §. 21. *Idem est cum Latinorum* Sentis, senticetum. §. 22. *Inde etiam* Baithsan, *Scythopolis*, *i. e. qs. Urbs τῶν* שכים spineti. §. 23. *Unde* Sittim, *quæ vox notat* aculeos *vel* spinas. §. 24. *DEBERE* [B] סנה Rubum *transferri patet*, *quod sacri scriptores* quater *explicent per* βάτος. §. 25. Βάτος *autem arborem* spinosam *notat*, *Locus Job*. XXXI. 40. באשים *sunt* spinæ, באשה, basch. §. 26. *Ostenditur id ex vocibus cum* βάτῳ *compositis*, *ex origine a τῷ* βαίνειν. §. 27. *si vel olim nomen generale fuit*, *non tamen ita usurpatur*. §. 28. *Nullum datur exemplum dissimile* βάτον *aliter*, *quam pro spineto sumi*. *Loca Homeri & Pindari vindicantur*. §. 29. *Et sic meliori voce* סנה *exprimi nequivit*. *Cur non?* §. *Si palmam voluissent indicare*, *eam suo nomine expressissent*. *An vocem* סנה *non intellexerint* LXX. §. 30. *An dici possit sacros scriptores hypothetice incommodam* LXX. *versionem retinuisse*. *Locus Psal*. XL. 7. *coll. Hebr*. X. 5. §. 31. *Accedit* [C] universalis omnium consensus *de* rubo *explicantium*. §. 32. *Etiam Mahumedanorum*, *quia* عوسج §. 33. *Rubus* [I.] *ille Mosis fuit* Spina Arabica, *ex qua lignum* Sittim. §. 34. *Examinantur argumenta* [III.] *aliter sentientium quod* 5. *adstruitur argumentis*. [1] *quod* סנה *a* pulchritudine *dicta*, *quæ rubo non conveniat* Schöne. *Resp*. [α] *Non omnibus sentibus pulchritudinis laus adimi potest*. *Rosa nihil pulchrius*. §. 34. *Et si nulli* [β] *alii tamen spinæ Arabicæ laus formositatis demi potest* §. 34. [γ] *Neque opus est*, *ut* סנה *a pulchritudine dicatur cum ab* acumine *commodius dicta*. §. 36. *quod* [2] *rubus* maledictus *nequeat esse figura throni præsentiæ divinæ*. *Contrarium multis probatur*. §. 37. *Christus suo symbolo animalium maledictorum* Hirci & serpentis *proponitur*. §. 38. *Si spina maledictionis symbolum non tamen omnis*, *non semper est*. *Aliquando inter auspicatissima habitat*. *Ex spina faces nuptiales factæ*. §. 39. *Quod* [3] *rubus maledictus adumbrare nequeat ecclesiam internam*. §. 40. *Ejus elegans symbolum posset esse* Spina Arabica. §. 41. *Quod* [4] *ad rubum alluditur nunquam*, *sæpius ad* palmam §. 42. *Quod* [5] *non sint rubi in Sinai*. *Contrarium constat*. §. 43. *Quod* סנה [6] *apud Arabes non habet rubi significationem*. §. 44. *Fit ex his conclusio rubum & quidem acaciam intelligendam*. §. 45. *An* סנה *sit palma?* *Cur hic non ita explicanda*: *an Chaldæorum* אסנא *sit palma*. §. 46. *Quid* [IV.] *mysterii hic lateat*. *Illud ex scopo & circumstantiis judicandum*. §. 47. *Arbor significat* (α) *fideles*, (β) *ecclesiam Israeliticam* (γ) *Christum*. §. 48. *Non consumetur symbolum afflictionum*, *quibus fideles*, *& populus Israelis afficiendi*, *non consumendi*. §. 49. *Mysterii* ἐνσαρκώσεως *Christi*. §. 50.

§. I.

MEditanti proxime antecedentem dissertationem, perreptantique horrida deserti Sinaitici loca, in mentem venit *Rubi* illius insignis, qui ibi locorum commorandi primum & deinde habitandi locum præbuit Angelo TOT pariter & TΩ יהוה, qui & ipse יהוה fuit, & in cujus medio nomen יהוה erat, vidente id, atque obstupescente servo Domini MOSE. Accidit itaque, cum arbores, quas illa quondam tulit eremus, solertiori oculo investigarem, in iis vix aliam deprehenderem, singulari quadam animadversione dignam præter illam suis munitam aculeis ACACIAM, s. *Spinam Arabicam* dictam שטה *Sitta*, quæque exercitationi superiori materiem præbuit; Hinc in eam dilabebar cogitationem, anne hæc ipsa arbos fuerit inclytus ille MOSI & visus & commemoratus Βάτος, s. Rubus? Quo autem magis ea animo meo obversata est, eo in illo altiores fixit radices. Age, operæ pretium, nisi mea me prorsus fallit opinio, fecero, hanc rem si tractavero paulo diligentius. Præsertim cum una fidelia duos dealbavero parietes, &, dum veram notionem τȢ סנה eruo, per illam non *palmam*, uti nuper (1) credi cœptum est, sed spinosam arborem intelligendam evincam. Quod ut fiat eo ordinatius sequenti adhærebo methodo: ut I. vocem, qua Divus utitur Moses, de *rubo* seu *spineto* vel *senticeto* omnino intelligendam, atque ab *acumine*, quod *spinarum* proprium est, derivandam esse ostendam, quod fiet cum ἀνασκευαστικῶς, tum Κατασκευαστικῶς. Deinde [II.] ut argumentis maxime probabilibus, præter quæ in rebus hujus generis non alia dantur, evincam talem βάτον, aut rubum, qualem

(1) Vide, quæ nuper inserui *Musei* Bremensis T. II. p. 99.

Moſes conſpexit, fuiſſe ejuſmodi שטה, aut arborem, qualem lectorum oculis luculenter ab oculos ponere capite præcedenti anniſi fuimus. III. *Porro* rationes eorum, qui de alia arbore, quam *rubo* cogitant, ventilabo modeſte. Denique (IV.) quid myſterii in Moſis viſione deliteſcát, inveſtigabo breviter. Lege, Lector, judica, errantem autem comiter mone.

§. 2. Vox [I.] qua utitur divinus ſcriptor eſt סנה vel הסנה, neque alibi occurrit, quam Ex. III. 2. 3. 4. Deut. XXXIII. 16. LXX. vertunt βάτος. Chaldæus אסנא & horum veſtigiis inſiſtunt N. T. ſcriptores: Hanc autem recte *rubum*, *dumetum*, *ſenticetum* explicari colligendum puto ex ejus [A] *etymo*, quod POSSE, (B) Ex *teſtimonio ſpiritus* S. quod omnino DEBERE ita transferri docet. [C] Cui tandem accedit univerſalis tantum non omnium conſenſus. Vocis illius ἔτυμον eſt quærendum in vocabulo סן, quæ in Hebræa lingua quidem defecit, in cognatis adhuc ſupereſt, quatenus notionem *acuendi*, atque *acuminis* habet, & ſic *ſpinæ* convenit omnium optime.

§. 3. Antequam autem id nunc de voce סן vel סנה evincam, obſervandum, faciles admodum, imo perpetuas fere literarum ש & שׂ, שׂ & ס, ז & צ Hebræorum Chaldæorum, vicinorumque, uti & س, & ش, ut & ز apud Arabes & Perſas occurrere permutationes. Miratus ſum ſæpenumero viros harum literarum non ignaros negare neceſſitudinem inter voces, quia forte שׂ offendunt loco ש & ס vel צ loco ז, atque ea propter tales inter ſe cognatas eſſe infitiantur. Sed velim eos tantum adtendere, id adhuc quotidie inter nos fieri ſolere in diverſis, & vicinis regionibus, urbibus, immo vicis, & pagis. Annon diverſimode ſcribuntur, ſaltim pronunciantur eædem voces per t & d, per ſ & ſch; per b & p. & ſic porro? Eaſdemne Germanicas voces aliter efferunt Cauci, aliter Weſtphali, aliter denique pronunciant Haſſi? Ne de Palatinis, Suevis, Bavaris, Helvetiis dicam. Habentne ſinguli proprias dialectos? An vero negabis *tongen*: *glaube*, *koopen*, *deov*, *book baaſen*, *meſter*, *bus*, ſexcentaque alia Saxoniæ inferioris vocabula, non alia eſſe formulis mutatis ab iis, quibus ſuperioris Saxoniæ cives utuntur, Zunge / Glaube / Lauffen / Dieb / Buch / Hoſen / Meiſter / Haus &c. &c. Quis Anhaltinos Germanice loqui infitiabitur, ſi gutenjaſſe / pronunciant, quod ceteri Juden-Gaſſe / Helvetii, Kilche, vocant, quod nos Kirche. Si id in hodiernis linguis fit, ut literæ cognatæ inter ſe permiſceantur frequentiſſime, de veteribus ſane aliter cogitandum non eſt.

§. 4. Sed quid argumentis opus eſt, rerum cum adſint teſtimonia? *Schin* & *Sin*, ש & שׂ, ס, צ, & Arabum ز *Ze*, س ſin, ش ſchin, ص, ſad & ض *Dat* perpetim variantur Sic quando in Hebraico eſt ש Schin, id Græce effertur per Σ, ut patet in vocibus Ιησȣς, Σάλμων, Σάββατον, Σαμȣήλ, Σαλώμη, Σήμ: &c. Arabes ש Schin permutant in س, ut pronuncietur tanquam ס. v. gr. שמע eſt سمع, *audivit*: שמן, eſt سمن eſt *pinguefecit*. שלם, tranquillum eſſe, سلم, שאל eſt سأل, petivit, שמים eſt a سما, & ſic porro. Contra ש quod efferendum eſſet ut ס, ſicuti & ipſum ס ſcribitur per ش, quaſi legeretur ש v. gr. סאן eſt شأن *ſtrenue rem gerere*, סכך eſt شك *implicuit*, *intexuit* [unde nomen forte datum eſt שכות ſpinis, quæ implicant], uti شوك, ſchaukon & שכים *ſpina*, שבך eſt شبك *perplexitas ſpinarum*, שנא eſt شنأ, *odio habuit &c.* Vide plura exempla apud *Hillerum* in Onom. p. 704. 705. & harum linguarum longe peritiſſimum A. *Schultens* in diſſ. III. de *linguæ Hebrææ defectibus*, *eorundemque reſarciendorum tutiſſima ratione*, quæ prodiit Franeq. 1728. Parem in modum dicitur שכר סכר & מסוכה & משיכה, יחש & יחס, חפש & חפס, סמר & שמר, שכן & סכון, ארס & ארש, שחיש & סחיס שבת a סבטיון, ſic סובלתא, שבולת; Imo Ebræorum צ redditur per Σ, Σάβȣλων, Σίων, Σάβαωθ, Ἴσαακ, Ἔσλι, Σίν, Σιδών, Σεβώιμ Σέλλα, Σαδὼκ. קציע & Caſia. Θρᾶξ & תירס. Quin in alphabeto, quod a Phœnicibus acceperant Græci, ξ occupat locum Samech. More Attico Græci dicunt ξύνοψις pro Σύνοψις, ξυνώεις & Συνώεις, a צור eſt *Sarra*, *Sarranus*, & Syrorum nomen. Pariter dicitur עלז & עלץ, & עלס. Ita & מרז & מרץ & מרס, זהר & צהר, זעק, & צעק, זית *olea*, a זית *ardere*. Sed, ut pateat, quam diverſimode literæ ſibilantes inter ſe commutentur, exempli loco nobis ſit, ipſa hæc vox סן vel סינים, quæ occurrit Eſ. XLIX. 12. deque regione Sinarum explicatur, quamquam & alii per *ſentes* interpretentur. Hebræi habent ציך, Arabes الصين, *eſſin*, Perſæ چين, *Tſchin*, Armeni *Sein*, Haithonus *Sim*, Martianus Periegeta Σίναι, Scaliger ad Euſebium Θίναι, Mendoſa *Singthei*. Germani, Luſitani, Belgæ China, vel *Tſchina*, unde *Tineſen* [quod pronunciant Tſchineſen, unde datum nomen eſt in India vafris ad faciendam rem idoneis negotiatoribus: Poloni, Czina / Galli *China*, Itali *Cina*, alii Σ in τζ mutant & pro Σίνα, dicunt Τζίναι, uti Σάνυς Scythiæ populum etiam vocaverunt Τζάνυς.

§. 5.

§. 5. Hæc præmittenda fuerunt, ne quisquam miretur, si ad comprobandum τȢ סנה veram originem, notionemque voces produxero illi radici cognatas, etsi literæ sibilantes inter se conversæ sunt. Est itaque (A) τȢ שנה radix duarum literarum, ex quibus, ut puto, voces Hebraicæ omnes petendæ sunt, sc. סן *San* vel *Sen*, quæ significationem habet *acuendi*, spinæ valde convenientem. [א] Superest apud Hebræos שנן quod est, ut Avenarius explicat, *acuit*, *præacuit*, *exacuit*, *acuminavit*, quæ occurrit Deut. XXXII. 41. Ps. XLV. 6. LXIV. 4. CXX. 4. CXL. 4. Prov. XXV. 18. Es. V. 28. In Hithpahel Ps. LXXIII. 4. Olim etiam in usu erat צנן, quod rursus Avenarius, *acutus*, *aculeatus fuit*, spitzig seyn, interpretatur, ut patet ex derivatis compluribus, quæ deinceps occurrent. Apud Chaldæos, Rabbinos Syrosque eadem obtinet significatio. שנן enim est *acuere*, *expolire*, unde שנינה, *acutus*, שננה, *acies*, *acumen*. Et cum apud illos ש sæpissime commutatur in ת, hinc תני תנה, est acuere Ps. CXL. 4. Ezech. XXI. 9. Quin & Arabibus non ignota est سن *acuit*, *polivit* ensem, مسنون *acutus* مسنون, *longam habens faciem*, *longumque nasum*, id est; homo vultu *acuto* مسن, super quid aliquid *acuitur*. Non abludit Græcorum, Σχινόω, ἰσχνός, ἰσχνότης, ισχνόω, ἰσχαίνω, σχινόω, quæ voces *acuendi*, *attenuandi*, *macilentum reddendi* notionem habent. Apud Germanos die Zinnen sunt murorum, & tectorum *cuspides*, *acumina*.

§. 6. Ipsa [ב] litera ש *Schin* vel ש *Sin* figura sua id nos condocet. Notum enim est, nomina literarum apud Hebræos, vicinasque gentes esse significantia, & characteres literarum, quibus utuntur, figura sua repræsentare illas res, quas nomina illa indicant, ut a Lœschero, Rhenferdio, aliis jam pridem ostensum est. Jam litera ש non tam dentem, quam tridentem, sive tricuspidem seu rem *tribus acuminibus*, qualia in nulla alia literarum figura cernere datur, armatam, propriissime *tribulum*, τρίβολον exhibet. Id quod pariter fit in Σ Græcorum, quæ litera est conversum ש, & ab Æolis dicebatur Σὰν docente Salmasio. Cum autem aliquid notare debeat, quod cum ejus conveniat figura, inde concludimus *Schin* vel *Sin* involvere *acuminis* significatum.

§. 7. Clarius adhuc (ג) id constabit, si attendamus variis variorum idiomatum vocibus, quæ omnes ab *acumine* dictæ, & a סן vel שן vel צן originem suam petunt. Quid acutius [α] *Dentibus?* Quid in iis magis requiritur, quam *acies?* Dens autem apud Hebræos vocatur שן, Chaldæis שנא, Judæis שננא est *dentatus*, vel, qui magnos dentes habet teste Davide de Pomis p. 226. اسن & سن Arabibus est dens. سن *momordit dentibus*, *erupit dens*, *dentivit*, *magnis fuit dentibus*, *fecit*, *ut prodiret dens*, *defricuit dentes*, ut docet Golius. Pariter Persis سن, notat *dentem* docente Angelo a S. Joseph in Gazophylacio Persico. Hinc κατ' ἐξοχὴν datur hoc nominis ebori sive dentibus omnino maximis 1. Reg. X. 18. XXII. 39. 2. Chron. IX. 17. Ez. XXVII. 15. Amos III. 17. VI. 4. Latet etiam in שנהבים, quæ pariter dentes notat elephantorum a שן & הב i. e. elephas. Quod Bochartus notat Hieroz. T. I. L. 2. c. 23.

§. 8. Id nominis, eadem ratione propagatum est ad linguas Europæas, quæ etiam nunc in usu sunt. Id enim ipsum est Germanorum Zahn, unde Zähnen, i. e. *dentire*, Italorum *Zanna*, dens, unde & apud hos *Zannare*, donner le *dent*, *assanare*, dentibus aliquid arripere, *assanne* une coup de dent. Uti autem id fit sæpius inter Hebræos Chaldæosque, ut ד & ז inter se convertantur, v. g. זבח & דבח, דבוב & זבוב, זאב & דאב, דלף & זלף, דרע & זרע, דכר & זכר, אודן & אזן, quin & ש abit in ד, ut דראין a דשא, & in ת, quod vel pueris prætextatis ignotum esse nequit. Ita idem usu venit, apud illos, qui superiorem & inferiorem Germaniam incolunt; Hi cum in t mutant, quod illi instar z pronunciarunt, ut patet ex verbis Zehrung / zwingen / Sitzen / Zapffen / Ziehen / Zehlen / Zung / Zaum / Zange / Zinß / Zorn / Zwergen, &c. unde *tellen*, *tunge*, *toom*, *tange*, *tins*, *tappen*, *dwingen*, *torn*, *targen* &c. Hinc Cauci mei ex Zahn, faciunt *ten taene*, *teen* Parem in modum ita ex Zahn, factum Belgicum *tand*, *tanden*, &, ut s. transit in d, hinc Latinorum est *dens*; Gallorum, un *dent*, Hispanorum, *diente*, Italorum, *Dente*. Et quid ni huc retulerim, retento præfixo τȢς ὀδόντας Græcorum? quin & apud Persas etiam nunc, dentes appellantur دندان, *denden*. Et illæ telæ quibus se ornant mulieres, quæ Gallis vocantur *dentelles*, apud Germanos ab *acumine* audiunt die Spitzen.

§. 9. In primis vero id observare licet in nominibus, (β) quæ ARMA significant, quod eorum præcipua, ac tantum non unica virtus sit, esse *acuta*. Sic *Generatim* (1) Chaldæis אזינן sunt *arma* Deut. XXIII. 13. Jer. V. 16. Hinc iisdem אזן est armatum esse Es. XXXIII. 4. Speciatim שנן sumitur de (2) gladiis, eorum-

que acie. Vide Deut. XXXII. 41. Pſ. LXIV. 4. eodem modo, quo ἀκινάκης ab ἄκη
dicitur. (3) *De telis* Pſalm. XLV. 6. Prov. XXV. 18. Pſ. CXX. 4. Eſ. V. 28.
Huc ſpectat (4) שנאן Pſ. LXVIII. 18. i. e. currus præacutis *falcibus* armatus,
δρεπανηφόρος. Deque FALCIBUS uſurpatam hanc vocem ejus rei veſtigia exſtant in
voce ſenſe/ (ruſtici dicunt ſeeſt,) qua Saxones noſtri *falcem* deſignant, quaque
Lut. uſus eſt in verſione Bibliorum 1. Sam. XXIII. 20. 21.

§. 10. Præcipue, ut Ovidiana phraſi utar, [5] *acutæ cuſpidis haſtis* hinc no-
men datum. Ut enim τὸ ἄκον & ἀκόντιον ab ἄκη, i. e. *acie*, uti ein ſpieß/ apud Ger-
manos a ſpitze/ ita a שן apud Arabos لسان & سنان, & لسعه, haſtarum *acies*
& *cuſpis*, nomina tulere. David de Pomis in lex. p. 226. obſervat שננא inter alia
notare *ferrum lanceæ*, ſ. *ſplendorem enſis*. Pro *lancea* haſtave occurrit צנה vel צנת
1. Sam. XVII. 7. 2. Par. XI. 12. Pſalm. XXXV. 2.

§. 11. Dubio procul hinc quoque orta eſt vox Perſica سني *Sani*, quæ iis notat
cuſpidem haſtæ, & per ſynecdochen partis pro toto ipſam *haſtam*, hinc per ἐπένθε-
σιν literæ υ factum Σαυνίον, Σαυνιάζω, *percutio*, *vulnero*. Fuit autem Σαυνίον *haſta*,
qua Perſæ utebantur, ut patet ex Diodoro Siculo Bibl. hiſt. L. XVI. c. 20. ubi
enarrat Alexandrum a Perſa quodam ſauciatum, idque factum σαυνίῳ. Iidem in ve-
rationibus σαυνία jaculabantur teſte Strabone L. XV. p. m. 724. θηρεύουσι δὲ σαυνία
ἀφ' ἵππων βάλλοντες καὶ τοξεύματι, καὶ σφενδοῶντες. Olim erat inter Samnitum, qui &
Sannites & Σαυνῖται dicebantur, arma, quos & hinc nomen traxiſſe auctor eſt *Fe-
ſtus* & *Paulus* Diaconus L. II. hiſt. Longobardicæ. In Indorum armis recenſet Ar-
rianus in hiſt. Ind. p. 331. Heſychius vocat ἀκόντιον βαρβαρικόν. Apud Dionyſium
Halicarnaſſæum occurrit frequenter, & cum λόγχαις conjungitur. Julius Pollux L. X.
c. 31. §. 143. inter δόρατα, ἀκόντια, λόγχας connumerat. Vide Comment. ad illum;
in primis Tiberium *Hemſterhuiſium*; Indicem *Sylburgii* ad Dion. Halic. L. 1. RE-
LANDUM in diſſ. miſc. T. II. diſſ. 8. p. 234.

§. 12. Nec dubitem huc referre (6) צנים & צנות, (*) quæ Hebræis notant
ſcuta, ſive *clypeos*, eoſque minores. LXX. vertunt θυρεὸς. Eoque ſenſu interpretan-
tur Pſ. V. 13. XXXV. 2. XCV. 4. 1. Reg. X. 16. 2. Par. XI. 12. Jer. XLVI. 3.
Ez. XXVI. 24. Miraberis id fortaſſis, cum clypei, qui lati & rotundi ſunt, vix
nomen ferre ab *acuminibus* poſſint, ſed potius a rotunda figura debeant appellari,
uti apud Belgas *rondaſſe*. Sed id bifariam fortaſſe commode fieri poteſt. Vel, quod
talis fuerit ſcuti ſpecies, qualis delineatur in Theodori DASSOVII diſſ. ad titulum
Celim n. b. figura triangulari, adeoque trium acuminum, ita ut homo a tribus la-
teribus cingeretur, ex quo explicari poſſet phraſis Pſ. V. 13. qua Deus gratia ſua,
כצנה, tanquam *ſcuto acuto*, *juſtum coronare* dicitur. Vel quod in medio clypei pro-
mineret cuſpis ferrea, quo ſimul & defendere ſe, & nocere hoſti poſſent. Tale ge-
nus ſcuti deſcribit *Jacobus* KAPHELIUS *in ſepher Omek halacha*, ed. Cracovienſis
v. 24. §. 1. excitante Daſſovio de צנות loquens; חד הוא מגן קמון עגול בעודת קערה
ובאמצית יוצא כמין חורא: *Alterum* (ſcutum) *eſt clypeus rotundus*, *parvus*, *ad formam
ſcutellæ*, *in cujus medio prodit aliquid inſtar cuſpidis*. Effigiem talis parmæ habes in
frontiſpicio diſſ. ORTLOBII de *clypeis Hebræorum*.

§. 13. Verum enim vero & plura ſunt quæ huc pertinent; (γ) Arabibus notat
سن eam partem calami, quæ aptatur ad ſcripturam, uti & سنه caput extremum
calami, quo literæ exarantur, die Spitze der Feder. Eadem ratione, qua ſtylus, quo
ſcribitur, dicitur עט a עטה *acuit*. Et, quidni eodem modo, quo probamus, a שן
lignum שטים dictum, hinc quoque derivemus, שטה, שטיה, quæ vox Rabbinis *ſty-
lum* & *lineam ſignificat*. Sic סן (δ) notat *paxillum*, *clavum*, *qui de tabula egreditur*
teſte Davide de Pomis in lexico p. 153. pariter ab *acumine*. Et quoniam (ε) *pe-
træ*, ſcopulique acuti ſunt, hinc earum cacumen vocatur שן סלע; Fit id Job.
XXXIX. 28. & 1. Sam. XIV. 4. ubi Lut. transfert ein ſpitziger Felß. Rabbinis in
tractatu Cholin. c. 8. שננים ſunt *ſcopuli*, & שננות, שוניתא eſt *acumen petrarum*.
Hinc dubio procul in excitato Samuelis loco petra dicta eſt שנה *Saene*, vel ut Lut.
habet *Senna*. Et ſic uti ab eadem voce, quæ ſpinam notat, etiam rupes acutæ di-
ctæ ſunt, ita ab חוח, quæ pariter *ſpinam* ſignificat, חוחים dicuntur 1. Sam. XIII. 6.
dentes rupium, in quibus ſe abſcondebant.

§. 14. Porro, (ζ) cum hamus, quo capiuntur piſces, *aculeum* præ ſe fert, hinc
dictus

(*) Chaldæus hanc vocem ſæpe exprimit per תרים vel תריסה; hæc autem ipſa vox eſt Germanica
tartſchen, qua ſæpe in verſione ſua uſus eſt Lut. 1. Reg. X. 16. 2. Par. IX. 16. Jer. XLVI. 3.
Ez. XXIII. 24. XXXVIII. 4. Convenit etiam Græcorum θύρεος, (quo οἱ ό exprimunt צנות) & θυρεὸς,
ſcutum, ſicut Angli *Target*, Gallis *Targue*, Italis *Targa*. Bohemi *Tarts*, Cambri *Tarſan*, Arabes ترس
tarſch Tarſch efferunt. Apud ſcriptores medii ævi frequens eſt, *Targe*, *Targia*, *Targear*, *Targa* mentio.
Vide du *Freſne* Gloſſ. T. I. p. 1069. ſqq. & Ferrarii & *Menagii origines*.

dictus est צנה. Sic saltim intelligendum videtur hoc verbum Amosi IV. 2. ubi Lut. vertit angeln. Idque fit eopse modo, quo a סיר, שכים, & חוח, quæ omnes significatum habent *spinarum*, aut *veprium* fit סירות, שכות, & חוחים, quæ voces etiam *hamos* denotant. Ob similem rationem (ι) id denominationis datum est naviculis parvis piscatorum, quibus uti solent admodum acutis, dictis צנות. Testantur id Kimchius in libro שרשים p. 423. & auctor lexici Aruch, ed. Ven. fol. 42. col. 2. in radice דנית. Eadem ratione qua שכות & סכות significant *navigiola*, [ut docui in diss. de (¹) *Leviathane* Jobi cap. IV. §. 11. sqq.] quæ tamen & notant *spinas*, ut & צנת eandem significationem habent. [ϑ] Pariter *cos* sive id, quo vel super quo acuitur *culter*, Arabibus dicitur مسن, unde nomen Græcum βάσανος, quod pariter cotem significat B mutato in M uti in *Merodach* & *Berodach*, *Meccha* & *Beccha* (observante Bocharto in Can. L. II. c. 5.) Mascauda, Bascauda, Μύρμηξ & Βύρμηξ, Μάσκα & Βάσκα. (ι) Huc pariter spectant acumina illa sive *proeminentiæ*, quas Judæi in codice, quo in Synagoga utuntur, literis appingunt, quasque sunt, qui de κεραίαις illis explicant, quarum Servator meminit Matth. V. 18. dictæ צנים. Hanc autem vocem ab acumine appellatam idemque notare, quod *spinas*, ex eo apertum est, quod & eodem significatu appellentur קיצים, i. e. *spinæ* (κ) Nec alia causa est, quod & voces, quibus *palmæ* ejusque fructus τὸ סן vel צן involvant. Probavit id prolixe Clarissimus VERESTOI laudata dissertatione P. I. Segm. 2. §. 9. sqq. Neque enim solum earum folia, & corticum segmenta singulari quodam modo in acumen desinunt, sed & observavi in plagis orientalibus æque, ac in America palmas dari, totas, quantæ sunt, *Spinis* circumseptas.

§. 15. Præterea, id quod multo labore lævigatur, atque perpolitur, aut ferrum frequentibus mallei ictibus cusum, tandem in *acumen* desinit. Hinc factum est, ut variis in linguis (λ) ad *doctrinam* & mentem, *acuendi* verbum translatum sit. Ita ingenium gnava opera cultum, expolitumque dicitur *acutum*, quod oppositum est *hebeti*, *obtuso*, *plumbeoque*. Ita Cicero Or. IV. in Verr. scribit. *Non est homo quisquam eo acutior*, & in L. 3. de Orat. c. 39. appellat *hominem ingenio prudentiaque acutissimum* & rursus, *motum animi celerem*, *& acutum*, *ad excogitandum* memorat. Sic *Acumen* ingenii denegat *Cicero Epicuro* L. II. de N. D. c. 29. & tribuit *Hyperidi* L. de Or. c. 31. & *ingeniorum acumen* memorat pro Flacco c. 4. *Acutum* hominem ad fraudem Nepos vocat callidum. Hinc *acies mentis*, *animorum* pro perspicacia innumeris in locis occurrit. Inde *acuere* est erudire, sic probæ notæ auctoribus usitatæ sunt hæ phrases, *acuere ingenium*, *linguam exercitatione dicendi*, *juventutem ad dicendum*. Hinc *acute* idem est, quod *argute*, *ingeniose*, unde Phrases apud Ciceronem *cogitare acutissime*, *perspicere acutissime*, *respondere acute*, *arguteque*. Inde Virgilius L. I. Georg. v. 123. de Jove, *pater ipse colendi*

Movit agros, *ACUENS curis mortalia corda*,

i. e. ut Servius annotat, exercens, uti Ter. Ad. t. V. 3. 40. *Illos sat ætas acuet*, i. e. instruet, docebit. Simili sensu apud Græcos usurpatur ὀξὺς & ὀξύνειν. Uti & Germanos, quibus ein scharffes Urtheil / scharffer Verstand / ein spitzfindiger Kopf / ein Spitzkopf / vulgari sermone circumferuntur. Ita apud Hebræos a חרץ, quæ vox *acuendi* notione gaudet, descendit חרוץ, quæ hominem *acuti* & solertis *ingenii* significat Prov. X. 4. XII. 24. XIII. 4. XXI. 5. Sic חד vel חדד, quæ vox acuminis acutissimi significationem tenet, transfertur ad sensus. Sic חדו Hab. I. 8. malim cum præstantissimis interpretibus ad animum referre, & sensus, quam cum aliis ad celeritatem corporis.

§. 16. Præsertim acumen animi vel doctrinam indicaturi utuntur orientales populi vocibus, quæ a סן & שן descendunt. Sic Rabbinis שננא est homo *acutus*, ingeniosus, sapiens. Sic R. Samuel solebat discipulum R. Jehuda vocare שננה, *sapientem*. V. Buxtorfium in lexico p. 2478. & Davidem de *Pomis* p. 226. Raphelengius in lexico Arabico سني, סנן, vel שנן *acuere*, *legere*, *discere*, *in lege versari*, سنة, *jus*, *traditio*, mox, usus, لحل سني, *ratiocinator*, unde سنية, *sedulitas*, *perspicacitas*. Ita apud Talmudicos, שנה est *Legere*, *docere*, *discere*, *cognoscere*, שנוי, quod *discitur*, cognoscitur, τὸ γνώσον, שונה, *discens*, *docens*, *legens*. Illud autem (²) ש apud Chaldæos permutatur in ת, ut תנה, תני, תנא, תנא unde Rabbinorum notæ formulæ, תנו רבני docent Doctores nostri הכי קתנו, ita *docet*; *legit* &c. Vide plura, ex Rabbinis testimonia apud Buxt. in lex. p. 2472. Ita שנן occurrit Deut. VI. 7. ubi de præceptis legis dicitur שננתם לבניך *docebis ea filios tuos*, (quod

(¹) Eandem significationem habet Es. II. 16. quod alias probabo pluribus.
(²) Exstat festivissimus Dialogus Luciani, δίκη φωνηέντων dictus Opp. T. I. edit. Grævianæ p. 44. ubi querelæ exhibentur literæ Σ quod a T. elisa sit.

(quod recte vim vocis retinens expreſſit Lut. Du ſolt ſie dienen Kindern ſchärfen, i. e. *acues*) Eodem modo uti לטש denotat quidem *polire*, *acuere*, & tamen etiam *docere*, atque *inſtituere*, v. gr. Gen. IV. 22. לטש, indicat *Doctorem*, *Magiſtrum*, einen Meiſter / ut Lut. habet.

§. 17. Ita urbs Judæ, quæ קרית ספר dicitur Jud. I. 11. 12. etiam dicebatur קרית סנה *Kirjath-ſanna*. Joſ. XV. 49. Ut autem *Kiriath Sepher* notat *Urbem literarum*, in quo eruditi florebant, πόλιν γραμμάτων, ut ſeptuaginta habent, ita *Kirjath Sanna* verti poteſt *urbs doctrinæ* vel *inſtitutionis*, & his reſpondet דביר, quod nomen eidem datum eſt civitati a דבר *loqui*, *diſcere*, quaſi dicas λαλητήριον, auditorium, deſcendit; Audiamus magnum Bochartum, quo neminem magis opinionibus meis ὁμόψηχον cupio, in Can. L. II. c. 17. *modo appellatur*, קרית ספר, *urbs literarum*, modo, קרית-סנה, *urbs doctrinæ S. legis. Radix* סנן *Arabibus primo eſt acuere, deinde exquiſite docere, ita ut acutior fiat, is qui docetur*. Præterea vult hinc derivandam primam ſyllabam in Sanchuniathon, quaſi סן ſit decurtatum ex סנה, quaſi notet סנקנאתו, quod ad verbum ſignificat, *lex zelus ejus*, quod tamen ſuo loco relinquimus. Idem Bochartus c. l. cui Relandus adſtipulatur Geogr. S. p. 726. aliique cenſent legem שבעל פה, ſ. *oralem* Mahumedanorum, cujus auctor Bochari eſt, dictam سنة vel سنن *Sonna*, *Sunna*, vel *Alſcanna*, unde *Sunitis* nomen, abs eadem hac radice.

§. 18. Convenit cum hoc nomine משנה, MISCHNA, quæ id apud Judæos notat, quod apud Turcas *Sunna*, adeoque & quoad literas, & quoad ſignificationem. Convenit res ipſa; eſt enim *Miſchna*, quod Judæi debent *diſcere*, *docere*, *legere*. Deus ipſe ut viſum, quando de ſua lege agit, eam filiis acuendam, i. e. diſcendam eſſe vult, ubi voce סנן utitur. Ejuſdem etiam ſignificationis תלמוד, cujus primaria pars Miſchna eſt, quæ nomen tulit a למר *diſcere*, quaſi למוד doctrina. Conſiderandum itaque offero perſpicacioribus, anne & Miſchnæ ejuſdem ſit cum *Suna* originis. Mihi ſane hæc ſententia arridet magis, quam vulgaris illa, quæ arceſſit a שנא, quatenus *iterandi* ſignificatum habet. משנה eſt δευτέρωσις, non משנה. Hanc vocem in illam detorſerunt Judæorum magiſtri, ut notent legem alteram a Moſis lege diſtinctam. In ea confirmatus ſum, poſtquam Cel. Philologum in ſimilem cogitationem deinde comperi perveniſſe. Imo jam ea ſignificatione ſumitur Deut. XVII. 18. ubi משנה תורה, non eſt Δευτερονόμιον, vel ſecunda lex, ſed *doctrina legis*, quæ ibi diſtinguitur a libro cui lex debeat inſcribi. Sicut & משנה eo *doctrinæ* ſenſu capitur 2. Reg. XXII. 14. ubi de Hulda prophetiſſa occurrit. Et ſic voces قرلن & سنة Turcarum, plane ut ſono ita & ſignificatione reſpondent Rabbinorum vocibus מקרה & משנה.

§. 19. Cum autem nihil acutius lingua, gladio illa acuto & telo comparatur. *Qui acuerunt* (שננו) *ut gladium linguam ſuam* Pſ. LXIV. 4. *Lingua doloſa eſt uti ſagitta potentis* שנונים. Pſ. CXX. 4. *Exacuunt* (שננו) *linguam ſuam*, *ſicut ſerpens*. Pſ. CXL. 4. Confer Pſ. LVII. 5. Semper vides verbum שנן adhiberi. Hinc dictum aculeatum, quale Cicero *aculeum orationis* appellat, ſcomma, dicterium acerbum, vocatur שנינה. Hinc literæ dicuntur *aculeatæ*. Vide Deut. XXVIII. 37. 1. Reg. IX. 7. 2. Paral. VII. 20. Jer. XXIV. 7. Germanice diceres, ein Stachel-Wort / eine ſpitzfindige Rede. Chaldæi rurſus ש in ת translato vocant תני, Deut. XXVIII. 37. Idque fit eadem ratione, qua a חר vel חדד fit חוד quod ſignificat, *acuere*, *acutum* eſſe, ſed & ſumitur pro acute loqui, deſcendit חודה, *acute dictum*, *ſermo gravis*, *ænigma*, quo ſenſu etiam Chaldæis uſitatum eſt. Sic שנינא apud Rabbinos eadem notione venit. Et quidni hinc derivemus Latinorum *Sanna*, *Sanniones*, *ſubſannare*, quarum vocum & literæ, & ſignificatio huc pertinent.

§. 20. Neque ille ineptiret, qui & ipſum montem (μ) *Sinai* hinc nomen ſuum nactum eſſe judicaret, quaſi dictum *montem acuminatum* vel *acutum*. Galli dicunt, *montague*, unde illuſtri in Anglia familiæ *Montacutiorum* nomen eſt, vel eo modo, quo nota in mari ſeptentrionali inſula, ſita ſub gradu latitudinis 77. nomen habet, dicta Spitz-Bergen. Neque enim omnibus ſolum montibus id commune, ut ſenſim in altum faſtigium adſcendant, ſed ſingulari modo proprium fuit monti deſerti Sinai, in cuſpidem peracutam deſinenti. Id eſt, quod periegetæ paſſim enarrant. Audiamus eorum nobiliſſimum Petrum della *Valle*, qui itinerarii p. I. p. m. 118. teſtatur *cacumen ſupremum montis ita præceps eſſe*, *ut opus ſit fune*, *quo ab uno ſcopulo ad alium pertrahare*. Alfricus verticem montis dicit eſſe *petram altam*, *& acuminatam* lapidis nigri & albi apud Rhotium T. I. p. 727. Hinc illi monti ſpeciatim cacumen & vertex adſignatur Ex. XXIV. 17. Lut. habet die Spitze des Berges. Fortaſſis etiam ſcopuli illi petræque eminentes, quas audivimus adpellari

צנור,

צנורה, quibuſque abundabat *Sinai*, huic denominationi potuerunt præbere anſam. Et ſic Sinai foret *mons ACUTUS*. Id ſane malim, quam dictam ab urbe Ægyptia Peluſium, quæ Ezech. XXX. 15. סיני dicitur, aut a סיני filio, Canaanis, quæ Jacobi Golii in notis ad Alferganum p. 146. conjectura eſt. Si quis tamen malit montem סיני appellatum, a סנה *rubo*, deſertum monti Sinai vicinum, vel quod ruborum, quales ſuperiori capite deſcripſimus, ibi inſignis adeſſet copia, ſive ſingulatim ob הסנה rubum illum, quem contuebatur Moſes, nollem propterea cum quoquam altercari. Poſterius, qui credant, ſunt inter Hebræos. Ita in Pircke Elieſer cap. XLI. fol. 31. col. 1. ר׳ אליעזר המודעי אומר מיום שנבראו שמים וארץ נקרא שם ההר חורב וכשנגלה הקב״ה על משה מתוך הסנה על שם הסנה נקרא סני היא חורב : *Rabbi Elieſer hammodai ait; Inde uſque a tempore creationis Cœlorum & terræ dictus eſt ille mons Horeb; At poſtquam DEUS BENEDICTUS apparuit Moſi in medio rubi, qui vocatus eſt Seneh, dictus eſt ille, ſc. mons* Sinai*; & hic eſt* Horeb. Idem Abenezra calculo ſuo confirmat ad Ex. III. 2. R. D. Kimchi in libro שרשים ad vocem סנה. Sunt, qui a rubo volunt Sinai dictum, כי האבנים הנמצאים בו יצוייר עליהם הסנה, *quod in eo inventi lapides qui Figuram Rubi* exhibent, quod notant Commentatores in librum מורי נבוכים, p. I. c. 66. quales figuras ſe in iſtis lapidum fragmentis vidiſſe teſtatur, illorum Commentatorum alter, Ephodeus. Et paſſim hodierni periegetæ id obſervant, qui ipſam adeo illam figuram exhibent. Vide Ferr. *Imperati* hiſt. Nat. L. 24. c. 27. *Becmannum* in hiſt. O. T. c. 7. §. 10. Fuhrerum, Troilo, Breuningium, Neitſchitzium, alios. Simili modo deſertum צין, alias *Kadeſch* dictum Num. XX. 1. XXVII. 14. Deut. XXX. 50. vel a ציניך i. e. palmulis minoribus, vel potius *ſpinis* nomen tulit; Uti & deſertum quod eſt inter Elim & Sina Ex. XVI. 1.

§. 21. Hæc omnia eo pertinent, ut conſtet veram ſignificationem סן, cognatarumque vocum eſſe *acuendi;* Eſt autem nihil ſpinis magis proprium, quam acutum eſſe, imo ſpinæ nihil aliud ſunt quam ipſi arborum quarundam *aculei*. Unde vulgare admodum eorum adtributum eſt, ut vocentur, *acutæ*. Uti, quo ex millenis in re tam trita exemplis, tantum bina aut trina afferam, *Virgil.* Ecl. V. vſ. 39. canit, *ſpinis ſurgit paliurus acutis*. Et Plinius L. X. c. 32. memorat *ſpinas aculeatas*, & *Seneca ACUTIS aſperos vepres RUBIS*; *Rubos acutos* non melius Hebraice explicaveris, quam סנים vel סנורה· Atque ita ex סן eſt factum סניא ſpina, & סנה, *rubus*, ſpinetum, uti ex צנן *acutum* eſſe, fit צנות & צנים, *ſpinæ*. Id enim connotare ex legibus ἐξεργασίας, de quibus alias monui, diſerte liquet, ſi conferamus Num. XXXIII. 55. *Et erunt coram vobis in ſpinas* [לשכים] & *in ſentes*, לצנינים *lateribus veſtris*, *ubi poſterior* phraſis ex priori interpretanda eſt. Confer Joſ. XXIII. 13. Job. V. 5. Prov. XXII. 5. Amos. IV. 2. Clar. Hillerus Hieroph. pag. I. c. 60. p. 471. צנים explicat de ſpinis humilis palmæ Chamoeridis, quæ alias حوع *Daumon* vocatur. David de Pomis in excitato ſæpius lexico סן p. 153. explicat genus *ſpinæ*. In Schir haſſchirim rabba cap. 1. vſ. 1. hoc Judæorum effertur proverbium מן סניא נפק וורדא, *E ſpina roſa naſcitur*. Eadem ſententia occurrit in Jalkut p. II. fol. 19. col. 3. רשע מוליד צדיק יש לו משל ויש לו מקרא ישלו משל סניא דאפיק וורדא, *Progenerat aliquando impius juſtum quod ex parabola & ſcriptura confirmatur. Parabola hæc eſt, ſpina producit roſam*. Hinc fortaſſis locus Iſaſcharis, alias *ſunam* vel σώναμ dictus, *Sanim* Euſebio & Hieronymo dicitur.

§. 22. Quod autem uſu venire ſolet perſæpe ut ex occidentalium ſermone orientalibus vocibus lux & fax accendatur, quod millies millieſque non ſine delectatione juxta & fructu obſervavi, id etiam accidit huic voci. Quis enim non illud סן & סנה, *Sene* deprehendet, ut ſono, ita ſignificantia plane convenire cum Latinorum *Sentis*, *ſenticetum*, & *ſenticoſum?* Neque dubito, quin huc pertineat vox *ſentum*, quæ notat id, quod *ſpinoſum* eſt, uti enim loca ſpinarum plena ſunt horrida, ſquallida, inculta eo ſenſu vox ea venire ſolet veteribus. Ita memorat Virgilius Æn. VI. v. 462. *loca ſenta ſitu*. Ita vepres i. e. ſpinæ dicuntur *ſenta*. Prud. L. II. adv. Symm. n. 10. *Exſtirpamus enim* ſentos *de pectore veſtro* &c. Idem περιςιφ. H. III. 46.

Ingreditur pedibus laceris
Per loca ſenta ſitu & *vepribus*.

Nec te moretur illud in ſentis. Apud enim Ægyptios & Arabes enim pronunciari *ſent*, *ſant*, *ſont* ſuperiori diſſertatione §. 23. 24. viſum eſt.

§. 23. Ni multum fallor animi, hanc vocem סן *ſpinæ* notione etiam in alia voce deprehendo, nimirum in nomine urbis famoſæ Manaſſitarum, בית שאן, vel בית סן quæ ſita erat prope Jordanem & mare Geneſariticum, 600. ſtadiis Hieroſolyma.

Illa

Illa deinde eſt SCYTHOPOLIS ſub templo ſecundo dicta. LXX. Joſ. I. 27. βαίθσαν, ἡ ἐστι Σκύθων πόλις. Et hoc nomine non ſolum apud Joſephum venit ſæpius, & 2. Maccab. XII. 29. Quæritur, qua factum ſit ratione, ut ex בתשן vel ביתסן ſit facta Scythopolis. Non puto ita dictam, quaſi urbem ſ. πόλιν τῶν Σκύθων. Quæ enim de Scytharum in Palæſtinam expeditionibus circumferuntur, ea jam pridem fabulis accenſere cœperunt acutiores. Ego putaverim *Bathſan* & Schytopolin eſſe ejuſdem ſignificationis voces. סן enim, ut oſtenſum eſt, notat *ſpinam*, *aculeum*. Id pariter notant סוחח & שכים & שכות: Et quidem *ſpinas Arabicas*, de quibus heic agitur. Vide diſſ. præced. §. 20. Occaſionem his cogitationibus præbuerunt verba Hieronymi quæſt. in Geneſin XXXIII. 17. *In Hebræo legitur Sochotth* (סכת) *eſt autem uſque hodie civitas trans Jordanem hoc vocabulo in parte Scythopoleos*: Videlicet, cum quæreretur a Judæis, quid ſibi velit τὸ Σὼ in Bethſan, reſponſum eſt, Σὼ notare *Socaoth* ſive *Succoth*, & *Bethſan* eſſe urbem τῶν *Succoth*, i. e. *Spinarum*; Hinc ex Succothopoli factum *Scythopolis* facili negotio. Viri ſummi S. BOCHARTI in Hieroz. T. II. c. 13. p. 306. notabilia hæc verba ſunt. *BETHSAN oppidum quod Græce* Σκυθόπολις *dictum, non a Scythis, ut volunt, ſed quia ſpinæ genus* שטה *SCITTA, ibi creſcebat affatim, ut alibi cum bono Deo docebitur*. Diſcimus ex his verbis Bochartum crediſſe, Scythopolin [1] non dictam a Scythis, (2) ſed quaſi urbem *ſpinarum*. (3) שטה eſſe *genus ſpinæ*, quod ſuperiori capite demonſtrandum nobis ſumſeramus. [4] סן & שטה eſſe Synonyma. (5) τῦ שטה, prope Scythopolin largam copiam eſſe. Utinam, quæ nos bono cum Deo de his rebus docturum promiſit, docere potuiſſet!

§. 24. Eodem pacto, quo hæc vocabula a סן deſcendunt, etiam hinc proveniunt ligna *Sintim*, vel ut vocantur vulgo eliſo n per Dageſch forte SITTIM. Tulitque hoc nominis hæc arbor, quod ſpinas ſ. aculeos (quid enim ſpinæ ſunt quam aculei?) gereret præ aliis, ſitque ſpinoſarum arborum maxima, & præſtantiſſima. Et ſic Sittim ſi proprie interpreteris, nihil aliud ſunt, quam *Spinæ*; unde Symmachus vallem Sittim explicat φάραγγα ἀκάνθων, & Hieronymus ſimpliciter *ſpinas*, quem Vulgatus ſecutus eſt. Herodotus vocat ἄκανθην; & tantum a loco natali diſcernitur per adjectum Ægypti vel Arabiæ nomen. Imo Ægyptiacum nomen *Sonti*, quoque notat proprie *ſpinam*. Vide diſſ. præced. §. 23. Ex quibus omnibus nunc tuto inferre liceat, commodam dari etymologiam vocis סנה, ſi *rubum* vertas, quod ὁ δεῖνα negabat, & ſaltim ita explicari POSSE. J. Q. E. D.

§. 25. Ex his autem ut affatim conſtabit, τὸ סנה ferre POSSE hanc interpretationem ut per *rubum*, *ſenticetum*, *dumetum* explicetur, ita & omnino ita (B) DEBERE interpretari, id vero nunc demonſtrandum eſt. Ecquos enim meliores habebimus interpretes, quam ipſos ſcriptores ſacros Θεοπνεύστους? Non memorabo Pſeudonymum quidem, ſed tamen antiquiſſimum ſcriptorem, libri quarti, qui *Eſdras* denominatur, qui cap. XIV. 1, 2. 3. Nec me tuebor auctoritate Philonis Judæi, qui circiter temporibus Chriſti vixit, & libro I. *de vita* Moſis p. 475. deſcribit ἈΚΑΝΘΩΔΕΣ τι καὶ ἀσθενέστατον φυτὸν, *SPINOSUM, ac debile quoddam germen*, & paulo poſtea addit. Ὁ βάτος φυτὸν ἀσθενέστατον, ἀλλ' οὐδ' ἄκεντρον, ὡς εἰ καὶ μόνον ἐπὶ ψαῦσαι τι τρῶσαι, *Rubus frutex debilis erat non ſine ſpinis, ut vel ſolo attactu vulneraret*. Nec adducam Joſephum, qui L. IV. interpretatur τῦ θάμνυ βάτον. Hos, inquam, nihil moror, quænam enim βάτυ ſpecies fuerit, illi videntur ſciviſſe juxta cum ignariſſimis, quamquam βάτον fuiſſe unanimi conſenſu profiteantur. Sed ad teſtimonium provoco teſtis omni exceptione majoris, Μάρτυρος τῦ πίστυ, ipſius illius Angeli, qui olim in rubo illo ipſemet apparuit, cujus titulus eſt, שכני סנה, *habitans in rubo*, quique adeo omnium minime ignorare potuit, qualis illa eſſet סנה; Is autem non ſemel, ſed *bis* per τὴν βάτον exponit, *Marci* XII. 26. *Luc.* XX. 37. Magiſtrum ſecutus eſt diſcipulus, & τὸν Μάρτυρα τὸν πίστον ὁ πρωτόμαρτυρ STEPHANUS, qui pariter *bis* interpretatur τὴν βάτον Act. VII. 30, 35. Horum teſtimoniis fultus agam hanc cauſam intrepidus, nec cujuſquam formido ſannas.

§. 26. Totus ſcilicet rei cardo in eo vertitur, quænam genuina τῦ βάτυ ſit ſignificatio. Quamvis ejus, ut Theophraſtus ait L. III. ç. 18. plura ſunt genera (τῦ βάτυ πλείω γένη) ea tamen omnia in eo conveniunt, quod aliquid ſpinoſi, ac vepreculæ ſecum vehant. Hinc explicatur per ἄκανθαν, *ſpinam*. Heſychius, βάτος διαπεράσιμος τόπος, ἡ δὲ ἈΚΑΝΘΑ, ΒΑΤΟΣ. Pollux L. X. ſegm. 131. βάτον recenſet inter ἀκανθώδη. Etymologicon magnum Βάτος, ἡ ἈΚΑΝΘΑ; *CLEMENS*; Alexandr. in pædag. L. II. c. 8. Τὸ δὲ ἀκανθῶδες φυτὸν ἐστιν ὁ βάτος: Gloſſæ Philoxeni; Βάτος, hic *rubus*, Gloſſarium, Βάτος, *Batta*, *ſintex*; Eadem Βάτιον, *rubetum*; Theo-

Theophrastus L. I. c. 8. δὲ βάτος, καὶ ὁ παλιοῦρος, ἈΚΑΝΘΩΔΗ; Idem c. 16. βάτους recenset inter παρακαθίζοντα, καὶ ἐκ τοῦ ἄκρου καὶ ἐκ τῶν πλαγίων, & inter πτορθάκανθα L. VI. c. 1. Aristot. de plantis L. I. c. 4. inter τοὺς θάμνους enumerat ἄγνους καὶ ΒΑΤΟΥΣ. Alexandrini interpretes non utuntur hac voce alibi, quam Exodi cap. III. & Job. XXXI. 40. ubi in textu est באשה [1] vox ἅπαξ λεγομένη. Hanc autem *spinam* denotare, evincit lex ἐξεργασίας. Et sic intellexerunt septuaginta, uti & Lut. habet Disteln und Dornen. Elias Levita testatur, Aruch dicere exponi סנה, quod vocabulum est Mosis nostri, & esse קוצים *spinas*. Quando Es. V. 2, 4. occurrit באשים οἱ ὁ id transferunt ἀκάνθας. Ita ut סנה, קוצים, באשה, βάτος, ἄκανθα sint synonyma; Spinæ autem id nominis ferunt, quod radix באש rem *malam*, *infaustam*, *ingratam*, *noxiam* denotet.

§. 27. Sed in re, quam nemo negat, plura coacervare testimonia piget. Confirmatur id ex vocibus compositis ex βάτος, quæ sunt τῶν βάτων diversæ species, v. gr. κυνόσβατος, Χαμαίβατος, quarum nulla sine spinis est. Imo radix τοῦ βάτου est βάινειν, quod notat *sponte surgere*, *enasci*, id quod spinis obsito frutici convenit apprime, ut qui non seritur, non alitur, sed sine coloni ope in desertis sponte sua provenit. Id autem si de ulla alia, certe de Acacia, qualem heic intelligendam existimamus, affirmari potest. Neque enim illam opinionem, quæ κατ' ἀντίφρασιν, quasi ἄβατον dictam putant βάτον, unius assis æstimavero. Quin & vix crediderim, ullum exhiberi mihi posse exemplum, quo βάτον notare arborem, non suis armatam aculeis, liquido demonstrari possit.

§. 28. *Georgius* quidem VERESTOI, cujus doctam ac demorsos sapientem ungues de *Palma ardente Mosis* dissertationem, quæ ante sex circiter annos Franequeræ prodiit Frisiorum, recensuimus *Musæi* nostri Historico, Philologico-Theologici IV. II. Tom. 5. p. *99*. in qua ille omni nisu rubum in palmam convertere conatur, hanc quidem difficultatem vidit, sed eam se commode tollere posse retur. Neque enim solum generale dicit id verbum esse, & notare plantam sponte nascentem, sed & putat aliquando pro quavis posse sumi arbore, adeoque etiam per palmam bene explicari. Quod prius adtinet, illi me adhærere sententiæ jam declaravi, quæ βάτον a βαίνειν dictum statuit, observavi tamen quoque nulli id convenire aptius, quam spinoso, quod eradicare mallent homines, quam serere, nutrire, sovere. Et pone, quod tamen evictum nondum est, verbum hoc olim sensu suavi fuisse usurpatum, & deinde in horridum senticetum degenerasse, non tamen inde sequitur, sequiori, saltim Christi & Apostolorum ævo aliter adhibitum fuisse, quam ut rubum connotaret. Sunt plures tales voces, quæ olim erant significationis innocuæ, & cum laude conjunctæ, quæ deinceps infausti esse ominis inceperunt: v. gr. apud Latinos, Tyrannus, hæreticus; duellum, apud Germanos; Schalck / Bube / Dieb. Jam vero si quis vellet amicum compellare talibus nunc cognominibus, hominemque honestum ac frugi appellare, sub eo colore, quod olim tituli tales fuerint in laudibus positi, non crederem id impune laturum. Similem in modum credi nequit palmam dictam fuisse βάτον, si vel olim etiam de quavis arbore fuisset dicta, id enim plane ab illorum temporum loquendi consuetudine abhorrebat.

§. 29. Quantacunque etiam industria Cl. Verestoi usus, *bina* solum invenire exempla potuit, in quibus pro cujusvis generis φυτῶ vocem illam βάτου adhiberi posse colligit. Prior locus est in Hymno, qui HOMERI nomen præ se fert, & laudibus consecratus est Mercurii, ubi vs. 190. ita legitur. Ὦ γέρον, Ὀγχήστοιο ΒΑΤΟ δρόπε ποιήεντος, quem versum ita transfert. *O senex*, *Onchesti PLANTAS SPONTE NATAS colligens herbosi*. Sed nihil omnino causæ video, ob quam a recepta hactenus translatione, qua omnes vertunt per *rubum*, adeoque propria vocis notione heic sit abeundum. Confertur versus ejusdem carminis *90*, ex quo ille 190. sit explicandus;

Ω γέρον, ὅστε ΦΥΤΑ σκαπτεὶς ἐπικάμπυλος ὤμους.

O Senex, *qui PLANTAS SPONTE NATAS effodit*, quasi βάτον ibi vocaverit, quem antea φυτὸν. Concedo βάτον dici posse φυτὸν, omnis enim βάτος est φυτὸν. Hoc generalius nomen est, illud specialius. Sed omne φυτὸν non est βάτος, nec βάτος & φυτὸν sunt synonyma, nec βάτος per φυτὸν explicandum est, neque aliud quid Homeri ille locus vult, quam inter plantas, quas senex in monte Onchesto collegerat, fuisse *rubos*. Neque plus huc facit locus alter *Pindari* in Ol. od. *6*. ubi ratio affertur, cur Jamum Evadnes filium natum nesciverint domestici, quia ἐγκέκρυπτο σχοίνῳ, βατίᾳ, καὶ ἴων Ἄκτισι *junco*, *rubo*, *&* *violis*, ubi sane causam nul-

(1) In inferiori Saxonia nostra hujus vocis, quæ proprie *fœtoris*, *putredinis* notionem habet, restant reliquiæ; Nam ea significatione pro re fœtida hasch etiam hodie venit.

lam video, cur a vulgari hac rubi ſignificatione diſcedamus, quum facillime ſub rubo occultari potuit infans. Quin & hinc tuto inferimus βάτȣ non aliam ſignificationem eſſe, quam rubi, cum contrarium exemplum exſtet nuſquam, adeoque, cum Sacri ſcriptores סנה transferunt βάτον, per סנה ſpinis ſuis armatum rubum omnino intelligendum. Si quis autem palmam malit intelligi is velim mihi vel ſpeciem exhibeat rationis, ob quam ſacri ſcriptores illam arborem non nominarint, cur non φοινικὰ appellarunt? Eratne vero palma tam ignota aut abjecta arbor, ut vel illius meminiſſe eos puduerit? Eratne Angelo Fœderis magis dignum apparere ἐν Βάτῳ, quam ἐν φοινικὶ. Cum quater in N. T. illius fit mentio, cur ne ſemel quidem vocatur palma, ſi palma fuiſſet?

§. 30. Dicere autem velle *Seniores veram vocis* סנה *etymologiam ignoraſſe, eamque adeo incommode per βάτον convertiſſe, quam poſtea verſionem actorum Apoſtolicorum ſcriptor hypothetice duntaxat retinuerit*, neſcio ſane, an id cum reverentia Chriſto & ſacris ſcriptoribus debita conciliari queat commode. Propoſitio hæc bimembris eſt. Utraque verbo examinanda. *Prima* eſt *LXX. Seniores veram vocis etymologiam ignoraſſe*. Potuit eſſe, ut veram Etymologiam ignorarent, quod rarus eſſet radicis סן ea ætate amplius uſus, quam tamen τῷ סנה originem dediſſe, nemo quidem nunc amplius ambiget. Significationem tamen non ignorarunt. De ſpineto enim cogitarunt. Uti & Eſdras, & Philo Judæus, & Joſephus, qui omnes, quænam βάτον ſpecies fuerit, juxta ſciverunt cum ignariſſimis; quanquam ſpinoſi aliquid fuiſſe, omnium ignorarunt minime. Quomodo autem id ignorare potuerunt? Erat arbor in Palæſtina fere ignota. In interioribus Ægypti, in deſertis Arabiæ creſcebat, & pene vix alibi, nec Græcis, nec Romanis nota. Et vel ſingulari verbo carebant, qui illud φυτὸν deſignarent. Apud Arabes & Ægyptios generali verbo dicebatur *ſpina*. Ergo aliquid ſpinoſi aderat. Non ergo meliori voce poterant eam exprimere, quam τȣ̃ βάτȣ, & cum βάτον nominarent, dicebant quod revera erat. Quod ſi autem fuiſſet palma, non deficiebant propria verba, quibus uterentur. Cur itaque non iis uſi ſunt? Cur palmæ nulla apparet vel vola, vel veſtigium?

§. 31. *Altera* propoſitio talis eſt τῶν *LXX. in commodam verſionem ſacros ſcriptores hypothetice* retinuiſſe, Eum in finem exemplum afferunt ex Pſ. XL. 7. coll. Hebr. X. 5. ubi אזנים Pſaltæ apoſtolus & οἱ ἑβδομήκοντα non per aures, ſed σῶμα expreſſerunt. Verum hoc non efficit, ut credamus, ſanctos ſcriptores perverſam exhibuiſſe ſacri codicis verſionem, aut hypothetice τῶν LXX. errores auctoritate ſua communire voluiſſe. Quamquam enim nos propter exiguam linguæ ſanctæ, quam nunc habemus, cognitionem omnes illos nodos, qui occurrunt, ſolvere nequeamus, non tamen id inde conſequitur, in errores nos inducere voluiſſe ſacros ſcriptores ἀπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερομένȣς. Abſit! Quin noſtra potius ignorantia confitenda eſt, quam παροράματα ſancto adſcribenda Spiritui. Ne jam dicam non deeſſe etiam rationes, quibus illa difficultas plane tollatur, cum putem me inveniſſe, אזנים τȣ̃ σώματος vel corporis ſignificationem ferre poſſe commode. Sed de eo alibi.

§. 32. Non leve autem pondus accedit (C) ſententiæ noſtræ, quod & inveterata diu, & pervulgata, & ab omnibus omnium ſæculorum locorumque interpretibus, qua Judæis, qua Chriſtianis conflato quaſi conſenſu recepta, adprobataque fuit. Ipſe laudatus *Vereſtoi*, nulli pepercit operæ, nulli ſolertiæ, ut, cum contrariam ſententiam tueatur, inveniret, qui ſecum a vulgari illa recederent. Sed invenire vix ac ne vix quidem potuit. Excitat Artapanum, qui apud Euſebium in præp. Ev. L. IX. §. 217. dicit αἰφνιδίως ἐκ τῆς γῆς πῦρ ἀναφθῆναι; ſed ibi nulla eſt tranſlatio vocis סנה, ſed tantum minus accurata narratio facti, quaſi flamma ex terra, eruperit, quod tamen nuſquam in ſcriptura legitur. Kimchium per סנה rubum intellexiſſe ex ipſis ejus verbis patet, quibus in libro radicum utitur כי הסנה גדל בארץ ציה, *quod* סנה *excreſcat in deſertis*. Soli itaque reſtarent Mohammedis nonnulli aſſeclæ, qui dubitare dicuntur, in vite, num vero in rubo angelus apparuerit. Si ab his itaque diſceſſeris ex una omnium veterum pariter, ac recentiorum conflata opinione *rubus* intelligendus eſt, ut recte doctiſſimus Vereſtoi afferat, *illam omnium maxime puncta Judicum tuliſſe & ſua antiquitate adeo in robuſtam fidem adoleviſſe, ut vel nemo contra eam mutire fuerit auſus*.

§. 33. Mahommed in Alcorano ſuratae XXVIII. §. 31. arborem illam appellat شجرة. Illum etiam ſecutus eſt ben batrick, ſ. Eutychius Alexandrinus Ann. T. I. pag. 101. ubi ter hac voce utitur. Et Georgius *Elmacinus* in hiſtoria mundi Arabice ſcripta adhuc inedita apud J. H. *Hottingerum* ſmegm. Orient. L. I. c. 8. p. 415. Eam quidem *Palmam* ſignificare ex Gienhari notat GOLIUS Lex. Ar. pag. 1255.

Vici-

Vicinam tamen ei voculam شجر significare non modo *arborem*, sed & *omnem plantam trunco aut caule præditam* idem ex Gienhari & Camusio observat. Unde شجير, *arboribus abundans*, مشجر, *arboretum*. Castellus pariter شجير generalius de *arbore quadam* explicat. Vicina illi voci est سكر, inter cujus significationes est, *pullulavit* palma, surculos *produxit arbor*, *quidquid nascitur circa arborem a radice*, *Cortex arboris*, *quod internascitur radicibus*. *Vitis ex virga nata*, *herba alteri de novo succrescens*; *Parvæ herbæ*, *cava* folia, *surculus palmæ* &c. teste Castello. Inter voces Persicas, quibus Angelus a S. Josepho in gazophyl. Persico p. 29. exprimit Ital. *arbuscello*. Lat. *arbustum* quoque est 8 شجر. Unde patet generalius id nomen esse, uti βάτος, & per Synecdochen generis pro specie סנה ita explicatum, adeoque ne hos quidem scriptores huic sententiæ oppositos fuisse. Non ignoro quidem, multitudinem errantium, etsi maxima est, errori non parere patrocinium, cum tamen in tali re sine temporum ac locorum discrimine conflatus omnium consensus est, aut illorum sententia præferenda est; aut gravissimæ adducendæ rationes, ob quas repudianda.

§. 33. Cum autem variæ omnino sint βάτε species, id quoque operæ pretium est, scire, qualis illa fuerit [II.] in qua sese Mosi conspiciendum dare voluit DOMINUS. Eam nos reperisse remur in illa arbore, quam luculenter superiori dissertatione descriptam exhibuimus: Convenit enim [A] *Nomen*; סנה enim cum σήττα, σήττινον, Seitan, Seta, *Sent*, *Sant*, *Sint*, *Sont* &c. unde qua ratione Sittim enatum sit ([1]) docuimus, convenit optime, imo sunt synonyma. Vide, quæ adduximus supra in utraque dissert. §. 21. sqq. Convenit (2) *locus*. In montibus enim Horeb & Sinai, vicinisque desertis, in quibus illa facta est Mosi apparitio, uberrimus illius arboris est proventus, imo nec desunt, qui negant, præter illam ullam aliam arborem istic locorum nasci. (Vide Diss. præced. §. 30. 31.) [3] Observavimus porro pecudes, quæ ibi pascuntur, admodum appetentes esse hujus arboris, ut vel ejus umbra delectentur, vel foliis fructibusque vescantur. (Vide diss. præced. §. 41.) Ex quo *occasionem* percipies facile, qua factum est, ut Moses, cum greges soceri sui pastum in deserto palaretur, in illam acaciam igni ardentem incideret. (4) Præterea, ea ratione meditationibus non invenustis præbetur ansa. Ita enim jam Mosi eo quasi habitu, eoque in domicilio visus est, in quo deinceps per omnem veteris œconomiæ ætatem habitavit, quasi & apparuit. Habitavit autem in tabernaculo, quod totum ex lignis *Sittim* fabrefactum erat. Habitavit in adyto super arcam, cui pariter lignum Sittim præbuerat materiem. Habitavit ibi in *igne*, sive columna *ignita*. Id adumbratum fuisse ista prima Mosi facta apparitione, in ligno Sittim, in quo sub symbolo *ignis* ille conspectus fuit, valde mihi fit vero simile. Hinc quando Deut. XXXIII. 16. appellatur השוכן בסנה non alluditur solum ad ejus in rubo habitationem, sed & omnem illam ejus in adyto super arcam commorationem in columna nubis & ignis. Quod si id quoque tam evicta quam probabili ratione, (ut superiori diss. factum est §. 48.) evinci queat, coronam illam ἀκάνθινον, qua cinctum fuit Servatoris caput, ex acacia, quam ἄκανθαν vocabant, fuisse contextam, haud inepte effictam Christi, qualis in cruce olim visus est, imaginem Mosi repræsentatam fuisse conjeceris. Hæc si conjuncta simul capies, argumentum habebis sane non leve, quod tibi persuadeat, סנה Mosis fuisse *spinam Arabicam*, quæ olim עץ שטים fuit appellata. I. Q. E. O.

§. 34. His itaque positis, circumspicienda [III] sunt argumenta, quibus doctissimus Dissertationis de *Palma Mosis* Auctor utitur, quo receptam assertamque a nobis sententiam *Stimulo*, ut ejus phrasi utar, *perfodiat*, *atque imis ceris eradat: Primum* [1] & palmarium, quod adhibetur argumentum, suppeditat etymologia Vocabuli סנה *a rubo totis vestigiis abludens*, quæ scilicet apud Æthiopes ([2]) *pulchritudinem*, *formositatemque* sonet. *At*, pergitur, *cui frons adeo periit*, *ut insignem & nemini non amatam* formositatis vel pulchritudinis *nomenclaturam RUBO adtribuat*? Verum enimvero egomet id quidem facere sustineo, neque reformido, quemquam

 æquum

([1]) Differt. antecedenti §. 23. sqq. plus viginti voces produximus, in quas vox שן & שטה degeneravit. Addo nunc Copticum νισένθινον, quod ex Ægyptiorum præfixo νι & σένθινον, i. e. *Sintim*, *Sittim*, coaluit, quodque explicatur per Arabicum خشي لاساج *lignum Sag*, quo nomine *Lignum ebenum*, quod quidam de ligno *Sittim* interpretantur, insignitur. Ut discimus ex Lexico Coptico p. 370.

([2]) Addi commode potuisset etiam apud Germanos, vocem Schöne cum סנה *Sene*, prorsus sono, literis, significatione convenientem *pulchrum*, *formosumque* designare. Et quidni huc retulerim Arabum سنع, שנע سناعة *egregius*, *pulcher* fuit, apud Camusium, سنيع, *pulcher* apud eundem & Giggeium. Posset & commode deduci a سنا, *exaltavit*. سني, altus, *excelsus*, *pretiosus*.

æquum rerum arbitrum propterea me expudoratæ aut perditæ frontis notam affri-ctūrum. Sunt enim ſpinæ, rubique non unius generis, teſtibus Theophraſto, Plinio, aliis. Sunt plantæ ſpineæ, quas recte cum Plinio appelles *peſſimam*, atque *exſecrandam* rem, & *quas ad maleficia genuit natura*, aut, ſi cum Vereſtojo loquendum ſit, *naturæ dedecus*, *divinæ maledictionis inſtrumentum*, & *naturæ abortientis monſtrum*. Sed & ſunt inter rubos, quos naturæ decus, divinæ bonitatis inſtrumentum, hominum delicias, ſummæque utilitatis productiones jure dicas optimo. Anne inter ipſos carduos ſunt qui a *benedictione* nomen tulerunt? Quid de ſepimentis hortorum dicam e vepribus contextis? Quid iis adſpectu pulchrius, quid oculis gratius, quid utilius? Non aulæa, vel *Aſſyria acu laborata*, & *variato colore* tantum nitorem præbent, quam quidem paries *faciet* viridis, germinanſque ex vepre, ſentibuſque contextus. Quid de florum regina, *roſa* dicamus, quarum nulla eſt ſine ſpina; & *quæ dum flore novo foliiſque recentibus halat*, *Invida ſpinoſo cortice tecta latet*, ut canit Manilius. Illi pene dixerim, *frontem periiſſe*, *qui non inſignem* & *nemini non amatam* formoſitatis ac pulchritudinis *nomenclaturam* tali roſario ſpinis vallato tribuendam faſſus fuerit.

§. 35. Quidquid etiam de carduis ac paliuris dicas, nemo tamen facile ſpinæ Ægyptiacæ quam ſub voce סנה latere oſtendimus, *pulchritudinis*, *bonitatiſque* laudes denegaverit, qui non ſolum eam ſpinis quidem ſuis cinctam, folia tamen latiſſime explicantem, floribus, fructibuſque ſuis odoriferis turgidam, caudici ligni optimi, læviſſimi, pulcherrimi innixam, aut ſuccum præſtantiſſimi in re medica uſus ſudantem vel oculis vel mente contemplatus fuerit. Quid ſi verbum سنا deſignet aliquid, quod *nobile*, *ſplendidum*, ac *pretioſum* eſt, ut heic poſtulatur, noſtræ arbori Sittim ab illo verbo nomen dari potuiſſe omnium rectiſſime, quis inficiaret, qui legit, quæ præcedenti diſſertatione in ejus deſcriptione annotavimus.

§. 36. At enim vero, ita fit argumentatio. סנה radix petenda eſt ex Æthiopia, in voce, quæ *pulchritudinis* involvit notionem. Rubus autem pulcher non eſt. Itaque a pulchritudine trahere nomen nequit. סנה itaque, quæ a *pulchritudine* dicta eſt, non eſt rubus. Sed valde vereor, ne quis dicat, heic peti petitionem τῶ ἐν ἀρχῇ. Sane τὸ ἔτυμον τῶ סנה non opus eſt, ut ex Æthiopia afferatur. Ipſa Arabia vicinæque habent, quo ſe juvent. τοῦ סן enim vel שן veram notionem eſſe *acuendi*, luculenter, atque abunde probavimus. Nulla autem convenientior fingi poteſt originatio vocis, quæ *ſpinam* ſignificat, quam ab acie quæ petita eſt, cum ſpina eſſe non poteſt, quæ non acuta ſit, imo ſpina nihil aliud ſit, quam aculeus. Nollem itaque viro eruditiſſimo ſequentia verba excidiſſe, quæ vel ipſis τῶ סנה aculeis magis aculeata dixeris. *Fortaſſis, qui rubi vindicias agere volent, invenient in vaſta Arabum lingua aliquam ſub verbo* سنا *notionem, quæ non ſinet rubum in cunabulis perire. Et utinam ego talem hominem coram intueri poſſem, aut ſaltem fando quid de eo unquam audire! Certe uno pretio veteratorem cum mercibus ſuis æſtumarem*. Bona verba, quæſo, vir doctiſſime! Nunc vides & audis hominem, qui in lingua Arabica, viciniſque aliquam ſub verbo سنا notionem ſe inveniſſe exiſtimat, quæ ſane non ſinet rubum in cunabulis perire. Ejus tum, cum ea ſcriberes, cogitatio animum tuum nondum ſubibat, ignorare enim hæc omnium minime potuiſſes, ſi cogitaſſes ſub notione סנה *rubi* ſignificationem non ſolum potuiſſe latere, ſed & reapſe deliteſcere. Neque tamen ille, qua eſt confidentia, metuit, *veteratoris* titulum propterea vel a te reportaturum, vel mereri, ſi coram illum intuerere.

§. 37. ALTERUM, [ב] quo vir clariſſimus utitur, argumentum ex eo elicit, *quod credi non poſſit*, *RUBUM a Deo in æternum maledictionis ac judicii inſtrumentum adſumtum in glorioſum majeſtatis ſuæ ac gratioſæ præſentiæ thronum templumque erectum fuiſſe*. Sed, ſi illud in formam ſyllogiſmi ex more logicorum redigatur, patebit facile utramque illius propoſitionem vacillare. Quid enim? ideo quod maledictus fuit rubus, potuitne aliquando ſymbolum eſſe illius, ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς? Quid vero annon angelus ille Domini, qui ipſe apparuit, ſub diverſis relationibus occurrere nobis poteſt? Annon idem ille, qui Deus benedictus eſt in ſæcula Rom. IX. 5. miſſus (legatus, ἄγγελος factus eſt) ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας Rom. VIII. 3. adeoque *in ſimilitudine rei maledictæ*, omniſque adeo maledictionis primi fontis, atque originis? Annon ille, qui *peccatum non noverat*, *fieri pro nobis peccatum debuit*, *ut in eo fieremus juſtitia Dei* 2. Cor. V. 21. Oportuitne τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας ἡμῶν, τὸν ἀπόστολον (angelum) καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν eſſe ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, ſimul eſſe indutum perſonam hominum, eorumque peccatorum & quidem τῶν κατηραμένων, i. e. maledictorum? Annon in eo anchora ſpei noſtræ, ſalutiſque æternæ cardo ver-

vertitur, quod Dominus noſter affixus fuit cruci, ligno ſingularem in modum maledicto, omniſque maledictionis ſymbolo? Annon idem habitavit in ſpineto maledicto, cum caput cinctus impeditus ſpinea corona humani generis peccata tolleret. Annon ſemen illud benedictum, in quo benedicendæ erant omnes gentes, fieri pro nobis debuit non ſolum ὁ ἐπικατάρατος, MALEDICTUS, verum ipſa κατάρα, MALEDICTIO? Gal. III. 13.? Eos itaque dices *decentiæ divinæ prorſus obicem ponere*, qui *maledictum rubum præſentiæ divinæ thronum erigant?* Id vero tantum abeſt, ut e contrario, quis Jeſu Chriſti Domini noſtri ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας apparituri, noſtras in ſe ſuſcepturi pœnas, in maledicta cruce ſuſpendendi, maledictionem omnem ſpontanee ſublaturi, imo ipſam maledictionem futuri, adeoque PASSURI, cum divina nobis natura ita jungendi, ut unam cum ea ὑπόστασιν conſtitueret, ſi quis, inquam, vivam veluti ejus imaginem nobis exhibere vellet, aptiorem ac elegantiorem vix dare poſſet, quam quidem ea eſt, in qua Moſi apparuit, ſcilicet flammæ ignis, divinitatis & in ſacris, & in τοῖς ἔξω ſcriptoribus ſymboli frequentiſſimi, juncti rubo, maledictionis ſi ita vis, emblemati, i. e. humanæ naturæ, ejuſdem, cujus rubus e terra propullulans eſt originis, ſed & ob peccata ſub maledictione & judiciis Dei ingemiſcentis.

§. 38. Neque ſane indecorum judicabit quiſquam Soſpitatori noſtro ſenticetum, vel, ſi illud maledictioni eſſet obnoxium, habitationis ſuæ conſtituiſſe emblema; cui ſemet ipſum ſub imagine animalium maxime maledictorum plus vice ſimplici proponere collubitum fuit. *Hircus* eſt animal fœdum, fœtidumque, & propterea, ut maledictionis pictura occurrit. Illi enim, qui ἐρίφια appellantur Matth. XXV. 33. illi vſ. 41. vocantur οἱ κατηραμένοι. Et tamen *hircum* Azazelis typum fuiſſe Jeſu Chriſti præſtantiſſimorum Interpretum, neque inepta ſententia eſt. *Serpens* olim a Deo diris devotus eſt, Gen. III. 18. præ omni beſtia, omnibuſque terræ animalibus. Et tamen ſerpens ſtipiti adfixus, cujus adſpectus omnibus ad necem a ſerpentibus vulneratis ſalutem afferebat, pulcherrimus typus, atque imago fuit Σωτῆρος noſtri, qui fidei oculis eum intuentibus, ad mortem uſque morſibus infernalis ſerpentis ictis, ac læſis unica atque conſummata ſalutis cauſa facta fuit. Non ignoro quidem, id a quibuſdam negari, qui triumphati diaboli heic emblema ſiſti exiſtimant, ſed nimis clara, ac diſerta mihi ipſius Salvatoris verba, quæ exſtant Joh. III. 14, 15. ubi ὁ ὄφις ὑψωθεὶς confertur cum τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου τῷ ὑψωθέντι videntur, quam ut ullo fundamento id abnui poſſe putem.

§. 39. Ex dictis clariſſime eluceſcere exiſtimo, vel, ſi ſentium omne genus maledictum eſſe a Deo ſtatuere velis, non tamen inde ſequi, angelo Jehovæ indecorum fuiſſe, ſi ſemet in tali dumo commorantem repræſentare voluiſſet. At vel illo liberaliter conceſſo, nihil vel ſic tamen inde accedit præſidii illis, qui in hoc viſo omne rubi genus cum omni radice evellendum cenſent. Conſiderandum enim rurſus eſt varia genera, varias ſpecies arborum fruticumque, ſpinis vallatorum. Omnia eſſe maledictioni devota, ecquis dixerit? Quis diris devovebit roſaria, quis tot arbores ſpineas, ſuavibuſque palato baccis turgidas, quis acaciam noſtram? Id haud dubie duntaxat in illis, locum habet, quæ ſponte naſcentes invito colono, noxiæ ſunt agris, quæ nihil gerunt fructuum, qui lætas meſſes ſuffocant, quæ luxuriantem terræ fertilitatem exſtinguunt. Non autem in illo ſpinarum genere, quæ pulchritudine foliorum, amœnitate frondium, hominum alliciunt oculos, inſignique illis ob ligni, fructuum, ſuccique præſtantiam ſunt utilitati: Maledictioni Deus ſubjecit קוץ ודרדר non autem סנים, non ligna שטים, qualia heic in cenſum venire oſtenſum a nobis copioſe eſt. Præterea non ſemper apud veteres mali ominis ſymbolum fuit ſpina, ſed & quandoque boni. Nuptiales faces olim ex ſpina factas teſtatur Maſſurius apud Plin. L. XVI. 18. qui *ſpinam nuptiarum facibus vocat AUSPICATISSIMAM*. Æque erant ut plurimum ex ſpina *alba*, cum qua Hieronymus noſtram acaciam comparat plus vice ſimplici. Id docent *Varro* L. II. de vita populi Rom. excitante Nonnio, & Feſtus in voce *Patroni*, ubi docet *a puero præclaram facem ex alba ſpina, qui noctu nubebant*. Id confirmat OVID. Faſt. L. VII. vſ. 129. quando ſcribit

Sic fatus SPINAM, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat ALBA, dedit.

Ex quo loco patet, ſpinam hanc recenſitam inter plantas, curarum & malorum averruncas. Et ſane, an indignum fuit majeſtate Domini aliquantiſper ſub viſibili ſigno ſe Moſi præbere conſpiciendum, in eodem ligno, in quo deinceps per tot ſæculorum ſpiramenta ſub eodem ſigno, ſc. tanquam in templo, ac throno auguſto non

ſto non

sto non commorandi solum, sed & habitandi locum sibi exstruere, atque consecrare voluit? Si porro non eum dedecuit spinea cinctum corona se toti mundo conspiciendum dare, in cruce, quum generis humani expiaret peccata, sane nec hoc illi fuit indecorum, se sub imagine flammæ, in spineto Mosi contuendum præbere.

§. 40. At videamus, num *tertium* (3) argumentum, quo utitur vir eximius, ut evincat סנה non esse rubi genus, majoris valoris sit. Videlicet putat *plantam illam gerere symbolum ecclesiæ internæ, quæ, quoties lacessentibus hostium furoribus eripienda est, a filio Dei obsidetur. At vero*, ita pergit, *quis hac a se impetret ut dicat, Deum per æternum maledictionis instrumentum ecclesiam istam sanctam, templum Trinitatis adumbrare voluisse? præsertim cum per senticeta, nuspiam* (scribere voluit *nusquam*) *ecclesia, sed ut plurimum aut hostes ecclesiæ, aut maleferiati homines, aut graviora scelera, expingantur*; idque, quod ultimo loco dictum est, larga exemplorum segete, erudite, ut solet, comprobat. At facilis responsio est. Ponuntur enim heic *duo*, quæ nondum invictis adstructa vidi argumentis. Ponitur heic *emblema propositum ecclesiæ internæ, Christi circumvallatæ præsidio*; verum hæ cogitationes arriserunt viro clarissimo, aliis forsan arridebunt minus. Adjiciam deinde meas, relicturus aliorum arbitrio, quænam aliis præstent. Saltim ex typicis, symbolicisque interpretationibus nihil firmæ inconcussæque argumentationis peti potest: Forsan alius quis alium in modum argumentaretur. סנה notat spinetum sordidum, noxium, maledictum; E. heic emblema internæ ecclesiæ esse nequit. E. de alia significatione circumspiciendum est.

§. 41. Ponitur porro, quod pariter adhuc comprobandum prius fuerat; Per סנה *tale esse intelligendum veprium genus, quod vile, infaustum, infame esset*, uti *Carduus, & spinis horrens paliurus acutis*. Verum, si quis perpendit, quæ de Acacia, sive τȣ̃ העץ שטים adtulimus, quam facile in has incidet cogitationes? Acacia in loco terribili ac petroso crescens, firmo ac perpetui roboris caudice suffulta, pulchra, saluberrimum succum destillans, suis cincta spinis, e quibus & ipsa defenditur, & aggressores suos lædit, in qua Angelus Domini sedem, fixit belle ac rei convenienter designare potest veram Dei ecclesiam. Illa enim est, quæ in horrido, atque infrugifero deserto hujus mundi versatur innixa alte sæculorum rupi, suffulta Christo, arbori illi vitæ. Est ea, ut lilium inter spinas, amœna in oculis Dei, sed & sentibus curarum, & calamitatum sæpe infestata, auxilio tamen eam perpetim comitantis Dei, sat secura, & adversariis suis horrida, interea odorem virtutum Christianarum undiquaque spargens, & bonorum operum copiam in salutem aliorum producens, Deo ejusque Spiritui templum ac habitaculum semper præbitura. Ita ut si hoc Auctoris argumentum alicujus esset ponderis, pro me non parum esset militaturum.

§. 42. Pergitur tamen, *quarto* loco (4) idque objicitur, *nullam fieri ad hunc rubum in sacris allusionem, quod fieri omnino oportuisset, si rubus fuisset designatus, cum e contrario, si PALMAM explices, ad eam sæpius respiciatur*. Sed utimur facili responsione. Ad rubum nusquam respici quis dixerit, cum diserte id fiat Deut. XXXIII. 16. ne de locis N. T. loquamur, ubi eam Historiam memorari mentione facta τȣ̃ βάτȣ, quæ vox nihil cum palma habet adfinitatis, sæpius constat. Neque adhuc demonstratum est, aperte loca esse, ubi de palmis agitur, quæ ad scenam illam apparitionis angeli pertineant. Exempla, quæ, ut id indicent, adducta sunt, aliorsum pertinere, doctissimi interpretes judicarunt. Ostendi id posset de omnibus, si id agendum a nobis esset. Denique, an isthæc argumentatio, *ad illam rem deinceps non sit allusio, E. ea intelligi nequit*, sit extra tesserarum jactum, æquus Lector dijudicet.

§. 43. QUINTO loco (5) *iterum ac tertium obsecrantur adversarii, ut demonstrent montem Sinai rubeto inhorruisse, neque enim se credere, seu in monte Sinai, seu ad radices ejus rubetum repertum iri*. At vero, vel si tale nunc monstrari nequiret, non inde conficeretur, olim non adfuisse, cum ut omnium rerum, ita etiam terrarum, & agrorum, & montium, & arborum in iis est vicissitudo. Ecquis ab hodierno Palæstinæ statu ad pristinorum temporum indolem argumentabitur? Quin quam sterilis etiam sine fruge, sine arbore tellus, non tamen id impedit, quo minus alicubi, lætis proventibus ager superbiat. Uti enim poeta canit.

Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista fere duris utilis herba RUBIS.

At, *quid verbis opus est, ubi rerum adsunt testimonia*? Tale genus Rubi, quem *acaciam* dicunt, in eo monte fuisse non solum innuunt sacræ literæ, tam frequentem ligno-

lignorum Sittim in illo deserto fuisse usum docentes, verum quod magis est tot gravissimorum, genere, doctrina excellentium, eorumque *αὐτόπτων* testimoniis a nobis dissertationis §. 28. 29. comprobatum est, ut neminem nisi ex Pyrrhoniorum secta de ea re dubitaturum amplius confidam.

§. 44. Eadem ratione collabascit, quod (6) *ultimo* loco affertur, per סנה non rubum intelligendum, quod in Arabica lingua non eam habeat significantiam. At si non apud Arabes habeat, sufficit, si apud Hebræos. Si non occurrat eo sensu apud hodiernos lexicographos, quidni apud Veteres? Si nunc in usu esse desiit eo sensu potuitne olim in usu esse? Imo vero & olim & nunc non apud Arabes solum, sed & alios ea significantia venire frequenter, id puto a me in superioribus abunde fuisse demonstratum.

§. 45. Cum itaque vulgari, & tritæ τῦ סנה explicationi per *rubum* vel *spinetum*, cum genuina & propria vocis significatione, cum recto illius etymo in tot linguis vocibusque etiam nunc superstite, cum ipsius Christi, & Protormartyris interpretatione, cum omnium & vetustiorum, & recentiorum, & Judæorum, & Christianorum sententia probe conveniat. Cum nihil adeo sit, quod ei repugnet, nullam plane causam video, cur nos ab ea quoque nunc secedamus. Id enim apud omnes in confesso est, sententiam post tot annorum examen a viris ad eam rem idoneis ubique receptam, & quasi inveteratam, non temere, & nisi ob gravissimas rationes derelinquendam esse. Et sic סנה per *βάτον*, seu *rubum* porro explicabimus, cujus nobilissima species cum sit acacia nostra, seu *spina Arabica*, & præter eam vix alia in Sinai deserto excrescat, hanc intelligendam reor.

§. 46. Hac eradicata substituit quidem aliam Cl. Verestoi, nec ignobiliorem, nec minus notam arborem, quin omnium reginam PALMAM. Agnosco hanc opinionem nihil infaceti, absurdi nihil, nihil quod cuiquam vel splenem movere queat, vel bilem, complecti. Id quoque, ut liberalis sim, dabo, vocem hanc (1) posse significare palmam. Est tamen, quod inter multa alia contra illam moneam. Nullus enim producitur omnino ex omnibus S. scripturæ voluminibus locus, in quo palma τῦ סנה nomine insigniatur. Plus vicies in codice V. T. palmarum fit mentio. Nusquam autem alio nomine vocantur, quam τῶν תמרים vel תמורות, quo nomine etiam Arabes & Ægyptii in hodiernum usque diem *palmas* designant. In ipsa itineris illius descriptione, 70. inventæ palmæ. Ex. XV. 27. תמרים dicuntur, non סנים. Quid autem causæ fingi potest, cur si vel סנה palmam denotaret, nusquam alibi ita hæc arbor appellaretur, quam in hoc unico ac solo loco? cur non in eodem libro in ejusdem historiæ descriptione? Vix obscuri ac dubii styli notam effugeret auctor, qui per omnem librum rem vulgari nomine suo appellaret, semel autem tantum in eodem contextu adhiberet nomen, obscurius, ἅπαξ λεγόμενον. Contrarium autem obtinet, si סנה per *acaciam* transferas, propriissimo & perpetuo, perque tot sæculorum orbes in hunc usque diem durante significatu.

§. 47. Nil fere restat amplius, quam ut (IV.) quid hac visione Angelus fœderis & Mosi, & populo, ad quem ablegandus erat, declarare voluerit, quique sub hoc cortice nucleus lateat, aperiamus. Id quod quam quidem ejus fieri potest brevissime, & tribus quod ajunt, verbis fiet. Eum in finem adtendamus occasioni scopoque illius. Haud dubie enim illa significatum fuit non solum, quod significari poterat, sed &, quod iis rerum temporumque circumstantiis cum maxime reapse significandum erat. Jam vero ex tota illa narratione Mosaica, constat omnia eo spectare, ut status populi Judaici, in quo tum versabatur, afflictus, ac perditus, & ex eo liberatio insignis manu angeli fœderis impetranda Mosi, quo instrumento Deus eam in rem uti collubitum fuit, adumbraretur, illeque ex ea re fieret certior. Legatur tantum Mosis contextus versu 7. & sequentibus; quorum verborum summam exhibet Stephanus Act. VII. 34. Ἰδὼν εἶδον τὴν κάκωσιν τῦ λαῦ μυ τῦ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ τῦ στεναγμῦ αὐτῶν ἤκυσα, καὶ κατέβην ἐξέλεσθαι αὐτῦς. καὶ νῦν δεῦρο ἀποστελῶ σε εἰς Αἴγυπτον. Ex quibus patet liquido, *afflictiones* populi, futuramque ex iis *liberationem* fuisse causam & argumentum & scopum illius apparitionis unice. Utrumque indicare Deus non solum verbis voluit Mosi, sed &, cum ille jam diu in Ægypto vixerat, assuetusque esset eorum Hieroglyphicis, symbolicæque scientiæ, utpote παιδευθεὶς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, illud ei commodo in hanc rem symbolo delineare quasi, & ponere ob oculos. Idque ita fecit, ut non potuerit aptiori, & ad rem ipsam accommo-

(1) Non tamen huc retuleris auctoritatem Onckelosi, quasi ille τῦ סנה vertens per אסנא, ea voce indicare voluerit *Palmam*. Plane enim non ita docetur *Sene* significare *palmam*, sed tantum ipsa vox qua d. Moses usus est, retinetur præfixo voci τῷ א, ex more Chaldæis, Syris, & Arabibus etiam nunc solenni.

commodatiori uti . Eum in finem , quid ſibi arbor illa *ſpinoſa* , quid *ignis* , quid denique hujus in illa *commoratio* ſine ejus læſione velit , inveſtigabimus .

§. 48. Videlicet , acacia illa ſive ſpinis circum cincta arbor eſt eremi Arabicæ eſt ſymbolum (1) *fidelium* ſive *eccleſiæ* veræ omnium temporum , in deſerto hujus mundi verſantis , palantiſque . Cujus rei ſat idoneas rationes cum copioſe dederimus in differt. præcedenti §. 52. iis heic repetendis ſuperſedemus . [2] Secundo ſigillatim *eccleſiæ Judaicæ* , ſive *populi Iſraelitici* ſiſtit imaginem , tum quoque in deſerto errantis : Hinc ſæpe numero ſub emblemate arboris proponitur , & quidem pulchræ , floribus , fructibus etiam ſalubribus ornatæ , quod a Deo præ aliis electus , multis ab eo beneficiis mactatus , prærogativis inſignibus auctus , utpote cujus erant ἡ υἱοθεσία , κ̀ ἡ δόξα , κ̀ αἱ διαθῆκαι , κ̀ ἡ νομοθεσία , κ̀ ἡ λατρεία κ̀ οἱ πατέρες , κ̀ ὁ Χριστὸς κατὰ σάρκα Rom. IX. 4. qui nihilo minus evaſerat vepretum ; inter quos *optimus ſimilis erat acaciæ* (Germanicæ) *& rectiſſimus ex ſpineto* , Mich. VII. 1. qui ſpinis ingratitudinis , rebellionis , idololatriæ , ſimiliumque vitiorum ab omni latere cincti erant . Inter quos τὸν λόγον ἐν τὰς ἀκάνθας σπαρέντα ἡ μέριμνα τȣ̃ αἰῶνος τούτου , κ̀ ἡ ἀπάτη . τȣ̃ πλούτου συμπνίξει Matth. XIII. 22. ſimiles terræ , quæ ἐκφέρουσα ἀκάνθας , κ̀ τριβόλους , ἀδόκιμος κ̀ κατάρας ἐγγὺς , ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν Hebr. VI. 9. in exemplum maledictionis & *anathematis* , quorum emblema ſunt vepres , mundo propoſiti Mal. IV. 4. utpote viri nequam , uti ſpinæ evellendi & incendio correpti , cremandi omnino 2. Sam. XXIII. 6. Porro quemadmodum olim arbor Sittim & tabernaculo , locoque , ubi ſacra fiebant , & deinde Chriſto in terris ambulanti commorandi locum præbuit , ita gens Iſraelis & tabernaculum , & templum ejuſque præcipuum decus JESUM CHRISTUM ſinu ſuo complexa fuit . (3) Denique repræſentabat ipſum JESUM CHRISTUM , cujus picturam valde concinnam exhibere nobis poſſe ſpinam hanc Arabicam differt. ſuperiori §. 50 , 51. abunde viſum eſt .

§. 49. IGNIS , quem Moſes tuitus eſt , ſecundum trinam hanc relationem tria nobis etiam ob oculos ponit , generaliter quidem afflictiones omne genus , & perſecutiones ; quæ ſub ignis ſymbolo deſignantur ſæpiſſime . Vide Deut. IV. 20. Pſ. LXVI. 12. LXVIII ; 14. Eſ. XLIII. 2. Mal. IV. 2. 1. Cor. V. 12 , 15. 1. Petr. IV. 12. Ignis itaque flammæ occupantes arborem , non tamen eam conſumentes , revocant nobis in memoriam ſortem Eccleſiæ , cui per multas tribulationes & æſtus in cœlum eſt conſcendendum , ita tamen , ut inde emergant , neque deſtruantur , ſed eo majorem lucem fidei , ſpei , patientiæ , cognitionis ſpargant . Et cum hic potiſſimum loquatur Deus Moſi , quem ad nuntiandum Iſraeli liberationem imminentem erat legaturus , ſub hac pictura ſymbolica , cui ille in Ægypto aſſuefactus erat , cum illi præſentem afflictum , ſub quo gemebant , ſtatum adumbrare , tum felicis ejus eventus , inſtantiſque liberationis ſpe (ſenſuri enim erant ignis calores , non tamen iis erant abſumendi ,) erigere , atque ita ſolatium adſpergere voluit.

§. 50. Quando autem cogito D. N. J. C. totius V. T. eſſe nucleum , & ſcopum unicum , imo ipſum illum angelum fœderis in rubo illo appparuiſſe , & locutum eſſe , hunc excludi heic nollem . Præterea obſervavi , quod fortaſſe alias pluribus perſequar , id fieri plerumque ſolere , quo viſiones in V. T. tabulis enarratæ DUO potiſſimum indicent , non ſolum id , quod iis temporum circumſtantiis illis præcipue ex uſu eſſet , aptumque ad deliniendos , erigendoſque afflicti populi animos , verum etiam , quod relationem haberet ad futurum mundi Servatorem , ejuſque gratiæ beneficia . Atque hoc pacto non abſurde cogitaſſe veteris Eccleſiæ Patres exiſtimo , qui , ſi non typum , ſaltim imaginem exhibitam crediderunt illius ὁμολογουμένως μεγάλου τῆς εὐσεβείας μυστηρίου , quo Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σάρκι . Scilicet , ignem divinæ naturæ ob lucem , quam ſpargit , ob ſplendorem , quem promit , ob indomitum , atque irreſiſtibile , quod exercet , robur , ob judicia , pœnaſque , quibus mactat rebelles , & impios , ob purificandi , fovendi , calefaciundi , fœcundandi , liquefaciendi , vivificandi vim non in ſacris ſolum literis , ſed & in ſcriptis τῶν ἔξω ſymbolum gerit . Immo quod id fiat in cæremoniis ritibuſque veterum gentilium , Romanorum , Græcorum , Perſarum id pervulgatum eſt . Præterea ipſe Angelus fœderis hoc uti emblemate amavit , quando non ſolum ut toties τȣ̃ צמח , ἀνατολῆς ἐξ ὕψους Luc. I. 78. ſtellæ , Num. XXIV. ſolis juſtitiæ Mal. IV. 2. ipſius Patris luminum (quæ deſcriptio ſolis eſt) Jac. I. 17. Sed & illius Lucis Iſraelis , *qui erit pro igne* , *& ejus ſancti pro flamma* , *quæ incendet & conſumet vepres ejus* , *& ſentes eodem die* Jeſ. X. 17. Imo

ignis

ignis Mal. III. 2. nomine designari ei allubuit. Quin in igne Paradisi, in apparitione, quæ Abrahamo contigit; In columna nubis & ignis, in igne tabernaculi, & altaris, in visione Ezechielitica semet manifestare voluit. Cum itaque heic ignem videmus conjungi in deserto cum arbore, terræ fructus spetiosa illa quidem, at spinosa tamen, & maledictionis notam gerente, ita ut arctissime cum ea conjunctus licet, non tamen destruat, sed illibatam conservet, videmusne heic quasi vivis depictum coloribus illum, qui ut *Deus* totus *ignis* est, qui autem in forma humana, ἐν ὁμοιώματι τῆς σάρκος τῆς ἁμαρτίας, qua maledictionem & meruerat & obtinuerat, in deserto hujus mundi visus est, cumque illa vinculo fortissimo ita quasi implicitus fuit, ut nihil quidem esset conjunctius, propter majestatem tamen Numinis nihil de ea delibaretur, sed sarta tectaque conservaretur? Sed hæc alii pluribus.





THEODORI HASÆI DISSERTATIO DE LAPIDE FUNDAMENTI,

In qua non paucis ſacrarum literarum locis lux aſpergitur.

CAPUT PRIMUM.

In quo de ejus *nomine*, *figura*, *magnitudine*, *ſitu*, & *uſu* ejus agitur.

SUMMARIUM.

Templi Hieroſolymitani præſtantia §. 1. *Scriptores, qui ſingularibus libris egerunt de* Tabernaculo §. 2. *de* Templo §. 3. *de* Ara *interiore & exteriore*, mari *æneo*, candelabro, *menſa &* panibus *propoſitionis* §. 4. *De* Arca, *urna* Mannæ, *Cuſtodia templi*, virga *Aaronis &c.* §. 5. *De quibus nondum ſcriptum eſt. Inter ea eſt* Lapis fundationis §. 6. *Ordo tractandorum* §. 7. *Ratio nominis* §. 8. שות *vel* שתת *cum cognatis vocibus exponuntur. Pſ. XI.* 3. *Eſ. XIX.* 10. *quid* שתית §. 9. *Unde* ςάω, *ſto*, ſtehen/ ſitzen/ ſitten/ *ſiſtere*, ſchootelen/ *ſedere*, *&c.* Sedes *eſt fundamentum* §. 10. *Cur lapis a* fundamento *nomen habeat?* §. 11. *Anne dictus, quaſi lapis* potationis; שתה *& cognatæ voces notionem* potus *habent. Unde* Muſtum, Moſt/ ſitis §. 12. *Liber dictus* אבן שתיא. §. 13. *An fuerit* marmoreus §. 14. *Ejus* Magnitudo §. 15. Situs. *Ad occidentem in adyto* §. 16. *Illi inſculptum fuit nomen* יהוה §. 17. 18. *Unde calumnia capitis aſinini a Judæis culti fuerit orta* §. 19. 20. *Cui inſervierit uſui? In* primo, *ut ſuſtentaret* arcam, *& typus eſſet Meſſiæ* §. 21. *In* ſecundo, *ut indicaret locum arcæ, adumbraret Chriſtum* §. 22. *In eo collocaretur thuribulum* §. 23.

§. I.



NULLUM unquam terrarum orbis auguſtius ſplendidiuſve ædificium vidit perincluto illo fano, quod honori cuiuique OPTIMI MAXIMIQUE DEORUM Hieroſolymæ olim conſecratum fuit. Sive enim ſtupendi operis primum auctorem atque ἐργοδιώκτην ipſum Templi Dominum, ſive incredibilem materiæ tum copiam, tum pretium, ſive divinam prorſus utique in ipſa exſtructione emicantem ſapientiam atque artem, ſive ſummam, qua non in ſuorum ſolum, ſed & exterarum maxime diſſitarum gentium animis excitaverat, venerationem, ſpectes, cogere fateri, hoc ingenti poſt ſe intervallo reliquiſſe, quidquid alibi ſuperborum palatiorum vel noſtra, vel elapſa ætas obſtupuit. Non itaque eſt, quod ma-

gno

gno miremur opere, complures doctrina atque ingenio præstantes Viros id sibi existimasse negotii datum, ut non ipsum solum templum, sed & præcipuas res, quæ in illo fuere, singularibus libris inlustrarent.

§. 2. Huc faciunt, qui de *Tabernaculo* Mosaico, templi deinceps exstructi prototypo egere a celeberrimo *Fabricio* in Bibl. Antiq. c. IX. §. 2. adducti, quibus addendi sunt Bernhardus *Conradi*, Monasterio-Rhemensis Westphalus de *generali Tabernaculi Mosaici structura & figura* quem librum Offenbaci ad Mœnum a. 1612. in 4. editum possideo Hermannus *Vvittsius in Tabernaculi Levitici mysterii* dissertatione, quæ in Miscellan. sacrorum T. I. L. II. primum locum occupat. Bernhardus van *Hermckuysen*, Ecclesiastes Lugdunensis, cujus bonæ frugis pleni libri, Belgice sub titulo (wet der Schaduwen) *lex umbrarum* Lugd. B. 1699. & 1704. 4. editi prima pars hoc argumentum & docte & pie tractat. Conradus *Mel*, Inspector Hersfeldensis, qui singulari Volumine concionum vernacula lingua editarum Lipsiæ 1711. in 4. illud exhibuit. Accedit Salomon van *Till*, Theologus Dordracenus & Lugdunensis, cujus de *Tabernaculo Mosis* Commentarium cum aliis ejus opusculis posthumis clarissimus Vir Hermannus van de *Vval* edidit Amstelodami, 1714. 4. Præterea Joh. D'*Outreinius*, eximius hujus ævi Theologus in descriptione *Tabernaculi Mosaici*, quæ ante biennium circiter Amstelodami in 8. excusa est & ab alio libro, quem sub titulo *Tabernaculi DEI inter homines* a. 1701. vulgavit, quique commentarium tantum in verba Joh. I. 14. exhibet, probe distinguendus est. De *tegminibus Tabernaculi Mosaici* dissertatio extat J. H. *Hottingeri*, Theologi Marpurgensis, mei olim in eadem, quam nunc ornat, Academia optatissimi studiorum socii, edita sub Academicæ disputationis forma a. 1704. 4.

§. 3. In excutiendo *Templo* ipso versati sunt ex Judæis præter Talmudicos in Tractatu Middoth a Constantino *L'Empereurio* doctis illustrato notis, Maimonides, Jacob Jehuda *Leo*, vel, ut semet ipsum vocat in editione Amstelodamensis anni 1650. 4. *Leontius*. R. *Lipmann* Levi Haler, Pragensis, *Moses Gersonides* Chapetz (v. Acta Er. L. a. 1697. p. 450.) alii. Neque huc referas היכל הקודש *templum sanctum*, editum Amstelodami 1653. 4. cujus auctorem alii *Mosen* Maimonidem Albas, alii vero R. Jacob Schesch portes faciunt cum præter explicationem mysticam precum Judaicarum ex Zohar collectam nihil contineat; Ex Christianis præter Veteres Venerabilem *Bedam* & *Richardum* de S. *Victore*, J. B. *Villalpandus*, Bened. Ar. *Montanus*, Fr. *Ribera* (cujus de hoc argumento liber præla sæpius, quam quidem meretur, exercuit) Lud. *Capellus*, Samuel *Lee* ejusque popularis, J. *Ligtfootus*, C. H. *Sandhagius*, L. Chr. *Sturmius*. (Confer *Fabricii* Bibl. Ant. c. IX. §. 3. seqq.) Ne nunc commemorem Bernh *Lamii*, presbyteri ecclesiæ Gallicanæ de eadem materia opus, cui jam tum se annos XXV. insudasse in epistola, quæ in commentariis Trivultiensibus a. 1703. p. 399. Ed. Belgicæ legitur, indicavit. Speciem illius aliquoties publici Juris fecit, ipso opere nondum, quod sciam, vulgato, licet jam a d. 3. Kal. Febr. a. 1715. rebus humanis exemptus fuit.

§. 4. Neque heic doctorum virorum solertia substitit, sed & ad præcipuas res, quæ vel in templo erant, vel ad ejus cultum spectabant, peculiaribus commentariis explicandas animum adplicuere. *Aram templi exteriorem*, cum adhuc in Academia Lugdunensi studiis operam daret, discussit a. 1697. Joh. Jac. *Cramerus*, Tigurinus, non diu postea magno Hebraicarum & sacrarum literarum, quas in illustri Schola Herbornensi profitebatur, detrimento, ad d. 5. Eid. Febr. a. cIↄIↄccII. in ipso ætatis flore, agebat enim annum XXIX. exstinctus. Idem saxum deinceps volverunt Theod. *Dassovius*, Wittebergensis & Kiloniensis Academiarum olim ornamentum, nunc summus in Holsatia regia antistes, & Joh. Ph. *Heinius*, doctissimus Vir. Illius *Altare exterius templi Hierosolymitani ad mentem Hebræorum veterum delineatum* Wittebergæ prodiit a. 1698. 4. Hujus *aræ Mosaicæ exterioris nova delineatio* inserta est fasciculo primo *novæ variorum scriptorum collectionis*, quæ insigni literariæ reipublicæ commodo nuper Halæ Venedorum prodire cepit. De *Altari suffitus s. interiori* extat dissertatio Dav. *Jertmanni* Hamburgensis edita Witteb. 1699. 4. ut & Joh. *Hammii* mei inde a condiscipulatu amici, nunc Duisburgi Clivorum philologiæ sacræ Professoris clarissimi liber elegans editus Herbornæ, 1715. 8. De *Mari* Salomonis *æneo* cum iis, quæ doctissimus Anglorum Eduardus *Bernhardus* operi suo de ponderibus & mensuris adjecit, conferendi sunt peculiaria de eo scripta jam laudati Cl. viri Conr. *Mellii*, qui tum temporis Concionatoris aulici & SS. Theologiæ Professoris munere apud Regiomontanos fungebatur, L. Chr. *Sturmii*, qui per eximiam, qua pollet, rerum mathematicarum scientiam illustrandis rebus sacris egregie impendit, & Alb. Frid. *Freyeri*, Weissenburgensis Franci, quæ Regiomonti 1702.

Norimb. 1710. & Jenæ 1715. in 4. prodiere. Ne nunc commemorem J. *Pythii delineationem Apologeticam mari ænei fuſilis*, in qua quidem auctorem rationem fabricæ illius labri ex Mathematicorum diſciplina tradidiſſe ſcio, at ubi impreſſus ſit liber, id vero indagare non potui. De *Candelabro Moſaico*, G. *Stellmannus*, popularis meus, harum literarum peritiſſimus vir, heic Bremæ a. 1700. & Joh. Henricus *Opitius* Jenæ 1708. 4. diatribas ediderunt, cum quibus conferenda ſunt, quæ Hadr. *Relandus*, harum literarum non minus, ac Academiæ Ultrajectinæ perinſigne decus, de illo nuper admodum ſuo de *ſpoliis templi* ſecundi pereleganti commentario inſeruit. [Neque enim moramur de *Candelabro ſancto* quorundam inſictarum allegoriarum plenos commentarios, quorum aliquos adducit Lipenius in Bibl. Th. T. I. p. 216.] De *Menſa* & *panibus propoſitionis* binas diſſertationes lucernam olentes conſcripſit, ac ſub præſidio Cl. V. Jac. *Rhenferdii* in Academia Friſiorum a. 1703. defendit inſignis doctrinæ Vir Ludov. *Vvolters*, nunc in eccleſia reformata Gedanenſi Evangelii Miniſter.

§. 5. *Vaſculum Mannæ*, quod *urnam* vocant, duplici exercitatione diſcuſſit Car. Lud. *Hobeiſel*, in academia *Salana* 1715. 4. De *Arca fœderis* ſigillatim tractaverunt Buxtorfius in Exercitationibus ſuis p. I. . . . . 226. J. Bened. *Carpzovius* in diſſertatione, quam admodum adoleſcens ſub præſidio Joh. *Friſchmuthi* [cujus de *non ſperanda ejuſdem arcæ reſtitutione* edita primum Jenæ 1658. 4. diſſ. inſerta eſt Theſauri Differt. Amſtelodamenſis Tom. I.] defendit Jenæ 1656. 4. cui deinceps a. 1658. acceſſit altera de quæſt. *Quonam arca fœderis pervenerit?* in academia Argentoratenſi ſub præſidio Seb. *Schmidii* ventilata. Utraque recuſa eſt Jenæ a. 1676. & deinde Volumini ejus diſſert. quod Lipſiæ a. 1699. in 4. prodiit primo loco inſerta. De eodem argumento impreſſus eſt tractatus citati modo *Jacobi* Jehudæ *Ariæ* Amſt. 1653. 4. Non autem impreſſus eſt, quem de eo ſe editurum paſſim in *Selectis ſacris* pollicitus eſt Joh. *Braunius*. De *Cuſtodia Templi nocturna* Commentarius Hiſtorico-Theologicus Pauli Fr. *Opitii*, Henr. F. demorſos ungues ſapiens Kilonii exſcriptus typis eſt a. 1710. 4. *De iis autem, quæ in illa arca fuerunt* exercitatio prodiit Andr. *Sennerti*, Wittebergæ. 1680. 4. quæ etiam inter diſſert. Theſauri Amſtelodamenſis T. I. apparet. De *Cherubinis* vide auctores a Celeb. *Fabricio* L. C. c. 9. §. 9. adductos. *Vitem auream templi Hieroſolymitani* nitida atque eleganti diſputatione in Academia Lipſienſi a. 1706. edita exhibuit Dan. Frid. *Janus*, nunc Profeſſor Wittebergenſis meritiſſimus. *Virgam Aaronis* πολυγλώττον diſſert. V. exhibuit Marpurgi a. 1692. meus in literis olim Orientalibus Doctor fideliſſimus G. *Otho*, quæ tamen vix in hunc cenſum referendæ ſunt, quod præter grammaticas textus Num. XVII. I. . . . . II. explicationes vix, quod huc facit, complectantur. Accuratior eſt Chriſt. *Stockenii*, Generalis Superintendentis & Conſiliarii eccleſiaſtici Holſatorum diſſ. Theologico-Philologica de *Virga Aaronis florida*, quæ Kilonii a. 1678. in 8. edita eſt. Conferri cum iis meretur, licet brevior, venerandi Collegæ mei G. *Jungſtii* de eadem diſquiſitio, quam cum primi in Eccleſia & illuſtri Schola Hanovienſi Doctoris perſonam ſuſtineret, ibi ante hoc decennium publicæ diſquiſitioni ſubjecerat. Cl. *Relandi* de *ſpoliis Templi ſecundi* librum hoc ipſo anno Ultrajecti in 8. prælo iteratum jam laudavimus. Huc etiam pertinent, qui inter *Templi prioris & ſecundi gloriam* comparationem inſtituerunt. Factum id eſt præter illos, qui inſigne illud Haggæi II. 7. 8. 9. 10. vaticinium illuſtrandum vindicandumque ſibi ſumſerunt, in Academia *Julia* a Joh. *Hilperto* a. 1653. 4. in Lipſienſi a Joh. Ad. *Scherzero* a. 1665. 4. [quæ in ejus diſſertationum faſciculo a 1683. in 4. edito tertio loco apparet] in *Jenenſi* a Joh. *Friſchmutho* a. 1669. 4. [quæ diſſ. Theſauro Amſtelodamenſi cum aliis ejuſdem Viri inſerta eſt] in *VVittebergenſi* denique nuper a. 1715. 4. ab Hier. Wigando *Bielio*, Luneburgenſi, duabus diſſert. quibus titulum fecit de *templi prioris præ poſteriori, & poſterioris præ priori gloria*.

§. 6. Tametſi vero ex his patet ſingulas fere res, quæ ad hanc ædem pertinent, doctorum virorum operam exercuiſſe, *tria* tamen adhuc ſuperſunt, non exigui momenti, quæ quantum indagare potui, particularibus ſcriptis nondum excuſſa fuere. *Duæ* videlicet *columnæ æneæ*, quæ ante Salomonis templum conſpiciebantur, (quamquam pluribus exercitationibus, eas olim illuſtrare inſtituiſſe Auguſtinum *Vagetium* τὸν ἐν ἁγίοις a Cl. *Fabricio* didici) *Velum*, quod S. ſanctorum a ſancto dividebat & denique illuſtris ille *Lapis*, qui אבן־שתייא hoc eſt *fundamenti* ſive *poſitionis* dicebatur. Atque de hoc ideo habui mirari magis, quo majori in exiſtimatione apud Judæos ſemper habitus, atque aliarum etiam gentium ſermonibus, ſcriptiſque ad hæc, quæ vivimus, ſæcula celebratus fuit, illuſtris illius arcæ fœderis olim ſuſtenta-

ſtentaculum, deinceps autem cum prius templum deſtructum eſſet, & omnia ejus vaſa direpta, adyti poſterioris fere unicum ornamentum. Interea loci, dum avidus expecto, ut hæc, quæ commemoravi, aliquis huic labori par ſibi tractanda ſumat, incedit animum cupido HOC SAXUM VOLVENDI, & quæ de illo in Judæorum monimentis ſparſim conſignata ſunt, accuratius inquirendi, operæ me pretium feciſſe arbitratus, ſi hac ratione occaſionem præbuero aliis, quibus major & ingenii & Lectionis apparatus eſt, ut & hoc & reliqua meliori cum ſucceſſu ſibi deſcribenda ſumant. Neque me rem acturum nullius momenti, aut omnem operam atque oleum perditurum credidi, quod eadem me opera non paucis ſcripturæ locis lucem adſperſurum ſperem, quam quidem primarium hominis Theologi ad ſcribendum animum appellentis ſcopum eſſe oportere exiſtimo.

§. 7. Id autem ne nullo ordine fiat, in *quatuor* hanc exercitationem ſectiones diſpeſcemus. In illarum *prima* explicato lapidis *nomine* ejus *locum*, *ſitum*, *materiam*, *originem*, *uſum* tractabimus. In *Altera* ejus fata & HISTORIAM ad noſtra, quæ vivimus, tempora exhibebit. *Tertia* varias maximam partem fictas, *fabuloſaſque Judæorum* de eo traditiones ſiſtemus. In *quarta* vero MYSTERIUM ejus, ac *πνευματικὴν δήλωσιν* indagantes eum, tanquam *ἐν τύπῳ* Soſpitatorem humani generis, τὸ ΘΕΜΕΛΙΟΝ, *παρ᾽ ὃν οὐδεὶς ἄλλον δύναται θεῖναι*, *ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ χριστὸς*, populo Iſraelis adumbraſſe argumentis ex ipſa typorum natura & non paucis divini verbi oraculis petitis, demonſtrabimus.

§. 8. Nomen, quo vulgo hic lapis inſignitur, eſt אבן שתיא vel שתיה utrumque enim a rerum Judaicarum ſcriptoribus paſſim adhibetur. Ita in Codice Joma Cap. V. §. 1. משניטל (ſive ut alii legunt ſenſu eodem משניטל הארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתיה הייתה נקראת גבוהה מן הארץ שלש אצבעות ועליה היה נותן המחתה׃ *Poſtquam abducta eſt arca, lapis ibi erat a diebus priorum prophetarum, & dictus eſt* lapis שתייה *altus a terra tribus digitis, & ſuper eum collocabat* thuribulum Pontifex S. Eadem leguntur in libro עץ ישראל p. 1. fol. 166. col. 2. in libro Zohar in Exodum Col. 398. ubi plura de hoc lapide commemorata erant, additur. Prout ea vertit Buxtorfius F. in Exerc. p. 189. *Lapis ipſe vocatur* שתיה, *quia ex eo plantatus eſt mundus* (& diffundebat) *ad omnia latera, alii dicunt vocari ita*, quaſi שׁתיה poſuit Deus, *quia Deus poſuit eum, ut eſſet fundamentum mundi, & plantatio omnium*.

§. 9. Recte autem hanc appellationem Latine reddideris per LAPIDEM FUNDATIONIS ſive *poſitionis* ſive FUNDAMENTI. Eſt enim שתיה a radice שת vel שות, vel שתת, quæ notat apud Chaldæos pariter, Syroſque ac Hebræos *ponere*, ut illi tanquam *fundamento* aliquid innitatur. LXX. vertunt *τιθέναι*, *καθιστάναι*. Hinc שתות, quæ vox bis tantum occurrit Pſ. XI. 3. Eſr. XIX. 10. mallem utrobique reddere per *ſtamina* vel rei *fundamenta*, ſecutus Jarchium & Targumiſtam, qui tranſtulerunt יסודות, quam cum Abeneſra & Kichmio explicare per *retia*, multo minus veſtigia premere Interpretis Alexandrini, qui in illo Eſaiæ loco vocem iſtam vertit per *ποιοῦντες τὸν ζυθὸν* inepte eam a שתה *bibere* derivandum eſſe arbitrati. Neque dubito, quin ipſa loca accuratius inſpecturus, in meam ſententiam ſit iturus pedibus. Atque hinc hominum nates Hebraice vocari שת, שתות ex ea ratione putem, quod homo ſedens, iis, ceu *fundamento*, toto Corpore innitatur. Apud Rabbinos pariter שתת notat *fundare*, fundamentum ponere; unde iis etiam משתית ſignificat *fundamentum*. Huc referenda etiam videtur vos Syriaca & Chaldaica שתס fundare, fundamentum ponere cum derivatis ſuis שתאסיא שתאסא, *fundamentum*, quæ voces evidenter coaluere ex noſtro שות vel שית ponere & אסיא, quæ vos iiſdem fundamentum ſignificat. Neque dubito, quin licet immutatis literis huic tamquam cognata ſit conſideranda יסר cum derivatis ſuis, מסר, מוסדות, יסודה, יסור מוסדה, &c. quæ ubique notionem *fundationis* habent, fortaſſis etiam Chaldæorum סוט, quod notat aliquid *portare*, ſuſtinere.

§. 10. Immo hujus radicis שת vel שות, qua ſignificat rem, quæ firmiter *ſtat*, vel ponitur, ſignificatio prima ac genuina apparet in aliarum linguarum vocibus, hinc derivandis v. gr. Græcorum antiquo *στάω* pro quo nunc dicitur *ἵσταμαι*, Latinorum *ſto*, Germanorum ac Belgarum *ſtaan*, ſtehen, vocibuſque hinc magno numero diductis. Immo ipſam vocem *τιθέω τίθημι* cujus ſignificatio in *poſitione* quærenda hinc ab hac voce שית ש mutato in ת, quaſi תית derivandam pridem vir quidam doctus conjecit. Quin notavi plurimas Germanorum aliorumque populorum, ſermonem ſuum Germanis debentium, voces, quarum literæ initiales ſunt S. T. i. e. שת notare aut ſaltem in ſua ſignificatione aliquid involvere, quod rem *firmiter poſitam* nobis in animum revocat: v. gr. ſtellen, i. e. ponere, ſteiff/ Stein/ Stifft/ ſtiff/

en, Stul, Stamm, Stern, stumpff, Steig. Huc referendum Belgarum *Schootelen* & nostrum Schotteln, quod & etymo, & significatione convenit σάμνω Græcorum; quæ vel notat, quod *ponitur* [confr. diss. meam de Ονολ: Jud. c. III. §. 21.) ficut ratione soni non abludit a Græcorum σκυταλίω & Latinorum *Scutella*. Quis non idem ἔτυμον deprehendit in voce stutzen, quod notat popularibus meis fulcrum s. *fundamentum*? Quis dubitet Latinorum (apud quos sive *situm*, sive *positum* esse dicas) *situm* eodem modo a שת arcessendum esse, quo *sitis* a חשה i. e. arcessitur? Quis non videt eandem originem esse vocum *sistere*, *sedes*, *sedere*, cum quibus conveniunt Germanorum nostrorum Sitz, sitzen, setzen & Belgarum Saxonumque meorum *Setten, Suten!* Præcipue si notamus *sedem* Latinis significare rei *fundamentum* & basin, quod jam pridem ad Svet. Aug. c. XXVIII. adnotavit magnus Casaubonus, cum qua phrasi conferri apprime potest Locus Senecæ Quæst. natur L. I. c. I. *Sequitur, ut cito intercidant, quia sine* fundamento & sede *creata sunt*; ubi videmus *sedem per fundamentum* explicare.

§. 11. Ex his cum cònstet lapidem nostrum a *fundatione* sive *positione* nomen suum nactum esse, nunc inquirendum, quænam ejus denominationis sit ratio. Ex libro זוהר jam (§. 8.) vidimus Judæos illam tradere, quod Deus illum posuerit, ut esset *fundamentum* mundi. In ea etiam opinione fuit R. Obad. de Bartenora, qui ad citata Jomæ verba. Lapis, inquit, *fundationis vocatus est, nam eo fundatus est mundus & eo fundavit Deus benedictus suum mundum, nam* שתיה *idem est*, quod יסוד *fundamentum*. Ad eundem Mischnæ Locum R. Maimonides aliam adducit causam, *quod scilicet esset in eo loco, ubi fierent Deo sacra, quæ sint fundamentum, quo totus mundus nitatur*. Vide etiam *Kimchium* in Libro Radicum, in voce שית & in Ps. XI. In Pircke R. Eliezeris ed. Latinæ Vorstii p. 88. postquam de eo fuisset sermo, additur, *vocatur Lapis* השתיה *quia inde est umbilicus terræ, atque inde se extendit universa terra, & super illo stat Templum Domini, sicuti dicitur, & lapis hic, quem collocavi statuam, erit domus Domini*. Sed de hac traditione plura deinceps C. II. §. monebuntur. Veriorem causam posse esse existimo, eam, quod fuit olim *fundamentum* arcæ fœderis, quam illi haud dubitanter ex mandato divino *impositam*, tot sæculis gestavit. Judæi enim, cum in secundo templo arcam non viderent, de ea non cogitantes, rationes alias commenti sunt, fortassis etiam lapis ille ita in medio templi per certas juncturas insertus, ceterisque lapidibus immixtus fuit, ut ejus *fundamentum* considerari potuerit, quo sublato reliqua non potuerint, non labascere.

§. 12. Tametsi vero hoc ἔτυμον, & Judæorum suffultum auctoritatibus, & ab omnibus receptum nollem prorsus repudiare, notandum tamen est secundam formam atque analogiam Grammatices non tam a שית vel שתת, quam a שתה vel שתא derivandum esse, in qua re me ipsum magnum Buxtorfium in Lex Rabb. p. 2541. mihi adsentientem habere gaudeo. Hæc autem, atque his cognatæ voces apud Hebræos, Chaldæos, Syros, scriptoresque Rabbinicos significant *bibere*, *potare*, inde שתוי, משתיא, משתי, est *potus* שתאי, *potator*, משתא, *convivium* s. *Compotatio*. Convivium enim secundum aliquos dicitur, quasi *Combibium*. Et hæc significatio quoque trasiit ad Latinos. Quis enim ex illis adductis vocibus משתי dubitet ortum Latinorum *Mustum*, Germanorum Most, i. e. eum vel uvarum vel olivarum succum, qui primum omnium *bibi* potest. Quis ex hac radice שתה non videt (peti debere voces *sitio*, *sitior*, *sitis*, quæ *bibendi* appetitum indicant, *situlam*, quæ vox per συνεκδοχὴν notas vas, aquam, qua *sitis* restinguitur, continens? Inde autem Rabbinorum venit שתיה, quod notat potum. Unde eorum adagium: אכילה בלא שתיה כמכה בלא רטיה &c. *Cibus sine potu est, sicut vulnus sine emplastro*. Atque hinc patet אבן שתיה commode verti posse lapidem *bibitionis* vel *potationis*, illo sensu, quem deinceps C. II. §. 8. sqq. exhibebimus.

§. 13. Hæc autem appellatio translata est ad res alias. Ita enim dictus liber, quidam Rabbinicus, divisus in IV. partes, in quarum prima agitur de essentia Dei, in altera de ejus Providentia, in tertia de legis scientia, in quarta de observatione præceptorum legis. Illum manu exaratum se in Bibliotheca Heidelbergensi vidisse testatur Buxtorfius in Bibl. Rabb. p. 304. Ex eo citarunt *Hottingerus* in Bibl. Orient. p. 19. & Gabr. *Groddeckius* de script. Rabb. Aron. apud Placcium. §. 9. Sed de eo libro nos plura propediem docturum speramus insigne non literati minus orbis, quam vicini Hamburgi decus J. Chr. *wolffium* in altera parte Bibliothecæ Hebrææ, ubi se de *Anonymis* Judæorum scriptis acturum promisit publice, quam fidem datam, ut liberet quantocyus, vehementer optamus.

§. 14. Quale autem Lapidis genus fuerit, id quidem à Judæorum priscis Doctoribus

ribus non reperi adnotatum. Si illorum vera est traditio, qua putarunt eundem esse, quem olim Patriarcha Jacobus in itinere inveniens cervicalis loco suo substraverat capiti, ut videbitur Cap. sequenti, non putares nimis fuisse pretiosum, sed ex silicum numero, quorum in viis publicis vilis annona est. *Marmoream* tamen fuisse audet, adserere nescio, qua auctoritate suffultus R. Jehuda *Leo*, citati supra libri editionis Gallicæ anni 1643. in 4. L. 11. §. 203. p. 65. *C' est une piere de* marbre, *haute de trois doits*, *appellèe la* piere du fondament, *sur la quelle l' Arche du Testament etoit posèe au milieu du S. Sanctorum*, *vers le coste occidental.* & deinde L. III. §. 1. p. 72. *L' Arche avoit de plus une piere de* marbre, *de la hauteur de trois doits sur la quelle l' arche etoit posèe ainsi*, *comme elle etoit dans le temple*. Eadem fere in Editione Hebraica, quæ Amstelodami, non ut apud. Cl. wolffium legitur a. 1660. sed 1650. in 4. apud Levi Marcum prodiit, leguntur L. II. §. 204. p. 26. quæ damus ex versione Joh. *Sauberti*, quæ Helmst. 1665. in 4. edita est. *Lapis* puri marmoris (שיש מהיר) *tribus digitis altus fuit ibi*, *dictus lapis positionis*, *super quo constituta fuit arca testimonii in sancto sanctorum ad occidentem*.

§. 15. Magnitudinem ejus Judæi supra modum omnem extollunt, & ea superficie terræ attigisse medium abyssi, ipsumque telluris centrum fabulantur, de qua re capite sequenti disseretur uberius. Tametsi autem nihil de ea, quod omnem dubitationem excludat, adfirmari queat, valde tamen fit verosimile, non multo majorem fuisse ipsa fœderis arca, quam portabat, cujusque longitudinem duorum cubitorum cum dimidio, latitudinem autem unius cum dimidio fuisse ex Ex. XXV. 10. XXXVII. 1. scimus. Quod ad altitudinem attinet, qua e terra prominebat, constans Judæorum traditio est, eum trium fuisse digitorum; Id nos ex adductis [§. 8.] Jomæ & En Jacobi, ut & §. 13. R. Jacobi Jehudæ L. Locis discimus. Quibus addimus ejusdem verba, quæ ibidem L. III. §. 2. occurunt אבן אחת נקראת אבן השתיה היתה שמה גבוהה מן הארץ שיעור שלש אצבעות. אשו עליה ארון העדות היה בתוך קודש הקדשים למערב, *lapis quidem sive unicus dictus lapis* חשתיה *erat ibi e terra prominens spatio trium digitorum*, *super illo erat arca testimonii posita in medio sancti sanctorum versus occidentem*. Cum autem portaret illam arcam, ejusdem vero simile est fuisse cum ea figuræ, i. e. *quadratæ*, licet de ea nihil ausim adfirmare.

§. 16. Patet autem ex citatis Leonitii verbis *locus*, ubi præcise situs erat, in sacerrimo videlicet templi adyto, & quidem ad ejus *occidentem*. Adstipulatur & Maimonides p. III. Libri יד חזקה in tract. de *domo electa* cap. IV. §. 1. אבן היתה בקודש הקדשים במערבו שהעלוה היה ארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה האון: *Lapis erat in sancto sanctorum* ad occidentem *super illum constituta erat arca*, *& ante eam urna mannæ & virga Aaronis*. Gemina his sunt, quæ habet Bechai ad c. XXV. Ex. vers. 33. היה לפנים מן הפרוכת הארון והכפורת עם כרוביניו מונח על אבן שתיה שהיתה במערביו של קדש הקדשים: *Intra velum intimum erat arca & propitiatorium cum Cherubinis suis posita super lapidem fundationis*, *qui versus occidentem s. S. situs erat*. Pariter ירק ad 1. Chron. XXXV. 3. אבן היתה בבית קדשי הקדשים במערבו ועליה היה הארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה אהרן: Quæ ex antecedentibus facile intelliguntur. Cum autem illi locus versus *occidentem* sanctuarii adsignatur, id haud aliter intelligi debere puto, quam quod loco remotiori a velo, quo S. sanctorum a sancto dividebatur, quodque orientalem portam spectabat, adeoque in intimioribus, & quasi ad terminos ipsius adyti fuerit, conlocatus.

§. 17. Ornamenti ac sculpturæ illi nihil, quod quidem memoriæ proditum est, accessit præter quatuor literas, quibus illustre illud ac memoriale summi numinis nomen exprimebatur. Eas autem illi fuisse insculptas, id vero antiquissima pariter & constanti Judæorum traditione accepimus. Jonathan paraphrastes in Ex. XXVIII. 30. ubi loquitur de pectorali Pontificis Summi, בהון חקיק ומפרש שמה רבא וקדישא רביה אתבריין תלת מאה ועשלתי עלמיא וחקיק ומפרש באבן שתית חתם מארי עלמאפום תהומא רבא מן שרויא: Quæ ita reddit Buxtorfius; *In eis exsculptum erat & expositum nomen illud Dei magnum & sanctum*, *quo creati sunt trecenti & decem mundi*, *quodque sculptum & expositum quoque erat in lapide fundationis*, *per quem Dominus mundi obsignavit ostium abyssi magnæ a principio*. Huc spectant, quæ pariter in Targum ad Coheleth, ad C. III. vers. 11. leguntur. Quæ ita vertit P. Costus, cujus translatio תרגום קהלת Lugduni in Galliis a. 1554. in 4. prodiit. *Verum & descriptum illud & excisum in lapide Sathio nomen*, *eos latuit*, *quod quidem nomen*, *si quisquam potuisset animo complecti*, *in ejus usu versatus*, *invenisset*, *quæ novissimis temporibus*, *sub finem sæculorum futura sunt*. Ita in Jalkut chadasch, qui

liber

liber impressus est Amstel. 1659. in 4. fol. 35. col. 2. num. 23. legitur בשברא הקב"ה את העולם השקיע בתוך התהום אבן אחד חקוק עליו שמו: *Cum Deus S. & Benedictus creasset mundum in medio abyssi submersit lapidem unum, cui nomen ejus insculptum est*; id quod deinceps aliquoties repetitur.

§. 18. Id porro, tanquam in dubium ponunt, Verpi, qui res gestas Domini conscribere, vel impudentissimis potius fabulis conspurcare, sub titulo תלדת ישו fuere ausi. Id fit ab illo, cujus verba exhibet Raimundus *Martini* in pugione fidei p. 11. c. 8. §. *6*. ab alio similis furfuris, quem adduxit magnus Buxtorfius P. in Lex. Talmudico pag. 2541. Neque minus abs illo nebulone, quem *Telis* suis *igneis* inseruit J. C. *VVagenseilius*. Ibi enim p. 6. hæc leguntur, quæ ita ejus Cl. editor interpretatus est. *Tum temporis erat in templo insculptum nomen Dei ineffabile lapidi* τοῦ στερεώματος. *Etenim cum Rex David foderet fundamentum, reperit ibi lapidem quendam* ἐπὶ τοῦ στόματος τῆς ἀβύσσου, *in quo Dei nomen incisum conspiciebatur, quem inde sustollens in sanctum sanctorum deposuit*. Immo *hujus rei vestigia ipsi etiam Mohammedani agnoverunt, qui nomen Dei* ἀνεκφώνητον *inscriptum lapidi cuidam fabulantur, qui Japheto Noachi filio traditus sit, quem ejus virtute multa miracula fecisse tradunt*. Utor heic verbis summi Viri Hadr. *Relandi*, quæ in ejus diss. Misc. T. 11. p. 30. leguntur, quæ quidem vellem quodam Testimonio ab eo fuisse corroborata. Huc etiam referenda illa sive fabula sive historia, quæ apud Epiphanium, vel quisquis illius libelli, qui sub ejus nomine de *vitis prophetarum* circumfertur, auctor est, cap. 8. leguntur, de Jeremia, qui ante templi prioris excidium arcam, quæque in illa continebantur, eripuerit atque in Saxum quoddam absconditerit, cujus cum sermo ad Sacerdotes habitus enarratus esset, additur καὶ ἐσφράγισε τὴν πέτραν ἐν τῷ δακτύλῳ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, καὶ γέγονεν ὁ τύπος, ὡς γλυφὴ σιδήρου, καὶ νεφέλη ἐσκέπασε τὴν πέτραν, καὶ οὐδεὶς νοεῖ τὸν τόπον ἐκεῖνον, ἀλλ᾽ οὔτε ἀναγνῶναι τὸ ὄνομα, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης &c. quæ ex versione Dion. *Petavii* ita redduntur. *His dictis digito suo nomen Dei imprimis lapidem obsignat, eaque figura perinde ac si cælata ferro penitus inhæsit. Ac tum nubes saxum illud obduxit. Neque quisquam aut illum locum novit, aut ad hanc diem legere potuit. Est illud saxum in ea solitudine situm, in qua Aaron ac Moyses jacent. Noctu vero nubes loco illi instar ignis incumbit ad eorum similitudinem, quæ priscis temporibus acciderunt &c.* Quis non heic animadvertit saxi nostri rudera, nomine divino signati, gestantis olim in deserto, ubi & Mosis & Aaronis sepulchra fuere, arcam, cui columna nubis & ignis incumbebat?

§. 19. Atque hinc puto arcessendam esse tot diversis eruditorum virorum conjecturis atque opinionibus (quarum plus viginti quinque collegimus, atque una cum undecim aliis, quæ nobis in mentem venerunt, licet una tantum præ reliquis arrideat, in nuper eopse hoc loco emissa *de* ὀνολατρείᾳ *Judæis ac Christianis afficta* diatribe) agitatam Calumniam, qua gentiles Judæis capitis aurei asinini in sanctissimo penetrali culti, venerationem ineptius dubium, an malignius exprobrarunt. Videlicet, derivandum, quidquid hujus convitii est ex ipso templi & quidem ab hoc lapide, præter quem in illo nihil omnino fuit. In illo, ceu vidimus, incisæ erant quatuor illæ tremendi divini nominis literæ. Illud a Judæis non poterat pronuntiari, solebant ejus loco Deum vocare שם, השם, vel ex Chaldæorum, Syrorum, ac Samaritanorum dialecto שימא & אשימא, cujus cultus non Samaritanis solum, sed & olim Emathæis exprobratus fuit. Hac autem appellatione ipsa *arca* olim ab eo lapide gestata, & deinde per illum veluti exhibita, insigniebatur sæpius. Hinc cum Duce Pompejo περιβόητον illud πᾶσιν, & religiosissimum Judæorum templum Romani ingrederentur milites, percontarenturque, cui nam Deorum tantæ majestatis fanum dicatum esset, quodnam *grande* illud esset templi *arcanum* [verbis utor Flori L. III. c. 5.] cujus rumor ubique terrarum percrebuerat, quem, cum ad arcæ sedem manus, atque oculos convertentes precabantur, indigitarent, quid literæ illæ grandiores saxo illi insculptæ sibi vellent, ubique responsum fuit, *Aschem*, *Schima*, *Aschima*, *Asima*, quæ quidem voces insolitæ facilem præbere ansam potuere procaci, atque ad cavillationes, pronæ Romanorum genti, ut illas in *Asinum* converteret, atque Judæis insultatura inde *Asinicolarum* convitium mutuaretur.

§. 20. Illud autem ita, ut fit, non parum accepit incrementi, non solum, quod ὄνος, qui Græcis est asinus, quoque notet lapidem, sed & אבן שתיה dici potuit אבן חמורת eadem significatione, quæ utrumque & *lapidem fundamenti* & *lapidem asininum* indicat. Quibus accessere varia, quæ passim inter Judæos de illustribus Abrahami, Bileami, Mosis, Samsonis atque adeo Christi asinis jactabantur. Atque hæc quidem conjectura, quamvis eam cuiquam, tanquam in dubium sanctissimæ religionis

gionis nostræ articulum obtrudi, nollem, puto tamen, cum quæ de hoc opprobrio in gentilium scriptis occurrunt, quæque ad *duodecim* capita commode redigi posse observavi, huc facili negotio possint referri, eam omnium esse vero maxime similem. Sed hæc longe uberius in citata nostra Exercitatione, tractata sunt, quæ cum his conferri, ab eo, cui tanti videbuntur, poterunt.

§. 21. Facile autem colligere est, non frustra vel ornatus causa tantum hoc saxum loco tam augusto fuisse collocatum. Inquirendum igitur, cui illud *usui* inservierit? Distinguendum autem *prius* templum Salomonis a *secundo*, quod a Zerubbabele restauratum est. In priori illi præcipue fini destinatus erat, ut sustentaret illud inclutum Judaicæ gentis palladium, augustam divinæ majestatis sedem, *Arcam* fœderis sive testamenti, cujus veluti basis ac *fundamentum* erat. Id enim verbis J. J. Leonis, Maimonidis, Kimchii, & R. *Bechai* §. 15. didicimus, id etiam innuitur ab auctore vetustissimi libri Zohar, in Ex. col. 398. qui cum prolixe lapidem hunc tanquam centrum terræ considerasset, a cujus medio omnia proveniant, inter alia scribit תמן קאים בית קדשי הקרשים וארון וכפורת, *Ibi etiam stetit sanctum sanctorum, Arca & Propitiatorium* &c. & deinde; *Cum arca venisset ad hoc punctum, incepit & dixit*: Hæc est requies mea in sæculum, hic habitabo, Ps. 134. 14. Et pervulgata ea est Rabbinorum traditio. Atque ita idem illi accidit, quod de אבן גדולה 1. Sam. VI. 14. 15. legimus, cui arca imponebatur, cum in agrum Bethsemitarum transportata erat. Quamquam enim interpretes plurimi ex illo loco probare voluerint, in eo tamquam altari sacrificia fuisse oblata, non tamen, si Samuelis verba consideraveris attentius, quidquam aliud inde elicueris, quam ubi illa limites agri Bethsemitarum adtigisset, tum quidem vaccas, quæ currum traxerant, ad modum holocaustorum Deo fuisse consecratas, at ipsam arcam lapidi illi grandiori fuisse impositam. *Præterea* non dubitamus, hunc lapidem divino vel præcepto vel promissione in hoc templi penetrali fuisse positum, ut quemadmodum reliqua omnia, quæ ibi erant altiora intuentes docerent, ita hic quoque eos in memoriam revocaret, & tanquam viva Imago ob oculos poneret *lapidem* illum *probationis*, *pretiosum*, *angularem*, *fundatum*, *fundantemque* in *Sione olim ponendum* juxta vaticinium D. Jesaiæ XXIX. 16. Sed de hac re capite tertio sigillatim agetur.

§. 22. Quum autem templum prius Salomonis a Babyloniorum Rege omnibus ejus ornamentis vel direptis vel exustis vastatum esset, & deinde rursus auspiciis principis Judæ Zerubbabelis exstrueretur, solus hic lapis denuo in pristino loco collocatus esse videtur. Neque id sine causa. *Primo* quidem, ut porro perpetuum quoddam esset monumentum illius loci, in quo olim insignis illa, totque mysteriorum dives *arca*, augustus ille divinæ majestatis thronus conspiciebatur, super quo ipsum Numen habitare veluti ac quiescere credebatur, ex quo oracula sua fundere solebat, & sic quasi digito monstrabat illum, ad quem precantes faciem suam tenebantur convertere. Sed & *secundo* loco, non minus ac in templo priori, insigne erat, & quod notandum probe, UNICUM venturi Messiæ, templi Domini Symbolum, ceu deinde ostendetur pluribus.

§. 23. Cum *porro* magno expiationis die Pontifex maximus Sanctum Sanctorum intraret, thuribulum, quod stante templo priori inter duos arcæ vectes collocare solebat, huic lapidi imponebat. Id edocti sumus verbis *Jomæ* & En *Jacobi*, quæ leguntur, Cap. 1. §. 8. Idem confirmat *Maimonides* hilcoth avodath jom haccippurim. Verba ejus ex versione Lud. de Compiegne de *Veil* exhibemus; *Introibat sacerdos summus in S. Sanctorum usque ad Arcam fœderis, quo cum venerat, deponebat thuribulum inter duos arcæ vectes, at in secundo templo, quoniam arca nulla erat, Pontifex thuribulum in lapide fundationis deponebat*. Id sua non caruisse significatione, postea videbitur.

CAPUT II.

Quod HISTORIAM *ac fata hujus lapidis sistit.*

SUMMARIUM.

Hunc Lapidem revera extitisse probatur §. 1. *Nititur traditione antiquissima* §. 2. *Occurritur objectioni de silentio Josephi & S. Scripturæ* §. 3. *Transitur ad indagationem originis hujus lapidis* §. 4. *Omnia, quæ in S. Sanctorum erant & typi* futurorum, *& monimenta* præteritorum *erant. Id probatur de* Virga *Aaronis* §. 5. *Tabulis legis, columna nubis, urna Mannæ* §. 6. *Arca fœderis* §. 7. *Inde probabile esse evincitur particulam petræ a Mose percussæ eos in usus fuisse adservatam ibidem, & eam esse ipsum* lapidem *nostrum* §. 8. *Probatur illud ex* 1. *Cor.* X. 4. *qui locus illustratur. Quid petra* ἀκολουθοῦσα §. 9, 10, 11. *Hinc dictus videtur* lapis שתיה, *i. e. potationis* §. 12. *Quid lapidi huic acciderit usque ad destructionem templi secundi* §. 13. *Et postea; Judæi ad eum quotannis conveniebant lugentes.* §. 14. *Sæculo septimo ab Omare inventus & in recens exstructum templum illatus* §. 15, 16, 17. *Fuit adhuc ibi cum a Christianis expugnaretur Hierosolyma, atque ab iis sollicite adservatus fuit* §. 18, 19, 20, 21. *Variæ variorum de eo narrationes sæculi XIV. XV.* §. 22. *& XVI.* §. 23. *Ex illis omnibus, quomodo se res cum hoc lapide in hunc usque diem habeat, concluditur, & etiamnum in rerum natura esse, probabiliter colligitur* §. 24, 25, 26, 27. *Distinguendus autem est ab alio insigni lapide, qui observatur a Turcis in templo Meccano* §. 28. *Ille ab Arabibus ab antiquissimis temporibus cultus &* Brachthan *dictus* §. 29. *Ejus varia fata* §. 30. *& cultus* §. 31. *Talem lapidem in omnibus Moschæis habent Turcæ* §. 32. *Lapidum cultus apud varias gentes:* Βαιτύλια. §. 33. 34.

§. I.

AT, inquies, frustra de rebus ad lapidem pertinentibus disputatum est hactenus, cum nondum evictum sit revera talem lapidem unquam exstitisse. Ego vero existimo, vix quenquam, qui præjudicatis opinionibus liberum habet animum, de eo dubitare posse. Vel si enim nihil de eo nobis tradidissent Judæorum magistri, facili tamen negotio de tali lapide cogitatio animum nostrum potuisset incedere; Cum non verosimile sit, tanti pretii, tantæ existimationis arcam talem, qualis erat, obducto ornatam auro, in ipso pavimento jacuisse. Quin illi lapidi, tanquam fundamento, fuisse impositam, ut certum haberet locum, a quo haud facile dimoveretur, quis non sibi persuadeat? Accedente præcipue unanimi Judaicæ gentis Scriptorum suffragio, quod eo nobis oportet majoris esse ponderis, &, quo minor nobis esse potest suspicio, eos nos voluisse fallere in re, qua nihil causæ illorum adcedit præsidii, &, quo majorem videatur mereri fidem, in rebus ad eorum cæremonias & templi cultum pertinentibus, quarum oculati fuere testes, quasque adeo omnium mortalium ignorare minime poterant.

§. 2. Neque hæc est traditio, heri aut nudius tertius in cerebro hominum vanorum nata, sed antiquissimis suffulta est auctoritatibus. Vidimus enim in libro זהר & פרקי R. Eliezeris, qui quidem paulo post eversum templum ante literis consignatum Talmudem conscripti creduntur, ejus fieri mentionem. Et quod magis est §. 17. Cap. prioris loca citavimus, ex Targum in Exodum & Ecclesiastem, qui non exiguo annorum ante ipsa nostri Servatoris tempora adeoque stante adhuc templo, spatio exaratus est, in quibus de hoc saxo disertus sermo occurrit. Quis autem in animum suum inducat credere, ejus scriptores de illo lapide disertam voluisse mentionem tum temporis, cum quomodo se res haberet, facili negotio poterat inquiri, injicere, si plane non exstitisset. Accedit, quod hujus lapidis apud ipsos scriptores gentiles occurrant vestigia. Quis enim audire potest, ea, quæ in dissert. de Ὀνολ. c. 1. §. 4. produximus ex Diodoro Siculo, de Antiocho Epiphane intrante sancta sanctorum, atque ibi inveniente λίθινον ἄγαλμα, *statuam* LAPIDEAM &c. qui non illico in mentem veniat hic LAPIS, præter quem ea tempestate nihil prorsus in adyto fuit? Ita ut non opus habuerit Petrus *Castus*, quem deinde plures secuti sunt, in libro alias haud inneliganti, quem inscripsit *typum Messiæ*, impresso Lugduni in Galliis a. 1554. hunc lapidem albis dentibus ridere.

§. 3.

§. 3. Unicum quod aliqua cum ſpecie nobis objici poteſt, eſt ſilentium & Joſephi, & divinorum ſcriptorum, qui de eo nihil prorſus memoriæ tradiderunt. At vero, qui in ſtudio hiſtoriæ & antiquitatis Judaicæ vel mediocriter verſati ſunt, neſcire nequeunt innumera occurrere in Judæorum rebus præcipue iis, quæ cultum divinum ac cæremonias ſpectant, de quibus & ſacræ tabulæ & Joſephus ne γρῦ quidem habent, quæ tamen a poſterioris ætatis ſcriptoribus memoriæ prodita, illam fidem merentur, ut non niſi perfricta fronte, negari queant. Joſephus fortaſſis ejus non meminit, quod ejus aperta mentio in Codice ſacro non occurreret, neque accurate poſſet deſcribi, cum nemini, niſi ſummo Pontifici ſemel quotannis pateret, & cum trium tantum digitorum menſura e terra promineret, non in omnium oculos confeſtim incurrebat. Quod autem divinarum literarum auctores attinet, illi, tametſi non data opera de illo egerunt, tam aperte tamen, tam ſæpe ad illum lapidem videntur alludere, ut multa loca occurrant, quæ vix niſi hoc admoto lapide tanquam face aliqua intelligi poſſunt, id quod ſingulari capite a nobis mox demonſtrabitur.

§. 4. Quod ſi autem hic tam illuſtris in penetrali ſanctiſſimo lapis fuit, operæ pretium eſt indagare, quando illi uſui primum adhibitus, deſtinatuſque fuit. Atque heic quidem fateor, neque ſacris, neque aliis ſcriptoribus nobis facem præferentibus nihil certi, nihil indubii adferre nos vel poſſe, vel velle. Solis hic agendum eſt conjecturis, neque aliter agi poteſt in rebus id genus, atque eæ ſufficiunt, donec afferantur meliores. Immo ipſas has trepidans literis conſigno, & nemini mortalium tanquam omnem dubitationem vel examen reſpuentes, velim obtrudi, haud ægrius eas derelicturus, quam ſponte ſua cogitanti in mentem venerunt, quam primum ea gravibus digniſque argumentis refutatas cognovero.

§. 5. Quando nimirum ſanctiſſimam tabernaculi Moſaici partem perluſtro propemodum omnia, quæ ex Juſſione divina in illa collocata fuere, *duplicem* potiſſimum uſum habuiſſe deprehendo. Neque enim duntaxat populo exhibebant typos & ſymbola illius, qui totius legis futurus erat finis, ac beneficiorum ab eo acquirendorum temporibus *futuris*, ſed & memoriam refricare debuerunt populo actorum *præteriti* temporis, inſigniumque illorum benefactorum, quibus eas immortale Numen, cum in deſerto vagarentur, mactaverat. Eodem plane modo, quo Paſchalis agni mactatio comeſtioque, non viva ſolum imago agni ἀμώμȣ ϗ ἀσπίλȣ portantis peccata mundi, pro nobis olim immolandi, ſed & perpetuum quoddam μνημόσυνον mirificæ illius ex ſervitute Ægyptiaca liberationis exſtitit. Irrumpamus in hoc inacceſſum alias adytum, & ſingula, quæ in eo fuerunt, curioſo oculo perluſtremus. *Virga Aaronis*, uti typus erat Jeſu Chriſti, virgæ e trunco ſucciſo Iſai oriundæ, exſcindendæ olim e terra viventium, at deinde per vim indiſſolubilis vitæ æternum refloreſcentis, ita eandem confirmati Sacerdotii Aaronis perinſigne illud miraculum aridæ virgæ una nocte autem germinantis, florentiſque præbuiſſe teſtimonium, quis ignorat? Immo ſi ſententia quam docti Interpretes Chriſtiani a Judæorum magiſtris didicerunt, qua illam Aaronis virgam eandem fuiſſe cum baculo Moſis, incluto illo tot ab illo patratorum miraculorum inſtrumento exiſtimarunt, vera atque indubia eſset, quis non animadvertit illum ἐν σκηνῇ δευτέρᾳ repoſitum, inſigne illorum omnium miraculorum fuiſſe monimentum?

§. 6. *Tabulæ* legis in arca reconditæ non ſolum adumbrabant arcæ fœderis antitypum legem divinam in medio ſui, i. e. in corde ſuo geſtaturum, ſed & legis divinæ in monte Sinai tota cum majeſtate latæ & deinde digito Dei tabulis inſculptæ lapideis æternum quoddam erant argumentum. Ita *columna* nubis, quæ arcæ & propitiatorio incumbebat, divinæ inhabitationis Symbolum, quemadmodum vivis coloribus τὸν λόγον adumbrabat in terris olim, tamquam in tabernaculo verſaturum, & in quo σωματικῶς πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος inhabitatura erat, ita pariter conſervandæ recordationis ergo illius nubis, quæ olim tranſeuntes per mare rnbrum Iſraelitas obumbraverat, totiuſque itineris per deſerta Arabiæ loca duxque comeſque fuerat, in penetrali viſam fuiſſe nullus dubito. Illud autem *vaſculum*, quod menſuram certam *Mannæ*, vel aliquid cœleſtis illius cibi, quo palantes Judæos cibaverat ſummum Numen, continebat, repoſitum ἐν ἁγίοις ἁγίων fuiſſe, non eo tantum fine, ut populo ad oculos poneret, Jeſum Chriſtum, ſpiritualem illam eſcam & panem e cœlo delapſum, id docentibus nos ipſo Apoſtolo 1. Cor. X. 3. & Servatore Joh. VI. 32. credimus, verum etiam id Deum potiſſimum voluiſſe, ut admirabilem illum cibum, quo tot annis populum in deſerto paverat, per ſecuturas omnes generationes iis in memoriam revocaret, de eo nemini dubitare vel licere, cum illud diſerte Ex. XVI. 32. inculcetur, exiſtimo.

§. 7. Quin & illustre illud Judaici cultus κειμήλιον, illam *fœderis* s. *testimonii arcam* huc quoque referendam putem. Sicut enim illud indubitatum est, eam una cum operculo suo pereximium & pene omnium præstantissimum fuisse Christi typum, quod vel ex loco Apoc. XI. 19. patet, ita pariter in *testimonium* debuit cedere illius *fœderis*, quod Deus per Mosen post promulgatam in monte Sinai legem cum populo solenni modo pepigit, quod Ex. XXIV. capite describitur. Illud utrumque nomen, cum arca & *Testimonii* & *fœderis* & absolute עדות i. e. testimonium vel עדות ישראל *testimonium Israelis* vocatur, videtur innuere. Notandum porro statim, postquam Moses historiam sanctionis illius fœderis exhibuerat, capite proximo sequi descriptionem accuratam hujus arcæ. Præterea haud parum fallor, aut sparsio sanguinis mactati juvenci, quæ a pontifice summo octies versus operculum arcæ die expiationis magno fiebat, inter mysteria alia debuit populo memoriam renovare solemnis illius ritus, quo Moses fœdus illud videtur confirmasse, cum sanguine juvencorum non altare solum, sed & populum adspergebat, qui sanguis inde dictus est sanguis *fœderis ;* Ex quibus patet, omnia, quæ in sacratissimo penetrali erant, non futurorum solum typos, sed & *præteritorum* fuisse monimenta beneficiorum J. Q. E. D.

§. 8. Quæ cum ita sint, quis idem de hoc lapide, arcæ fundamento, dici posse, & eundem quoque, sicut reliqua, & Christi typum, & alius cujusdam insignis *lapidis* μνημόσυνον fuisse dubitet? Et quidni vicissim ita argumentari liceat? Præcipuorum operum ac beneficiorum divinorum, quæ in deserto contigerunt, aliquod monimentum in S. sanctorum esse debuit, vix autem inter illa illustrius ac commemorabilius fuit, portentosa illa aquarum ex petra baculo Mosis percussa eductione, qua siti fere exstinctus populus recreatus est. Contigit illa bis, & cum Ægypti fines vix deseruissent, & cum terræ sanctæ fines attigissent. Rumor illius miraculi inter ipsos gentiles percrebuit, ut ex Tacito hist. L. V. c. 3. & Plut. L. IV. quæst. Conv. c. 5. in diss. de Ὀνολ. Jud. C. 1. §. 3. ostendi. Quin & hinc fabulas gentilium nonnullas ortas esse ad Callim. Jovem vers. 31. docuit Ill. Spanhemius. Sane non minus fuit illa mirifica populi sustentatione per Mannam. Hinc frequenter utrumque miraculum solet conjungi, ut ex Ps. LXXVIII. 20. 22. 23. 24. CV. 40. 41. & imprimis ex verbis Apostoli 1. Cor. X. 3. 4. patet. Immo ipsa rei natura utrumque & cibum & potum nexu indivulso copulat juxta Rabbinorum Proverbium: *Cibus sine* (Schutiah) *potu*, *est sicut vulnus sine emplastro*, vel ἡ ἐπιτροφὴ, ποτε μὴ παρόντος, οὐδέν ἐστι, ut Mosen loquentem introducit Josephus A. J. L. III. c. 1. Nihil igitur causæ video, cur Deus minorem curam habere potus, quam cibi mirabilis aut illius potius, quam hujus memoriam obliterari voluerit. Quin, veluti tempore novi fœderis Servator noster, plenam perfectamque, quam sui in illo repe-riunt, satietatem non potu minus, quam *cibo* adumbrare voluit, ita eandem temporibus prisci fœderis in adyto symbolis rerum, quibus non *fames* solum, sed & *sitis* levari solet, populo fuisse ob oculos positam mihi persuadeo. Parum itaque abest, quin adserere audeam sicut totalia, ita inprimis certam mensuram ejusdem Mannæ, quæ de cœlo deciderat, ad perpetuam rei memoriam in λαλητηκῳ adservari voluit Deus, ita eundem in usum partem aliquam illius petræ, cujus aquis sitis pereuntis fere populi restincta est, in eodem loco custodiri debuisse. Illam autem ipsum hunc lapidem fuisse, quem nunc volvimus, mihi valde fit verosimile.

§. 9. Atque hanc conjecturam animo meo injecit summus mysteriorum divinorum interpres D. *Paulus*, quando 1. Cor. X. 4. petram illam non πνευματικὴν solum, sed & ἀκολουθοῦσαν vocat. Prioris epitheti ratio plana est, ita scilicet dicitur ob πνευματικὴν δήλωσιν, quam secum conjunctam habuit. Quid autem altero sibi velit Apostolus, id vero inquiri meretur. Non moramur illos, qui hanc phrasin de Christo interpretati sunt, comitante Israelitas ubique in deserto. Illi enim ab ipso textu diserte refutantur. Sunt, qui putant petram illam, quam Moses in Raphidim percusserat; per XL. annos ad exemplum nubis, castra Israelitarum fuisse comitatam & continuo motu per montium aspera, per vallium depressa per avia locorum provolutam (er sey immer fortgerollet) donec in Kadesch venirent, ubi moriente sorore Mosis Maria exaruerit, donec alia percussa aquarum defectus resarciretur. Sequuntur in ea opinione vulgarem & antiquissimam Judæorum traditionem, quam Onkelosus ad Num. XXI. 18. 19. 20. Scholiasta Talmudis ad Mass. Taanith. cap. 1. fol. 9. col. 2. & vetus glossa Midhbar rabba fol. 275. & in Tanchuma sect. 1. col. 1. R. Bechai in thorah fol. 84. col. 4. & fol. 175. c. 1. aliique magno numero habent. Quod si hæc probari possent, fateor phrasin Paulo propriam & intellectu maxime facilem esse, sed nimis hæc fabulas Judaicas sapiunt, & sine expressa sa-

crarum literarum auctoritate portentosam ejusmodi rupis totius per saxa, per ignes provolutionem *credat Judæus Apella*, *non ego*.

§. 10. Majori se commendat specie aliorum opinio, qui phrasin illam intelligendam putant, de rivis aquarum e rupe prorumpentium, & per totum iter, *more ruentis aquæ*, Israelitarum agmen sequentium, ut nuspiam, quo loco etiam erant, iis aquæ deesse per XL. annorum spatium potuerint. Quam quidem sententiam verba Psalmi LXXVIII. 15. CV. 41. CXIV. 8. collatis Es. XXXV. 6. XLI. 18. XLIV. 3. videntur confirmare. Videntur, inquam, sicut enim docent *petræ aquatilem sequelam*, ut Tertull. verbis utar, quæ in Libro de *patientia* occurrunt, hoc est, fluenta aquarum ex rupe promanasse, ita rationes sunt, quæ faciunt, quo minus adstipulari iis possim, qui putant illos laticum rivos in torrido deserto ubique locorum per XL. annos castra palantis populi fuisse insecutos. Quod si enim ea ratione populo suo voluisset prospicere divinum numen, ne aquæ penuria laboraret, id dubio procul tum fecisset, cum primum ex Ægypto egressis e petra aquam suppeditaret secundum Ex. XVII. caput. Illi autem priori miraculo perpetua flumina non fuisse adnexa, vel ex ipsa altera historia, quæ Num. XX. recensetur, patet. Neque enim opus fuisset denuo modo tam mirabili ex arida rupe elicere aquas, si iis fuisset integrum sitim priori, *Ex petra salientis aquæ restinguere rivis*. Neque enim etiam post alterum miraculum perpetuos latices eos fuisse comitatos vel ex eo constat abunde, quod statim post levatam ex petra sitim Idumæis pretium pro aquis, quas ab illis desiderabant, obtulerint Num. XX. 19. Et quod rem plane conficit, capite sequenti audimus Israelitas de defectu & panis & aquæ miserabilem in modum querentes, quas quidem querelas horrenda illa ignitorum serpentum in populum immissorum pœna consecuta est, non nisi erectione ænei serpentis auferenda. Ex quibus petram ne quidem ratione aquarum castra sequentium τὴν ἀκολουθοῦσαν dici potuisse evincitur.

§. 11. Quæ itaque, inquis, ejus appellationis ratio est? Dicam. Cum lapis ex illa petra abscissus ad perpetuam rei memoriam in sacratissimo templi loco ad exemplum urnæ Mannæ reconditus substerneretur arcæ, & cum ea toto illo itinere, quod populus in deserto emensus est, circumferretur, vides, quam commode dici potuerit ἡ ἀκολουθοῦσα. Cumque ille præterea, sicut reliqua omnia, quæ in illo loco erant, elegans Christi & *spiritualium* beneficiorum ab eo promanantium esset emblema, πνευματικὴ sensu egregio dici potuit. Et nescio, anne huc referenda sint, quæ Josephus Ant. Jud. L. III. c. 1. sub finem habet de γραφῇ ἐν τῷ ἱερῷ ἀνακειμένῃ, *quæ de hac petra agat*. Cum enim non pateat, quænam scriptura in templo fuerit de illa petra reposita, cogitavi aliquando, anne hæc spectent ad lapidem, petræ illius monimentum, in templo repositum, cui nomen Dei inscriptum erat, de qua incerta quædam inaudiverat Josephus.

§. 12. Accedit denique *loco* tertio ipsum hujus lapidis *nomen*, אבן שתיה quod cum percommode, ut supra a nobis L. I. §. 12. demonstratum est, reddi possit Lapis bibitionis vel *potationis* vel *potus* (der Stein des Trinckens, vel der trinckende Stein) cui hoc audienti non illico in mentem venit petra illa Mosis, quæ siti fere pereunti Judæorum genti potum præbuit, & quis eamdem illam significantiori voce putet appellari posse, quam ut diceretur אבן שתיה, id est, *Lapis potationis*? Neque parum in ea conjectura confirmatus sum, cum deprehendi ipsam radicem שתה aliquoties in descriptione utraque historiæ, de petra Mosis adhiberi. Sic v. g. Capite Exodi XVII. legimus vers. 1. *Non erat aqua* לשתת *ut biberet populus*. vers. 2. *Et dixerunt, date nobis aquas* ונשתה *&* *bibemus*, & iterum vers. 6. *Et percuties petram, & egredientur ex ea aquæ* ושתה *& bibet populus*. Pariter Numerorum XX. vers. 5. *Cur nos adduxistis in hunc locum, ubi non sunt aquæ* לשתה, ad bibendum? vers. 11. *Et exierunt aquæ multæ* ותשת *& bibit cœtus & jumentum eorum*. Rursus C. XXXIII. vers. 14. *Et castra metabantur in Raphidim*, *neque ibi erat aqua* לשתת, *ut biberet populus*. Sic & interpres Syrus verba Apostoli 1. Cor. X. 4. ubi patres ex illa petra bibisse commemorat, vertens bis eadem hac voce utitur.

§. 13. Ex his omnibus, cum probabiliter saltim, neque enim quemquam in has cogitationes jurare postulo, colligi possit lapidem, cui arca in tabernaculo superimposita fuit, fuisse partem illius petræ a Mose percussæ, hinc facile colligi potest, quid cum ea fuerit actum, quænam præcipua ejus fuerint FATA. Scilicet, cum arca suo loco quiesceret, quievit super hoc lapide, hinc amota est, quoties iter suum prosequente populo humeris Sacerdotum gestanda erat, illi rursus imponenda, quoties loco suo restitueretur; Saxum hoc interea temporis eodem modo, quo reliqua, quæ ad tabernaculum, ejusque utensilia spectabant, solebant a gente Judaica transvehi.

vehi. Et ubicumque etiam locorum arca translata esset, sollicite custodiri potuit, donec illa primum a Davide in urbem a se dictam, & deinde a Salomone in templum ipsum traduceretur, quo tempore huic lapidi rursus imposita in illo quievit usque ad tempora eversionis templi per Babylonios, eamque secutæ captivitatis populi. Tum autem, cum templum illud a Salomone Rege exstructum a Nebucadnezare feralibus flammis deletum, omniaque ejus ingentis pretii vasa una cum arca vel igne consumta, vel in crypta quadam abscondita vel direpta, atque abducta essent, solus hic lapis videtur remansisse, vel quod nimis alte solo ac fundamento templi inhæreret, quam ut tam facili opera posset inde tolli, vel quod ejus major pretio moles eum a rapacibus militum manibus tutum salvumque præstiterit. Quum vero eopse in loco post annorum LXX. spatium, templum Zerubbabelis, principis Judæi cura, jussuque Persarum Regis Darii restauraretur, neque adhuc ejus memoria hominum animis exciderat, e ruderibus suis, quibus sepultus erat, effossus, suo loco restitutus, & sollicite admodum non sine summa æstimatione eos in usus, quos C. I. §. 22. 23. adduximus, conservatus fuisse videtur.

§. 14. Quum vero fatali illo excidio urbs Hierosolyma, ejusque præcipuum decus templum auspiciis Titi Vespasiani Imp. ferro ac igni septuagesimo æræ Christianæ anno funditus deleretur, lapis ille, qui neque flammis consumi, neque facile loco suo dimoveri poterat, neque a Romanis militibus dignoscebatur, inter cineres & ruinas aliquandiu delituit, eundem autem deinceps a Judæis inter sanctissimæ ædis rudera investigatum, repertum, notatum, & tanquam unicum sacrarii sacratissimi λείψανον magna sollicitudine pariter ac veneratione adservatum fuisse crediderim. Neque eum alium puto ab illo, de quo commemorabilis locus exstat in Itinerario Burdigalensi, sive Hierosolymitano, quod circa ætatem Constantini M. ejusque filiorum scriptum creditur, & a Petro *Pithœo* in membranis repertum ab Andrea *Schotto* ejus rarissimæ editioni itinerarii, ut vocant, Antonini, commentario Hieronymi *Suritæ* illustratæ adjectum est. Verba, quæ ibi p. 152. occurrunt, hæc sunt; *Ibi* (nempe Hierosolymæ) est *lapis angularis magnus*, de quo dictum est, *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes*. Et deinceps: *sunt ibi & duæ statuæ Hadriani. Est & non longe de statuis lapis pertusus, ad quem veniunt Judæi singulis annis & ungunt eum, & lamentant cum gemitu, & vestimenta sua scindunt, & sic recedunt*. Nisi fallor, *lapis angularis, & lapis pertusus*, quos autor hic videtur distinguere, non a se invicem distinguendi sunt, cum, ut postea videbitur, quando lapidis angularis in sacris fit mentio ad lapidem nostrum sanctuarii videatur respici. Quod autem ille *pertusus* dicatur, non video, quid secundum barbarum auctoris hujus stylum denotare possit aliud, quam cælatarum quatuor illarum literarum, quæ illi insculptæ fuerunt. Nisi illud mecum mavelis de foraminibus illis interpretari, quæ in illa rupe, tanquam totidem fontes, conspecta fuere, postquam illa baculo Mosis percussa fuerat. Confer deinceps Cap. IV. §. 19. Id saltim inde tuto colligas, Lapidem quendam admodum Judæis notabilem, venerabilemque Hierosolymis, tum temporis fuisse adservatum apud quem tanquam unicum templi λείψανον, cum ex Oraculo Servatoris ne lapis quidem super lapidem debuit manere, quotannis illætabilem ruinæ urbis ac templi memoriam, planctibus & gemitu renovare solebant. Liceat hæc addere, quæ vir Cl. P. Pithœus præfatione illius libelli inseruit. *Ne quis, quæ hic noster de angulari lapide, & aliis quibusdam urbis monumentis fert inter recentiorum commenta numerare ausit, visum est monere eadem fere non in Lyrani modo glossis & Petri nostratis historia scholastica legi, sed & inter titulos historiarum, qui antiquissimis codicibus Aurelii Prudentii libris peristephanon subjiciuntur*. Moneo tantum, apud alios ritum illum quo quotannis templi ruinam lugebant Judæi frequentem commemorari, licet illius lapidis non diserta fiat mentio. Vide *Tertull.* contra Jud. c. 15. & in Apol. c. 16. Euf. in Chron. ad a. XVIII. Hadriani, & inprimis Hieronymum in C. II. Sophoniæ & Greg. Nazianz. Or. XII. quorum verba exhibentur ab eruditissimo *Lestonio* Var. S. p. 568. sqq.

§. 15. Quanquam autem deinde per aliquot secula ejus, quod sciam, non fiat mentio, vel quod a Judæis Hierosolyma expulsis negligeretur, vel quod nulli nobis scriptores supersint, quibus accuratius res urbis illius ætatis describere occasio oblata fuerit, seculo tamen septimo memoria ejus recruduit. Cum enim Omar, filius Alchittabi tertius Saracenorum Calipha, & Mahumedis errorum æque ac imperii successor anno Domini 636. Hierosolymam post biennii obsidionem occupasset, diligenti sciscitatione investigavit locum, in quo quondam augustissimum a Tito dirutum templum steterat. Tum ei a Sophronio, urbis ea tempestate Patriarcha [qui eo lu-

eo lubentius videtur urbis victori in eo morem gessisse, ut illam a direptione militum sartam tectamque conservaret] ostensus est locus, ad latus lapidis, super quem olim Jacobus Patriarcha dormiens caput reclinaverat, cum scalam illam, quæ cœlum attingebat vertice, conspiciebat, atque eo in loco Omarus deinde fanum exstruxit, suæque id est Mohamedicæ superstitioni dicavit, quod sive mirificam adhibitam artem, sive immensum materiæ pretium sive magnam possessionum copiam, quibus illud ditavit, consideres, nulli templorum habuit cedere. Tanta sane in veneratione Turcis ad hoc usque tempus fuit, ut nemini mortalium, præter suorum sacris initiatis, sub pœna capitis introire fas sit, neque ipsi illud, nisi lotis nudisque pedibus subeant, visitandi autem illud causa peregrinationes religiosas instituant, & proximum a templis Meccano & Medinensi, quibus nullum iis alias sanctius religiosiusque est, locum adsignent.

§. 16. Historiam illam debemus optimæ notæ scriptori Georgio Elmacino, cujus verba, quæ in ejus *historia Saracenica*, L. 1. c. 3. p. m. 28. leguntur, prout illa ex Arabico Sermone latina fecit *Erpenius*, adducemus. *Hinc dixit Patriarchæ: Indica mihi locum, in quo exstruam delubrum; Unde Patriarcha ei dixit de Lapide*, ad quem locutus erat Deus cum Jacobo. *Ut autem Omar ad eum venit, invenit super eo sordes multas, deque iis in vestes suas accepit, cumque Muslimi viderent Omarem ferre sordes, non distulit quisquam eorum sordes quoque auferre, unde mundatus illico lapis est, jussitque Omar, ut delubrum illic ædificaretur ad extremum ejus*. Perperam postrema hæc verba videntur intellecta esse, cum indicant *templum posterius*, seu Hierosolymitanum, quod posterius templum dici ita solet, in oppositione templi Meccani, quod vocant Mesged ad Haram, i. e. Templum *sanctissimum*, ita ut non vertendum sit, *ut ædificaretur delubrum ad extremum ejus Lapidis. Sed ut ædificaretur, ædes* i. e. *templum posterius*. Videmus interea ex his verbis *Lapidem quendam* insignioris notæ inter rudera templi delituisse, eum neglectum quidem fuisse, cum pulvere ac situ esset obsitus, attamen a primariæ dignitatis Viro urbis Episcopo probe fuisse notatum & agnitum, non minimæ fuisse magnitudinis, utpote cujus sordes, quibus conspersus erat, non ab uno aliquo potuerit abstergi, sed ab integra multitudine debuere vestimentis suis auferri, jacuisse eum in loco templi veteris ἰδιωτάτῳ a quo scilicet verus templi situs potuerit accurate cognosci, i. e. in ejus penetrali SS. sanctorum, eum denique fuisse eundem, qui putabatur Patriarchæ Jacobo cervicalis loco in itinere serviisse, hunc autem cum constans Judæorum traditio ferat, eundem fuisse cum illo Lapide *fundationis*, qui olim fœderis arcam gestavit, ut capite videbitur sequenti, quis non animadvertit de *hoc* sermonem esse, eumque per aliquot secula inter reliqua templi rudera absconditum, attamen a nonnullis, quorum intererat distincte notatum, agnitum & hac occasione rursus in lucem publicam protractum esse?

§. 17. Ipsa illa historia eo minus in dubium revocari potest, quo clarius ab homine gravissimo, & Christianorum partibus addicto ipso illo fere tempore memoriæ prodita, atque ab aliis etiam literis consignata fuit. Habet eam, licet exserta lapidis hujus non mentio fiat, R. *Petachias*, Judæus, qui sæculo XII. orientales plagas peragravit, cujusque hodœporicon a Celeberrimi nominis JCto, J. Chr. *VVagenseilio* editum in ejus exercitationibus, quæ Altdorfii a. 1687. prodiere, septimum locum nactum fuit, ubi de Hierosolyma agens, ita, prout verba ab ejus Cl. Editore ex Hebraico conversa sunt, scribit p. 19. Est hic *Templum perpulchrum, quod Ismaelitæ condiderunt, cum Hierosolymis rerum potirentur. Ceterum audierunt Regem Israelitarum, Sycophantæ quidam, dolose nunciantes esse inter ipsos senem quendam, cui perspectus sit locus, ubi quondam templi adyta cum atriis fuerint, atque hunc tamdiu ursit Rex, donec rem aperuit, rex vero amore prosequebatur Judæos, atque ajebat, exstruam ibi templum, neque ullis præter Judæos in eo orare fas erit*. Cum his conferenda sunt, quæ habet *VVilhelmus* Archiepiscopus Tyrius in Historia Hierosl. L. I. c. 2. *Dum in eadem civitate* (Hierosolyma) *princeps supra nominatus moram faceret, cœpit diligenter a civibus percontari, & maxime a Viro venerabili Sophronio, ejusdem loci Episcopo, ubinam esset locus, in quo templum Domini fuerat, quod a Tito cum urbe dirutum fuisse legitur, qui ostendentes ei locum designaverunt, aliqua veteris operis exstantia vestigia demonstrantes, ubi sumtibus, qui sufficere possent ad impensam designatis, templum ædificari præcepit*. Quis non videt hanc narrationem cum illa Elmacini belle convenire? nostrum autem, quod hic *lapidem* vocaverat Jacobi sordibus suis ac ruinis sepultum, generalius & circumspectius appellare *vetusti operis exstantia vestigia*. Et nescio, anne eundem indigitaverit per *ruinarum reliquias Adamannus* Scoto-Hibernus, qui eodem hoc seculo (mortuus enim est a. 704. æt. 74.) vixit,

vixit, cujusque tres de *Locis terræ sanctæ* Libros Jac. *Gretserus* (non ut Cavius habet *Serarius*) a. *1619.* in 4. Ingolstadii vulgaverat, quos ex ore *Arculphi* Episc. Galliarum, qui ipsa illa loca curioso oculo perlustraverat, excerpsit. Ipsa verba, cum liber non in omnium manibus versetur, primique Saracenici templi descriptionem habeat, adscribam. Ita ille L. I. c. 1. *Ceterum in illo famoso loco, ubi quondam templum magnifice constructum fuerat, in vicinia ab oriente locatum, nunc Saraceni quadrangulam orationis domum, quam sub rectis tabulis & magnis trabibus super quasdam* ruinarum reliquias, *construentes vili fabricati sunt opere, frequentant. Quæ utique domus* 3000. *hominum capere potest*. Cum his porro conferri debent, quæ habet Cedrenus ad a. *640.* editionis regiæ p. *426.* & 431. Profecto illum lapidem præcipuo in honore fuisse habitum ac perinsigne creditum templi illius ornamentum, vel inde patet, quod toti hoc magnifico templo dederit nomen, sicut fere in omnibus itinerariis video vocari ædem *sancti saxi* vel Petræ (den Tempel zum heiligen Felsen oder Stein) & Mohammedani in hunc usque diem vocant Cobbat Al. Sakhra *ædem lapidis*.

§. 18. Eum saltim integrum illibatumque in celebri illo fano a Saracenis custoditum fuisse, donec Hierosolyma post annos CCCCLXIII. sub auspiciis Gothofredi Bullionæi in Christianorum redigeretur potestatem, ex eo patet, quod a plerisque, qui cruciatarum expeditionum, quarum oculati testes fuerant, historiam descripserunt, ejus fecerint mentionem. Non pigebit testimonia aliquot ipsis Auctorum verbis exhibere, idque eo lubentius, quod quasi e nube densa emicare veritatis scintillas, & memorabiles de rebus, quæ olim in penetrali sanctissimo fuerunt, traditiones, quas quis ibi difficulter quæsivisset, inveniemus. *Albertus* Aquensis ecclesiæ custos in Hierosol. Chronico [quod primum a Reinero *Reineccio* Helmst. 1584. in 4. vulgatum & deinde a Jac. *Bongarsio* scriptoribus *gestorum Dei per Francos* insertum est] L. VI. c. 24. *In medio hoc moderno tabernaculo* [agit de templo Turcarum, quod tum locum templi Salomonis occupabat] *mons lapideus, natura fundatus prominet, fere in latitudinem continens tertiam partem jugeri, in altitudine habens duos cubitos. Cujus in uno latere gradus collocati, ad cava loca descendentes perducunt, alio vero in latere, ut in veritate referunt, qui tunc consideraverunt, ostiolum habet lapideum, sed semper signatum. Illic ex quorundam opinione quædam sancti sanctorum adhuc servari perhibentur. In media siquidem testudine ejusdem templi moderni rotundam catenam infixam esse asseveravit, in qua vas aurei fulgoris & operis ponderis vero CC. marcarum pendere semper solet. Quod urnam auream alii affirmant, alii sanguinem Domini, alii manna in eo absconditum. Hoc itaque vas & promunctorium* (intelligit lapidem illum e terra prominentem) *quod in medio templi prominere diximus, intactum a Tanckredo permansit, quin Turci omni devotione utrumque venerantes, inviolatum reservabant. Fulcherius* Carnutensis, cujus *gesta peregrinantium Francorum* in eodem *Bongarsio* leguntur c. XVIII. hæc habet. *Est in ea urbe Templum Domini eodem in loco, quo Salomon alterum prius instituit. In ejus medio est rupes nativa & ingens, de qua deturbatur satis & impeditur ipsum templum; sed nescio, quare ab æterno permittitur locum occupare, quin prorsus exciditur; sed dicunt illum esse locum, ubi stetit Angelus percutiens*, (2. Sam. XXIV.) *Ajuntque in ipsa rupe arcam fœderis Domini esse, cum virga & tabulis testamenti bene sigillatam, eo quod Josias Rex poni jussit eam in sanctuario templi. Prævidebat enim futuram captivitatem . . . . . Non valeo, nec audeo recitare res tam sanctissimas, quæ inibi habentur, nec in aliquo auditores falsam* [hic apertum mendum est & pro *nec* ne, & pro *falsam* fallam est legendum] *sed secundum dicta quorundam, in honorem & amorem Dei, hæc tantilla in memoriam collegi*.

§. 19. His fere gemina sunt, quæ apud anonymum quendam, qui *gesta Francorum expugnantium Hierusalem*, quæ pariter in Bongarsii collectione occurrunt, leguntur c. XXIV. *Intra ejus urbis ambitum templum Domini est celeberrimum, miro opere fabricatum —— Ibi etiam lapis ille super quem Angelus restitit, adhuc impolitus, in medio templo eminet. Fuit* & IN HOC LOCO *propitiatorium aureum, & arca testamenti, & virga Aaron, & manna & cetera, quæ dicebantur sancta sanctorum. Ibique fuerunt usque ad tempus Josiæ Regis Judæ. Sed post Jeremias arcam in Arabia versus montem Sinai occultasse fertur, ubi in hodiernum diem adhuc mons fumigans & caligine obductus locum volentes adire & obscuritate & caloris æstu repellit, nec ad montem usque licet accedere. Arca ergo in Templo nunc non est, sicut a quibusdam creditur*. Notari non minus meretur testimonium, quod de eo habet Wilhelmus Tyrius in hist. Hierosl. L. VIII. c. 3. *Intus in medio templi, infra interiorum columnarum ordinem, rupes est aliquantulum eminentior, cum subjecta ex eodem*

dem saxo spelunca, supra quam sedisse Angelus dicitur, qui propter dinumerationem populi a Davide factam percussit populum. Hæc autem ante nostrorum introitum & postmodum annis quindecim nuda patuit & aperta, postea vero, qui eidem præfuerunt loco, albo eum cooperientes marmore, altare desuper & Chorum, in quo clerus divina celebrat, construxerunt. Nec prætereundus Jacobus de *Vitriaco*, Episcopus Acconensis, cujus *historia Hierosolymitana* Bongarsianis quoque inserta est. In illo libro cap. 63. hæc habentur. *In templo Domini, quod decenter & magnifice miro & subtili artificio est reparatum, in hoc loco supra rupem, quæ adhuc in eodem templo consistit, dicitur stetisse & apparuisse Davidi exterminator angelus. Unde Saraceni Templum Dominicam usque hodie* rupem *appellant. In prædicta autem rupe creditur a quibusdam arcam Domini usque hodie fuisse reclusam, eo quod Josias ipsam in sanctuario Templi includi præceperit, & abscondi &c.*

§. 20. Porro hunc lapidem eo in loco remansisse, dum Templum illud in potestate fuit Christianorum, ex insigni loco, qui occurit in Johannis *Phocæ* descriptione Palæstinæ, quam Græce & latine Allatius συμμίκτοις suis immiscuit, patet. Loca illa sancta visitaverat anno MCLXXXV. hoc est biennio ante Hierosolymam a Saladino, Ægypti & Syriæ Soldano occupatam, quod nimirum contigit postr. Cal. Octobris anni MCLXXXVII. Hegiræ 58. Is itaque urbem descripturus inter alia §. 14. hæc habet: Περὶ δὲ τὸ ἀνατολικώτερον μέρος τῆς πόλεως ὑπάρχει ὁ ναὸς, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἐν τῷ ἀρχαίῳ δαπέδῳ τοῦ περιωνύμου ναοῦ ἐκείνου τοῦ Σολόμωντος θεωρούμενος, Εἰσὶν οὖν περὶ τὰ εὐώνυμα μέρη τοῦ ναοῦ καμάραι δύο, ἐφ᾽ αἷς ἱστορῆνται, ἐν μὲν τῇ μιᾷ ἡ ὑπαντησις τοῦ δεσπότου χριστοῦ, ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ, ἣ ὁ Ἰακὼβ εἶδε θαυμαστὴν κλίμακα καὶ ὁ λίθος ὑποκάτω τῆς ἱστορηθείσης κλίμακος αὐτὸς ἐκεῖνος ὁρᾶται, ὃ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τιθεὶς Ἰακώβ. *Ad orientaliorem partem urbis est templum sancta sanctorum, & in veteri pavimento incluti illius templi Salomonis conspicitur. Ad sinistrum latus templi sunt fornices binæ, in quibus depicta sunt, in una quidem occursus Domini Jesu Christi, in altera autem scala mirifica, quam Jacobus olim vidit, & sub hac scalæ illius pictura conspicitur, idem ILLE LAPIS, quem olim in somnio viderat Jacobus.*

§. 21. Parum abest, quin credam hunc lapidem a Christianis loco Altaris fuisse adhibitum, in quo sacramentum offerrent Corporis & sanguinis Dominici. Videor id mihi colligere posse ex iis, quæ *Herbelotius* in Bibl. Orientali, utilissimo sane libro, si auctor auctores, ex quibus sua deprompsit, accuratius adduxisset, ex Cadhi Gemaleddin filio Vassel p. 269. refert, qui sc. viderit, cum in Ægyptum profecturus transiret Hierosolymam, sacerdotes Christianos calices vitreos plenos vino portasse super lapidem hunc Jacobi, quod, si non ad usum S. Eucharistæ referas, quo referendum sit, non video. Interea etiam temporis cum reliquiarum cultus valde increbesceret, frustula ejus lapidis aliquando fuisse abscissa, & inter sanctas reliquias adservata, colligo, ex *Guntheri* Hist. Constantin. quæ circa a. D. 1103. conscripta, & T. V. Ant. Lect. Henr. *Canisii* inserta est, qui inter reliquias a Martino Abbate Constantinopoli ad Parisios translatas recenset aliquid de Lapide, super quem *Christus in templum est præsentatus, & super quo Jacob obdormivit.*

§. 22. Neque nobis singulorum fere sæculorum testimonia desunt, quæ illum lapidem ibi adfuisse, evincunt. Commemorabilia valde sunt, quæ in descriptione Itineris sui in Persiam, Indiam, & terram sanctam, quod fecerat, circa annum 1322. Johannes de *Montevilla*, Eques Anglus cujusque historiam ipse Latine & Gallice composuerat, leguntur. Dabimus ea latine, ex editione Germanica, quæ nunc solum nobis ad manus est. Cum latius illud templum, de quo agimus, descripserat, ita pergit: *Ab altera parte templi occurrit rupes, quæ vocatur Monach sive Bethel.* SUPER HAC RUPE *consistebat olim* ARCA *Domini, in qua Judæorum sancta erant. In hac petra dormiebat Jacobus, in illa David vidit Angelum percussorem, in illa Judæi lapidare volebant Christum, qui se in ea occultabat. In illa abscondidit Deus Patrem Johannis, eique nuntiabat nasciturum Johannem. In illa Melchisedek obtulit panem & vinum, ad testimonium s. sacramenti in officio Missæ.* Non longe ab his discedunt, quæ Johannes *Tucherus* Noribergensis, qui circa a. 1479. & 1480. loca sancta lustravit, in Itinerario adnotavit. Dabimus ea verbis latinis, prouti ex editione Germanica, quæ *collectioni Itinerariorum in terram sanctam*, quam Franc. Nicolaus *Rothius*, civis Francofurtensis ad Mœnum in patria sua a. 1609. duobus Voll. in folio, ut vocant, publici Juris fecit, inserta est, vertimus. Postquam de templo illo Domini seu Salomonis locutus erat, ita pergit: *Vocant illud templum Saraceni sanctam petram s. lapidem, & non templum Domini. Quia scilicet ibi est exigua quædam petra cancellis suis inclusa, ad quam nemini vel Mahumedanorum (quemadmodum professo ex ore Christianorum, qui superstitioni Turcicæ nomen suum*

dederant, audivi) licet accedere & e longinquis terris ad illam convolant adoratum, quia credunt super ea Deum multa miracula fecisse. Hæc enim illa lapis est, super quo obtulit Melchisedecus, in quo dormivit Jacobus. In illo vidit David angelum exterminatorem, super illa sacerdotes sacrificia sua posuerunt, quæ ignis consumebat. In illo Jeremias arcam mirabiliter abscondidit. Super illo Christus oblatus est Simeoni, & duodecennis cum Judæis disputavit, & sæpius docuit & concionatus est. Videtur hæc fere ad verbum descripsisse ex Itinerario *Rudolphi*, Sacerdotis primarii Ecclesiæ *Suchemensis* in Westphalia, qui ab anno 1336. ad a. 1350. adeoque per quatuordecim annos in Palæstina versatus est, quod Latine ab eo scriptum in eadem συλλογῇ Rothiana Germanice exstat, ubi v. T. I. p. 843. Conferri cum his merentur, quæ in Itinerario suo ad terram S. habet Gul. de *Baldonsel*, eques auratus, quod ab eo a. D. 1336. conscriptum, suarum antiq. Lect. T. V. inseruit Henr. *Canisius* Capite 6. Neque ab his abludit, hodœporicon *Johannis* Comitis Solmensis, & Muntzenbergensis, quod ab ejus itineris, quod anno 1483. factum est, comite Bernhardo *Breitenbachio*, Ecclesiæ Cathedralis Moguntinensis Decano literis consignatum, & pariter collectioni illi Francofurtensi insertum est. V. eam T. I. T. 112. Præterea huc referendum est, quod in descriptione itineris, quod Alexander, Dux Palatinus Rheni circa a. 1495. confecit, & quidem in eodem fasciculo itinerariorum p. 73. legimus. *Intravimus templum Salomonis per portam auream, ibique vidimus lapidem ingentem, qui nimis magnus vel nimis parvus erat, ut in structuram templi nunquam potuerit adhiberi, & ille lapis is est, de quo Psalmista canit :* Lapidem, quem reprobaverunt.

§. 23. Quod medium sæculi sequentis attinet R. *Uri* filius Simeonis, Beelensis, cujus יחוס האבות i.e. Genealogia Patriarcharum, quam ex epistola quadam a. 297. i. e. Christi 1537. exarata se a. 324. i. e. 1564. conscripsisse commemorat (confer. Cl. Wolfii Bibl. Rabb. p. 133.) a summo Viro J. H. *Hottingero* in *cippis Hebraicis* edita & versione, notisque illustrata huic lapidi nostro egregium præbet testimonium, cui eo tutius adhiberi potest fides, quod ipse, cum librum scriberet, in urbe degeret Hierosolyma omniumque se accuratum αὐτόπτην fuisse testetur. Verba ejus citatæ editionis p. 20. hæc sunt : בבית המקדש שתי כפות גדולות מכוסות מבחוץ בעופרת ובפני רצופות בקצת זהב ואבנים טובות הגדלה שבהם היא קובת העזרה והוא מקום קדש הקדשים ובתוכה אבן שתיה ; Quæ ita laudatissimus vir transtulit : *Sunt in æde sacra duo magni fornices, forinsecus plumbo obducti, intrinsecus vero strati ex parte auro & lapidibus pretiosis, quorum maximus est in tentorio, & hic locus est sanctum sanctorum, in cujus medio* Lapis Fundationis *ostenditur.* Adferrem denique huc verba Johannis *Cotovici*, Ultrajectini, cujus itinerarium Hierosolymitanum & Syriacum sic satis accurate & eleganter scriptum, Antuerpiæ a. 1609. in 4. editum, nisi ea, quæ ibi cap. 12. leguntur, eadem fere cum iis essent, quæ jam ex Wilhelmo Tyrio §. 38. produximus.

§. 24. In his tot diversis relationibus vera falsis, dubia certis permixta esse animadvertimus. Neque in traditionibus id genus aliter fieri poterat. Posteaquam enim Judæi urbe ac templo suo expulsi fuere, cum iis lapis hic eorum manibus ereptus in potestatem cessit gentium alienarum, quæ sive inter Christianos sive Mohammedanos nomen suum profiterentur, vix a barbariei nota absolvi, cum in crassa rerum, præcipue Judaicarum, ad eorum sacrum cultum spectantium ignorantia versabantur, poterant. Et si vel breve aliquod temporis spatium rerum circumstantias minuendo addendove mirum in modum commutare potest, quid non de hac re exspectabis, quæ per tot annorum duravit centenarios? Accedit, quod a Mahumedanis ea religione ejus templi aditus custodiatur, ut nemini prorsus mortalium, nisi Muhammedano, illud intrare liceat, quisquis autem illud fecerit, sive Judæus sive Christianus fuit, illud haud aliter quam vel religionis solemni abjuratione vel ultricibus flammis expiari possit, unde quæ de hoc lapide narrantur, ex incertis tantum rumoribus Turcarum hausta sunt. Immo ipsi, quod mirere, qui tempore captæ a Christianis Hierosolymæ eam urbem descripsere, aliorum relationibus, quam suis oculis credidere, quod vel eorum verbis haud obscure colligi potest. Unde non displicet ingenuitas Bartholomæi de *Saligniaco* equitis Galli, cujus itinerarium terræ sanctæ Magdeburgi a. 1593. *Reineccius* in 4. edidit, eleganter sane pro ratione ætatis, in qua vixit, scriptum. Cum enim L. VIII. c. 8. ædem Salomonis descripserat, ita pergit : *Porro curiosius hoc templum describere non magni retulerit, tum quod nos Christiani interiora ejus videre probibemur, tum quod spurcitia ritus Mahumetici tantum sordet, ut omnis ejus gloria offuscetur.*

§. 25. Fabulas sane aniles sapiunt, quæ de lapide, cui offerens Melchisedekus,

Chri-

Christusve cum Doctoribus disputans, vel Angelus percussor, aut Zacharias pater Johannis institerit, de petra, in qua Christus absconditus fuerit, narrata audivimus. Neque fidem merentur, quæ *Albertus* Aquensis de magnitudine lapidis, quasi tertiam æquaret jugeri partem, qualis sane in templo vel Salomonis vel Zerubbabelis esse non potuit, scripsit, refutatus diserte verbis *Tucheri*, qui *petram vocat exiguam*, Wilhelmi Tyrii, cui *rupes* dicitur *paulo eminentior*, itinerario Palatini ducis, qui eum vel *nimis atque magnum ac nimis parvum vocat, quam ut in exstruendo templo potuerit adhiberi*, i. e. mediocrem descripsit. Quæ autem a nonnullis commemorata audivimus de spelunca sub & in lapide gradibus instructa, & sigillo munita, in qua sacra vasa templi abscondita adserventur, ea ejus sunt generis, ut cum recenseantur, refutentur simul. Quis enim sibi persuadeat, Christianos, qui tum temporis rerum potiebantur Hierosolymæ, tam rerum curiosissimarum fuisse incuriosos, ut non sigillo detracto, ostiolum aperirent, per cava loca in rupem intrarent, investigarent omnia accurate, ut ea viderent remoto velo, quæ κειμήλια Judaicæ religionis sanctissima olim habita ab omnium prospectu remota erant, quæ deinde a Judæis in templo secundo per quatuordecim fere sæcula nequidquam desiderata, studioque enixissimo quæsita fuerant?

§. 26. Emicant tamen undiquaque, ex his relationibus, tanquam ex nebulis sublustres certarum veritatum radii. Omnes enim tot diversarum, ætatum, locorum, fideique professionum homines in eo quasi conspiratione quadam facta conveniunt, LAPIDEM aliquem insignem ac certum per omnia pene sæcula, quod concatenata quadam serie demonstratum est in templo, ejusque penetrali fuisse observatum atque ostensum. Illum fuisse lapidem τὸν אבן שתיה, quem tractamus, non uno argumento patet. Diserte ita vocatur a R. Uri Ben Simeon, ab aliis, cur non idem factum sit, causa in promptu est, quod Hebraicæ linguæ ignari, hanc vocem non intelligerent. Fuisse lapidem, in quo inclusa fuerit arca, Fulcherium Carnutensem, Albertum Aquensem, Jacobum de Vitriaco testantes audivimus. Id ita intelligendum, quod ei imposita arca esset, ex collatione Anonymi scriptoris de eodem Argumento, & verbis Montevillæi patet; SUPER HAC RUPE *consistebat olim ARCA Domini*. Præterea, cum Wilh. Tyrius marmore obductum fuisse dicat, non abludit ab eo lapide, quem *marmoreum* fuisse C. I. §. 14. ostensum est. Cum vero plerique ut Georgius Elmacinus, Phocas, Montevillæus, Tucherus & alii eum dicant, esse Jacobi lapidem, quis non videt illud ex illa manasse Judæorum traditione, qua lapidem illum satieh eundem fuisse cum illo lapideo cervicali Patriarchæ existimarunt, ut mox evictum dabitur. Porro cum Itinerarium Burdigalense, ut & Alexandri ducis Palatini ei applicent verba Psalmi CXVIII. de lapide illo *angulari*, egregie confirmamur in conjectura illa, quam deinde producemus, quod in verbis Psalmi aperta fiat ad nostrum lapidem allusio. Et cum audiamus describi ut petram, eamque naturalem, & impolitam, non parum verosimilitudinis suspicioni nostræ accessit, quasi pars fuerit *petræ* illius a Mose percussæ.

§. 27. Faciamus nunc ex his omnibus dictorum summam. Valde verosimile est lapidem illum שתיה, cui olim innixa erat arca, etiamnum in illo templo, quod Turcæ Hierosolymis eodem in loco, ubi olim inclutum illud Numinis divini templum fuit exstructum, possident, reperiri, & quidem *intra interiorem columnarum ordinem, ad latus sinistrum in fornice, ubi depicta est Historia visæ a Jacobo cœlestis scalæ, esse autem marmoreum, neque ubique exasciatum, infixum terræ, ita tantum, ut aliquantum promineat*. Non me in his colligendis operam meam abusum fuisse existimabo, si hæc aliquando idoneum hominem hæc loca sancta inposterum peragraturum, excitabunt, ut si non ipsemet, quod impetratum iri vix sperari potest, rem investigare possit, tamen per hominem superstitioni Mohammedicæ addictum sollicite, & quanta fieri potest, cum cura atque ἀκριβείᾳ inquiri faciat, qualis ille sit lapis, unde venerit, quæ sit ejus magnitudo, situs, figura, usus, quæ de eo circumferantur traditiones, & reliqua, quæ huc pertinent. Illi sane polliceri ausim, eum, quidquid & historiæ, & antiquitatum, inprimis sacrarum, amatorum in Christiano orbe est, maximo sibi devinctos opere habiturum esse.

§. 28. Hic autem lapis probe distinguendus est ab alio lapide, qui in templo urbis Meccanæ, quod *Caaba* a forma quadrata vocant, non minori religione colitur, quam ille, qui in Hierosolymitano est. Non spero ingratum fore lectori, si nonnulla, quæ de eo sparsim inventa collegi, cum eo communicem. Vocant illum *Hagiar Atassouad*, i. e. lapidem nigrum. Dicunt eum ex pretiosis lapidibus paradisi esse, & esse hyacinthum, vel piropum, ab angelo e cœlo cum Adamo in terras demissum, tempore diluvii in cœlum rursus assumtum, & deinde in monte Abu-

kais vel Abubokais (qui mons tribus leucis Mecca distans sepulcrum creditur Adami) fuisse asservatum, donec ab Angelo Gabriele Abrahamo ad ædificationem templi traderetur, fuisse olim candidiorem nive, & lucidiorem sole, ita ut ejus radiis omnis circa Meccam tractus collustraretur, nunc autem nigrum factum, vel quod eum tangeret mulier menstruata, vel ob peccata hominum. Quamvis ex testimonio Ahmed Ebn Josefs, illum nigrorem superficies ejus contraxerit tantum, reliquis partibus pristinum candorem retinentibus, ita ut quidam putarent in nimio tactu & osculis nigricantem factum. In eo stetisse Abrahamum ajunt, cum ædificaturus erat templum, tanquam in parapegmate, quod sursum & deorsum movebatur pro ratione structuræ (quanquam hunc, in quo etiamnum vestigia Patriarchæ impressa cernuntur, ab illo quidam distinguant & cistæ ferreæ inclusum esse dicant) in eo cognovisse Hagarem, ad illam alligavisse Camelum, cum Isaacum erat sacrificaturus. Frequens ejus in Alcorano mentio v.g. in surata II. cui titulus *vacca*; in surata III. quæ dicitur de familia Amrami. Vide editionem *Maraccianam* p. 126. 128. quæque ibi ex Gelale, Zamchascerio, Jahia ille adduxit.

§. 29. Non autem Mohammedes ejus cultum instituit primus, sed jam apud eos receptum retinuit, confirmavitque. Informem enim ac quadratum lapidem Arabes a vetustissimis inde temporibus veneratos esse, non paucis veterum testimoniis constat. Ita Arnob. C. G. L. VI. *Ridetis*, inquit, *temporibus priscis Persas fluvios coluisse, informem Arabes lapidem, acinacem Scythicas nationes, ramum pro Cinxia Thespios*. Cum quibus prorsus gemina habet Clemens Alexandr. in protreptico. Notanda quoque sunt, quæ apud Maximum Tyrium leguntur Serm. 38. Ἀράβιοι σέβουσι μὲν, ὃν τινα δὲ οὐκ οἶδα, τὸ δὲ ἄγαλμα, ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος; *Arabes Deum quidem colunt, qualem tamen minime novi, statua autem, quam vidi, erat quadratus lapis*. Suidas eum in Θευσάρης ita scribit: τὸ δὲ ἄγαλμα, λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν τεσσάρων δ᾽ εὖρος δύο, ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου, *statua autem est lapis niger quadratus, informis, altus pedes quatuor, latus duos, impositus autem est aureæ basi*. Euthimius Zigabenus in Panoplia, quam Saracenicis suis inseruit Fr. Sylburgius, vocat eum lapidem *Brachtanem*; verba ejus hæc sunt: Πῶς οὖν ὑμεῖς προσέρχεσθε τῷ λίθῳ τοῦ βράχθαν, καὶ φιλεῖτε τοῦτον, καὶ τινὲς μὲν αὐτῶν φάσι, διότι ἐπάνω αὐτοῦ συνουσίασε τῇ Ἄγαρ ὁ Ἀβραάμ, ἄλλοι δὲ ὅτι προσέδησεν αὐτῷ τὴν κάμηλον μέλλων θῦσαι τὸν Ἴσαακ. *Quomodo igitur vos adhæretis lapidi Brachthan, eumque osculamini. Ac respondent nonnulli eorum; Ideo, quod super ipsum Abraham cum Agare ingressus est, alii autem, quod alligavit ei Camelum cum Isaacum esset sacrificaturus*. De nominis hujus etymo ac significatione in diversa abeunt viri docti; Bochartus putat dictum esse quasi *Borcaton*, quæ vox notat Arabibus *lapidem discolorem*; Alii a radice ברך, quæ significat *benedicere*, quod eum benedictionis omnis fontem, ejusque possessionem, in magnæ benedictionis loco, quasi diceretur *lapis benedictionis*, ponerent. Alii, quibus lubens ego accederem, a voce *baraka*, quæ notat Arabibus, *lucere*, splendere, ob insignem fulgorem, quem lapis ille sparserit, ita ut *Candore nivem superaret, & splendore solem æquaret*, ut scribit Achmet filius Josephi in vita Adami. Illum autem lapidem simulacrum esse Veneris, traditio viguit: verba citati Euthymii hæc sunt: ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος, κεφαλὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐστὶν, ἣν πάλαι προσκύνουν οἱ Ἰσμαηλῖται. Φέρει γὰρ μέχρι καὶ νῦν τοῖς ἀκριβῶς κατασκοποῦσιν ἐκ γλυφίδος ἀποτυπώσιν κεφαλῆς. *Dictus autem ille lapis, est caput Veneris, quam Ismaelitæ olim adorabant. Scilicet accuratius spectanti etiam nunc præfert figuram capitis*.

§. 30. Quomodo diu ante Mahometis tempora, quatuor, felicis Arabiæ principes filii Habdelati, magnum collegerint exercitum, ut illum lapidem e templo Meccano susciperent, ejusque cultum in aliud templum in Jemen transferrent, sed ille vicinis populis pro illo lapide fortiter pugnantibus funditus deletus fuerit, tribus ex illis principibus occisis, quarto in vincula conjecto, ex Abrahami Ecchellensis historia Arabica peti potest. Pariter referunt Annales Arabum Amrou Ben Hareth, principem Giorrhamidarum (quæ illustris Arabum tribus est) verentem fani illius profanationem lapidem hunc nigrum loco suo dimotum projecisse in puteum Zemzem, cujus os ita obstruxerit, ut nemini fuerit cognitus, donec Abdalnothleb, Mahumetis avus revelatione divina, omnia, quæ facta fuerant, edoctus, eum puteo exstractum pristino restituerit loco. Anno Hegiræ 317. i. e. Christi 929. sub Kalifatu Moctaderi Caramitas (juratos Musulmannorum hostes) duce Abu Thahero Mecca in potestatem redacta XXXIII. in illa trucidatis, fano ipso profanato & vastato lapidem illum abstulisse, pro cujus recuperatione frustra aliquoties quinque aureorum millia obtulerint, donec post annos duo & viginti minus uno mense elapsos a. Hegiræ 339. æræ Christianæ 951. sub Califatu *Mothi*, die quinto Dulsciadæ Mec-

cam

cam rursus ex jussu divino, ut jactabant, trasportarent, id vero Orientalium monimentis passim proditum est. Vide Georgium Elmacinum L. II. c. 19. p. m. 194. Addunt alii, cum non accurate ab aliis discerni potuerit, id miraculo quodam fuisse cognitum, quod sc. præsentibus Carmathitis supernataret aquis, quibus immergi non posset, unico tantum camelo, eoque macilento satis illum portante, cum restituendus esset Meccanis, cum vix quadraginta robustissimis camelis sub onere pene deficientibus, potuerit portari, cum iis diriperetur, insertum deinde sex diversis columnis templi, quarum nulli cum inhæreret, septimæ tandem ab Ali digito monstratæ mansisse adfixum.

§. 31. Atque eidem illi columnæ, quæ ad latus templi, qua Basoram spectat, erecta est & quam *Reahmath*, qua voce *misericordiam* Dei indigitant, vocant, ille etiamnum adhæret, septem spithamis i. e. duabus ulnis cum tertia parte a terra distans & singulare venerationis Saracenicæ objectum, immo unicus fere famosæ illius peregrinationis Meccanæ scopus est, ita ut preces, quæ coram eo fiunt, semper exaudiri a Deo peccatorumque remissionem ejus cultui certissimæ adnexam esse, sibi persuadeant. Liceat eum nonnullorum scriptorum, qui nostra Patrumve ætate hæc loca visitarunt, verbis describere. Thevenottus in Itin. L. II. c. 18. *In hac*, inquit, *æde est ad latus dextrum introitus prope fores Lapis, magnitudine capitis humani, quem dicunt e cœlo esse lapsum, atque ante fuisse album, sed ob hominum peccata fuisse nigrum factum. Ille, cui omnium primo intra triduum quo ibi commorantur peregrini osculum infigere lapidi illi contigit, eum in numero sanctorum habent, propterea omni contentione Corporis unusquisque omnium primo accedere conatur; ita ut sæpe numero præ nimio approperantium multitudine non pauci* suffocentur. Cum his conferri meretur, quæ habet Gabriel *Bremond*, Massiliensis in descriptione Ægypti L. I. c. 29. *Si vede* (loquitur de illo templo Beith allas) *nell' entrar di questo tempio vicino alla porta, una pietra nera, grossa come la testa d' un huomo, che dicono essere scesa del cielo e che altre volte era bianca, ma per i peccati degli huomini devenisse negra. Essi l' hanno in gran veneratione, perche dicono, che quando Abramo fabricava con le sue mani questa casa a Dio, era sopra questa pietra, che si alzava, o abassava, secondo il bisogno accio non vi lasciasse alcun buco, o altro mancamento ne muri.* Accuratissime omnium modum venerationis, qua eum prosequuntur Turcæ, descriptum invenio in anonymi cujusdam Poloni, de *Turcarum religione*, ad quam nostris sacris relictis desciverat, tractatu, quem Germanice versum edidit Stadæ a. 1659. Joh. Ulricus *Wallichius*. Reddam ejus verba, quæ p. 83. occurrunt, Latine: *Quamprimum Meccam veniunt, confestim templum adeunt accessuri nigrum illum lapidem, quem maximi faciunt, ob vestigia Patris eorum Abrahami, quæ in eo quoties jumentum suum vel adscensurus, vel ab eo descensurus erat, impressa cernuntur. Quando peregrini ad eum accedunt, illi imponunt manus, vel infigunt oscula, si ob ingentem adcurrentis populi multitudinem licet, vel rem aliam osculantur, qua lapidem tetigere.* Hæc ille. Cum quibus conferri digna sunt, quæ habet Albertus *Bobovius* in tractatu de Turcarum Liturgia sc. quem Thomas *Hydius Peritzolii* Itineribus mundi adjunxit, editque Oxonii 1690. 4. verba ejus ex pag. 14. adducam: *Quando ingreditur Meccam debet recta ire ad templum, & salutans dicat, Deus est maximus* &c. *priusquam accedat ad Lapidem nigrum (ex quo olim Patrem Abrahamum suum camelum conscendisse dicunt) ubi iterum elatis manibus ad aures, uti ante orationem eandem dicat, & sine incommodatione sociorum potuerit, ipsum lapidem osculetur, aut tangat manu & eadem faciem perfricet, aut tangat aliqua re, quam habebat in manu, nempe corolla, aut signum faciat se velle osculari* &c. *Tum murum Albatim, septies circumeat, & quotiescunque præterierit dictum lapidem illum semper salutet. Et finiat processionem suam iterum osculando vel amplectendo dictum Lapidem, & osculetur & salutet angulum Arabiæ Felicis, uti dictum lapidem, quotiescunque præterierit ante ipsum, nam sic erit pulchre actum & pie.* Qui plura de hoc lapide velit, consulat notas *Maraccii* ad Alcoranum c. I. *Dapperi* descr. Ar. p. 302. *seqq. wallichii* Librum citatum p. 90, 94, 96, 97. *Herbelotii* Bibl. Orient. passim, præcipue p. 96. 97. 219. 258. 420. *Hydium* de relig. Pers. c. II. p. 35. & qui primo loco nominandus erat, Ed. *Pocokium* in Spec. hist. Ar. p. 114. sqq.

§. 32. Hæc cum ita se habeant, haud magnopere mirandum est, Saracenos, eorumque principem Omarum, cum inter rudera templi Hierosolymitani *lapidem* invenirent, tam illustris notæ, ad imitationem illius lapidis in templo Meccano ab antiquissimis inde temporibus in summa veneratione habiti, sollicite admodum adservatum coluisse, præcipue cum huic templo post illud Meccanum secundas partes adsi-

adſignarent. Et quod magis eſt, hinc mos ille Turcarum profluxiſſe videtur, ut in ſingulis templis, quæ *Meſged* vel *Moſcheas* vocant, ejuſmodi ſanctiorem lapidem marmoreum adſervent. Audiamus hæc referentem rurſus J. *Cotovicum*, qui ita L. IV. c. 5. citati libri inquit; *Quæ pars templorum ad meridiem vergit, ac portam plerumque e regione habet, concavitatem quandam in medio continet, cubitali forma ſemirotundam, parieti interiori inciſam,* LAPIDE *marmoreo ornatam, ſtatuarum Loculis non abſimilem. Locus is Dei nominis inſcriptione inſignitus, ceteris ſacratior habetur & Chriſtianorum aræ maxime reſpondet, ad quem accedere dum publicæ in templo fiunt preces, cuivis non licet, ſed ſoli ſeripho, qui Mahometanis loco ſacerdotis eſt, & tum lychno penſili illuſtratur.* Aut multum fallor, aut id quoque factum eſt ad ſimilitudinem ſacratiſſimi Judæorum templi, in cujus adyto pariter LAPIDEM eumque MARMOREUM, & quidem nomine divino inſignitum, ad quem ſoli Judæorum ſacerdoti ſummo adceſſio erat, fuiſſe, oſtendimus. Ceterum, ille locus, in quo ille lapis eſt, vocatur a Turcis *Kebla* vel *Kibleh*, quæ vox generaliter locum notat, ad quem ſe aliquis convertit, ſpecialiter autem locum templi meridionalem, ſpectantem regionem templi *Meccani*, ad quem ſe Mahumedani ex præſcripto legiſlatoris ſui, quod in Alcorano exſtat, quoties oratum accedunt, convertere debent, ſicut olim Judæi ad ſui templi ſanctuarium faciem precaturi dirigebant, id quod deinceps Chriſtiani & Græci ac Latini imitati ſunt. Præterea ſi certis auctoritatibus fulciuntur, ea, quæ Ill. Huetius Dem. Eu. p. IV. c. 4. §. 3. habet, candidus lapis, quem ex Arabia ab Ali propheta advectum putant, Hiſpahani adſervatur, magnaque in veneratione a Perſis habetur etiamnum.

§. 33. Accidit itaque illud Mahomedanis, quod quam plurimis gentibus aliis a Dei veri cognitione alienis ſemper uſu fuit. Sæculis vetuſtioribus apud Græcos univerſos rudes lapides divinos nactos eſſe honores Pauſanias in Achaicis L. VII. ſcribit. Idem de Phariis eos prope ſignum Mercurii triginta lapides quadrangulos, quorum ſinguli Deorum nominibus inſigniti ſint, venerari, ibidem teſtatur. Incolis Italiæ idem in uſu fuiſſe ex Prop. L. I. El. 4. verſ. 24. Tibullo L. I. El. 1. verſ. 15. Ovidio L. II. Faſt. verſ. 641. Apul. L. I. Florid. & in Apol. conſtat. Notari merentur verba Lucretii L. V. verſ. 1201.

Nec Pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri,
Vertier ad Lapidem atque omnes accedere ad aras.

Et Lactantii L. I. Div. Inſt. c. 20. *Et huic publice ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo: qui non tantum lapis, ſed etiam ſtipes interdum eſt. Quid de iis dicam, qui colunt talia? niſi ipſos potiſſimum lapides ac ſtipites eſſe.* Amazones ad nigrum lapidem ſacrum infixum in templo Martis vota nuncupaſſe diſcimus, ex Apoll. Rhod. Argon. L. II. verſ. 1176. De *Arabibus* idem ex Arnobio, Clemente Alexandrino, Maximo Tyrio ſupra oſtenſum eſt. Sacrum lapidem, ſymbolum matris Deorum coluiſſe *Phrygas* Livius L. XXIX. & Claud. de R. Prof. L. docent. *Finlandas* ſaxum, quod *Semes* vocabant, placaſſe ſolitos ex *Ill. Herbenſteinii* Comm. Rerum Moſcov. qui ſcript. rerum Moſcoviticarum Francofurti a. 1600. in fol. editis inſerti ſunt, p. 87. conſtat. Ipſos majores noſtros, poſtquam jam Chriſto nomen dederant, ejuſdem ſuperſtitionis reliquias retinuiſſe ex Conc. Agath. can. 5. Burch. decr. L. X. c. 32. Capitularibus Caroli M. L. VII. c. 236. Conc. Nannet. c. 20. Audoeno in vita Eligii L. II. c. 15. colligere eſt. Multis *Barbararum* nationum λίθυς ἀτήμυς vocare Deos ſcribit Chryſoſt. Serm. XII. Athenienſes ad *Lapidem* jurare ſolitos in voce λιθώμοται notavit Heſychius & Demoſth. in Or. contra Cononem teſtatur. Saxa olim excepta fuiſſe oſculo ex Stat. Theb. L. XII. 52. patet. Hodie apud *Indos* plurima idola ſub Lapidis forma adorari diligenter adnotatum eſt a Petro della *Valle* Itin. L. IV. *Sinenſes* in provincia Cuhiuny Lapidem quendam, quem vocant *Xinxe*, i. e. Lapidem ſpiritualem, auro quotannis obducere, & religioſiſſimo cultu proſequi Joh. *Nieuhofius* in deſcr. legationis Sinicæ p. m. 87. teſtatus eſt.

§. 34. Quis in veterum monimentis tam hoſpes eſt, qui ex Feſto, Cic. Ep. ad Fam. L. VII. ep. 12. Gellio L. I. c. 21. Apul. de Deo Socratis, aliiſque magno numero non didicerit ſummum Deaſtrorum, ſub nomine *Jovis Lapidis*, per quem Romani vetuſtiſſimo ritu, ut Apulejus ait, jurare ſolebant, cultum fuiſſe? Cui non dictus Hylas de Βαιτύλοις ſive Βαιτυλίοις quos lapides fuiſſe Saturno, Jovi, Soli, aliiſque Deorum ſacros ex Autore Etymologici, Damaſcio apud Photium, cod. 242. Heſychio, Phylone Biblio ap. Euſ. præp. Evang. L. I. c. 10. Lampr. in Heliog. c. 7. Arnobio L. I. c. G. aliiſque conſtat, qui originem ſuam lapidi Jacobi in titulum erecto, unctoque debent, qui alias Abdir, Abadir, Abaddir, quam vocem

cem ex vocibus Phœniciis אבן דיר i. e. lapis rotundus, corrupte traductam esse, mihi quidem recte videtur suspicatus esse *ὁ πάνυ* Bochartus. Plura de iis videri possunt ap. G. J. *Vossium* de Id. L. VI. c. 39. Boch. in Can. L. II. c. 2. *Huetium* Dem. Eva. pr. IV. c. 10. §. 6. Et qui integra dissertatione Groningæ a. 1715. 8. edita docte atque eleganter de illis egit, amicus meus vir eruditissimus J. C. S. *Hottingius*. Ne nunc de lapidibus, quos terminos vocabant, de acervis Lapidum passim congestis, divinisque honoribus cultis, de Arabum Θευσάρη, aliisque huc pertinentibus loquamur. Jam enim de his plus satis est.

C A P U T III.

Quod Judæorum de lapide fundationis *fabulas* fictasque traditiones exhibet.

SUMMARIUM.

A verbis Judæorum de hoc lapide traditiones fabulosæ eorum narrationes sunt distinguendæ §. 1. *sc. quæ habent* (*a*) *de ejus* antiquitate, *cum mundo coævum faciunt* §. 2. *De* (*b*) loco, *in medio abyssi, sive* centro *terræ* §. 3. *Vocant illud ejus* Umbilicum; *Quid* umbilicus *terræ aliis scriptoribus. Ubi esse creditus? In templo sepulcbri Dominici. Quis fuerit* Willebrandus *ab* Oldenborg §. 4. *De* (*c*) magnitudine §. 5. *Dicunt* (*d*) *vinculum &* fundamentum *esse universi*. Eisenmengeri *liber* Judaismus revelatus §. 6. *Quid* (*e*) *illi accidat, cum juratur vel pejeratur* §. 7. *Eo* (*f*) *obstructum est os abyssi, quæ notat* infernum. *Locus filiorum Koracbi in inferno* §. 8. *An sit* (*g*) *Lapis* Jacobi? §. 9. *Ille etiamnum ostenditur in Anglia* §. 10. *An* (*h*) *sub eo fuerit abscondita arca? quo hæc devenerit?* §. 11. 12. *An* (*i*) *Vi nominis huic lapidi incisi Christus miracula sua fecerit? Fabula ea narratur* §. 13. 14. *Et refutatur prolixe. Ipsum hoc commentum veritatem illorum miraculorum confirmat* §. 15. *Alias plenum est absurditatum atque ineptiarum* §. 16. 17. 18. *Unde ejus ipsos puduit Judæos*. §. 19. *Alias tamen etiam rebus miracula faciendi potestas hujus nominis data legitur*. §. 20. *An huic lapidi originem suam debeant columnæ* Sethianæ. *Non id verosimile esse contra* Monachium *ostenditur, etsi tales exstitisse non sit improbabile* §. 21. 22. *De loco, ubi olim stetisse dicuntur, agitur, & τὴν γὴν σιελάδα, vel Συελάδα, vel τὸ ὄρος Σήελδος fuisse montana* Seir *in Idumæa ostenditur*, §. 23. 24. 25. *Fabula Judæorum de Antichristo ex lapide orituro, cui nomen* Armillus §. 26. *Videtur ita dictus esse, quasi* Christianorum Deus, *ex vocibus* ארמי *&* אל, *addita latina terminatione* us. *Judæi Christianos vocant* Aramæos, *quid* לשון ארמי §. 27.

§. 1.

QUæ hactenus ex Judæorum aliorumque scriptorum relationibus de hoc lapide adduximus, ejus puto esse generis, ut facile cujuscunque non pertinacissimi adsensum impetrare possint. Accidit autem illi, quod tot rebus accidit aliis, ut longinqua ævi vetustas certis multa dubia, falsis vera admiscuerit, & Judæi, quo proclivi ad fraudes ac mendacia sunt animo, Saxum illud non paucis figmentis vel Siculis gerris vanioribus, oneraverint, quæ tamen ignorari non debent, quod in iis non obscura priscæ Theologiæ vestigia, ac sublustres veluti insignium veritatum radii pellucere ac delitescere videntur. Atque ita media incedentes via putamus nos ituros tutissime. Quemadmodum enim non omnia, quæ a Judæis tradita sunt, explodimus, ea propter, quod ab iis tradita sunt, ita neque iis omnibus sine ullo examine adstipulamur, quin profitemur nos manibus pedibusque in sententiam ire doctissimi Viri, quam ille nuper his verbis expressit: *Omnia Judæis tradita repudiare, æquitati pugnaret, nulla, sanæ rationi. Non enim necessum est, ut qui semel mentitus est, semper mentiatur, nec prudentiæ, ut quem aliquoties in aperto mendacio deprehendimus illi omnia credamus. Itaque medium tenemus. Credimus Judæis, sed & num, quæ tradunt, veritati consentiant, examinamus. Illi vero si repugnent, æque ac rationi, quis tandem traditionibus omnibus æqualiter fidem adhibendam censeat? Pulchre sane ac σοφῶς!*

§. 2. Huc itaque primum pertinent, quæ de ejus *natalibus* jactarunt, quos eosdem

fecere

fecere cum iis quos mundus habet. Ita R. Schimeon, vel quisquis auctor libri vetustissimi זוהר est in Ex. col. 398. scribit *traditum esse a sapientibus Deum hunc lapidem pretiosum sub solio gloriæ suæ projecisse, cum crearet mundum*; Verba vide in Exerc. Buxt. p. 189. Eodem legi in libro ילקוט חדש vidimus supra C. I. §. 16. Immo illum omnium rerum Creatarum primum ac principium fuisse ex R. Schem. Tof in ואגרת הויכוח impresso Pragæ a. 1601. in 8. discimus: ה׳ בחכמה יסד ארץ כונן שמיים בתבונה ללמדך שברא הקב״ה את עולמו כילוד אשה בראו מה ילוד אשה מתחיל מטבולו ומיתח לכאן וגו׳ *Scriptum est* (Prov. III. 19.) In sapientia Dominus fundavit terram, & firmavit cœlos in prudentia, *hoc te docet, cum Deus benedictus & sanctus crearet mundum suum, quod tum eum creavit, ut infantem, qui ex muliere nascitur. Sicut infantem ab umbilico formare incipit, & a quatuor lateribus extendit, ita Deus S. & B. incepit creare mundum a lapide fundationis & sancto sanctorum, & ab eo lapide fundatus est mundus, & propterea dictus est* אבן שתייה *quod ab eo incepit Deus S. & B. creare mundum suum* &c.

§. 3. *Locum* illi adsignat in Gemara quidem R. *Isaacus* Faber ipsum mare, ut mox §. 6. videbitur, at reliqui fere omnes *medium abyssi*, sive centrum terrarum orbis. Liceat hanc traditionem adscribere verbis R. Elieseris in Pircke ex versione & editione Vorstiana p. 88. *Quid fecit Deus S. & B? Extendit dextrum suum pedem, & defixit eum* (lapidem, quo Jacobus cervicalis loco fuerat usus) *usque ad abyssi profunditates, atque fecit illum paxillum vel juncturam cum terra, sicut homo facit commissuram cum pice, hinc* etiam vocatur אבן השתיה, *quia inde est umbilicus terræ, atque inde se extendit universa terra, & super illo stat templum Domini, sicuti dicitur*. Et lapis hic, quem collocavi statuam, erit Domus Dei. *Cecidit autem Jacobus super faciem suam in terram coram lapide fundationis, & precatus est coram sancto B. dixitque;* Domine omnium orbium &c. Cum his conferri debent, quæ in Zohar leguntur citato loco: *Quando creavit Deus B. mundum, projecit lapidem quendam pretiosum de subsolio gloriæ suæ, ut immergeretur in Abyssum. Caput seu extremitas hujus lapidis una, infixa erat in medio abyssi, extremitas altera erat superne, porro ista extremitas altera superna, erat punctum, quod situm erat in centro mundi, a quo mundus protendebatur ad dextram & sinistram*. Idem adfirmat auctor Jalkut chadasch jam supra citatus, cujus verba in hanc rem mox §. 7. adducentur. Inde eum *umbilicum* terræ esse dixerunt, ut ex verbis Eliezeris & §. superiori citatis libri Iggereth haviccuah apparet.

§. 4. Quæ quidem Ebræorum phrasis, quæ telluris medium indicat, non abhorret ab aliarum gentium loquendi modo. Sic *umbilicus* Romæ dicebatur urbis meditullium, quod in octava urbis regione collocant; Sic Italiæ umbilicus in agro Reatino a Solino cap. 8. Græciæ in Ætolia Liv. Dec. IV. L. 5. Ænna civitas Siciliæ a Cicerone Or. VII. in Verrem ponitur. Cujus phraseos ratio vel ab homine desumta est, cujus medium occupare creditur umbilicus, vel a Clypeo, cujus media pars dicebatur ὀμφαλὸς, ut ex Jul. Poll. L. I. cap. 10. constat. Alias a Græcis mons Parnassus templumque Apollinis Delphicum medium credebatur orbis habitabilis, unde a Strabone L. IX. τῆς γῆς ὀμφαλὸς, & a Pindaro ὀμφαλὸς ἐριβρόμȣ χθονὸς, vel ut idem loquitur alibi, γαίας ὀμφαλὸς ἀοίδιμος dicebatur. Vide Demsterum in παραλ: ad Rosinum L. I. c. 13. Judæos autem, centrum terræ in urbe Hierosolyma, ejusque famigeratissimo templo fuisse situm, non ridicule minus, quam audacter sibi persuasisse, pervulgatum est. Eandem opinionem non Musulmannorum solum, sed & Christianorum, imo omnium populorum, qui plagas Orientales incolunt, animas occupasse in Bibl. Orient. scribit *Dherbelottus* p. 784. Deinde autem Christiani illum τῆς γῆς ὀμφαλὸν templo S. sepulchri Dominici, ejusque certo quodam loco monstrari posse crediderunt. Ita disertis verbis appellat Anonymus scriptor de locis Hierosolymitanis, quem συμμίκτοις suis inseruit L. Allatius, ubi p. 82. scribit: Ἀπὸ κάτω τῆς τρούλλας εἰς τὸ ἔδαφος ἐστιν, ὁ ὀμφαλὸς τῆς γῆς, ἡ μέση τȣ̃ κόσμȣ &c. quemadmodum Perdiccas Ephesius, cujus Hierosolyma ibidem occurrit, illum locum p. 68. appellat τῆς γῆς μεσαίτατον. Liceat addere verba Willebrandi ab *Oldenborg*, ex ejus Itinerario, quod primum nobis exhibuit, quem memoravimus Miscellaneorum collector, idque fit a nobis lubenter, quod ita sit occasio illum Willebrandum, quem Allatius tantum vocat Canonicum Hildesemensem, cujusque mentio vix ab illis, qui de scriptoribus ecclesiasticis egerunt, facta est, indicare. Fuit ille Illustrissimis editus Oldenburgensium Comitibus, qui Reges suos Daniæ dederunt, & anno 1211, [non, ut Hamelmannus in Chronico Comitum Oldenburg. habet a. 1223.] Palæstinam lustravit, præfectus deinde a. 1223. Episcopatui Paderbornensi, quem per biennium cum administrasset, idem in loca sancta

cta iter denuo suscepit, deinceps autem eum cum præsulatu commutavit Ultrajectino, id quod factum videtur circa annum 1227. a quo tempore cum illi magna cum laude ad annum 1233. præfuisset Swollæ diem suum obiit, inde Ultrajectum translatus, atque in magnifico S. Servatii Monasterio, quod ipse exstrui fecerat, sepultus est. Ille pag. 148. hæc habet: *In medio chori*, ædis scilicet, in qua sepulchrum Domini visitur, *quidam circulus ostenditur, per quem dicunt centrum mundi illic verissime esse descriptum, quod tamen secundum astronomos, potius & verius sub torrida Zona, si habitabilis esset, inveniretur*. Eam autem sententiam etiamnum fere omnium Christianorum, qui in illis locis vivunt, animis insidere cum ab omnibus hodœporicon scriptoribus, tum nuper adeo a C. de *Bruyn*, accurato solertissimoque exoticarum regionum peragratore ac descriptore, Itinerarii sui p. 255. memoriæ proditum est; Sed hæc nos pæne longius quam par erat, abduxerunt.

§. 5. Patet autem ex illis immensam ac incredibilem prorsus *magnitudinem* lapidi nostro a Judæorum Magistris fuisse adscriptam. Quod si enim R. *Eliezeri*, quem citavimus, credendum est, lapis ille in centro terræ defixus inde ad ejus exteriores partes pertingebat, unde facile colligas ejus longitudinem fuisse milliarium Germanicorum DCCCLX. Hanc enim esse mensuram semidiametri orbis terrarum vulgaris Geographorum nostræ ætatis, sententia est. Risum teneatis Amici. Confer L. I. §. 15.

§. 6. In eo porro iidem conspirant, veluti olearii in velabro hunc lapidem πατήρ τῆς οἰκουμένης vinculum quasi ac fundamentum fuisse. Patet hoc ex iis, quæ jam supra L. I. §. 11. adtulimus. Eadem R. Eliezerem fingentem modo audiebamus. Exstat quoque eadem traditio in Jalkut Schimoni, qui liber Commentarius allegoricus est in V. T. & cum Cracoviæ a. 1595. tum Francofurti ad Mœnum a. 1687. typis exscriptus est. Ibi num. 120. f. 23. vol. 4. ad Gen. XXVIII. vers. 11. hæc leguntur, quæ verbis tantum exhibeo Latinis: *Quid fecit Deus S. & Benedictus? Dextero suo pede lapidem illum* [*Jacobi* scilicet) *detrusit ad usque profunda abyssi, fecitque appendicem terræ: sicut homo fecit appendicem fornicis; propterea vocatur* אבן השתיה, *quia ibi est medium terræ, atque inde tota tellus est expansa, & super illo etiam stat templum, quemadmodum dicitur;* Et hic lapis &c. Gen. XXVIII. 22. sic in Gemara ad Codicem Joma c. 5. fol. 54. col. 2. inducitur R. Isaacus faber ita loquens: אבן ירה הקבה בים כמנו נשמת העולם *Projecit Deus S. & B. lapidem in mare, & ab illo fundatus est mundus*. Et paulo ante dictum fuerat; תנא שממנה הישתת עולם *Discimus, quod ab illo* (lapide) *fundatus est mundus*. Conferat, cui hæc tanti sunt, ipsum Gemaræ locum satis prolixum, ut &, qui ex illa sua videtur hausisse, En Israel p. 1. fol. 168. col. 1. R. Mosis Nachmanidis Comm. in pentat. fol. 25. cot. 4. super Parascha vajezeut & *Bechai* super locum eundem fol. 38. col. 4. ut & מדרש תלים in Ps. XCI. fol. 40. col. 4. quique hos citavit, *Eisenmengerum* in præstantissimo libro, quem *Judaismum revelatum* inscripsit L. I. c. 3. a quo quidem libro, quantum sibi metuere habuerit recutita gens vel exinde colligas, ut id obiter moneam, quod miris artibus, magnaque æris vi, ab aula Vindobonensi, cum eum typis exscriptum publici juris faciendum esse cognovissent, impetrarint, ut ejus distractio publico edicto Imperatoris prohiberetur, unde cum omnia exemplaria in curiam Francofurtensem deportata sint, ibique etiamnum, ut fama fert, adserventur, dubio procul æternis tenebris sepulta tineis ac blattis pabulo cessissent, nisi unum alterumve exemplum hostium manus feliciter evasisset, atque ita liber quantivis pretii auspiciis potentissimi Berussorum Regis *Frederici* זל, in dias luminis oras Regiomonti a. 1711. duobus Voll. in 4. prodiisset.

§. 7. Hujus libri cum memini, habet lepidam admodum fabellam, quæ in libro Jalkut Chadasch sub titulo בריאת העולם והאדם *Creatio mundi & Adami*, adducitur, prout verba Hebraica Latine transtuli, adscribere, ex quibus, quam mirifica hujus saxi sit virtus, cum jusjurandum sit, cognoscas: *Cum Deus S. & B. creavit mundum in medio abyssi submersit lapidem, cui nomen ejus insculptum erat, & illum submersit in profundum. Cum autem aquæ illæ volunt adscendere, vident nomen illud sanctum illi insculptum, & illico retrocedunt. Et in hunc etiamnum diem lapis ille, cui hoc nomen insculptum est, est in medio abyssi, & quando filii Adami, id est homines, jurant in veritate, lapis hic adscendit, & accipit illud juramentum, deinde regreditur in centrum abyssi, & stabilit mundum. Quando autem homines pejerant, adscendit ille, & accipit jusjurandum illud, & statim recedit. Aquæ autem se exonerant, atque effluunt, & literæ, quæ lapidi illi inscriptæ sunt, dissipantur in medio abyssi & separantur. Et illico autem aquæ adscendere volunt, & mundum inundare, donec Deus S. & B. mittit angelum, cujus nomen est* Jasariel, *qui in manu sua habet septuaginta cla-*

ta claves juxta mysterium sancti illius nominis, & literas illas rursus inscribit illi la-
pidii, ta ut inscriptæ fuerant, & ita mundus stabilitur, λιροὶ, λιροὶ!

§. 8. Quemadmodum autem in medio abyssi videmus lapidi nostro ut plurimum lo-
cum adsignatum, ita notandum inprimis est, quod supra C. I. §. 17. narrantem Jo-
nathanem Paraphrastem audivimus, eo scilicet *Deum os abyssi magnæ obsignavisse*.
Per quem abyssum non dubitamus, quin infernum sive locum impiorum suppliciis
destinatum intellexerint Judæi, sicut alibi eum vocant תהומא & ejus introitum
נוקבא תהומא רבא *foramen abyssi magnæ*. Specialior est observatio R. Elieseris, qui
in Pircke editionis Vorstianæ p. 22. scribit *Leviathanem Jonæ ostendisse Lapidem* שתיא
in *abysso defixum intra templum Domini, cui insistunt filii Corah & super eo preces*
fundunt. Quod si nunc alias Judæorum traditiones conferimus, oportet hunc lapi-
dem in tertio habitaculo (dicunt autem eorum esse septem numero) inferni esse,
ibi enim detineri Korachi familiam legitur in libro תורת אדם R. Mosis Nachma-
nidis fol. 97. quam inde singulis hebdomadibus quarto die adire Messiam, in quinto
habitaculo paradisi sedentem & tum ex eo quærere, quando resurrecturi sint, nar-
ratur in L. כל בו fol. 197. cot. 2.

§. 9. Neque figmentis accensere dubito, quod passim ab iis commemoratum vi-
deo, eum lapidem eundem esse, cui olim cervicalis loco caput suum imposuit Pa-
triarcha Jacobus, in itinere, quod in Mesopotamiam susceperat, quamvis se iis
adsentire scribat eruditissimus J. G. Vossius de Id. L. VI. c. 39. Vidimus hæc jam
commemorantes R. Eliezerem in Capitulis R. Schimeonem in Jalkut Schimoni su-
pra §. 3. & 6. Idem narrat auctor L. Toldas Jeschu, quem adduxit Buxtorfius in
Lex. p. 2541. *Et fuit eo tempore in domo sanctuarii* אבן שתייה *qui est ipse ille la-*
pis quem inunxit Jacob pater noster oleo Gen. XXVIII. A quo tamen in diversa abit,
ejusdem furfuris liber Wagenseilianus, quem supra citavimus. Videantur etiam R.
Bechai, *Moses* Nachmanides, Auctor Medrasch Tillim, quorum loca citat Eisen-
meng. in Jud. Rer. T. I. p. 159. Hoc videtur esse certius memoriam ejus lapidis
diu fuisse conservatam, divinosque honores obtinuisse, ajunt enim Hebræi, *illum a*
temporibus Patriarcharum fuisse amatum a Deo, at deinde odio habitum, propterea,
quod Cananæi eum cultu idololatrico prosequerentur, quæ quidem verba passim mul-
tos ex Bocharto, deprehendo exscripsisse, non addito auctoris eorum nomine, ne-
que mihi licuit, ex quo depromta sint, expiscari. Ille autem rumor, quo lapis
ille sanctuarii credebatur ille fuisse Jacobi, posterioribus sæculis magis magisque in-
crebuit. Ita vidimus lapidem Omari Turcarum Caliphæ, a Sophronio Patriarcha
Hierosolymitano, tanquam monimentum insigne veteris templi ostensum fuisse *lapi-*
dem, ad quem locutus erat Deus cum Jacobo (vide C. II. §. 15.) Et posterioribus
adhuc sæculis lapidem illum insignem, quem tanta religione & Christiani & Mu-
sulmanni in templo illo prosecuti sunt constanter habitum esse patet ex iis, quæ
C. III. §. 21. 22. ex Phoca aliisque produximus.

§. 10. Illa autem traditio, si vera est, oportet falsam esse illam, quæ in Bri-
tannia viget etiamnum, de lapide hoc Jacobi. Eum enim ajunt primum ex Gal-
licia, Hispaniæ Provincia, transportatum in Hiberniam circa annum septingentesi-
mum ante Nativitatem Salvatoris, hinc post annos CCCLXX. a Rege Fergasio trans-
latum in Scotiam & quidem a. DCCCL. tanquam regni palladium collocatum in
Abbatia Sconensi, in Provincia Perthii, a rege Kennetho, ut in Coronatione Re-
gum Scotiæ adhiberetur. Inclusus enim erat celebri illi Sellæ, cui Rex coronandus
insidebat. Hinc autem ab Eduardo I. Rege Angliæ, Scotorum Victore, a. 1297.
cum aliis spoliis, throno, corona ac sceptro in Angliam translatus est, ibique
etiamnum sollicite adservatur in Abbatia celebri Westmonasteriensi in Sacello S. E-
duardi, & adhuc in inaugurationibus Regum Magnæ Britanniæ solet adhiberi. Bu-
chananus Rer. Scot. L. VIII. vocat *Lapidem marmoreum rudem, in quo fatum regni*
contineri vulgo persuasum erat. Accuratius eum describit Henr. *Keepe* (is enim li-
bri auctor est) in Monum. Westmonasteriensibus §. 154. his verbis : *The so much*
famed stone, vvhereon the Patriarch Jacob is said to have reposed his head in the
Plain of Luzæ, is of a blevvisch steellike colour, mix'd vvith some eyes of red,
triangular rather than any other form, and being broken resembles a Peble. Notandi
sunt versus, qui in exigua tabella sub illo appensa leguntur. *De Scotico congiario,*
lapide suo quondam regali, reposito jamjam in Anglorum Cathedra regali propter phe-
retra D. Eduardi Regis & Confessoris incliti apud VVestmonasterienses Scethonidis
Laureati Vaticani *Epitome*:

Si quid habent veri vel Chronica cana, fidesve
Clauditur hac cathedra nobilis, ecce, lapis,

Ad

Ad caput eximius Jacob quondam Patriarcha
Quem posuit cernens numina mira poli.
Quem tulit ex Scotis spolians, quasi victor honoris
Eduardus primus Mars velut armipotens,
Scotorum domitor noster validissimus Hector,
Anglorum decus & gloria militiæ.

Alias a vetustissimis temporibus hoc de eo distichon circumlatum fuit:

Ni fallat fatum, Scoti hunc quocunque locatum
Inveniunt lapidem, regnare tenentur ibidem.

Quod quidem vaticinium impletum esse volunt, cum circa initium superioris sæculi sceptrum regni Britanniæ *Ill.* familiæ Stuartorum cessit. Cum autem traditiones illæ de lapide hoc tot ante natum Christum sæculis ad Hiberniam translato aperte falsæ sunt, quomodo se res cum illo habeat, & num fortassis pars illius lapidis sit, de quo agimus, ex templo Hierosolymitano a Christianis in Scotiam translati, inquirant alii, quibus vetustissima Scotorum acta perlustrare integrum est, videantque, quomodo hæc etiam conciliari cum illorum narrationibus queant, qui eundem etiamnum in campis prope urbem Bethelem ostendi posse volunt. Neque enim nostrum est istas componere lites.

§. 11. Parum etiam abest, quin ad Judæorum quoque figmenta referam traditionem illam, qua sub hoc lapide volunt cryptam aliquam fuisse, eum in usum adornatam, ut in ea arca fœderis, ubi opus erat, abscondi posset. Id docet R. D. Kimchi in Comm. ad 2. Chron. XXXV. vers. 3. ubi cum legatur *Josiam Regem Levitis jussisse, ut arcam sanctitatis ponerent in domo, quam ædificaverat Salomon &c.* inter alia scribit *Rabbinos* tradidisse, *illum his verbis præcepisse, ut arcam absconderent, ne una cum cæteris captivis abduceretur. Dicere enim fuisse lapidem in sancto sanctorum* (אבן שתיה) &c. *Salomonem autem, quando ædificavit templum, cum præscivisset, illud vastandum esse, exstruxisse locum quendam pro abscondenda arca, infra sive sub illo lapide per loca abdita, profunda & tortuosa, quem locum obtexerit lapis ille: Josiam itaque hic præcipere, ut in illo loco abscondant arcam, & sic illos abscondisse cum arca simul virgam Aaronis, urnam Mannæ, virgam, & oleum sacrum unctionis*. Eadem iisdem pene verbis habet Abarbenel ad Dan. IX. 24. cujus verba lege in Buxt. Exerc. p. 190. qui ibidem observat, huc respicere Talmudicos, quando ajunt ארון במקומו נגנז *arcam in loco suo fuisse absconditam*. Neque dubito, quin R. Jehuda Hal Levi, auctor libri Cosri, eundem hunc lapidem innuat, cum p. III. §. 3. de novis constitutionibus, a Viris templi secundi factis loquens, inter alia refert *eos constituisse in loco, ubi arca fuerat,* תכונה *fabricam quandam, coram qua suspenderunt aulæum, ut scirent illic arcam esse absconditam*. Ecquid enim per תכונה, quæ vox a כון derivanda est, quæ notionem inter alia habet *fundandi*, *firmandi*, *stabiliendi*, intelligamus aliud, quam lapidem illum, qui a *fundatione* & *stabilimento* nomen suum traxerat in sanctuario loco arcæ positum?

§. 12. Accurate tanquam, si ipsemet oculis suis vidisset, describit hoc arcæ conditorium R. Jehuda Leo, cujus in editione Gallica p. 65. hæc verba sunt: *Sous cette pierre estoient faits avec une insigne artifice certaines concavites intriquèes, les quelles se dresserent par le commandement du Roi Salomon, afin qu'en celles on put en certain temps cacher l'arche du Testament*. Et adhuc accuratius in altera editione Hebraica, L. II. §. 214. cujus verba ex versione J. *Sauberti* damus: *Sub lapide isto fuere thesauri profundissimi per vias tortuosas, quæ non potuere certo animadverti, si quando sacerdotes reconderent in iis arcam testimonii tempore necessitatis*. Ubi glossa addit: *In thesauris istis ex mandato Josiæ Regis absconderunt Sacerdotes arcam testimonii, cum duabus tabulis lapideis, quæ inibi fuerunt, nec non urnam Mannæ, & baculum Aaronis, capsulamque, quam miserunt Philistæi donum Deo Israelis, denique & phialam continentem oleum unctionis, quo ungebant Pontifices maximos, omniaque vasa sanctitatis, ut & reges Domus Davidis*. Illa autem opinio plerorumque Judæorum animos occupavit, demulsitque, arcam illam vel a Jeremia vel a Josia certo quodam loco reconditam delitescere, olim aliquando cum restitutione totius populi in apricum versus producendam. Traditionis de Jeremia, qui eam in monte Horeb vel Nebo transtulerit, auctor esse videtur, qui Historiam Maccabæorum descripsit, in L. II. c. 2. vers. 4. 5. 6. 7. 8. quem deinde secuti sunt Josephus Gorionides, Epiphanius, Dorothæus, Theophylactus, & scriptores Ecclesiæ Romanæ complures. Josiam autem R. in templo abscondisse præter citatos voluere R. Samuel Laniado, R. Bechai, R. Nathan, auctor libri En Israelis, auctoritate ducti Gemaræ Babylonicæ ad Joma c. 5. fol. 53. col. 2. ut & Horajoth, c. 3. fol. 12. col. 1. coll. Germ.

Hierosol. ad Maſſech & Schekalim c. 6. fol. 9. cot. 4. Operæ pretium faciet, qui conferet Buxt. Exercit. de A. F. c. 22. & 23. Carpzovii, citatam diſs. ubi *Arca fœderis pervenerit;* Mull. in Jud. refut. c. XV. Si quis in hac cauſa, quæ mea ſit ſententia inquirat, ego quidem firmiter mihi perſuadeo, arcam in domo ſecunda non fuiſſe, multo minus cum reliquis ſpoliis a Tito Romam fuiſſe deportatam, quod utrumque viris etiam eximiis excidiſse miror. Num vero illa imminente templi prioris excidio in loco quodam abditi templi fuerit occultata, & aliquando in lucem protrahenda ſit, (quam quidem traditionem ſeculo adhuc duodecimo & ſequentibus viguiſſe ſupra C. II. §. 39. ſqq. viſum eſt) id neque temere adfirmare auſim, neque etiam audacter inficiari, cum nondum eas rationes viderim, quæ eam ſententiam abſurditatis convincant, habeam autem, quæ illam haud prorſus improbabilem faciunt. Sed malo ἐπέχειν.

§. 13. Omnem autem & vel Judaicam adeo impudentiam ſuperat putidum illud atque inficetum commentum, quo radios divinitatis ſanctiſſimi Soſpitatoris noſtri ex miraculorum, quæ tam illuſtria tantoque numero patravit, gloria undique erumpentes, obfuſcare atque exſtinguere, quantum in ipſis erat, auſi ſunt. Finxere enim illa feciſse vi nominis שם המפורש, qua appellatione tremendum illud Dei quatuor literarum nomen indigitant, quod cum inſcriptum eſset noſtro huic lapidi, miris artibus indagaverit atque cognoverit. Omnium prolixiſſime anile hoc commentum enarravit ſceleſtiſſimum caput, in quo effricta maxime frons cum incredibili animi ſtupore, de principatu quaſi contendit, cujus liber, cui titulum fecit, תלדת ישו, a celeberrimo Wagenſeilio primum editus, ejuſque *Igneis telis ſatanæ* inſertus eſt. Exhibemus illum ex ejus verſione, neque enim pretium foret, has nugas bis exhibere: *Tum temporis erat in templo inſculptum nomen Dei ineffabile lapidi* τῦ ςερεώματος (שתיה) *Etenim cum David Rex foderet fundamentum, reperit ibi lapidem quendam* ἐπὶ τῦ ςόματος τῆς ἀβύσσυ *in quo Dei nomen inciſum conſpiciebatur, quem inde ſuſtollens in ſanctum ſanctorum depoſuit. Cum vero metuerent ſapientes, ne forte ſtudioſi juvenes hoc nomen diſcerent, orbique [quod Deus omen prohibeat] inferrent vaſtitatem, confecere incantaminibus æneos leones duos, quos ante fores ſancti ſanct. unum a dexteris, alterum a ſiniſtris ſtatuerunt. Si quis igitur intraſſet illuc, & arcanum nomen didiciſset, hunc exeuntem allatrabant leones & in cauſa erant, ut ob ingentem pavorem ac conſternationem nomina menti exciderent & oblivio illorum eum pervaderet. Ceterum cum percrebuiſset fama, de Jeſu, ipſum nothum eſse, deſerta Galilæa venit clanculum Hieroſolymas, ingreſsuſque templum didicit, ibi* τὰ ἱερὰ γράμματα, *nomenque* ἀνεκφώνητον *membranæ cum inſcripſiſset, nomine hoc enunciato, ne dolorem perſentiſceret, ſcindit carnem, ibique membranam cum myſteriis condit. Mox prolato rurſus nomine illo, effecit, ut caro conſolidaretur. Neceſse autem eſt arte magica, & vi incantaminum templum introiverit, ſecus enim ſi foret, quomodo permiſsuri erant ſacerdotes, ut illuc ingrederetur? Proinde manifeſtum eſt, eum ope impuri nominis, & magica arte patraſse iſta omnia. Egredientem per Oſtium allatrabant canes, unde nominis oblivio. Ergo extra urbem ſe confert, ac diſsecta rurſus carne educit ſcripturam, & cum Characteres probe perpendiſset, tenet Nomen &c.* Narrat porro, quomodo vi illius nominis fretus adverſarios ſuos provocaverit, & multa miracula patraverit.

§. 14. Eandem fabellam, licet aliter, ornatam comtamque alius ejuſdem libri titulus habet, ex quo jam pridem antea Raimundus *Martini* in pugione fidei p. II. c. 8. eam adduxit, verba ibi hæc leguntur. *Tempore Elani* [Helenæ Reginæ] *quæ univerſæ terræ Iſraelis præerat, Jeſus Nazarenus venit Jeruſalem, invenit in templo Domini lapidem, in quo ſedebat olim arca Domini, & erat in eo ſcriptum ſchem hamphoraſch, quicunque vero illius nominis literas adipiſcebatur & ſciebat, poterat facere, quæ volebat,* & quæ ſequuntur. Cui Pugio ille ad manus non eſt, videat citatum auctorem ap. Wagenſ. in confut. libri toledoth. p. 25. ſqq. Eadem ex eodem libro jam pridem adduxit Nicolaus de *Lyra*, in probatione *adventus Chriſti per ſcripturas a Judæis receptas*, quæ adjecta eſt *Hebræo Maſtigi*, Hieronymi de *ſancta Fide* Judæi converſi, impreſſæ Francof. 1602. Ita ut frontem perdidiſſe oporteat, Salomonem Zevi, in libro, quem ſub nomine *Theriacæ Judaicæ* oppoſuit Frid. Franc. Oettingenſi, ex Judæis ad Chriſtianos proſelyto, qui ejuſmodi librum, ſub illo nomine inter Judæos exſtare, inficias ire non erubuit, cum nunc tot & manu exarati & typis exſcripti codices in Chriſtianorum manibus verſentur. Eadem fere ex ſimilis tituli atque argumenti ſcriptore adduxit vir immortaliter de his literis meritus Joh. Buxtorfius in Lex. p. 2541. Cum his etiam conferri merentur, quæ eam in rem ex Judæorum Ægyptiorum traditionibus ſe accepiſſe refert Edm.

Sandis,

Sandis, Eques Anglus, in itinerario ed. Germanicæ p. 320. Neque dubium est, idem etiam innuisse R. Naphtali *Hirtz*, Mœno-Francofurtensem in libro עמק המלך impresso Amst. 1653. in fol. quando Cap. 19. fol. 20. col. 1. non solum Jesum, nomine illo Dei ad Idololatriam abusum esse scribit, sed & eundem [quem צמכיך, quæ vox per transpositionem Alphaberi Cabbalisticam, quam Atbasch vocant, eadem est cum nomine הבליעל, scelestissimo atque infernali ausu appellat) scribit dilacerasse illud, quo sepulchrum abyssi contectum erat, super quo schemhamphorasch scriptum erat, quodque foramini magnæ abyssi impositum erat, quam quidem periphrasin esse lapidis nostri, nemo, qui has chartas legit, potest ambigere.

§. 15. Liceat in hanc rem paucula notare. Bonum admodum factum est, & de quo nobis impense habemus gratulari, nos Judæos heic confitentes habere, illa miracula, quæ Evangelistæ a Christo facta esse commemorarunt, revera ab illo facta esse. Ita utriusque generationum Christi libri auctor concedit Christum claudis gressum, leprosis mundatam cutem, mortuis ac sepultis vitam, & quæ hujus generis alia sunt, reddidisse. Accipimus hoc læti utraque manu. Si enim hæc fecit, vel insita propriaque vi fecit, vel aliunde accersita. Quidquid etiam elegeris, causæ divinitatis Jesu Christi non parum accedit præsidii. Si prius arbitraris, oportet hominem omni homine fuisse majorem, immo divinum. Ea enim propriis viribus agere, quæ dicitur egisse, id profecto non est res humanæ opis. Sin posterius, unde etiam & quomodocunque eam miracula faciendi facultatem ei communicatam velis sine tamen Divina id fieri vel permissione vel directione nequivit, nisi Deum rerum humanarum tanti momenti, immo ecclesiæ, suæ negligentem, atque incuriosum tantum spectatorem fuisse velis dicere. Quid enim? anne in animum tuum potes inducere, ut credas, Deum vel potuisse vel voluisse pati, ut homo sanctitate morum spectabilis, neque doctrinam aliam ab ea, quam ipse per Mosen & Prophetas populum docuerat, asserens, illo ipso tempore, quo talis cum maxime exspectabatur, veniens, se Messiam, Filiumque Dei diceret, illique rei probandæ tot stupenda, omnemque hominum potentiam longe transcendentia opera patraret, nisi ille revera fuisset ille, quem semet esse miraculis suis comprobare annitebatur? Pone itaque, ea ratione, Christum miracula sua fecisse, qua illum ea fecisse, verpos, quæ illorum effrænata impudentia est, finxisse audivimus, videlicet, vi nominis τετραγραμμάτȣ clam ex adyto templi surrepti, anne tibi id persuadebis Deum, tam sollicitum humani generis custodem ipsam veritatem, ipsam φιλανθρωπίαν, voluisse auxiliatrices quasi manus præbere scelestissimo impostori (qualis ille vere fuisset, si non fuisset ille, quem se esse dixerat] ac concedere, ut tremendo suo nomine mirificis modis abuteretur, ad stabiliendas fraudes suas, atque in fœdissimos errores tantam humani generis partem inducendum? Illumne qui olim Aaronis filios cum peregrino igne ad altare accedentes ultricibus flammis cœlitus delapsis exstinxerat, qui Philistæos arcam fœderis possidentes pessime mulctaverat, qui Usam minus caute eam tangentem subitanea morte deleverat, illumne credemus tanquam otiosum contemplatorem decussatis manibus ceu in specula sedentem passurum fuisse, teterrimum impostorem in adyta sua sanctissima irrumpentem, arcana sua inde spoliantem, toti ut faceret mundo fucum, illæsum ingredi, egredique? *Hoc credat* JUDÆUS *Apella non ego*. Si itaque ut fatentur Judæi, Christus illa miracula fecit, vel ipse fecit sua vi, vel singulari adjutus Dei operatione: Quidquid eligas, oportet fuisse eum, quem se esse miraculis suis evincere voluit Messiam & DEUM J. Q. E. D.

§. 16. Sed & quam rancidum hoc & vix seria refutatione dignum sceleratissimorum hominum commentum sit, argumentis neque paucis neque levibus constat. Neque nunc quod ab aliis factum est, commemorabo quam aperte illæ narrationes inter se diffideant, ceu unicuique, qui eas aliqua collocatione dignas judicaverit, obscurum esse non potest, ita ut iis jure illud applices poetæ: *Jungentur jam gryphes equis*. Quamobrem antequam illis fabulis credas, constituendum prius est earum consarcinatoribus, eccui ex illis tuto fidem adhibere debeas. Notemus tantum paucis, quam ab omni rerum gestarum historia, quam ab institutis & religione Judaica, abhorreant, & quam plena sint omnia ineptiarum atque absurditatum, quarum profecto tantus hic est cumulus, ut earum vix numerum inire queas. Quis sibi a cachinnis temperet, cum audit Davidem lapidem hunc e medio abyssi in centro terræ effossum, fundamenti loco in templo posuisse? Cumque idem lapis dicatur sub principio conditi mundi in abysso defixus esse atque ibi etiamnum latere, quomodo potuit in sanctuario templi collocari? Quis ullibi gentium vestigia deprehendit duorum illorum æneorum leonum, vel, ut alter habet [varietas enim delectat] molossorum --- *Qui vasto grave murmur hiatu Ingemuere* ad utrumque sacrarii

crarii Latus suspensorum? Talibus ergo defensoribus templum Dei indiguit? Ergone *personuisse*

Debuit hæc ingens latratu regna trifauci
Cerberus adverso recubans immanis in antro?

Cur eorum neque sacri scriptores, neque Talmudis, tam Mischnæ, quam Gemaræ consarcinatores, cur nullus alius ex magistris Judæorum, præter impudentissimos illos *generationum Jesu*, ut vocant, scriptores mentionem fecere? Cur illos siluere, alii Christianorum hostes vel Trypho Judæus, vel Celsus vel Porphyrius, aut Julianus, qui, cum omnibus modis corraderent, quidquid vel videri posset Christianorum causæ contrarium esse, profecto rem hanc non tacuissent, si vel aliquid de ea iis fuisset auditum? Cui porro unquam vel somnianti in mentem venit leones canesve æreos rugiisse vel latrasse? A quibus hæc arcana figmenti auctor didicit? quam auctoritatem tam audacis mendacii adduxit? quo documento tam incredibilis historia nititur? Soline ergo huic verpo indicata fuere, quæ nullus alius mortalium, vel vidit, vel fando audivit, vel narrare ausus est aliis? ubi ergo gentium in destructione templi primi devenerunt? ubi per LXX. annos Captivitatis Babylonicæ custoditi? quis eos rursus in templo recens exstructo erexit? quo demum post alterum excidium delati sunt? Et si quis in sanctuario nomen illud didicerat, & cum eo mira faciendi facultatem, potuitne ille inter tot miranda, quæ faciebat, obturare ora hiantia canum, ne opus esset scissione carnis, in cujus vulneribus mysterium, quod nactum erat, reconderet?

§. 17. Quisnamne vero sibi persuadeat, Deum ter optimum, terque maximum voluisse istam tam mirifica perpetrandi vim adligare nomini suo, qua quivis impostor suis sceleribus promovendis abuti deinceps posset? Et si voluit adligare, cur nemo unquam mortalium, per tot sæcula, quæ ab erectione templi ad ejus destructionem elapsa sunt, irruptionem in templum molitus est, rem tam commodam suos in usus ut converteret, id quod vergente demum ad interitum republica ausum fuisse Jesum fingunt? Cur non in suos usus illius nominis pronuntiationem convertit summus Sacerdos, cui in adyto versari fas erat? Cur non id factum a Salomone templi Conditore? cur non ab Ezechia? Cur non Judæi contra Nebucadnezarem, Antiochum, aliosque hostes suos, eorumque vim ac templi prophanationem se tutos præstiterunt, horrendaque illa mala, quibus toties infestabantur, illo averruncarunt? oportet profecto omnes Judæorum proceres, & Sacerdotes, aut admodum fuisse stupidos, qui rem hanc tanti momenti vel ignorarunt, vel non uti recte noverunt, vel impios atque immisericordes, ut nollent uti re tam eximiæ publicæque utilitatis, qua non ægri solum pristina valetudine donari, sed & mortui vitæ restitui possent. At vero Christi demum temporibus res hæc in usum conversa est? Anne itaque quod ille fecit, facere, ejusque exemplum sequi potuerunt alii? Quid itaque causæ est, cur Judæi paulo postea hostiles Romanorum legiones horrendamque illam urbis & templi πανολεθρίαν hoc amuleto non depellerent? Cur non eadem ratione miracula faciundi potestatem nacti sunt Apostoli? At vero non ita nactos esse, exinde tuto colligitur, quod iis nunquam id vel exprobratum legimus. Neque ulli mortalium alii tam licuit felici esse.

§. 18. Soli itaque Christo Nazareno hanc Corinthum adire contigit? Quis vero in animum suum inducat credere, Christo homini, ut fingunt, tam contempto & tum quidem temporis ex communione ecclesiæ Judaicæ deturbato integrum fuisse, ipsum intrare sanctissimum templi penetrale, omnibus præter solum Pontificem Maximum, prorsus inaccessum? At vero id clam factum fuit. Quis vero id clam fieri potuisse credat, qui non in rebus Judæorum tam hospes est, ut juxta cum ignarissimis sciat, quanta solertia, quantaque cura omnes templi aditus, omnesque portæ, fuerint custoditæ, ab integris cum Sacerdotum, tum Levitarum turmis, quorum illi tribus locis, hi viginti & uno excubias agebant, oculis Argi sane non tam facile fallendis? At vero, ait, impudens os, ope impuri nominis (שם טומאה) atque artis magicæ, superatis omnibus difficultatibus in ἄδυτον irrupit? Ridiculum profecto & vel Siculis gerris vanius χρηστφύγετον! Qui ergo magica arte atque vi impuri nominis ad lubitum uti, tantaque perpetrare, tamque incredibilia potuit, illine ad miracula facienda opus fuit surreptione nominis divini? Adeone Deus templi sui thronique quem in illo erexerat, populi sui, suæ adeo nominis gloriæ curam omnem ita abjecerat, ut vi nominis impuri (שם טומאה) sanctissimum nomen suum (שם המפורש) coerceri quasi ludibrio exponi posset pati? Non tamen in eo falleris, Judæe, quod vi nominis illius ἀνεκφωνήτου Christum solum tam stupenda, omnemque Creaturarum potentiam longe transcendentia patrasse opera scribis.

bis. Fuit enim ille solus, qui cum appellandus esset, qui erat יהוה צדקנו & in *cujus medio futurum erat NOMEN* Dei, & super cujus femur γεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων, tam mirabilibus factis innotescere, suamque omni humana majorem sortem, divinamque missionem demonstrare potuit, debuitque, ut ita in ejus *Nomine quod supra omne nomen est salvaretur humanum genus*, atque in illo πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, *atque ita confiteatur omnis lingua, illum esse Dominum Jesum Christum ad gloriam Dei Patris*, ut verbis Apostolorum utar ex Act. IV. 12. & Phil. II. 10. 11.

§. 19. Hæc cum ita sint, non magnopere habemus mirari ipsos Judæos tam insulsi atque infruniti commenti puduisse. Atque sane præter citatos תלדות scriptores nemo adeo ex Judæis, quibus alias frons maxime perfricta esse solet, tam omnem pudorem decoxit, ut illis fabellis suorum causam contra Christianos agere ausus sit. Ipse quin adeo similis tituli Auctor [cujus & editionem & refutationem Joh. Jacobus *Huldricus*, Tigurinus, Vir eximiæ pietatis atque eruditionis Lugduni Batavorum in qua tum studiis operam dabat, ante hos duodecim annos adornavit] quamvis in reliquis aliorum suæ familiæ sputa avidus lingat, hoc tamen mendacio chartas suas satis alias cacatas conspurcare videtur erubuisse. Quin & illud diserte refutatur ab aliis. Ita in Nizzachon non minus sacro, atque horribili libello, cujus verba adducit Seb. Munsterus ad cap. II. Matthæi legitur R. *Abrahamum Judæorum proselytum, dixisse, Jesum* שם המפורש *ne quidem novisse. Si enim*, pergit, *temporibus Mosis, ubi tamen gens sancta erat, illud iis erat incognitum, quanto minus posteriori ætate notum fuit? Quin omnia potius*, ait, *egisse, quæ egit per artes magicas*. Ita & per *magiam* sua opera fecisse multi alii ex gente recutita adseruere; ita in tract. שבת fol. 104. col. 2. narratur Jesum, quem filium Stadæ ibi vocant, *in Ægypto didicisse, eam autem occultasse in vulnere cutis, ne scilicet magis Ægyptiorum qui omnes sollicite solebant examinare, ne aliquid secum magicarum artium auferrent, illud innotesceret*. Confer etiam Sanhedrin fol. 43. col. 1. & 107. cot. 2. Ne nunc commemorem aliorum traditiones, qui Christum eas artes fingunt didicisse a præceptore suo R. Jehoschah ben Perachja, membro Synedrii magni. Immo, & hinc puto una cum aliis causam esse arcessendam, cur ipsos Judæos libellorum illorum puduerit, unquam illos exstitisse diffiteri ausos, ut supra monitum est §. 13.

§. 20. Ceterum vi nominis hujus divini certis rebus insculpti alios quoque miracula sua fecisse ab aliis quoque sæpiuscule traditum est. Ita illud inscriptum fuisse baculo Mosis, atque inde illum res tam miras agendi accepisse facultatem, ex libro Zohar, Pirke Elieseris, Schalscheleth hakkabalah ex מדרש יהושע docuit Buxtorfius in Exerc. p. 407. sqq. Quam quidem παράδοσιν simili de Christo fabulæ Judæis ansam dedisse reor. Porro Mahummedanos fabulari Japhetum, filium Noachi, miracula multa fecisse adjutum illo nomine ἀνεκφωνήτῳ insculpto pariter lapidi cuidam jam monuimus. Eosdem credere Bileamum virtute ejus nominis futura prædicendi donum, atque omnia, quæ vellet, faciendi facultatem a Deo impetrasse ex Bibl. Or. *D. Herbelotii* p. 180. didici. Ex libro inedito רזיאל, quem se manibus suis trivisse testatur *Eisenmengerus*, patet, Judæos credere, ejus nominis vi *fugari posse Dæmones, exstingui flammas, sanari morbos, necem conciliari hosti, si eum illi inscribas, si vero principi, ejus tibi favorem*. Ita in Actis Sylvestri Papæ, quæ circa initium seculi quarti conscripta creduntur, legitur, olim in templo ferocissimos tauros ex pronunciatione nominis hujus exanimes victimas in terram cecidisse, ejusque vi tum temporis Zambrem Judæum coram Constantino M. Christianis, & Sylvestro insultasse, atque idem fecisse Miraculum, sed hæc & alia, quæ huc pertinent, nunc taceo. Conferri cum his possunt, quæ ad illam confutandam fabulam monuere *VVagenseilius* ad L. C. p. 5. sqq. Joh. *Mullerus* in Judaismo c. XXIX. §. 4. Basn. Hist. Jud. L. IV. c. 28. *Monachius* ad L. Jer. c. III. 17. *Eisenmeng.* in Jud. revel. L. I. c. 3. & inprimis *Luth.* de hoc argumento liber, (von dem Schem hamphorasch der Juden/ und dem Geschlechte Jesu Christi) qui liber bis, & altera quidem editione auctior prodiit a. 1543. & deinde T. VIII. operum ejus edit. Aldenburg. insertus est. Claudo hæc adscriptione Judicii, quod de lepida hac Judæorum fabula tulit c. l. laudatus sæpe *Lemonius*. *At non ista*, inquit, *figmenta sunt desperatissimæ causæ Judaicæ indubitata* τεκμήρια, *nulla ratione fundata, aut in arte quæsita, nulla veri specie picta & dealbata*, & *nugis nugacissimis proximiora, quam umbræ vel tenuissimæ substratæ veritatis?*

§. 21. Cui sententiæ Lemonii, ut meam adscribo, ita ab illa ejusdem cogor discedere, quam ille in variis sacris, qui liber reconditæ eruditionis thesaurus est p. 570.

570. produxit, putat enim lapidem hunc שתיה originem dedisse Columnis *Sethianis*, quas filios Sethi erexisse, iisque res a se inventas, quæ præcipue ad cognitionem siderum spectabant, inscripsisse commemorat Josephus A. J. L. I. c. 2. vel, ut in aliis editionibus est, c. 3. quem deinceps alii magno numero secuti sunt. Cum autem tales nunquam exstitisse arbitratur, non paucos sibi habuit ὁμοψήφους, inter quos nominasse sufficiat, Goropium *Becanum*, qui cum alias nimis ad fabulas proclivi esset animo, in Hieroglyphicis suis tamen L. I. p. 11. *egregium* vocat *commentum*, *sed tale tamen*, *ut nemo illi Judæorum sit persuasurus*. Eduardum porro *Stillingfletum* in Or. S. c. I. c. 2. Jaquelottum in diss. L. I. c. 20. & Chr. *Justellum* vel potius R. *Simonium*, qui sub nomine *de Sainjore* latere voluit, in Bibl. Crit. T. II. c. 13. quod caput fere ad verbum intoleranda bonis libris negligentia repetitur T. III. c. 2. Hallensium observ. auctores T. I. p. 293. sqq. Ut nunc taceam alios, quos adduxit nuper refutavitque Vir eruditionis politissimæ Christ. *Schœtgenius* in diss. I. de Inscript. Hebr. §. 3. 4. Idque jure merito. Neque enim video illis satis fuisse causæ, ut rem, quæ, etsi ejus quædam circumstantiæ dubiæ esse possint, ipsa tamen nihil vel inepti vel absurdi habet, vel in dubium vocemus, vel prorsus inficiemur. Est enim a viro notata, cujus alias auctoritas jure merito nobis ponderis haud minimi esse solet, & quidem ita, ut locus adsignetur, ubi tum quidem temporis adhuc superstites erant. Quanquam enim nunc nobis ἀναμφιλόγως adserere non sit integrum, quæ per illam τὴν γῆν σιριάδα sit intelligenda, id tamen indubium est, ea tempestate, qua scribebat Josephus, illum terræ tractum non fuisse incognitum, neque illum ausurum fuisse tam diserte adfirmare, eas sua ætate exstare, si non exstitissent, in qua re tam facile mendacii argui, omnemque fidem suam decoxisse potuisset. Quod si enim putes tibi rationes esse idoneas dubitandi illas ab ipso Setho, ejusve nepotibus ante diluvii tempora fuisse creatas, nihil tamen obstat, saltem a vetustissimis temporibus ab illius terræ incolis, quisquis etiam ille Seth vel Sethus fuerit, a quo se denominabant ad propagandam siderum scientiam pro more illius temporis, pro lapidibus res ætatem laturas inscribere, valde solemne erat, fuisse exstructas cælatasque. Fortassis etiam potuere a Setho vocari, non quod ab eo fuere positæ, sed quod ea iis fuere inscripta, quæ per annosam traditionem putarent a Setho derivanda esse, quemadmodum in hunc usque diem liber quidam, quem Setho tribuunt, & vocant *Sefer Scheith*, maxima in veneratione Mahomedanis est, quam revelationes divinitus filio illi Adami factas continere, arbitrantur, & super quem jurare solent, teste Herbelotio, in Bibl. 65. p. 716. 726. & 784. Pariter Autor operis imperfecti in Matthæum scribit: *apud Gentem sitam in ipso principio orientis juxta oceanum*, *ferri scripturam quandam*, *inscriptam nomine Seth*, *de stella apparitura in ortu Messiæ*, *quæ per generationes studiosorum hominum*, *patribus referentibus filiis suis*, *habebatur deducta*. Vide plura de scriptis Sethi, Viri, cujus summa in Remp. litterariam exstant merita, J. A. *Fabricii* Cod. Pseud. V. T. p. 146. sqq.

§. 22. Quod autem illam conjecturam Cl. Lemonii adtinet, quasi illæ columnæ originem suam ac nomen lapidi nostro Sathiah unice debeant, non in eam possum ire pedibus, quod præter aliquam, eamque leviusculam adfinitatem nominis [qua etiam factum est, ut multi Sethi nomen explicarent per *positionem*, aut θεμέλιον *fundamentum*, vide Cosmam Indopl. L. V. & Chron. Paschale p. 77.] nihil habet, quo eam adstruat. Sed illa rem hanc non videtur posse conficere. Ecquis enim illud, quod narratur, non de una, sed duabus columnis, non in templo, sed in terra quadam ignota Syriade exstantibus, quibus non nomen illud summi numinis, sed res ad astrorum notitiam pertinentes inscriptæ erant, quæ jam antiquissimis temporibus, ipsaque adeo mundi Origine dicuntur fuisse erectæ, & quidem prorsus alium in finem, ecquis illud, inquam, ab uno quodam lapide, non nimis magno, quod ipsis temporibus Josephi in sacrario templi erat, & in quo tantum nomen Dei quatuor literarum exaratum erat, unice ob aliquam nominis similitudinem petendum sibi persuadeat?

§. 23. Cum in has columnas inciderimus, liceat nobis conjecturam, quæ nobis de loco illo, ubi positæ dicuntur in mentem venit, producere. Eum in finem animadvertendum est, varias ejus vocis lectiones esse. In quibusdam codicibus legitur τὴν συριάδα in aliis σιριάδα. Nicephorus in eclogis ineditis, quas citat in suis ad Josephum notis mutilis eheu! *Bernhardus*, posteriorem hanc retinuit. Multi, ut Malala in Chronico, Epiphanius interpres atque alii habent τὴν σιριάδα & Siriada, Auctor Hexameri, quod Eustathii Episcopi Antiocheni nomen præ se fert, vocat σηρίαδα, vel Σηριάδα, & alibi εἰς τὸ σήριδος ὄρος. Manethos apud Eusebium & Syncellus

cellus τὴν γῆν σηειαδικὴν. Procopius Gazæus in Comm. ad C. XI. Gen. & vetus Joſephi Interpres videatur legiſſe Σύειαν, ſicut Euſebius in Onom. ad vocem Evilath, τὴν Ἴειαν. Cedrenus appellat τὸ σύειδον ὄρος Glycas Ann. p. II. ſcribit Joſephum tradidiſse illam columnam ſuo tempore fuiſse εἰς τὸ σιδηρῶν ὄρος.

§. 24. Tam diverſi vocem hanc ſcribendi modi in diverſas ſententias, qualis ille terræ tractus fuerit, diſtraxit doctiſſimos Viros. Celeberrimus *le Moine* putat dictam, quaſi זורא id eſt, petroſam, quod lapidibus abundaret, vel שורא a שור videre, contemplari, quod in iſto loco Jacobus Deum viderit. Vide eum in V. S. p. 570. Iſaacus *Voſſius* in L. de ætate mundi c. 10. conjicit eam fuiſse *Serrath*, locum Galgalis prope Hierichuntem, de qua legitur Jud. III. 26. (in quo præeuntem habuiſse videtur Jeſuitam Bonfrerium in ſuppl. ad onom. Euſebii) & illos פסילים, quos LXX. vertunt, τὰ γλυπτὰ, quaſque alii verterunt per lapidicinas, de cippo hoc filiorum Sethi explicat. Præ aliis ſecutus eum eſt *Ill. Huetius* in D. E. p. IV. c. II. §. 15. & in L. de ſitu parad. ſed ob id vapulat *Ill. Stillingfleeto* in Or. S. L. I. c. 2. §. 11. Alii eum quæſiverunt in Ægypto, quod Seres oppidum eſt in vicinia Ægypti, & quod ille dici potuerit ita, quaſi terra Niliaca, quod Siris ſit Nilus, ut oſtendi in diſſ. ad L. Eſ. XVIII. 20. quæ nunc T. XIII. hiſt. Crit. reip. literariæ inſeritur. Inveniſse ſibi alii niſi ſunt in Æthiopia, quod Seres ſint gens Æthiopiæ, & Ser fluvius inſulam Seriam efficiat in mari rubro. Hadr. *Relandus*, quem honoris cauſa nomino, nuper in Palæſt. L. 1. c. 13. ſcribit ſe non dubitare Seriada regionem eſse Serum in India quam Joſephus A. J. L. I. c. 8. σηιειαν vocavit. Maxime vulgaris opinio illorum eſt, qui nominis adfinitate inducti eam collocarunt in Syria. Joſ. Scaliger, qui nihil fere ignorare viſus eſt, in Notis ad Chron. Euſebii p. 408. hanc terram ſibi ignotam eſse fatetur. *Quæ nobis ignota ſunt, quærant ſtudioſi.*

§. 25. Quæram igitur, Viris me quidem doctioribus deſpiciendum relinquens anne inveniri ille locus poſſit in confinio maris mortui, ad Auſtrum Palæſtinæ ſito, quæ terra pars erat Idumææ, a poſteris Eſavi habitatæ, cui etiam nomen ſuum dedit. Vocatur illa Hebraice הר שעיר mons vel montana *Seir*, vel ſimpliciter שעיר *Seir*, a LXX. Σηὶρ, a Joſeph. A. J. L. II. c. 1. σαάιρα, hodie, ſi T. Poſtello fides, *Sardenay*, appellatur. Quod quidem nomen non, ut multis viſum eſt, ab Eſavo nacta eſt, qui ipſemet שעיר i. e. piloſus ſ. hirſutus dictus eſt, ſed a Seir, Chorſæo, cujus familia nobis deſcribitur Gen. XXXVI. 20. ſqq. quæ ante Eſavum has terras incoluerat, deinceps ab hujus poſteris inde exturbata, ut legimus Deut. II. 11. 12. Ad hanc autem conjecturam nos ipſe verborum ſonus quaſi manu ducit. Quis enim non animadvertit vocem vel Σίειδα vel Σηείαδα, vel Σιείαδα, vel σηειαδικὴν notare commode poſse plagam SEIR. Quis non in ea clare deprehendit Pſeudo Euſtathii Σηιειαδ. Cui non הר שעיר i. e. montana *Seir* in mentem veniunt, cum Cedrenum, Glycam, atque Euſtathium illum terræ tractum audit appellare ὄρος Σήειδος vel σίειδον, vel σιδηρὸν ? His accedit, quod hic locus Palæſtinæ proximus fuit, neque, longe diſtabat ab ipſa Hieroſolyma prope mare mortuum, unde ipſi Judæorum vulgo non potuit ignotus eſſe. Quod autem Joſephus non *Seir* illum appellat, ſed γῆν Συείαδα, illius ratio eſſe potuit, ut diſtingueret ab urbe *Seir* vel *Seira* de qua legitur 2. Reg. VIII. 21. planitiem in tractu montano SEIR ſitam in qua illæ columnæ videntur collocatæ fuiſſe in loco, tum temporis nemini non noto, quæ inde percommode γῆ συείας vel σιείας dici potuit. Sed hæc obiter.

§. 26. Claudam hoc caput, ubi coronidis loco his Judæorum de lapide hoc fabulis aliam eorundem illis ad finem, neque lepidam minus adſuero, de Antichriſto, ſive Anti-Meſſia, Meſſiam quem exſpectant, oppugnaturo, cui nomen futurum erat ארמילאוס i. e. *Armillus*. Hunc ajunt ex *lapide marmoreo*, qui Romæ adſervatur, qui ſpeciem habet virginis eximiæ pulchritudinis & ab ipſo Deo ſingulari vi, non hominum manibus, formatus eſt, modo, quem referre pudet, naſciturum. Hanc duodecim cubitos fore longum, ac totidem latum, interſtitium oculorum fore integram ſpithamam &c. Hunc ſe dicturum Idumæorum i. e. Chriſtianorum Meſſiam, qui eum regem ſuum agnoſcant, in eum credent, eorum ingentes exercitus collecturum, pugnaturum cum Iſraelitis, quorum dux futurus Nehemias filius Cuſchiel ancipiti ſucceſſu occupaturum Ægyptum, interea Judæorum Meſſiam filium Joſephi ſive Ephraimi in prælio trucidandum, donec tantæ tamque horrendæ calamitates obruent populum Judaicum, quales inde a condito mundo non fuere. Ipſe autem poſtea a Menachemo Ammielis filii Davidis exterminabitur juxta vaticinium Eſ. XV. 4. *Necabit impium Spiritu labiorum ſuorum* & quæ plures id genus ineptiæ ſint, vix commemoratione, nedum refutatione dignæ. Quanquam & heic inquiri

 merea-

mereatur, annon in his fabulis veri quoque lateant vestigia, & anne illa ex certis, licet miserum in modum contortis distractisque veritatibus, de Christianorum Deo ac Rege, fideique objecto, Jesu Christo, ex virgine nascituro, de Antichristo, in urbe Roma sedem habituro, & spiritu oris divini necando, sint petita. Qui hæc uberius avet cognoscere, videat, quæ ex libro אבקת רוכל cujus auctor est R. Makkir, quique prodiit Augustæ Vindelicorum a. 1540. in 4. ex libro אתיות המשיח, id est, *signa Messiæ*, & libro Serubbabelis, qui uterque cum aliis Constantinopoli a. 1524. in 4. editus est, ex R. Abrahami Zebæ צלור המור, qui Cracoviæ a. 1595. & Venetiis 1566. lucem adspexit, ex מדרש יהושע qui pariter Byzantii a. 1524. in 4. typis exscriptus est, atque aliis quos in hanc rem adduxere Buxtorfius in Lex. p. 221. seqq. & St. Monachius Var. S. p. 570. seqq. J. H. *Majus* in Theol. Jud. c. 26. §. 5. &, qui præcipuo loco nominandus erat, J. A. *Eisenmengerus* in Jud. Rev. T. II. p. 704. seqq.

§. 27. Mirum nomen est, quod huic Messiæ hosti dant Judæi, cujusque ἔτυμον viris doctis crucem fixit. Quidam putarunt eandem esse vocem, cum *Ammiralio*, quæ nunc variis populis Imperatorem classis navalis indicat; Alii illud sibi invenisse visi sunt in vocibus Græcis ἐρημέω λαὸς, quasi *Vastatorem populorum* indicet. Putavi aliquando esse vocem *Romulus* præfixo א, ut monui in diss. de ὠολ. §. IV. §. 7. Nunc autem ea animum incessit suspicio ארמי לאוס duas esse voces Hebraicas ארמי & אל addita terminatione Romana *us*, quæ adjecta est, quod ea Romanorum Dux, Romæ natus, significaretur. Ita ut indicet *Deum Aramæorum* i. e. Christianorum. Quemadmodum enim Judæi Christianos & gentiles insignire solent nominibus aliarum gentium, cum quibus olim illis intercessere inimicitiæ, unde eos Idumæos Esavi posteros generationes Seir, Amalekitas, Cuthæos, Romanos, Chittæos, frequenter appellant, ita eadem ex ratione quoque vocant eos *Aramæos*, i. e. Syros. Ita quando in Massechet Schabbas fol. 12. 2. legitur, *qui petit necessitates suas a Deo* לשון ארמי *lingua Aramæa, illi non adjunguntur Angeli Ministeriales, quia non intelligunt* לשון ארמי. Non putem id intelligi debere de lingua Syriaca, (ea enim Judæi usi sunt olim vulgariter, atque in illa Christum suas preces effudisse vel ex Marc. XV. 34. colligere est) sed de lingua gentilium vel Christianorum quos נרי vocant. Ita in R. Mosis Ben Nachman תורת אדם impresso 1595. in 4. fol. 41. col. 4. legitur אסור לרפאות ארמי בחנם: *Probibitum est gratis sanare Aramæum*. i. e. gentilem s. Christianum. Ita apud eundem ארמים notat gentiles ib. col. 3. 4. Hinc genere fœminino ארמית notat Christianam ibidem Col. 4. sub tit. ענין הקבורה. Huc pertinet locus ex Pesachim fol. 112. col. 2. quem jam Buxt. adduxit in Lex. p. 220, ubi legitur inter quatuor res, quas Rabbenu hakkadosch moriturus filio suo præceperit, hanc quoque fuisse, *ne sedeat super lectum* ארמית mulieris Aramææ i. e. gentilis vel Christianæ. Quid igitur planius est, quam si ארמילוס vel, ut alibi scribitur ארמיאלוס nulla fere literula mutata vel transposita explicemus *Deum Aramæorum* i. e. gentilium, vel, quos gentilium loco habent, Christianorum? Quibus accedit, quod nullum aptius nomen dari potuerit illi, quem Christianorum ducem, Regem, immo Deum futurum proque illis pugnaturum narravere, quam hoc ipsum; καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

CAPUT IV.

Quo *Mysterium* hujus lapidis, indagatur, eumque Christi fuisse *Typum* ostenditur.

SUMMARIUM.

Lapidem fundationis respexisse Christum, probabile est §. 1. *Et reapse ejus fuisse typum, probatur* (1.) *quia omnia, quæ in S. Sanctorum erant, Christi typi fuere* §. 2. *Quia* (2.) *Christo hujus* Lapidis *nomen datur. Id enim est nota typi*. §. 3. *Frequenter Christus sub symbolo lapidis vel petræ occurrit*. §. 4. *Quia* (3) *pulchra analogia est inter hunc Lapidem & Christum*, §. 5. *Sive spectemus ejus* (a) materiam, *sive* (b) nomen §. 6. *sive* (c) locum, *qui fuit occidentalis pars adyti*. §. 7. *sive* (d) cælaturam. *Quomodo in Christo nomen* יהוה *conspiciatur?* §. 8. *sive* (e) *usus, qui erat triplex, ut* [α] *sustentaret arcam, ejusque* [β] *esset monimentum*, §. 9. *illique imponeretur* [γ] *thuribulum*. §. 10. *Quia* [4.] *tantum non vocatur Christi typus. Id quod probatur ex Zach. III. 9.*

10. *qui*

10. *qui locus plenius tractatur* §. 11. . . . . 23. *Ejus occasio* §. 12. *& scopus* §. 13. *Quid* צמח*? Duplex Christi natura hac voce indicatur* §. 14. *Quomodo ille vocetur* [a] *lapis*, [b] *ILLE lapis*, §. 15. (c) unus *lapis*, *positus* [d] *coram Josua* §. 16. *In quo* [e] *septem* oculi *vel* fontes *sunt* §. 17. *Spiritus s. sæpe sub symbolo* fontium *venit*, *& quidem* septem *fontium*. *Hic enim numerus ei proprius* §. 18. *Respicitur ad foramina petræ Mosis*. *Illustratur Apoc. XXI.* 1. *Quomodo ex throno Dei aquæ?* §. 19. *Quomodo* (f) *in illo* sculpturæ. *Alluditur ad cælaturam lapidis* Sathiah. *Locus Job. VI.* 27. *illustratur*. §. 20. *Quomodo cum hoc oraculo conjungatur* ablatio iniquitatis, quæ futura *UNO* die. *Hac phrasi*, *ut & altera*, *de* invitatione sub ficu & vite *respicit diem magnum expiationis* §. 21. *quomodo* [g] *ille digito quasi potuit monstrari & dicier hic est*. Totius *oraculi* περίφρασις §. 22. *Quia* (5) *in locis V. & N. T. ad hunc lapidem sæpe alluditur*. §. 23. *Id fit Ps. CXVIII.* 22. *Quis fuerit Lapis* angularis *magnus* §. 24. 25. *Ut & Es. XXVIII.* 16. §. 26. *Zach. IV.* 7. §. 7. *& vers.* 10. *Quid lapis* הבריל §. 28. *Anne etiam Es. VIII.* 14. 15. 16. §. 29. *sit illud quoque a Christo & Apostolis*. *In primis Eph. II.* 19. *sqq.* §. 30. *Quid sit* fundamentum Prophetarum & Apostolorum §. 31. 1. *Petr. II.* 4. *sqq. quo sensu Christus dicatur lapis* ΖΩΝ. §. 32. 2. *Tim. II.* 19. *quid* σφραγὶς, σφραγίζειν. §. 33. *Hebr. I.* 3. כבוד, δόξα, *Schechina* §. 34. *Quid* ὑπόστασις, χαρακτὴρ, χάραγμα §. 35. 36. *Quia* (6) *Alias nihil in templi adyto fuisset typicum* §. 37. *Ipsi* (7) *Judæi hoc videntur credidisse*. *Unde Messiam vocarunt* lapidem §. 38. *Atque hinc videntur illorum de hoc lapide fabulosæ traditiones ortæ*, *quod Antitypum cum typo confunderent* §. 39. *Unde hunc lapidem putarunt esse illum Jacobi*. *Gen. XLIX.* 25. *Fuit hic Christi typus* §. 40. *Omnium* ἀνακεφαλαίωσις *& conclusio* §. 41.

§. 1.

POsteaquam hactenus illustrem *Fundationis* lapidem in sanctuario fuisse ostendimus, & quid de illo tam *ficti*, falsique tenax, quam nuncia *veri* fama per omnes ætates narravit, retulimus, nihil nunc restat amplius, quam ut investigemus annon præter illos usus, quem illum habuisse C. I. §. 21. sqq. ostendimus, habuerit alium? habuisse autem vix dubitamus. Quemadmodum enim omnia, quæ in illo templo conspiciebantur divinorum fœta fuere mysteriorum, illumque indicarunt, qui & anima, & centrum, & medulla, & nucleus, & scopus legis, totiusque cultus ceremonialis erat; ita nihil causæ video, cur non idem de hoc tam incluto saxo cogitemus, eoque ὡς ἐν τύπῳ & quasi in pictura Israelitis ob oculos positum dicamus LAPIDEM illum insignem *fundamentalem*, de quo toties & V. & N. T. oracula cecinere, JESUM CHRISTUM. Id vero si quis temere a nobis adseri existimet, sciat non paucis, neque levibus argumentis nos in eam sententiam adductos esse. Ad ea autem producenda cum nos adcingimus, auspicabimur a certis quibusdam regulis, quas Viri ἐν ταῖς γραφαῖς δυνατοὶ, atque ab illo nimio typos ubique investigandi studio τυπομανίαν vocares, quod hac tempestate multorum animos occupasse, vix ausim ire inficias, alieniores, tanqam γνωρίσματα ex quibus, quid typus dici possit discatur, posuere, quasque vix a quoquam qui in stylo sacrarum literarum non omnino hospes est, in dubium vocari posse autumo. Interea moneo, me per typum nihil intelligere aliud, quam rem vel actionem vel personam, per quam Deus voluit res spirituales N. T. adumbrare.

§. 2. Prima itaque regula [1] hæc esto. *Quidquid ut totum, tanquam typus considerandum est, illius etiam singulæ partes relationem typi habent*. Quod enim de toto verum est, id etiam de partibus totum illud constituentibus affirmari posse in confesso est apud omnes, & in scholis logicorum, cum ferulæ nondum manus subduxeramus, didicimus. Ita cum arcam fœderis typum sciamus esse, scimus quoque, ejus formam, materiam, limbum, vectes, operculum & Cherubinos iis insidentes fuisse rerum spiritualium typos. Quidni igitur etiam lapidem, cui illa innitebatur? Porro totum templum, præcipue ejus sacrarium, omniaque vasa, quæ in illo fuere, fuisse ὑποδείγματα καὶ σκιὰν τῶν μελλόντων καὶ ἐπουρανίων ἀγαθῶν, καὶ ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν ἁγίων nos disertis verbis docuit, maximus, si quisquam alius horum mysteriorum interpres, D. Paulus Hebr. IIX. 5. IX. 24. X. 1. Immo in eadem epistola c. IX. 3. 4. sigillatim huc transfert omnia, quæ ἐν τῷ ἁγίῳ καὶ τῷ ἁγίῳ τῶν ἁγίων fuere, & *candelabrum* & *mensam*, & *panes propositionis* & *aureum thuribulum*, & *arcam* fœderis & *vasculum Mannæ*, & *virgam Aaronis* & *tabulas legis* & *Cherubinos*

obumbrantes propitiatorium. Non autem hic exclusum velle lapidem nostrum, & si quid ibi sanctum alias fuit, vel ex eo tuto colligas, quod expressis verbis addat, περὶ ὧν οὐκ ἔστι νῦν λέγειν κατὰ μέρος, iis innuens, fuisse ibi etiam alia suis mysteriis non carentia, *de quibus nunc sigillatim loqui non sui esset instituti*, etsi κατὰ μέρος de iis, ut talibus loqui, si voluisset, potuisset. Potuit etiam habere rationes suas, cur hujus lapidis, non apertam voluit mentionem facere, quod non omnibus Judæis esset notus, saltem ejus Moses in descriptione templi non meminisset. Et quid multa? supra C. II. §. 5. 6. 7. 8. ostendimus omnia, quæ in S. Sanctorum asservabantur, duplicem præbuisse usum, tum ut singularium beneficiorum in deserto palanti populo exhibitorum essent μνημόσυνον, tum ut futurorum in Christo exhibendorum essent Symbola. Atque inde collegimus, lapidem hunc, qui admodum probabiliter frustum fuit ex Petra Mosis excisum, non solum monimentum perpetuum fuisse petræ illius, quæ vivus aquarum salientium fons factus, fuerat Israeli, ut vasculum Mannæ cibus illius cœlestis, sed & *Petram* illam *salutis*, quæ exspectabatur, præfigurasse. Unde patet eum quoque rationem habuisse *typi*. J. Q. E. D.

§. 3. Id quoque *secundo* loco [2] mihi concessum iri spero, si *a sacris scriptoribus Christo nomen rei aut personæ sacræ datur, eam, ut Christi typum* considerandum esse. Sic v. gr. quando Christus dicitur agnus mactatus, & quidem paschalis Joh. I. 29. 1. Petr. I. 18. 19. 1. Cor. V. 9. quis dubitet greges agnorum quotidie mactatos, præsertim circa festum paschatos Christi fuisse typos? Quando se ipsemet *panem* esse dicit *vitæ* e *cœlo descendentem* Joh. VI. 48. sqq. quis ambiget pane illo, quo cœlitus olim in deserto Israelitæ pascebantur, illum esse præfiguratum? Cum ille aperte dicitur ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης Apoc. XI. 19. illa olim fœderis arca eum adumbratum fuisse vix dubium esse potest. Cum Davidem nunquam legamus, non magis, ac operculum arcæ Christi fuisse typos, tuto tamen illud colligimus ex eo, quod ille frequenter & David in sacris appellatur Ez. XXXIV. 23. XXXVII. 34. Hos. III. 5. & ἱλαστήριον, [non ἱλασμός] a D. Paulo Rom. III. 25. sic cum Johannes venit sub nomine Eliæ Luc. I. 18. Matth. XI. 14. & cœlum sub nomine Paradisi Luc. XXIII. 43. 2. Cor. XII. 4. Apoc. II. 7. & regnum Antichristi sub nomine Sodomæ & Babylonis Apoc. XI. 8. vix in dubium vocari potest Eliam Johannis, Paradisum cœli, Sodomam & Babylonem regni Anti-Christiani fuisse figuras. Quodsi itaque ostendi potest Christum eodem fuisse designatum nomine, quo lapis ille *fundationis*, ecquis hunc illius fuisse emblema negare ausit?

§. 4. Eum in finem nolo jam adducere loca, in quibus vocatur *petra*, petra Salutis, petra cordis nostri, petra sæculorum, petra ruinæ Deut. XXXII. 15, 18, 30, 31, 37. Ps. XVIII. 32. XIX. 15. LXXIII. 26. LXXXIX. 27. XCV. 1. Es. VIII. 13. 14. XXVI. 4. LI. 1. Matth. XVI. 18. IX. 32. 33. 1. Cor. X. 4. neque etiam ea, ubi dicitur lapis, lapis Israelis, angularis, abscissus, pretiosus, offendiculi Gen. XLIX. 24. Ps. CXVIII. 22. Es. VIII. 13. XXVIII. 16. Dan. II. 34. 35. Zach. III. 8. 9. IV. 9. 10. 1. Petr. II. 4. 9. operose exhibebo. Sed vocari אבן שתיה, si non iisdem literis, quoad sensum tamen videmus, sive enim illud nomen a *fundatione* derives, expresse vocatur אבן מוסר מוסר lapis *fundatus*, *fundatissimus*, sive maxime *fundamentalis positus in Sione* Es. VIII. 13. 14. sive a *potatione*, quis nescit eum ab Apostolo appellari τὴν πέτραν τὴν ἀκολουθοῦσαν, ἐξ ἧ πάντες ἔπιον τὸ αὐτὸ πόμα? sive a *positione*, ille est, de quo Deus ait: Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον. Ecce ego PONO in *Sione* LAPIDEM Rom. IX. 33. 1. Petr. II. 6. Cum itaque Christus ipso illo designatur nomine, quo ille illustris sacrarii lapis, patet hunc illius fuisse typum. J. Q. E. D.

§. 5. Sed id *tertio* [3] ex hoc canone confirmatur clarius, *si Analogia non coacta, sed sponte fluens inter rem, quæ ad V. T. cultum pertinet, illamque quæ bona N. T. respicit, institui potest, accedentibus præcipue aliis quæ superioribus paragraphis jam monita sunt, illa hujus est consideranda typus*. Data opera scribo *accedentibus reliquis*, alias non negaverim solam convenientiam neutiquam typum efficere, at reliquis illi accedentibus vix de eo puto dubitari posse; Quis enim credat Deum in templi sui sanctuario rem tam notabilem voluisse exstare, quod tam accurate secundum ipsas adeo minutias mysteria fidei, & inprimis Christum repræsentaret, neque tamen voluisse nos credere, ea de causa id factum esse ut nobis Christi, tanquam in tabula affabre ficta, exhibiti memoriam refricaret? Eodem modo, ac si hominis alicujus imaginem secundum omnes vultus lineas ductusque accurate repræsentari contemplaris, id vero factum forte fortuna, non ex intentione pictoris, velles adserere.

§. 6. Concinnam autem admodum, atque elegantem inter lapidem nostrum ac Je-

sum

ſum Chriſtum ſimilitudinem, ſive ejus *materiam*, ſive *nomen*, ſive *figuram*, ſive *locum*, ſive *cælaturam*, ſive *uſum* denique conſideremus, oſtendi poteſt facile. Ita *lapidis marmorei* durities, firmitas, incorruptibilitas, præſtantia, atque immobilitas in animum revocare nobis poteſt J. C. divinæ præſtantioriſque φύσεως robur, conſtantiam, immutabilitatem, ζωὴν ἀκατάλυτον, καὶ μὴ τέλος ἔχουσαν, per quam *heri idem eſt*, & *nunc*, & *in ſæcula* Hebr. XIII. 5. Ejuſmodi rei ſymbolum eſt figura lapidis *quadrata* docens ſimul Chriſtum ex omnibus locis & quatuor plagis terræ accedentibus ad ſe eſſe expoſitum. Maximam autem *nominis* eſſe Analogiam, undecunque etiam derives ſive a *fundatione*, ſive *potatione*, ſive *poſitione*, non ſolum ex iis, quæ jam §. 4. monita ſunt, ſed & ſequentibus patet. A *fundatione* enim quis aptius denominari poteſt illo, qui ut unicum Salutis & Eccleſiæ *fundamentum* eſt, *ita omnia ſuſtentat verbo potentiæ ſuæ* Hebr. I. 3. & *ſuper quo ædificata eſt Eccleſia* Matth. XVI. 18. qui olim *fundaverat terram* Hebr. I. 10. coll. Pſ. CII. & jam ſuos *portaverat*. Eſ. LXIII. 9. Quam commode ille dicitur *petra potationis*, ex quo omnes τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον. 1. Cor. X. 4. qui *fons apertus factus eſt domui Jehudæ*, & *habitatoribus Hieroſolymæ* Zach. XIII. 1. qui ſuis dat largiter aquam, quæ in illo fit πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον, iiſque acclamat, *qui ſitit, veniat ad me*. & *bibat, qui in me credit, ſcriptura ait, ex ejus ventre flumina aquæ vivæ fluent*, Joh. VII. 37. 38. *qui ſitit, veniat*, & *qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*. Ap. XXII. 17. Quod ſi autem, quaſi lapidem *poſitionis* dictum velis, eccui hæc appellatio conveniret jure meliori, quam illi, qui *fundamentum* illud τὸ κείμενον, POSITUM præter *quem nemo poteſt aliud* PONERE, qui *eſt Jeſus Chriſtus* 1. Cor. III. 11. quem jam lapidem eſſe vidimus a Deo in Sione POSITUM Rom. IX. 33. 1. Petr. II. 6. quem Deus προέθετο POSUIT *in caſum & reſurrectionem multorum* Luc. II. 34. de quo Deus ipſe dicit: Τέθεικά σε POSUI *te in lucem gentium, ut ſis in Salutem ad fines terræ* Act. XIII. 47.

§. 7. Si ad *locum* illum, in quo collocatus fuit, reſpicimus, qui erat *ſanctum ſanctorum*, ejuſque *media* pars prope *occidentem*, pulcherrimæ res de Chriſto nobis in memoriam revocantur. Cum enim notum ſit illud ἄδυτον tum *Eccleſiæ*, tum *cœli tertii* fuiſſe emblema quis non in eam cogitationem veniat illo indicatum fuiſſe, non ſolum, corpore humano, dum in terris erat, & deinde in Eccleſiæ medio gratia ſua, ac præſidio ad conſummationem ſeculorum verſaturum, ſed & deinceps occupaturum cœlos, *collocandum* ibi ad dexteram majeſtatis divinæ, & per omnem æternitatem regnaturum, victurumque? Neque id ſine cauſa factum fuiſſe puto, quod ad *occidentem* adyti, hoc eſt, ejus & templi totius extremos terminos ſitus fuit, ita ut non niſi peragratis portis atriiſque, ipſoque ſancto, omnibuſque eorum ſacris utenſilibus luſtratis potuerit conſpici, deinceps autem nihil amplius occurreret aliqua animadverſione dignum. Innuebatur eo Jeſum Chriſtum, ut totius legis, omniſque ſacri cultus centrum non ſolum, ſed & *finem*, ſcopumque eſse, ad quem collimarent omnia, quoque invento nihil amplius magnopere expectandum erat. Veluti autem Lapis ille in templi penetrali abſconditus fere, & nulli mortalium præter Pontificem ſummum viſus deliteſcebat, donec moriente Servatore aulæo, quod ſanctum a ſanctorum ſancto dividebat, rupto pateret omnibus; ita doctrina de Chriſto fundamento & petra eccleſiæ, ante mortem Chriſti paucis admodum, iiſque tantum ex gente Iſraelitica innotuit, deinde autem poſt ejus mortem notitiæ omnium expoſita, & longe lateque promulgata fuit.

§. 8. Neque id forte fortuna, vel dicis tantum cauſa factum eſse reor, ut illi lapidi Nomen illud tremendum יהוה inſculptum legeretur. Illo enim [a] innuebatur ejus ἀντίτυπον nomine eodem olim inſignitum iri. Ne enim nunc ea loca producam, in quibus Angelus Dei, qui ab hoc non alius eſt, ita frequenter appellatur, in ipſis illis locis, in quibus conſideratur, ut *rupes* vel *petra* eccleſiæ, vocatur quoque יהוה. Ita Eſ. VIII. 13. 14. *Jehova Exercituum lapis dicitur percuſſionis & petra offendiculi*, & Jehova, *cui confidendum* eſt, *quique in* יה *eſt*, *appellatur Rupes ſæculorum* Eſ. XXVI. 4. Cætera loca, quæ idem confirmant, ex Theologicis inſtitutionibus nota ſunt. Et Judæis etiam eodem illum venire nomine oſtendi quoque poſſet prolixius, ſi id nunc ageretur. [b] Cum autem hoc nomen eſt Dei המיוחד proprium, aliiſque præter Deum incommunicabile, fatentibus ipſis Judæis, & huic tamen inſcribitur lapidi, monemur, eum cujus ille erat ſymbolum, non appellandum ſolum, ſed & reapſe fore Deum Benedictum ſuper omnes in ſæcula, Patrem in eo eſse, ut ille in Patre eſt, ſuiſque operibus dictiſque ſe Deum eſse demonſtraturum; Et ita ut quatuor illæ literæ inciſæ ſaxo conſpiciebantur, ita in eo quaſi divinam naturam conſpectum iri, & πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς

habi-

habitaturum. (c) Porro cum nomen Dei non Deum solum ipsum, sed & perfectiones ejus indicat, ita cum in lapide nomen Dei videbatur, significatum fuit, Deum vim nominis sui, i. e. perfectiones eas, quæ illo nomine potissimum indicabantur, veritatem potissimum, gratiam, justitiam & gloriam illustri prorsus modo exserturum & patefacturum. [d] Denique, ut adspectus nominis illius in lapide intuentibus Deum in memoriam quasi revocabat, ita Christus ille est, qui *nobis notum fecit nomen Dei* Joh. XVII. 26. qui nobis *cum in sinu Patris esset, eum enarravit, quem alias nemo vidit*. Joh. I. 18. qui cum sit εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου Col. I. 15. in cujus facie conspiciatur φωτισμὸς τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ 2. Cor. II. 6. καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ (in quo loco adhuc nostrum lapidem alludi aperte mox videbitur) χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ Hebr. I. 3. *solus revelare nobis potuit patrem, quem præter* illum nemo novit. Cum enim Patris natura, essentia, & virtutes sunt in filio, *qui filium videt, contemplatur Patrem* Joh. XIV. 7. 9. Præcipue cum sua ad mortem obedientia effecit, ut quis & qualis Deus sit, quam verax in promissionibus, quam justus in judiciis, quam sanctus in omnibus viis suis, quantum sufficiens ad beandum peccatorem qualisque haberi, credi, coli & celebrari velit, pateret manifestissime: Immo omnia, quæ de Deo sciri oportet, tum per scripta & ora Prophetarum, ac ministrorum suorum, tum ipse populum docens patefecit plenissime. Atque hæc omnia arbitror cogitare debuisse Israelem, cum viderent in lapide hoc nomen illud quatuor literarum incisum, quo videlicet docebatur, ut tribus verbis complector omnia, eam esse Imaginem illius angeli שם יהוה בקרבו IN CUJUS MEDIO *futurum erat Nomen Jehovæ*, quod de eo dicitur Ex. XXIII. 21.

§. 9. Neque minorem Convenientiam inter lapidem, & Christum deprehendemus, si ad *usus*, quibus ille destinatus erat, quemque *triplicem* potissimum esse ostendimus, lubuerit animum advertere. *Primum* enim arcam & propitiatorium cum cherubinis, tanquam thronum, cui Deus ipse sub Symbolo columnæ igneæ insidebat, sustentavit; Cum in illis rebus, quas recensui nobis divini Numinis cum humano genere reconciliatio, ceteraque cum illa indissolubili vinculo connexa beneficia adumbrarentur, quis eas illi lapidi, tanquam *fundamento* super impositas potuit contemplari, quin simul cogitaret illum, qui restauratæ hominum cum immortali Deo, atque etiam angelis amicitiæ, & simul throni gratiæ, in sanguine ejus tempore? Novi fœderis erigendi unicum, ac firmissimum futurus erat *fundamentum*; Immo unicus mundi, & inprimis ecclesiæ ארון, cui ut basi omnium ætatum fideles erant innixuri unice, vere βάσις τοῦ λαοῦ vel potius βασιλεὺς βασιλέων: θεμέλιον, præter quod aliud fundamentum poni nequit, OMNIA adeo sustentans verbo potentiæ suæ; sed & *secundo* lapis ille in templo secundo monimentum erat loci illius, in quo olim arca collocata fuerat. Cum enim notum sit, Judæis fuisse in more positum, ut precantes semper se converterent ad locum illum, in quo arca erat, & propterea, cum extra fines Palæstinæ versarentur, illam regionem, cum in Palæstinam, Hierosolymam, cum in hac urbe, templum, cum in templo, ejus sanctuarium, respicerent, Pontifex autem, cum in sanctuario erat, arcam contemplaretur, illa autem in templo secundo deficeret, coactus fuit faciem suam ad hunc lapidem arcæ μνημόσυνον, directam gestare. Quis itaque dubitet, quin hic quoque nobis sit significatum Christum esse, ad quem preces nostræ dirigendæ sunt, qui nobis, cum precamur, in oculis sit habendus, utpote, cujus merito & intercessione omnis exauditionis nostræ spes solum fulciatur.

§. 10. *Denique* vidimus C. I. §. 23. Pontificem Judæorum maximum magno illo expiationis die penetrale ingredientem thuribulum & vasculum המחתה plenum prunis ab altari exteriori desumtis, ad adolendum suffitum supra illas congestum lapidi huic imposuisse, cum prima vice intrasset, inde repetendum, cum quarta, i. e. ultima vice inde egrediebatur. Id quoque non mysterio caruisse minus, quam reliquas omnes ejus diei actiones, mihi persuasum est. Scilicet suffitus tum adoleri solitus, tum Christi Intercessionem tum fidelium preces notare, id vero notius est, quam ut probatione indigeat, & ex Ps. CXLI. 2. Apoc. V. 8. VIII. 3. 4. constat clarissime. Sicut autem altare suffitus, quod alias *aureum* sive *interius* dicitur, cui pariter thuribulum quotidie imponebatur, adumbrabat Christum, tanquam verum παράκλητον preces nostras intercessione sua comitantem, merito suo fulcientem, offerentem Patri atque τὸν καπνὸν τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων a terra in cœlum εἰς ὀσμὴν εὐωδίας adscendere facientem, iisque cum gratia spiritus sui, tum obedientia sua fragrantiam conciliantem ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, ita idem hoc saxum, solemni hac die acerram gestans, significavit. Quod autem illud eo die הכפורים fieret, necessariam expiationis sacrificio Christi partæ cum intercessione ejus conjunctionem indi-

indicavit. Quæcum ita sint, & tam accuratam ubique inter lapidem hunc & Jesum Christum similitudinem inveniamus, quidni illum hujus fuisse typum confiteamur? J. Q. E. D.

§. 11. Porro id mihi, tanquam ὁμολογούμενον prorsus, atque indubitatum typi κριτήριον (4) *quarto* loco ponere liceat, id pro typo habendum, quod typum esse ipsæ nos docent sacræ literæ. Ita Adamum primum fuisse typum secundi, diluvium suo sensu baptismi, petram deserti Jesu Christi, historiam Abrahami, ejusque uxorum ecclesiæ utriusque Testamenti, id vero extra dubitationis aleam positum est, quod id diserte Rom. V. 74. 1. Petr. III. 21. 1. Cor. X. 4. Gal. IV. 22. edoceamur. Illud autem pariter ratione Lapidis nostri fieri in illustri illo loco, qui Zach. III. 9. 10. legitur, putamus, quem in finem excutiemus eum paulo diligentius, & quæ illorum verborum fuerit occasio, quis scopus indagabimus, ut genuinum inde, & veritatibus egregiis fœtum sensum eruamus.

§. 12. Factum hoc vaticinium est anno secundo Regis Darii, mense octavo, adeoque bimestri tantum serius, quam simile factum est Haggæo. Num autem ille Darius fuerit vel Hystaspis filius, vel Nothus, non ausim definire, neque enim meum est, nec fortassis ullius mortalium tantas, tantaque opera inter eruditissimos Viros agitatas lites componere, quanquam fateor mihi illorum sententiam magis arridere, qui Darium Hystaspis intelligi volunt. Cum enim Cyrus oraculo illo, quod Esaias de se, quem suo nomine designaverat, ante duo secula cecinerat, potissimum permotus, Israelitis in captivitatem Babylonicam abductis licentiam dederat revertendi in patriam, illudque templum Deorum summo rursus exstruendi, res autem variis obstaculis vel dilata esset, vel impedita, anno circiter decimo nono post primum Cyri edictum, qui, ut mihi videtur, septuagesimus fuit, post primam in Babyloniam transportationem, Serubbabel filius Sealthielis, princeps Judæ, & Josua, pontifex Judæorum maximus, operi manum rursus admovere & exstructionem templi moliri ceperunt. Eum in finem per Haggæum & Zachariam prophetas Deus socordiam ac negligentiam iis exprobrare & graviter exhortari voluit, opus ut fortiter & strenuo urgerent, addita promissione felicis atque optati successus. Illi rei hæc quoque verba inprimis inserviunt, quæ pronunciata videntur inter urbis & templi e ruderibus suis surgere, incipientium, quæque recte *titioni ex incendio erepti* vers. 2. comparantur, ruinas, & quidem si conjecturis maxime probabilibus uti licet, in ipso illo loco, ubi olim sanctissimum templi penetrale fuerat, ad adspectum lapidis illius, qui olim arcæ fuerat fulcrum, inter rudera reperti, eadem prorsus ratione, qua mille circiter annis postea, ut visum est C. II. §. 15. idem ille numero lapis ad indicandum genuinum templi locum a Sophronio Patriarcha Omaro Mahammedanorum Caliphæ ostensus fuit. In ipso autem templo hanc visionem Prophethæ contigisse vel ex eo patet, quod phrases ubique in his capitibus adhibeantur, a rebus, quæ in templo erant, petitæ.

§. 13. Cum autem præcipuus scopus, restaurationis templi hic erat, ut olim in illo conspiceretur ejus Dominus Messias, ita hoc præcipue argumento usus videtur Deus, quo populo illam ædem certe absolutum iri persuaderet, & ad ejus structuram promovendam illi animos adderet, desumto ab adventu indubitato Messiæ, quasi ita vellet argumentari: si olim ad templum suum venire debet Messias, templum illud dirutum erigi rursus, & restitui debet. At vero veniet ille certo, & præsentia sua novum hoc templum illustraturus est, cujus proinde gloria prioris gloriam longo post se intervallo relinquet. Non itaque dubitari potest, quin illud denuo erigendum ejusque exstructio strenue urgenda sit. Huc spectat vaticinium illud nobile Haggæi, quod C. II. legitur, Et cum eo prorsus convenit hoc, quod tractamus Zachariæ oraculum. Præterea cum simul una Sacerdotium promittitur *Josuæ* ne quis putet hoc restaurandum templum una cum Sacerdotio fore perpetuum, innuitur tum hoc tum illo, quod Zach. VI. 12. 13. legitur vaticinio, utrumque tam diu conservatum iri, donec veniat Dominus templi ἀρχέτυπον templi, ipse aliud templum, ecclesiam suam erecturus, aliudque Sacerdotium nunquam cessaturum stabiliturus. Sed hæc nunc videamus plenius.

§. 14. Commate quidem præcedenti Deus promiserat, se servum suum Tzemach צמח adducturum, de qua voce nihil nunc quidem aliud monemus, quam eam non minus ad Græcam ἀνατολήν, qua illam vertentes usi sunt οἱ ἑβδομήκοντα, aptissimam esse, ad utramque in Messia (quem per eam intelligendum & Chaldæus interpres, qui ubique vertit המשיח Es. IV. 2. Jer. XXXIII. 15. Zach. VI. 12. & in hoc ipso loco, & R. Bechai, atque alii Judæorum, qui per Gematriam eandem esse cum voce מנחם, cujus numerus est 138. quem Messiam esse in Cod. Sanh. c. XI. f. 98.

& in

& in Middrasch super prov. fol. 71. (ut in diss. de Orac. Lam. C. II. §. 7. docui) observarunt, confessi sunt) naturam exprimendum. Non enim solum notat *germen* e terra, sed & *orientem* solem, atque idcirco illum indicat, qui juxta naturam *humanam* est fructus, radix, surculus βλάστημα terræ, Es. IV. 2. XI. 1. LIII. 2. Jer. XXIII. 5. XXXIII. 15. Ez. XVII. 22. 23. secundum autem *divinam* est ἀνατολὴ ἐξ ὕψους Luc. II. 78. & *sol* justitiæ Matth. IV. 2. & ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὄρθρινος Ap. XXII. 16. Hunc & *germen* e terra, & *solem* orientem ex alto i. e. Θεὸν φανερωθέντα ἐν σαρκὶ simul futurum, dicit Deus se non adducturum, sed se *adducere*, ut innuat non solum certitudinem, sed & propinquitatem ejus adventus, brevi, atque adeo stante adhuc & templo hoc, & florente Sacerdotio, affuturum.

§. 15. Ut autem & rei hujus certitudo magis, & quis qualisque ille Tzemach futurus sit, appareat, oculis in certum quendam lapidem inter ruinas jacentem templi conjectis ita pergit Deus: כי הנה האבן אשר נתתי לפני יהושע על אבן אחת שבעים עינים הנני מפתח פתחה וגו; Quæ ita verto: *Nam ecce, hic* (Tzemach, quem adducturus sum) *est ILLE lapis, quem coram vides, quem posui coram Josua, super UNO hoc lapide* sunt *septem fontes*, & ecce, *ego cælabo cælaturam ejus, verbum Domini exercituum, & ego tollam perversitatem hujus terræ uno die.* Videmus hic Messiam proponi [a] sub Symbolo lapidis [b] lapis hic, describitur a præstantia, האבן, ILLE *Lapis* (c) a numero: אבן אחת, UNUS *lapis*. (d) a situ, qui *positus erat coram Josua*. [e] a singulari ejus κελτηκῶ *In illo sunt septem fontes*. (f) a sculptura, quæ in eo apparet. *Ego*, inquit, *cælaturam ejus cælabo*. [g] Hæc autem omnia prophetæ vel Josuæ vel Zerobbabeli, veluti digito monstrantur, & dicitur, *HIC EST*. Bis enim, illud הנה Ecce repetitur. Nolumus jam ostendere (*a*) Messiæ nomen *Lapidis* & frequenter & percommode tribui, illud enim vulgare est, & aliqua de hac re jam monita sunt supra §. 4. & 5. sed illud [*b*] non prætereundum est vocari האבן ILLUM lapidem, cum emphasi & quasi δεικτικῶς, insignem aliquem lapidem & κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum, qui in templo fuerit, intelligendum consentiunt, at in eo designando seorsim abeunt Interpretes. Non moramur magnum alias Grotium per eum intelligentem globulum stanneum de perpendiculo dependentem, quo utens Zerobabel primum lapidem erat positurus. Neque enim אבן notat globulum stanneum, neque quomodo in eo septem oculi & cælaturæ fuerint, intelligi potest. Quidam de lapide quodam angulari prominente dictum esse volunt, sed ut cætera taceam, sermo est de אבן אחד *uno* lapide, lapis angularis autem, ubicunque etiam ille promineat, in ædificio affabre & scienter exstructo, non locum habet, nisi sit geminus, ut unum latus respondeat alteri. Neque pollicem premere possum sententiæ clarissimi Theologi Jac. *Altingii*, qui integra diss., quæ quinta est heptadis tertiæ, & operum T. V. occurrit, per Josuam intelligendum esse Christum, per lapidem autem cœtum fidelium voluit, in allusione ad lapides, qui in pectorali erant Pontificis summi. Sed, ut nunc alia taceam, quæ mihi hanc conjecturam minus faciunt probabilem, sufficit monuisse, non hic de duodecim lapidibus sermonem esse, sed de *uno*. Et quamvis haud nesciam אבן sæpiuscule venire pro integra lapidum congerie, nuspiam tamen, lapidem, qui diserte vocatur אחד, pro acervo plurium lapidum sumi deprehendo. Aptius itaque fluent omnia, si lapidem hunc, qui olim arcam sustentaverat, neque cum reliquis templi vasis abductus fuerat, & nunc oculis eorum, quibus hoc vaticinium fiebat, quique in templo erant, patebat, intelligamus, cui nisi fallor, omnia, quæ de hoc lapide dicuntur, ad amussim conveniunt, id quod ex sequentibus ὀφθαλμοφανερῶς patebit.

§. 16. Ille enim [*c*] recte & ἐμφατικωτάτως dicitur אחד, quod unicus erat, & nullus præter eum conspiciebatur, unde & Judæis passim אחד vel אחת solet appellari, ut ex R. Jehuda Leone supra C. 1. §. 15. ex Autore Jalcuth Chadasch c. 1. §. 17. & ex auctore Toldos Jeschu Wagenseiliano c. 1. §. 18. vidimus. Ille porro [*d*] coram *Josua* tum in templo versanti, ejusque ex ruderibus suis exstructionem promoventi positus erat. Immo singulari ratione positus erat coram Josua, qui tum *Pontificis Maximi personam* sustinebat, quia nulli alii patere solebat, quam Pontifici summo, in adyto anniversaria sacra facienti.

§. 17. Accedit [*e*] quod aut in hoc lapide septem illi עינים possunt inveniri, aut nuspiam alibi. Hinc nemo Interpretum aliquid adtulit, quod commode ad septem illos vel oculos vel fontes, qui in lapide quodam fuerint, referri possit. Non immorabor examinandis illorum cogitationibus, qui vocem illam explicant per *oculos*, & cum septem oculos super hunc lapidem fore dicitur, putant innui, cum oculi in sacris literis & cognitionis, & amoris, & fidei sint emblemata, fideles omnium

omnium temporum N. T. ſeptem ſuis Periodis diſtinctorum Chriſtum eccleſiæ ſuæ petram cognituros, ut talem amaturos, eique vera fide adhæluros eſse. Pia ſunt hæc omnia, & vera, & in locis ſcripturæ aliis paſſim docentur. Mallem tamen in hoc loco עינים interpretari per *fontes*, quam per oculos. Neque enim minus vel uſitata vel genuina hæc vocis ſignificatio eſt, & oculi eodem apud Hebræos nomine deſignantur, quo fontes, ex ea ratione, quod oculi ſubinde fiant lachrymarum fontes, vel, ut Judæorum magiſtri dicunt, quod fontes in terræ ſuperficie ſint id, quod oculi ſunt in capite humano, vel, quod fontium foramina ſpeciem referant oculorum. Gratulor mihi hoc ſenſu etiam hanc vocem ſumſiſse ſummum noſtræ ætatis Theologum C. *Vitringam* in obſ. S. L. I. diſs. III. c. 4. §. 7. 8. 9. quamquam quid in hoc quidem lapide ſeptem ſibi fontes velint, non addiderit. Notandum itaque Spiritum S. ejuſque dona ſub ſymbolo aquarum venire paſſim. Notius hoc eſt, quam ut opus ſit demonſtratu. Propter autem exuberantem donorum ſuorum copiam venit frequenter ſub ſymbolo ſcaturiginis rivorumque ex illa ubertim profluentium. Vide Pſ. XLVI. 5. Cant. IV. 15. Eſ. XXXV. 6. 7. XLI. 18. XLIV. 3. Zach. XIV. 8. Joh. VII. 37. 38. Apoc. XXII. 1. atque in hunc cenſum etiam hunc Zachariæ locum referendum eſse cenſeo.

§. 18. Neque parum in hac ſententia me confirmat numerus ille fontium ſeptenarius. Eidem enim illi ſpiritui ſancto tribuitur frequenter. Eſ. XI. 2. Meſſiæ ſeptuplex ſpiritus tribuitur *ſpiritus Domini*, *ſapientiæ*, *prudentiæ*, *conſilii*, *fortitudinis*, *cognitionis & timoris Domini*. Apoc. I. 5. Divus Johannes eccleſiis cap. IV. verſ. 5. SEPTEM *Lampades igneæ ardentes coram throno* dicuntur eſſe τὰ ΕΠΤΑ πνεύματα τȣ̃ Θεȣ̃, uti deinde Cap. ſequenti comm. 6. SEPTEM *cornua & oculi*, SEPTEM *agni mactati* eſſe dicuntur ΕΠΤΑ τȣ̃ Θεȣ̃ πνεύματα τὰ ἐπιςαλμένα ἐις πᾶσαν τὴν γῆν. Immo *ſeptem* illas oleo plenas flagranteſque Lucernas, quæ in candelabro Moſaico cernebantur, emblemata fuiſſe ſeptemgemini hujus ſpiritus, omnis illuminationis ſacræ cœleſtiſque ignis auctoris vel ex collatione citati Apocalypſeos loci conſtat, ſicut quando filius hominis Apoc. I. 13. II. 1. in medio *ſeptem* illarum Lucernarum conſpicitur ambulare, innuitur provida illa cura, quam gerit erga eccleſiam ſuam luce ſpiritus divini colluſtratam. Num autem hoc ſeptenario numero, qui ſpiritui Dei tribuitur, vel ad donorum ejus varietatem, vel perfectionem, cujus ille ſolet eſſe ſymbolum, vel ad inſigniores quaſdam ejus operationes, vel ad ſeptem diverſas N. Teſtamenti temporum periodos, vel ad hæc omnia ſimul, quod ego quidem arbitrarer, reſpici debeat, id vero copioſe nunc examinare, neque hujus loci, neque etiam inſtituti eſt. Sufficit, hinc patere *ſeptem fontes* in lapide noſtro elegans eſſe emblema ſpiritus ſancti, cumque illi *in* vel *ſuper* eo eſſe dicuntur, vel indicatur, eum, ſub hujus Lapidis ſymbolo venit *ſeptem* inſtructum fore ſpiritus S. dotibus ita ut hic locus plane parallelus ſit, illi quem adduximus, ex Eſ. XI. 2. ut & Eſ. LXI. 1. vel eum, exuberantem Eccleſiæ ſuæ fore ſpiritualium donorum ſcaturiginem, ex eo in ſuos more ruentis aquæ derivandorum, & tum conferri omnino debent Cant. IV. 15. & Joh. VII. 37. 38. ut & Eſ. XXXV. 6. 7. coll. verſ. 4.

§. 19. At, quid, inquis, hæc ad Lapidem illum שתיא, qui in ſanctuario fuit? ubi ibi aquæ, ubi fontes? Velim itaque tibi, Lector, in memoriam revoces, quod ſupra C. II. §. 5. — 13. non uno argumento ſaltim admodum probabiliter adſtruxi, videlicet, hunc lapidem fuiſſe particulam illius lapidis vel petræ, quam Moſes olim in deſerto percuſſerat, in adyto templi & in memoriam præteriti beneficii & in teſſeram futuri ſollicite adſervatam. Ex eo enim aquarum *vivarum* & *fontes* & flumina prorupiſſe ibi vidimus, & ad hanc videtur hiſtoriam alludere Pſaltes Pſal. LXXIV. 15. quando ſcribit: Deum fidiſſe עין *fontem* & torrentem. Septem illos itaque *fontes* indicare crediderim ſeptem *foramina*, quæ in illa rupe, cum Moſis baculo percuteretur, apparuere, quorum ſingula vivarum aquarum fontes ſiti fere pereunti populo facti ſunt. Neque ſi unum tantum ibi fuiſſet, ſuffeciſſet, præbendo potum tantæ ſitientis populi multitudini. Atque his ſeptem foraminibus pertuſus lapis (inde fortaſſis *pertuſus* dictus auctori itinerarii Burdigalenſis, de quo vide C. II. §. 14.) in ſacrario adſervatus non ſine myſteriorum variorum ſignificatione, quæ ex dictis colligi poſſunt facile. Atque huc etiam alludi putem Apoc. XXII. 1. cum ibi mentio fit Ποταμȣ̃ καθαρȣ̃ ὕδατος ζωῆς ἐκπορευομένȣ ἐκ τȣ̃ Θεȣ̃. Huc alludi ad templum Hieroſolymæ, in confeſſo eſt. Thronum autem Dei ſecundum ſacrarum literarum ſtylum vocari arcam cum propitiatorio ſuo & Cherubinis, ignotum eſſe poteſt nemini, qui non in earum meditatione prorſus hoſpes eſt. Quomodo autem ex illa arca effluxit fluvius aquæ puræ, inſtar Chryſtalli? Percommode: ſi tibi lapidem hunc, illius throni baſin ac fundamentum, ob oculos ponis, ex quo olim flumina

aquarum vivarum erupere, cujus veſtigia in ſeptem illis foraminibus videntur reſtitiſſe. Sed hæc fortaſſis uberius alias.

§. 20. Redeundum eſt ad Vaticinium Zachariæ, & (*f*) videndum, quomodo in illo, quem commemorat lapide *ſculpturæ illæ a Deo cælandæ* inveniri poſſint. Poſſunt autem facili negotio. Cum enim apud animum noſtrum cogitamus, id quod ex vulgari & antiquiſſima Judæorum traditione C. I. §. 17. 18. demonſtravimus, huic lapidi grandioribus literis nomen illud memoriale Dei יהוה fuiſſe inſcriptum, per ſe patet, quid illo ſibi phraſis velit: הנני מפתח פתחא: *Ecce*, ego *cælabo cælaturam ejus*. Recte enim hæc ita transferuntur, פתח in lapide nimirum habet notionem ſculpendi, vel cælandi Saxum. Vide Ex. XXVIII. 9. 11. 2. Chron. II. 7. 14. III. 7. Indicatur ſcilicet voce הנני Deum quaſi oculis ad ſculpturam illius lapidis converſis monſtrare veluti digito ſuo, atque innuere, ſe ejus antitypum, quem adducturus erat, Jeſum Chriſtum, iis inſtructurum donis, virtutibuſque, iis ejus actiones comitaturum miraculis, iis ornaturum teſtimoniis, ut ex iis, tanquam ex indelebilibus characteribus colligi poſſit, eum eſſe verum Meſſiam neque ſolum nomen ejus eſſe Zemah, ſed & nomen יהוה *eſſe in ejus medio* Ex. XXIII. i. e. eſſe Jehovam, rupem ſæculorum Eſ. XXVI. 4. & Deum laudandum ſuper omnia in ſæculorum ſæcula. Confer ſupra §. 8. Ita ut cum hoc loco conferri debeat phraſis, qua utitur Chriſtus, Joh. VI. 27. cum de ſemet ipſo loquens, ait, *τῦτον ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν, ὁ Θεὸς*, ubi ad ipſum hunc Zachariæ locum videtur alluſiſſe.

§. 21. Ex quibus cum pateat nihil in hoc eximio loco eſſe, in quo non aperte ad hunc *lapidem poſitionis* reſpiciatur, ita fortaſſe an hoc cuiquam dubium faciat, quod in ſequentibus ab hac metaphora diſcedatur, neque illa phraſis, qua dicitur *iniquitatem illius terræ ſublatum iri uno die* quidquam habeat adfinitatis cum illo ſaxo. At vero reſpondeo novum his verbis paragraphum, atque adeo ſermonem inchoari. Ut enim verſ. 8. promiſſus Meſſias fuerat generaliter ſub nomine tzemach, ita verſ. 8. ſpecialius deſcribitur variis dicendi modis petitis a lapide hoc coram poſito, ut viſum eſt; egregii fructus recenſentur, qui cum illius adventu conjuncti erunt, *ablatio* nimirum *peccatorum*, & plena cum omni felicitatis genere conjuncta pax verſ. 10. Ut autem pateat hoc membrum a priori ſejungendum eſſe hac aſſeverationis formula; *hoc verbum eſt Jehovæ Exercituum*; inter utrumque inſeritur. Interea loci, cum quæ de ablatione iniquitatis terræ, quæ futura UNO DIE erat, aperte alludat ad ſolemnem illam expiationem peccatorum populi totius, quæ quotannis UNO ac illuſtri die, quæ exinde *κατ' ἐξοχὴν* יומא i. e. *dies* dicebatur, fiebat, ita hæc promiſſio eo commodius iis, quæ de lapide dicta erant, potuit conjungi, quod illo tantum die, quotannis ille oculis Pontificis maximi pateret. Ne nunc commemorem, cum illi lapidi ſeptem fontes ſint adſcripti, hinc petita ſit phraſis, qua *iniquitates* dicuntur *adſterſum iri*. Quemadmodum pariter, quod miror a nemine interpretum obſervatum eſſe, cum porro adduntur, *unumquemque ſuum proximum ſub vite ſua, & ficu invitaturum* aperte reſpicitur mos Judæorum, cum die illo expiationis, adveſperaſcente cœlo, Pontifex maximus omnibus miniſterii ſui partibus bene feliciterque defunctus eſſet, & e ſancto ſanctorum incolumis & ſalvus domum rediiſſet convivio lauto atque opiparo amicos ſuos excipiebat, & quidquid diei ſupererat, hilariter vivebat, ut diſcimus ex Cod. Joma c. VI. §. 4. & Maimonide in tr. de eodem die c. IV. §. 3. quem morem univerſus imitari ſolebat, tum quidem cuticulam curans, genioque indulgens populus. Quæ quidem obſervatio ut egregiam huic loco lucem fœneratur, ut docet, quomodo hæc phraſis de *invitatione proximi ſubter ficum ac vitem* conjungi apte poſſit *ablationi peccatorum*, quæ uno die futura erat, ita non dubito, quin non ſolum eo indicatum fuerit, Chriſtum poſt lytrum ſuum ac ſanguinem Patri ſuo oblatum, redeuntem ad ſuos cum iis rurſus cibum ſumpturum, ut legimus apud Luc. XXIV. 30. 41. 42. Verum etiam inſignem illam lætitiam, quam populo ſuo in V. T. poſt expiationem plenariam peccatorum partam acquiſiturus erat Servator, cujuſque ſub emblemate epuli divini frequenter ad ſui uſque reditum renovari voluit, adumbratam fuiſſe. Alias ad literam quoque hoc impletum eſt vaticinium, cum auſpiciis Haggæi & Zachariæ filii Iddonis reſtauratione templi bene feliciterque procedente, populus omnibus incedere lætitiis per ſeptem dies continuaret, ut legere eſt apud Eſram VI. 14. — 22.

§. 22. Omnia itaque quæ in hoc oraculo dicuntur, cum commode referri poſſint ad lapidem hunc, unuſquiſque facile animadvertit, quo ſenſu [*g*] nunc ille quaſi digito exſerto monſtretur, Ecce, hic *eſt ille lapis*! Cum enim Deus promiſiſſet ſe Virum Tzemach adducturum, Joſuæ & Zerubbabeli ſtantibus inter ruinas templi ſive ut phraſi utar, qua de hac re loquens uſus eſt Nehemias IV. מערמות העפר ואבנים

ואבנים שריפות : inter acervos *pulveris & lapidum combustorum*, coram insigni illo lapide, ut illi promissioni eo majus pondus addat, hunc veluti digito ostendit, & ex loquendi modo in sacris literis maxime familiari typi nomen dat antitypo; innuitque illud saxum, ut olim, ita inposterum porro populo Israelitico fore pignus quasi, symbolum, atque emblema futuri Messiæ, *Hic Zemah, quem adducturus sum, hic est ille lapis, qui hic non frustra olim in loco tam sacro positus fuit, sed ut repræsentet vobis ob oculos, illum, quem sub nomine lapidis ac petræ toties Moses ac prophetæ polliciti sunt;* ILLE lapis, ut talis, & figuris adumbratus & vaticiniis promissus, & tanta cum ἀποκαραδοκίᾳ ferventibusque desideriis expetitus, ille lapis UNICUS unica sæculorum petra, unica hominis salus, redemtor, mediator, præter quem nulla salus aut nullum nomen datum est hominibus, in quo oporteat salvari, & præter quem nullus alius fundamenti Lapis poni potest, Ille lapis, qui ut hic lapis nunc positus est coram oculis tuis o *Josua*, ita in emblemate hoc in hoc adyto tui ordinis hominibus ob oculos positus semper jacuit, qui etiam in plenitudine temporum tum apparebit, quando Sacerdotium hoc nondum florere desinet, mox deinde abrogandum, immo, qui deinceps coram ipsis successoribus tuis adducetur, judicabitur, condemnabitur. ILLE est, *in quo septem sunt fontes*, vera illa πνευματικὴ καὶ ἀκολουθοῦσα Πέτρα, super quem quiescent septuplicis spiritus mei dona, *spiritus Domini, spiritus sapientiæ & prudentiæ, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus cognitionis & Timoris Domini*, & ex quo, *tanquam uberrimo fonte, flumina aquarum vivarum in ecclesiam promanabunt*. ILLE est, cujus ego *cælaturam*, & quidem eam, quam in hoc lapide expressam intuere, *cælabo*. Ego enim iis instruam donis, virtutibusque, eaque ejus manu faciam prodigia ac miracula, ex quibus unusquisque eum a me missum ac nunc promissum Messiam, immo mecum יהוה, quod ego nomen alias nemini, qui non talis sit, communico, in omnia sæcula laudandum, collendum, adorandum esse cognoscet. Atque ille id præstabit, reapse, quod tu, tuique συνεργοὶ quotannis faciunt in typo, quodque tu vel hodie fecisti (fortassis enim vel ipso die illo הכפורים hæc visio potuit contingere) ita ut ejus sanguinis flumine totius orbis terrarum iniquitates sint abstergendæ, ac tollendæ, quam quidem peccatorum expiationem pax atque omnis generis tum in terris inchoanda, tum æternum in cœlis continuanda felicitas indivulso nexu sequetur, ad cujus communionem, tanquam ad epulum, unusquisque proximum suum, inter ipsas etiam gentes, amice pelliciet atque invitabit. Hac ratione cum omnia sponte fluant, sensumque præclarum, Dei scopo, & ipsis circumstantiis maxime convenientem effundant, ferme ausim adserere, hanc veram ac genuinam oraculi hujus esse interpretationem. Ex qua cum sequatur lapidem nostrum ab ipso Deo Messiæ dictum esse typum, datur enim huic ipsius antitypi nomen, sequitur quoque ejus typum fuisse. J. Q. E. D.

§. 23. Atque huic argumento liceat addere aliud [5] huic affine, neque minoris ponderis, *Ea res, quæ ad cultum V. T. & templum ipsum spectet, ad quam in sacris literis, cum de Christo ejusque beneficiis agitur, frequens fit allusio, eam hujus vel horum fuisse typum existimandum est*. Ita, cum de regeneratione & restitutione generis humani loquitur scriptura, iis utitur phrasibus, quæ ex historia primæ creationis desumtæ sunt, Cum de sanguinis Christi effusione sermo occurrit, respicitur ad sanguinem hircorum, ceterarumque victimarum, qui olim effusus fuit, sæpe consideratur ecclesia N. T. instar templi, & ita descibitur, ut videat sacros scriptores augustum illud Dei templum in oculis habuisse. Quid igitur inde colligas aliud, quam has res, quas posteriori loco nominavi, priorum fuisse emblemata? Et hoc locum habet in innumeris aliis, quæ nunc non tangimus.

§. 24. Videamus nunc, annon ejusmodi loca in sacris monumentis occurrant, quæ non ex comparatione hujus Lapidis nostri illustrari possent. Et cui non illico huic in mentem venit *Lapis ille, quem reprobarunt ædificantes, at qui factus est caput anguli?* Ps. CXVIII. 22. Certe vix sine indignatione legere possum, viros doctos, qui se Christianos vocant [olim ab ipsis Judæis in ruborem dandos, inter quos nonnulli de Messia hoc explicarunt] eo potuisse dilabi audaciæ, ut hoc oraculum Davidi applicuerint, vix Servatoris nostri mentione facta contra disertissima N. T. loca, in quibus ipse Messias sibi illud tribuit Matth. XXI. 42. Marc. XXII. 10. Luc. XX. 17. quem deinde ejus Apostoli secuti sunt tam claris verbis, ut clariora esse nequeant, quando v. gr. Petrus de Jesu Nazareno loquens, οὗτος, inquit, ἐστιν ὁ λίθος &c. Act. IV. 11. confer. 2. Petr. II. 7. Posito itaque hoc ad Christum pertinere unice, & cum ille hac phrasi indigitatur, ad certum aliquem lapidem tum temporis notum alludi, dignum est inquisitione, quisnam ille lapis fuerit. Vetus est traditio

de quodam lapide, quem verbis Petri Comeſtoris deſcribam, prout illa in ejus Hiſt. Schol. ad Matth. C. 27. occurrunt, *Ad literam traditur fuiſſe paratus lapis ad templi ædificium, nec tamen congrue in eo poni potuit, donec conſummato opere in angulo ſurſum poſitus eſt ita congrue, quod mirarentur omnes*. His gemina in hunc locum habet Nic. de Lyra, qui ſcribit *Lapidem quendam aliquoties in ædificatione ablatum non potuiſſe convenienter collocari, ideoque aliquoties rejectum, ultimo poſitum fuiſſe in conſummatione anguli, per quem lapidem ſignificetur Chriſtus*; ſed recte Burgenſis in additionibus fundamentum hujus expoſitionis, dicit eſſe fictum & fabuloſum, cum nuſpiam in ſcripturis legatur, quod tale quid contigerit in ædificatione templi Salomonis. Adrichomius in deſcr. Terræ S. ubi de Hieroſolyma agit adducit §. 154. Lapidem quendam Angularem duriſſimum, inter latus Orientale & meridionale, ſolidum montis Sionis fundamentum, qui Chriſtum præfiguraverit. Villalpandus in pulcherrimo opere Explanationum in Ezech. T. II. P. II. c. 34. prolixus eſt in oſtendendo hoc lapide, quaſi ille fuerit conſpiciendus in ſumma facie Orientali veſtibuli templi, ita quidem, ut in faſtigio turris poſitus reliquis omnibus ſuperemineret. Sed ne nunc dicam in illo turris faſtigio ſingularem ejuſmodi lapidem ne quidem occurrere, qui præ ceteris notandus ſit, ut vel ex ipſa delineatione ejus veſtibuli, quam dedit doctiſſimus Jeſuita, apparet, patet ex collatione ſcripturarum cum primis ejuſmodi reſpici lapidem, qui rationem habeat fundamenti, ut doceatur, eccleſiam eo potiſſimum niti, atque ab eo ſuſtentari. Præterea, id probe animadvertendum eſt, cum Pſalmus ille conſcriptus ſit ante ipſam exſtructionem templi, non alium divinum Pſalten potuiſſe in oculis habere, quam talem lapidem, qui jam fuit in tabernaculo, ante templum ipſum erectum, quod ſi autem talis ſimul poteſt monſtrari, qui & olim in tabernaculo, & poſtea in templi penetrali fuerit, res eo procedet felicius.

§. 25. Cogitavi itaque aliquando, annon reſpiciatur ille, de quo agimus lapis. Potuit illud fieri a Davide, cum jam tum adſervaretur, potuit fieri a Chriſto & Apoſtolis, cum ea quoque tempeſtate in templo eſſet, ſi ille fuit fruſtum petræ Moſis, ut probabiliter evicimus, patet, quo ſenſu dici potuerit, primum reprobatus & deinde caput anguli conſtitutus eſſe. Cum enim Moſes jubebatur percutere hanc petram, facile colligere eſt hanc rem, ſcilicet ex rupe tam arida aquarum vivarum fontes eliciendos, primoribus populi murmurantibus incredibilem viſam atque factu impoſſibilem, immo idem accidiſſe ipſi Moſi & Aaroni, ex iis colligas, quæ Num. XX. 10. . . . . 14. leguntur. Potuit deinde fieri, ut lapis cum arca fœderis, nunc huc nunc illuc circumferretur, hic lapis diu neglectus, paucisque cognitus deliteſceret, donec eum David poſt duplicem contra Philiſtæos victoriam una cum arca ex domo Abinadabi, habitantis in Gibea, magna cum pompa inter tripudiantium & canentium læta jubila, & muſicos concentus primum in ædes Obed-Edomi, & deinde in montem Sionis deduxit, ibi in tabernaculo collocandum, ut ex hiſtoria patet, quæ 2. Sam. cap. ſexto & 1. Chron. XIV. & XVI. legitur, quam quidem huic hymno occaſionem dediſſe valde mihi ſit veroſimile, quod ex ſingulis pene verſibus oſtendi poſſet, ſi id nunc ageretur. Deinceps porro idem illi potuit applicari, quando poſt deſtructionem prioris templi inter ejus ruinas per annorum LXX. ſpatium abſconditus in apricum rurſus producebatur, cum, ut viſum, auſpiciis Zorobabelis & Joſuæ templo reſtaurato ſacerrimo ſuo loco reſtitueretur, fortaſſis etiam ita potuit πειφράζεσθαι, quod nihil ſingularis, vel eximii ſecundum ſpeciem externam præ ſe ferens, tanti tamen a Deo fuit habitus, ut in medio ſacerrimi adyti collocatus, fundamentum fieret arcæ illius illuſtris, thronique, cui ipſe Deus, rex populi ſui inſidere credebatur. Et annon, ut viſum eſt, cum quondam uſque ad tempora ſæculi ſeptimi ſitu ac ſordibus obſitus ſqualliduſque jacuerit, ab Omaro extractus in hunc uſque diem ſollicite adſervetur, olim ſingulari modo caput anguli conſtituens, dici poterit, ventura ſæcula docebunt. Ego heic nihil auſim definire. Moneo ſaltim, ſupra Cap. II. §. 14. a nobis viſum eſſe ex Itinerario Burdigalenſi, lapidem, circa quem lugentes Judæi conveniebant, quemque a noſtro *poſitionis* lapide non differre oſtendimus, vocari *Lapidem angularem magnum, de quo dictum eſt. Lapidem* &c. ſicut quoque eodem capite §. 22. ſæculo XV. ex Bernardi *Breidenbachii* itinerario illum lapidem angularem in templo Salomonis, quod hodie Turcæ poſſident, monſtrari audivimus.

§. 26. Clarius longe huc ſpectat egregium illud de Jeſu Chriſto Vaticinium, quod apud D. Eſaiam C. XXVIII. verſ. 16. legitur: הנני יסד בציון אבן בחן פנה יקרת מוסד מוסד *Ecce ego pono fundamenti loco* (LXX. vertunt ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια) *lapidem in Sione, Lapidem electum, anguli ſ. eminentem, pretioſum*, ſ. plenum

num gloria, *fundatum*, *fundatum*, i. e. fundatissimum, *fundamentum fundamentorum*, in N. T. id oraculum repetitur Rom. IX. 33. X. 11. 1. Petr. II. 6. Prophetam autem nostrum hunc אבן שתיה in oculis habuisse, vix, qui illud leget, dubitare potest; Quicumque enim, quæ de hoc diximus, legit, videt illico attributa, quæ illi tribuuntur, huic lapidi tribui posse optime. Dicitur collocandus *in Sione*, i. e. templo Hierosolymæ, qui inde a Davidis temporibus lapidis nostri habitaculum fuit. Dicitur אבן בחן, lapis *probationis* vel *tentationis*, quæ quidem denominatio huic lapidi ex amussi convenit, si eum rursus credamus partem esse petræ Mosis, ut probare conati fuimus; Illa enim *lapis* fuit *tentationis*, cum tum demum porrigebat aquas populo, posteaquam illi *tentare* Deum fuerant ausi. Vide Ex. XVII. 1. 2. 7. & Num. XX. 1. sqq. Præcipuo autem loco nota, ipsam hanc vocem בחן adhiberi a divino Psalte, cum de illa *tentatione* populi, quæ in Meriba & Massa, ubi aqua ex petra dabatur, contigerat, sermonem instituit Ps. LXXXI. 8. & XCV. 9. Dicitur porro אבן פנה, i. e. anguli, sive prominens, quod ille sanctuarii lapis, ut visum, aliquot digitis e terra promineret. Præterea quam pulchre אבן יקרת vocetur, ecquis non intelligit, qui apud animum suum cogitat, non solum omnes lapides sanctuarii, ut mox §. 28. & 32. videbitur, ita appellatos esse, sed & inprimis hunc lapidem ita dici potuisse, cum ob rationes alias, quæ per se patent, tum ob insculptum illi nomen יהוה. Cum autem porro audimus heic nomen יסד, quæ & literis & significatione parum abludit a voce שות vel שתה, unde nostrum שתיה, notatque FUNDAMENTI loco aliquod PONERE (unde Apostoli verterunt) τίθεσθαι eamque vocem *ter* uno commate repeti (cum dicitur יסד, ego ponam, & ipse lapis vocatur אבן מוסד מוסד, eccui non statim in mentem venit noster אבן שתיה i. e. lapis FUNDAMENTI & POSITIONIS, ut ostensum est? Quis denique non animadvertit, Judæorum animos in ipsa templi adyta, quasi traductos erigi promissione futuri certissimi adventus illius, qui sensu plenissimo id in templo mystico, i. e. ecclesia sua futurus erat, quod ille lapis fundamenti in templo Hierosolymitano vel fuit vel fuisse credebatur? Certe illa analogia, quæ inter hujus Esajæ locum & hunc lapidem intercedit, tanta visa est eruditissimo Viro St. Monachio, ut hinc fere omnes Judæorum Traditiones de illo arcessendas esse putaverit in Var. S. p. 563. sqq.

§. 27. Fortassis quoque huc pertinet comma septimum Cap. IV. Vaticinii Zachariæ, *Quis tu, magne mons coram Zorobabele? complanaberis. Producet enim* Zorobabel *ILLUM Lapidem, illum præcipuum seu capitalem, cum acclamationibus, gratia gratia illi*. Videor mihi videre Prophetam inter ruinas templi exstruendi, quæ in molem ingentem instar colliculi vel montis alicujus excreverant, stantem. Inter eas sepultus quasi delitescebat *lapis* noster, qui in priori templo sustinuerat arcam. Deus itaque illum certiorem facturus de restauratione templi & ad urgendum opus excitaturus, jubet his verbis complanari aream templi, rudera ejus tolli, educi ex illis Lapidem illum insignioris notæ: האבן הראשה Lapidem ILLUM primarium, ut eundem locum, quem in primo templo occupaverat, rursus occupet. Qui cum primus ac literalis verborum sit sensus, non tamen excludi velim mysticum. Cum enim a materiali illo templo, quod tum exstruebatur, Judæorum animi transferendi erant ad contemplationem templi mystici, ecclesiæ, innuitur sicut tum mons ille, qui ex ruderibus suis surgebat, complanabatur, ita non solum regnum Babyloniorum, quod præcipuam reparationi sacræ ædis injicere remoram videbatur (confer Jer. LI. 25.) sed & quidquid præterea regnorum ac Imperiorum, qui sub emblemate montium in sacris literis describuntur frequenter, ædificationi atque incremento ecclesiæ obsistere ausurum sit, excisum funditus ac complanatum iri, ita ut conferri mereatur non solum Es. XL. 3. 4. sed & Dan. II. 45. neque minus 2. Cor. X. 5. Porro, veluti Lapis ille eximius dubio procul non sine pompa notabili, positus, suoque loco in sanctissima templi parte restitutus fuit, ita olim a Deo collocandum; fundandum Lapidem, illius antitypum, primarium, angularem in medio ecclesiæ. Certe Messiam hic respici, vidit Chaldæus Paraphrastes, qui explicat *de revelatione Messiæ, cujus nomen appellatum est ab æternitate, & cujus imperium est super omnia regna*. Cum autem additur תשאות חן חן לה, despiciendum relinquo aliis, annon priori voce alludatur ad nomen Lapidis nostri, cum ex שתאות una tantum literula transposita fiat תשאות. Quemadmodum etiam cum additur חן חן allusio potuit esse ad nomen יהוה illi lapidi insculptum, utpote quod ipse Deus explicuit אל רחום וחנון Exod. XXXIV. 6.

§. 28. Eadem hæc promissio repetitur confirmaturque statim vers. 10. quando pollicetur Deus אבן הבדיל *fore in manibus Zerubabelis*. Huc præstantissimos Interpre-

tes

tes illas voces explicasse per *lapidem stanni* sive *perpendiculum*, quo usurus ille erat in dimetiundis templi partibus. Sed quid obstat, ut vocem הבדיל arcessamus ab illa ejus notione, qua notat separare, discernere, eligere, ut significet lapidem *electionis* vel *separationis*, i. e. *electum* vel *separatum* ἔκλεκτον, τίμιον, πολυτελῆ, quomodo hunc lapidem nostrum vocatum vidimus ab Esaia XXIIX. 16. Sane ab eadem radice descendit, ejusdemque significationis est, quam habet vox ברלח, quæ sive eam de chrystallo, sive de margaritis, [quod a τῷ πάνυ *Bocharto* in Hieroz. L. V. c. 5. egregie ostensum est] sive de alio pretioso lapide interpretari velis, nomen suum tamen sortita est a voce בדל, separare, eligere; Cum autem res, quæ separatur, soleat eligi ob præstantiam, hinc *separare*, *eximere* notionem involvit pretii & præstantiæ. Uti Latino sermone voces *eximius*, & *egregius*, res notant, quæ ob præstantiam *e grege* quasi separantur, atque *eximuntur*. Uti & Hesichius ἀφωρισμένος, explicat ἐκλελεγμένος, διακεκριμένος. Et sic אבן הבדיל, perquam concinne notare posset lapidem pulchrum politum, marmoreum, sicut omnes lapides marmorei, qui in structura templi adhibiti fuere, vocantur יקריות, (vide mox §. 33.) quam vocem οἱ LXX. τιμίες, & D. Lucas XXI. 5. καλὲς vertit, ubi cave credas cum quibusdam Viris alias non indoctis, qui Antiquitates Judaicas illustrarunt, de *gemmis* id intelligendum esse; ex superioribus autem abunde patet, quam pulchro sensu, si ullus alius templi lapis, sane hic noster dici potuerit אבן הבדיל, i. e. separatus, eximius, egregius. Et sane hunc lapidem, eundem esse, qui jam descriptus erat antea C. III. vers. 9. ex eo non solum rursus patet, quod ei ה illud emphaticum præfigatur, sed & iterum *septem fontes* adscribuntur *Jehovæ*, & dicuntur *omnem terram permeare*, quibus verbis abundantiam donorum Spiritus sancti per *septem* novi fœderis ætates per orbem, qua patet terrarum ab ipso Jehova, omnium spiritualium donorum auctore, emittendorum intelligi posse, percommode videtur.

§. 29. Parum etiam abest, quin in hunc quoque ordinem redigam præclarum illud Vaticinium, quod apud D. Esaiam comm. 14. sqq. capitis octavi occurrit, ubi Messiam pariter sub symbolo lapidis venire videmus ex collatione Luc. II. 34. Rom. IX. 34. 1. Petr. II. 7. 8. & Ebr. II. 13. id autem fieri cum allusione ad hunc lapidem sanctuarii, non uno argumento inducor, ut credam; Cum enim (a) dicitur fore למקדש in *sanctuarium* manu quasi ducimur non in templum solum, sed & ejus sacratissimam partem, in qua lapis noster conspiciebatur. Et cum ille tantum tribus e terra digitis promineret, facile (b) in eo ambulantibus, sacerdoti inprimis summo inter fumum & caliginem, qui ex accenso thure adscendebat, vermis *lapis offensionis* & *petra* fieri potuit *offendiculi*. [c] Neque fortassis sine causa est, quod non solum *Lapidis* fit mentio, sed & *petræ*, quod ille scilicet Lapis, ut vidimus valde probabiliter pars fuit *petræ* illius inclutæ, quam olim verberaverat Moses. Porro (d) qui hic *lapis* & *petra* dicitur paulo ante יהוה dictus fuerat *exercituum* vers. 13. ita ut respiciatur nomen illud πετραγράμματον, quod huic lapidi incisum erat. Huc etiam (e) inprimis facit comma 16. si scilicet verba צור תעודה חתום תורה תלמדי, non velis sumere imperative, quod vulgo factum est, sed tanquam continuationem descriptionis Messiæ, quem jam sub symbolo *petræ* ac *lapidis* proposuerat. Hoc modo: Ille qui sanctuarium, & lapis offensionis & petra scandali est, erit etiam *Petra testimonii*, & *sigillum legis discipulis meis*. Vidit id aliqua ex parte de voce צור, cum hoc loco verba Apostoli ex 2. Timoth. II. 19. conferens, pereximius Lipsiensis Theologus, Gott-friedus *Olearius*, qui nuper insigni sacrarum non minus, ac politiorum literarum detrimento rebus humanis ereptus est, in obs. ad Matth. CXV. 8. Et sic lapis noster, qui fuit במקדש digito exserto nobis quasi monstratur. Notum est *arcam* sæpiuscule vocari הארון העדות, κιβωτὸν μαρτυρίας, *arcam testimonii* Ex. XXV. 16. 22. XXVI. 33. 34. XXX. 6. 26. XXXI. 7. XXXIX. 35. &c. Sicut & tabulæ legis, quæ in arca erant, dicuntur *tabulæ testimonii* Ex. XXXI. 18. XXXII. 15. XXXIV. 29. & tabernaculum, in quo arca erat, dicitur *testimonii* Ex. XXXVIII. 21. Num. I. 50. 53. X. 11. XVII. 7. 8. XVIII. 2. Immo absolute עדות *testimonium*, notat arcam, sic quando legitur urnam Mannæ collocandam Ex. XVI. 34. velum suspendendum Ex. XXVII. 21. thus accendendum Ex. XXX. 36. virgam Aaronis asservandam Num. XVII. 4. 10. operculum imponendum Ex. XXX. 6. Lev. XVI. 3. in vel coram vel super *testimonio*, quis non intelligit augustam illam fœderis *arcam* intelligendam esse? Atque inde simul patet, quam apprime lapidi nostro, qui in tabernaculo *testimonii* arcam *testimonii*, sive ex phrasi scripturæ ipsum *testimonium* sustinebat nomen dari potuerit *petræ testimonii*. Quando itaque Messias, qui alias *petra* salutis & *sæculorum* dicitur & modo dictus erat *petra scandali*, hoc insignitur titulo, non eo solum indicatus, ei, qui nonnullis

nullis futurus erat offenſioni *teſtimonium præbere omnes Prophetas* Act. X. 43. & ipſum *Deum* Joh. VIII. 18. ideo in mundum veniſſe, ut de veritate teſtaretur Joh. XVIII. 37. tamquam *teſtis* verus & fidelis Apoc. I. 5. ſed & aperta hic alluſio eſt ad petram illam, quæ *teſtimonium* i. e. arcam fœderis olim portavit. Vocatur autem porro חתום תורה תלמדי, quæ ita putem verti poſſe: *Sigillum* vel *obſignatio*, vel *finis Legis* inter *diſcipulos meos*, cujus quidem verſionis rationem, ne nunc nimis ab inſtituto noſtro ſecedamus, alii tempori ſervamus, monentes tantum ipſam hanc vocem חתם, quæ cum Græcorum σφραγίζειν convenit, & ſigni cælati ac *ſculpturæ* notionem habet, ad illam quoque ſculpturam, quæ in illo lapide cernebatur, poſſe referri.

§. 30. Neque minus ſacri novi fœderis tabularum ſcriptores hunc lapidem frequenter in oculis habuiſſe videntur. Cum enim citant V. Teſtamenti oracula, in quibus Chriſtus *lapis* angularis, lapis electus, pretioſus, in Sione poſitus ex alluſione ad hunc lapidem, ut vidimus, vocatur, quis huc quoque eos reſpexiſſe ambigat? Quando ſemel ipſum Chriſtus vocat *Petram*, ſuper quam eccleſiam ſuam ædificaturus erat, quamque inferorum portæ non erant prævalituræ, potuitne in oculis habere hanc petram, ſuper quam templum, eccleſiæ N. T. emblema quaſi exſtructum erat, quoque *os abyſſi magnæ* i. e. portæ inferni obſtructæ credebantur? Cum eum Apoſtolus vocat θεμέλιον κείμενον FUNDAMENTUM POSITUM, *præter* quod aliud PONI *nequit* 1. Cor. III. 11. quis non illico cogitat lapidem hunc FUNDAMENTI ſive POSITIONIS in ipſo templi penetrali POSITUM? Et huc quoque referenda cenſeo verba Apoſtoli, in epiſtola ad Eph. II. 19. ſqq. Locutus enim erat de iis, οἱ πότε ὄντες μακρὰν, ἐγγὺς ἐγενήθησαν ἐν τῷ αἵματι τοῦ χριστοῦ, verſ. 13. poſtquam τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ erat ſolutum, aperte reſpiciens ad velum, quod a penetrali exteriori ſeparabat interius verſ. 14. Ait porro illos, qui olim ξένοι καὶ πάροικοι fuere, nunc habere προσαγωγὴν πρὸς τὸν Πατέρα, factoſque συμπολίτας τῶν ἁγίων καὶ οἰκείους τοῦ Θεοῦ innuens, patefactum nunc omnibus tanquam ſacerdotibus interioris admiſſionis poſt mortem Chriſti in ipſum S. ſanctorum i. e. cœlum tanquam thronum gratiæ, aditum, impervium alias atque inacceſſum, atque ibi nunc verſari licere, inter ἁγίους, i. e. Cherubinos atque angelos, qui ibi non ſolum ab omni latere depicti ſed & ipſi arcæ incumbentes conſpiciebantur. In hoc itaque ſacrarium cum eos quaſi manu ſua duxiſſet, in eodem loquendi genere pergit, ipſoſque fideles ſub alia σχέσει conſiderat, tanquam illius templi ac ſacrarii ἀντίτυπον, tanquam lapides ſuperimpoſitos Jeſu Chriſto, τῷ θεμελίῳ, & lapidi angulari, ἐν ᾧ πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ verſ. 21.

§. 31. Videtur quidem Apoſtolus, cum mentionem facit τοῦ θεμέλιου τῶν προφήτων καὶ Ἀποστόλων, cui fideles ſuperædificandi ſint verſ. 20. Prophetas ac Apoſtolos conſiderare, inſtar fundamentalis lapidis, quid fideles ſuſtinere debeat. Cum vero meminimus alibi eundem Apoſtolorum diſertiſſimis verbis adſeverare, NULLUM *aliud* FUNDAMENTUM *poni poſſe*, *præter id*, *quod poſitum eſt*, *Jeſum Chriſtum*, videmus hunc titulum iſto ſenſu Prophetis aut Apoſtolis communicari non potuiſſe. Præſertim, cum ipſa Apoſtoli verba ſi excutiantur accuratius, id non inferant. Non enim ait: τῷ θεμελίῳ, τοῖς Προφήταις καὶ Ἀποστόλοις, quemadmodum ei fuiſſet loquendum, ſi hoc voluiſſet dicere, fundamentum eſſe eccleſiæ, ſic v. gr. quando hujus vel illius ædis fundamentum nutaſſe ſcribis, non innuis, ædem, quæ fundamentum eſt, titubaſſe, ſed fundamentum illud, cui ædes illa innititur. Ita, quando Paulus meminit fundamenti Prophetarum & Apoſtolorum, non hos vult eſſe eccleſiæ fundamentum, ſed tale intelligit fundamentum, cui ipſi Apoſtoli & Prophetæ eorumque doctrina innituntur. Verba itaque commatis viceſimi ita vertenda ſunt: *Superædificati ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarum*, i. e., illo, cui etiam Apoſtoli & Prophetæ innituntur, *Illud autem fundamentum eſt*, *lapis ille angularis* ipſe, Jeſus Chriſtus, *in quo totum ædificium coagmentatum creſcit in templum ſanctum in Domino*, *in quo & vos una ædificati eſtis in habitaculum Dei in ſpiritu* verſ. 21. 22. quibus phraſibus reſpicere videtur traditionem Judæorum, qui totam οἰκοδομὴν templi ita cum hoc lapide dicebant coagmentatum eſſe, ut illo ſublato templi fundamentum non manere potuerit illæſum.

§. 32. Atque ita hæc Pauli verba coincidunt ferme cum iis, quæ D. Petrus habet in prioris Epiſtolæ Capite II. verſ. 4. & ſqq. Πρὸς ὃν προσερχόμενοι, λίθον ζῶντα ὑπὸ ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένον, παρὰ δὲ τῷ Θεῷ ἐκλεκτὸν ἔντιμον, καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδόμεσθε &c. videmus Apoſtolum fideles conſiderare tanquam Sacerdotes ſpirituales προσερχομένους [i. e. כהנים הנגשים אל יהוה *Cohanim accedentes ad Dominum* Ex. XIX 22. ſive קרובי יהוה *propinquos Domino* Lev. X. 3. confer. Num. XVI.

XVI. 5.] in ſanctuarium ad lapidem ζῶντα, hoc eſt, ad eum, qui eſt *panis* & *fons* & *princeps vitæ*, imo ipſa ζωὴ, δύναμιν habens ζωῆς ἀκαταλύτου, ἔχων ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, in cujus ζωῇ σωθησώμεθα, ubi niſi fallor, lapis ſanctuarii, ſuper quem thronus Jehovæ erat, reſpicitur aperte, doceturque nunc Novi Teſtamenti ſacerdotibus jus eſſe appropinquare cum παῤῥησίᾳ ad gratiæ thronum, quod prohibitum erat ſacerdotio priſci fœderis Jam, ſi ponimus, quod non ſine veriſimilitudine probatum eſt ſupra Cap. II. §. 5. ſqq. & in hoc Cap. §. 19. lapidem illum adyti fuiſſe particulam rupis illius, quæ ſcaturigo aquarum *vivarum* ſiti fere exſtincto populo facta fuerat, elegans dari poteſt ratio, cur vocetur λίθος ζῶν, & ſi tum operæ duxerimus pretium, quæ paulo ante §. 25. ſcripſimus, conferre, patebit ſimul, quid ille ſibi dicendi modus velit, cum dicitur ὑπ' ἀνθρώπων μὲν ἀποδεδοκιμασμένον; Παρὰ δὲ τῷ Θεῷ Ἐκλεκτος καὶ ἔντιμος. Præterea, quando Apoſtolus pergit, dicitque *fideles ad Chriſtum veniſſe tanquam lapidem vivum*, *ipſoſque eſſe lapides vivos ædificandos*, οἶκον πνευματικὸν, quis non eos ita appellari propter arctiſſimam illam communionem, quæ illis cum Chriſto, fonte ac principe vitæ intercedit, per quam ipſe in illis vivit, ipſique vivunt in illo, & per illum, quibus τὸ ζῆν Chriſtus eſt, vitæ ſpiritualis atque veræ per eum, ejuſque ſpiritum, qui ſpiritus vitæ eſt, facti participes cum illo ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι, Eph. II. 17. 18. τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι Col. I. 23. Aperte pro in alluditur ad lapides illos *ingentes* ac (τιμίους) *pretioſos* אבנים גדולות יקרות ſive אבני גזית *lapides exciſos* ex candidiſſimo politiſſimoque marmore, quibus & parietes & fundamenta templi olim exſtructa fuere [vide ſis 1. Reg. V. 17. VII. 9. 1. Chron. XXII. 2. 2. Chron. III. 6. & confer. Joſ. Ant. L. IIX. c. 2. L. XV. c. 14. & de B. J. L. VI. c. 6.) inter quos illis inſertus quaſi arctiſſime ac cinctus lapis ille שתיה in S. ſanctorum prominebat.

§. 33. Inſignis porro huc ſpectat locus, qui in epiſtola ſecunda ad Timotheum C. II. verſ. 19. exſtat: ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην; ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ &c. Ibi eccleſiam Dei, ut ejus οἶκον & templum conſiderari vel ex ſe in ſequenti verſu planum eſt. Illi tribuitur θεμέλιος, i. e. lapis fundamentalis ſeu fundamento inſertus, λίθος ὁ τοῖς θεμελίοις ἐντιθέμενος, *quos Homerus vocat* καθωρύχεας, quique alias vocatur θεμέλιος λίθος ut eſt apud Jul. Poll. in L. VII. c. 27. §. 123. Quo ſenſu hæc vox etiam alias in ſcriptura videtur venire. Luc. XIV. 29. Act. XVI. 26. Unde & LXX. ea utuntur, translaturi vocem יסד vel מוסד quam alias etiam ſolent vertere per βάσιν. Illa autem מוסד ſumitur de templi fundamento. 1. Reg. V. 17. Eſr. IV. 12. Hagg. II. 19. ita ut στερεὸς θεμέλιος ſit idem, quod Eſaias appellat: אבן מוסד מוסד. Per illum itaque Θεμέλιον eccleſiæ, quem intelligemus alium, quam eum, quem illo nomine toties in ſacris venire vidimus *Jeſum Chriſtum*? Recte dicitur ille θεμέλιος τοῦ θεοῦ, quod notare non ſolum poteſt illud θεμέλιον, quod Deus ipſe eſt, ſed & qui ab ipſo Deo poſitus, fundatuſque eſt; Hac autem phraſi reſpici illum θεμέλιον lapidem אבן שתיה, qui in templo fuit ejuſque non ſolum, ſed & totius mundi στερεὸς θεμέλιος a Judæis habitus eſt, patet porro ex eo, quod additur, habere illum σφραγῖδα; Vocem σφραγῖδος autem, ſicut & σφραγίδιον, & σφραγίζειν notionem habere ſigni alicujus exſculpti & cælati, unde de ſigillo, in quo vel Imago, vel nomen vel ſymbolum exſculptum eſt, ſumi ſolet, Græcarum literarum haud ignaris, nequit eſſe ignotum. Vide eximium ſcriptum Cl. Viri Joh. D'Outreini, Theologi Amſtelodamenſis, quo hæc Pauli verba illuſtravit, ſub titulo *ſacrorum ſigillorum* c. II. p. 20. ſqq. Certe οἱ ἑβδομήκοντα hac voce expreſſerunt vocem חותם, quæ rem unamquamque rei inſculptam ſignificat. Vide Ex. XXVIII. 11. 21. XXXIX. 6. 14. 31. Deut. XXXII. 34. Eſth. VIII. 8. Confer etiam Job. XXIV. 16. Cum itaque Paulus illi θεμελίῳ hanc σφραγῖδα, hoc eſt, ſculpturam ſive voces inſculptas adſcribit, in animo videtur habuiſſe cælaturam illam, qua in illo ſaxo majoribus literis nomen יהוה inſcriptum fuiſſe vidimus. Atque in ea conjectura confirmor non parum, quod in illa inſcriptione, quam huic θεμελίῳ adſignat Apoſtolus, non ſolum occurrat vox κύριος, quæ explicatio eſt nominis tetragrammati; Ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ, ſed & diſerte fiat *Nominis* Chriſti mentio Ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα τοῦ χριστοῦ; quibus videtur indicaſſe, quid illius ἐπιγραφῆς contemplatio Judæis debuerit in memoriam revocare ab una parte, quid expectandum habeant a Deo, ab altera autem, quid Deus ab illis, qui ad ſe accedere audent, exigat.

§. 34. Denique hunc lapidem animo ſuo volutaſſe eundem Apoſtolum mihi pene perſuaſum eſt, quando in aurea illa ad Hebræos epiſtola C. I. comm. 3. Chriſtum vocat Ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως θεοῦ, φέροντα τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Scribit D. Paulus ad *Hebræos* & cum iis diſputans frequen-

quenter utitur phrasibus, non solum a cultu eorum & sacris, imprimis templo, ejusque sanctuario, sed & traditionibus, quas de illis circumferebant, desumptis. Quæ res tam clara est, ut nihil fere verborum Pauli putem intelligi posse, sine earum cognitione. Atque idem usu venit in his, quæ Christo dedisse audivimus, encomiis. Notum est, igneam illam columnam, nube tectam, quæ arcæ olim fœderis incumbebat, vocatam fuisse כבוד, Græce δόξαν Ex. XL. 34. 35. Lev. IX. 6. 23. 24. Num. XVII. 7. 1. Reg. VIII. 2. 2. Chron. V. 13. 14. VII. 1. 2. 3. Ezech. X. 4. 18. 19. Hinc templum & arca dicebatur thronus *gloriæ* divinæ Es. LXIV. 11. Jer. XIV. 21. XVII. 12. hinc Apostolus mentionem facit Cherubinorum τῆς δόξης Hebr. IX. 5. & Ps. XXVI. 8. mentio fit Tabernaculi *gloriæ* sive ut LXX. habent τόπε σκηνώματος δόξης αὐτε͂. Atque hinc ipsa arca vocabatur δόξα, v. 1. Sam. IV. 12. Ps. LXIII. 3. Ps. LXXVIII. 61. & forte etiam Rom. IX. 4. Ex illa nube, quæ divinæ erat præsentiæ symbolum, lux ignea erumpebat, cujus in illa habitatio Christi olim in carne habitationem, καὶ σκήνωσιν præfigurabat, atque ea propter illa corusco igne circumdata שכינה eleganter dici poterat ἀπαύγασμα τῆς δόξης si non mavelis δόξαν, ut alibi sæpius explicare per arcam & per ἀπαύγασμα, quod illi adsignatur, ignem illum nube tectum, qui super illa quiescebat, intelligere: Quidquid sit, ut indubium est, vel ipsis confitentibus verpis heic symbolum venturi olim in carnem Dei fuisse, ita huc Apostolum respexisse omnino existimo. Sicut alias, quando de Christo ejusque δόξα sermo est, in sacris passim ad eandem hanc rem solet alludi Es. XL. 5. Joh. I. 14. 2. Cor. III. 18. IV. 6. Apoc. XXI. 11, 23. Cum autem semel heic sanctuarium ingressus, phrasique usus esset petita a re, quæ olim super arca conspiciebatur, ita in eodem loco commoratur ulterius, pergitque phrasin adhibere desumtam a re cui olim arca superimposita fuit, Lapide nostro שתיה.

§. 35. Eum in finem notandum est, quid sit ὑπόστασις, quid χαρακτὴρ, tum enim eo patebit clarius, quo sensu D. Paulus Christum vocaverit χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τε͂ Θεε͂. Occurrit illa vox in sacris quinquies 2. Cor. IX, 4. XI, 17. & in hoc epistolio C. III. 14. XI, 1. atque hoc in loco. Quemadmodum autem in quatuor prioribus locis a plerisque interpretibus recte illa vox ὑπόστασις translata est per basin vel *fundamentum* secundum ipsum vocis ἔτυμον, quæ indicat rem, quæ alii rei substernitur, vel super qua res aliqua stat, vel collocatur, i. e. βάσιν rei & fundamentum, ita nihil causæ video, cur hanc notionem in loco hoc debeat amittere. Sicut quoque Interpretes Alexandrini hanc vocem adhibent, quando voces Hebraicas, quæ firmam positionem, seu fundationem indicant v. gr. יקום , עמוד , מצבה, exprimere volunt, v. gr. Ps. LXIX, 3. ואין מעמוד; ubi Lut. vertit, da kein Grund ist/ illi habent, καὶ ὀυκ ἔστιν ὑπόστασις. Præcipue cum hoc sensu apud alios scriptores quoque occurrat, v. gr. apud Diodorum Siculum L. I. ubi Ægyptiorum Pyramides describens non solum ait; Κατεσκεύαζον τὸν τάφον ἐκ τῶν καλλίστων λίθων, καὶ τὸ μὲν σχήματι τετράγωνον ΥΠΕΣΤΗΣΑΝΤΟ, hoc est, *fundamenti* loco supposuerunt, sed & paulo post scribit, Reges *tanto sumtu ac mole* τὴν ΥΠΟΣΤΑΣΙΝ τε͂ τάφε, i. e. *fundamentum sepulcri fecisse*, uti &c. Ita etiam Hippocrati in libro, quem Μόχλικον, sive vectiarium inscripsit, p. 509. editionis Frobenianæ anni 1538. ὑπόστασις τε͂ ξύλε significat lignum, quo fundamenti loco substernitur supponiturve, & eadem significatione ὑπόστασις occurrit ibidem pag. 511. Porro vox Character, quæ in N. T. est ἅπαξ λεγομένη est a χαράσσειν vel χαράττειν, *sculpere*, *cælare*, *exsculpere*; Χαράξαι Hesychius explicat κόψαι, κοιλᾶναι, τυπῶσαι; Cicatricem οἱ ὁ vertunt χαρακτῆρα κατακαύματος Lev. XIII, 28. Χαράγμα pro sculptura vel cælatura sumitur Act. XVII, 29. Pariter hinc apud Prudentium in hymno Romano vers. 557. *Charassare* vel *charaxare* est sculpere, arare, *Charaxat ambas angulis scribentibus genas, cruentis & secat faciem notis*. Alias martyrologiorum scriptores utuntur voce *exangulare*. Ab illa autem non dubito, quin Germanicum kratzen/ sit arcessendum. Sic & apud Columellam L. XI. c. 2. & Palladium L. II. c. 16. de pecudibus dicitur eas *Characteribus* signandas esse, i. e. notas iis insculpendas, inurendas, imprimendas esse. Ex quibus omnibus patet, Characterem notare proprie aliquid, quod insculptum est rei, imaginem non cito evanescentem, sed firmiter rei impressam, qualis in sigillis cernitur annulorum. Quia autem literis vel signis, quæ rei alicui imprimuntur, ea tanquam certo τεκμηρίῳ ab aliis dignosci potest, hinc Character sumitur pro illis signis, quibus vel res ab alia re, vel homo ab alio differt, quod alias forma rei dicitur. Inde etiam *Character* illud instrumentum designat, quo rei alicui signum imprimitur, sicut Isid. de Orig. L. XX. c. 16. explicat *ferrum coloratum*

tum quo notæ pecudibus inuruntur, cælum latine diceres & græce γλύφειον. Ex his itaque nunc patet, quid sit χαρακτὴρ ὑποστάσεως illasque voces commode verti posse sculpturam sive *cælaturam* fundamenti, sive *lapidis fundamentalis*. Eccui non illico heic in mentem venit *Lapis* noster *fundamenti* in sanctuario positus, ejusque cælatura, quo nomen illud Dei quatuor literarum illi incisum erat? Et quis non animadvertit, Paulum, quando Christum vocat χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως voluisse docere, illum vere esse τὸν יהוה, *in cujus medio hoc nomen est*, quem ille lapis indicabat?

§. 36. Accedit, quod audiamus Apostolum in eadem hac metaphora de *Lapide* illo petita pergere, cum ait illum φέρειν τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, dubio procul ad illam Hebræorum respiciens traditionem, qua non arcam solum, & propitiatorium sed & universum hoc illo lapide sustentari ac fulciri, ut visum, credebant. Pergit, & scribit *per semet ipsum purificationem peccatorum fecisse*, respiciens illam peccatorum expiationem, quæ quotannis insigni illo expiationis die cum cæteris ritibus, tum præcipue adspersione sanguinis victimarum versus ἱλαστήριον coram hoc *lapide* fiebat; *Sessionem* illius ad *dexteram majestatis in cælis* opponit sessioni illius in throno quem inter Cherubinos super arca fœderis, quam *lapis* noster sustinebat, erectum hactenus occupaverat. Atque hos Cherubinos respicit, quando toties Angelorum facit mentionem in hoc capite, quibus Christum etiam *tanto* ait *meliorem factum*, quo præstantius *præ illis consecutus erat nomen*, ni fallor illud indigitans nomen, quatuor literarum, quod lapidi illi inscriptum quidem erat, at quod ejus Antitypo Messiæ tribuendum erat unice. Atque his omnibus, licet vel de uno alterove loco velis ambigere, neque cuiquam hæc tanquam indubia velim obtrudere, putem tamen ex dictis constare frequenter in sacris literis, quando de Christo agitur, ejusmodi adhiberi phrases, quibus aperte ad lapidem adyti nostri fit allusio; Unde hunc illius habendum fuisse *typum* tuto colligas. J. Q. E. D.

§. 37. Sed neque id [f] prætermittendum videtur, cum præter hunc lapidem in sacerrima illa templi parte, οὐδὲν ἔκειτο ὅλως, *nihil prorsus erat positum* ut Josephi verbis utar L. VI. de B. J. c. 6. Judæis ipsis fatentibus in templo posteriori arcam fœderis, & reliqua ejus κειμήλια defuisse aut nihil prorsus inde a temporibus templi secundum erecti, per tot annorum centenarios fuit, quod aliquam σχέσιν typicam ad Messiam venturum habuit, aut hunc, de quo agimus, Lapidem oportet habuisse. Illud autem prorsus non videtur esse verosimile. Erant enim & in atrio & sancto varia, v. gr. altare & exterius & interius, & labrum æneum, & candelabrum aureum, & mensa panum propositionis & alia id genus, Christum præfigurantia. Ne loquar de victimis quotidie immolari solitis, & ipsis sacerdotibus Messiæ typis, & reliquis omnibus ad cultum ceremonialem spectantibus, quæ σκιαὶ debuerunt esse τῶν μελλόντων, donec corpus ipsum veniret. Unde simul constat, cujus æstimanda sit ponderis illorum sententia, qui in ea sunt hæresi, in templi sanctuario esse nihil debuisse typicum, quod in eo omnium typorum antitypus apparere debuerit. Sed si hoc locum habet, profecto in reliquis templi partibus omne typicum debuisset auferri. Id vero cum non factum sit, cur omne, quod rationem habuit typi in adyto ablatum esse dicamus? Quisquam ne enim sibi persuadeat in solo τῷ ἁγίῳ τῶν ἁγίων augustissimo illo ac sanctissimo non templi solum & urbis & Judææ, sed & totius οἰκουμένης loco, nihil prorsus fuisse, quod templi Dominum, totiusque legis scopum repræsentaret populo? quod ejus futuram ἐν ὑμῖν σκήνωσιν, atque in carne, cujus templum typus erat, apparitionem adumbraret, quod Judæos, nimium quantum visibili illo templo captos ad alteriora traduceret? Id mihi neutiquam credibile videtur. Cum vero præter lapidem positionis nihil in illo fuit, quod usui huic aptum esset, non dubito quin ille reliquorum omnium, quæ sublata erant, defectum suppleverit, atque Christi, petræ illius salutis, & lapidis ab architectis primum reprobandi, at deinde, ut caput anguli constituendi, fuerit emblema. J. Q. E. D.

§. 38. Neque hoc priscis Judæis ignotum fuisse arbitror. Illos enim credidisse, quod ea, quæ ad cultum cæremonialem pertinent, δήλωσιν habuerint πνευματικὴν, vel inde colligere est, quod D. Paulus cum iis in Epistolis suis disputans, illud tanquam certum, atque extra controversiam positum, ponit. Peccasset autem contra accuratæ disputationis leges, si Judæi nihil in rebus templi, quod in oculos incurrebant μυστηριῶδες inesse credidissent. In iis sane altiora ac præstantiora cum quæsivisse, tum invenisse non obscure ex Ps. XXVII. 4. LXIII. 3. LXV. 5. 6. colligas.

Quin

Quin & posterioris ætatis Israelitas ubique in scriptura præter sensum literalem, quem פשיט vocabant, etiam sensum mysticum, sive מדרש investigasse, notius est, quam ut mereatur probari. In libro Talmudico Berachot c. 5. omnis Tabernaculi apparatus ad rerum cœlestium significationem transfertur, & R. Abarbenel, celebre inter suos nomen, omnem ejus supellectilem, ad id ait præcipue fuisse instructam, ut esset כספר חכמה עליונה וענין נכבר אשר אליו יתישרו *velut liber sapientiæ altioris, & sensus eximii, ad quem ista referuntur*. Messiam quoque *lapidem* illum esse, de quo prædixere Prophetæ cognovit R. Salomon Isacides, sive Jarchi, neque enim hi, quod passim a doctis viris fieri video, a se invicem sunt distinguendi. Ita oraculum illud Esaiæ XXVIII. 16. explicat, quando inter alia scribit יהעמדתי מלך המשיח שיהי בציון לאבן בחן *Et constituam regem Messiam, & erit in Tzione lapis probatus*. Pariter verba Psalmi CXVIII. 12. de *lapide angulari*, de Messia explicanda esse in Commentario ad vaticinium Micheæ V. 1. confitetur, sicut & totum illum Psalmum de Messia explicat R. David Kimchi. Idem ille lapidem illum *sine manibus & e petra excisum*, de quo Daniel vaticinatus erat C. II. 34. 35. 45. ad citatum locum Es. VIII. 14. de מושיע ישראל *de Salvatore* [nota convenientiam hujus vocis cum משיח] *Israelis* interpretatur. Sicut etiam ad illum Danielis locum regnum illud lapidis מלכות מלך משיח, de *regno regis Messiæ* explicat. Et in eo sibi ὁμόψηφον habet Abenesram, qui notat מלכות מלך משיח *Regnum*, intelligendum esse *Messiæ*, ut & R. Saadiam Haggaon, qui tribus verbis ita rem complectitur, היא מלכות משיח בן דויד, *Hoc regnum est Messiæ, filii Davidis*. Disertissimis autem verbis utitur Josephus Jachiades in paraphrasi hujus Prophetæ ad Ps. 45. p. m. 52. המלכות האחרון הוא מלך המשיח אשר לא ימלוך בכח ידי אדם רק בכח אלהיו ויהי קיים לעולם ועד: *Regnum ultimum est regis Messiæ, qui non regnabit viribus manuum humanarum, sed Dei, & illud stabilitum erit in omnem æternitatem*. Hi autem omnes jam pridem preæuntes habuere auctores Bereschith Rabba ad Gen. XXVIII. 10. ubi hic lapis Danielis, & Middrasch שיר השירים ubi ad locum Cant. I. 4. lapis ille, de quo legitur Es. VIII. 4. refertur ad Messiam. Eundem locum in Sanhedrin Cap. IV. quod incipit אחר דינו de Messia quoque explicari dudum monuit Raymundus Martini in pug. fidei P. II. c. 5. verba vide in excerptis magni popularis mei Joh. Cocceji §. 8. Claudamus hæc iis, quæ ex Kabbala denudata p. 1. ad vocem אבן leguntur; אבן *lapis sæpius Adonai nomen Sephiræ ultimæ & ipsa Malchuth regnum ita dicitur, quoniam ipsum totius mundanæ fabricæ monumentum exstat, cui omnia, quæ in mundo innituntur, & a quo sua capiunt commoda*. 2. אבן הראשה Lapis Capitalis, *a quo omnes catervæ superiores & inferiores in opere creationis promuntur inesse*. 3. אבן ספיר, Lapis Sapphireus. *De eo etiam dicitur Lapis, quem reprobaverunt*. Ps. CXVIII. *Et hic est alter Israel, juxta illud* Gen. XLIX. 24. *Inde pastor egressus est lapis Israel, lapis cui totum ædificium superius instruitur*. Huc Zach. III. 9. *Lapis unus septem oculorum. Lapis probatorius*, item *lapis percussionis, & Petra offensionis*. Hæc ibi.

§. 39. Atque hinc derivandam esse puto originem figmentorum illorum, quibus insigne hoc saxum Judæorum Magistros tantum non obruisse, capite antecedenti vidimus. Scilicet videtur illi accidisse, quod tot accidit aliis Judaicæ gentis traditionibus, quæ cum primo intuitu supra modum omnem ineptæ atque ridiculæ videantur, sæpe numero tamen, sub vili cortice nucleos saporis optimi, hoc est, veritates præstantissimas, certissimasque complectuntur. Nimirum cum veteres Judæi a Patribus Majoribusque suis mysteria illa edocerentur, quæ indicabantur rebus, in templi sacrariis adservatis, & simul didicissent, ut reliqua ita etiam hunc *fundationis Lapidem* vivam quasi imaginem Messiæ esse, factum est, ut clave cognitionis paulatim abscondita *typo* tribuerent, quæ ejus *antitypo* conveniebant unice, atque ita de hoc *lapide* narrarent, quæ nisi ea ad Christum referre velis, fabellis anilibus nugisque audacissimis adcensenda forent. Eum in finem redigamus nobis in memoriam, quæ supra ex Rabbinorum commentariis congessimus. Quum enim eos narrantes audiverimus lapidem illum ante ipsum fere conditum mundum creatum, atque a Deo adhibitum, cum fundaturus erat terram, atque ex ipsa abysso prolatum, totum hoc universum eo fundari ejusque esse compagem, eum fulcimentum esse throni divini, eo os abyssi magnæ i. e. inferni esse obstructum, ac clausum, in eo fuisse nomen Jehovæ, cui vis patrandi miracula, eamque in alios derivandi fuerit alligata, anne sponte sua nobis in mentem venit LAPIS ille angularis, pretiosus, fundamenti, qui jam aderat cum Deus *fundavit terram poneretque* ejus אבן פנתה *Lapidem angularem*, ut phrasi utar divina, quæ legitur Job. XXXVIII. 4. 6.

Quem Deus possedit in principio viarum suarum, ante terræ primordia, cum nondum essent abyssi, cum nondum montes demersi incumberent terræ; qui ibi erat, cum Deus formaret cœlos, cum delinearet circulum supra facie abyssi, *quum firmaret ætherem sursum, quum invalescerent fontes* abyssi, *quum poneret mari modum, & delinearet* fundamenta *terræ* Prov. VIII. 22. sqq. qui est *petra salutis nostræ, in cujus manu sunt pervestigationes terræ, & altissima montium ipsius sunt. Cujus est mare & ipse fecit illud, & cujus manus aridam formarunt.* Ps. XCV. qui *ipse ab initio* fundavit *terram*, & *cujus opera manuum sunt cœli* Ps. CII. 16. coll. Hebr. I. 10. *Cujus egressiones sunt ab æterno, inde a diebus sæculi.* Mich. V. 1. qui *suos portavit inde a sæculi diebus* Es. LXIII. 8. *in quo omnia subsistunt* Col. I. 17. quique *omnia portat verbo potentiæ suæ* Hebr. I. 3. qui unicum firmissimumque totius templi mystici i. e. ecclesiæ, fundamentum, qui omnis & spei, & fidei, & restaurationis generis humani, & throni divini fulcrum ac βάσις est; summus rerum omnium ארון, *fundamentum illud positum, præter quod aliud poni nequit* 1. Cor. III. 11. qui meritis suis ac passionibus effecit, ut patulum os abyssi, i. e. portæ inferni sint clausæ, *solus claves habens inferni & mortis* Apoc. I. 18. in *cujus medio est nomen* יהוה Ex. XXIII. quique ut talis non ipse solum miracula fecit omnes hominum vires longe transcendentia, sed & eadem faciendi potestatem communicavit aliis, hoc est JESUS CHRISTUS ΠΑΔΗΜΟΣ ille (si hic phrasibus uti liceat ex veterum Nomismatum ἐπιγραφαῖς petitis) atque EXSUPERANTISSIMUS, HUMANI GENERIS LIBERATOR, TUTATOR, SOSPITATOR, RESTITUTORque.

§. 40. Neque minus hinc fluxisse illam arbitror traditionem, insulsam alias, qua lapidem nostrum שתיה eundem esse dixerunt cum illo, quo olim cervicalis loco usus est Patriarcha sanctissimus JACOBUS, ceu visum est a nobis C. III. §. 9. 10. quibus nunc addo testimonium, quod ex מדרש תהלים p. 40. cot. 3. citat. Jul. Bartoloccius, in Bibl. Rabbinica p. I. p. 204. נפל יעקוב ארצה לפני אבן שתיה: *cecidit Jacobus in terram coram lapide fundationis*: Videlicet Messias ipse nomine אבן ישראל *lapidis Jacobi* S. Israelis ab ipso Patriarcha Jacobo insignitus est, Gen. XLIX. 24. saltim eum heic innui multis Judæorum persuasum fuit. Ita Christ. *Carthvvrigtus* in Electis Rabbinicis ad h. l. testatur, quod & observavit Celeberrimus *Coccejus*, R. Mosen Nachmanidem sive Gerundensem diserte affirmare per hunc Israelis lapidem eundem intelligendum esse, de quo in Psalmo CXVIII. agitur. R. Levi ben Gerson putat innui unum ex duobus illis Messiis, quem exspectant, ex Josepho oriturum. Præterea idem ille Jacobi lapis, cui ille dulci perfusus membra sopore innitebatur, quem prope scalam illam contuebatur, in cujus graduum summitate conspiciebatur DEUS ipse, quem oleo ungebat patriarcha, atque in locum sacræ DEO ædis erigebat, non dubium est, quin fuerit monimentum, ac symbolum illius lapidis Israelis, cui quiete ac secure incumbit semen spirituale Jacobi per quem aditus est ad cœlum, in quo Deus ipse tanquam in facie conspicitur, qui unctus fuit [משיח Χριςὸς] oleo lætitiæ præ consortibus suis, & fundamentum fuit templi a se erigendi. Illud jam agnovit D. Augustinus in L. de Civ. Dei L. XVI. c. 38. ubi ita scribit: *Non more idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum Deum neque enim adoravit eum lapidem, sed quoniam Christi nomen a Chrismate est, id est, ab unctione, profecto figuratum est hinc aliquid, quod ad magnum pertineat sacramentum.* Eadem habet quæst. 84. in Gen. & sermone 79. de tempore & L. II. de Trinit. cap. 6. Atque illum secuti sunt Greg. Nazianz. Or. 2. de Theologo & Prosper. L. de præd. p. 1. c. 33. Cum itaque vetustioribus Judæis lapis ille fundationis, ut Messiæ emblema consideraretur, ille autem & olim lapide illo Jacobi videatur præfiguratus esse, imo ab ipso Jacobo *Lapis* dictus *Israelis*, hinc facili negotio fieri potuit, ut referentes ad typum, quæ conveniebant antitypo, illum dixerint Jacobi lapidem esse. Notabile est, quod observavi Abarbenelem, illa Jacobi Verba Josepho applicantem, Comm. in leg. fol. 122. col. 3. illa hac phrasi explicare, אבן שתיה לכל עמו, per *Lapidem fundamenti omni populo*.

§. 41. Jam ex his omnibus nunc cogitationum nostrarum faciamus summam. Lapis quidam illustris, arcæ fœderis sustentaculum, in medio sacratissimi religiosissimique templi penetrali collocatus, summo loco a Judæis habitus, illorumque dictis ac scriptis ad fabulares usque narrationes circumlatus fuit. Ille, cum pars fuerit adyti templi, in quo omnia fuere typica, immo valde probabiliter ex illa petræ, quam miraculo illustraverat Moses, quæque Christum ἀναμφιλογῶς repræsentabat, excisus, cum Christus ipse iisdem fere nominibus designetur, quibus hoc saxum solet vindicari, cum non vulgaris inter utrumque analogia, sive *nomen* ejus, sive

sive *materiam*, sive *figuram*, sive *locum*, sive *cælaruras* ejus ac denique *usus* spectemus, intercedat, cum tantum non expressis verbis ille lapis Christi dicatur typus, cum frequens & manifesta, quando de Christo in Veteris æque ac Novi fœderis oraculis, quæ alias difficulter intelligi possunt, sermo instituitur, ad illum lapidem fit allusio, cum nihil alias typici stante templo posteriori in ejus fuerit adyto, quod tamen vix credibile, adeoque pene omnia, quæ doctissimi sacrarum literarum interpretes typorum esse κελτηρια judicant, heic inveniantur, immo ipsi denique Judæi hoc videntur agnovisse, hinc inquam, puto posse colligi, illum lapidem ad Christum habuisse relationem typicam. J. Q. E. D. Quod si tamen quispiam existimet, sibi non deesse causas cur minus in hanc opinionem possit concedere, adscribam coronidis loco verba gravissimi quondam solidissimique Belgii Theologi Hermanni Witsii, quæ in ejus elegantissimo libro, quem *Oeconomiam* fœderum inscripsit L. IV. c. 6. §. 8. leguntur: *Licet modus in rebus sit, tolerabilius tamen eum peccare existimem, qui Christum se videre arbitratur, ubi fortasse sese non ostendat, quam qui eum videre renuit, ubi se clare satis offert. Alterum enim indicium est animi Christum diligentis, plurimumque & vel minima, vel fortasse nulla data occasione de eo cogitantis; alterum segnem animum arguit, & qui tardus ad credendum sit.* Huic ego sententiæ meum lubens assensum adscribo, nec verbum nunc amplius addam.



JOHAN-



JOHANNIS HENRICI ANTONII DORJEN,

DE

מעשה צעצעים, *sive* opere *Zaazyim*,

QUO

CHERUBINOS S. SANCTORUM CONFICI CURAVIT SALOMO,

II. CHRONICOR. III. 10.

EXERCITATIO.



Bsolvitur illa duabus partibus : quarum A. Removet diversas sententias : Sect. I. ostendens, variorum I. Varias Etymolog. §. 2. --- 6. dum deducunt a יצא *§. 2. qui error ortum trahit a vicinitate & analogia vocis* כרובים *§. 3. a propinquitate literarum* א *&* y. *§. 3. atque Paraphrastes speciatim deceptus videtur significatione vocis* צאצאים, *quatenus ea notat talia quæ ex terra proveniunt §. 4. destruitur §. 5. eo quod falsa nitatur hypothesi, aut incerta, ex permutatione literarum nihil lucrentur, confusionem inter nomina Cherubinorum pariat, atque adeo productis his difficultatibus impar sit.* ב *a* צעה*. §. 6. quos etsi non aspernemur prorsus, non tamen sequimur; idque consulto. II. Varias interpretationes §. 7 -- 11. quarum constituimus duas classes ad primam pertinent §. 7. qui reddunt Opus puerorum iique tam Judæi, quam Christiani. Opus Imaginum §. 8. quæ nimis generalis est; licet Cherubinos, & Judæi inter imagines recensere velint, & Christiani primitivæ Ecclesiæ aliquando pro defensione usus imaginum in Ecclesia alligaverint. Opus artificiosum. Opus ex lignis durabil. cujus interpretationis autores respexerunt, vel ad* שטים, *vel ad* עצים*. Opus Florum. Opus Variorum ductuum. Opus Statuarium. Altera classis §. 9. -- 11. comprehendit eos, qui reddunt Opus Moventium §. 9. cujus interpretationis eruitur origo varia, quoad nomina artificum apud Hebræos. Metallarios. Bracteatores. eos, qui Cherubinos nostros ex mero auro fingunt §. 10. Opus Exemptionum §. 11. Opus motorium seu motationum. §. 12. quod concipiunt vel quoad alas vel quoad motum spontalem quendam.* B. *Exhibet nostram sententiam Sect. II. Quæ I. Proponitur §. 1. II. Probatur §. 2. -- 17. & quidem* א. *Ex vera*

vera nominis Etymologia, quæ oſtenditur ex ling. Arab. §. 2. *commendatur collatis affinibus quibuſdam vocibus* §. 3. *a difficultatibus liberatur* §. 4. ב. *Ex conſenſu Rabbinorum quorundam* §. 5. *oſtendendo;* צנעת *notare* Opus. אלבראט *ſignificare* Currum, *quod apertum eſt, quia* 1. *Synonymum eſt* τῷ כרכוב. 2. *apud Arabes celeritatem notat; quod ipſum oſtenditur, tribuitur enim* Tigridi. *Equo, quo pacto I. conſonat cum ſimili quapiam voce. II. anſam dedit Abarbeneli ad hypotheſin quandam. Curſori; ad Rotas feliciter accommodatur ex uſu linguæ Arab.* ג. *Ex Analogia aliorum Vaſorum ſacrorum probatur, Rotas Cherubinis convenire* §. 6. *quia ipſa S. Script. eas quoque tribuit* 1. *Labris.* 2. *Ezechielis Cherubinis. Silentium plurimorum in hac re Judæorum non adverſatur nobis, quia* 1. *ex demonſtratis ſupponimus, alios eorum, quin ipſam S. Script. Rotas has inculcaſſe.* 2. *nemo Cherubos noſtros tam accurate perluſtrare potuit, ob* היכל, *ſeu locum in quo ſtabant, voce hac ſimul illuſtrata.* ד. *Ex Cacozelia idololatrarum* §. 7. *Quorum multa idola,* 1. *quæ a Cherubis mutuarunt, [uti fecere Judæi per Vitulos Jeroboami & Aaronis, I. uti cenſent quidam, II. & de Aaronis quidam, niſi ratio temporis obſtaret, forte non abſurde. Currum Solis* §. 8. *Gentiles* §. 9. *quorum quædam idola, ut I. Currus Jovis, II. Tenſæ, a Cherubinis videntur ortum trahere* §. 10. 2. *unde videntur a Propheta corripi* §. 10.) *Rotas revera habuerunt.* ה. *Ex magnitudine & gravitate operis* §. 11. *cujus tranſportatio, nec tam commode per divulſionem partium, neque tam licite per plures operarios, quam quidem per Rotas inſtitui potuit.* ו. *Ex Analogia & collatione Currus Ezechielis* §. 12. -- 15. *a quo, non obſtante diſcrepantia Cheruborum inter ſe, [quæ examinatur* 1. *in genere* §. 13. *ita ut diſcrepantia ipſa monſtretur, ex illa illuſtrentur phraſes Gemaricorum S. Script.* נשא פנים. *Ritus myſtarum V. T. quoad vultus in abitu directionem.* 2. *in ſpecie ex ſcopo* §. 14.] *Argumentari ad noſtras Rotas poſſumus* §. 14. *quoniam* 1. *alludit non ad baſes laborum, ſed ad Cherubinos noſtros.* 2. *& prope, imo proxime cum eis convenit.* ז. *Ex alluſione loci* 1. *Chronic. XXVIII.* 18. §. 15. 17. *Qui locus, cum* 1. *pertineat* §. 15. *ad Cherubos noſtros, non autem ad arcam aut altare Thym.,* 2. & *tribuat Cherubinis noſtris nomen* מרכבה *ſeu currus* §. 16. *Rotas noſtras manifeſto evincit* §. 17. *III. Determinatur, quoad* Rotarum Formam, *numerum ac locum* §. 18.

SECTIO I.

§. 1.

VOX צִעֲצֻעִים heic primo loco excuti meretur. Quantum enim in hujuſmodi argumentis in denominationis vero intellectu momentum ſitum ſit, nihil attinet dicere. In mechanicis enim communiter fere ſupponitur, nomen ad formam operis accommodari atque *ſcapham, quod ajunt, ſcapham* dici. Quod ſi præſertim ex Cherubinorum nominibus aliquid de eorum forma poſſet colligi, quod alias ignoratur, non aſpernandum id eſſet.

§. 2. Tentatum id dudum in his quoque Salomonis Cherubinis a variis varie fuit; multis multa, omnibus tamen incerta ex eorum nomine deducentibus. Quod præcipue in radice vocis צִעֲצֻעִים oſtendenda prodiderunt. *Primos* eorum nominabimus, qui hanc vocem magno niſu radici יצא vicinam reddiderunt, eo quod tam audacter צעצעים pro צאצאים, quod eſt a יצא, dici aſſeverant, quaſi nullus dubitandi de eo locus foret. Neque hic ſolos Judæos, ſed ipſos quoque Chriſtianos quamplurimos temeritatis accuſare poſſum. *R. Salomon ben Melech in* מכלל יופי *ad* 2. *Chron.* 3. *fol.* 213. *col.* 2. (edit. R. Jacob Abendanæ, Amſtelod. A. M. C. 5421.) diſerte non modo tuetur hanc ſententiam, ſed & ipſorum Talmudiſtarum teſtimonio nititur, cum ſcribit: מעשה צעצעים כמו צאצאים כלומר מעשה נערים כמו שפירשו רבותינו ז״ל כרובים כרוביא כי פני נערים היה להם וכן אמרו תניא אנקלוס הגר אומר כרובים מעשה צעצעים היו ומצדדין צעצעים i. e. את פניהם כתלמיד הנפטר מרבו *dicitur quaſi* צאצאים *quod nomen innuit, fuiſſe eos* Cherubinos *opus puerorum. Eadem ratione, uti Doctores noſtri piæ memoriæ vocem* כרובים *per pueros explicant, eo quod facies puerilis eſſet illis. Huc quoque ſpectant, cum citant Traditionem illam: Onkelos proſelytus dicit, Cherubini fabricati fuere* ad ſimilitudinem *puerorum, atque* ad latus *direxerunt oculos ſuos, veluti Diſcipulus, diſcedens a præceptore ſuo.* Traditio

tio hæc in Bava Bathra fol. *99.* 1. extat, quam infra ſuo loco ſeorſim examinabimus, ne hic animus diſtrahatur. Eandem ſententiam plurimi alii fovent. *Raſchi* ad 2. Chron. 3. ſcribit: מעשה צעצעים דוגמתו הצאצאים והצפיעות. Et ibidem *Kimchi*, מעשה צעצעים כמו צאצאים. Unde *David de Pomis* in צמח דוד fol. 160. 2. ſcribit: צעצע רשי פירש צאצא' היינו מעשה נערים *Raſchi vocem* צעצע *explicat per* צאצא', *ut adeo* opus Zaazyim *fuerit opus puerorum.*

§. 3. Mirum eſt, omnes velut de compacto in hunc errorem conſenſiſſe; cujus itaque ſpecioſa quædam fundamenta habuiſſe cenſendum eſt. *Primario* movit eos vicinitas &, ut viſum eis, analogia vocis כרובים, quam Talmudici interpretantur per כרביא *ſicut puer* quemadmodum id apparet ex Gemaricorum diſputatione *Succa* f. 5. 2. ubi R. Hunna quærit: ומאי כרוב אמר ר' אבהו כרביא שכן בבבל קורין לינוקא רביא אמר ליה אביי אלא מעתה דכתיב פני האחד פני הכרוב פני השני פני אדם היינו כרוב היינו אדם אפי רברבי ואפי זוטרי *Vox* כרוב *unde eſt? R. Ababu reſpondet*, eam conflatam eſſe *ex* כי *&* רביא; רביא *autem Babyloniis eſt infans. Cui R. Abæus objicit, verum nunc quid ſecundum id dicendum, quod ſcriptum eſt* Ezech. X. 14. *facies unius facies erat Cherubini, facies autem alterius facies hominis*, ubi aperte facies Cherubini a facie humana diſcernitur? Reſp. hoc in loco nullum aliud diſcrimen inſtituitur, quam quod eſt *inter faciem adulti hominis & inter faciem junioris*. Ita enim Raſchi ad Chagiga fol. 13. 2. (ubi eadem hæc Gemarici repetunt, niſi quod objectio non Abæo, ſed τῷ Rab Papa tribuitur, verba hæc ultima, אפי רברבי ואפי זוטרי, explicat per: האחד פני גדול והאחד פני קטן *facies unius erat adulti, alterius vero* junioris, ſeu *parvi hominis*. Quocirca cum hæc derivatio כרובים a כרביא mire Judæis ſeſe commendaret; anſam dedit eis, hic quoque eodem ſenſu de צאצאים, quaſi ſynonymo vocis צעצעים, cogitandi. Confirmati haud dubie in hac opinione ſunt, per ipſarum vocum צעצעים & צאצאים propinquitatem; quippe quæ per commutationem literarum א & ע prorſus ſibi ſimiles evadunt. Quod cum animadverteret *Amama*, de R. Salomone, cujus hæc quoque ſententia fuit, ut §. 2. dictum, ait: *ego non video quid interpretem illum moverit, præter permutationem literarum* ע & א, uti annotationes Criticorum Sacror. ad 2. Chron. 3. ejus verba exhibent.

§. 4. Ex hiſce obſervatis jam emergit, ex quonam fonte hi omnes errorem hauſerint. Sed eadem vox צאצאים, ut videtur, *Paraphraſten* quoque *Chaldæum* in errorem, licet alia via, induxit. Is locum noſtrum 2. Chron. 3. 10. ita tranſtulit: כרובין תרין עובד שושנין *Cherubinos geminos, opus florum. Diſſonæ* adeo voces צעצעים & שושנין unde huic interpreti *eædem* viſæ fuerint, dici nequit; niſi juvari a voce צאצאים in criſi noſtra velimus. Notat ea, cum ſit a יצא, 1. *liberos, filios*: ex qua ſignificatione illorum nata eſt ſententia, quos §. 2. citavimus: & 2. *ea quæ ex terra proveniunt*, ut roſæ, flores &c. *confer. Beckius ad Paraphraſeos hujus l. c.* Hunc poſteriorem ſignificatum procul dubio ſecutus eſt Chaldæus ille in ſua interpretatione, quam adeoque ex voce צאצאים commentus eſt. Quod ſi cui hac in re aberrare a conjectura videbor; dicam, Chaldæum receptum Paraphraſtarum morem ſecutum fuiſſe, qui רודפין הענין לא המלות *ſenſum, non voces perſequuntur*, ut dicunt Hebræi.

§. 5. Sed ab his omnibus infelici admodum ſucceſſu etymon vocis צעצעים commonſtratum eſt; in quo refellendo eo diligentiores erimus, quo plures inter eruditos decepit.

Quis adduceretur ut credat, id pro vero atque indubio haberi poſſe, quod ex hypotheſi aut prorſus falſa, aut maxime incerta unice fere confectum eſt? Talis autem eſt hypotheſis, quod Cherubini faciem puerorum tenellorum geſſerint omnes; quam nimium audacter pro certa ſatis ac uſquequaque explorata reputari, ne ipſe quidem Joſephus diffitetur, cujus effatum Antiq. Lib. III. cap. 6. eſt, Cherubinos fuiſſe Ζῶα πετεινὰ μορφὴν οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια *animantia volucria, nulli eorum quæ mortales conſpexere, congrua*: & Antiq. Lib. VIII. c. 2. Τὰς δὲ χερουβεῖς οὐδεὶς ὁποῖαί τινες ἦσαν εἰπεῖν, οὐδὲ εἰκάσαι δύναται *neminem aut dicere, aut concipere poſſe, qualem Cherubini figuram habuerint*. Quin etiam, ſi vel maxime puerilem faciem largiamur *ideoque* צעצעים dici ponamus; largiri aliis viciſſim debent, צעצעים eodem jure poſſe ad *alas* referri *alatoſque* vocari, eo quod alas haberent quibus viderentur *motitari*. Huc uſque compelli poſſe inveteratæ ſententiæ patronos ſine dubio *Anonymus Judæus Germanus*, quem Beckius ad Paraphraſ. 2. Chron. 3. 10. ex MS. citat, olfecit; quandoquidem utramque, *puerorum* nempe & *avium*, notionem voci noſtræ tribuit, צעצע עופת הדומים לילדים וינגל דיא גליך זיין וויא קינדר *Zaza ſunt volucres, ſimiles pueris*, Vögel die gleich ſeyn wie Kinder. Quid *porro* per-

permutatio literarum ע & א eos juvat? An ideo, quod illæ ejusdem sint ordinis, צעצעים & צאצאים Synonyma sunt? At pari facilitate צעצעים & שעשעים *oblectationes*, quia ש & צ sunt dentales, [& ejusmodi multa alia] in fraternitatem quodammodo atque synonymiam coirent. In hac certe nominum classe, in quam nostrum est relatum, ipsæ nativæ poni & genuinæ literæ amant. Aut quæ tandem ratio excogitari posset, cur nostra vox, quamvis à יצא sit, a radicis suæ literis tantopere abhorreat, ut peregrinam ע in vicem א sui substitui malit?

Quid? annon & voces צעצעים ac כרובים synonymæ evaderent, cum earum utraque *puerum* notaret? At vero, hoc qui fateri cogitur, is se, quam apertum discrimen S. Scriptura inter has voces ponat, nescire fateatur. Quid manifestius eas discernere posset, quam locus noster 2. Chron. 3. 10.? Hic gemino Cherubinos nostros nomine appellat; *generaliori* & quod cum quibusvis Cherubinis commune habebant, ipso nempe כרובים, & dein nomine צעצעים, quod his solis *peculiare* fuit. Quo discrimine non observato, omnes reliqui Cherubini, quicunque & ubicunque essent, sive illi qui in Velis, sive qui in parietibus tam labrorum, quam ipsius ædis sacræ, sive qui in propitiatorio conspecti fuere omnes, inquam, מעשה צעצעים possent vocari. Hoc vero iterum qui fateri cogitur, is se ad nomina peculiaria, quæ singulis imponuntur, non attendere eadem opera fateatur. Quemadmodum enim alii כרובים vocantur מעשה חשב, alii מעשה מקשה &c.; ita & Cherubini Salomonis prorsus sibi privo titulo מעשה צעצעים insigniuntur. Hæc sunt, quæ vocis צאצאים patronos conturbare in deliberatione queunt.

Quæro tandem, si tota res hæc rationibus nostris in ruinam succussa fuerit; num labescenti inde, quod inveteratis Eruditorum suffragiis munita est, auxilium quærere velint? Quid vero est vanius? Hoc præsidium quale sit, quis non videt? certe non justum, non ingenuum, non firmum. Eopse enim hanc deductionem rejicimus, quod tantos ac tot Viros in errorem induxit.

§. 6. Quod si vituperandi sunt, qui vocem צאצאים obtrudunt; quid de iis existimandum est, qui istius παρερμηνείας animadvertentes, originem vocis צעצעים a Radice צעה repetiverunt? Multos hic præclaros viros, *Buxtorfium*, *Scindlerum*, *Forsterum*, *Avenarium* aliosque nominare honoris causa possemus; imo ipse *Coccejus*, etsi vocem nostram post צעַ collocare maluerit, fatetur tamen, melius ad צעה referri. Quid mirum? *commoditatis* satis in ea deductione est. Etymologiæ Leges non admodum repugnant. Sic שעשועים a שעה dicitur; sic תעתעים a תעה. Quamobrem hoc deductionis genus, quia est & commodius & sanius, ne itidem e medio pellatur. Quid multa? vellem idem nobis usurpare liceret. Præsertim cum postea, vocis צעה significationem sententiæ nostræ favere potius, quam obstare, suo loco ostendere sit animus. Sed quoniam in hac sola radice acquiescere nequeo: idque positum est in tribus rebus, *paupertate ejus*, quia per se sola non sufficit ad descriptionem claram operis צעצעים, *indigentia*, qua fit ut adjuvari ex lingua Arabica & possit & debeat, & *ambiguitate*, cum, qui hac sola contenti fuere, in varios erroneos conceptus propendeant: hac quoque, sed in suo pretio, relicta, ipsi deinde animi nostri complicatam [ut loquitur Cicero] notionem evolvemus.

§. 7. Hos vero, quorum conceptus dicimus erroneos, ne sileamus, ordo, quem nobis fiximus, etiam videtur requirere. Inde enim, quod vocem nostram non intellexerunt, varia interpretamenta excogitare satius, quam eam intactam prætermittere, visum ipsis fuit. Quæ cum numerosa sint, duo *seorsim lustranda* agmina conficient: *unum* eorum, qui *quamlibet in genere* significationem voci צעצעים; *alterum*, qui eidem *specialiorem a motu*, quatenus eum radix צעה infert, tribuere fategerunt. Frequentissima eorum videtur, præsertim apud Judæos, sententia esse, qui מעשה צעצעים reddunt: *puerorum opus*. Et *Judæorum* quidem in illa unanimem consensum, §. 2. jam exhibuimus; e quibus tamen *Raschium* huc sub limam retrahemus, qui hanc de *opere puerorum* opinionem eo usque extendit, ut duplicem Cherubinorum sexum ex voce nostra elicere velle videatur. Nam ad h. l. scribit: מעשה צעצעים דוגמתו הצאצאים והצפיעות ותרגומו ובניא תבנית ילדים וילדות עשה לכרובים כרביא *Opus Zaazyim habuit speciem puerorum & puellarum*, quemadmodum *Paraphrastes Chaldæus* voces צפיעות & צאצאים explicat *per* בניא. *Ut adeo formam quandam puerorum & puellarum fecerit Salomon Cherubinis*: *præsertim cum ipsa vox* כרובים ex רביא & כי, *sicut puer*, sit composita. " Paraphrasin innuit, quæ Jesai. 22. 24. voces dictas explicat. Has vero Kimchium quoque per בנים ובנות *filios & filias* exponere, Coccejus in Lexic. voce צפיעות autor est; & verba ipsius Kimchii ad Jesai. 22. 24. extant. Cum igitur hoc nihil habeat dubitationis, quin R. Salomo liquido ipse mentem suam expresserit; sub hac interpretatione Judaicam

de duplici Cherubinorum sexu fabulam occuli quis dubitet? Quam quidem ex *Talmudicorum superstitione* arreptam ad usus suos in hac explicatione Raschi adjungere voluit. Illi autem in Joma fol. 54. col. 1. lin. 13. a fine huic commento ansam dedisse videntur; quod apparebit, cum infra eos commodiore loco audiemus. Longiores enim hoc loco sumus, quam necesse est. Quamobrem paucis tantum ac veluti in transitu *Christianos* in hoc errore jacentes spectemus. Nescio quæ animi persuasio eos tam firmiter incesserit, ut vocem צעצעים simpliciter, tanquam re satis explorata, *pueros* designare pronunciaverint. Cajetanus vertit: *opere puerorum;* imberbesque fuisse Cherubinos & facies similes pueris habuisse, ideoque tanquam *opere puerorum* factos describi, in Criticor. Sacror. ad h. l. Annot. dicit Osiander, pro eo, quod habet Vulgatus, substituit *opus juvenum*. Imo Buxtorfius in Concordant. Bibl. post literam צ, in Catalogo pluriliterorum, sub hac voce ex R. Nathane annotat: צעצע ופירושו נערות *pueritia, pueri*. Et Scindlerus auget sensum vocis in Lex. Pentaglot. p. 1558. dum reddit: *Pueri hinc inde discurrentes*, qui ideo & vocem צאצאים & rad. צעה una, ne in alterutro deciperetur, respexisse censeri potest.

§. 8. *Novam*, inter Criticor. Sacror. ad h. l. Chron. annotata, Bened. in hujus vocis interpretationem discrepantiam confert. Is generatim vertit: *Opere imaginum;* quæ translatio circumspectior, quam accuratior est. Potest enim non quibuslibet figuris solum, sed *omnibus* præcipue Cherubinis accommodari, de quibus æque ac de hisce Salomonicis Rabbini varia disputant, num sint inter *imagines* recensendi, quorum usum cultumve Deus prohibuerit, vid. *Jom Tob ad Joma fol.* 54. 2. *Abarbanel in Leg. fol.* 19. &c. qualis & illa lis fuit, cum olim *Sophronius Patriarcha Alexandrinus* Cherubinorum in Tabernaculo Temploque usum allegaret in defensionem usus *imaginum* in Ecclesia. Meminit illius *Said Ebn Patrik*, sive Eutychius Patriarcha Alexandrinus *Annal. T.* 2. *edit. Pocockii p.* 450. *& sq.* memorans: Sophronium prolixam scripsisse orationem, in qua cultum *imaginum* defenderit hoc præcipue argumento: quod الله جل ثناوه وتقدست اسماوه امر موسي ان يصور في قبة الزمان صورة الشاروبيم من ذهب وينصبهما داخل الهيكل واحتج وقال وسليمن ابن داوود لما عمل الهيكل وبناه جعل فيه صورة الشاروبيم من ذهب, *Deus, cujus fama gloriosa & nomen sanctum, Mosi præceperit, ut in Tabernaculo temporis imagines Cherubinorum aureas formaret, quas intra sanctuarium statueret; deinde quod Salomo Davidis filius cum Templum extrueret, in ipso imagines Cherubinorum aureas reposuerit*, &c. Quæ quidem verba Eutychii huc transferendi cum copiam institutum meum quodammodo faceret, feci id lubentius, ut exigente infra §. 10. necessitate ad ea recurrere queam. Sed jam ad propositum revertamur. *Tigurina* versio, itidem a Criticis sacris dicto loco citata, ne latum quidem unguem propius ad rem accedit, dum reddit: *Opere artificioso*. Quo pacto omnia, in sacris confecta, מעשה צעצעים dici potuissent; præsertim, cum jam ad Tabernaculi ædificationem Deus Bezaleelem impleverit רוח אלהים בחכמה ובתבונה ובדעת ובכל-מלאכה: Ex. XXXI. 3. *Alexandrinos* vero, sive LXX. ut cum vocabulo nostro conciliemus, major quædam cura adhibenda est. Vertunt: ἔργον ἐκ ξύλων ἀσήπτων, *opus ex lignis putredini non obnoxiis*. Quorsum hæc? ut eo magis nos suspensos relinquant. Tam peregrina hæc explicatio est, ut *barbari hic sint & non intelligantur ulli*. Quamobrem, si vera de eorum mente divinare velimus, aliud in animo habuisse existimandum est. Aut enim, quod *Mercerus* ad Pagnini Lexicon h. v. conjectat, שטים legisse sive intellexisse videntur; aut מצעים eos legisse pro צעצעים cum *Math. Fried. Beckio* ad II. Chron. III. 3. dicendum est. Uter horum vere tibi conjecisse videatur, Lector Benevole; insigne saltem παρόραματος τῶν LXX. exemplum tibi exhibent. Chaldæum, qui *opus florum* intelligit, §. 4. jam audivimus; atque ibidem nostrum quoque judicium interposuimus. Et cum עובר שושנין admodum simile sit illi מעשה שושן de quo 1. Reg. VII. 1. collat. vs. 22.; dictu est proclive, Paraphrasten tale quoque *opus Zaazyim* habuisse. Neque plura de hoc addimus. Singula enim persequendi, quis finis? vid. de מעשה שושן *Meinhard. Plesken de Columnis æneis* sparsim a pag. 129. . . . . 155. *conf. Reland. Antiq. P.* 1. *C.* 6. §. 8. Sed cum præter commemoratos alii etiam sint, qui suis conjecturis obstrepere nostro instituto possent: pellenda e medio est eorum quoque opinio. Avenarius enim in Libro Radicum sive Lexico Hebræo sub hac voce monet: צעצעים *varii ductus*, *Germ*. Büge, *i. e. ambages artificiosæ. Semel tantum legitur, ut* 2. *Parel.* 3. 10. *& fecit in domo Sancti Sanctorum Cherubim duos, opus variorum ductuum*. Opinor, sonitum vocum hunc aucupari: & vox צעצעים, si absit terminatio Hebræorum pluralis ים.,

visa

visa est ipsi sonare quasi Zuge / Züge / צַצִּיעַ, schevate cum exili sono vocalem E repræsentante. Diceres, eadem facilitate *capram* ex צעצע exsculpi potuisse, quæ Germanis Ziege audit. Quanquam, ne jure optimo irrideamur, nolimus quoddam *opus caprarum* inculcare. Ipsi vero Avenario (ut ad eum redeamus) geminatum צעצע haud dubie *varietatem*, more Hebraico, visum fuit inferre; atque inde *varii* ejus ductus nati sunt. Vulgatus phrasin nostram reddit: *opere statuario*. De qua interpretatione quid sentiendum sit, Mercerus occupat ad Lex. Pagnini de Hieronymo dicens: vertit, opere statuario, ut artificium metallarium intelligas." Beckius vero ad Paraphras. II. Chron. III. 10. vult, non solum Latinum, sed Lut. quoque qui (vertit: nach der Bildner Kunst) sequi Græcos LXX. qui reddunt: ἔργον ἐκ ξύλων, de quibus jam superius conjecturam cepimus.

§. 9. Sequitur, ut de *altera* classe interpretationum dicendum sit. Hoc loco continentur illi, qui מעשה צעצעים arbitrantur *opus moventium* reddi debere. Ita *Joh. Forsterus* Dictionar. Hebr. sub hac voce dicit: צעצעים *dicuntur, qui metalla discurrere & movere faciunt*, vertitque locum 2. Chron. III. 10. *duos opere moventium*. Quam sententiam *recentiorum* vocat Mercerus ad Lex. Pagnini. His venit in mentem, fuisse artifices, quibus hoc nomen apud Hebræos inditum fuerit. Quemadmodum τῶν גבלים *Giblæorum* nomen sacræ produnt literæ, quos certum artificum genus constituisse nonnulli existimant; licet alii hoc nomen pro *gentili* & quod a regione illorum ortum fuerit, malint reputare. Sed cur non eadem opera cogitarunt, *Zaazyim* esse nomen regionis atque adeo hos artifices ex *Sacæa* i. e. Scythia prodiisse? aut, si porro jocari velimus, cur non placuit vocem צעצעים, quam Rabbini explicant per אלבראט, ut infra monetur, habere pro urbe illa maritima بيروت *Beirut* i. e. *Berytus*? (de qua vid. *Golium Not. in Alfragan. p.* 289.) Nam similis hic est ratio, ut opinor. Deinde eo magis ipsis hæc interpretatio arrisit, quod apud veteres ii, qui cum metallis occupabantur, peculiari sibi quodam & quasi technico nomine appellati fuerunt. Præcipue cum Statuariæ artis plures esse species animadverterent. Quocirca adducimus verba *Rhodigini* Lect. Antiq. L. 29. c. 24. p. 165. dicentis: *Statuariam videri in species quinque distributam de rationibus subjectæ materiæ, siquidem lignorum vel eboris elaboratrix tomice nuncupatur, ex quo & artifices id genus quibusdam dicti desectores - - - quæ cum metallis contrahit, Glyphice est vel Scalptura, cujus ratio duplex, nam si adhibeatur cera, deductionis ratione, agogice vocatur. Etenim ab fundendi argumento chemicen, i. e.* χημικὴν *alteram dixere*. Cum igitur hoc nihil habeat dubitationis; inde phrasin nostram arti metallariorum tribuerunt, quod ea singularem habuisse speciem videbatur, cujus artifices Zaazyim dicti fuerint. Porro alia iterum ratione Cherubinorum nostrorum imaginem animo concipientes, quod *auro obducti* fuerint; eo minus erronea sua ipsis interpretatio videbatur, ut arbitror, quo clariores erant apud veteres illi artifices, qui *bracteis aureis* statuas aliaque *inducebant*, quos hinc peculiare nomen *Bractearioruu* seu *Bracteatorum* (Græcis πεταλόποιοι aut πεταλουργοὶ dicebantur) tulisse scimus ex *Rhodigino* Lect. Antiq. L. XIX. c. 16. p. 1073. & *Hoffmanno* in Lex. voc. *Bractea* pag. 573. Quæro igitur, hæc perpendens, num צעצעים sunt *artifices metalla tractantes*: num *Bracteatores*? Nolim id asseverare. Etenim vocem nostram quo minus ita sumamus, perpetuus ferme Scripturæ S. mos prohibet. Illa in opificum laboribus recensendis voci מעשה communiter jungit non *artificis*, sed ipsius *artificii* & *operis* nomen. Quemadmodum מעשה מקשה ipsam materiam ipsumque opus, non artificem, denominat: uti apparet ex explicatione, quæ Exod. XXXVII. 22. huic phrasi statim subjungitur, quod sit אחת זהב טהור *ex uno auro puro*. Conf. Exod. XXV. 36. Sic מעשה רשת, מעשה עזים, מעשה שושן 1. Reg. VII. 19. מעשה אופנים 1. Reg. VII. 33. &c. Quomodo & כתנת תשבץ dicitur. Quin etsi jungat *participia*; sunt tamen ea in sensu & potestate *nominum* intelligenda, ut מעשה חשב & מעשה רקם, quæ rectius latine exprimuntur *opus acus*, *opus artificii*. Quæ cum observaveris; non dubitabis mecum asserere, quod in his casibus *nomen*, quod voci מעשה sociatur, vel *naturam*, vel *materiam*, vel *situm* operis ipsius exprimat. De natura & materia perpende phrases paulo ante collectas: de *situ* non dubitabis, si attendas ad phrasin מעשה מורד qua *opus in declive descendens* indicatur, ut sunt labra &c. vid. 1. Reg. VII. 29. de his plura non addo. Aliis enim porro rationibus coercendi sunt hujus, cui occurrimus, sententiæ autores. Si enim *opus moventium* hic statuatur; credi id non potest, nisi simul dicatur, fuisse certum artificum genus, quorum omnis ars, omnis peritia, omnis occupatio eo tantum adhibita fuerit, ut *metalla fecerint discurrere*, ideoque peculiare aliquod nomen excogitatum fuerit. Sed, si non jam per se occurrit quod hic respondeas; dicam, hoc artificii genus

nus fuisse rarius, ideoque operæ pretium non tulisse quicunque ejusmodi artifices peculiari denominatione ab aliis voluerint discernere. Ostendant, hoc genus artificii extra hos Cherubinos ab Hebræis fuisse adhibitum. Num dubitandum, ad Palatii regii Salomonis, quod mira arte & industria sumptibusque largissimis fuit confectum, extructionem artifices peritissimos ad diversissimi generis opera undique conquisitos fuisse? At in toto horum numero nulli *moventes*, nulli *bractearii* comparent. Hoccine est indicio, nullos tales illa ætate illaque gente fuisse? Non audes excipere, forte *unum* tantum huic operi fuisse præfectum: repugnat enim numerus pluralis vocis צעצעים, qui integrum numerum agmenque horum artificum tibi sistet. Nihil itaque prohibet, quo minus hoc opus *Zaazyim* ad statuarios quosvis pertinuisse diceretur: quid igitur opus erat bracteariis? tenenda est regula, *a potiori denominationem fieri*. Si jam statuantur peculiares artifices Zaazyim dicti: dicendum erit, *aut*, quod ita appellati sint *quod ex ligno statuam construerent*, & tum non nisi *statuarii* fuerunt, quod iterum contra illorum est mentem, & alias quoque non admitti potest; *aut*, quod id nomen tulerint quoniam *metalla fecerint discurrere*. Id ipsum vero longissime a vero abest. Quomodo tum iis *solis* posset opus Cherubinorum tribui? cum *fabri lignarii* & *statuarii* superessent, qui tamen omnino potiorem denominationis partem debuissent ferre, quippe cum lignum שמן potiorem Cherubinorum partem conficeret 1. Reg. VI. 23. Aut igitur his rationibus vincantur oportet; aut postremum hoc, quod Cherubini nostri ex ligno constiterint, negabunt. Quod facile credo. Nam hoc fundamento præcipue stare eorum sententia videtur.

§. 10. Ne igitur hoc tandem dissimulemus! Nam quoniam omnia persequimur [volumus quidem certe] quæ nos ad fontem hujus opinionis perducere queant; dicendum est etiam ultimo, quænam omnium proxima ejus *origo* esse videatur. Quorundam certe error, qui integros hos Cherubinos *ex auro constitisse* finxerunt, hos procul dubio induxit, ut tantopere a conjectura aberrarent. Duces *Eutychium* Patriarcham Alexandrinum & *Josephum* ipsum habuerunt. Prior *Annal.* Tom. I. edit. Pocockii pag. 174. scribit simpliciter: ولحد منها عشرة أذرع وعرضه خمسة أذرع من ذهب *unumquemque horum* Cherubinorum *fuisse decem cubitos longum ac quinque latum, ex auro*. In qua descriptione & illud non est prætermittendum, quod hic Cherubinos 5. cubitos latos dicat; quam latitudinem S. Scriptura cuilibet eorum alæ attribuit 1. Reg. VI. 23. 26. idem rursus in verbis supra jam §. 8. adductis narrat, *quod Salamo in Templo reposuerit*. صورة الشاروبيم من ذهب *imagines Cherubinorum ex auro*. Et eo certiores sumus, eum per phrasin من ذهب totam *materiam auream* voluisse exprimere, quia eadem phrasi utitur in describendis Cherubinis propitiatorii, (vid. verba ejus §. 8. jam citata) quos opere מקשה constitisse ex Exod. XXV. est certissimum. Sed magis idem error est in *Josepho* reprehendendus, qui Antiquit. Lib. VIII. cap. 2. dicit, Salomonem in S. Sanctorum collocasse δύο χερουβεῖς ὁλοχρύσους πηχῶν ἑκάτερον τὸ ὕψος πέντε *duos Cherubinos ex auro solido, utrumque quinque cubitorum altitudine*. Quæ verba duplicem errorem, æque utrumque putidum ac pudendum, produnt: *tum*, quod altitudinem horum Cherubinorum S. Scriptura non *quinque*, sed *decem* cubitis bis terve metiatur, 1. Reg. VI. 23. 25. 26. *tum* quod Josephus eum errorem cum Eutychio communem habeat, ut Cherubinos ex solido auro confectos fingat. Quod directe S. Scripturæ adversatur, quæ eos ex *ligno* שמן fabricatos, deinceps *auro obductos* annotat 1. Reg. VI. 23. 28.

§. 11. Quod cum ita sit; satius duxerunt alii, ut vocem צעצעים verterent per *exemptiones*: unde illis *opus exemptionum* seu *exemptile* natum est. In horum numero comparent *Piscator* h. l. atque *Junius* & *Tremell.* Hi existimant, fuisse opus ex multis partibus constans, quæ *divelli inter se poterant atque eximi ac dimoveri*. Conf. *Buxtorf.* in Lex. Hebr. Sic Biblia Genevensium in hunc quoque modum: *deux Cherubins dans le lieu Tressaint, d' ouvrage dont les pieces se pouvoyent aisement oter*. Additur tamen in margine: *ou, comme suspendus sav. comme s' ils eussent voulu voler* &c. Sed hæc quoque opinio nonnulla continet, quæ admitti nequeunt, & commodiorem infra Sect. II. locum invenient. Omnes igitur illi, quos inde a §. 9. recensuimus, *Movendi* quidem significatum accipiunt; verum magis *relate ad alios* a quibus motus proficiscatur.

§. 12. Restat, ut de illis etiam dicatur, qui motum *ipsis Cherubinis* tribuunt: qui ideo ab iis pro *opere motorio* seu *motationum* habentur. Ita Mercero ad *Pagnini* Lexic. Quæ interpretatio admodum generalis est & diversimode potest concipi. Certe *tum* ii, qui motum ad alas referunt, *tum* qui motum quendam spontaneum effinxere, huc pertinent. Quin & sententia nostra sub hoc generaliori significatu quo-

quodammodo continetur, ut deinde apparebit. Priores opus Zaazyim reddunt per *opus motationum*; quoniam sic dictos volunt ob alas quas expandebant. Sic a Mercero ad Pagnini Lex. additur: *Sic facti videbantur Cherubim, quasi alas sponte moverent & illis veherentur: unde &* כרובים *quasi* רכובים *suo loco dici conjectabamus*. Quocirca Judæus ille, cujus §. 5. mentio facta est, explicat: צעצע עופת *zaza sunt volucres*. Certe alias quoque in S. Scriptura motus per avium alas denotari solent. Unde & *Maimonides* & *Wideburgius* Spec. Mathes. Bibl. Spec. I. q. 5. per רוח מרחפת Genes. I. intelligunt divinam virtutem *motricem*: eo quidem, ut opinior, fundamento, quoniam Hebræi volunt, e. gr. *Chagiga* fol. 15., phrasin hanc proprie pertinere ad volatilia *alas motitantia*. Sed eorum, quos refellimus, sententia duos experitur obices: siquidem & etymon *τῶν* כרובים frigidiusculum est, ut infra Sect. II. ostendetur; & causa motationis, quæ de alis sursum erectis desumitur, nimis generalis est, quoniam Cherubini quoque propitiatorii expansis alis stabant, quibus tum nihilo quoque secius nomen צעצעים convenire invita Scriptura dicendum foret. Quocirca aliis visum consultius, ut Cherubinis nostris tribuerent *motum quendam spontaneum*, unde *artificium* vocant, *quod suapte sponte mobile fuerit & Græcis αὐτόματον dicatur*. vid. *Buxtorf* in Lex. Hebr. & M. C. ad Lexic. *Pagnini*. Vox autem *automaton* varii est sensus: sed apud Mechanicos dicuntur automata, *quæ per se videntur motari*. Jam sive *ejusmodi* automaton hic intelligas, sive *perpetuum* aliquod, ut vocant, *mobile*; quisnam ejus in sacris usus? Sed causæ sunt, ob quas hic mihi subsistendum; proxime vero adjiciam meam de מעשה צעצעים sententiam, verto enim, *opus rotarum* sive *opus currus*; & ita dici puto, quia Cherubini hi magni *rotis instructi fuerunt*, quod quam primum ulterius demonstratum ibo.

JOHANNIS HENRICI ANTONII
DORJEN,
DE
מעשה צעצעים, sive opere Zaazyim,
QUO
CHERUBINOS S. SANCTORUM
CONFICI CURAVIT SALOMO,
II. CHRONICOR. III. 10.

SECTIO II.

§. I.

Etsi prima vice, cum Sectionem I. hujus tractationis exhiberemus, *alteram* quoque subjungere atque ad finem properare studuerimus; interveniente tamen gravi impedimento Cherubinorum nostrorum *Rotas sufflaminare* tantisper coacti fuimus, dum illud removeretur. Ita experti sumus, quod dici solet: מי שרוכב במהירות אינו בטוח ממכשול *qui properanter equitat, non est tutus ab offendiculo*. Nihilominus quod passi sumus temporis dispendium, in lucro quodammodo deputamus. Nacti enim sumus interea insignem sententiæ nostræ socium, aut si mavis [ego certe malo, *tum* quia tutior ad effugiendum *novitatis* præjudicium via est, *tum* quia omne prorsus cuivis scripto pretium deesse existimo, si desit *candor*] primum *inventorem*, doctiss. SPENCERUM. Is enim in libro *de Leg. Hebr. L. III. c. 7. diss. 5. p. 265. n. 5.* ita scribit: *Nec a vero forsan aberravero, si dixero, Cherubinos in Templo positos, CURRUUM ritu ROTAS aliquas ANNEXAS habuisse; quod Historia sacra 1. Paral. XXVIII. 18. Currum Cherubinorum memoret, & ve-*

& verisimile sit, Ezechielis Cherubinos, rotis instructos, a Salomonis Cherubinis non multum discrepasse. Sed hac de re integrum sit cuique quodlibet opinari. Hæc scripsit, tanquam si rogatus a me esset; hæc lego, tanquam si ipsum consuluerim, adeo accuratus inter illius atque meam opinationem concentus est. Cumque simul videat Lector Benev. quibus argumentis *Spencerus* ad hanc conjecturam inductus sit; *mea* quoque nunc porro benevole audiat.

§. 2. *Primum* argumentum desumimus ab investigatione *radicis*, unde vox צעצעים derivata est. Quæ cum apud Hebræos frustra quæsita sit, ut Sectio I. edocet; apud *Arabes* videtur conservata esse. Ea de re sollicito variæ voces se obtulerunt ad institutum meum perquam idoneæ. Quas, sive ne in una alterave erremus, seu ut optionem eo faciliorem reddamus, seu quoniam omnes & sono & significatione conferri possunt, seu quia uno complexu simul sumtæ in probatione nos adjuvare queunt, *omnes* exiguo selectu habito, non veremur adducere.

a. Præmittimus vocem غيارية *Currus*, *plaustrum*; in qua sonus non discrepat. Non enim solum litera غ cum γ permutari potest; sed ي quoque pro أ, & hoc pro *y* solet poni. Quod iis non est peregrinum, qui Arabicas literas callent.

b. Propius vero consonat radix ضعضع, quæ duplicem significatum habet, alterum *corruendi* sive *concussionis*, alterum *deprimendi*, *humiliandi* & *solo æquandi*. Uterque ad rotas manu quasi ducit. Priorem *Golius* quidem debito loco non annotat in Lex. Arab.; verum alibi, pag. 517. docet, vocem hanc idem denotare quod جاجل *motitavit*, & hinc derivatur nomen جاجل *orbiculus*, quod non est aliud, quam ipsum Chaldæorum גלגל *orbis*, *sphæra*, *circulus*, *rotatio*. Ex quo intelligitur, quoniam & sono & significatione concinunt secum, Hebræorum צעצעים ab Arabum radice ضعضع nulla in re diversum esse. Et ea res, si quæris Lector, rotis nostris magno jam firmamento est. Quid statues igitur, quando præterea ex *concussionis* & *corruendi* significatu rotas easdem deduxero? Rotæ certe dicuntur & *concuti* (unde אופן רעש, LXX. σέσμος τρέχων Nahum III. 2.) & *labi* sive ruere, & Virgilius de equo Trojano in urbem tracto Æneid. II. 235. canit.

- - - pedibusque *rotarum*
Subjiciunt *lapsus*.

Et v. 240. addit:

Illa subit mediæque minans *illabitur* urbi.

Quemadmodum & Silius L. VI. v. 121:

Per varios præceps *Casus rota* volvitur ævi.

Deinde & *deprimendi soloque æquandi* notio nobis favet, quia rotæ currui subjici atque instar pedum in inferiori ejus parte collocari solent. Quocirca Trojani *equo illi* rotas *subjecerunt*, quem ea de causa *ascensorem velocium rotarum* eleganter vocat in *Ilii Excidio* Tryphiodorus:

Εἷλκον ἐπὶ πεδίοιο θοῶν ἐπιβήτορα κύκλων Ἵππον.

Trahebant per campum ascensorem velocium rotarum *Equum*.

Quid, nonne rotæ, dum in inferiori currus parte conspiciuntur, *pedibus* evadunt simillimæ? Quod quo facilius obtineam, moneo non id solum, quod Hebræa vox פעמים [quæ est a פעם *concussit*, quem concutiendi significatum iterum pro nobis allegamus] & *pedes* & *rotas* denotet; sed quod ea etiam a LXX. per πόδες translata sit. Quod utrumque inde conspicitur, quod verba Judic. V. 38. פעמי מרכבותיו Græci per πόδες ἁρμάτων αὐτοῦ exprimant. Et ea ratione Arabica illa vox, cujus occasione hæc a nobis observata sunt, prope admodum cum صفصع, quæ est a صفع, concinit, quæ synonima est verbo رجل, quod in IV. Conj. est *peditem effecit*, in V. *pedes incessit*, *in pedes descendit*, *pedibus insedit*, *pedibus supposuit*.

c. Periclitemur autem nunc, si placet, in eo exemplo, in quo non minus commoditatis inesse mihi persuadeo. Neque enim quicquam impedit, quo minus vox تفتغ *titubavit* & inde formatum nomen تفتاغ *titubantia* hic conferatur. Titubatio enim ad rotas quoque pertinet. Unde nata est interdum Scriptoribus sacris figurata locutio, quando *ebrios*, quibus maxime priva est titubatio, *rotari* dicunt, ut Ps. CVII. 27. יחוגו וינועו כשכור *rotabantur & agitabantur ut ebrii* prout vertit Coccejus in Lexic. qui illic docet, חגג proprie significare *motum in circulum*. Cæterum, quoties non ebrii *titubare* dicuntur? v. Jes. XIX. 14. XXV. II. 7. Sed quid utor in re non dubia testibus non necessariis? Addo tantum quod & تعتع significet *titubare*, & inde deductum nomen تعتع *titubantiam*; quod ipsum quoque a nostro instituto non alienum est.

d. Forsan & illud juvabit addere, quod rotæ, dum provehitur currus, offendant

sæpe

sæpe ad viæ obstacula & sic *subsiliant*, *vacillent succussæ*, quodammodo, ac per *ὑποσεισμὸν quassentur*. Ex quo potest ratio peti phraseos מרכבה מרקדה *currus saliens* Nahum III. 2. LXX, ἅρματος ἀναβράσσοντος. Jam, ne hæc præter rhombum observata esse putes, perpende, atque cum צעצעים confer arabicas voces زعزع, quod est *commovit*, *concussit*, unde زعزع *vacillans* & *quassabundus incessus*; زازا, quod est *succussatim incedere* adeoque quasi subsiliendo per succussum, ut succussores equi solent; & denique زقزق *motus saltatorius*, quia non prorsus peregrinum est, צ in ق commutari, ut ex קים & ארע, quæ sunt ex עץ & קרה, aliisque discimus.

Hinc jam mirum non erit, adduci a nobis complura unam in rem Arabica vocabula, quorum & literæ & significatio nobis prodesse queant. *Literas* quidem varie ex Hebræa in alias Orientis linguas transfundi experientia confirmat. Sic צ Hebr. in plerisque, notante *Pocockio Not. ad Port. Mos. c. 4. p. 44.* Arabico غ convenit; quæ res eundem movit, ut עפל a غفل deduceret. Ita צ Hebr. Arabes in غ mutare solent & א in ح, quod iterum *Pocockius ibid. p. 55. & 36.*) observat. Quin & ב Hebr. Arabes cum ش confundunt, ut ex nomine الشاروبيم, quod in testimoniis supra Sect. I. §. 8. 10. adductis pro כרובים ponitur, planum est. Alia hujus generis non addo, quia hæc exempli loco sufficiunt. Quod si vero præter sonum literarum ipse quoque *significatus* affinis est voci, quæ ex affinibus linguis restituitur, quæ tum dubitandi ratio superest?

§. 3. Quemadmodum autem *concussio*, *tibutatio &c.* ad rotas pertinent; sic ultimo quoque loco

e. Ipse *movendi* significatus rotas infert. Si enim *sistra* vocantur מנענעים a נוע *movit se* quod, ut scribit *Kimchi in comment. & libro Radic.* ad *motum commoveant*; cur non *currus* diceretur opus צעצעים, eo quod ille quoque *movens mobilisque* sit? Quo factum est, ut & Arabibus *orbiculus* diceretur جلجل, quasi *mobilis*, a rad. جلجل, *motitavit*. Jam igitur licebit in præsenti etiam instituto illas voces conferre, quæ *movendi* sensu occurrunt. Ex *Arabicis* huc pertinent طا طا *movere*, ut cum quis equum femorum agitatione ad cursum incitat, & manu frenum eum in finem concutit; تعتع *movere*, idque paulo violentius; تاتا *loco movere* &c. *vid. Pocock. Not. ad P. M. c. 5. p. 36.* deinde ipsa etiam radix *Hebræa* צעה hic locum quodammodo habet, quæ כל מה שפירושו גלות או שנוי מקום *omne id, quod habet sensum deportationis mutationisque locorum*, denotat, ut explicat *R. Nathan* in Concord. Buxt. Et *David de Pomis* in צמח דוד in hac voce ait: צעה טלטל נוע ירמיה במ״ח ובו בכובד בעד הסיע׳ ובישעיה ס״ג בעד הניע וגו׳ *motus est, vagatus est. Jerem. II. 48. &c. Mobilitas* autem hæc commode ad rotas referri potest; simul vero etiam ad staturam Cherubinorum nostrorum, quæ procul dubio ambulantium instar fuit; qualem technica voce *ambulantem* artifices hujusmodi appellare solent.

Ceterum, ut & hoc addam, est apud Syros vox מצעצין *commixti*, *polluti*, observante *Hottingero Lex. Harm. p. 415.* quæ forma tantum, non significatione cum צעצעים convenit; proinde nullum hic nobis usum præstat.

§. 4. Occurri autem nobis ab aliis posset, quærentibus, satisne prudenter facere videamur, qui Cherubinos ideo, quod rotis essent instructi, opus Zaazyim vocari contendamus; cum eadem de causa etiam alia nonnulla vasa, quæ rotis ferebantur, in sacris eodem nomine insigniri debuissent? Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim negamus, talia vasa, de quibus suo loco agetur, ab ipsis etiam rotis denominata esse. Docet id phrasis, quæ tale vas describit & nostræ voci est synonyma, מעשה אופנים כמעשה אופן המרכבה *opus rotarum*, *quale* est *opus rotæ currus*. 1.Reg. VII. 33. Post descriptionem tam accuratam alio nomine, quod non nisi eandem formam operis indicaret, labrum non indigebat. Ne quidem dicam de diversitate *materiæ* ex qua Cherubini vasaque illa constabant; quæ uti diversos artifices postulavit, ita diversa quoque technica vocabula peperit. Exemplum præbent Cherubini Arcæ fœderis, qui vocantur מעשה מקשה, eo quod solido opere constarent; lychnuchusque eodem nomine insignitur Exod. XXV. 31. 36. quia operis ratio fuit eadem, uti contra *Josephum*, qui cavitatem lychnucho tribuit, merito asseritur.

§. 5. Omnino vero (ut ad aliud argumentum accedam) de *rotarum* opere cogitandum est, cum observatur, veteres quosdam Rabbinos מעשה צעצעים per צנעת אלבראט explicasse. Namque R. Sal. ben Melech *Michl. Joph. f. 213. 2.* postquam prio-

priorem vocis nostræ explicationem retulisset, de qua nos Sect. I. §. 2. egimus, addit: ויש מפרשים מעשה כרכוב היו עשויים הנקרא בלשון ערבי צנ׳עת אלב׳ראט *alii ita* vocem צעצעים *explicant, quod fuerint opere Carcobb facti, quale Arabes in sua lingua Tzanath alberot vocant.* Itaque nihil aptius ad commendandam nostram sententiam dici potuisset. Utraque vox in id conspirat. Nam I. uti Hebræis מעשה, ita Syris Arabibusque ܙܢܕܐ ac صنعة *artificium, studium, opus artis* denotant. Quocirca צנערה nullum *circuitum rotunditatis* unquam significavit; uti quidem in *Lex. Pagnin. ad voc.* צעצע *p.* 2393. additum est, *quod circuitus rotunditatis Arabice vocetur* צנעה. Qui aut mentis, aut calami aut typothetæ error est. Nomen enim hoc derivandum est a rad. صنع *operari*, quæ in *laudatione Esaiæ* psalmis Arabic. subjuncta, v. 2. eo sensu occurrit: الحق ليس يصنع *veritatem non operatur*, & v. 10. recurrit.

II. Deinceps vox אלבראט, quoque paulo uberius, quoniam id instituti ratio exigit, excutienda est. Nec injuria. Nam ejus significatus sponte ad *rotas* videtur accedere, cujus est ratio duplex. Nam aut *circuitum rotunditatis* notat, aut *celeritatem*. Priorem *R. D. Kimchii* testimonium conficit, qui ad 2. Chron. III. 10. vocem *Alberot* cum כרכוב permutat. וי״מ מעשה כרכב היו עשויים הנקראת בלשון ערבי צנעא כרכוב: *alii exponunt* [loquitur de Maase Zaazyim] *opere Carcobb confectos fuisse* Cherubinos, *quod Arabice* צנעא כרכוב *appellatur*. Quamobrem, cum כרכוב notet *circuitum ambitumque rotunditatis*, Rabbini illi veteres opus illud *Zaazyim* per opus *Alberot* explicare non dubitaverunt. Et quæ fuisset causa dubitandi? *Rotunditas* certe non minus in hoc exemplo ad rotas referri poterat, quam in aliis factum esse deprehendimus. Hæc enim procul dubio ratio est, ob quam in simillima re *plaustrum* Hebræis quoque עגלה dicitur a עגול *rotundus*, propter rotundas rotas scilicet circularemque motum. *Deinde* alterum quoque, *celeritatis*, significatum pro causa nostra allegamus; quem primo *ostendemus* ex Arab. ling. & tum ad rotas *accommodabimus*. Prius nobis est facillimum, si non solum originem vocis *Alberot*, sed etiam usurpationem spectemus. Quod ad *originem*, vox אלבראט composita est ex articulo Arabico ال, quem loco *He* demonstrativi Arabes adhibent, & nomine بريد. Solet autem Arab. ت apud Rabbinos in ט commutari, ut ex טרקסין quod est ab Arab. بالرحري, planum est. Æque apposita ad nostrum institutum est vocis hujus *usurpatio*. Quemadmodum enim in genere *Berid* denotat *nuntium, præcursorem*, uti annotat *Thom. Hyde* in comment. ad *Ulugh Beighi Tab. p. 29.* ita ob velocitatis, quem habet, significatum speciatim *Tigridi* tribuitur. Hoc enim animal tribus hisce vocabulis, الببر *Albabir*, الفرانق *Alphuranik*, & البريد *Alberid* Arabibus appellari solet; quorum duo posteriora a *celeritate cursus* deducta sunt. *Conf. Golius Lex. Arab. p.* 251. & *Bochartus Hierozoic. P. I. L. 2. c. 8. p.* 794. Et quamvis Gjeuharius apud Th. Hyde ad Ulugh. B. Tab. p. 29. scribat, *Alphuranek ideo vocari BERID, quod* قدام *prænunciet Leoni*; Damir in ll. cc. hanc potius rationem dedit, quod يعدوبي *præcurrat leonem*. Hisce observatis, non ineptum erit, conferre cum *Berid* illam quoque vocem, qua *equum* denominant; quæ est برذون *Bardaun*. Hæc non solum in *Arabica Pentateuchi paraphrasi* aliquoties, sed etiam in *Damire* aliisque occurrit. Denotat tamen, proprie *equum clitellarium*; usurpaturque etiam de tali equo, *quo quis vehitur*. Et inde Hispanis equus *Albardon* & *Burdegano* dicitur, mulusque apud Latinos *Burdo. conf.* iterum *Golius l. c. p.* 253. & *Bochartus l. c. cap.* 20. *p.* 234. & *cap.* 23. *p.* 249. Videamus hic obiter quanta sit affinitas inter hasce voces & Hebr. פרד *Mulus* atque Germ. Pferd. Vix dubito, quin *Abarbanel* ex convenientia Arabic. *Albardon* cum Rabbinica de אלבראט observatione, in suam de *curru Ezechielis a Cherubinis tracto* sententiam inciderit. Nec aliter forsan judicabit, qui, lectis ejus verbis, revocaverit in memoriam suam, quod, uti paulo ante observavimus, Albardon notet equum *quo quis vehitur*. Verba ejus in *altera prologi in Ezechielem parte* hæc extant: *Visio Ezechielis --- vocatur currus*, שנראתה בדמות המרכבה שילכו בה המלכים בדרך שנוהגין אותה ארבע חיות או בהמות והיא מתגלגלת על האופנים *quoniam* illa *apparuit ad formam currus, quo Reges solent vehi, qui ea ratione a quatuor animalibus sive jumentis trahitur & super rotas volvitur.* Quod simile deinde applicat ad ipsam Visionem, in qua quatuor illa animantia *currum traxerint*. Sed quid dicemus? errat procul dubio. Cum enim convenientiam Cherubinorum *Ezechielis* cum nostris *Salomonæis* infra osten-

ostendere velimus; nobis dicendum est, ipsos *Cherubinos* rotis instructos currus nomine venire & non alium, præter ipsos, currum concipiendum esse. Cui assertioni ipsa Prophetæ verba *Ezech.* I. 16. 23. apprime proxime favent. Sic fit, ut, quod, Græci de re *præpostere* gesta proverbio dicunt *ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν πολλάκις ἐκφέρει quadriga bovem sæpissime ducit* apud *Lucian. in mortuor. dial. T. 1. p.* 254. Id in visione Ezechielis revera non sine magno *mysterio* acciderit; *quod* illam lectitantibus *in aurem dictum hic esto*.

Sed illuc revertor. Vox دريس notat etiam *dispositionem ad celeriter perferendum aliquid*, & *Cursorem*, qui scil. *celeriter* currit. Quocirca & *Tigrim*, ut antea observabam, quod est animal tremendæ pernicitatis, teste *Plinio VIII.* 8. denotat. Quin etiam a celeritate *cursus* ab hoc animali iterum fluvius *Tigris* nomen, ex quorundam sententia, tulit. Etsi *Curtius* L. IV. 9. aliam denominationis rationem in medium proferat: *Itaque a celeritate, qua defluit, Tigri nomen est inditum: quia Persica lingua Tigrim sagittam appellant*. Quicquid id fuerit, certum est, quod & apud Arabes fluvius Tigris dicatur زورا haud dubie a significatu nominis زور *validus incessus*. Ut autem sciat lector meus, quem in finem hæc tam prolixe observata sint; cogitet, nos ea omnia *rotarum* nostrarum gratia convasasse. *Accomodemus* igitur ad eas *celeritatis* significatum! Quod forsan non erit difficile. Nam Arabibus non est insuetum, a celeritate denominare *currum*. Quamobrem a verbo عجل *festinavit*, *properavit*, derivata sunt nomina, quæ & *celeritatem* & *rotas plaustraque* denotant: ut عجل *properantia*, *rotæ*, *plaustra* & عجل *properantes*, *rotæ plaustra*. Quemadmodum & eadem ratione eademque ferme voce *pedes* equi appellant *celeres*. Quare *Abul Ola* in Carmine, quod ad calcem Grammat. Arab. Erpen. extat, p. 242. ait de equo:

فحشمهن اربعه عجال

Imponit eas perficiendas *quatuor celeribus*. i. e. quatuor *pedibus* suis. Ita & سابق notat *Equum*, a velocitate cursus ibid. p. 233:

سوابق حملته

VELOCES, qui illum vehunt,

i. e. *Equi*. Quæ significatio apud Golium in Lex. deest. Quid igitur? nonne & Rotæ putentur *celeres* vocatæ esse? Quod cum ita sit, apparet, צנעת אלבראט ipsum illud *opus rotarum* sive *currus* denotare, quod adstruimus.

§. 6. Ne autem occurri nobis hac percontatione queat, *quis rotarum in Templo usus?* demonstrandum porro nobis est, quod, cum alia quoque in Templo vasa rotas habuerint, rotas Cherubinis tribuendo nihil aut inauditum aut quod sit alienum a vasorum sacrorum ratione proferamus. De X. labris expresse Scriptura S. docet 1. Reg. VII. quod rotas habuerint; item *Josephus* Antiq. VIII. cap. 2. Huc quoque sunt *Ezechielis* Cherubini referendi, quos idcirco infra §. 12. sqq. data opera perlustramus, qui si illic in visione, *Deo dirigente*, apparuerunt cum annexis *rotis*; causa non est, ob quam *Salomonis* Cherubos rotas existimemus dedecorare. Plura exempla, v. gr. de rotis *Arcæ fœd.*, quas illi quidam tribuunt, & *altaris suffitus*, quod *Torniellus* quadrigis fultum censet, non addimus, *tum* quoniam secus existimamus, *tum* quia infra §. 15. commodior de iis agendi locus erit. Quod si vero pro *prioribus* exemplis testimonia tum Josephi, tum ipsius Scripturæ militant; quidni nostros illis Cherubinos adjungamus? Rotas enim eorum *partim* ipsa S. Scriptura mediante phrasi מעשה צעצעים, *partim* Rabbini quidam per צנעת אלבראט inculcant; quod jam ex superioribus supponere licet. Clariorem vero aut pleniorem descriptionem neque a priori neque a posterioribus exigere poteris. Non a *Scriptura*, quoniam illa in describendis plurimis vasis Templi ac Tabernaculi solet esse brevior. Si vero unam alteramque partem pertractavit fusius, quam cæteras, uti v. gr. *columnas* ante pronaon positas; id factum est, ut exemplum daret, juxta quod & *proportio* & *dimensio* reliquorum dijudicaretur. Sic tuto existimare licet, rotas *labrorum* 1. Reg. VII. eam potissimum ob causam latius describi, ut inde proportio aliarum rotarum (quales sunt *nostræ*) disci posset. Inde igitur est, quod rotarum nostrarum nullibi fere, quam in ipso nomine *Maase Zaazyim* mentionem facere necesse duxerit. Deinde neque a *Rabbinis* plenior narratio, expectari jure potest. In genere enim eorum circa hos Cherubinos, *inscitia* atque incertitudo vel inde perspici potest, quod magno consensu vocem צעצעים cum צאצאים confundant, uti Sect. I. uberius indicavimus; quæ res ne *Speciem* quidem veritatis habet. Et, quantum iis quoad Cherubinos credi queat, ex ipsius *Josephi* confessione potest colligi, qui Cherubinorum figuram a nemine sive *dici* sive *concipi* posse, supra *Sect. I.* §. 5. fatebatur, Nec mira hæc res est. Nam, ut *speciatim* id tangamus,

gamus, non facile ad pleniorem de Cherubinis cognitionem pervenire potuerunt. Hoc certe, si quædam superius ex parte jam promissa hic accuratius licuerit exequi, manifestum fiet. Nam

1. Cum staret Templum I. nemo fuit cui rotas Cherubinorum propius datum sit pervestigare; cum Sancti Sanctorum supellex præter Pontificem nullius in conspectum se dederit. Quocirca cum Cherubini nostri adeo occulti essent; eo major subiit gentilium animos admiratio reverentiæ, qua Israelitæ illos Cherubinos coluisse videbantur, cum expugnata per Babylonios Hierosolyma *Moabitæ* atque *Ammonitæ* illos ex Templo in plateas educerent. Disci id potest ex Gemaristarum narratione in Babyl. Joma fol. 54. col. 2. אמר ריש לקיש בשעה שנכנסו נכרי' להיכל ראו כרובים המעורי זה בזה הוציאן לשוק ואמרו ישראל שברכתן ברכ' וקללתן קללה יעסקו בדברים הללו מיד הזילו' שנאמר כל מכבדיה הזילו כי ראו ערותה i. e. *Resch Lakisch dixit: tempestate illa, qua extranei intrabant templi penetralia, conspexerunt Cherubinos adhærentes sibi invicem* (hoc sensu verbum ערה hic sumi volunt Gemar. ut ex col. 1. præc. apparet) *Eduxerunt illos in plateas dicentes: Israelitæ, quorum benedictio est benedictio, & quorum maledictio est maledictio* [qui Deos adeo Magnos colere semper crediti sunt familiarissimoque cum illis commercio frui. Sed alluditur proc. dub. ad Bileami verba Num. XXIV. 9.] *navarunt* cultus sui tam rigidi *operam hisce imaginibus. Quocirca statim vilipenderunt Israelitas. Atque huc respexit* Jeremias Threnor. I. 8. *quando ait: omnes qui honore afficiebant eam, vilipendunt eam, quoniam conspexerunt adhæsionem ejus* i. e. Cherubinos adhærentes sibi mutuo. " Eandem historiam paulo plenius narrat Rabba bar Nachmoni in *Medr. Echa Rabbathi* fol. 286. col. 4. edit. *VVilhelmsdorf* a. 433. & Christi 1673. בשעה שנכנסו שונאים לירושלם נכנסו עמהה עמונים ומואבים שנ' דו יפרש צר על כל מחמדיה כי ראתה גוים באו מקדשה אשר צויתה לא יבאו בקהל לך נכנסו לבית קדשו הקדשים וצפאו שם שני כרובים נטלו אותן בכליבה והיו מהזירין אותן בחוצות ירושלם ואומרים לא הייתם אומרי' שאין האומה הזא' עיבדים ע"א ראו מה מצינו להם ומה היו עובדין i. e. *tempore illo, quo hostes invaserunt Hierosolymam, intrarunt simul Ammonitæ ac Moabitæ. Quod intendit* propheta Thren. I. 10. *Dicens: manum suam extendit hostis ad omnes res desiderabiles ipsius; quod videat gentes intrare sanctuarium suum, de quibus tamen ei præcepisti, ne veniant in congregationem tibi.* Hæ igitur gentes *intraverunt sanctum sanctorum & invenerunt ibi binos Cherubinos, quos inde abstulerunt in arca & circumduxerunt per plateas Hierosolymæ, dicentes: nonne asseverastis, gentem hanc non colere idola? At videte, quid invenerimus de iis & quosnam coluerint* deos! " Tam diu igitur Cherubini in Templo abdite steterant, nulli visi, donec a gentilibus producerentur, qui non veriti sunt Sanctissimum locum invadere. Locus hic, quem R. Nachmoni vocat קדשי קדשים, a Gemaristis superius היכל appellabatur. Quanquam enim vox היכל sæpe vel generatim Templum totum, vel ejus partem, *Sanctum* dictam denotet; nihilominus frequenter *Sanctum Sanctorum* eo quoque nomine insignitur, quia illic præcipua *magnificentiæ* sedes fuit. Quocirca hoc quoque sensu illud placuit *Saidio Ebn Batrik*, qui non solum dicit Annal T. I. p. 108., Mosen confecto *Tabernaculo temporis* [quæ phrasis apud Rabbin. est בית עולמים & de *Templo* adhibetur Joma f. 44. 1.] posuisse in ipso هيكلا *sacrarium*, in quo Sacerdotis munus obierit Aaron; sed *ibid.* p. 174. etiam de Salomone narrat, quod is & Templum & intra Templum هيكلا *sacrarium* S. palatium struxerit. Quo *occultius* autem hocce adytum latuit, eo minus accurata Cherubinorum lustratio institui potuit. Sique illi aliquando a populo visi sunt, quod factum esse Rabbini quidam contendunt, id non nisi *eminus* potuit institui. Quo modo intelligenda est traditio in *Babyl. Joma* fol. 54. 1. אמ' רב קטינא בשע' שהיו ישראל עולין לרגל מגללין להם את הפרוכ' ומראי' להם את הכרובי' שהיו מעורי' זה בזה ואומרי' להן ראו חבתכם לפני המקום כחבת זכר ונקבה i. e. *Rab Katina dixit: quando Israelitæ ascendebant* Hieros. *ad festum, retegebant eis velum ostendebantque Cherubinos adhærentes sibi invicem* quasi in amplexu, *& dicebant ad eos videte, amor vestri coram Deo est ut amor mutuus inter maritum & uxorem.* Notent hic in transitu Theologi, quod, ut in *Midr. Schir Hasschir in Cant. III.* 11. Judæi olfecerunt, Messiæ *matrem*, *filiam*, *sororem* esse Ecclesiam; ita in citato ex *Joma* loc. eandem sub *uxoris* quoque, Messiam vero sub *mariti* emblemate consideraverint. Jam id tantum restat, ἐπανελθεῖν εἰς τὸν τόπον ἐκεῖνον ἐξ οὗ παρέπεσον εἰς τὴν λεπτολογίαν ταύτην. Itaque.

2. Multo minus post Templum II. accuratior Cherubinorum nostrorum delineatio a Rabbinis expectari potest atque exigi. Prorsus enim sub hoc Templo illi *desiderati* sunt. Quod equidem secus visum fuit quibusdam ut *Buntingio* itinerar. Bibl.

p. 42.

p. 42. vid. Lund. Antiq. L. II. c. 6. uti & in *Chronico Alexandrino* p. 247. narratur, Titum Cherubinos hosce Antiochiam transtulisse &c. ut observat Relandus Antiq. Hebr. p. I. c. 7. §. 9. Sed nihil est, quod certo fundamento magis indigeat, quam ipsum hoc assertum. Posset quidem opponi traditio de 5. rebus Templi I. quæ sub Templo II. defecerunt, inter quas *Maccoth f.* 32. 1. Cherubini non recensentur; sed cum eadem traditio in *Joma fol.* 21. 2. repetatur, mentione tamen Cherubinorum facta, hinc lis adhuc sub judice pendet; quam difficultatem, ut & nonnullas alias ex illa traditione moveri solitas forsan data opera aliquando expediemus.

§. 7. *Quartum*, quod in *Analysi* indicavimus, argumentum petitum est ab *idololatrarum cacozelia;* quorum cum multa idola rotas habuerint & ad Cherubinorum nostrorum exemplum confecta fuerint, hinc ea novum indicium rotarum nostrarum præbent. Duplex hic idololatrarum facies spectanda est, & illa quæ inter *Judæos* a religione paterna degenerantes, & illa quæ in ipso *Gentilismo* emicuit. In utraque facie non pictores, sed æqui arbitri lineas umbrasque Cherubinorum nostrorum non obscure detegent.

I. Quoad *Judæos* facile obtinebo, furorem idololatricum eos compulisse ad cacozelum illum, ut quo propius idola sua ad speciem sacri cultus a Deo proscripti accommodarent, eo minus se peccare arbitrati sint. Suasit id præterea politica ratio, ut nempe eo facilius consensum vulgi, quin & religiosiorum, adipiscerentur. Ita idololatria dilabi facile poterat per animos simplicium, si novitas cultus specie quadam antiqui tegeretur. Id sectabatur *Micha* ille, cum non solum *Ephod* sibi adulterinum faceret, sed etiam tantopere sibi gratularetur quod *Levitam* postea nactus esset, qui obiret in domo sua sacerdotium, cum id antea filius ejus fecisset Judic. XVII. 5. 10. 13. Consilium tam scelestum agitasse Jeroboamum, ex 1. Reg. XII. 26. - - 30. clarissime promicat. Hinc res mira non est, Judæos sub Templo I. tam immanem in modum ad idololatriam proclives fuisse; satis se assecutos existimantes, si modo non prorsus a *Sacro* cultu deviarent. Inprimis autem superstitio ista formam *Cherubinorum* invasit. Quocirca animadvertentes *veteres* Magistri, quam proni ad id Majores sui fuerint, interdictum illud Exod. XX. 23. *non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis*, explicant ita, quasi Deus prohibeat de Cherubinis in Templo futuris, ne aut in sanctuario fiant argentei, aut extra illud aurei. Sic & *R. Sal. Jarchi* intelligit, quem tamen proinde corrigit R. Abarbanel. In *Medras Hamechilta* in Exod. l. c. nec non in *Rosch Haschana* fol. 24. 2. de *Seraphinis* inter alia explicatur. Existimo autem quod ad pravam hanc consuetudinem *imitandi sacra* inter alia quoque vates *Asarja* 2. Chron. XV. 3. respectum habeat, dicens *dies multos esse Israelitis* ללא אלהי אמת *sine Deo vero*. Nam *verus* Deus opponitur idolo *adulterino*, ad speciem *formamque* sacrorum in cultu veri Dei effecto. Competit hæc explicatio faciei temporum illorum, cum Rex Assa, *Abiæ* qui *Jeroboamum* devicerat cap. XIII. 19. filius, motus Asarjæ hujus alloquio removit idola cultumque verum restituit cap. XV. 8. Cum autem eo usque insania idololatriæ processisset, ut idola ad Cherubinorum figuram accommodaret; eadem facile ulterius serpsit, ut non dubitarent, idola illa *Templo* inferre. Id non solum liquet ex 2. Reg. XXIII. 11. & coll. XXI. 7. sed & *Danielis* vaticinium c. IX. 27. huc referendum erit, si Lut. mens probabitur, qui verba ועל כנף שקוצים משמם reddit und bey den Flügeln werden stehen Greuel der Verwüstung/ & subjicit notulam Flügeln / das ist / da die Cherubim stehen im Tempel. Verum nos cum doctiss. interpretibus hæc Lut. relinquimus, & malumus porro considerare *simile* illud, quo Gemaristæ idololatrarum modo dictam consuetudinem destruunt in *Babyl. Joma fol.* 9. 2. מקדש ראשון מפני מה חרב מפני שלשה דברים שהיו בו עבודת אלילים וגלוי עריות ושפיכת דמים עבודת אלילים דכתי׳ כי קצר המצע מהשתרע מאי קצר המצע מהשתרע אמר רבי יונתן קצר מצע זה מהשתרר עליו שני רעים כאחד *ob quid vastatum est Templum primum? ob tria in illo peracta*, scil. *ob cultum idolorum*, & *impudentem scortationem* vel incestus, & *effusionem sanguinis*. *Ob cultum idolorum* quidem, *quia Esai*, *XXVIII.* 20. *scriptum est: nam brevius erit stratum, quam ut protendat se* &c. *Respondit R. Jonathan*, verbum מהשתרע potest discerpi per notaricon in duo vocabula מהשתרר & רע, & tunc sensus emergit hicce: *Brevius erit stratum hoc, quam ut duo socii una in eo principatum tenere possint*. Mens Gemaræ est, Schechinam & idolum regis *Manasse* non posse simul subsistere in eodem loco, id est *Templo*. Nihilominus antiqua gens Judaica, quotiescunque dementaverat eos inanium deorum cultus, longe aliter sensit. Quamobrem utrumque insaniæ genus, quod hactenus vidimus, admi-

sit dum & Cherubinos in exemplum figuræ idolis suis & idola in locum, qui Cherubinis datus erat, procul dubio posuit. Exemplis utraque res fiet manifestior.

א. De *Vitulis* Aaronis & Jeroboami nobis hic ideo agendum est, quoniam illi conflati sunt ex quorundam sententia *ad similitudinem Cherubinorum*, ita quidem, ut *Aaronis* vitulus Cherubinis Arcæ, *Jeroboami* vero Salomonæis analogi fuerint. Sed nos quid dicemus? novimus argumenta, quibus hæc hypothesis destrui solet, quæque nos non rejicimus. Interea non omnis verisimilitudo ita statuentes destituit, præsertim cum vox עגל, quæ communiter per *Vitulum* vertitur possit participare significatum vocis עגל *rotundum* & מעגל *plaustrorum ambitus*, & ita accomodari ad conceptum *rotarum currusque*. Sed hoc de Jeroboami tantum vitulis dictum esto; non item de Aaronis, quia horum *vitulinam* formam satis proprie Psaltes videtur Ps. CVI. 20. depingere: *mutantes honorem suum in formam* שור *bovis* &c. conf. Actor. VII. 41. Ideoque *Monceius* aliique, qui Cherubinos arcæ vituli Aaronis archetypon fuisse volunt, alia via possent pro sua sententia allegare 1. Simplicitatem historiæ Exod. XXXII. 4. 8. in recensendis verbis Israelitarum: *hi sunt* אלהיך *dii tui, qui eduxerunt te ex terra Ægypti*. 2. Sententiam communissimam, qua Cherubinorum nomen כרוב explicatur per *bovem aratorem* & figura pedum *vitulina* esse statuitur. 3. Phrases ויצר בחרט *formavitque cælo* Exod. XXXII. 4, & תבנית שור *forma bovis* Psal. CVI. 20, quæ docent certum quoddam archetypon fuisse. Verum nos, his omnibus suo loco relictis, ingenui malumus esse & confiteri, quod temporis ratio ab hujus sententiæ autoribus melius debuisset haberi. Tum enim, cum Vitulum conflaret Aaron, nondum Cherubini extiterunt. Quod & animadvertit R. Sal. Jarchi ad Exod. XXXI. 18. מעשה העגל קודם לצווי מלאכת המשכן ימים רבים היה שהרי בשבעה עשר בתמוז נשתברו הלוחות וביום הכפורים נתרצה הקדוש ברוך הוא לישראל ולמחרת התחילו בנדבת המשכן והוקם באחד בניסן. *Opus illud vituli confectum fuit multis diebus antequam præcepta fuit a Deo Tabernaculi confectio. Nam die 17. mensis Tammuz fractæ sunt Tabulæ, & die Expiationis reconciliatus est Deus Sanct. Bened. Israeli, & die sequenti inceperunt dona pro erigendo Tabernaculo afferre, & tum illud erectum est die 1. Nisan*. Porro de Jeroboami vitulis sententia aliquanto facilior est & hisce incommodis non premitur. Quocirca & Magnus *Coccejus* ad illam in Lexic. voc. כרוב inclinare videtur, ut docent ejus verba: *Jeroboam videtur similes formas fecisse in Dan & Bethel &c.* Nec immerito. Nam (1) considerari hic meretur alloquium Jeroboami 1. Reg. XII. 28. *Satis vobis* sc. sint hi vituli, *ut non ascendatis Hierosolymam; ecce dii tui o Israel, qui eduxerunt te ex terra Ægypti*. Volebat eos persuadere, ne dubitarent vitulos hos colere, utpote qui analogi essent Cherubinis. [2.] Talem astutiam præcise Jeroboami institutum requirebat, qui per similitudinem inter cultum novum ac antiquum abducere populum a vera religione studebat. Et (3.) ut eo citius persuaderet, maluit imitari opus Salomonis, cujus memoria grata procul dubio erat populo. Hæc vero eatenus tantum, Lector, a me defensa sunt & defendentur, in quantum ea tibi, prudenti & æquo, placebunt. Omni voto & nos tecum certiora, solidiora, clariora his expectamus. Interim.

§. 8. ב. Transimus ad exemplum magis commendabile, nempe *Currum Solis* 2. Reg. XXIII. 11. quem fere non dubitamus ad Cherubinorum nostrorum similitudinem factum fuisse. Id afferere licet *partim* ob rationes easdem, quas in superioribus tetigimus, nempe *quod* Judæi ad idololatriam prolapsi non omni ex parte a Sacris in cultu Templi obviis vellent deficere ob reliquias aliquantas reverentiæ amorisque veri Dei cultusque ab eo præscripti; *quod* præterea putarent, se magis excusabiles fore, si *vel* non prorsus desererent patriam religionem, *vel* ad cultum idoli non nisi id opus transferrent, quod Salomo paraverat, cujus operis Cherubinorum confectionem forte non tam immediate a Dei præcepto derivandam potuerunt arbitrari; *quod* autores & suasores pravi cultus eo libentius vasa sacra eorumque formam imitarentur, quo felicius hoc instituto decipi poterat vulgi superstitio & in animos præcipue simplicium nova religio illabi, qua calliditate usum esse Jeroboamum, phrases 1. Reg. XII. 26. ויאמר בלבו & v. 28. ויועץ *consilium iniit*, indicant: *partim* ob rationes ex consideratione ipsius idoli [promicantes, *quod* Columnæ nub. & Ignis ad cultum hunc solis ansam ipsis præbere potuerint; *quod* VECTIO Dei in hac Columna super Cherubinos tanquam CURRUM Ps. LXVIII. 18. & LXXX. 2. occasionem dare potuerit, præsertim per horum similiumque S. Script. locorum sive malignam sive callidam accommodationem, ad id, ut Solis adorationi adjungeretur CURRUS; *quod* uti mos erat faciem inter orandum dirigere

gere ad Schechinam inter Cherubinos ad Occidentem habitantem, ita contra in cultu curruum Solis jam adorarent ad Orientem, versus hoc idolum, quasi Schechina nunc in his curribus habitaret tanquam Cherubinis, vid. Ezech. VIII. *16; Denique quod* ratio, ob quam adoratio Solis inter quatuor illas idololatriæ Species Ezech. l. c. omnium proxime apud Sanctuarium in Visione apparuerit, hæc videatur esse, quoniam objecta adorationis illius proxime ad sanctuarii Cherubinos accedebant. Jam ex salvis hisce præmissis salva sequitur conclusio: Si Currus Solis exemplar fuere Cherubini nostri, necesse est quod rotas habuerint. Id si non ita se haberet, unde ergo in solis cultu currus? quem in finem sunt rotæ datæ? Utrumque optimo jure quæri potest. *Prius*, quia præter Cherubinos nostros nihil datur unde currus solis derivari queant. Nam nec *Labrorum* Templi rotæ his curribus occasionem dederunt, nec procedit Cornelii a Lapide in Maccab. III. 48. conjectura, *gentiles transformasse currum Eliæ in quadrigam Solis*; quoniam & labra & currus Eliæ ad *adorationem* non quadrant. *Posterius* autem; quia scopus in curribus solis conficiendis non facile alius fuit, quam ut eo accuratius Cherubinorum forma exprimeretur. Cæteroquin enim cultus solis etiam, ut alias, absque rotis curribusque peragi potuisset. His denique omnibus ita constitutis, non ita facile assensum lectoris impetrabit Cel. Vitringa, quando Ob. S. II. 1. §. 13. statuit: *Circa Cherubinos idololatriæ speciem nullam commissam fuisse ab Hebræis neque in deserto, neque sequenti tempore, quamdiu eorum duravit* πολιτέα.

§. *9*. II. Sed pergimus ad *Gentiles*, e quorum delubris illustrare præsens argumentum, animus est. Seligimus duo simulacra, quibus quoad rotas analogia cum Cherubinis Salomonis intercessit, nempe *Currum Jovis* & *Tensas* vel Thensas, vehicula quæ rotis agebantur, in quibus deorum imagines vectabantur. Et quamvis gentiles alienissimi fuerint a religione Gentis Judaicæ; nihilominus facile admitti potest, Diabolum *simiam Dei* in illis eatenus etiam operosum fuisse, ut Judæorum sacra imitarentur. Id præter *exempla* quamplurima, confirmant hæ rationes:

(1.) Potuisse gentiles æmulari sacra Judæorum, suadet *commercium*, quod cum eis habuerunt. Quam ob rem apponimus verba *Thom. Hyde Relig. Vet. Persar. cap. 8. p.* 177. qui non solum scribit *ex quotidiana Judæorum cum Persis conversatione illos cum his communicasse omnes res*; Sed statim quoque pergit: *Adeo ut non sit mirum si omnes Judæorum consuetudines innotuerint Persis, qui multas ex eis sibi retinuerunt: unde magna est in utriusque gentis Religione convenientia*. Sic ille de *Persis*. Sic alii quoque de *aliis populis* judicaverunt. Res in vado est.

(2.) Legimus, gentilibus aliquando copiam librorum sacrorum factam 1. Maccab. III. 48. quos sive per interpretes intelligerent, sive græce legerent, ad id poterant convertere, ut ex eis cultus Judaici statuta discerent. Quin etiam scopum, cur desiderarent illos evolvere, verba l. c. *expanderunt libros Legis, de quibus accurate scrutabantur gentes, ut inscriberent eis figuras idolorum suorum*, satis dilucide indicare videntur. Cur enim inscripsissent eis FIGURAS idolorum suorum, nisi eo fine, ut eas cum figuris *Sacris* conferrent, quas imitarentur?

(3.) Gentilibus erat maxime in more positum, ut ritus aliorum populorum in suum cultum traducerent, si placerent. Id non indiget probatione, quia nemo facile negabit.

Proinde cum hæc tam clara sint, eo jam facilius obtinebimus, *exempla* quæ adferemus, Lectori non posse displicere.

א. Primum est *Currus Jovis*, quo Jupiter in cœlo vehi credebatur a *Platone*. Simul in mentem venit Currus *Solis*, quo Phœbus vehebatur; nec non Currus *Junonis*, de quo apud *Homerum* Iliad. ξ. ubi Jupiter quærit:

Juno quo festinans ab Olympo huc venis?
Equi autem non adsunt, & CURRUS quos conscendas.

Et ea paulo post respondit:

Equi autem in radicibus montis fontibus abundantis Idæ
Stant, qui me ferent super almam & humidum
i. e. terram & mare.

Nos non dubitamus, quosvis Deorum currus a *Cherubinorum* Curru ortum trahere, præsertim *Jovis*. De hoc *Justini Martyris* conjectura *Opp. p.* 30. *edit. Colon.* 1686. *hæc legitur* Ταῦτα ἀπὸ τῶν ἀρχαίων ἱστοριῶν ἐν Αἰγύπτῳ μεμαθηκότες Ὅμηρος καὶ Πλάτων ἐν τοῖς ἑαυτῶν γεγράφασι λόγοις ἐπεὶ πόθεν ἄλλοθεν μεμαθηκὼς ὁ Πλάτων πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνειν τὸν διὰ ἐν οὐρανῷ λέγει, εἰ μὴ ταῖς τῶν προφητῶν ἐντυχὼν ἱστορίαις &c. i. e. Johanne Lango ibi interprete: *Hæc ex vetustis in Ægypto historiis percepta, Homerus & Plato in libris conscripsere suis. Num vero aliunde institutus Plato, quam ex Prophe-*

pheticarum lectione hiſtoriarum, volucri Jovem in cœlo curru vobis affirmat? Vidit ille in Prophetæ reſponſis de Cherubim dictum illud: & exivit e domo gloria Domini & aſcendit ſuper Cherubim, & elevarunt Cherubim alas ſuas, & rotæ cum eis, & gloria Dei Iſraël erat ſuper eos. Inde incitatus vocalis Plato, cum multa dicendi libertate exclamat dicens: Magnus in cœlo Jupiter volucrem regit currum [Jupiter in ſummo volucrem regit æthere currum] Enimvero unde tandem alias, niſi a Moſe & Prophetis hæc cognita perſcripſit? Hæc Juſtinus Martyr, qui & ſtatim ſubjungit, eundem Platonem ex tertio libro Regum accepiſſe occaſionem, qua moveretur ut *ignea Eſſentia* Deum eſſe diceret. Veriſſimum eſt, Jovis Currum a Cherubinis derivandum eſſe. Sed verba ejus docent, eum de *Ezechielis* Cherubinis magis cogitaſſe; in qua re a conjectura paululum aberrat. Si de *Salomonæis* Jovis Currus deducatur, major commoditas apparebit, quia ethnico homini *majus ad perſuadendum pondus* Templum habitaculum Dei & ejus vaſa quam *unius* Prophetæ *viſio*, præbere potuit. Quanquam Juſtino nolimus acrius repugnare, quippe cum infra §. 14. pulchram inter Ezechielis ac Salomonis Cherubinos analogiam delineare ſit animus, qua admiſſa utrumque Cherubinorum genus currui Jovis occaſionem dare potuit: Interea

ב. Non æque cito noſtra hypotheſis de *Tenſis* cum Johannis Schefferi ſententia conciliabitur, qui *de re Vehiculari L. 1. p.* 241. dicitur ſcripſiſſe de vehiculis deorum eoſque plauſtris impoſitos in pompa traducendi ritu: *Fortaſſis ſua res hæc accepit initia ex imitatione ſacrorum Judaicorum, cum in iis ſemel iterumque Arc. fœderis vehiculo impoſita & in locum ſuum traducta legatur. Ipſe David hoc obſervavit cum ſuis 2. Sam. VI. &c.* Sed alii, qui hanc opinionem examinarunt, nobis otium hic faciunt pariter ac copiam libere aſſerendi, quod Tenſis Cherubini Salomonis ſua dederint initia.

§. 10. Cumque adeo nos *Currum Jovis* ac *Tenſas* non niſi a Salomonis Cherubinis deducere velimus; ſupereſt, ut breviter oſtendamus, qua commoditate id fieri poſſit.

1. Emblemata CURRUS Cherubinorum & VECTIONIS Dei ſuper eis, dedere anſam gentilibus fingendi *Currus Deorum*. Et pulchre *Hoffmannus Lex. voc. Tenſa* obſervat, quod Tenſa in gloſſis veteribus non ſolum exponatur θρόνος, ſed etiam ἅρμα θεῶν. Ratio denominationis eſt ſita in more, qui apud multos populos obtinebat, ut imagines deorum ſuorum ſive *lecticis* portarent, ſive *Curribus* veherent. Id & apud *Romanos* in uſu fuit, *v. Selden. de Diis Syris Syntagm. I. cap.6.* Quinetiam hic gentilibus *Judæi* iterum jungendi ſunt, quibus Propheta Amos V. 26. non ſolum exprobrat, portaſtis סכות מלככם. Verum etiam *Currus Solis*, de quo §. 8. egimus, non in alium finem fuit adhibitus. Atque eatenus ipſi hi Solis Currus in S. Scriptura alio nomine חמנים vocantur v. *Eſai.* XVII. & *Ezech.* VI. quam vocem cum Deo Perſarum OMANO ſive AMANO conferri debere non dubito. Nam de eo *Strabo L. IV.* ſcribit: ξόανον τοῦ Ὠμάνου πομπεύει *Simulacrum Omani in pompa vehitur*, quod teſtimonium reperio in Seldeni Syntagm. I. cap. 6. Quare fundamento non caret *Aben-Eſræ* interpretatio, qui apud Buxtorf. Lex. Hebr. ſub חמם p. 239. vult, quod חמנים ſint *domus ſive ſacella facta inſtar CURRUS*. Quæ cum ita ſint, nos id cum majori confidentia dicimus, quam *Seldenus* qui *cap.* 8. ait: *An in Deo Omanoa - - quid ſit τὸ Chamanim ſeu Hammanim, viderint eruditi.* Ceterum conſonant cum חמנים nomina *Gjamana*, *Acman*, *Angjaman* & *Mana*, quibus Perſas veteres *Deum* appellaſſe docet Thom. Hyde Rel. V. Perſ. cap. XI. p. 177. ſqq.

2. Thronum Dei in Templo conſtituebant Cherubini, id eſt *animalia* illa faciem *bovinam* aliaſque præferentia, ſuper quibus apparebat דמות כסא *ſimilitudo throni* Ezech. I. 10. 22. 26. Quis dubitabit, quod & hac ratione gentiles *gloriam incorruptibilis Dei mutarint in efformatam imaginem - - quadrupedum, Rom. I. 23?* Nam talem fere *Jovis* quoque thronum depingit Lucianus *in Dea Syria Opp. T. III. p.782. In hoc autem adyto ſimulacra Deorum poſita ſunt. Junonis videlicet, & quem Jovem exiſtentem ipſi alio neſcio quo nomine appellant. Ambo autem aurei ſunt, amboque ſedentes finguntur. Sed Junonem quidem LEONES portant; Jupiter autem TAURIS inſidet &c.* Quæ verba cum attente penſito, multitudo cogitationum me fere obruit, quas tamen in aliam occaſionem ſupprimo. Interea deſcriptio throni Junonis Joviſque elegantiſſime cum *Jehovæ* throno ſuper Cherubinos concinit. Nam (a.) aliquoties inculcat Lucianus, ſimulacra illa *ſedentia* fingi & *inſidere* &c. Sic certe Deus quoque ישב הכרבים *inſidens Cherubinis* Pſalm. LXXX. 2. & 2. Sam. VI. 2. Pſalm. XVIII. 11. & XCIX. 1. dicitur. (b.) Simulacra illa inſidebant *Tauris* & *Leonibus*. Ita & Deus, vid. locum Ezechielis citatum. (c.) Lucianus in interiori ædis illius pene-

penetrali posita describit *bina* simulacra, *Jovis* & *Junonis*, eaque *aurea*. Nonne autem iterum subire decent cogitationi nostræ Cherubini? qui *bini* erant, quibus Rabbinorum fabulæ *duplicem sexum*, ut in superioribus vidimus, tribuunt, qui, sive respectu ad errorem Sect. I. §. 10. memoratum, sive ad Cherubinos Arcæ Mosaicos habito, *aurei* in gentilium fabulis haberi potuerunt.

3. Si quid juvat, addam & hoc, quod, uti *alis* Cherubini fuere instructi, ita facile perspici hinc possit, cur *Jovi* quoque non raro alas dederit fabulosa antiquitas. Nam inter alatos Cherubinos Deus habitabat, & Ezech. I. 10. inter facies alatorum *animalium* conspicitur facies *Aquilæ*. Atque hinc Aquila nonsolum fuit avis *Jovi sacra*, & pingebatur *throno ejus adstans*, sed etiam ipse in Aquilam se transformavit cum raperet Ganymedem; cui & deinde dicebat: *ut videas non amplius rostrum aduncum me habere neque ungues acutos, neque ALAS, qualis videbar tibi modo VOLUCRIS esse apparebam &c.* ap. Lucian. Dial. Deor. Opp. T. 4. Sic quoque alas sibi dedit, cum fieret *cuculus*, *olor* ac *cygnus*.

Verum satis diu consideratio *Cacozeliæ* idololatrarum tam Judæorum quam Gentilium, nos detinuit, qua Cherubinorum Salomonæorum formam qualicunque ratione idolis suis *communicarunt*. Ultima igitur sequitur nostra opinatio, quæ *reprehensionem* hujus Cacozeliæ spectat & totum hoc *quartum* pro nostra sententia *argumentum* illustrat; nimirum, *quod cacozeliam illam ipsa S. Scriptura videatur indicare*. Dum enim illa sæpissime in correptione promiscui inter Judæos Gentilesque idololatrici cultus adhibet argumenta varia contra illum cultum; quidni & hoc adhibuisset, *idola illa non esse a Deo præscripta, sed ex mera & & inani sacrarum Templi imaginum imitatione producta?* Qui ex. gr. contra Jeroboami consilia, quæ vidimus, voluisset populi animos obfirmare, quid fortius, quid opportunius potuisset eis inculcare, quam, *ne paterentur se a cultu vero abduci per similitudinem imaginum? licet enim inter eas aliqua similitudo intercedat, maximum tamen & in scopo & in usu discrimen superesse &c.?* Quamobrem forte non alienum erit opinari, quod Jerem. X. 15. verbis הבל המה מעשה תעתעים *vanitas sunt, opus THAATHYIM*, ad מעשה צעצעים respexerit, Vertitur vulgo vox תעתעים *Seductiones graves*, *aberrationes maximæ*, Luth. verführische Wercke, a תעה *errare*. Optime; nam significatus ille exacte sententiam nostram exprimit, quod idola hactenus examinata eum in finem ad exemplar *operis ZAAZYIM* sint efformata, ut eo citius populum a vero Dei cultu *seducerent* & *aberrare facerent*. Eaque ratione in Prophetæ verbis est *Paronomasia*; quæ in S. Lingua cum in *appellativis*, tum in *Propriis* Nominibus est usitatissima, prout Glassius *Rhetor. S. Tract. II. c.* 2. debitis exemplis luculenter ostendit.

§. 11. *Pergimus*, his præjunctis, Rotas Cherubinorum nostrorum *alia* clavi figere quodammodo & confirmare. *Moles* eorum inusitata fuit, & tanta, ut nullus unquam gigas ad altitudinem eorum statura sua pertigerit. Scriptura enim definiente, utriusque altitudo *decem cubitorum* fuit 1. Reg. VI. 23. sqq. Quæ gigantea moles curam Philologis non exiguam injecit, quodnam *ligni* genus vox שמן, quæ materiem Cherubinorum definit 1. Reg. l. c. olim notaverit; quorum quidam hic de *Pinetis* vel *cupressinis tignis* cogitant, quippe quæ rei tantæ extruendæ materiam satis solidam præbere potuerint. *v. Ursin. Arboret. Bibl. c.* 38. §. 5. 6. Tantæ igitur molis Cherubini cum in adytum essent transferendi; *Rotæ* requirebantur, quarum ope id fieret. Nullum est apud mechanicos usitatius consilium ac commodius; sic *Equus Trojanus* rotarum lapsu pervenit in urbem Æn. 2. v. 235. Sic *Turnus* rotas *turri* subdiderat Æn. 12. v. 675. Eodem consilio, narrante *Livio*, *Annibal* plaustris & rotis naves transportavit. Qua consilii prudentia Judæos quoque polluisse, quis dubitet? Labris illis æneis rotas esse subditas, suo loco jam occupavimus; cujus rei causa ab eruditis *duplex* solet in medium proferri. *Quibusdam* placet rotas illas *ornatus gratia* labris esse concessas; qui tamen exiguo fundamento nituntur. Atque adeo palmam *illis* coguntur concedere, qui rotarum multo solidiorem causam hanc assignant, ut scil. labra *commode ab uno loco possent in alium moveri*, *conf. Lundius Antiq. Jud. L. II. cap.* 15. Id ipsum quoque de rotis Cherubinorum existimandum est. Non enim alia ratione commode Sancto Sanctorum potuissent ingeri. Quod enim Junius & Tremellius *exemptionem* quandam & *divulsionem membrorum* ad id statuant *necessariam* fuisse, ut opus tam grave magnumque *transportari* potuisset, v. Sect. I. §. 11.; id conceptui rotarum locum facile concedit. *Elegantiæ* enim operis *exemptio* non parum derogat; præsertim in *statuis*, quibus Cherubini annumerandi sunt. Estque *præterea* exemptio *parum artificiosa*; ipsum vero opus eo reputatur artificiosius, quo minus aliquid *compositionis* aut *divulsionis & rimarum* ei inest, idque multo magis, si magnum sit & solidioris cum materiæ tum staturæ. Rotæ *denique* eo

quo-

quoque respectu primas hac in re partes habent, quod earum ope vel *unius* hominis viribus incredibilis moles agi posit & transmoveri absque magna molestia. Hæc autem commoditas in transponenda gravi mole eo commendatior Sacerdotibus tum fuit, quo religiosiores erant circa Sanctum Sanctorum, ne illud mortalium quisquam, præter Sacerdotem M., intraret. Operarii vulgares ne introspicerent in hoc penetrale, cum aliquid in eo reficiendum esset, cautum est magno studio. Ideoque *Sacerdotum purorum* curæ reparatio adyti commissa fuit: iis deficientibus, *impurorum*; tum *Levitarum* & horum omnium si non esset copia, *Israelitarum* denique. Quisquis horum admitteretur, faber tamen non nisi per *arcam* quandam immittebatur adyto. Quæ omnia partim in *Middoth*, partim apud *Maimonidem* leguntur. In *Middoth*, cap. IV. §. 5. Mischna dicit: ולולין היו פתוחין בעליה לבית קדשי הקדשים שבהן היו משלשלין את האומנין בתיבות כדי שלא יזונו עיניהם מבית קדשי הקדשים. *Et erant foramina aperta in cœnaculo ad Sanctum Sanctorum: Per ea catenis immittebant fabros in arcis ne oculi eorum pascerentur e sancto sanctorum*. Citat hæc verba ex *Middoth* כסף משנה ad *Maimonidem*, qui ipse iu הלכ׳ בית הבחירה cap. VII. §. 23. T. III. יד חזקה fol. 153. col. 2. hæc. testatur מקום שהיה בעלייה מכוון על קדש הקדשים אין נכנסין לו אלא פעם אחת בשבוע לידע מה הוא צריך לחזק ברקו · בשעה שנכנסין הבנאים לבנות ולתקן בהיכל או להוציא משם את הטומאה · מצוה שיהיו הנכנסין כהנים תמימים לא מצאו תמימים יכנסו בעלי מומין · ואם אין שם כהנים יכנסו לוים · לא מצאו לוים יכנסו ישראל · מצות בטהורים · לא מצאו טהורים יכנסו טמאים וגו׳ וכל הנכנסין להיכל לתקן יכנסו בתבות· אם אין שם תיבות או אי אפשר להם שיעשו בתיבות יכנסו דרך פתחים: *locum, qui in cœnaculo fuit præparatus super Sanctum Sanctorum, non nisi semel invadunt in hebdomade, ut comperiantur, numquid reparatione opus haberet. Cum vero architecti eo intromittendi essent, ut ædificarent aut repararent in Templo, aut removerent inde quod inquinare locum sanctum posset; Lege requiritur, ut illi intrantes sint sacerdotes integri. Quod si integri*, qui essent præditi scientia reparandi, *non invenirentur, licebat vitiosis intrare. Si vero non Sacerdotum daretur copia, Levitæ intromittebantur; & his deficientibus, Israelitæ. Lex* primario *mundos* ad hoc munus *exigit. Si vero mundi non adessent, immundi admittebantur - - - Quicunque autem intromittebantur in adytum, per arcas demittebantur: quæ si non ad manus essent, aut opus ipsum in arcis non posset peragi, fabris per portas quoque intrare erat integrum*. His observationibus si addas, quod *Josephus Antiq. XV.* 14. narrat, *Herodis* cura multos Sacerdotes variis artibus, quibus loca sancta reparari possent, operam dedisse; id, quod intendebamus, emergit. Nempe summam Judæorum circa ea, quæ ad ædificandum, reparandum exornandumque adytum requirebantur, curam fuisse cautionemque in *personis* quoque. Quo itaque Cherubinos quoque illuc transmovere debebant, eo gratiores sine dubio fuere, quo contractior fuit & rarior eorum numerus. Rei vero, cui rotæ sunt subditæ, transvehendæ pauci sane homines facile sufficere queunt.

§. 12. Quanquam itaque tot jam rationibus Rotas Cherubinorum adstruximus, quot necessitas & ipsa rei veritas requirere poterat; Danda tamen etiam opera est, ut nihil omittat ratiocinatio nostra, quod huc revocari & posset & deberet. Rotis igitur Cherubinos nostros fuisse instructos, ulterius colligitur inde, quod itidem Cherubini, quos *Ezechiel* cap. I. 15. coll. X. 20. vidit, rotas exhibuerint. Sed quoniam *tres* præcipue Cherubinorum classes in sacris, possunt detegi, illorum nempe quos *Moses*, quos deinde *Salomo* post eum curavit confici, & quos *Ezechieli* visio obtulit; iique Cherubini in multis vel *convenientiam* vel *discrepantiam* inter se produnt: id in quo positum sit, est examinandum. Quod si hic a nobis negligeretur; nec vis argumenti, quo hic agimus, se exerere, nec quousque liceat ab uno Cherubinorum genere ad aliud argumentari, decidi posset. Quod, cum a nemine hactenus sit ostensum, *confusionem* non exiguam peperit. Unusquisque enim eorum, quibus ad Cherubinos pro varia instituti ratione recurrendum erat, suam hypothesin secutus est; & ad eam stabiliendam illas a Cherubinis consequentias nexuit, quæ ab aliis iterum sunt dissolutæ. Quod ut breviter oculis subjiciatur, sequenti *periculo* faciendum duxi.

א. *a Mosaicis Cherubinis ad nostros* argumentantur, quibus placet: *Salomonem* suos Cherubinos ad instar Mosaicorum fecisse. Ut *Cornel. a Lapide in Exod.* 25. *p.* 513. *col.* 2. *&c.*

ב. *Ab Ezechielis & Salomonis Cherubis ad Mosaicos*, *Ribera* apud *eund. l. c. col.* 1. *&c.*

ג. *a Solomonæis ad Mosis & Ezechielis*, *idem* argumentatur *l. c. p.* 514. 2. Dicens: *Ezechielem vidisse quatuor animalia, scil. Cherubim stipantes currum Dei, ad instar Cherubim Templi & Tabernaculi, &c.*

ד. *Ab*

ד, *Ab Ezechielis ad Salomonis* varia argumentando deducit *Bald. Hunnius Waagen der Cherubim*, v. gr. *Salomonis* Cherubinos habuisse 4. facies, eo quod *Ezechielis* totidem gesserint p. 63.

ה *Ab Ezechielis ad Mosaicos* consequentiam valere vult *Bald. Hunnius l. c.* quando probare conatur, *Cherubinos arcæ in terra stetisse: ideo quod Ezechielis animalia solo institerint.* conf. etiam *Fort. Scacchi Sacr. Eleochr. Myroth. II. p.* 464. *sq.* Quod eo est inconvenientius quo apertius S. Script. Exod. XXV. 18. docet, eos in duabus operculi extremitatibus constitisse. Imo eousque aberrat ad alia *Hunnius*, ut ad ipsam Fœderis arcam argumentando ab Ezechielis visione perveniat, tanquam si ea quoque rotis institerit, quoniam Ezechiel juxta 4. animalia, 4. quoque rotas vidit.

Ejusmodi vero consequentiæ ab aliis *iterum*, pro sua hypothesi dimicantibus, negantur. *v. Corn. a Lap. in* 3. *Reg. 6. p.* 131. *col.* 1. & S. p. Plura in hanc rem non nisi *præter rem* forte adducerentur. Unius *Witsii* verba *Ægyptiacor. L. II. c.* 13. §. 12. placet addere, scribentis de animalibus Ezechielis: *Verum enimvero qualiscunque figuræ monstruosa isthæc animantia fuerint; non tamen, quia Cherubinos Ezechiel nuncupat, exinde sequitur, Cherubinos arcæ impositos & in Tabernaculo ac Templo pictos fictosve eandem speciem habuisse.* Ab his igitur omnibus, qui tam *ambigue* ad Cherubinos mutuo provocant, magnam is esset initurus gratiam, qui qua in re cum discrepantia tum convenientia Cherubinorum posita fuerit, posset ostendere. Id vero perquam difficile est.

§. 13. *Mosis* quidem Cherubini qua in re discrepaverint a *nostris*, non ita operosam inquisitionem requirit. *Differunt* nimirum 1. *Autore*; *hi* quippe Salomonis, *illi* vero Mosis cura sunt confecti. 2. *Materia*; *hi* enim erant lignei auroque incrustati, *illi* ex solido auro constabant. 3. *Opere*; *hi* enim erant מעשה צעצעים, illi מעשה מקשה. 4. *Magnitudine & mensura*; Salomonis enim Cherubini X. cubitorum altitudine erant v. §. 11. 5. *Situ.* vid. Exod. XXV. 18. & 1. Reg. VIII. 6. 7. 2. Chron. III. 10. seqq. & *hic Kimchi*, *conf. Raschi ad Succa fol.* 5. 2. Adeoque 6. *& vultus directione*. Mosis enim Cherubini stabant *faciebus suis sibi invicem obversis* Exod. XXV. 20. *Salomonis vero facie sua introrsum versa*. 2. Chron. III. 13. Quo ipso inter eos discrimine observato, loca hæc duo minime inter se pugnant. Et miramur jure optimo, in iis conciliandis multum operæ quosdam Rabbinos insumsisse. Cujus rei cum hic meminerimus, uberius eam recensere insulsum non erit. Talmudici in *Bava Bathra fol. 99.* 1. Scribunt de Cherubinis nostris: כיצד הן עומדין רבי יוחנן ורבי אלעזר חד אמר פניהם איש אל אחיו וחד אמר פניהם לבית ולמאן דאמר פניהם איש אל אחיו הא כתיב ופניהם לבית לא קשיא כאן בזמן שישראל עושין רצונו של מקום כאן בזמן שאין ישראל עושין רצונו של מקום ולמאן דאמר ופניהם לבית הא כתיב ופניהם איש אל אחיו דמצדדי אצדודי דתניא אונקלוס הגר אמר כרובים מעשה צעצעים הן ומצודדים פניהם כתלמיד הנפטר מרבו: *Quomodo steterunt illi?* diverse hoc concipiunt *R. Jochanan & R. Elieser*. *Quorum ille nititur loco Exod. XXV. 20. facies unius cujusque ad alterum: hic nititur loco 2. Chron. III. 13. facies eorum introrsum erant conversæ. Sed nonne illi, qui ex loco Exodi cit. suum conceptum hausit, obstat locus Chronicor. citatus? Resp. loca illa non pugnant, prior enim respicit tempus illud, quo Israel faciebat beneplacitum Dei; posterior vero illud, quo Israel non faciebat Dei beneplacitum. Ergone illi, qui ex loco Chronicor. cit. conceptum suum hausit, obstat locus Exodi citatus?* Resp. neque ita loca illa pugnant. *Omnis enim contradictionis species tolli potest, si dicatur, quod se mutuo ad latus respexerint Cherubini. Quod & Traditio confirmat illa: Onkelos proselyta dixit, Cherubini illi, opere currus facti, ad latus converterunt faciem suam eo gestu, quo discipulus solet discedere a præceptore suo.* Conf. *Raschi ad h. l.* Gemaræ. Hinc jam verbis illis quæ sect. I. §. 2. citavimus, subjungit: ומה שאמרו מצדדין את פניהם לפי שכתוב אחד אומר ופניהם איש אל אחיו וכתוב אחד אומר ופנהם לבית *quid autem sibi volunt phrasi illa* מצדדין את פניהם *respexerunt ad latus facie sua? ut scil. concilient inter se loca Exod. XXV. 20. & 2. Chron. III. 13.* Sed quid opus reconciliatione est, ubi nulla sunt jurgia, nullæ lites, nulla pugna? Uterque locus non eum ad finem tendit, ut monstret, per omnia *Mosaicos* Cherubinos *Salomonicis* respondere; sed narrat rem *absque contentione* ut gesta suo tempore fuit. Itaque *R. Dav. Kimchio* mens fuit sanior, cum ad 2. *Chron. III.* 13. annotaret: ופניהם לבית ובאותם שעשה בצלאל כתיב ופניה׳ איש אל אחיו׳ יתכן לפרש כי נשתנו בזה כמו שנשתנו שהיו עומדי׳ על רגליהם והיו עצי שמן מחופי׳ זהב׳ רז״ל תירצו שני חפסוקי׳ ואמרו שהיו מצדדין פניהם כתלמיד הנפטר מרבו dicitur h. l. de Cherubinis, *quod facies eorum introrsum spectaverit. De illis contra Cherubinis, quos confecit Bezaleel, dicitur* Exod. XXV. 20. *quod se mutuo aspectaverint. Malim statuere, Cherubinos hac in re* DISCREPASSE

a se invicem; quemadmodum & in eo diversi fuere, quod Salomonis Cherubini in pedes erecti solo *institerint, imo ex ligno* שמן *facti auroque obducti fuerint. Interea* Rab*bini nostri p. m. hæc duo loca conciliaturi; Dicunt, quod facie ad latus inclinata se aspexerint*. Phrasis כתלמיד הנפטר מרבו, in qua cardo Judaicæ hujus anxietatis vertitur, notat talem faciei inclinationem qua abiens simul viam post vel juxta se, simul eum, qui ante se consistit, oculis non plane aversis intuetur. Ita discipuli *reverentiæ* ergo id discessuri a præceptore faciunt. Hoc enim ad *honorem* quoque pertinet, ne tergum iis, quibus is est exhibendus, obvertamus. כי הפנים והימין הם הכבד *Nam FACIES & dextra sunt honoris*, Kimchi ad Ps. XVI. 11. Solet id præcipue caute observari, cum sit discessus a Magnatibus. In *Oriente* id etiamnum invulgatum esse usu, exemplo suo comprobatum dedit *Busbequius Legat. Turcic. Epist. I.* ubi non solum narrat, se cum ad Sultanum deduceretur, ad parietem oppositum esse introductum, *ne illi tergum aut ullam posterioris corporis partem obverteret;* sed memorat etiam, Gianizaros ad se Budæ propere accessisse, postquam capite demisso salutassent, vestemque & manus veluti deosculaturi tetigisse, & mox *recessim* ad fores regressos esse, *ne tergum ipsi obverterent, id enim institutis eorum haberi indecorum*. „ Hoc censeo esse נשא פנים *faciem alicujus accipere*, quasi, *tergum alicui nolle obvertere* i. e. *honorem, reverentiam alicui exhibere*: quæ phrasis sæpissime in S. Codice occurrit, & varie explicatur, ut videre est ex *Friedlieb. ad Actor. X. 35. Class. I. p.* 240. *col.* 1. 2. & aliis. Egregie interim ex hoc orientalium ritu a nobis observato illustratur cura illa sollicita Sacerdotum Vet. Testamenti, quibus *recessim* semper facie ad Templum directa, ubi Majestas dei habitabat, abeundum & quasi retrocedendum fuit. Hinc sane apposite *R. Dav. Kimchi* atque ad rem loquitur ad 2. Chronicor. I. 13. ad verba מלפני אהל notans: ור"ל דרשוהו כך כשבא שלמה מגבעון ירושלים היו פניו לבמה אשר בגבעון כמו שהיו פניו שהלך לשם כלומר כי כשיבא מהבית שהיתה שם הבמה מ' מהלך לאחריו ופניו לבמה מפני כבוד הבמה ולמדו מזה וכן הכהנים בעבודתם ולוים בדוכנם וישראל בעמדם כשהיו נפטרים לא היו מחזירים פניהם והולכים אלא מצדדין פניהם והולכים ומן תלמיד הנפטר מרבו *id Rabbini nostri p. m. ita explicarunt: Salomone Hierosolymas Gibeone redeunte, facies ejus ad excelsum, quod Gibeoni erat, directa fuit non aliter ac cum illuc proficisceretur. Volunt dicere, quod, cum egrederetur ex æde, in qua erat excelsum istud, recessim iverit* seu retrorsum recesserit; *Ita ut facies ejus interim ob reverentiam quam excelso tribuebat, ad ipsum excelsum directa esset. Atque hinc discimus* sive, docent, *quod eodem gestu Sacerdotes in ministerio suo Levitæque in suggestu suo, ac Israelitæ in statione sua, si abirent, non aversa facie, sed ad latus inclinata recesserint: Eadem prorsus ratione, uti discipulus discedens a præceptore suo*. Conferantur cum his ea, quæ de populi sacerdotumque exitu retrorsum habet *Thom. Hyde Relig. Vet. Pers. cap. I. p.* 8.

Hæc ergo tandem est vultus illa directio, quam *Gemaristæ* Cherubinis nostris, ut dictum est, præter necessitatem tribuunt: quorum pace malumus cum *Kimchio* in ipsa Cherubinorum *differentia* pedem figere.

§. 14. Nec minus Cherubini *Ezechielis* cum *nostris* in quibusdam *discreparunt*: idque ipsum ulterioris adhuc definitionis in plurimis eget. Quo fit, ut *analogiæ* quoque inter eos & *convenientiæ* detectio sit difficillima. Tantum tamen *concentus* cujusdam poterimus afferre, quantum instituti ratio a nobis exigit & ad probandas Rotas nostras satis esse potest. Fundamentum ejus in eo est situm, quod non videatur dubium, quin forma Cherubinorum *Ezechieli* visorum e Templo sit repetenda: quod neque *Vitringa* negat *Obs. Sacr. L.* 4. *p.* 848. 855. 858. *coll. p.* 494. Quid autem est in Templo, quod *Cherubinis* esset conveniens magis, quam *Cherubini*? Quæ harmonia & convenientia ad ipsas quoque *rotas* extendi debet; si consideretur, *utrisque* nomen Currus tribui. *Salomonii* non modo מעשה צעצים *opus currus*, ut probatum dedimus; sed etiam מרכבה כרובים *currus Cherubinorum* 1. Chron. XXVIII. 18. ut mox indicabitur uberius, expresse appellantur. *Ezechielis Cherubi* itidem; conf. ארבע מרכבות Zachar. VI. 1. Rotis igitur animantium, quæ in visione Ezechielis basin divini throni faciunt, ad Cherubinos *Salomonis* allusum esse, statuitur rectius a nobis; quam à *Vitringa l. c. p.* 849. judicatur, *allusum esse ad bases illorum Lutherum qui in atrio Templi inservierunt lustrationibus sacerdotum & Levitarum quæ bases Cherubinis & rotis innixæ fuerunt*. Nam de horum rotis asseritur tantum 1. Reg. VII. 33. quod fuerint כמעשה אופן *ad similitudinem operis rotarum facti*: In visione vero Ezechielis apertum discrimen instituitur inter id quod *revera*, & quod *ad similitudinem* alicujus rei tantum apparuit. Quod dignoscit sapienter *Maimonides More Nevochim P. III. cap.* VII. באשר זכר את החיות אמר דמיות

דמות ארבע חיות ולא אמר ארבע חיות לבד וכן אמר ודמות על ראשי החיה רקיע וכן אמר במראה אבן ספיר דמות כסא וכן אמר דמות כמראה אדם עליו כל אלו אמר בהן דמות אבל באופנים לא אמר דמות אופן ולא דמות אופנים אבל חנהרת מוחלטת בתאר נמצא כי מה שהם עליו *Cum meminit Ezechiel animalium, dicit, similitudo quatuor animalium; non vero nude dicit, quatuor animalia. Quemadmodum etiam dicit, similitudo quoque super capita cujusvis animalis erat firmamenti v. Ezech. I. 5. 22. Sic quoque ait, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni; Et, similitudo quasi species hominis insidentis ei. v. Ezech. I. 26. De his omnibus loquens utitur voce* דמות *similitudinis. At vero de Rotis non ait similitudo Rotæ, aut similitudo Rotarum; sed simpliciter & absolute de iis loquitur tanquam de re existente, sicut in se sunt.* „ Ex his itaque manifestum est quod affirmavimus, ad *Salomonis* Cherubinos tantum Cherubinis *Ezechielis* esse allusum. *Rotis* vero *horum* ad *illos* alludi non potuisset, nisi *illi* quoque, *Salomonii scil.*, *rotis* instructi fuisse dicantur. Confidimus, id eo facilius concessum iri, si admittatur conjectura quædam nostra, quæ Cherubinorum Salomonis Ezechielisque concentum hac ratione concipit: *ea quæ in Cherubinis Salomonis adfuere, Ezechielem deinde* distinctius, uberius & plenius *in sublimi visione conspexisse*. Cujus rei exemplum hoc esto;

α. Ex *binario numero* Cherubinorum *Solomonis Ezechielis* apparuit numerus eorum quaternarius cap. X. 9. seqq. & I. 5.

β. Ex *erecta* horum & quasi *ambulante* aut ad *mobilitatem* composita statura, Ezechielis Cherubinis videbantur horsum se & vorsum *motitare ambulareque* cap. I. 14.

γ. Ex *duplici* vel *simplici* horum facie, Ezechielis Cherubis *quadruplex* facies nata erat Cap. I. 6. X. 14. Et sic porro.

δ. Eadem itaque ratione *Ex Rotis*, *quæ his erant* subditæ, *ortum trahunt in Ezechielis Cherubinis rotæ* juxta *eos apparentes*.

Ita sane difficultas omnis, quam movere alias *VVitsius Ægyptiacor. L. II. c.* 13. & *Miscellan. T. 2. p. 156. 157.* ex Ezech. X. 20. videtur, evanescit; quod Ezechiel dicat, se iterata demum ista visione cognovisse, quod illa animalia, quæ antea viderat, Cherubini essent. Id enim facile hac ratione potuit accidere, ut in posteriori visione perceperit, iteratam hanc apparitionem latius ea & plenius de Cherubinis proponere, quæ in Templi Cherubis non nisi cum quadam imperfectione ac quasi *delineata tantum* conspiciebantur. Nodum si *tandem* omnem contrahimus, postquam perspicuum est redditum *quoad Rotas* in Ezechielis Cherubinis ad nostros allusum esse; apparet, consequentiæ, quam ab *illis* quoque ad *hos* derivare argumentando conati sumus, certitudinem esse maximam. Non autem in his (quod monendum est) mentem *Abarbanelis* secuti sumus, qui currum Ezechielis a Cherubinis illis tractum concipit; sed veriorem *Vitringæ obs. Sacr. L. IV. c. 1. p.* 846. de qua in sqq. plenius agendi locus recurret.

§. 15. Restat ultimum argumentum, quod afferre ad confirmandas Cherubinorum Rotas nobis est constitutum. Habuerunt igitur nostri Cherubini Rotas, quia 1. *Chron. XXVIII.* 18. nomen מרכבה *currus* iis tribuitur. Dicit enim *David*, se *Salomoni* dare תבנית מרכבה הכרובים *exemplar currus Cherubinorum*: Currus autem supponit rotas. Quæ consequentia ex hoc *Chronicor.* loco manifesto effluit; neque ille ulla ratione eripi nobis atque ad alias hypotheses accommodari poterit. Quocirca in dolium pertusum dicta ingerit *Bald. Hunnius VVagen der Cherubim p.* 64. quando inculcat, alludi *h. l.* ad *Arcam Fœderis* eamque hic currus appellatione venire. Cui jungi meretur *Hieron. Prado*, ejusdem fere adjutor auctorque sententiæ. Cum his jam *veris equisque* [ut dicitur] esset decertandum; si non argumenta eorum *leviora* essent, eaque *contra Pradum* refutata abunde a *Cornel. a Lapide in h. l. Chronicor.* p. 345. Videantur, quæ de hac re occurrunt apud *Hunn.* l. c. p. 63. *Dieteric.* Antiq. Bibl. ad 1. Reg. VIII. 13. p. 366. *Cornel. a Lapide* in Exod. 25. p. 508. *Vitring.* Obs. S. L. IV. p. 855. sqq. Ipse vero Cornelius longe sane infelicius ibi asserit: non tantum circa arcam fuisse fabricatos per Salomonem Cherubos, sed *etiam in altari thymiamatis*, *deque iis hic agi* & sensum hujus loci esse, *Davidem dedisse aurum*, *ut ex eo fabricaretur altare thymiamatis*, & *in eodem currus Cherubim*, *similis currui Cherubim velantium arcam fœderis*. Commentum vero hoc, quod ipse nullo argumento ab absurditate sua vindicat, nisi quod hunc sensum Hebræa exigere *falso* præsumat, vel ipso silentio pelli e medio potest. Non igitur nisi de *Cherubinis nostris*, quos fecit Salomo, David hoc loco agit. Hoc ad judicandum est facillimum. Nam, ut tribus primis verbis id quoque addamus; dicit David, Deum sibi תבנית *exemplar* dedisse hujus *Currus Cherubinorum*. Jam autem

tem illorum, qui super Arcam stabant, præscriptum atque exemplar dari denuo Davidi *nec potuit*, quia nihil in iis mutatum legitur, *nec necesse fuit*, quia dudum ipsi in ectypo quasi jam extiterant. *Præterea*, quod ad *Arcæ* currum attinet, perfacile judicium est. Non enim dicit David, datum sibi esse תבנית מרכבה הארון *præscriptum currus arcæ*; sed תבנית מרכבה הכרובים *præscriptum currus Cherubinorum*.

§. 16. Quod cum ita sit, nomen *Currus h. l.* non nisi ad Cherubinos Salomonis referri convenit. Ideoque minus congruum *supra Sect.* 1. §. 11. judicavimus illud etymon, quo vox כרובים per metathesin a רכבים *currus* deducitur. Quod enim *Jac. Leonit. Tractat. de Cherub.* apud *Spencerum de Legib. Hebræor. L.* 3. *diss.* 5. *c.* 7. ait, non pauca in sermone Hebraico passim occurrere vocabula, quorum characteres antrorsum & retrorsum, eadem plane servata significatione, commutentur; ea dubia est ratiocinatio & maxima ex parte ambigua deque omnibus adhiberi non potest. Uti ex. gr. עיש est *congregari*; sed per metathesin שוע est *vociferari*. Sic פוש *abundare* & שוף *contrivit*: & sic innumera alia; tametsi interdum id procedere concedi possit, *conf. supr.* §. 3. & *apud Rabbinos* præsertim non raro literas transponi probe sciamus ut זבון pro זבנו *emerunt*, אמור pro אמרו *dixerunt*, איגייור pro איגיירו *proselyti facti sunt* &c. Si itaque ad omnes generatim Cherubinos nomen *Currus* pertineret; infirmari quodammodo opera nostra posset, qua nomen מרכבה, quod hujus loci est, ad *solos* Salomonis Cherubos restrictum volumus. Alias *Angeli* quoque *currus* appellatione solent venire, vid Maimon. יסודי התורה cap. 2; quæ alia res est. Certum igitur est, *hoc loco Chronicor.* nomen מרכבה non nisi Cherubinis *nostris* tribui.

§. 17. Hi autem qua specie potuissent *Currus* vocari, si non habuissent *Rotas?* Rotas enim conceptus *currus* complectitur. Quod non male observat Pradus, licet alia intentione, dicens: *Ubi currus est, concipiendæ sunt Rotæ quæ currum sive vehiculum sustineant. Currus enim supponit Rotas.* Qua in assertione oblocutor ei est *Vitringa Obs. Sacr. L.* 4. *c.* 1. §. 26. *p.* 857. qui etsi 1. Chron. 28. 18. Cherubinos nostros utique admittat intelligi, respondet tamen Prado: *Nec tamen tanta in hoc argumento inest vis, quanta species.* מרכבה *sane apud Hebræos notat OMNE INSTRUMENTUM, quo quis vehitur, QUALECUNQUE illud sit. Quandoquidem vero Deus vehi dicitur Cherubinis, & inter Cherubinos habitare: hinc ipsi Cherubini*, soli etiam & absque Rotis, *dici possunt* מרכבה *vehiculum Dei, nec dici tantum possunt, sed vere ita dici putem in hoc ipso loco.* Hæc quidem ille contra Pradi hypothesin movet; Sed ita, ut & nobis ad arma currendum sit necessario. Quod nisi ita esset, quanam fronte cæteroqui tanto Viro posset *altera jam vice* audacia juvenilis adversum ire? Etiamsi igitur concedamus, *omne instrumentum, quo quis vehitur, vocari* מרכבה; num tamen ita rotæ per illud qualecunque instrumentum excluduntur? nonne currus inter illa instrumenta primum locum obtinebit? Quinimo id quod improprie currus vocatur, nonne in fundamentum translationis requirit id cujus ope currus est id quod est, nempe rotas? Quodni concedatur nobis, quævis sella, thronus quivis, quodvis scamnum scabellumve Hebraice מרכבה currus vocari poterat. *Instrumentum* porro (unde Arabibus مركب & *currum* & *navem* denotat conf. Hyde in Ulugh Beighi Tab. Stellar. p. 26.) *quo quis vehitur*, est vel jumentum, vel navis, vel traha, vel lectica, vel currus &c. Nullum autem horum in Cherubinos quadrat, præterquam *currus* seu curule vehiculum; idque ob rotas, quas abesse ab iis præter hoc ultimum tot alia nostra argumenta prohibent.


Quæ si omnia ita sunt, nullum superest dubium, quia *h. l. Chronicor* nomen מרכבה ad Cherubinos nostros pertineat. Idque ipsum si ita est, *certe Rotas habuere.* Verum autem primum: verum igitur & extremum.

§. 18. Sed jam *argumentorum* finis. Perspicuum est enim, phrasin מעשה צעצים denotare *Opus Curule* Cherubinorum Salomonis, *quod Rotis instructum fuit*. Sed quoniam operi inchoato & prope jam absoluto tanquam fastigium imponere exoptamus; de *forma, numero & loco* Rotarum illarum nonnulla quoque dicenda sunt atque adjicienda. *Formam* vero delineare quadantenus non est in potestate nostra situm. Labrorum X. illorum rotas describit *Josephus Antiq. VIII.* 2. cujus verba in *Petri Roveriani* editione latine sunt reddita: *Totum vero opus quatuor rotis suspendebatur, quæ fusiles erant, habebantque modiolos & radios, sesquicubitali inter utramque extremitatem intervallo, eratque mirum videre rotarum circumferentias, quomodo lateribus basium coaptatæ canthis suis insistebant.* Quibuscum quam prope nostræ convenerint, pro sua quisque persuasione determinet. Cum vero æquabilitas rotarum, quam nostris cum Ezechielis Cherubis intercedere paulo superius memoravi-

ravimus, in memoriam recidat; num &, quod ad *formam*, in *noſtrorum* rotis quædam quaſi rudimenta *illarum*, quas Ezechieli viſio obtulit, fuiſſe poſita cenſebimus? deſcribit eas Ezechiel I. 16. דמות אחד לארבעתן ומראיהם ומעשיהם כאשר יהיה האופן בתוך האופן & *ſimilitudo una erat quatuor illis. Et aſpectus eorum & opera eorum, ac ſi Rota una eſſet in medio Rotæ alterius*. vid. *Maimonid. More Nevochim P. III. c.* 2. conf. Ezechiel X. 10. Quæ vero Ezech. I. 18. de OCULIS canthorum occurrunt, non ſunt nimis cito ad myſterium rapienda. Nam עינים poſſunt hic ſimpliciter de *foraminibus* intelligi. Sed quibus? Forte illis, quibus claves inſiguntur. Apud Arabes عين notat etiam FORAMEN. Nec tamen Prad ſententiam arripere placet, qui cum omnia, quæ *viſio* illa habet, ex Templo peti vellet, *per Rotam quæ eſt in medio Rotæ*, *putabat* modiolum intelligi, *in quem radii*, *inde ad* canthos *quaquavorſum tendentes*, *veluti in centrum ſuum concurrunt*, quem *Vitringa* refellit *Obſ. Sacr. L.* 4. *cap.* 1. §. 27. de *numero* rotarum judicamus, cum ex plurali forma nominis צעצעים ſupputari aliqua ratione poſſe, quo pacto *plurale* Hebræorum nomen צעצעים cum plurali Latinorum *Quadrigæ* (que ſemel tantum in *ſingulari* adhibetur, vid. *Aul. Gellius Noct. Attic. XIX.* 8.) conferri meretur. Quoniam autem opus hocce *curule* Cherubinorum, de quo agimus, non tam accurate deſcribitur quam quidem rotæ Labrorum, quæ כמעשה אופן המרכבה 1. Reg. VII. 33. dicuntur fuiſſe, ut §. 4. & 14. monuimus; hinc quo ad numerum quoque in his alia computatio poſſet inſtitui. Quæ ſi perſequamur fuſius, operæ pretium forte non faciemus. *Locum* vero denique quod attinet; concipimus rotas infra Cherubinos & quaſi ſub eorum pedibus. Sic quoque in Ezechielis viſione fuiſſe docet *Vitringa Obſ. S. L.* 4. *c.* 1. §. 8. *ſqq.* Poſtquam enim *Abarbanelis* ſententiam, quæ currum aliquem in hac viſione diſtinctum concepit, refutaſſet, addit: *Ipſi hi Cherubini, alis ſuis ſuſtinentes baſin divini Throni, hic repræſentati fuerunt Ezechieli inſtar currus quatuor Rotis ſuffulti: Quæ Rotæ itaque concipiendæ ſunt Cherubinis eum in modum junctæ fuiſſe, ut ſimul eoſdem ab inferiore parte fulciverint, quemadmodum Rotæ currum fulcire ſolent. &c.* Habes a nobis ſpecimen, Lector benigne, obſervationum quarundam de Cherubinis Salomonis; cui tribues quantum poteris: poteris autem quantum voles.



JOHAN-



JOHANNIS BUXTORFII DISSERTATIO DE * MANNA

CAPUT PRIMUM.

De Nomine MANNÆ.



MANNÆ consideratio, nec *indigna* est, quæ cum præcedentibus conjungatur, nec ab iis *aliena*. *Non indigna*; quod si enim quis consideret ejus *Historiam*, tot in eo deprehendet miracula, quot circumstantias, quotque in ullo alio temporali beneficio, Ecclesiæ Israeliticæ concesso, conjunctim vix reperientur. Unde non immerito, non solum ab Hebræis, summis laudibus & encomiis ornatur & concelebratur, sed & in Scriptura ipsa, ut in progressu videbimus. Si *Mysterium*, Typum eam fuisse Christi nobilissimum, & cibationis nostræ spiritualis ad vitam æternam per ipsum, Christus ipse nos docuit Johan. cap. 6. & post eum Paulus 1. Epist. ad Corinth. cap. 10. v. 3. Unde verissime Don Isaac Aramah in *Akedas Jizchak* historiæ hujus explicationem aggressurus, ita eam exorditur: אין שום ספק שהפרשה הזאת המעולה היא מהפרשיות העצמיות שבתורה שמספרות בהווה ורומזות אל חיי האדם והצלחתו האחרונה *Procul dubio Sectio hæc de Manna est una ex præstantissimis sectionibus Legalibus, quæ non solum res gestas historice enarrant, sed & Typum continent Vitæ ac Felicitatis hominis ultimæ & æternæ*. Sed *nec aliena* quoque est a præsenti nostra tractatione materia. Urna enim Mannæ jussu Dei asservata, relata in Sanctum Sanctorum, & juxta Arcam Dei fuit posita, ut supra vidimus. Eadem quoque numeratur inter ea κειμήλια, quæ una cum Templo primo fuerunt seu deperdita, seu occultata, neque sub Templo secundo visa. Eandem procul dubio ob caussam, ob quam & reliqua subducta fuerunt, quia stante eo de cœlo descendere & in carne apparere debebat Panis vere vivificus, nutriens ad vitam æternam, cujus Manna temporale umbra erat & figura.

Ejus Historia a Mose descripta extat Exodi cap. XVI. toto, cum quo conjungendum, quod de eadem habetur Numeror. cap. XI. v. 6. 7. 8. 9. unde benevolus Lector eam petet.

Ad ejus illustrationem non est nobis hac vice propositum methodo analytica omnes & singulas illius partes & circumstantias accuratius enucleare, vel profundius

* Hoc loco, quoniam in Sancto Sanctorum, seu in Arca repositum fuit vasculum Mannæ, hanc eruditissimam de Manna dissertationem edendam curavimus.

dius in mysticam ejus tractationem descendere, hanc operam sublimioribus ingeniis relinquentes, sed Quæstiones aliquot Historico-Philologicas selectiores delibare, & ex Hebræorum placitis explicare, quibus lux aliqua dictis præcipuis inferatur, quæ vel obscuritatem vel difficultatem habere videntur.

Ad eas antequam accedamus, pauca quædam παρασκευῆς loco de *Nomine* præmittemus.

Mannae vocabulum ex Hebræo מן Man suam habere originem, vel saltem cum eo idem esse, nemini potest esse ignotum. Terminatio autem est ex lingua Chaldæa, qui ex Hebræo מן faciunt מנא. Insignitus est cibus iste cœlestis & divinus hoc Nomine ab Israelitis, quamprimum a cœlo fuit delapsus, & ab eis visus. Sic enim hac de re Moses, Exod. 16. v. 15. ויראו בני ישראל ויאמרו איש אל אחיו מן הוא כי לא ידעו מה-הוא *Et videntes illud filii Israel dixerunt quisque ad fratrem suum*, Man *est*, *quia nesciverunt quid esset*. Et v. 31. ויקראו בית ישראל את שמו מן *Et vocarunt filii Israel nomen ejus* Man.

Circa rationem hujus Nominis assignandam duæ fere sunt Authorum sententiæ.

Prima est eorum, qui verba versus decimiquinti sumunt *interrogative*, & volunt מן idem esse quod Hebraice מה *Quid*, quasi ex admiratione, divinum istum panem videntes, in hæc verba eruperint; *Quid hoc est?* & postea Nomen hoc ei manserit, & in appellativum transierit. Sic LXX. Græci reddiderunt Τί ἐστι τοῦτο? Id sequutus est Joseph. Antiquit. Judaicar. lib. 3. cap. 1. scribens; Καλοῦσι δὲ Ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τοῦτο Μάννα. τὸ γὰρ μὰν ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, τί τοῦτ᾽ ἐστιν ἀνακρίνουσα h. e. *Hebræi cibum istum vocant* Manna. *Nam Man est interrogativum*, *secundum nostram dialectum*; Quid hoc est? *significans*: Sic D. Hieronymus, & reliqui fere Patres. Sic ex Hebræis sensit R. Chananiel, cujus mentionem facit Bechaj fol. 83. col. 4.

Sunt qui hanc expositionem firmare nituntur ex lingua Ægyptiaca, in qua מן idem sit, quod Hebraice מה *Quid?* Si de hoc constaret, id utique plausibilius foret; quamvis hæc difficultas restaret, quod הוא sit Hebraicum, atque ita harum duarum vocum una esset Ægyptiaca, altera Hebræa. Quod vix probabile alicui videbitur.

Secunda sententia est eorum, qui verba illa sumunt *indicative*, ut per מן הוא significetur, τὸ τί ἐστι Quid illud sit de quo loquuntur. Hi faciunt ex מן Nomen, & derivant illud a radice מנה quæ significat *Constituere*, *Ordinare*, *Destinare*, ut מן resecta ultima radicali idem sit quod מנה *Pars*, *Portio*, *Donum*, sc. a Deo datum & in cibum destinatum; quia, quid esset, dicere non potuerunt: vel *Præparatus & suppeditatus a Deo cibus*, *sine ipsorum labore comparatus*, ut in lib. Sapientiæ cap. 16. 20. dicitur; *Ac panem omni pollentem voluptate*, *omnique gustui accommodatum*, *sine labore de cœlo ipsis demisisti*.

Hanc sententiam plerique Hebræorum amplectuntur & sequuntur. R. Salomon: Man hu, הכנת מזון הוא כמו וימן להם המלך : כי לא ידעו מה הוא שיקראוהו בשמו *h. e. Præparatio cibi est*, a verbo מנה, unde Dan. 1. v. 5. וימן Et constituit, parare jussit illis Rex &c. Quia nesciverunt quid esset, *h. e. nesciverunt illud vocare nomine suo*.

Aben Esra; מן הוא מגזרת אשר מנה את מאכלכם Man *derivatur a verbo* מנה, *unde*; Qui מנה constituit, ordinavit escam vestram, Dan. 1. 10.

R. D. Kimchi in libro *Schoraschim*: מן הוא בשקל צו קו לפי שלא ידעו לו שם קראו לו מן כלומר מתנה וחלק מאת השם ית׳ h. e. מן *est formæ* צו (a radice צוה) קו (a radice קוה). *Quia enim certum ei nomen dare non potuerunt vocaverunt illud* מן, *hoc est*, *Donum & portionem a Deo datam*.

R. Bechai fol. 83. col. 4. מן הוא מלשון מנה אחת אפים וכן למשה היה למנה ועל כן נותן הכתוב טעם כי לא ידעו מה הוא כלומר מפני שלא ידעו מהו קראוהו מן השם ולא קראוהו בשם המיוחד כי לא ידעו מהותו: h. e. מן *est a* מנה Pars, Portio, Donum, *quod vide* 1. *Sam.* 1. 5. *& Levit.* 8. 29. *Ideo subjungit Scriptura statim appellationis hujus rationem*; *Quia nesciverunt quid esset*, q. d. *quia nesciverunt quid esset*, *ideo vocarunt illud* Donum cœleste; *nullum autem nomen proprium illi indiderunt*, *quia nesciverunt quidditatem ejus*.

Sic in Tzeror hammor: מתת אלהים היא כי אנחנו לא היינו ראויים לדבר גדול כזה *Donum Dei est*: *quia nos non digni sumus tanta re*.

R. Isaac Arama in *Tzeror hammor* scribit, illos existimasse, esse Manna naturale & medicinale, ac proinde dixisse מן הוא Manna est. Sed hunc refutat Abarbenel: *Quidam*, *ait*, *Interpretum scribunt*; *Israelitas*, *cum viderent Manna*, *existimavisse*, *esse* הרפואיי *Manna medicinale*, *quod in quibusdam regionibus decidit super arbores*

res agrorum, eo quod colore & forma illi esset simile, atque hac de causa dixisse & pronuntiasse, מן הוא Est Manna; *hoc est*, nunquid hoc est Manna medicinale? *quod sc. Medici præscribunt ad expurgandam bilem? In hunc autem errorem incidisse ipsos, eo quod nescirent quid in rei veritate esset; ac proinde Mosen hinc impulsum fuisse ad rei veritatem ipsis explicandam, dicendo;* Hic est Panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum *q. d. Hoc non est Manna medicinale, sed est quiddam aliud, alendi virtutem habens, quod Dominus vobis dat in cibum, non ad ventrem laxandum: hæc enim non est ejus natura. Verum hæc expositio mihi non arridet: quia Manna medicinale vocatur* Manna *metaleptice, quia aliquatenus simile est Mannæ divino, quod Israelitis decidit in deserto. Antea enim non appellatum fuit hoc nomine. Neque ita vocatur, nisi in lingua Arabica, quæ est Lingua Hebræa corrupta, & in Lingua Latina, qui hoc nomen ex Lege Divina desumpserunt.* In lingua Persica vocatur תרנגבין *Unde Israelitæ linguam Arabicam vel Latinam habuissent;* שעדין לא היו אותם הלשונות בעולם *cum tum temporis illæ linguæ nondum fuerint in mundo? Itaq. prima nominis* Mannæ *origo est a Pane isto, quem Deus dedit Israelitis in deserto, ac proinde rectius mihi videtur,* מן *derivare a verbo Hebræo* מנה; *Simulac scilicet Israelitæ illud viderunt, indiderunt ori suo, & gustu dulce deprehendentes, judicarunt illud Bonum esse ad vescendum, atque ideo dixerunt;* מן הוא *h. e.* מתנת הש״ית הוא שנתן לנו Donum Dei est, quod nobis dedit: *Ignorarunt autem, num hic esset ille Panis, quem Moses ipsis promiserat, nec ne? quia nesciverunt quid esset. Hinc Moses dixit illis;* Hic est Panis ille quem dedit &c. *hoc est; Recte dixistis, hoc esse Donum Divinum: nam revera est Panis ille, quem Deus vobis dedit in cibum.* Hactenus Abarbenel.

Tusius, Paraphrastes Persicus v. 15. huc quoque accedere videtur, qui מן הוה reddit, נעמת ארת או quod in Versione Latina, in Bibliis Polyglottis Anglicanis, redditur *Beneficium ipsum est*. In cæteris locis ubique nomen Hebræum retinet, ut & fit in Versione Arabica.

Equidem non multum interest, utram quis sententiam præferat; secunda tamen, & Authorum & Rationum momentis, præponderare videtur.

CAPUT II.

Utrum Manna fuerit Res naturalis, vel mere Miraculosa?

Quæstio hæc agitatur tam inter Hebræos, quam inter nostros Interpretes, dum *alii* statuunt, Manna quidem hoc fuisse naturale, quale alias quoque in illis regionibus deciderit, sed accidentia quædam supernaturalia & miraculosa ei per Divinam omnipotentiam accessisse, quæ in Scriptura commemorentur. *Alii* volunt, Rem fuisse prorsus novam, a Deo pro certo tempore miraculose creatam & productam, suoque tempore rursus ablatam.

Posterior tamen sententia a plerisque Hebræorum est acceptata, priore explosa. Hinc scribit Aben Esra; ירקב שם חוי שאמר כי המן הוא הנקרא בלשון פרסי תרנגביז ובלשון ערבי מן ובלשון לעז מנא כי קושיות רבות רבות עמדו עליו *Putrescat nomen Serpentis, qui dixit Manna hoc esse id quod in lingua Persica dicitur* תרנגבין, *Arabice* מן *& vernacule Manna: quia multæ difficultates ei obstant.* Abarbenel scribit, eum indigitare Karræum quendam, & post adductas Aben Esræ rationes contrarias porro scribit: *Quamvis autem Aben Esra hic plenissime ductum Verbi Dei sit sequutus,* הנה קמו אנשים בני בליעל וגלו פנים בתורה שלא כהלכה *exsurrexerunt tamen quidam Nebulones, qui impudenter se porro Legi Dei opposuerunt. Viddi quippe apud quendam ex recentioribus scriptoribus, qui pertinaciter contendit, Manna illud fuisse Rem naturalem, omnesque ejus proprietates fuisse naturales, atque adeo illud ipsum Manna medicinale, quod hodieque apud nos decidit.*

Huic sententiæ fortiter se opponit Abarbenel, & *primo* quidem Rationes illorum diluit; *deinde* Aben Esræ Rationes retexit, ab exceptionibus vindicat, & alias de suo ex Scriptura addit. Operæ itaque pretium sit, ea hic producere, & benevolo Lectori consideranda proponere.

Primo ait, Scriptorem illum, cujus meminit, suam sententiam confirmare, *partim* Authoritate R. R. Mosis Majemonidis, *partim* ex Signis & notis nonnullis, quibus hoc Manna in Scriptura describitur.

α. *Ex Majemonide* hac ratione. Ajunt, illum in More Nevochim par. 2. cap. 28. scribere, *Prodigia & Miracula non continuo durare, sed esse duntaxat* שנוי הטבע לשעתם

לשעתם *mutationem naturæ temporariam : mutationem autem illam non esse perpetuam.*

Hinc subsumunt ; *Quia Mannæ miraculum duravit 40. annis, argumento id esse, rem fuisse naturalem ; ideo nempe illud, quod hodieque extat & decidit certis temporibus, & certis in locis.*

Respondet Abarbenel ; 1. Majemonidis mentem nequaquam fuisse, hic negare miraculum: 2. Qui contrarium statuunt, eos non dicere, quod Manna singulis diebus per 40. annos descendens, continuo deciderit : Eo quippe die, quo descenderat, eodem etiam defuisse miraculum [posteaquam sc. Israelitæ demensum suum collegerunt.] Sic Aquas e petra quæ Israelitas comitabatur profluxisse, quoties Moses percutiebat petram. Ex hoc autem non sequi, Rem naturalem mutari in naturam aliam perpetuam, sed hoc solum, quod Deus quotidie per miraculum Israelitis per 40. annos multa magnifica ediderit. 3. Majemonidem eo in loco nihil aliud arguere, quam ea quæ miraculose fiunt, non permanere constanter & perpetuo in illis mutationibus ; neque etiam definire Tempus illorum miraculorum, vel menses certos illis assignare, sed indefinite relinquere miraculum aliquandiu durans. Sic ignem de cœlo miraculose descendisse super Altare in Die octavo Impletionum, & ex quo primo descendebat, ibi continuo arsisse, neque extinctum fuisse, donec Sanctuarium ipsum vastaretur : tempore Vastationis cessasse, neque diutius durasse post eam.

β. Ajunt ; Scriptura dicit, *quod Manna fuerit tenue & subtile, rotundum sicut pruina ; quod descenderit cum rore, fuerit album, & sicut semen Coriandri, sapor ejus dulcis instar mellis, & ut crustula mellita.*

Atqui hæc omnia quoque reperiri in Manna medicinali naturali & ordinario. Itaque argui hinc, Idem cum illo fuisse.

Resp. Abarb. Hæc ratio nulla est: כי לא כל דבר שידמה לדבר אחר במקריו יהיה הוא עצמו Non enim statim res illa quæ alteri in Accidentibus est similis, est res illa ipsa. Sic in monte Sinaj apparuit Gloria Domini sicut Ignis consumens in oculis filiorum Israelis ; nemo tamen ideo dicet, quod fuerit ipse Ignis elementaris. Sic cum Virga Mosis in formam Serpentis conversa fuit, fuit ille Serpens non naturalis, sed miraculosus, naturali Serpenti similis. Sic Aquæ mutatæ fuerunt in Sanguinem miraculose, quoad Colorem & Qualitatem suam ; non tamen fuit Sanguis Animalium העצמיי substantialis. Num dicemus, Hominem ad vivum depictum in pariete, ideo quia specie, forma, & magnitudine Hominem vivum repræsentat, esse ipsum Hominem, & vivere sicut ille? הדומה והבלתי דומה הם איכויות ומקרים ואינם עצמות הדבר Simile & Dissimile sunt Qualitates & Accidentia, non vero ipsa rei substantia. Ut jam taceam, quod in Manna Divino fuerint סגולות עצמיות proprietates quædam essentiales, quæ non inveniuntur in Manna medicinali, ut ex seqq. apparebit.

Pro Altera itaque sententia, quod Manna fuerit Res mere miraculosa & Divina, non Naturalis, sequentes ex Scriptura affert Rationes:

Primo ait ; Manna medicinale non decidit hodie in deserto Sinaj. Desertum enim illud notum est, neque unquam ibi visum fuit. Ergo Manna illud non fuit idem cum hoc. Ratio consequentiæ ; quod si res naturalis fuisset, tum semper illic reperiretur.

Excipiunt ad hoc ; שבאורך הזמנים נשתנה טבע הארץ *Longitudine temporum naturam illius regionis esse mutatam.*

Respondet : זה סכלות לא טענה *Hæc est stultitia, non ratio* : quia Descensus roris & pluviæ non mutatur in ullis locis, ubi solent decidere.

Secundo ; Manna medicinale non descendit per totum annum, sed duntaxat tempore verno, mense Martio & Aprili. Manna autem hoc Divinum descendit æqualiter omnibus anni mensibus indiscriminatim. Itaque non est idem cum illo. Ratio autem cur manna naturale non semper decidat, est; כי המן הרפואיי הוא שווי בחום quia est æquabilis & temperati caloris, unde decidit tempore Veris tantum, quando temperatus est calor; non vero in Hyeme & Æstate.

Tertio ; Manna medicinale si ad Solem exponatur, non liquescit, sicut liquefactum fuit Manna Divinum.

Quarto ; Manna medicinale noctu non putrescit, neque vermes producit. Atqui Manna Divinum illud fecit. Ergo non idem cum eo.

Contra duas has rationes excipiunt ; *Diversitatem hanc provenire ex diversitate materiæ. Materiam enim Mannæ divini fuisse* מהרכבה דקה מאד *ex compositione valde subtili ; ac propterea facile liquefactum fuisse & putruisse ; Mannæ autem medici-*

nalis compositionem esse פשוטה נוטה אל הלחות והקור *simplicem, sed declinantem ad humiditatem & frigiditatem; Unde Medici eam præscribant contra bilem flavam, quæ calida est & sicca. Et hanc ob causam non liquescere.*

Respondet: Quod si hujus Mannæ medicinalis compositio & materia non sit talis, qualis est Mannæ Divini materia & compositio; Ergo non sunt ejusdem substantiæ, neque sequitur, si unum sit naturale, alterum quoque tale esse.

Quinto; Manna medicinale linguæ impositum liquescit. Id vero non fecit Manna Divinum.

Ad hoc *excipiunt*; *Quia Manna medicinale sit instar Sacchari, ideo ei idem accidere quod Glaciei & Pruinæ in regionibus frigidis, ut congelata subsistant ad plures dies, neque a Sole liquefiant; at Linguæ imposita resolvi in aquam; Manna autem Divinum fuisse instar fructuum celeriter computrescentium, uti sunt quædam Poma, propter subtilitatem compositionis ipsorum; & hanc ob causam facile & putruisse, & vermes produxisse.*

Respondet; Id quod hic dicunt, arguere, Manna Divinum non fuisse ejusdem substantiæ cum altero Manna, ac proinde non sequi si hoc naturale fuerit, illud quoque tale fuisse. Boni isti viri ex eo quod aliquam cum eo habet similitudinem, volunt arguere, ideo ejusdem cum eo generis & substantiæ fuisse; & tamen ipsimet fatentur, materiam & compositionem unius, non fuisse sicut alterius. Itaque ex similitudine quadam accidentium nihil possunt evincere.

Sexto; quia Manna medicinale non est durum, ut contundi, & placentæ ex eo confici possint; sicut fuit Manna Divinum.

Excipiunt ad hoc; *Quod Manna Divinum ita comparatum fuerit, ut contundi, & placentæ ex eo confici potuerint, id profectum fuisse ab illius forma, & singularem in eo fuisse proprietatem: quemadmodum Ligna quædam arida sunt, ex quibus alimentum recipiunt homines, & quæ in stomacho per Calorem naturalem possunt digerere, veluti Cinnamomum, Gariophylla, Glandes &c. cum e contrario quædam sint mollioris constitutionis, quæ tamen nullam patiuntur mutationem & digestionem in corpore humano, sed e corpore excernuntur, prout in illud sunt immissa; uti sunt Cortices uvarum, & similia: alia esse, quæ ita perfecte digeruntur & commoluntur, ut quasi in pulverem redigantur: Hordeum, linum, cannabim, & res spongiosas nunquam commoli. Hæc omnia fieri ex certa proprietate naturali, quam res istæ habent. Cui similem quoque aliquam habuerit Manna Divinum.*

Respondet; Quia multæ & magnæ differentiæ sunt inter Manna Divinum, & Manna medicinale, tum ex parte materiæ & compositionis, tum ex parte formæ; hinc etiam clarum evadit, quod non sint unum & idem. Non negamus, in rebus naturalibus esse accidentia, pro ratione qualitatum & proprietatum ex formis consequentium: sed quis coget nos dicere, Manna divinum fuisse naturale, cum inveniamus alterum, Naturale sc. illi nullo pacto esse simile? Quin &, si ambo naturaliter generentur in aere, & ex materia vaporum, quare proprietates & qualitates ipsorum sunt contrariæ, cum nulla sit in formis illorum contrarietas, quæ proprietatum seu qualitatum illarum contrarietatem causetur? Nulla alia hujus rei causa est, quam quod unum sit naturale, alterum miraculosum. Quid itaque tritico commune cum palea?

Septimo: Manna Divinum fuit alimentum laudabile, & magis temperatum quam omnia alia alimenta, generavit sanguinem optimum & purissimum, totum conversum fuit in nutrimentum sine omni superfluitate, neque generavit excrementa in intestina descendentia. Unde Sapientes nostri de eo dixerunt, היה נבלע באברים *absorptum fuit in membris*, h. e. totum conversum fuit in nutrimentum membrorum, עובר מעט מהעיכול facilis fuit digestionis, neque, ut alii cibi, corpus gravabat. Unde vocatum fuit לחם הקלוקל Panis levissimus, quod leve & facile fuerit corpori. Manna autem medicinale non est alimentosum, neque ex eo generatur sanguis, והוא משלשל בלבד sed purgat tantum.

Excipiunt: *Hanc proprietatem in Manna Divino consequutam fuisse ex forma: & quod Suavitas gustuum in eo fuerit pro ejus præparatione, quemadmodum sapor variatur in farina & carne, pro diversa eorum præparatione.*

Respondet: Facile esse ad hoc respondere. Nam quod res aliqua sit vel Cibus, vel Medicina, hoc esse הבדל עצמי differentiam essentialem. Fieri non posse naturaliter, ut in aere generetur aliquid compositum ex quatuor elementis, vel aptum ad nutritionem: neque pluviam, neque rorem, neque pruinam, nivem, grandinem, & reliqua, quæ in aere generantur, nutrire animalia: quomodo itaque Manna, si naturale esset, nutriendi vim haberet? Proinde cum fuerit res quæ alendi virtutem habuit, & cibus

bus laudatiſſimus, ex eo neceſſario ſequi, quod fuerit res miraculoſa, non naturalis. Hinc ſcribit & R. Levi in Commentario in Legem: *Sciendum eſt; miraculum hoc Mannæ fuiſſe valde prodigioſum, cui ſimile nullo unquam tempore factum fuit;* כי לא יתהוה מאלו האידים העולים באויר דבר יתכן שיהיה מזון *quia ex vaporibus in aerem aſcendentibus nulla res generatur, quæ poſſit eſſe pro cibo, id quod cuivis conſtat vel leviter rerum naturalium ſcientia imbuto. Quod enim eam naturam habeat, quam habuit Manna Divinum, debet generari ex commixtione elementorum* &c.

Octavo: Manna Divinum deſcendit die quovis ſexto in duplo, die vero Sabbathi prorſus non deſcendit. Tale nihil fit circa Manna medicinale. Unde manifeſte arguitur, non fuiſſe naturale, quia hoc ſemper eodem modo decidit, ſed miraculoſum, deſcendens ſecundum ordinationem Divinæ voluntatis, ejuſque providentiam.

Excipiunt; *Hoc non contigiſſe, niſi quando prima vice deſcendit, ut ipſis per hoc miraculum Signum Sabbathi confirmaretur: poſtmodum aliter fuiſſe. Hinc Numeror. cap.* 11. *non commemorari, quod liquefactum fuerit a calore Solis, neque quod vermes produxerit, & putrefactum fuerit: non etiam dici illic, quod quotidie collegerint quantum opus haberent, neque quod ſexto die duplum collegerint, vel quod die Sabbathi non deciderit; quia ſcilicet iſta omnia deinceps fuerint mutata pro natura locorum, ſicut de fructibus ſolet fieri, ut in uno loco putreſcant facile, in alio vero non; de Pruina item & Glacie, quæ in uno loco facile liqueſcunt, in alio non item.*

Reſpondet ad hæc *primo*: Hiſtoriam teſtari, Moſen ira efferbuiſſe contra eos, qui de Manna retinebant in craſtinum, v. 20. & de illis, qui in Sabbatho egreſſi erant ad colligendum, ſed nihil invenerant, dixiſſe Deum; *Quouſque renuetis cuſtodire præcepta mea, & Leges meas?* Si hæc non fuerunt continua, quomodo in eos effervelcere potuerit Moſes? vel Deus eos hac ratione increpare & redarguere? Ideo nempe hoc factum, ut impoſterum cautiores eſſent: *ſecundo*; illos Sabbathi ſanctitatem didiciſſe ex Manna; quod ſi ergo ſtatim ille ordo ceſſaſſet & deſiiſſet, potuiſſe illos dicere, Sabbathi ſanctificationem ceſſare: *tertio*, quod ad locum ex libro Numerorum attinet, non opus fuiſſe, ut Lex ea quæ jam ſemel dixerat in Exodo, in hoc loco denuo repeteret: ſed ea tantum ibi recenſere, quæ hactenus non fuerunt nota. Hinc referri ibi de Manna ea quæ ad ejus perfectionem ſpectabant, ad reatum & culpam populi murmurantis exaggerandam; non autem omnia reliqua, quæ huc non ſpectarunt, & jam in Exodo ſcripta fuerunt: *quarto*, Exodi 16. poſt hiſtoriam Mannæ recenſitam ſubjungi v. 35. *Porro filii Iſrael comederunt Manna* 40. *annis, donec* (e deſerto) *ingrederentur in terram habitatam: Man comederunt donec venirent ad extremitatem terræ Canaan*: quibus verbis innuatur, illos per 40. annos ſemper & ubique eodem modo Manna comediſſe, donec venirent in terram habitatam, ac proinde, quæcunque de Manna hic dicuntur, per 40. annos duraſſe.

Nono Manna deſcendebat in omnibus locis, in quibus caſtrametabantur. Ergo non fuit res naturalis.

Excipiunt; *Poſſe dici, Caſtrametationes & profectiones illorum ſequutas ſeu inſtitutas fuiſſe ſecundum loca, in quibus Manna deſcenderet, quia Nubes nunquam receſſit a Tabernaculo, quamdiu Man continuavit in loco caſtrametationis ipſorum; cum vero Manna incipiebat deficere, ablata fuit Nubes, & Arcam fœderis Domini præceſiſſe ad explorandam illis requiem, caſtrametationem faciendo in illo loco in quo Manna deſcenderet, & Aqua reperiretur.*

Reſpondet ad hoc: המדבר כולו היה מטבע אחד Totum deſertum fuiſſe ejuſdem naturæ. Nihil itaque cauſſæ fuiſſe, cur in uno loco magis decideret quam in alio, aut in uno loco magis ceſſaret quam in alio, omnibus anni menſibus. Teſtari enim Scripturam, accidiſſe quandoque, ut Nubes maneret a veſpera uſque ad mane, & mane auferretur, quandoque manſiſſe per dies duos & noctem unam, & ea ablata profectos eſſe: In Kadeſch eos manſiſſe novendecim annos, ſicut dicitur; *Et habitaſtis in Kadeſch diebus multis*, Deut. 1. 46. & idem ſcribitur in Seder Olam. Quomodo illic naturaliter continuari potuerit Manna per 19. annos ſine intermiſſione, & alibi in loco non procul diſſito tantum diem unum, aut biduum? Naturaliter utique hoc non potuiſſe fieri. Ut hæc nihil aliud ſint, quam ברורת הכופרים futilia deliria hominum fanaticorum. Nam Manna deſcendit miraculoſe, ſecundum Divinam voluntatem, in locis illis, in quibus caſtrametabantur, & ſequebatur Manna caſtrametationem, non Caſtrametatio Mannam.

Decimo; Quia Manna tranſiit cum ipſis Jardenem, neque ceſſavit uſque ad menſem Niſan ſeu Martium, juxta ſenſum literalem. Nam, juxta Aben Eſræ ſententiam, Manna tranſivit cum ipſis uſque in Gilgal, ubi invenerunt frumentum no-

vum, & de proventu terræ Canaan comederunt; & tum demum cessavit. Atqui constat, Manna medicinale descendere mense Martio & Aprili, veris sc. tempore. Cum itaque Manna Divinum tum cessaverit, quando illi comederunt de proventu terræ, sequitur, id quod ad necessitatem ipsorum antea requirebatur, miraculose descendisse, quandiu eo opus habuerunt, cessasse quando habebant fructum terræ. Cum quo consentiunt Sapientes nostri, qui dixerunt, Manna incepisse deficere eo die quo mortuus fuit Moses, Israelitas autem quantum satis erat ad comedendum habuisse ex eo quod collegerant a die 7. Adar seu Februarii, usque ad 15. Martii, quo inceperunt comedere de proventu terræ. Ut sic plurima miracula hic concurrerint. Hæc [inquit Abarbenel] ratio certe solidissima est, cuivis sana mente prædito, neque inveni quid contra excipiant.

Undecimo: Aliud argumentum peti potest ex eo, quod Deus præcipiendo dixit Mosi; *Imple Omer ex eo ad custodiam pro generationibus vestris, ut videant cibum, quo vos alui in deserto*, v. 32. Quod si enim Manna hoc fuit naturale, ejusdem essentiæ cum Manna medicinali nostro, ut quid præcepit Deus illud reponere in custodiam? Quod hic fuit miraculum, ut ejus memoria tenenda fuerit in omnes generationes? Qnam ob causam adeo pretiosum fuit, ut Deus præceperit illud reponi in intimum Sanctuarii penetrale, juxta Arcam fœderis Domini? Hoc utique manifeste docet, Manna istud fuisse rem miraculosam & præternaturalem.

Duodecimo: Deuteronomii cap. 8. v. 3. dicit Moses ad Israelitas, *Et affixit te, & esurire fecit te, & cibavit te Manna, quod neque tu noveras, neque Patres tui; ut te scire faceret, quod non ex solo pane vivat homo, sed omni eo quod egreditur ex ore Domini*. Et v. 16. *Qui pavit te Manna in deserto*. Hinc dico; Si Manna illud descendit naturaliter, sicut Manna medicinale nostrum, מה היתה התמיהה בזה quid miri fuit in eo? Quomodo de eo dicit Moses, *Quod neque tu noveras, neque Patres tui*? Quæ enim naturalia sunt, nota sunt hominibus. Quare vocat illud *Id quod egreditur ex ore Domini?*

Atque hæ sunt Rationes ex Scriptura petitæ, quibus Abarbenel probat, Manna fuisse rem miraculosam, imo, ut, Aben Esra scribit, מהנפלאות היותר גדולות שנעשו ע״י משה *Miraculorum omnium, quæ Israelitis per Mosen facta sunt, maximum*. Eas ipsiusmet verbis magna ex parte referre, & Lectori dijudicandas proponere volui.

Atque huic sententiæ plerique ceteri subscribunt,

R. Moses bar Nachman: והנכון בעיני כי היה הפלא במן גדול מאד כי השלו הניז אותו מן הים ברוח נסע מאתו כדרך העולם אבל המן נוצר להם עתה יצירה חדשה בשמים כענין מעשה בראשית והוא מה שאמרו בו שנברא בין השמשות וכו׳: *Meo vero judicio maximum miraculum fuit in Manna. Nam coturnices advexit ipsis per ventum a se excitatum modo consueto, Numer. 11. 31. Sed Manna creatione nova nunc ipsis creatum fuit in cœlo, sicut opera Creationis. Et hoc est quod Rabini nostri de eo dicunt, quod creatum sit inter Soles*, h. e. sub vesperam Diei sexti creationis, in Pirke avoth cap. 5. *Hinc dicit Scriptura; Ex signo quod Deus faciet vobis vespere, scietis, quod ipse eduxerit vos e terra Ægypti. Nam præparabit vobis mensam in deserto: sed ex Miraculo maximo quod facturus est vobis mane, videbitis Gloriam regni ejus, quod nemo sit in cœlo & in terra, qui possit facere secundum opera ipsius &c.*

R. Bechaj mihi fol. 83. col. 3. & 4. *Coturnices & Manna inceperunt venire prima die Septimanæ, & duraverunt Coturnices æque per 40. annos, perinde ac Manna: & quod de Manna solo Scriptura dicit, v.* 35. Et comederunt Manna per 40. annos; *idem quoque intelligendum est de Coturnicibus, quod illas comederint 40. annis; alterum obvenit ipsis de Nocte, alterum Interdiu*. אבל מפני שהיה הפלא גדול במן יותר מאד שנוצר להם יצירה חדשה בשמים לכן הזכיר הפלא הזה לבדו כי עמד להם ארבעים שנה *Sed quia Miraculum circa Manna multis modis majus fuit, quia de novo ipsis creatum fuit in cœlo; idcirco Miraculum hoc peculiariter de eo refert, quod permanserit ipsis per 40. annos*.

R. Isaac ben Aramah in *Akedas Jizchak*; ad; *Quia nesciverunt quid esset*; scribit: *Quod si novissent illud, non ita appellassent: nam Manna quod illi esse existimarunt, est* תרופיי Medicinale; *hoc vero erat* מזוניי Alimentare, *qua de causa Moses ipsis dixit*; Hic est panis, quem Dominus vobis dedit in cibum; *q. d.* Non *est id quod vos arbitramini, sed est* מסעד ומזון אלהי אשר הזמין אותו לכלכלכם שם משׁשת ימי בראשית והוא משומר ובא לעת הזאת *Cibus Divinus, quem præparavit Deus ad sustentandos vos inde a sex diebus Creationis, & ab eo tempore reservatus hoc tempore venit, sicut ceteræ res, quas Sapientes nostri dixerunt creatas fuisse in vespe-*

vespera Sabbathi, *seu sexto die Creationis* (in Pirke avoth cap. 5. ubi vide Abarbenelem.)

Sic R. Levi ben Gerson, cujus verba antea sunt producta ab Abarbenele.

Hoc idem confirmat, quod secretiores ipsorum Theologi Cabalistæ de Mannæ origine scribunt, neque hoc loco silentio prætermittendum, quia videntur Veteres sublimius aliquid sub eo occultasse.

R. Moses bar Nachman scribit : ודע כי יש במן ענין גדול רמזוהו רבותינו במסכת יומא לחם אבירים אכל איש לחם שמלאכי השרת אוכלין דברי ר׳ עקיבא׃ אמר לו ר׳ ישמעאל טעית וכי מלאכי השרת אוכלין לחם והלא כבר נאמר לחם לא אכלתי ומים לא שתיתי אלא לחם אבירים לחם שנבלע באיברים׃ h. e. *Scito quod magnum mysterium lateat in Manna, quod indigitarunt Rabbini nostri in Massecheth Joma cap.* 8. *fol.* 75. *col.* 2. *his verbis*: Panem robustorum comedit quisque, Psal. 78. v. 25. *h. e. Panem quem comedunt Angeli, uti exposuit R. Akiva. Quem tamen hoc nomine reprehendit R. Ismael, ei dicens ; Errasti : num enim Angeli comedunt Panem? numquid scriptum legimus*, (de Mose, simili facto Angelis in monte per 40. dies) ; Panem non comedi, & aquam non bibi, Deut. *9. 9. 18.?* Proinde *Panis* אבירים *significat hoc loco*, Panem, qui absorbetur באיברים in membris [h.e. *qui totus in iis in succum & sanguinem convertitur*]. Pergit R. Moses & pro confirmatione sententiæ R. Alkivæ scribit; *Quod R. Akiva dixit, id ita intellexit*, שקיום מלאכי השרת בזיו השכינה *quod Angeli sustententur per splendorem Gloriæ & Majestatis Divinæ. Sic ludunt in eo quod dicitur Neb. 9. 6.* Et tu מחיה vivificas omnia hæc [inter quæ & Exercitus cœlorum, ut ibi præcedit]; *dicentes*, *seu exponentes* ; מחיה לכלם Esca vel Cibus es omnibus illis. *Et de hoc dicitur*; ומתוק האור Dulcis est lux, Eccles. 7. v. 11. *quia in illa Luce dulcem gustum deprehendunt*. והמן הוא מתולדת האור העליון שנתגשם ברצון בוראו ית׳ ונמצא שאנשי המן ומלאכי השרת ניזונין מדבר אחר *Manna autem generatum est ex Luce illa superna*, *ex voluntate Dei creatoris sui incorporata* (corporea facta, *quia dicitur* ; Et depluit super eos Man, & frumentum cœlorum dedit eis.) *Reprehendit autem eum R. Ismael; quod Angelorum sustentatio non fiat* בדבר המתגשם מתולדת האור *per Rem incorporatam ex Luce superna; sed* באור העליון עצמו *per Lucem supernam ipsam. Et hac de causa invenerunt Israelitæ in Manna quicquid voluerunt. Anima enim cogitatione sua hærens in supernis, invenit requiem, vitam, & educit benevolentiam a Domino. In Mechilta scribitur:* היום אין אתם מוצאים אותו אבל אתם מוצאים אותו לעולם הבא *R. Eliesér ben Chasma dixit* ; (*sc. ad*, Hodię non invenietis illud, v. 25.) Hodie non invenietis illud, sed invenietis illud in sæculo venturo. *Dictum hoc duas admittit expositiones; primo, quod inter eos, qui sæculo venturo seu vita æterna fruuntur, quidam sint, quorum gradus non eo usque pertingit* ליהנות תמיד מזיו השכינה ויהיה קיומם בדבר המתגשם *ut semper fruantur splendore Majestatis Divinæ, sed qui sustententur per rem incorporatam. Et hi in eodem gradu constituuntur cum Israelitis in deserto, qui apprehenderunt Splendorem Majestatis Divinæ ad mare, unde Sapientes nostri dixerunt* ; Ancilla ad mare vidit, quod Ezechiel Propheta non vidit : *Etenim ab ea hora hanc dignitatem & præcellentiam nacta est anima eorum, ut fruerentur Eo quod ex Splendore seu Luce Divina generatur, Manna videlicet. Rectius autem mihi videtur, ut ex mente R. Eliesér ben Chasma per vocem* היום Hodie, *intelligatur* ; שבני העולם הבא יהיה קיומם ביסוד המן שהוא הזיו העליון כמו שאמרו אין בו לא אכילה ולא שתיה אלא צדיקים יושבים ועטרותיהם בראשיהם והן נהנין מזיו השכינה שבני העולם הבא יתקיימו בהנייתן מזיו השכינא בעטרה שבראשם והעטרה היא המדה הנקרא כן שאמר בה הכתוב יהיה יי׳ צבאות לעטרת צבי ובה נאמר בעטרה שעטרה לו אמו רמזו על קיום בני העולם הבא ורמזו על עיקר המן וכו׳׃ h. e. *quod filii sæculi venturi habeant subsistentiam seu sustentationem suam per elementum vel principium Mannæ, quod est Lux superna & Divina, sicut ajunt*; In sæculo venturo neque edunt, neque bibunt, sed Justi sedent cum coronis in capitibus suis, & aluntur Splendore Majestatis Divinæ. *Fruuntur autem vel sustentantur a Gloria Majestatis Divinæ, dum adhærent Deo & conjunguntur cum eo*; Corona capitis ipsorum *est Proprietas Dei*, *quæ sic vocatur*, *de qua dicitur* ; Dominus erit לעטרת in Coronam Decoris, Esa. 28. 5. Item; *Videte Regem in Corona*, *qua coronavit eum mater sua*, Cantic. 3. 11. *Et sic innuunt his verbis tum de alimonia seu sustentatione filiorum sæculi venturi*, *tum de fundamento seu principio Mannæ. Præterea dicit Scriptura*; Mandavit Nubibus desuper, & januas cœli aperuit, & depluit super eos Man, & triticum cœli dedit eis, panem robustorum [Angelorum] comedit quisque Psal. 78. 23. 24. 25. *Item*; Et pane cœli saturavit eos, Psal. 105. 40. *Ex quibus dictis liquet*, *frumentum hoc esse in Cœlo*, *& inde demissum esse per apertionem januarum ejus*, *quod idem ipsum*

est

est quod dixi, Lucem illam Divinam esse incorporatam. Nam de illa ita loqui solet Scriptura; ut; Et aperti sunt cœli, & vidi Visiones Dei, Ezech. 1. 1. *vel quod jam antea fuerit in cœlo, sicut Rabbini nostri dicunt, Manna creatum esse in vespera diei sexti Creationis.*

Idem in libro Toras Adam, parte ultima, quam vocat שער הגמול Portam Retributionis, fol. 105. col. 3. והנה ראונו כי זכות הנפש קיום גופם בדברים הדקים והזכים מהם בדקים מן הדקים כי אנשי המן נתקיימו במן הנבלע באיברים שהוא מתולדת האור העליון המתגשם ברצון בוראו יתברך וזכו במדבר משעה שנתעלית נפשם וכו': *Et ecce videmus, quod meritum vel justitia Animarum sit a sustentatione corporis ipsarum per res Subtiles & puras, & quarundam per res omnium subtilissimas. Sic Israelitæ Manna comedentes sustentati & nutriti fuerunt Manna, quod in membris ipsorum absorptum fuit, & est ex generatione lucis Supernæ incorporatæ per voluntatem Dei creatoris sui* &c. Videatur & R. Bechaj m. fol. 83. col. 1. & 84. 1.

Similia quædam leguntur in Zohar, in Exod. fol. 27. col. 4. & fol. 28. in פרשת המן sectione de Manna, sed obscurius: ת״ח כל יומא ויומא נטיף טלא מעתיקא קדישא לזעיר אפין ומתברכין כל חקל תפוחין קדישין ומההוא טלא אנגיד לאינון דלתתא ומלאכין קדישין אתזנו מניה כל חד וחד כפום מיכליה: הה״ד לחם אבירים אכל איש דהא מההוא מזונא אכלו ישראל במדברא: *Tradiderunt Sapientes nostri; singulis diebus destillat Ros ab Antiquo sancto in Juniorem facie, & benedicuntur omnes agri pomis sanctis. Et ab illo Rore derivatur in inferiores, & Angeli sancti aluntur eo, quisque quantum comedere potest. Hoc scilicet est quod dicitur Psal.* 78. Panem robustorum comedit vir. *Nam de illo cibo comederunt Israelitæ in deserto. R. Simeon dixit; Qui autem sunt illi, qui eo tempore illo Manna cœlesti nutriti fuerunt? Respondit: Hi sunt Sapientes, qui diu noctuque student in Lege. Alter excipiens porro dixit;* כי סלקא דעתך מההוא ממש *An existimas illo Manna ipso? Respondet;* לא אלא כעין ההוא מזונא ממש דשקיל על חד תרין *Non: sed cibo ei simili, qui duplo plus valet, vel pretiosior est &c.* Et fol. 28. col. 3. *R. Eliesér* dixit; מהאי מנא זמינין צדיקיא למיכל לעלמא דאתי ואי תימא בהאי גוונא לא אלא יתיר דלא הוה כן לעלמין *De illo Manna comesturi sunt Justi in sæculo futuro: si dixeris, An eo modo* [quo Israelitæ olim comederunt]? *Dico, nequaquam, sed longe excellentiori, qualiter nunquam factum fuit, sicut scriptum est.* Ad videndum amœnitatem Domini, & inquirendum in templo ejus, Psal. 27. 4. *Item;* Oculus, o Deus, non videt præter te &c. Esa. 64. 3.

In his mysteriodes est, quod dicitur de עתיקא קדישא *Antiquo sancto;* & זעיר אפין *Juniore facie*. Ille ibidem aliquoties etiam vocatur עתיקא סתימאה Antiquus absolutus; Hujus etiam iterum mentio col. 2. בההיא שעתא נטיף טלא קדישא מעתיקא סתימאה ומליא לרישיה דזעיר אפין אתר דאקרי שמים ומההוא טלא דנהורא עלאה קדישא הוה נגיד ונחית לתתא וכד הוה נחית הוה מתפרש גלידין גלידה ואקריש לתתא *Ea hora destillavit Ros Sanctus ab Antiquo sancto absoluto, & implevit caput Junioris facie, in loco qui vocatur Cœlum. Et de illo Rore Lucis supernæ sanctæ derivatum fuit, & descendit in terram, cumque descendit, separatum fuit in guttas q. pruinæ, & congelatum fuit inferius &c.* Qui vult, videat ibi plura.

Hæc producere volui, tum quod sententiam Abarbenelis pro miraculosa Mannæ natura & productione eleganter confirment, tum quod ex illis appareat, Veteres Hebræorum Patres quoque sub hoc cœlesti Manna mysteria latentia contemplatos esse, tum etiam quod aliqua fortassis ex illis erui possint a sagaciori ingenio præditis, ad illustranda ea quæ in N. Test. de Manna leguntur, Joh. cap. 6. & 1. Cor. 10. 3. Dicunt nempe, *Manna principium & originem suam habuisse e cœlo, esse a Splendore & Luce a Deo egrediente, sed miraculoso & ineffabili modo, per solam Dei voluntatem & omnipotentiam, incorporata;* Sic Christus principium & originem suam habet e cœlo, est Lumen de Lumine, a Patre egrediens, Splendor gloriæ ipsius, per assumptam carnem propter salutem nostram corporeus factus, Panis cœlestis, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ita quod Apocal. cap. 2. 17. legitur de *Manna abscondito*, haud inconcinne explicari potest על יסוד המן de eo quod vocant *Elementum seu Principium Mannæ*, quod in cœlo & nihil aliud est, quam Lux, Gloria & Splendor incomprehensibilis Majestatis Divinæ, quo fruuntur beati Angeli & Animæ in cœlo, per quem cum Deo conjunguntur, & in æternum vivunt. Tantum de his.

Plura quidem Miraculosa, quam hactenus recensita sunt, præter Scripturam notant Hebræi. Ea hic præterimus. De quibusdam in sequentibus dicendi dabitur occasio.

CAPUT III.

De Forma, Colore & Sapore Mannæ.

DE Mannæ *Forma* ſcribit Moſes, Exod. 16. v. 14. quod fuerit דק מחספס דק ככפור על-הארץ *Tenue vel ſubtile, rotundum, tenue ſicut pruina ſuper terram.* & Numeror. 11. 7. והמן כזרע גד הוא Et *Manna erat ut ſemen Coriandri.*

מחספס quod nos vertimus *Rotundum*, nuſpiam præterea in Scriptura reperitur, unde diverſimode ab Interpretibus explicatur. Quidam reddunt *Decorticatum*, quaſi idem eſſet quod מחסף, vel מחשף per geminationem tertiæ radicalis: nam חשף eſt *Decorticare*. Hoc ſenſu reddidit Onkelos מקלף Id ſequitur etiam R. Bechaj, & quidam alii. Plerique tamen alteram interpretationem ſequuntur, & exponunt, מגולגל ועגול *Orbiculare & rotundum*: quia quin hanc habuerit figuram de eo nullum eſt dubium; cum dicatur fuiſſe כזרע גד ſicut *ſemen Coriandri*, ratione ſc. formæ & figuræ, non coloris. Sunt tamen nonnulli, qui ad colorem hunc referunt. Unde in Zohar, ſect. בהעלותך explicatur כזרעא דגדא חוורא *ſicut ſemen coriandri album*. Prius autem rectius videtur.

De Colore, Exod. 16. 31. dicitur fuiſſe לבן *Album*: & Num. 11. 7. ועינו כעין הבדלח *Et oculus* h. e. *color ejus erat ſicut color* bedolach.

De colore albo nullus eſt ſcrupulus: quid בדלח ſit, variant nonnihil Interpretes. Alii reddunt *Bdellium*, quod etiam nomen volunt eſſe Lapidis alicujus pretioſi, albi coloris. Sed hæc vox videtur derivata e voce Hebræa בדלח *Bodolach*. Alii *Carbunculum*: ſed hoc non quadrat, quia ratione coloris albi cum hoc lapide comparatur Manna. Itaqne plerique reddunt vel *Cryſtallum*, ut R. Salomon, cum quo faciunt LXX. Interpretes, vel *Margaritam*, ut Abarbenel & alii plures. Et hæ duæ ſignificationes ad præſentem ſcopum omnium maxime videntur accommodatæ. Videtur enim ſignificari, Manna fuiſſe rotundum, album & purum ſeu pellucidum inſtar glaciei, cryſtalli, vel margariti puri. Hinc comparatur cum *Pruina*, in glaciem ſc. a frigore condenſata. In quem ſenſum Sulpicius Severus Hiſtor. Sac. cap. 1. ſcribit: *Poſtero autem die animadvertunt, qui extra caſtra proceſſerunt, parvis quibuſdam ſiliquis oppletum ſolum, quarum ſpecies, in modum Coriandri ſeminis, glaciali albedine erat, ut crebro hybernis menſibus pruinis terram tegi videmus.*

De Sapore dicit Moſes; וטעמו כצפחת בדבש *Et guſtus ejus erat ut placenta, vel, cruſtula mellita*, Exod. 16. v. 31. Sed Numeror. 11. v. 8. והיה טעמו כטעם לשד השמן *Et fuit ſapor ejus ſicut ſapor humoris olei.*

Quærunt hic Interpretes, *Quomodo hæc concilianda, quod uno in loco dicatur fuiſſe ut* Cruſtula mellita; *in altero, ut* oleum?

Aben Eſra ſcribit; כשיאכל כאשר ירד הוא כצפיחית בדבש ואם יבושל יהיה טעמו כלשד השמן אלה השנים מטעמים הראנו הכתוב *Comeſtum quemadmodum decidit, fuit dulce ſicut cruſtula mellita: coctum, ſapor ejus erat inſtar humoris olei. Iſtos duos ſapores oſtendit nobis Scriptura.*

Sic ſcribit Abarbenel; *Man fuiſſe a ſeipſo dulce, & Exod. 16. 31. loqui de ejus guſtu Scripturam,* כמו שהוא מבלי בשול כלל *qualis fuit ſine ulla coctione & præparatione; Dulcis ſc. ut mellis vel ut placentæ cum melle comeſtæ: ſed Numeror. 11. loqui Scripturam de ejus guſtu, qualis fuit* אחר הבשול והתקון *poſt coctionem & præparationem; hinc dici ibi v.* 8. Et diffundebat ſe populus, & colligebant, ac molebant in molis, conterebant in mortario, & coquebant in cacabo, faciebantque ex eo placentas ſubcinericias; ſapor autem ejus, *ſc. hac ratione cocti & præparati*, erat ſicut humor olei.

In Schemoth rabba ſect. 25. alia conciliationis ratio legitur. Locus integer ita habet: *Pſal. 145. v. 16. inquit David*; Aperis manum tuam, & ſaturas omne vivens לרצון voluntate; *Non dicit David*; Omne vivens מזון *cibo*; *ſed* רצון *Voluntate, quod det unicuique Voluntatem ſuam, quicquid deſiderat & appetit. Sic tempore futuro dabit Deus unicuique quod petiturus eſt. Si hoc tibi mirum videtur, conſidera quid Deus fecerit erga Iſraelitas in hoc mundo, demiſit ipſis Manna,* שהיה בו מכל מיני טעמים *in quo fuerunt omnes ſpecies ſaporum, ut unuſquiſque Iſraelitarum guſtaret quicquid appeteret. Ita enim ſcriptum eſt*; Jam quadraginta annis Dominus Deus tuus fuit tecum, לא חסרת דבר neque caruiſti ulla re; *Quid eſt*, Non caruiſti ulla re? *Si quis rem aliquam deſiderabat, & ore ſuo dicebat,* אלו היה פטמא א׳ לאכול *Utinam haberem altile aliquod veſcendum!* מיד היה לתוך פיו טעם פיטמא e

veſti-

vestigio habebat manna in ore ejus gustum illum, quem dicebat, & Deus fecit voluntatem illorum. R. Abba dicebat; Non opus fuit, ut ore suo hoc diceret quod vellet; sed si in corde suo duntaxat cogitabat, quod anima ejus desiderabat, Deus fecit voluntatem ejus, & gustabat saporem illius rei quam appetebat. Hoc scilicet est id quod Ezechiel dicit; Et Panem meum, quem dederam tibi, & Oleum, & Mel, quibus cibavi tē, posuisti coram eis, Ezech. 16. v. 19. *Primo* scilicet de Manna *dicitur;* Ecce depluo vobis panem e cœlo, Exod. 16. 4. *Secundo;* Et gustus ejus erat sicut placentæ mellitæ, ibid. v. 31. *Tertio;* Et gustus ejus erat sicut gustus humoris olei, Num. 11. &c. כיצד מתקיימין ג׳ כתובין הללו *Quomodo conciliantur ista tria Scripturæ loca? Ita: Juvenes in eo gustabant gustum Panis; Senes, gustum Mellis; Infantes, gustum Olei.*

Postrema hæc leguntur etiam in Talmud Joma cap. 8. fol. 75. col. 2. & col. 1. טעם כל המינין טעמו במן טעם חמשת המינין הללו לא טעמו בו וחד אמר טעם כל המינין טעמו טעמן וממשן והללו טעמן ולא ממשן: *Gustum omnium specierum gustarunt in Manna; sed quinque istarum specierum* [quarum mentio Numer. 11. v. 5. Cucumeres, Pepones, Porrum, Cepæ & allium] *gustum non gustarunt. Alius dixit; Omnium reliquarum specierum gustum & substantiam perceperunt in Manna; harum quinque specierum duntaxat gustum, non etiam substantiam.*

Iterum eadem pag. explicatur locus, והיה טעמו כטעם לשד השמן hoc sensu; *Et fuit gustus ejus, sicut gustus Mammæ pinguis,* h. e. *succulentæ* (ut sc. ל sit servile non radicale, quemadmodum & R. Jehuda sensit): אמר ר׳ אבהו מה שד זה תינוק טועם בה כמה טעמים אף המן כל זמן שישראל אוכלין אותו מוצאין בו כמה טעמים· איכא דאמרי לשד ממש מה שד זה מתהפך לכמה גוונין אף המן מתהפך לכמה טעמים: h. e. *Rabbi Asbu dixit; quemadmodum lactens in Mamma varios gustat gustus* (pro varietate sc. ciborum, quibus Mater vescitur): *ita quandiu Israelitæ comederunt Manna, reperiebant in eo varios gustus. Quidam ita explicarunt: Quemadmodum mamma convertitur in varias species seu colores, ita Manna conversum fuit in varios gustus.*

Hinc & Abarbenel inter miracula Mannæ refert, שהיו משתנין במן טעמים אם בשבת לשאר הימים ואם כפי המקבלים והאוכלים וכמו שאחז״ל לחם משנה לחם משתנה כפי האוכלים ילדים ובחורים וזקנים *quod in Manna mutati fuerint Sapores, tum respectu Sabbathi, & reliquorum dierum, tum ratione comedentium, sicut Rabbini nostri dicunt; Exod. 16. 22. vocari* Panem משנה, *quod* משתנה *mutatus fuerit pro diversitate comedentium, Puerorum, Juvenum, & Senum.* Sic alii.

In antiquo libro Zohar sect. בשלח fol. 28. 2. כל אינון בני מהימנות׳ נפקי ולקטי ומברכן שמא קדישא עליה וההוא מנא הוה סליק ריחא דכל בוסמין דגנתא דעדן דהא ביה אתמשך ונחית לתתא שויוה לקמיה בכל טעמא דאיהו בעי טעמין ליה h. e. *Omnes fideles egredientes & colligentes, benedicebant & gratias agebant Deo pro eo. Et illud Manna* (quod fideles collegerunt) *emittebat odorem omnium aromatum horti Edenis* [Paradisi] *e quo derivabatur & descendebat. Appositum alicui ad edendum, gustabat in eo saporem quemcunque volebat.*

Huc refertur, quod in lib. Sapient. cap. 16. v. 20. 21. de Manna dicitur; *Pro quibus rebus pane Angelorum populum tuum refecisti, ac panem omni pollentem voluptate, omnique gustui accommodatum, sine labore de cœlo ipsis demisisti: substantia enim sua suavitatem erga filios tuam declarabat, atque desiderio assumentis subserviens, se ad illius qualemcunque voluntatem temperabat.*

Quod si omnes species ciborum & eduliorum habuerunt & gustarunt sub Manna, quæritur, Quare Numer. 11. 6. dicunt, *Nihil quicquam præter Manna oculi nostri vident?* Si nihil ipsis defuit, & in Manna omnia habuerunt, quare ita dixerunt?

Respondetur in libro *Siphre; Manna quidem mutatum fuit Israelitis, in quamcunque rem voluerunt* (sc. ratione gustus & saporis)*;* שלא היו רואין בעיניהם אלא מן *sed oculis suis nihil videbant nisi Manna, unde dicunt; A mane ad vesperam usque nihil nisi Manna videmus.* Voluerunt scilicet habere varietatem ciborum tum quoad gustum, tum quoad aspectum.

Huc referri potest quod R. Bechaj elicit ex eo quod loco citato dicitur: *Colligebant, ac molebant illud in molis, conterebant in mortario, coquebant in cacabo, faciebantque ex eo placentas subcinericeas;* quod his verbis indicet Scriptura aliud circa Mannam miraculum; כי היה ראוי בכל מיני התקון ללקטו ולאוכלו כאשר הוא גם לטחון אותו ברחים של יד גם לדוכו במדוכת סלע ושל אבן גם לבשלו בקדירה ובכל מיני התקון האלה היה טעמו טעם נכבד כטעם לשד שמן *quod sc. fuerit aptum omnis generis præparationibus; potuisse colligi & edi prout deciderat, moli in mola manuaria, contundi in mortario ligneo vel lapideo, elixari in olla: & quocunque modo præparatum,*

gustum

gustum ejus fuisse eximium, ut humoris oleosi & pinguis. Dicit etiam, hoc opponi ei quod Israelitæ dicebant; *Anima nostra exarescit*; significando, Manna ita comparatum fuisse, ut animam potius humettarit & irrigarit, quam arefecerit.

Quæ in his Hebræi de Manna scribunt, non existimo ego, ad literam esse intelligenda, vel ab ipsis dicta, sed sunt מדרשים expositiones allegoricæ, quas suo more על דרך אסמכתא per levem & probabilem rationem aliquam ex Scriptura eliciunt, ad præstantiam Mannæ amplificandam, quod, sc. ceu cibus immediate a Deo e cœlo datus, omnes ciborum perfectiones & virtutes non solum habuerit, sed & superarit, ita ut merito, qui ejus facti sunt participes, eo contenti esse, & nil quicquam ulterius desiderare debuissent, neque de alicujus rei defectu queri. Formam habebat perfectissimam, rotundam; Colorem gratissimum, album; Substantia purum erat & pellucidum, instar crystalli; Sapore dulce, ut mel, & simul pingue & oleosum ad melius nutrimentum generandum: Generationem suam habebat non e terra, aere, vel aqua; sed immediate e cœlo.

Et tamen adeo ingrati fuerunt, ut illud mox fastidire cæperint, & Pisces, *cucumeres, pepones, porrum, cepas & allium* ei prætulerint, & concupiverint. Qua in re insignem suam prodiderunt ingratitudinem, & ingenii sui pravitatem. Cibi isti quos desiderarunt, sunt crudi, crassi, terrestres, putredini facile obnoxii, nec corpori, nec animo salubres, sed utrique nocentes. Manna erat, ut dictum, cibus omnium præstantissimus, non solum corpori salubris, sed & animo ac intellectui; illi vero hæc susque deque habentes nihil aliud quam quod palato, appetitui, cupiditati & voluptati suæ satisfaceret, appetebant. Ita secundum Apostolum, *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt*, Rom. 8. 5. Fuerunt ex numero eorum, de quibus Majemonides scribit in More nevochim; עובדי אדמה יבחרו לחם
מאכל הפחות ויבחרוהו על המאכל הטוב מאנשי המעלה: *Rustici eligunt sibi panem atrum & vilem præ cibo lauto hominum divitum & præstantium*. Quia carnales erant, concupiscentias & desideria carnis sequuti sunt. Hinc scribit R. Bechaj: לפי שהמן
היה מיסוד אחד בלבד והיה עצם פשוט לא מורכב כשאר המזונות והיה מחדד השכל
ומניע את האדם לידיעת המושכלות על כן היו מואסין ומבזין אותו ואומרים בלתי אל
המן עינינו כי זה היה הפך טבעם ולחוזק תאותם ולחסרון שכלם היו חושבים המעלה
הגדולה הזאת לחסרון כי טבעם הרע היה מעור עיני שכלם בבקשת העניינים הגופניים
וכו׳: *Quia Manna fuit ex Elemento duntaxat uno, & substantiam habebat simplicem, non compositam, ut cætera alimenta; quia etiam intellectum acuit, & hominem idoneum reddidit, ad intelligenda & capienda scibilia; ideo aversati sunt & contempserunt illud, dicentes*; Nil præter Manna vident oculi nostri. *Fuit enim Naturæ illorum contrarium, qui pro vehementia appetitus, & imperfectione intellectus sui, id quod omnium erat præstantissimum & perfectissimum, pro imperfecto habuerunt. Quare? quia Natura ipsorum mala excæcavit oculos eorum, ut nil nisi res corporales desiderarent*.

Cæterum sententiam illam de varietate saporis avide amplexi sunt quidam ex Patribus, Allegoriis delectantes. Hinc scribit Origenes: *Nunc ergo festinemus, cæleste Manna suscipere. Istud enim Manna, prout vult quisque talem saporem reddit in ore ejus. Audi enim & Dominum dicentem iis qui accedunt ad se*; Fiat tibi secundum fidem tuam. *Et tu ergo, si Verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota devotione suscipies, fiet tibi ipsum verbum, quodcunque volueris* &c.

In Homilia de Corpore & Sanguine Christi, quæ D. Hieronymo, sed falso adscribitur; *Quod si illius veteris Legis manna, de quo legitur*; Pluit eis Manna ut ederent, *hoc unicuique sapiebat, quod desideriis concupierat, aliudque erat quod sumebatur, aliud quod videbatur, invisibiliterque sapor ille in singulorum sensibus formabatur; si ergo illud veteris Legis Manna, cœlitus elapsum, per multimodas suavitates naturæ suæ meritum, & generis sui excedebat intuitum, & si creaturam suam dispensatio largitoris multiplici diversitate condiderat, ut præberet gustus, quod ignorabat aspectus, quia juxta recipientis desiderium, escæ illius novitas & dignitas nascebatur &c. quæ cum ita sint, quod illic aviditas faciebat, hic faciat fides &c.* Sic Comment. in Psal. 147. ad; *Et adipe frumenti satiat te*, scribitur; *Pinguissimus sermo Dominus est. Omnes habet in se delicias. Quicquid volueris ex Sermone Divino nascitur, sicut tradunt Judæi quod Manna, quod comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque, sic sapiebat in ore, ac si dixisset; Qui Manna comedebat, si desiderabat mala, si pyrum, si uvam, si panem, si carnes, secundum qualitatem & voluntatem comedentis, ita sapor & in manna erat: Sic &c.*

D. Chrysostomus Tomo 5. homilia, *Quod nemo læditur nisi a seipso; Hæc fuit natura mannæ, cibus quotidie novus, & saporem desiderio vescentium subministrans*.

Venerabilis Beda: *Istud autem, prout vult unusquisque, talem saporem reddit more illius.*

CAPUT IV.

De Quantitate Mannæ decidentis, & ab Israelitis collecti.

DE *Quantitate Mannæ decidentis* Scriptura Sacra nihil definit. Acumen autem Rabbinorum aliquid invenit, quod ad Miraculum hoc ex aggerandum faciat. In Talmud Joma fol. 76. col. 1. dicit R. Eliefer Hammodaj: מן שירד להן לישראל ששים אמה *Manna quod Israelitis decidit, fuit sexaginta cubitorum altitudinis.* [scil. super terram.] Quo fundamento? In historia Diluvii dicitur, וארבות השמים נפתחו Et *fenestræ cœli apertæ sunt*, Gen. 7. 11. De Manna eadem phrasi dicitur; דלתי שמים פתח *Januas cœli aperuit*, Psal. 78. v. 23. Atqui secundum ipsius calculum, Aquæ diluvii sexaginta cubitis supra terram invaluerunt. Ergo totidem etiam Manna. Egregia consequentia!

Ibidem sequitur: *Manna quod decidit Israelitis*, היה מתגבר ועולה עד שרואין אותו כל מלכי מזרח ומערב *invaluit & ascendit eousque, ut illud viderent omnes Reges Orientis & Occidentis, sicut dicitur*; Præparas coram me mensam coram inimicis meis, Psal. 23.

Hæc, & similia, hyperbolica sunt, neque ad literam intelligenda, sed ad exaggerandam amplitudinem beneficii Divini excogitata.

Melius placet, quod R. Bechaj observat ad id quod *Noctu* decidit: (nam mane surgentes, statim manna invenerunt:) *Noctu*, inquit, *decidit, dum illi dormirent in lectis suis, ut mane surgentes invenirent alimentum suum. Cui simile fuit quod tempore Domus Sanctuarii seu Templi primi, pluviæ descendebant in noctibus quartalium anni, & in noctibus Sabbathorum, non vero interdiu, ut non abstraherentur ab opere suo. Sic Chiskijæ, qui ad Deum benedictum dixit*; In me non est facultas occidendi & persequendi hostes; sed dum ego dormio super lecto meo, tu facies; *Deus respondit*; Ego faciam. *Hoc scilicet est, quod scriptum est*; Et factum est in illa nocte, & egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum, &c. *Rem hanc eleganter illustrat unicus versiculus*; Dat dilecto suo in somno, Psal. 127. v. 2. *Nam Deus dat amicis suis tempore somni, quod illi, qui mane surgunt, & in noctem usque laborando sedent, magno labore & molestia acquirunt. In vanum itaque est omnis mane surgentium labor; nam quod hi labore comparant, Deus amicis suis dat sine labore in somno.*

De Quantitate Mannæ ab Israelitis collecti, dicit Moses; זה הדבר אשר צוה יי׳ לקטו ממנו איש לפי אכלו עמר לגלגלת מספר נפשתיכם וגו׳ ויעשו כן בני ישראל וילקטו המרבה והממעיט : וימדו בעמר ולא העדיף המרבה והממעיט לא החסיר איש לפי אכלו לקטו: *Hoc est, quod præcipit Dominus: Colligite ex eo quisque pro suo (& suorum) cibo, Homer in caput, secundum numerum animarum vestrarum &c. Feceruntque sic filii Israel, collegeruntque alii plus, alii minus: postea mensi sunt in Homer, neque superfuit ei qui plus, vel defuit ei qui minus collegerat.*

Hoc Hebræi miraculo adscribunt, quod illorum alii plus, alii minus colligentes, tamen postea domi illud ad mensuram Homer metientes, in singula capita præcise Homer invenerint.

Abarbenel: *Quia hic cibus fuit Divinus, & a Deo datus e cœlo, noluit Deus, ut eo uterentur sicut aliis rebus materialibus, quas acervatim congerunt, & ex iis mercaturam exercent, vel pro hæreditate filiis suis recondunt. Unde inter homines alius est Dives, qui de pane suo dat pauperi; alius Pauper, qui ex eleemosyna vivit. Hæc vero proveniunt ex nimia abundantia, & impietate hominum: & magnopere impediunt perfectionem animæ. Idcirco dum Deus definivit Israelitarum alimentum in deserto, ita temperavit illorum sufficientiam & quantitatem, ut nec deesset ipsis aliquid, sed haberent panem suum quotidianum, neque etiam superesset, quod vel in thesauros reponerent, vel ex quo negotiationem facerent, sicut illi solent facere, qui cum frumento, oleo, vino, mercaturam exercent, ut divites fiant. Hinc dixit Deus*; Colligite ex eo quisque quantum comedere possit; *hoc est, non ut in horrea & penuaria reponat, vel mercaturam eo faciat, sed ut quod comedat habeat. Præscripsit autem* Homer in singula capita: *hæc enim mensura pro unoquoque sufficit; si alius plus comedat, rursum erit alius qui minus, ita ut pro omnibus sufficiat mensura Homer in capita. Homer autem scribunt Sapientes nostri continere tria Ova gallinarum mediocria, & quintam Ovi partem, quæ est mensura mediocris pro duobus prandiis: majori quantitate ipsis* opus

opus fuit, ob ejus levitatem & ſubtilitatem. Et fecerunt ſic filii Iſrael, & collegerunt quiſque pro domeſticis ſuis: *ſc. vel per æſtimationem, vel prout ſors ferebat. Quamvis autem dicatur;* Et fecerunt ſic; *id tamen non ita intelligendum, quod ſinguli ad menſuram collegerint, ſed ſecundum æſtimationem judicii ſui, quantum circiter conjecturabant & judicabant opus eſſe, ea mente, ut poſtmodum in ædibus ſuis illud metiantur, & ſi quid deficiat, rurſus exeant & colligant, aut ſi quid ſupereſſet, illud efferent: Factum autem eſt per miraculum magnum, ut domi illud quod collegerunt menſurantes ad Homer, neque is, qui multum collegerat pro pluribus ſuis domeſticis, plus inveniret quam Homer in ſingula capita, neque qui minus collegerat pro paucioribus perſonis, minus inveniret quam Homer præciſe in ſingula capita perinde ac ſi de cœlo admenſuratum eſſet unicuique quo opus haberet. Unde elegans hæc doctrina eruitur;* שבל אדם בעולם הזה קצובים לו מזונותיו *quod ſingulis hominibus definita ſint a Deo alimenta ſua. Et quando homo egreditur ex hac vita, pariter invenitur, quod Dives non abundet aut plus habeat; nam cum moritur, nihil quicquam ſecum ſumit, neque cum ipſo deſcendit in foveam gloria ejus: Pauper moriens non minus habet. Nam Deus dat panem omni carni &c.* In eundem ſenſum ſcribit, licet brevius, R. Levi ben Gerſon, Iſaac ben Arama in *Akedas Jizchak.* In libro *Mechilta:* Colligite ex eo) *Dixerunt* [ſc. ad Moſen] *modo exivit Nachſchon filius Amminadab cum familia ſua, & collegit plurimum: exivit pauper quidam Iſraelita, & collegit parum,* כשהן באין לידי מדה נמצאו כולם שוים *cum vero venirent ad menſurandum, inventi fuerunt omnes æquales, ſicut dicitur;* Et menſi ſunt in Homer. Et fecerunt ſic filii Iſrael] *Fecerunt id quod præceptum erat ipſis, neque tranſgreſſi ſunt edictum Moſis, colligentes ſeu plus, ſeu minus, & illud metientes ad Homer: & factum eſt, ut neque qui plus colligeret abundaret, nec qui minus, egeret.* Paulo aliter & plenius iſta adducuntur a R. Bechaj fol. 83. col. 4.

Sic ſcribit Joſephus Antiquitat. Judaicar. lib. 3. cap. 1. *Mox edicto admonentur, ut ex æquo Aſſaronis menſuram quotidie colligerent: non enim defore hoc cibi genus. Quod eo factum eſt, ne infirmioribus deeſſet, dum robuſtiores per avaritiam plus ſatis colligerent. Quod ſi quis contempto edicto, ultra præſcriptum modum collegiſſet, plus defatigatus nihilo plus habebat, quam cæteri: nam nihilo plus aſſumere inveniebatur* (ſc. in menſura).

Videtur etiam huic ſententiæ favere Vulgatus Latinus Interpres, reddens; *Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus.*

Noſtrorum Interpretum ſententia fere eſt, quod æqualitas hæc non per miraculum deprehenſa, ſed inde facta fuerit, quod ex agro domum redeuntes, vel ſinguli patresfamilias, vel præfecti ad id conſtituti, menſi fuerint ad Homer quod quiſque collegerat, ac juxta eam menſuram qui ultra demenſum ſuum habere inventus fuit, de ſuperfluo impleverit defectum illius qui minus collegerat. Atque huic ſententiæ volunt favere D. Apoſtolum qui hæc verba in Epiſtola 2. ad Corinthios cap. 8. v. 15. eo ſenſu citat, ut ex iis arguat, *Eos qui abundant, ex ſua abundantia debere aliorum defectum implere, ut fiat æqualitas, ſicut,* inquit, ſcriptum eſt; Ὁ τὸ πολὺ οὐκ ἐπλεόνασε, καὶ ὁ τὸ ὀλίγον οὐκ ἠλάττωσεν *Qui multum habuit, non abundavit, & qui paulum, non minoravit,* h. e. *non minus habuit.* Nam ſi miraculo hæc æqualitas contigiſſet, exiſtimant perituram vim Apoſtolicæ adhortationis, ut illi qui abundant opibus, de ſua abundantia aliorum defectum impleant. At videtur eo quoque ſenſu poſſe locum habere, ſi Divina providentia ſic regente & diſpenſante illa æqualitas facta dicatur; quia hac ratione voluit docere, ut ſuo facto & exemplo illi qui abundant, diſcant, aliorum egentium & eſurientium defectum implere, ſi non ad æqualitatem, ſaltem ad neceſſitatem, לפי אכלו quoad cuique ad vitam hanc ſuſtentandam eſt neceſſarium, ne fame, aut indigentia unus pereat, alio abundantia luxuriante & diffluente. Argumenti vis & nervus videtur potiſſimum eſſe in Dei ſeu mandato de Homer Mannæ ſingulis capitibus definiente, ſeu exemplo, tantum quantum imperarat cuique largiente; & reipſa (quocunque id factum fuerit modo) efficiente, adeo ut nullus fuerit, qui vel ex majore copia collecta abundaret, vel ex minore quantitate deficeret; hæc per anagogen ad ſuum propoſitum trahente Apoſtolo. Neque tamen ideo Judæorum ſententiam de miraculo in meum patrocinium ſuſcipio. Liberum eſto de his credere, quod cuique maxime arridet.

CAPUT V.

Quare prohibitum fuerit Israelitis, de eo retinere in crastinum? Cur & quomodo illud, quod quidam contra edictum retinuerunt, vermes produxerit & computruerit?

De Primo sic Exodi 16. v. 19. dicit Moses ad Israelitás; איש אל יותר ממנו
עד בקר *Nemo reservet de eo usque ad matutinum* [sc. crastinnm].
De ratione hujus Præcepti ita scribunt Hebræi:
הטעם שלא יותירו ממנו לאוכלו מחר רק יבטח בשם כי מחר ירד כי
Aben Esra; אינו מצוה עליו לאוכלו כולו רק אם נשאר לו שלא יכול לאכלו ישליכנו מחוץ לאהלו
Sensus est, illos nil debere reservare, ut crastino die comedant, sed in Deo confidere & credere, cras iterum descensurum. Non enim præcepit, ut omne quod collegerunt comederent, sed si cui aliquid residuum manserit, extra tabernaculum suum illud abjiciat.

R. Levi ben Gerson: *Præcepit Deus, ne quid de eo in crastinum asservarent*; primo, כי זה השיעור הוא ראוי למאכל אדם *quod hæc mensura conveniens & adæquata erat in diem homini pro cibo, Homer sc. in caput, unde non potuerunt de eo reservare,* כי ההשתדלות להותיר *quin corpus ipsorum aliquid inde detrimenti sentiret*: secundo, ממנו עד בוקר היה מורה על מיעוט האמנה בשם יתעלה לא יבטח המותיר ממנו עד בקר שירד המן בבקר שאם היה בוטח בזה לא היה משתדל להותיר ממנו עד הבקר *Quia opera in asservando posita testatur de ὀλιγοπιστίᾳ in Deum: qui enim de eo reservabat in crastinum, non fidebat, quod mane descensurum esset: quod si enim hoc crederet, non studeret de eo asservare. Unde Moses iratus fuit iis, qui de eo reservassent.* Item; מה שצוה השם יתעלה שלא להותיר מהמן עד הבקר היה להורות כי ראוי לאדם שיסתפק בלחם חוקו ולא יפנה לרבוי אסיפת הקנינים שימנעוהו מהשתדלות בשלמות הנפש וכו׳ *Quod Deus præcipit, ne de eo asservent in crastinum, factum est, ut doceret eos, Hominem debere contentum esse Pane suo quotidiano, neque se defatigare in multis opibus congerendis, quæ ipsum impediant ab acquirenda perfectione animæ, & ut eos assuefaceret, ut in Deo fiduciam suam ponant.*

Abarbenel: צוה זה לפי שהיותו נשמר עד בקר היה מורה מיעוט אמונה שלא יתנהו לו הש׳ למחרתו *Præcepit hoc, eo quod asservatio ejus in crastinum testimonium esset, illos non credere, quod Deus crastino die illud iterum sit daturus. Hinc dixit R. Elieser hammodaj;* כל מי שיש לו מה שיאכל היום ואומר מה אוכל למחר הרי זה מקטני אמנה Quisquis habet hodie quod comedat, & dicit, quid comedam cras? is est ex exigua fide præditis. Idque ideo, לפי שמראה בעצמו שאין בטחונו אלא במה שראה תחת ידו ועל כן הוא מקטני אמנה כי יש לו לתלות בטחונו בבעל הרחמים שבראו ויתן לו פרנסתו *quia talis prodit, se spem & fiduciam suam ponere duntaxat in eo quod sub manu sua videt, ac proinde esse ex τοῖς ὀλιγοπίστοις: nam fiduciam suam deberet collocare in Patre misericordiarum, quod ille qui creavit eum, etiam daturus esset alimentum:* וגם כוון בזה הצווי משה שלא יוציא אדם זמנו באסיפת המותרות כי אין מעצור ביד השם להושיע וראוי לאדם שיסתפק בהכרחי די סיפוקו ולתכלית זה הלימוד נעשה להם אותו נס נזכר *Præterea voluit etiam Moses hoc præcepto docere, Hominem non debere tempus suum impendere in colligendis rebus superfluis: non enim deficiunt Deo media servandi seu per multa, seu per pauca, 1. Sam. 14. 6. & debet homo acquiescere si necessaria & sibi sufficientia habeat. Atque propter hanc doctrinam factum est ipsis præsens miraculum.*

Isaac Aramah in Akedas Jizchak: זה מוסר גדול לשיסתפק האדם כדי סיפוקו אחר שהעודף הוא ענין רע נתן אלהים לבני אדם לענות בו לארוב דמו ולצפון לנפשו · ולזה באה המצוה עליו איש אל יותר ממנו עד בקר *Virtus magna est, si homo contentus sit eo quod ipsi satis est; cum omne superfluum sit res mala, quam dedit Deus filiis hominum ad affligendos eos, ut insidietur sanguini eorum, & laqueos occultos ponat animæ eorum. Ideo præcipitur hic;* Nemo de eo reservet in crastinum; *quo sc. singulis diebus homo Deo benedicat & gratias agat.*

De Secundo scribit Moses: ולא שמעו אל-משה ויותירו אנשים ממנו עד-בקר וירם תולעים ויבאש *Et non auscultaverunt Mosi & reservarunt quidam de eo usque ad mane, & produxit vermes & computruit.*

Hic quæritur; *Quomodo primo dicatur Vermes produxisse,* deinde *demum putruisse, cum putredo vel fœtor præcedat, & ex ea vermes generentur?*

R. Salomon scribit: הרי זה המקרא הפוך שבתחלה הבאיש ולבסוף התליע כענין שנ׳

ולא הבאיש ורמה לא היתה בו וכן דרך כל המתליעים *Ecce hæc Scriptura est transposita : nam primo putruit, postea vermes produxit, sicut v.* 24. *dicitur* ; Neque fœtuit, neque vermes produxit. *Et sic solent omnia, quæ putrescunt*. Desumpsit hoc R. Salomon ex Mechilta fol. 19. col. 3.

Sic scribit Aben Esra, *R. Mosen hoc quoque exemplum referre inter ea de quibus Rabbini dicunt*, אין מוקדם ומאוחר בתורה Non est prius & posterius in Lege, *h. e. Ordinis naturalis non semper habetur ratio, ut omnia & singula recenseantur eo ordine, quo facta vel gesta sunt*.

Abarbenel scribit hoc responso nihil opus esse : כי הכתוב יספר מה שמצאו על הסדר והוא שראשונה השיגו בחוש הראות שהיו בו תולעים ואחר כך השיגו בחוש הריח שביאש אמנם בענין הז׳ ספר על הסדר הטבעי מפורש שלא הבאיש ושרמה לא היתה בו *Nam*, inquit, *Scriptura enarrat rem eo ordine, quo eam invenerunt ; quod sc. primo sensu Visus deprehenderint, quod in eo sint Vermes, postea sensu Olfactus, quod fœteat. Sed in iis, quæ die septimo contigerunt, recensendis, servat manifeste ordinem naturalem, dum ait*, Neque fœtuit, neque fuit in eo vermis.

Ramban primo adducit R. Salomonis sententiam, postea hanc ἐπίκρισιν subjungit: *Si Manna vermes produxisset naturaliter, ut cætera verminantia, tunc utique ita factum fuisset*, אבל זה שהתליע בדרך נס גם יתכן שהרים תולעים תחלה *sed quia verminavit miraculose, debuit primo producere vermes. Neque opus est, ut hic transpositionem in Scriptura faciamus. Præterea verba versus 24. ubi dicitur* ; Etiam fœtuit, neque vermes produxit, *idem arguunt. Nam, si non produxisset vermes, nisi posteaquam prius fœtor ejus exhalasset, tum, quando dicit*, Non fœtuit, *satis indigitasset, quod non produxerit vermes, neque opus habuisset per ταυτολογίαν subjungere*, Et non produxit vermes: *Sed si* verminavit prius, *prout litera textus habet, necessarium fuit addere de hoc* (quod die sexto decidit) ; Et non putruit vel fœtuit, neque ulla ratione vermes produxit. *Insuper ex iis quæ naturaliter verminant, non fœtent, nisi calida & simul humida : Arida verminant, sed prorsus non fœtent veluti Ligna vel Arbores, & Fructus quidam in virore suo, in arboribus, aut culmis suis verminantes, vel etiam postea. Itaque indicat Scriptura, etiam hoc fœtuisse miraculose*.

In *Veelle Schemoth rabba* sect. 25. אמרו וכי יש לך דבר שבתחלה עושה תולעים ואחר כך מבאיש אלא שהקב״ה בקש להראות מעשיהם לבריות שלא יריחו את ריחו בערב וישליכו אותו אלא שהיה עושה כל הלילה שורות שורות של תולעין *Dixerunt ; Num est quicquam, quod prius producat vermes, & postea demum fœteat? Proinde voluit Deus hac ratione in lucem producere actiones* (inobedientiam & rebellionem) *ipsorum, ne vesperi fœtorem odorantes abjicerent illud, sed ut per noctem examina vermium produceret*.

Sic quidam volunt, per Miraculum hoc contigisse : alii, naturali modo quidem factum esse, sed vel per transpositionem narrari, vel eo ordine quo ad sensum ab Israelitis res percepta fuit. Quacunque ratione factum sit, non sine miraculo factum est, quod illud quod per 5. septimanæ dies in crastinum retinuerunt, putruerit, & vermes produxerit; quod a sexto in septimum retinuerunt, nequaquam.

Secundo quæritur; *Cur hoc iræ & pœnæ suæ signum ipsis immiserit?*

Isaac Arama respondet ad hoc: עלתה בו רמה ונבאש כדי שיתעוררו אלו האנשים החטאים שסוף כל היתרונות הללו להוליך בהם למקום עפר רמה ותולעה מבלי השאיר להם נשמה *Producti sunt in eo vermes, & fœtidum factum est, ut eo admonerentur peccatores isti, quod ista superflua tandem deductura sint ipsos in locum Vermium, neque vel anima una ex illis sit remansura*.

Sic Abarbenel : *Narrat Scriptura, vermes exortos esse in eo, & putruisse, ad indicandum*, כאשר הוא סוף כל האדם הרודף אחרי המותרות ללכת בהם למקום רמה ותולעה ולא יועילוהו אוצרות רשע *quisnam maneat finis omnes eos, qui persequuntur superflua; quod sc. sint cum illis ituri in locum vermium, neque ipsis profuturi thesauri impietatis. Et quia homines isti detrahebant de alimento in dies singulos ipsis a Deo dato, portionem ejus in crastinum retinendo, ut homines avari solent facere, ideo iratus fuit ipsis Moses* &c.

CAPUT VI.

Quomodo Hebræi intelligant, quod de Manna dicitur; Et incalescente Sole liquefiebat?

EXODI 16. 21. dicitur: וילקטו אתו בבקר איש כפי אכלו וחם השמש ונמס *Et collegerunt illud singulis mane, quisque quantum ad comedendum opus habebat: & incalescente Sole liquefactum fuit.*

Paraphrastes Onkelos id intellexit de eo quod in Agris mansit, posteaquam Israelitæ quæ sibi necessaria collegissent. Sic enim reddit; ומה דמשתאר מניה על אפי חקלא כד חם עלוהי שמשא פשר *Et id, quod superfuit de eo in superficie agri, incalescente super eo Sole liquefactum fuit*: Id sequitur etiam R. Salomon.

R. Levi: *Deus hoc causatus est, ut illud cum diligentia & sedulitate colligerent mane surgendo, antequam venti supra illud pulverem adducerent: & ut hoc medio acquirerent* תכונת הזריזות *virtutem industriæ & alacritatis.*

Abarbenel putat, exponi etiam posse de eo, quod Israelitæ collegerant: *Quod dicitur*, inquit; Et incaluit Sol, & liquefactum fuit; *ejus ex mente Onkelosi sensus est, quod ex singulari providentia Dei factum sit, ut posteaquam singulis diebus populus collegisset Manna; deinceps reliquum in agro liquefactum fuerit incalescente Sole, vel Die. Idque ideo, ne forte aliquis exiret & de eo acciperet ad illud asservandum; ut item illud studiose summo mane colligerent, antequam a ventis fortassis pulvere conspergeretur. Possumus vero etiam hac ratione explicare, ut dicamus; Quamvis Manna eo tempore, quo singulis mane collectum fuit, fuerit instar granorum durorum, sicut dicitur;* Et Man erat ut semen coriandri, & color ejus, sicut color bdellii vel margaritæ; *tamen post collectionem, ne illud asservarent, aut de eo retinerent in crastinum, liquefactum fuisse calore Solis invalescente, ita ut e vestigio postquam collegissent, festinanter illud coxerint, & præpararint, dum adhuc esset in virore suo. Nam coctum & præparatum, factum fuit durius & stabilius, non vero prout ex agro collectum fuit. Ecce autem illo Die quo descendit, licet invalescente Sole liquefieret & dissolveretur, tamen non produxit vermes, neque putridum vel fœtidum factum fuit: hoc enim peculiare fuit ei quod in crastinum asservabatur. Fortassis etiam ideo eo die quo collectum liquefactum fuit, ne quis in animum induceret, illud in crastinum asservare, & ut festinarent illud comedere, antequam liquesceret.* In eandem sententiam scribit Isaac Arama in עקידת יצחק.

Insuper fabulantnr Hebræi, quod de hoc liquefacto Manna in agris integri rivi & torrentes inde defluxerint:

Hinc Jonathan filius Uzielis in sua Paraphrasi, versum supra allegatum ita transfert: והוו מלקטין יתיה מן עידן צפרא עד ארבע שעין דיומא אנש לפום מיכליה ומן ארבע שעין ולהאל שחין שימשא עילוי והוה שייח ומתעבד מבועין דמיין ונגרין עד ימא רבא ואתיין חיוון דכין ובעירן ושתיין מניה והוו בני ישראל צדיין ואכלין יתהון h. e. *Et fuerunt colligentes illud a tempore matutino usque ad quartam horam diei, quisque pro necessitate sua; & a quarta hora ac alterius incalescebat Sol super eo, & facta est fossa, & derivabantur inde scaturigines aquarum & flumina usque ad mare magnum, veniebantque animalia munda & jumenta ac bibebant inde, & Israelitæ piscabantur illic pisces, & comedebant eos.* Quod de *quarta hora* dicit, de eo videatur Talmud in Berach. cap. 4. fol. 22. col. 1.

R. Salomon: הנשאר בשדה נעשה נחלים ושותין ממנו אילים וצבאים ואומות העולם צדין מהם וטועמים בהם טעם מן ויודעים מה שבחן של ישראל h. e. *Ex relicto in agro facti sunt torrentes aquarum, e quibus bibebant cervi & capreæ: & gentes mundi capiebant ex illis pisces, in quibus gustabant gustum Mannæ, unde cognoverunt, quanta sit dignitas & præstantia Israelitarum.* Idem extat in Mechilta, sectione בשלח, Jalkut fol. 73. col. 4.

CA-

CAPUT VII.

De eo, quod die Sexto duplam Mensuram Mannæ invenerunt, pro illo sc. & sequenti die Septimo.

DE Collectione Mannæ Diei Sextæ sic legitur Exod. 16. v. 22. ויהי ביום הששי לקטו לחם משנה שני העמר לאחר ויבאו נשיאי העדה ויגידו למשה *Fuit autem die Sexto collegerunt panem duplicem, duo Homer pro unoquoque: Venerunt ergo Principes congregationis, & renuntiaverunt ipsi Mosi*. v. 23. ויאמר אלהם הוא אשר דבר יי׳ שבתון שבת-קדש ליי׳ מחר את אשר תאפו אפו ואת אשר תבשלו בשלו וגו׳ *Et dixit illis, Hoc est quod dixerat Dominus, Sabbathum, Sabbathum, inquam, sanctum est* DOMINO *cras: quod cocturi estis coquite, quod vero elixaturi estis, elixate hodie, quicquid vero super fuerit, reservate vobis in custodiam, usque mane* &c. usque ad v. 28.

Hic quæritur *Primo*;

Qua de causa Principes populi tam sollicite ad Mosen retulerint, quod die Sexto, dum ut aliis diebus colligerent, duplam mensuram invenerint?

Ratio dubitandi, quia, cum Moses hoc futurum antea audivisset a Domino, verisimile videtur, id eum Principibus istis quoque fideliter significasse. Si id fecit, cur id tanquam rem novam & insolitam ad Mosen referunt, & de eo quærunt?

Quidam existimant, Deum quidem hæc Mosi dixisse, sed Mosen ex perturbatione, cum de eo quidam reliquis diebus contra edictum in crastinum reservassent, oblitum fuisse illud Israelitis significare. Sic legitur in Schemoth rabba sect. 25. כיון שכעס שכח לומר להם שילקטו ביום הששי שני עומרים לאחר כיון שהלכו ולקטו ביום הששי ומצאו כפלים באו הנשיאים ואמרו למשה שנ׳ ויביאו כל נשיאי העדה וג׳ ומה אמר להם הוא אשר דבר יי׳ ואינו אומר הוא אשר דברתי אלא אשר דבר ששכח *Posteaquam ira commotus fuisset Moses, oblitus fuit illis dicere, quod die sexto reperturi sint duo Homer pro singulis capitibus. Itaque cum die sexto exeuntes & colligentes invenirent duplum, venerunt Principes, & id retulerunt Mosi. Quid vero Moses illis respondit?* Hoc est quod dixit Dominus. *Nimirum non dicit*; Hoc est quod dixi ego; *sed*, quod dixit; *quia ipse oblitus erat. Hinc & in sequenti reprehensione, qua Deus dixit*; Quousque renuetis custodire præcepta mea, & Leges meas? משה בכללם *Moses una cum ipsis comprehenditur.*

Sic R. Abraham Seba: *Venerunt & retulerunt hoc ad Mosen, ut ipsis hujus rei rationem significaret*, שהוא לא פירש להם מאמר הש׳י כי אולי שכחו *quia ipsis antea non exposuerat quod Deus ipsi dixerat; fortassis quod oblitus esset. Idcirco respondit eis*; Hoc est quod dixit Dominus, *quasi diceret*; עכשיו אני זוכר מאמר הש׳י שא׳ל בראשונה והיה ביום הששי והיה משנה ואני שכחתיו וזהו הוא אשר דבר יי׳: *Nunc recordor ejus quod jam ante dixit Dominus mihi; Die sexto erit duplum*, v. 5. *ego vero ejus oblitus sum*. Et *hoc est quod dicit*; Hoc est quod dixit Dominus.

R. Salomon simpliciter scribit; מיכאן יש ללמר שעדיין לא הגיד להם פרשת שבת שנצטוה לומר להם *Hinc discimus, Mosen tunc nondum ipsis indicasse doctrinam de Sabbatho, quam jussus erat ipsis dicere*. Sic R. Isaac Aramah.

Alii volunt, Mosen id ipsis quidem dixisse, sed causam non exposuisse. Itaque de ea tantum eos hic quærere.

Aben Esra; *Die sexto descendit Manna copiosius more solito, sicut dicitur*; Et collegerunt panem duplicem: *Moses enim ita jusserat eos facere, ipsi autem nesciverunt quam ob causam. Et Scriptura dicit*, Collegerunt, *sed postea non dicit*, Invenerunt, & venerunt Principes cœtus, & indicaverunt Mosi, *eo quod ipsi fecissent, sicut a Mosi jussi fuerunt. Itaque quærunt nunc, quid porro facere debeant? quare jusserit ipsos duplum colligere? & quomodo illud possint comedere?*

R. Levi ben Gerson; *Quod die sexto collegerunt duplum*, יתכן שהיה זה על דרך הפלא *fieri potest, ut hoc factum sit miraculose; quia nuspiam reperimus, quod Moses jusserat eos pro die Sabbathi duplum colligere, sed ipsi collegerunt pro sua æstimatione & conjectura, Homer in singula capita; cum vero illud metirentur ad Homer, invenerunt, se collegisse duo Homer pro singulis, ac proinde venerunt ad Mosen & ei dixerunt, quid factum esset, ut ab ipso cognoscerent, quid, & qua de causa hoc factum esset. Fortassis etiam dici potest, ut Sapiens Aben Esra scripsit, quod jam dixerit ipsis Moses, ut die sexto duplicem mensuram colligant, quamvis id expresse in*

Scri-

Scriptura non commemoretur, & Principes eo tantum fine ad Mosen venerint, ut ex eo quærerent, quid de eo debeant facere. והנה הביאור הראשון נכון הוא יותר *Prior tamen expositio rectior videtur. Nam si res ita haberet, uti vult Aben Esra, quare Principes congregationis non quæsiverunt, quid de duplice illo pane facere, quem ejus jussu collegerant, & quomodo eum comedere debeant?*

Abarbenel: *Quod dicit*, Et factum est, ut die sexto colligerent duplum; *ex eo Sapientes nostri concluserunt, Mosen tunc adhuc ipsis nihil de Sabbatho dixisse; & Israelitas die sexto more suo solito, ut reliquis diebus, collegisse, sed cum in Tabernaculis suis metirentur illud, invenisse eos panem duplicem, h. e. duo Homer in singula capita: Tunc itaque Principes cœtus venisse, Mosi miraculum hoc indicasse, & ex eo quæsivisse, qua in re hic dies a reliquis diebus differat? & Mosen ipsis respondisse*, Hoc est quod dixit Dominus; h. e. *Jam mihi dictum est a Domino, ita futurum propter Sabbathum, quia Sabbathum est, & dies quietis vobis; quinimo revera est Sabbathum* DOMINI; *quia etiam ipse observabit illud, neque in eo demittet vobis Manna, sicut reliquis diebus; Hac de causa ipsis injunxisse, ut illi deferrent Sanctitatem, nec ullum opus in eo facerent* &c. *Atque sic est sententia Rabbinorum nostrorum*, והוא נכון ומתישב *eaque recta est & solida. Possumus tamen etiam dicere, Mosen jam significasse ipsis, quod in mandatis a Deo acceperat de Sabbatho*, v. 5. *ac propterea nunc, cum id reipsa factum fuit, dici;* Et factum est die sexto, collegerunt panem duplicem; *nempe duo Homer pro singulis; quia duplo plus reliquis diebus ad mensuram collegerunt. Quia itaque Moses nondum ipsis indicaverat, quid de illo duplice pane facere debeant, quem collecturi erant die sexto, ideo veniunt jam Principes congregationis, & hoc Mosi significant, q. dicerent;* Fecimus secundum omnia quæ præcepisti nobis in colligendo Manna, nescimus autem quid novi nunc de eo factum sit. *Itaque Moses ipsis exposuit hujus rei rationem & causam, quod hoc factum sit propter Sabbathum. Cras enim fore Sabbatum & diem quietis Domini* &c.

Hic quidam volunt, inter quos Isaac Arama, & Nachmanides, illos die sexto non præcise adstrictos fuisse ad certam mensuram, sed de illo duplo potuisse comedere, quantum voluissent, quia sc. dicitur; *Et quicquid residuum erit reponite.* Nam licet non integrum Homer reservassent in diem septimum, tamen quicquid illud esset, ex Dei benedictione satis futurum pro cibo diei septimi: Aben Esra autem existimat, quod dicitur; *Coquite, Elixate hodie*, eo intelligi mensuram jam notam, & antea ipsis definitam Homer, per *Residuum*, Homer alterum.

Ex his Aben Esræ, & Abarbenelis sententia posterior videtur verisimillima, quæ etiam placuit Riveto Comment. in Exod.

Circa hoc quod dupla ista portio Mannæ, die sexto collecta, vocatur לחם משנה crisin suam exercent Talmudici in Beza cap. 1. Quidam *exponunt ut litera sonat*, Panem duplicem: *alii dicunt, sic vocari quasi* לחם משנה Panem mutatum, h. e. *alium ab eo quem reliquis diebus collegerant. Die enim Sabbathi longo fuisse excellentiorem. Reliquis diebus aureum habuisse colorem, die Sabbathi eundem in excellentiore gradu; reliquis diebus odorem habuisse fragrantem, die Sabbathi longe fragrantiorem.*

Secundo ergo jam quæritur;

Qua de causa die sexto duplum deciderit? Et cur die septimo Deus illud non demiserit?

Ad *Prius* quod attinet, ejus causam reddit Moses; quod sc. ideo factum sit, quod sequens septimus sit Dies sacer, Dies quieti ab operibus corporalibus a Deo destinatus, ut propterea neque Deus illud sit, ut reliquis diebus, demissurus, neque illi collecturi; Itaque Deum ita prospexisse ipsis, ut Die sexto pro utroque ipsis Panem suppeditaverit; De hoc dicit Moses, v. 23.

1. שבתון שבת-קדש ליהוה מחר *Sabbathum, Sabbathum Sanctum* DOMINO *cras*; vel, *Cessatio, Cessatio sancta est Domino cras.*

Quod Sabbathi bis mentionem faciat, Abarbenel ita explicat, quasi voluisset dicere; *Crastino die* (comprehensa simul præcedenti nocte, a qua Judæi diem incipiunt) *est Sabbathum & cessatio pro Vobis, quo nullum facietis opus: Sabbathum item* DEO *ipsi, quia hoc die cessavit a Creatione mundi. Eo itaque die non decet, ut ulla anima opus aliquod faciat.* Itaque pergit Moses & porro dicit eis,

2. את אשר תאפו אפו ואת אשר תבשלו בשלו *Quod cocturi estis*, (sc. de Manna), *coquite, & quod elixaturi estis, elixate*, sc. hoc die sexto.

3. ואת כל-העדף הניחו לכם למשמרת עד הבקר *Et quicquid* (hodie) *vobis residuum erit, illud reponite in custodiam usque mane.* Dum eos jubet de Manna reponere in custo-

custodiam & reservare in crastinum, eo simul ipsis prædixit, quod nec fœtidum futurum, nec vermes producturum sit, ut ceteris diebus, sed, quia Dei jussu & voluntate jam illud reservent, sic in eo etiam Dei potentiam, providentiam, & benedictionem ipsos experturos.

Quod v. 26. iterato dicit; *Sex diebus colligetis illud, Septimo die est Sabbathum, non erit in eo*; eo vult Abarbenel indigitasse Israelitis, ita futurum continue omnibus quadraginta annis, ut per sex dies Septimanæ Manna hac ratione colligant, sicut nunc.

Atque hic volunt Hebræi primam contineri institutionem Sabbathi, & inde Mosen dicere v. 29. ראו *Videte, quod Deus dederit vobis Sabbathum: idcirco dedit vobis die sexto Panem duplicem*. Ad quæ verba in Schemoth rabba scribitur; לא היה צריך לומר אלא דעו מהו ראו אלא כך אמר להם הקבה״ אם יבואו אומות העולם ויאמרו לכם למה אתם עושים את השבת ביום הז׳ אמרו ראו שאין המן יורד בשבת. *Dicendum fuisset*, Scitote; *quare ergo dicit*, Videte? *Nimirum dixit ipsis Deus; Si gentes mundi veniant, & vobis dicant, Quare Sabbathum facitis die septimo? dicite ipsis*, Videte, *quod Manna non descendat eo die*. Hoc ulterius amplificatum & illustratum vide in Akedas Jizchak fol. 112. 1.

De *Secundo* simpliciter dicit Moses; ביום השביעי לא יהיה בו *Die septimo non erit*: &, היום לא תמצאהו בשדה *Hodie non invenietis illud in agro*. Rationem nullam addit aliam. Abarbenel scribit, illum his verbis voluisse dicere; כמו שאתם שובתים בו ממלאכת המן כן הקדוש ברוך הוא שבת וינפש להורידו בשבת *Quemadmodum vos quiescetis in eo ab omni operæ Mannæ, sic etiam Deus cessat, & quiescit a demittendo eo in Sabbatho*.

Idem ex his hanc non ineptam elicite *νυθεσίαν*: וגם בזה נתן להם תלמוד האמתי שבעולם הזה יכינו לנפשם מצות ומעשים טובים צדה לדרך שיאכלו בעולם הבא שהוא עולם שכולו שבת כי מי שיטרח בערב שבת יאכל בשבת *His verbis dedit ipsis etiam utilem hanc Doctrinam, ut in hoc mundo pro animabus suis comparent Præcepta & Bona opera, tanquam Viaticum quo vescantur in Mundo vel sæculo futuro, qui totus est Sabbathum & Quies. Nam qui laborat in vespera Sabbathi, is comedet in ipso Sabbatho*.

In hunc sensum scribit Origenes Homilia 7. in Exod. *Sextus dies est hæc, in qua nunc sumus vita. In sex enim diebus Dominus fecit hunc mundum. Hoc ergo die tantum reponere & recondere debemus, quantum sufficiat & in futuro die. Si quid enim hic boni operis acquiras, si quid justitiæ, misericordiæ, & pietatis recondas, hoc tibi in futuro seculo erit cibus. Quid ergo agimus nos, qui amamus illud recondere, quod corrumpatur, non quod permaneat, & perduret in crastinum? Si qua autem bona opera recondunt, illa permanent usque in crastinum*.

Quod Moses in futuro tempore dicit; *hodie non invenietis illud*; ex eo arguit, hæc verba ab ipso ad Israelitas dicta esse, non mane, sed in vespera Sabbathi.

Tertio;

Quare cum quidam die septimo egressi essent ad colligendum Manna, nullum autem invenissent, Deus eos hoc nomine reprehendens dicat in numero plurali;
Quare renuistis observare Præcepta mea, & Leges meas?

Nam hoc faciendo nonnisi unum speciale Præceptum sunt transgressi. Abarbenel scribit, illum hac occasione ipsos etiam alias ob transgressiones redarguisse, & voluisse dicere: *Ad mare Suph recalcitrastis contra me, & non credidistis verbis meis: In Mara murmurastis contra me: Hic in Elim quoque effutiistis in me verba vestra: Quin & posteaquam vobis Manna dedi, præcepta mea quæ de eo vobis mandavi, veluti, ne de eo reservetis in crastinum, non observastis; nunc etiam præceptum Sabbathi, a me datum, transgredimini; quousque renuetis observare præcepta mea, & Leges meas? Præterea, quia præceptum de Sabbatho docet de creatione Mundi, & ab ea tota Lex dependet, ideo etiam dicit de eo*; Præcepta mea, Leges meas. Sic fere R. Levi ben Gerson.

Sic scribit Isaac Aramah: אמר כן כי הענין ההוא שחטאו עליו הוא דבר שכל התורה כולה חוקותיה ותורותיה תלוין עליו *Loquitur sic, quia illud circa quod peccarunt, est res, a qua Lex tota, ejus Statuta & Leges dependent*.

Abraham Seba; Quousque renuitis observare præcepta mea, אתה והם, *tu sc æque ac ipsi?* אתה שכחת ענין השבת שאמרתי לך והם שיצאו ללקוט. ואולי אם אתה ההזהרת להם מן היום הראשון היו מוזהרים ועומדים *Tu oblitus es ipsis referre quæ*

tibi dixi de Sabbatho; illi exiverunt ad colligendum. Fortassis autem si tu monuisses ipsos statim a die primo, admonitioni paruissent, & domi se continuissent.

Sic scribunt in Schemoth rabba; שקולה השבת כנגד כל המצות *Præceptum de Sabbatho æquivalet omnibus præceptis*; idque postea probant ex Lege, Prophetis, & Hagiographis.

Origenes, Homilia 7. super Exodum, concludit ex eo quod Manna die septimo decidit, id figurasse, Sabbathum Judaicum aliquando esse abolendum; quod die Septimanæ primo decidere incepit, eum Diem præferendum esse diei septimo; *Si*, inquit, *sex diebus continuis collectum est, septima autem die, quæ est Sabbathi, cessatum est, sine dubio initium ejus a die prima, quæ est dies Dominica, fuit. Quod si ex Divinis Scripturis hoc constat quod die Dominica Deus manna pluit de cœlo, & in Sabbatho non pluit, intelligant Judæi, jam tunc prælatam esse Dominicam nostram Judaico Sabbatho, jam tunc indicatum, quod in Sabbatho ipsorum gratia Dei ad eos nulla de cœlo descenderit*, &c.

CAPUT VIII.

Quæstiones nonnullæ de eo, quod Deus jussit reponi Homer Mannæ, & in custodia perpetua asservari.

DE mensura Homer Mannæ in custodia perpetua asservanda, duplex mandatum habetur Exodi 16. quorum *prius* immediate est Dei ad Mosen; *alterum*, Mosis ad Aharonem.

Prius mandatum extat v. 32. his verbis: ויאמר משה זה הדבר אשר צוה יי׳ מלא העמר ממנו למשמרת לדרתיכם למען יראו את־הלחם אשר האכלתי אתכם במדבר בהוציאי אתכם מארץ מצרים: *Et dixit Moses, hoc est Verbum quod præcepit Dominus, Imple Homer ex eo ad custodiam pro generationibus vestris, ut videant panem, quo cibavi vos in deserto, cum vos educerem e terra Ægypti.*

Duo continentur hoc præcepto, 1. ut de Manna illo asservent, 2. Quantitatem definit, *mensuram Homer*, unicuique sc. tum pro cibo diurno assignatam, ut sic posteri viderent & Panem ipsum, & Mensuram qua eum Patribus ipsorum indulsit in deserto: כי מראית העין תקיים אמתת הכל ולא ישימו שום ספק בו ובעיונים הנתלים בו *Nam aspectus oculi maxime rem confirmat, neque ullum relinquit de ea dubium*, scribit Isaac Aramah, in Akedas Jizchak.

Alterum mandatum hac de re est Mosis ad Aharonem, vers. 33. ויאמר משה אל אהרן קח צנצנת אחת ותן־שמה מלא העמר מן והנח אתו לפני יי׳ למשמרת לדרתיכם: *Et dixit Moses ad Aharonem, Sume Urnam, & inde in eam plenum Homer Mannæ, & repone eam coram* DOMINO [*h. est*, Arca Domini ut supra visum] *in custodiam pro generationibus vestris, quemadmodum præcepit* DOMINUS: *Et reposuit eam Aharon coram Testimonio in custodiam.*

Hic quæritur;

I. *Quomodo Moses præcepisse dici possit Aharoni, ut Urnam Mannæ reponat coram Arca; & Aharon eam illuc reposuisse; cum eo tempore nec Arca, nec Tabernaculum exstructum fuerit?*

Quidam existimant; hic per prolepsin & anticipationem referri & inseri, quod postea demum dictum & factum fuerit, propter continentiam causæ & historiæ.

Hinc scribit R. Salomon: לא נאמ׳ מקרא זה עד שנבנה אהל מועד אלא שנכתב כאן בפרשת המן *Non dicta fuerunt verba hæc* (a Mose ad Aharonem) *nisi post exstructum Tabernaculum; hic vero historiæ Mannæ perficiendæ causa sunt inserta & adscripta.*

Aben Esra: זאת הפרשה ראויה היתה להכתב אחר שנעשה המשכן רק נכתבה במקום הזה לספר זה הנס שעמד המן לדורות *Debuissent hæc scribi demum posteaquam exstructum fuit Tabernaculum; sed in hoc loco scripta sunt, ut hic miraculum istud de Mannæ conservatione diuturna quoque recenseretur.*

Hæc sententia placuit D. Augustino, Quæst. super Exod. lib. 2. ita hac de re scribenti: *Quæri potest, ubi Aharon poneret ante Deum, quando nec ullum simulacrum fuit, nec Arca testamenti jam fuerat instituta? An forte ideo de futuro dixit*, Repones, *ut intelligeretur, tunc* Ante Deum *posse reponi, quando futura erat*

Arca;

Arca ; an potius Ante Deum *dictum est , quod sit ipsa devotione offerendi , in quocunque loco reponeretur ? ibi enim est Deus . Sed illud quod adjungit ,* Et reposui Aharon ante Testimonium ad reservandum , *priorem magis sensum asserit . Hoc enim modo Scriptura dixit per prolepsim , quod postea factum est , cum esse cepit tabernaculum Testimonii .*

Abarbenel tamen existimat, hac solutione non opus esse: כי משה היה יודע שבהר סיני יקבלו את התורה ויעשו ארון העדות ומי המונע שיצוה לאהרן עתה מה שיעשה אחכ״ *Nam* , inquit , *Moses sciebat , quod in monte Sinaj accepturi sint Legem , & facturi Arcam Testimonii . Quid itaque prohibere potuit , quo minus nunc dicat Aharoni id quod postea demum facere debebat?*

Prior sententia videtur esse vero similior.

Quod dicitur ; *Et repones eam* לדרתיכם *pro generationibus vestris* , super id scribunt in lib. Mechilta fol. 20. col. 1. *R. Jehosua dixit , hoc intelligi* לאבות *de Patribus tantum ; R. Eleasar Hammodaj ;* לדורות *de Generationibus & saeculis futuris , R. Eliezer ;* לימות המשיח ולימות ירמיה *de diebus Messiae , & Jeremiae Prophetae ;* שבשעה שאמר ירמיה לישראל מפני מה אין אתם עוסקין בתורה אמרו לו במה נתפרנס הוציא להם צלוחית של מן ואמר להם הדור אתם ראו דבר יי׳ אבותיכם שהיו עוסקין בתורה ראו במה נתפרנסו אף אתם אם תתעסקו בתורה הקב״ה יפרנסכם מזה *Nam ea hora , qua Jeremias ad Israelitas dixit, Quare non operam datis Legi? illi responderunt ei, Si vacamus Legi, unde vivemus & alemur? Jeremias itaque produxit eis urnulam Mannae , & dixit eis ;* o generatio , videte Verbum Domini , Jer. 2. 31. h. e. *Videte id , quo Patres vestri , qui operam dederunt Legi, cibati fuerint: pariter vos quoque eodem pane cibabit Deus , si Legi operam dederitis .* Hinc & R. Salomon ad ista Jeremiae verba scribit ; *Produxit ipsis Urnam Mannae dicens ;* ראו מה דבר יי׳ מועיל *Videte quid verbum Domini prosit !* Eliciunt scilicet haec ex eo , quod Propheta non dicat ; *Audite* , sed, *Videte* . Idem habetur in Tanchumah fol. 29. col. 4.

II. *Ex qua Materia fuerit illa Urna, in qua Manna fuit asservatum?*

Moses simpliciter eam vocat צנצנת , de materia nihil addit . Communiter scribunt idem esse quod צלוחית *Scutella Paropsis* , quomodo & Paraphrastes Chaldaeus reddidit. Formae ratione est a radice צנן , quae *Refrigerandi* significationem habet , unde videtur nonnullis esse Vasculum, quod materiae suae ratione hanc naturam habeat. Hinc scribit R. Bechaj fol. 84. 2. כשהוא אומר צנצנת איני יודע ממה היתה אם של כסף אם של זהב או נחשת וברזל ועופרת ומעצמו אתה למד צנצנת דבר שהוא צונן ומצנן מה שבתוכו והוא משתמר בארץ שהוא חרש כדאמר ונתתם בכלי חרש למען יעמדו ימים רבים וכן היין אינו משתמר אלא בכלי חרש *Dum Moses ait* צנצנת , *ignoro, unde & ex qua materia hoc vas fuerit , an ex argento , vel auro , aere, ferro, aut plumbo. Itaque ex ipso Nomine rem disco , quod sc. sit Res quae per se est frigida, & refrigerat ac conservat quod in ea est;* Testa *videlicet, juxta illud;* Pone eos (libros) in vase fictili, ut permaneant diebus multis (incorrupti), Jer. 32. 14. *Sic Vinum non melius conservatur , quam in vase testaceo .* Petita haec sunt ex Tanchumah & Mechilta , in quibus autem paulo aliter legitur, וצנצנת לא אמרתי אלא דבר שהוא מציץ מחברו אין אתה מוצא אלא כלי חרס quae nullum reddunt clarum sensum . Nam quid est מציץ מחברו ? Ex R. Bechaj pro eo legendum puto , מצנן, pro מציץ , ut מצנן מחברו *Refrigerans conjunctum cum eo* , h. e. *contentum suum*, idem sit quod apud Bechaj מה שבתוכו . Idem sequitur R. Bechaj. Aben Esra vero: כלי חרס או נחשת *Vas testaceum aut aereum .*

D. Apostolus in Epistola ad Hebraeos cap. 9. v. 4. vocat Στάμνον Χρυσῆ *Urnam auream*, imitatus LXX. Graecos, qui צנצנת ita reddunt in Exodo . Quia nimirum in Mose materia non est expressa, & Apostolus alibi LXX. Graecc. Versionem saepe sequitur, hoc loco quoque istud Vasculum potius juxta eorum descriptionem nominare voluisse videtur, quam alias traditiones sequi, propter magnam eorum tunc etiam inter Judaeos authoritatem.

Quo *sensu jubeatur* Reponi coram Domino , *& ab Aharone dicatur reposita esse dicatur* coram Testimonio; de eo supra dictum est in Arca foederis cap. 5.

III. *Quare Moses non ipsemet Urnam hanc in suum locum reposuerit, sed munus hoc demandarit Aharoni ?*

Quaestionem hanc movet R. Bechaj. Ratio quaerendi , quia Aharon tunc temporis nondum electus fuit ad munus Pontificale Sacerdotale, & legimus, Mosen eo tem-

pore quoque alias partes Sacerdotales obivisse, ut sacrificandi & adolendi, usque dum Sacerdotium Aharoni datum esset.

Ad hoc facile est respondere, si dicamus, hæc per prolepsin hic inserta esse, quamvis postea demum contigerint, ut ante visum. Interea Moses Homer illud Mannæ penes se potuit asservare.

Sed placet audire, quid Bechaj ipse respondeat: ויתכן שנאמר שמה שצוה בזה לאהרן שבא רמוז כי הכהנים הלויים מורי התורה שעתידין לצאת מאהרן יהיו מזונותם בהרוחה ולא בעמל כאוכלי המן *Possumus dicere, quod Moses hoc injungit Aharoni, eo ipsum significare voluisse, Sacerdotes, Levitas & Doctores Legis alimenta sua acceptura facile, non vero cum labore, ut comedentes Manna* (quibus in agros exeundum, & illic colligendum fuit), *juxta id quod scriptum est*; Et præcepit populo, habitatoribus Jerusalem, ut darent portionem Sacerdotibus & Levitis, ut confortarentur in Lege Domini (i. e. *ut sine cura & molestia ejus studio vacare, & se in ea exercere & confirmare possint*), 2.Chron. 22. 4. *Jubet autem Moses reponere urnam* Coram Domino; למד כי מזון תלמידי חכמים שבכל דור ודור הוא מסור לשם ית' והוא מונח לפני יי' *ad docendum, quod alimentum Doctoribus & Ministris Dei per omnes generationes præbitum, tradatur Deo ipsi, & reponatur* coram Domino.

IV. *Quomodo, & quamdiu Urna hæc Mannæ inter Israelitas fuerit asservata, & quid tandem de ea sit factum?*

De Urna hac Mannæ scribunt Hebræi, illam toto tempore Templi primi, per 900. ferme annos, in Sancto Sanctorum, ante Arcam fuisse sartam tectam asservatam; tempore autem vastationis Templi primi, una cum ceteris *κειμηλίοις* a Jeremia vel Josia absconditam; & suo tempore iterum restituendam. Traditionem de ejus absconsione, vide pag. 187. 188. 190. 191. 192. De ejus Restitutione legitur in Tanchumah: זו אחד מג' דברים שעתיד אליהו להעמיד להן לישראל צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה וצלוחית מים וי"א אף מקלו של אהרן שקדיו ופרחיו שנאמר השב את מטה אהרן לפני העדות למשמרת לאות לבני מרי *Hæc est una ex tribus rebus, quas Elias Israelitis est restituturus; nempe, Urna Mannæ, Vasculum Olei unctionis, & Vasculum aquæ* (mulieris separatæ, de qua Numer. 9. 9. &c.) *Quidam addunt etiam Virgam Aharonis, cum ejus amygdalis & floribus*. Idem habetur in Mechilta.

Ad miraculum refertur, quod hoc Manna jussu Dei per tot annos conservatum fuerit, neque unquam vel fœtuerit, vel vermes produxerit; quod in crastinum tantum contra Dei mandatum servarunt, corruptum fuerit. Hinc scribit R. Levi ben Gerson: והנה היה זה המן קיים לדורות ובלתי נפסד על צד הפלא ר"ל שכבר נתן לו השם ית' טבע אז על יד משה נביאו על שיהיה בלתי נפסד עם היותו קל ההפסד בעצמותו עד שהיה נמס הנשאר מהמן חוץ מהמחנה בחום השמש *Hoc Manna fuit conservatum per plura sæcula incorruptibile per miraculum; eo quod sc. Deus ei tum jam hanc naturam per Mosen Prophetam suum indidisset, ut esset incorruptibile, quantumvis facile ratione substantiæ suæ corrumpi potuerit, unde quod de Manna in agris reliquum mansit, a calore solis liquefactum fuit.*

CAPUT IX.

Quamdiu Israelitæ Manna comederint? An in terra Canaan depluerit? Vel quando desierit?

QUando Israelitæ inceperint Manna comedere in deserto, id petendum ex versu 1. cap. 16. Exodi, in quo Moses ita scribit; ויסעו מאילים ויבאו כל עדת בני ישראל אל מדבר סין בין אילם ובין סיני בחמשה עשר יום לחדש השני לצאתם מארץ מצרים: *Profecti sunt autem de Elim, & venit totus cœtus filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinaj, quinta decima die mensis Secundi*, [h. e. Aprilis; nam mense Martio sunt egressi] *ex quo egressi fuerunt e terra Ægypti*. Hic cum murmurarent contra Mosen & Aharonem, ob penuriam carnium & panis, dixit Dominus ad Mosen; *Ecce ego pluam vobis* לחם מן השמים *Panem de cœlo, egredieturque populus, & colliget quantum satis erit eo die, ut tentem eum, utrum ambulaturus sit in Lege mea, nec ne!* &c. Sic ergo initium descensus Mannæ ad eum diem referendum.

Quamdiu illud comederint, & quando pluere desierit, id habetur primo, Exod. 16. 35.

16. 35. ובני ישראל אכלו את-המן ארבעים שנה עד באם אל ארץ נושבת את המן אכלי עד באם אל קצה ארץ כנען: *Et filii Israel comederunt Manna quadraginta annis, donec venissent in terram habitatam; Manna* [inquam] *comederunt, donec venirent in fines terræ Canaan*: secundo, Jos. cap. 5. v. 10. 11. 12. Et castrametati erant filii Israel in Gilgal: Et fecerunt Pascha decima quarta die mensis ad vesperam, in campestribus Jericho: ויאכלו מעבור הארץ ממחרת הפסח מצות וקלוי בעצם היום הזה: וישבת המן ממחרת באכלם מעבור הארץ ולא היה עוד לבני ישראל מן ויאכלו מתבואת ארץ כנען בשנה ההיא: *Et comederunt de fructu terræ illius, a crastino die Paschatis, infermentata & spicas tostas, eo ipso die: Et cessavit Manna crastino die, dum comederent de frugibus terræ, neque fuit ultra filiis Israel Manna, sed comederunt de proventu terræ Canaan die illo.*

Hic quæritur circa *primum locum*;

Quomodo Moses hæc scribere potuerit, cum demum post ipsius mortem Israelitæ venerint in terram Canaan?

Abarbenel de hoc ita scribit: *Quod hic dicitur*; Et comederunt Israelitæ Manna 40. annis; *existimant quidem, id scriptum esse circa mortem Mosis, cum venirent ad fines terræ Canaam: Nam Emorræus ex Cananæis fuit: alii dicunt, hunc versum in Lege scriptum esse a Josua.* ואין הדבר כן *Sed res non ita habet: verum, quamvis hæc res tum adhuc futura esset, tamen Moses scripsit hunc versum* מפי הגבורה *ex ore Dei Omnipotentis*, שצוהו לכתוב כן *qui præcepit ei sic scribere, sicut, juxta sententiam veriorem, & ipsemet scripsit*; Et ascendit Moses &c. Et mortuus est illic Moses &c. Deuteron. 34. 1. 5. *prout illic explicabo. Scriptum etiam id est hoc loco, ad plene exponendam historiam Mannæ.*

Circa Rem ipsam quærunt hic;

An 40. integros & completos annos comederint Manna? An post Mortem Mosis quoque adhuc deciderit? vel An, una cum ipso morte sublato, desierit.

Ratio dubitandi circa quæstionem priorem est, quod Manna, uti visum, inceperint comedere die 15. mensis Aprilis, illud autem desierit decidere die 15. vel 16. Martii anni quadragesimi, quando Pascha comederunt, uti habetur in loco Jos. 8. 12. unde de 40. annis mensis unus deficit.

Hebræi in locis istis explicandis & conciliandis non consentiunt. Itaque placet præcipuorum authorum Sententias ex illis producere.

In Mechilta legitur ad locum Exodi; Et filii Israel eomederunt Manna 40. annis; *R. Jehosua dixit*; ארבעים יום אכלו את המן אחר מות משה *Quadraginta dies comederunt Israelitæ Manna post mortem Mosis*: כיצד *Quomodo? Moses mortuus est septimo die Februarii, & illi comederunt de eo 24. dies in Adar primo, & 16. in Martio, qui sunt dies 40. sicut dicitur*; Et cessavit Manna postridie (sc. Paschatis) cum comederent de proventu terræ; *Item:* Et comederunt de proventu terræ postridie Paschatis, azyma, & spicas tostas. *R. Eliefer Hammodai dixit; Per 70. dies commederunt Manna post mortem Mosis*; הא כיצד *Qui hoc? Moses mortuus est 17. d. Adar & comederunt de eo 24. dies Adar primi, & 30. Adar secundi (Annus enim ille fuit* שנת עבור *Annus intercalaris) & 16. die Martii, en 70. dies! sicut dicitur*; Et cessavit Manna postridie, & filii Israel comederunt Manna &c. *R. Jehosua dixit, 40. dies comederunt Israelitæ Manna post mortem Mosis. Quomodo? Moses mortuus est octavo die Adar seu Februarii, & comederunt eo mense 24. dies, & 16. mense Martio, sicut dicitur*; Et cessavit postridie. *R. Eliefer Hammodaj dixit, illos comedisse per dies 70. post mortem Mosis. Quomodo? Moses mortuus est 6. die Mensis Adar, & comederunt Manna 24. diebus reliquis illius mensis, & 30. diebus* ואדר *Adar secundi; ille enim annus non fuit Intercalatus; & per 16. dies mense Martio, sicut dicitur*; Et cessavit Manna. *R. Jose dixit; Quinquaginta quatuor annis comederunt Israelitæ Manna vivente Mose, & quatuordecim post ipsius mortem, sicut dicitur*; Et filii Israel comederunt Manna; (sc. per 40. annos) *: quod postea porro dicitur*; Manna comederunt donec venissent in fines terræ Canaan; *eo intelliguntur 14. illi anni, quibus comederunt Manna post mortem Mosis; 7. scilicet, quibus terram occuparunt, & 7. quos consumpserunt in ejus divisione. Mortua Mirjam* (sorore Mosis) *sublatus fuit puteus; mortuo Aharone, e medio sublata fuit Nubes gloriæ; mortuo Mose sublatum fuit Manna. R. Josua dixit; Mortua Mirjam sublatus fuit*

fuit puteus, sed rediit propter merita Mosis & Aharonis: mortuo Aharone, sublata fuit nubes, & ambo redierunt propter merita Mosis: mortuo Mose, ablata sunt omnia tria, nec unquam redierunt.

In Additionibus Talmudicis Massechet Sota, cap. 11. hæc Traditio legitur; כל זמן שהיה משה קיים היה המן יורד להם לישראל משמת משה מהו אומר וישבות המן ממחרת ולא שהמן היה תולה להם בחייו אלא אף במיתתו שמן המן שלקטו ביום שמת משה אכלו ממנו משבעה באדר עד ששה עשר בניסן ל״ט יום עד שהקריבו את העומר בגלגל שנא׳ ובני ישראל אכלו את המן מ׳ שנה עד בואם אל ארץ נושבת שאין ת״ל עד בואם ומה תלמוד לומר עד בואם אל קצה ארץ כנען אלא מלמד שמהמן שלקטו ביום שמת בו משה אכלו ממנו מז׳ באדר עד יום י״ו ניסן ל״ט יום עד שהקריבו עומר בגלגל לא פסק מהן *Toto eo tempore, quo in vivis fuit Moses, descendit Manna Israelitis: Sed posteaquam mortuus est, quid dicitur?* Et cessavit Manna postridie; *non enim vivente eo tantum ab ipso dependebat, sed & defuncto ipso: nam de illo Manna, quod collegerunt eo die, quo mortuus fuit Moses, de eo comederunt a septimo die Adar, usque ad 16. Martii, nempe 39. dies, usque dum obtulissent Homer de eo in Gilgal, sicut dicitur;* Et filii Israel comederunt Manna 40. annis עד בואם usque dum venissent in terram habitatam; *quod equidem hoc non docet; sed quod porro dicitur;* עד בואם אל קצה ארץ כנען usque dum venissent in fines terræ Canaan; *hoc nos docet, quod de illo Manna, quod collegerunt eo die, quo mortuus fuit Moses, comederint a septimo die mensis Adar, usque ad 16. Martii, per 39. dies.* In hunc textum Talmudicum de ejus sensu prolixæ habentur disputationes in *Lef Aharon*, & *Keli jakar* in lib. Josuæ; quas vero jam non vacat examinare. Existimo sensum illius hic esse expressum. Videamus etiam alios.

R. Bechaj ad Exod. 16. 1. *Decimus quintus ille dies erat mensis secundi, scilicet* אייר *Aprilis: Massa enim farinacea, quam secum extulerunt ex Ægypto, suffecit ipsis per mensem integrum, a 15. Martii, usque ad 15. Aprilis, & nocte 16. adhuc comederunt de ea: die 16. Aprilis descendit Manna, & de eo comederunt: dies autem 16. Aprilis illius anni incidit in primam Septimanæ diem, sicut ex eo colligitur, quod dicitur;* Die autem sexta colligent panem duplicem; *hæc quippe dies erat sexta tam dierum septimanæ, quam descensus Mannæ.* Et sic habetur in Talmud Tract. de Sabbatho fol. 87. col. 2.

Iterum ad v. 35. Et comederunt filii Israel Manna 40. annis] לפי הנראה לא היו מ׳ שנה שלמים כי חרש אחד יחסר מהם *Non videntur fuisse anni 40. completi; sed unus mensis deerat. Nam Manna incepit decidere primo Septimanæ die, medio Aprili: &* הבצק *Massa farinacea, quam secum extulerunt ex Ægypto, suffecerat ipsis per mensem integrum. Unde cessare debuit Manna medio Aprili. Scriptura autem testatur, quod cessaverit medio Martio, cum Israelitæ essent in campestribus Jericho, sicut scriptum est;* Et comederunt de proventu terræ postridie Paschatis, azyma & spicas tostas; & cessavit Manna postridie, Jos. 5. 12. *Idcirco dicendum, quod* מ׳ שנה *Quadraginta anni hic non intelligantur completi, sed* קרוב מ׳ *prope 40. anni. Et ne quis existimet, intelligi Annos 40. completos, idcirco subjungit indefinite;* Manna comederunt donec venissent in fines terræ Canaan. *Sic enim scriptum extat;* Et cessavit Manna postridie, cum comedissent de proventu terræ, neque fuit ultra Israelitis Manna, & comederunt eo anno de frugibus terræ illius. *Unde discimus, quod sicut Israelitis descendit Manna omnibus diebus vitæ Mosis, ita etiam* אחר פטירתו *post ipsius obitum descenderit, dum per 38. dies essent sub Imperio Josuæ. Nam die 7. Februarii obiit Moses, & Israelitæ defleverunt eum per 30. dies: Jordanem transiverunt die decimo mensis primi, ut in Josua exponitur: Manna demum cessavit die 15. Martii. Quod si ergo supputes a 7. die Februarii, quo mortuus fuit Moses, usque ad 15. diem Martii, quo cessavit Manna, invenies triginta octo dies. R. Salomon vult, fuisse 40. annos completos: Dicit: 7. Februarii, quo mortuus fuit Moses, eo quoque cessavisse Manna, & tamen fuisse 40. annos completos; idque duplici ratione.* Primo, *quod in placentis, quas secum extulerunt ex Ægypto, gustarint gustum Mannæ, atque sic nullus mensis desideretur.* Secundo, *quia cum Manna cessavit d. 7. Februarii, quo mortuus fuit Moses, Manna illud, quod pridie deciderat, suffecit ipsis usque dum attulissent Homer d. 16. Martii. Ita ut hac ratione quoque maneat quod dicitur,* Et comederunt Manna 40. annis.

In Tzeror hammor: *Et quia hoc fuit unum e maximis miraculis in Lege nostra, in quo plurima concurrerunt, ideo* לרוב התמדתו *propter diuturnam ejus continuationem* [כי הנס לא יתמיד *quia communiter miraculosa non diu durant*] *dicit Moses;* Hæc est res quam præcepit Dominus, Reple Homer de eo in custodiam pro generationibus vestris; *viris sc. prævaricatoribus, qui non confidunt in Deo, nec considerant, qua ratio-*

ratione vobis instruxerit mensam in deserto, & dederit Panem Angelorum in terra inculta, ac porro de eo dicit, quod continuo durarit per 40. annos; Comederunt, *inquit*, filii Israel Manna 40. annis: *Item*, Donec venissent in terram habitatam, לרמוז כי לפי שבאו אל ארץ נושבת פסק המן שאם היו שוהים במדבר אלף שנים פעמיים לא היה פוסק *ad innuendum, ideo, quia venerunt in terram habitatam, cessasse Manna: nam si vel per bis mille annos morati fuissent in deserto, non cessaturum fuisse: Et iterum;* Donec venissent in fines terræ Canaan; *ad docendum*, שלא נכנס לארץ כנען אבל בקצה ארץ כנען אכלו ממנו וזה רמז למה שאמר למעלה והוא כזרע גד כמה זרע גד לא עבר לארץ אף המן כן *quod non ingressum fuerit Manna in terram Canaan, sed in extremitate illius comederint de eo. Et hoc tacite indigitatur eo quod de eo dicit;* הוא כזרע גד Et erat sicut semen Gad. *Quemadmodum scilicet Gaditæ non transiverunt in terram Canaan, sic neque Manna.* Sic sc. ille argutatur, voce גד, quæ Coriandrum significat, tacite innui tribum Gad. Meminit hujus etiam Abarbenel Jos. cap. 5. Petitum autem est ex Zohar, ubi sectione בהעלותך legitur, מה זרעא דגד נטל חולקיהו בארעא אחרא כך מן שרייא עלייהו דישראל לבר מארעא קדישא *Quid sibi vult*, Sicut semen Gad? *Gaditæ acceperunt portionem suam in terra alia: Sic Manna descendit Israelitis extra terram sanctam.* Hoc est Allegoricum.

R. D. Kimchi Jos. 5. Et cessavit Manna ממחרת crastino die; h. e. מאותו מחרת *ab illo* Crastino, *cujus in præcedenti versu mentionem fecit. Ab illo die cessavit Manna, quia eo non habebant opus. Nam comederunt de proventu terræ Canaan, infermentatos panes & spicas tostas die 15. Martii. Juxta sententiam Rabbinorum nostrorum, qui statuunt, illos usque ad diem 16. comedisse Manna, per* ממחרת *intelligitur* Crastinum diei *decimi quinti, nempe decimus sextus. Nam etsi comederent diei 15. infermentata & spicas tostas, tamen non satis fuit ipsis id quod invenerunt de proventu terræ, unde illo die comederunt etiam Manna; postero autem die, nempe 16. Martii, postquam obtulissent Homer, & permissum ipsis fuisset frumentum novum, de novo plurimum invenerunt. Et hoc est quod dicitur;* Et commederunt de proventu terræ Canaan in anno illo.

R. Levi ben Gerson Jos. 5. Et comederunt de proventu terræ) *Hoc dicit, quia ipsis non permissum fuit frumentum novum, nisi postridie Paschatis. Quod argumento est, quod in Lege dicitur,* ממחרת השבת. In crastino Sabbathi offeret illud Sacerdos, Levit. 23. 11. *intelligi de crastino die Paschatis, die 16. Martii, non Sabbathi creationis Mundi, ut Sadducæi voluerunt* &c. Et cessavit Manna ממחרת crastino die. *De hoc varias reperimus Rabbinorum nostrorum sententias. Quidam illorum dicunt, post mortem Mosis Manna non amplius decidisse, sed cum collegissent jam de eo, quantum eis ad illud usque tempus sufficeret, ex eo confecisse placentas.* Alii dicunt, *Manna ad illud usque tempus decidisse*, quo scilicet in terra Canaan de proventu terræ comederunt &c. *Mihi autem, ut in fine libri sexti* מלחמות יי' Bellorum Domini *docui, ita hac de re videtur; Miraculum, quod per Mosen factum fuit circa Manna, durasse usque ad eum diem, quo comederunt de frumento novo. Quod arguitur ex eo quod dicitur;* וישבות המן Et cessavit, quievit Manna; [sc. a decidendo] *non* ויכלה המן. Et consumptum fuit Manna; *hoc enim docet, illud usque ad eum diem descendisse. Præterea etiam, quia in Lege, ubi de descensu Mannæ agitur, diserte dicitur;* Manna comederunt, donec venissent in terram habitatam. *Hoc enim quoque docet, rem hanc factam esse per Mosen. Sed vide ulterius in modo citato nostro libro* Bellorum Domini.

Aben Esra Exod. 16. v. 35. Et filii Israel comederunt Manna 40. annis) *Hoc miraculorum omnium, quæ per Mosen facta sunt, fuit maximum: nam plura alia in eo concurrerunt, quæ omnia per 40. annos continuos durarunt, quod non factum est in aliis miraculis. Quod dicitur*, In terram habitatam, *dicitur respectu deserti, in quo hactenus oberrarunt, & indicatur, posteaquam transivissent Jardenem, illos comedisse de proventu terræ Canaan, quem illic invenerunt. Ideo porro dicit;* Manna comederunt donec venissent in extremitatem terræ Canaan, כי המן נמשך עמהם עד שבאו לגלגל שהוא קצה ארץ כנען והנה התבואה חדשה עמהם אז שבת המן *Quia Manna sequutum est ipsos usque dum venissent in Gilgal, quæ est in extremitate terræ Canaan: ibi invenerunt frumentum novum, & tunc cessavit Manna.*

R. Salomon Jos. 5. v. 11. ממחרת הפסח Crastino die Paschatis] h. e. *Die agitationis manipuli* [Levit. 23. 11.] *quo primum manipulum obtulerunt: & a 7. die. Februarii, quo mortuus fuit Moses, & Manna defecit, satis adhuc habuerunt de Manna, die illo 7. collecto, quod in vasis suis retinuerunt, sicut dicitur;* Manna comederunt 40. annis. *Atqui de 40. annis defecerunt 30. dies! Nam ecce Manna incepit decidere 15. die Aprilis? Ad hoc respondeo; In placentis, quas secum extulerunt ex* Ægy-

Ægypto , guſtarunt guſtum Mannæ . Et non fuit filiis Iſrael Manna] *quia dicitur ;* Et comederunt de proventu terræ . *Quod ſi Manna habuiſſent , non comediſſent de proventu illo . Manna enim ipſis ſuffeciſſet . Perinde ſc. hoc eſt , ac ſi quis ad puerum diceret ,* Quare comedis Panem hordeaceum? *& ille reſponderet ,* Quia non habeo triticeum . In eundem ſenſum legitur etiam in Seder olam cap. 10.

Quod hic R. Salomon dicit, illos maſſa farinacea azyma pro pane uſos eſſe 30. diebus , a medio ſc. Martio, ad medium Aprilem, id etiam confirmat Joſeph. Antiq. Judaic. lib. 2. cap. 5. ſub finem ; *Cumque ,* inquit , *nihil per viam invenirent propter ſolitudinem , macerata farina , & modico calore in panis ſpeciem ſolidata , ſe ſuſtentabant : quo victu per 30. dies ſunt uſi. Neque enim plus commeatus ex Ægypto extulerunt , atque eum ipſum parce diſpenſabant , ad neceſſitatem magis quam ad ſatietatem .*

D. Auguſt. Quæſt. 62. in Exodum *: Significavit Scriptura per prolepſin , id eſt , hoc loco commemorando , quod etiam poſtea factum eſt , non ediſſe filios Iſrael in deſerto niſi Manna . Hoc eſt enim quod ait ;* Uſque ad terram quæ inhabitatur , *id eſt , quæ jam non eſt eremus: non quia continuo, ut venerunt ad terram habitabilem , deſtiterunt veſci Manna , ſed quia non ante . Trajecto enim Jordane ſignificatur manna ceſſaſſe , ubi panes terræ manducaverunt : quando ergo ingreſſi ſunt habitabilem terram , antequam tranſierunt Jordanem , vel tantum manna , vel utroque cibo veſci potuerunt . Hoc quippe intelligi poteſt , quando ceſſaſſe Manna non dicitur , niſi Jordane trajecto .*





MAIMONIDIS
VITA DESCRIPTA
A JO: BUXTORFIO FIL.
IN PRÆFATIONE
A D
MORENEVOCHIM.



UO sunt, quæ inprimis requiri videntur ab illis, qui antiquos Scriptores e tenebris eruunt & in lucem producunt. Primo, ut, quantum fieri potest, tum Scriptoris historiam, vitam, conditionem, eruditionem, virtutem, æstimationem & dignitatem; tum etiam Scripti argumentum, scopum, summamque breviter & plane delineent ac demonstrent. Deinde, ut sui instituti, laboris, & quicquid adeo in illo edendo præstiterunt, rationem reddant. Eadem proinde & nobis, huic, quem nunc damus, Authori præmittere operæ pretium visum fuit; idque tanto magis, quanto pauciores sunt, & quidem [ut Hebræi ex Propheta Jeremia cap. 3. v. 14. loqui solent] אחד מעיר ושנים ממשפחה Unus ex urbe & duo ex familia, *qui priscorum Hebræorum monumenta vel legunt, vel legere possunt.*

Præsens itaque noster AUTHOR *vocatur* רבי משה בן מיימון RABBI MOSES FILIUS MAJEMON, *& per* ראשי תיבות *sive* capita dictionum, *h. e. abbreviate* רמבם, *quod vulgo* RAMBAM *efferunt. Natus est, secundum communem Judæorum calculum, anno Mundi* 4891. *[qui secundum nos est annus a Nativitate Christi* 1131. *] Cordubæ, celebri Hispaniæ urbe, ipsa vespera Paschatis, quæ in diem Sabbathi inciderat, hora tertia pomeridiana, uti refert* R. Abraham Zachut in libro Juchasin *fol.* 131. *col.* 2. *Alii tamen, ut* R. Isaac in libro Jesod olam, *rejiciunt ejus natalem ad annum* 4895. *cum quo convenit testimonium R. Davidis nepotis Authoris nostri, in codice quodam ipsius Talmudico repertum, de quo vide librum* Schalscheleth hakkabbalah *fol.* 41. *col.* 2. *Majores ejus itidem videntur fuisse clari & celebres. Sic enim illos recenset ipsemet in fine Commentarii super Mischnajoth (secundum allegationem Hebræorum; nam in nostris exemplaribus impressis Hebræis nihil reperio); Ego, inquit,* Moses filius Majemonis judicis, filii Josephi sapientis, filii Isaaci judicis, filii Josephi judicis, filii Obadiæ judicis, filii Salomonis, filii R. Obadiæ judicis &c. *De patre illius, quem insignem sapientem & judicem fuisse scribit R. Gedaljah p.* 44. *hanc sive historiam, sive fabulam ex antiquo fragmento refert; Ipsi scilicet, cum cœlibem vitam agere sibi proposuisset, in media ætate Virum in somnio apparuisse, ac præcepisse, ut filiam lanionis cujusdam in urbe vicina habitantis in uxorem duceret, & cum somnium vilipenderet, toties iteratum fuisse, donec in urbem illam se conferre constitueret: Ibi cum esset, tamdiu somnium hoc rediisse, donec filiam illam sibi despondisset: Ex illo conjugio hunc R. Mosen, sed tanta partus difficultate, prognatum esse,*

ut vitam filii morte sua mater redemerit. Post aliam uxorem duxisse, & plures quoque liberos procreasse. Indolem ejus quod attinet, ferunt, illum in pueritia tardi fuisse ingenii, nullamque ad studia inclinationem habuisse, ita ut pater ipsum non modo verbis & verberibus male sæpe exceperit, (בן הקצב filium lanionis cum indignatione eum appellando); sed etiam ingenii ejus pertæsus, ex ædibus tandem ejecerit. Ipsum a patre expulsum, in domum Synagogæ se contulisse, ibique obdormivisse ac pernoctasse: experrectum animadvertisse, se alium plane Virum factum esse: conspectum itaque patris sui fugientem, profectum esse in urbem quandam, in qua docuit R. Joseph F. Megas, & sub hoc præceptore illum studiorum suorum fundamenta jecisse, ac ad miraculum usque profecisse. Post multos annos Cordubam patriam caram rediisse, sed haudquaquam paternas ædes visitasse, verum die quodam Sabbathi publice ad stuporem usque audientium concionatum esse finita concione, patrem & fratres ejus ipsum accessisse, salutasse, & magna cum benevolentia recepisse, &c. Hæc & alia plura de eo refert R. Gedaljah. Sic scribitur in Tzemach David fol. 55. col. 1. Rabbi Megam fuisse præceptorem Rabbi Mosis. At Abraham Zachuth refellit hanc sententiam, dum in Chronico suo, R. Mosen a patre suo didicisse & institutum esse scribit. Quod autem omnes unanimi consensu dicant, R. Megam ejus præceptorem fuisse, & quod ipsemet in quodam loco scribat, se ab eo didicisse; ideo fieri se existimare, quod ejus Libros tantum viderit, non autem vivum audiverit: fieri enim non posse ex temporis circumstantia, ut ita se res habeat; Rabbi Megam quippe decessisse anno 901. & Rabbi Mosen natum esse anno 891. ita ut decennio tantum eo major fuerit. Huc etiam refert, quod R. Moses in commentario super Mischnajoth alicubi ita scribat; Collegi omnes libros, qui ad manus meas devenerunt, ab expositionibus Domini parentis mei & aliorum usque ad R. Joseph Hallevi, cujus requies sit hortus Eden: nam viri istius animus admirandus fuit in expositione Talmudis, nec unquam similis ipsi extitit. Hinc enim videtur colligi posse, ipsum libris ejus tantum usum esse. R. Gedaljah præterea narrat ex traditione haberi, ipsum cum præceptore suo per duodecim annos continuos, metu præfectorum Romanorum, in spelunca quadam latitasse, & ibi Legem Mosis addidicisse. In studiis ergo hoc pacto educatus, & virilem ætatem assecutus, liberis & ipse a DEO benedictus fuit, inter quos eminuit filius ejus R. Abraham, vir itidem sapientiæ & doctrinæ nomine suo tempore excellens. Extat illius Epistola responsoria ad quæstiones nonnullas a quodam R. Joseph F. R. Gersom ipsi propositas, quæ impressa est in libello Epistolarum ex toto pæne Terrarum orbe ad R. Mosen Majemonem perscriptarum. Ex eo selectiores excerpsimus, & parentis nostri libro de conscribendis Epistolis Hebraicis recenter adjecimus.

Porro, docent nos Historiæ Hebraicæ, illum ex Hispania in Ægyptum devolutum esse. In caussa dicit R. Gedaljah fol. 42. c. 1. fuisse invidos & obtrectatores quosdam. Ibi dum commoraretur, discipulos statim, ex Alexandria potissimum & Damasco nactus est, Scholam erexit, atque docendo summæ eruditionis suæ famam longe lateque per totum Terrarum orbem divulgavit. In libro Schebhet Jehudah scribitur, quod circa annum 902. supputat. min. fugerit Tzoanem in Ægypto, & sequentibus temporibus Sultani Medicus factus fuerit. Eruditionem sane habuit variam & multiplicem. Simul enim & variarum linguarum, & plurimarum artium & facultatum erat callentissimus. Inter alias linguas perfectissime calluit Hebraicam & Arabicam; sed cum animadverteret, se his linguis inter Judæos duntaxat posse inclarescere, animum quoque adjecit ad alias addiscendas, veluti Chaldaicam, Turcicam, & Medicam, in quibus indefesso studio intra paucorum annorum spatium perfectus evasit. Præter has videtur & Græcæ non ignarus fuisse; subinde enim in libris suis, Aristotelis, Platonis, Galeni, Themistii & aliorum libros citat, nisi forte in Hebræum vel Arabicum sermonem translatos illos habuerit. In Schalschelet hakkabbalah fol. 42. col. 2. asseritur, illum multa in Lingua Græca scripsisse.

Artes quod attinet, Philosophicarum disciplinarum omnium, præsertim vero Mathematicarum, fuit peritissimus, prout tum particularia ejus scripta, tum quæ sparsim in libris suis erudite de illis disserit, evincunt. Testatur etiam alicubi in hoc ipso libro More, quantum emolumentum ex Mathematicarum disciplinarum cognitione acceperit. Extat Epistola ejus Hebraica de Astrologia ad Judæos Marsilienses perscripta, quam Latine convertit Johannes Isaac Levita, edita Coloniæ anno Christi 1555. Hæc potissimum inde commendatur, quod cum Christianorum Religione in ista materia eleganter conveniat.

Theologiæ in sua Religione & fide Doctor fuit insignis, ac (quæ laus ipsi tribuenda) Fabulis & Traditionibus Talmudicis minime addictus. Sic enim scribit in Epistola ad R. Josephum discipulum suum; Cave, ne tempus tuum teras in expositione

sitione & operosa consideratione Gemaræ; ego enim in illis multum temporis perdidi, & parum utilitatis hausi.

Juris prudentiæ Judaicæ nullum peritiorem fuisse, quam ipsum, evincit id, quod totum Corpus Juris Hebræorum non solum glossis illustravit, sed etiam ex confuso & intricatissimo ordine, e lingua impura & varia, in certum ordinem, perspicuos Aphorismos, lingua Hebræa pura, stylo facili & eleganti redegit.

In Medicina incredibilem fere experientiam ipsum habuisse accepimus. Hujus enim præcipue caussa a Rege Ægypti pro Medico accersitus, & admissus, in summo pretio & maxima existimatione fuit habitus. Huc referendum, quod R. Gedaljah in Chronico suo scribit his verbis; Consuetudo tum temporis recepta fuit in Ægypto, ut Rex certis diebus solium Regium conscenderet, & juxta ipsum alia septem solia per gradus collocarentur, quibus insidebant septem Viri in toto Regno doctissimi; & in septem Artibus liberalibus, Grammatica scilicet, Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Astrologia & Musica exercitatissimi. Illam consuetudinem cum Rex quodam die observaret, dubius fuit, quonam in gradu collocare deberet hunc Rabbi Mosen; cognoverat enim, illum in his artibus omnibus universos sapientes Ægypti vincere & superare. Cæteri Medici Regii hoc conspicientes, invidia contra ipsum æstuare cœperunt, ac propterea eum falsis criminationibus apud Regem detulerunt: unde res in disceptationem coram Rege, de re medica, devenit. Receperunt illi, se coram Rege ebibituros venenum quodcunque, quod ipsis Rambam propinaturus esset, hac lege, ut Judæus primo exhauriat, quod illi sint oblaturi. Rambam conditionem accipit, ac die quodam sereno vultu discipulis suis negotium explicat, quibus summopere res ista displicuit. Ipse autem illos irrisit, ac præcepit medicinas quasdam parari, quas ei tum ante, tum post venenum assumptum exhibere debeant. Illi mox summa fide & diligentia omnia præpararunt, jejunium indixerunt, & preces pro suo præceptore ardentes ad Deum fuderunt. Ipse intrepidus coram Rege comparet, ac poculum a Medicis ceteris ipsi porrectum epotat. Quo facto, festinanter ad ædes suas properat, ac a discipulis suis medicamenta fideliter apparata accipit, quibus per Dei gratiam in vita conservatus fuit. Tertio die domum Regiam omnium cum admiratione repetiit, veneno instructus & ipse, reliquis Medicis Regiis propinandum. Venenum tremebundi sumunt, quo vix-dum exhausto decem ex illis in conspectu Regis mortui in terram concidunt. Quantam hoc factum gratiam, honorem & authoritatem Rambamo conciliaverit apud Regem omnesque Proceres aulicos, dici non potest. *Sunt tamen, qui aliter hanc historiam recitent, videlicet:* Cum Rex aliquando ægrotaret & Rhambam solus ad eum curandum adhibitus esset, ceteri Medici, occasionem nacti, venenum injecerunt in medicamentum, quod a Rambamo pro Rege præparatum erat. Quo facto, Regem accedunt, & secreto monent, certo sibi constare, venenum immistum esse medicamento, quod Rambam Regi exhibiturus esset. Potione ista a Rambamo Regi oblata, jubet Rex cani præsenti paululum de illa prius gustandum præberi. Canis sumit, & repente moritur. Rex prudentissimus suspicans scelus invidorum hic potuisse incurrere, in Rabbi Mosen non illico ira efferbuit. Rambam autem factus fuit sicut corpus absque anima. Rex ad eum conversus: Vides, ait, te mortis reum esse; nihilominus propter alia tua in me bene-merita gratiose concedo tibi, ut ipsemet mortem, qua affici velis, eligas. Rambam trium dierum spatium ad deliberandum poscit. Re interea cum discipulis suis communicata, significat eis, se hoc electurum, ut Medici Regis venas ipsi undiquaque aperiant, omnemque sanguinem extrahant; sic enim futurum, ut anima placide exeat. At vero ipsi medicamento instructi sint, quod eos parare jussit, ut fluente sanguine ipsi porrigant. Esse enim venam quandam in corde, quam a Medicis vulgo ignorari, & intactam mansuram sibi certo persuadeat. Factum est ita, & successu prospero in vita conservatus fuit. R. Moses surgens & prodiens, occultavit se in spelunca quadam, in qua per duodecim annos delituit, & ibi ingens Opus suum, quod יד *Jad* vocavit, (*propterea quod in quatuordecim libros esset divisum*) conscripsit. *Hæc R. Gedaljah. De quibus judicium Lectori relinquimus. Certiora sunt, quæ ipsemet Author scribit in Epistola quadam ad* R. Samuelem Tybbon, *quodnam scilicet in aula Regia Ægyptiorum munus gesserit, quantasque rei Medicæ caussa occupationes & molestias habuerit. Scripserat ad eum prius R. Samuel, eumque de dubiis quibusdam consuluerat, ac tandem adjecit, se, cum otium nactus fuerit, ipsummet eum conventurum, & coram plenius de singulis cum eo acturum; R. Moses inter cetera ita respondit ipsi:* Quod de adventu tuo ad nos significasti; veni benedicte Domini, benedictus esto inter omnes advenientes. Gavisus sum equidem de eo vehementer: desidero etiam suavissima tua conversatione frui, faciem-

ciemque tuam videre; licet durum mihi videatur, quod maris periculum subire necesse habeas. Verum candide tibi significo & suadeo, ne mei caussa in periculum te conjicias; nihil enim aliud assequeris, quam ut faciem meam videas; utilitatem aliquam in scientiis & artibus reportare, aut solus mecum conversari & confabulare, vel per unicam horam, sive interdiu, sive noctu, noli sperare. Immensa enim negotiorum meorum est moles, prout coram intelliges. Ego habito in Ægypto, & Rex habitat in Alkaira, inter quæ duo loca distantia est duorum quasi terminorum Sabbathicorum. Consuetudo autem sive munus gravissimum mihi est apud Regem: ordinarie enim singulis diebus summo mane mihi est visitandus, sed cum vel ipse, vel aliquis liberorum, aut concubinarum ejus in morbum incidit, non licet mihi plane pedem inde referre. Ita totum fere diem in Aula Regis consumo. Quin etiam cum præfectus unus aut alter ægrotat, cura illorum mihi est demandata. In summa; singulis diebus summo mane ascendo Alkairam, ubi cum nihil adversi offendo, statim a meridie sedem meam repeto. Eo reversus, & fame propemodum enectus, ecce compita omnia referta invenio Gentilibus & Judæis, nobilibus & ignobilibus, judicibus & exactoribus, amicis & inimicis, qui tempus reditus mei avide exspectant. Ex equo descendens, manibus pro more ablutis, hospites omnes humiliter & officiose saluto, & ad absolutum prandiolum meum patienter exspectare eos blande moneo. Hoc fit quotidie. Cibo sumpto, ad illos curandos, & remedia præscribenda prodeo. Sunt qui perdurant usque ad noctem; sæpe etiam, per fidem legis (*juramenti forma*) per plures horas in densam usque noctem auscultando, loquendo, præcipiendo & præscribendo sum occupatus, ita ut quandoque præ nimia lassitudine obdormiam, & sic defatiscar, ut vix loqui valeam &c. *Hinc apparet, quare plerumque vocetur* המצרי *Ægyptius; quia nempe in Ægypto habitavit, & maximam vitæ partem ibi transegit. Ceterum videtur & in Europæ terras pervenisse, si verum est, quod* R. Asarias *in libro* Meor Enajim *fol.* 53. *col.* 2. *scribit, inquiens;* Quod vero promisi, me sub finem hujus capitis scripturum aliquid de libro Legis, quem Esras exaravit, cujus ne memoria pereat, exscribam quod in Pentateucho inquodam antiquo Manuscripto inter libros Salomonis Salon hic Ferraræ relictos inveni, hisce verbis: *Ego Moses F. Majemon zelo Dei Israelis ductus, cum vidissem libros Legis in Ægypto, quod Paraschæ illorum clausæ & apertæ, majoresque ordines, non, prout decet, scripti erant, dixi apud me.* Tempus est faciendi Domino: nam irritam fecerunt Legem tuam, Ps. 119. 126. *Composui ergo studia mea ad scribendum librum Legis Dei nostri; Quinque videlicet libros Legis simul in quinternionibus, ut ex illis alii libri corrigi & emendari possent. Exemplar autem illud, ex quo ego transcripsi, omnes* XXIV. *Libros sacros continet, satisque notum est, illud inde a temporibus Tannaim & Amorraim Hierosolymis fuisse, eique nos innitimur. Et cum ad finem perduxissem librum meum, Deo ita disponente, excitavit me cor meum, ut proficiscerer ex Ægypto in Regnum Burgundiæ, quod est in Gallia, in civitatem* וילון, *quæ est ad fluvium* שאונה. *Studiose enim inquisivi & scrutatus sum, quod ibi inveniretur liber Legis Dei, manu sancta Esræ Sacerdotis magni & scribæ velocis exaratus. Tuli autem mecum Correctionem Scribarum, Paraschas apertas & clausas, majoresque distinctiones, quas descripseram ex Bibliis Hierosolyma allatis, & inveni omnia illic ad amussim convenire cum illo exemplari, quod mecum adduxi. Id quod maximo me affecit gaudio, ita ut voverim, singulis annis convivio solenni illum diem celebrare. Fuit autem dies* 28. *mensis Sif, h. e. Aprilis. Porro gloriæ Dei caussa laboravi, & excerpsi e libro illo omnes Dictiones defectivas, superfluas, literas magnas, parvas, variantes, inversas, ut librum Legis Dei constituerem absque superfluitate & defectu. Ad meos reversus, scripsi, sicut oportet, librum Legis, & ex eo nunc transcribunt omnes. Recordare mei, Deus mi, in bonum. Huc-usque verba ejus.* Extra omne autem dubium apud me est [*addit R. Asarias*], verba ista aliunde exscripta, neque ipsius Rambami manu exarata esse. Ut nihil dissimulem, in oculis meis valde mirabilia videntur. Si enim vera sunt, cur nullam hujus rei mentionem fecit in Halachot Siphre Thorah cap. 8. prout facit Ben Ascher meminit. Sed fortasse in fine dierum ipsius hoc contigit, posteaquam librum istum publicavit &c. *Hæc ex R. Asaria, Chronica alia nihil de eo commemorant.*

Lucubrationes ejus quod attinet, plurimæ sunt illarum, quas omnes hic recensere, nec opus est, nec opis nostræ. Maximam fere partem conscripsit lingua Arabica, quæ ipsi familiaris erat admodum. De his R. Gedaljah ita scribit; Quod si vellem omnia ejus præclara opera recensere, tempus me citius, quam illa, deficeret. Plurimos enim composuit Libros, Halachoth, Constitutiones Juris, Quæstiones & Responsiones, ac denique Commentarios. Hæc quia nota sunt, non opus est illa recensere.

Verum

Verum occulti sunt nobis multi in Theologia, in Philosophia, in Logica, in Medicina, & in Linguis multis, ut puta Arabica, Græca, & Chaldæa. Testor ego, me vidisse multos libros Medicos in linguam Latinam translatos, nomen ejus præ se ferentes. Audivi etiam pro certo, in lingua Græca & Arabica maximum illorum adhuc exstare numerum: Responsiones item, quas fecit Sapientibus urbis לויל Lunel, in Ægypto, & aliis locis, quæ nunquam ad nos pervenerunt, quas etiam possessores illorum nunquam publicare & divulgare voluerunt. *In præfatione* Mischnæ *scribit, se commentarios scripsisse super* tres partes Gemaræ, *sed illi non extant hodie. Præcipui, qui inter nos habentur in lingua Hebræa, sunt Liber* Jad, *qui &* Mischne Torah *vocatur*, More Hannevochim, Peruschim, *sive Commentarii super* Mischnajoth.

Commentarios in Mishnajoth *incepit scribere anno ætatis vigesimo-tertio, & absolvit eos in Ægypto, cum triginta annorum esset.*

Librum Jad *conscripsit duodecim annis post, ut tradit author libri Juchasin. In libro* Schalscheleth *legitur*: Librum Mischne Thorah conscripsit anno supput. minor. 936. a creatione Mundi, qui est annus millesimus centesimus septimus vastationis Templi *&c. Et mox*: In libro Jesod olam scribitur, quod quinque annos continuos in eo laborarit. *In Tzemach David par. prim. fol.* 55. *col.* 2. Rambam composuit librum Jad anno 930. Sic inveni cap. 9. in statutis Chiddusch hakkodesch. Fieri autem potest, ut non absolverit eum usque ad annum 939. h. e. duodecim annis post commentarium in Mischnajoth, secundum librum Juchasin. *Hunc librum conscripsit lingua Hebræa purissima & elegantissima. Quid contineat, de eo vide Bibliothecam Rabbinicam Patris mei* יצי. *A plurimis Nationibus in maximo habebatur pretio, adeo ut juxta illum, veluti juxta jus authenticum, caussas controversas deciderent, ut videre est in Schalscheleth f.* 41. *col.* 2. *&* 42. *col.* 1. *A quibusdam tamen (ex invidia sine dubio) reprehendebatur, & quidem hoc potissimum nomine, quod Talmud tollat, multa ipsi contradicentia doceat, & nomina Sapientum, sub quorum nominibus Traditiones in Talmude continentur, supprimat. Contra hanc accusationem legitur Epistola quædam ejus Apologetica ad R. Pinchas judicem Alexandrinum, quam vide in Appendice illa Epistolarum aliquoties a nobis jam allegata. Librum* More Nevochim *scripsit anno ætatis* 50.

Iggereth thechijat hammetim, *sive Epistolam de resurrectione mortuorum, exaravit quinque annis post.*

Quod si autem multa scripsit, longe tamen majoris fuit lectionis, ut non solum præsens hic liber, sed & alia ejus scripta testantur. Non solum enim Hebræos, quos nancisci potuit, Authores evolvit, sed & Arabes, Turcas, Græcos, Ægyptios, Talmudicos, Philosophos, Ethnicos & alios, qui passim ab ipso allegantur. Testatur in Epistola de Astrologia, & alicubi in More Nevochim, se omnes de Idololatria authores antiquos, qui ad manus ejus devenerunt, diligenter perlegisse, & ex illis Præceptorum Mosaicorum rationes addidicisse. In præfatione Mischnæ *scribit*, quod perlegerit omnes libros Philosophicos. *Quosnam discipulis suis Authores legendos suaserit, de eo consulatur Epistola, quam ad filium suum scripsit, R. Abrahamum, & alia ad R. Samuelem Tybbon. Ferunt quidam, illum adhuc ante mortem suam Cabbalam addidicisse. Sic enim scribit* R. Elia Chajim *in præfatione libri, quem vocat* אגרת חמודות leggeres Chamudos; Vidi Epistolam quandam R. M. F. Majemonis, quam Hierosolyma scripsit in Ægyptum, ad discipulum suum, in qua sic ajebat; *Posteaquam veni in terram gloriosam* (Hierosolymam), *inveni senem quendam, qui illustravit faciem meam in viis Cabbalæ: &, si olim scivissem ea, quæ nunc scio, multa scripsissem, quæ hactenus neglexi.* R. Jom. Tof filius Abrahami (*cujus nomen abbreviate scribunt* ריטבא) *in Commentario suo super librum* Jad, *in* Halachoth sive statutis Jesode Thorah *sub finem cap.* 1. *scribit*, se scire, & vidisse, quod Rambam in fine dierum suorum Cabbalam intellexerit.

De morte ejus diversa videntur scribere. Nam illi, quos modo citavi, sentiunt, illum, cum diu ante in Palæstina degisset & septuagenarius esset, ibi obiisse, & in Galilæa superiore sepultum esse, Scalscheleth *p.* 43. *col.* 1. *Contra alii in Ægypto illum extremum suum diem clausisse volunt. Sic enim in libro* Juchasin *scribit* Samuel Schullam; Inveni in quaternione quodam, quod elata sit arca emortualis R. Mosis, cujus memoria sit in benedictione, anno supput. min. 965. in Ægypto; & fleverunt eum Judæi & Ægyptii tribus diebus, vocaruntque annum illum נהי נהיה (*h.e.* Lamentum Lamentationis, ex Mich. 2. 4. *quia vox* נהי *in numeris continet* 65.) Die septimo pervenit rumor Alexandriam, & die octavo Hierosolymam. Hierosolymis fecerunt planctum magnum, & indixerunt jejunium & ferias: Æditus legit redargutiones

tiones illas; *Si in statutis meis &c. Levit.* 26. המפטיר *sive* Dimittens cœtum Ecclesiæ legit; *Et fuit verbum Samuelis ad totum Israelem &c.* 1. *Sam.* 4. & finivit; *Quia capta est Arca Dei, vers.* 22. Post-hæc tulerunt eum in terram Israelis, & inciderunt in via in latrones, quorum metu qui arcam ferebant, consternati, ea derelicta, fuga sibi consuluerunt. Latrones illorum fugam conspicientes, accesserunt, & arcam in mare projicere voluerunt, sed omnibus viribus suis non potuerunt eam loco movere, licet plures quam triginta illorum fuerint. Itaque ajunt; Vir sanctus hic est procul dubio, & ad Judæos eunt, persuadentes illis, ut in locum suum illam deferant; quin imo ipsimet Judæos comitantur, atque ita sepultus est in Tiberiade. Quidam vero dicunt, illum apud Patriarchas terræ mandatum esse in Chebron. *Hæc ex Additionibus Samuelis Schullam in Juchasin.* R. Asarias *scribit in libro* Meor Enajim *p.* 3. *c.* 25. *prope finem:* Inter libros Sapientissimi R. Esræ Mippanu Mantuæ habitantis, vidi *Commentarium Rambami super Massecheth Rosch Hasschanah, &c.* in cujus fine manu nepotis Rambami ita scriptum erat: *Rabbi Mosche author libri istius natus est patri suo, mense Nisan, die* 14. *Anno* 1446. *juxta supputationem Contractuum, in urbe Corduba: & obiit Anno* 1516. *Contractuum, die* 2. *mensis Tebbeth, h. e. Decembris. Illustravit ergo oculos captivitatis septuaginta annos, minus* 83. *diebus, &c. Vide &* Tzemach David *p.* 46. *col.* 2. Rambam ascendit ad Deum in Ægypto &c. *Sepulto honorificum monumentum erectum fuit, cui inter alia, ut in* Schalscheleth *memoratur, inscriptum fuit* מבחר האנשי *h. e.* Selectissimus omnium Hominum. *Quidam autem homines inquieti, qui turbas illas de libro* More Nevochim *excitarunt,* (*de quibus mox agemus*) *venerunt, & illa verba correxerunt, in eorum locum substituentes,* מוחרם ומין *h. e.* Excommunicatus, Anathematizatus & Hæreticus. *Attamen istos pœnitentia postmodum ductos, scribit R. Gedaljah, & Epitaphium in integrum restituisse, quod videlicet mortuus sit Anno* 965. *supp. min. cujus signum memoriale est* בכי אבל משה *h. e.* Fletus Luctus Mosis, *ex Deut.* 34. 8. *ubi duæ primæ voces literis numeralibus valent LXV. quo mortuus fuit.*

Virtutes & animi dotes quod attinet, pacis & concordiæ fuit studiosus, ab ambitione, contentionis, vindictæ studio alienus &c. Qui de his aliquid nosse vult, legat Epistolam ad discipulum ipsius R. Joseph, quæ incipit כבר העיד וכו'.

Unum adhuc restat, ut, quam post se famam [*quæ sola, ex virtute & eruditione parta, post mortem fere remanet*] *reliquerit, & quo loco omnibus inde seculis, tum inter Judæos, tum inter Christianos habitus fuerit, quoque doceamus. Varia hujus rei documenta hinc inde habentur, e quibus non nisi pauca seligemus. Tritum est inter Judæos, & passim notum, quod Hebræi de eo dicunt,* ממשה עד משה לא קם במשה, *h. e.* A Mose (*Propheta scil.*) ad Mosen (*istum Ægyptium*) non surrexit sicut Moses [*iste, qui doctrina & eruditione Mosi legislatori æquiparandus esset*]. *Adducitur ab* Elia Levita *in præfatione prosa libri* Thisbi. *Quando nomen ejus abbreviate scribunt cum adjuncta pro more fausta defuncti recordatione, hoc pacto* רמבם ז'ל *quod legendum* רבי משה בן מימון זכרונו לברכה; *tum frequentissime literas illas ita secare solent & componere,* רם במזל, *quod legi potest* רם במזל *h. e. Excelsus in sydere, fausto, felici sydere natus, ut ita simul & ejus Nomen & Præstantiam ac Excellentiam denotent. Occurrit hoc passim in Hebræorum scriptis, ubi allegatur. Alias etiam communissime ipsum appellant* מורה צדק Doctorem justitiæ, אור הגולה Lumen captivitatis. *Ex Christianis celebrarunt ejus eruditionem illi, qui eam noverunt & ex scriptis penitus cognoverunt. Duos adducam tantum ex illis testes omni exceptione majores, quibus alios adjungere religioni est, ne vel illorum fulgor obscuretur, vel fides elevari videatur. Præclarum illud totius Orbis lumen, & omnis eruditionis culmen* Josephus Scaliger *in Epist. quadam ad Isaacum Casaubonum ita scribit;* Ego non solum illum librum [More Nevochim], sed etiam omnia illius Magistri opera tanti facio, ut solum illum inter Judæos desiisse nugari dicam. *Vix unquam sine eximio aliquo elogio illius in scriptis suis (quod sæpe facit) meminit* Isaacus Casaubonus *in Exercitationibus suis contra Baronium, Exercitat.* 16. *num.* 77. Moses Majemonides [qui & Moses Ægyptius dicitur] solidæ atque ingentis doctrinæ vir, de quo videor id mihi posse vere dicere, quod Plinius olim de Diodoro Siculo, primum illum inter suos desiisse nugari, *&c.*

Satis de Authore in genere dictum: quantum quidem nunc ex libris Hebræis, qui in manibus nostris fuerunt, investigare potuimus, in quibus licet nonnulla fabulosa aut fictitia videntur, non tamen reticenda esse duximus, quia libri Hebraici, e quibus illa petita sunt, non a quibusvis haberi possunt, & tamen multi sunt, qui hæc libenter vident, eisque delectantur.

Præsentem nunc librum quod attinet, non solum ab Authore ipso, sed & ab aliis viris

viris doctis semper præ reliquis ejus scriptis in pretio fuit habitus. Conscripsit eum anno ætatis quinquagesimo, ut Chronica Hebræorum referunt, lingua Arabica, in gratiam cujusdam sui discipuli R. Josephi, prout non solum Epistola dedicatoria operi præfixa, sed & aliæ Epistolæ, quæ etiamnum extant, fidem faciunt. Argumentum & scopus libri est, ut Manuductio & Clavis veluti sit ad rectam intelligentiam Verborum, Vocabulorum, Phrasium, Metaphorarum, Parabolarum, Allegoriarum, omniumque adeo earum rerum, quæ in sacra Scriptura, secundum sensum literalem aliquid alieni, heterodoxi, paradoxi, absurdi, docere, vel exiguam aut nullam utilitatem habere videntur. Atque hinc etiam Nomen libro impositum, מורה נבוכים Doctor perplexorum; quod in eorum subsidium conscriptus sit, qui circa illa vocabula, phrases, res, נבוכים h. e. perplexi redduntur, ita ut hæreant, an secundum sensum literalem, an vero figurate & metaphorice illa capere & intelligere debeant. Allusisse autem videtur hoc titulo ad id, quod Exod. 14. v. 3. Deus ad Mosen ait, Pharaonem, quando visurus sit, Israelitas versus mare rubrum iter suum instituere dicturum, נבוכים הם Perplexi vel confusi sunt ipsi in terra. Quemadmodum ergo Moses olim eos, qui (judicio Pharaonis) נבוכים perplexi fuerunt, deduxit, & per mare rubrum viam ipsis monstravit: ita, vult dicere, se veluti alterum Mosen in hoc libro in veritatis viam directurum eos, qui circa mare illud magnum Verbi DEI obambulant, & perplexi sunt. Hinc explicantur ab ipso omnis generis locutiones & rationes loquendi impropriæ, de Deo, de Mundi creatione, de Parabolis, Metaphoris, Hyperbolis, Allegoriis Prophetarum: hac de caussa attingit Visionem Ezechielis, Historiam Jobi, & alia similia. Ex hac porro occasione, non solum infinita & innumera pene Scripturæ loca argute ab ipso explicantur & illustrantur; sed etiam Loci quidam communes plenius pertractantur, quales sunt, de Dei nominibus & attributis, de Mundi ortu & interitu, de Propheris & Prophetia, de Providentia Dei generali, & Scientia ejus particulari. Quia vero a multis tum temporis asserebatur, Præcepta Mosaica nullo deliberato consilio, nullas certas ob caussas a Deo data esse, sed solum ex mero ipsius beneplacito & voluntate proposita; ideo & contra hos disputat, tum in genere, tum in specie, Præcepta singula suas habere causas & rationes ostendens. Tandem sub finem libri etiam de illis rebus agit, quæ secundum sensum literalem in Scriptura nullam utilitatem habere videntur, docens, quomodo & illæ non frustra scriptis consignatæ fuerint. De his autem non ita agit, ut absolute & plene omnia & singula pertractet, sed singulorum generum quædam solum adducit & proponit, secundum quæ reliqua dijudicari possint ac debeant. Sed de his Author ipse in sua Præfatione disserit.

De modo autem, secundum quem Author ista omnia explicat, sciendum illum nequaquam vel Cabbalistarum, vel Talmudicorum more agere, aut illorum expositiones afferre, sed potissimum ex Scriptura ipsa, Philosophia, & sana ratione disputare. Quæ unica res sine dubio nonnullorum Judæorum odia, & turbas illas in Gallia, ejus caussa excitatas, peperit. Nam cum illi Philosophiæ ignari & Talmudicis fabulis nimis addicti essent, illum novi quid in hoc Libro moliri existimarunt, atque adeo pro hæretico fere habuerunt. Vivente ipso, jam a quibusdam contradictum illi fuisse liquet ex Epistola quadam ipsius ad R. Joseph, quæ incipit כבר העיד. Sed mentio hic potissimum facienda illorum motuum, qui in Gallia excitati fuerunt, posteaquam a R. Samuele Aben Tybbon in linguam Hebræam liber translatus, & in Galliam aliasque Nationes deportatus & divulgatus fuisset. Seditionis illius faces fuerunt, quidam R. Schelomoh fil. R. Abrahami Montis pessulani, cum duobus suis discipulis, R. Jona (qui tandem a Judaica religione, ut scribunt, defecit) & Davide filio Saulis, cujus nomen דוד בן שאול per Gematriam converterunt ad ipsius ignominiam in ממזר בן הנדה h. e. Spurius filius menstruatæ; numerus enim literarum æquipollet. Hi odio & invidia ardentes, surrexerunt Montispessuli, pluresque alios excitarunt & in partes suas pertraxerunt contra R. Mosen nostrum, variis calumniis eum proscindendo, & omnis generis occasiones, ad librum hunc diffamandum, rejiciendum, adeoque flammis devovendum, arripiendo & conquirendo. His injuriis permoti Sapientes diversorum locorum & Synagogarum in Gallia Narbonensi, tres istos seditiosos excommunicarunt. Illi, videntes rem suam non bene sibi cum vicinis succedere, ablegarunt quendam cum literis in alias Galliæ partes ad Sapientes, qui illic erant, & tantum effecerunt, ut hi vicissim Excommunicationes & Anathemata mitterent Synagogis Galliæ Narbonensis, omnesque illos, qui peregrinas artes & linguas addiscerent, vel R. Mosis libros legerent, tanquam hæreticos, proclamarent. Narbonenses, ignem seditionis periculosum accensum conspicientes, R. Davidem Kimchium senem e toto Sapientum suorum numero elegerunt, ut ad singulas Synagogas Regni Cataloniæ & Arragoniæ proficiscere-tur, ac apud illos instanter peteret, ut omnes & singulæ Urbes, Provinciæ & Synagogæ

gogæ congregarentur, & de hoc dissidio componendo, malitiosisque istis hominibus re-
primendis, deliberarent & consultarent. Kimchius iter ingressus, perficere illud non
potuit, sed adversa tempestate ac morbo præpeditus, in medio itinere substitit. Quod
tamen coram agere nequivit, id literis suis præstitit. Brevi etenim non solum a præ-
cipuis illorum Regnorum Rabbinis, sed & ab universis & singulis Synagogis communi
consensu solennes Excommunicationes & Anathematum fulmina transmissa fuerunt, qui-
bus tres supra commemorati Viri icti & prostrati fuerunt: paucis tamen, inter quos
primas tenuit R. Joseph filius Alphachar, Medicus, a R. Salomonis & asseclarum
ejus partibus stantibus & permanentibus. Nec mirum; Vetus enim proverbium est כל אומנא
סני בר אומנותיה Omnis artifex odit filium artificii sui. Ad has res sapientes Galli tre-
more & timore correpti fuere, ita ut facti sui ipsos pœnituerit, puduerit, & a Provincia-
libus veniam petiverint, humillimeque se erga illos excusarint. R. Schelomoh a Gallis se
derelictum, atque suum scopum pro voto pervenire non posse videns, ad Christianos se re-
cepit, & primo quidem vilissimos & abjectissimos quosque e communi plebe accessit, illis-
que persuasit, varios inter Judæos exsurgere hæreticos, qui perniciosas quasvis opiniones e
R. Mosis Majemonis scriptis imbibant: quandoquidem suos hæreticos comburere soleant, se
optare, ut & contra ipsorum hæreticos eodem modo procedant, & præcipiant, ut isti Li-
bri comburantur, Liber videlicet More, & Liber Maddah. Neque hic quievit, sed ad
Ecclesiastici quoque ordinis Proceres se contulit, eodemque modo cum illis locutus est, ita
ut negotium tandem ad Cardinalem, qui tum ibi Ecclesiis præerat, devenerit, ac Judæos
in maximum periculum, maximamque ignominiam præcipitarit. Hæc est brevis & summa-
ria Historiæ illius narratio, prout eam ex Epistolis ipsis authenticis & Anathematis com-
memoratis excerpere potui. Longum & tædiosum nimis foret singulas circumstantias hic per-
sequi. Qui ea scire & legere volet, is consulat Epistolas illas, quas sæpius jam citavi-
mus. De hac re loquitur Augustinus Justinianus Episcopus Nebiensis, in Præfatione sua
in hunc librum ita scribens: Cæterum fuit Author iste candidus, minimeque supersti-
tiosus; plus certe veritati addictus, quam næniis importunis neotericorum Judæo-
rum: quo factum est, ut Judæi omnes Galli in unum conspirarint, Librumque
incendio devoverint, quod nimium videretur favere Christianorum hæresi. Verum
non potuerunt perversæ alioqui mentis homines perficere quod commenti erant. Ha-
bebatur namque Liber non in Gallia tantum, sed per totum ferme Orbem in mul-
ta exemplaria propagatus. Porro, quam-primum liber iste Arabice ab Authore conscri-
ptus, inter Judæos in Oriente innotescere & nomen obtinere cœpit, cupiverunt, ut in
linguam Hebræam in eorum quoque usum transferretur, qui Arabice nesciunt. Hinc
quidam eruditione & sapientia insignes viri, Vallis præcipue Jericho, a R. Samuele
filio R. Jehudæ Aben Tybbon, qui natione Hispanus erat, sed Jerichum habitabat,
instanter flagitarunt, ut propter egregiam, qua imbutus erat, utriusque tum Ara-
bicæ, tum Hebraicæ, linguæ peritiam, hoc onus in se susciperet, atque ingenti hoc be-
neficio ipsos obstringeret. Morem gessit is, & quandoquidem in vivis adhuc Author
erat, cum de rebus dubiis per literas consulebat. Ipso etiam Authore adhuc vivente
Versionem suam absolvit, a quo ut genuina, vera & syncera approbata fuit. Testan-
tur hac de re non solum Præfatio istius R. Samuelis Aben Tybbon, quam Operi præ-
fecit, sed & aliæ tum ipsius, tum R. Mosis Epistolæ, quæ adhuc hodie extant, &
de hac re adiri possunt. In Juchasin scribitur, illos petiisse a R. Mose, ut ipsemet
transferret eum in Linguam Sanctam: sed respondisse, sibi nunc non esse integrum, ve-
rum esse inter ipsos sapientem R. Aben Tybbon, de quo certus sit, quod illud sit
præstiturus. At hoc non quadrat cum eo, quod Rambam ipse scribit Epistola sua R.
Aben Tybbon, quæ incipit לפי שכלו וכו': Ibi enim scribit, sibi non constitisse, pa-
trem ejus filium reliquisse, donec epistolam ipsius accepisset, &c. Post ipsum transtu-
lit eum quoque R. Jehudah Alcharisi, prout in Commentariis passim citatur: sed il-
lius translatio non fuit approbata. Sic enim scribit Abraham Zachuth in libro Ju-
chasin; העתקת אל חריזי אינה ראויה h. e. Translatio Alcharisi non est congrua. Se-
quentibus temporibus etiam in Linguam Latinam conversus fuit. In Schalscheleth p. 63.
mentio fit cujusdam R. Mantenu Itali, qui librum More in linguam Latinam conver-
tit. An is author sit illius versionis, quæ ab Augustino Justiniano Episcopo Nebiensi
edita est superiori sæculo, & Parisiis impressa a Jodoco Badio Anno 1520. dubito.
Nam videtur ille vixisse circa annum 320. h. e. ante septuaginta circiter annos: illa
autem a Nebiensi edita longe esse antiquior. Eam vero quod attinet, Viri summi Jo-
sephi Scaligeri judicium potius quam meum hic referre malo. Is in Epist. quadam ad
Casaubonum ita scribit; More Novochim non potest satis laudari. Et mox, Habeo
illum librum manu-scriptum sermone Arabico, charactere Judaico. Quidam doctus
Judæus convertit eum Hebraice, quem & nos quoque habemus. Sed qui Latine
vertit,

vertit, Hebraica, non Arabica, convertit, & quidem sæpe hallucinatur, neque mentem Authoris assequitur. *Paulo post*; Magna seges mendorum est in Latino. Præter illa, quæ ab inscitia Interpretis peccata sunt, accessit & inscitia Librariorum aut Typographorum. Nam fere semper legitur, *specialem*, ubi *spiritualem* legendum erat. Ex compendio natus est error. Ex eodem fonte manavit *Prophetiæ* pro *Philosophiæ*. *Bonitatem*, ubi *Brevitatem* legendum erat, *cap.* 32. *lib.* 1. Sequenti capite, *altitudo naturalis*, scribendum *aptitudo*. Infinita possem ejusmodi referre, si locus & tempus postularet. *Hæc Scaliger. Ita revera est, ut incomparabilis iste Heros scribit; Infinitis liber ille scatet mendis & erroribus, quorum plurimi ex inscitia Librariorum, qui Scripturæ veteris compendia & characteres non probe intellexerunt, non pauciores ex inscitia Authoris promanarunt. Centenos possem producere locos, in quibus ille contrarium plane ejus ponit, quod Author voluit. Totidem, in quibus voces, lineæ, periodi integræ omissæ. Innumeros, in quibus ex distinctionum corruptione sensus vel nullus omnino, vel confusus : nam sæpissime, ubi sensus distinctionem vel colon aliquod requisivit, sermo est continuatus : ubi continuari debuit, distinctio aliqua posita. De vocibus depravatis nihil dicam. Loca Scripturæ, neque ad mentem Authoris expressa, neque etiam indicata sunt. Accessit ad hæc omnia sermonis & styli pro temporum illorum ratione impuritas, obscuritas, difficultas. Ingenue hoc testari possum, in locis dubiis semper clariorem adhuc textum Hebræum mihi fuisse : tantum abest ut multum opis inde acceperim. Porro, non prætereundum hic, quod iterum Cl.* Scaliger *in Epist. quadam ad* Stephanum Ubertum *huic Libro dedit testimonium*; More Nevochim, *inquit*, Arabice a R. Mose ben Majemon conscriptus, litera Judaica nondum editus, cujus Hebraicam quoque interpretationem habemus, Liber plenus bonæ frugis, abstrusæ eruditionis, & Theologis Christianis apprime necessarius. *In alia Epist. ad* Richard. Thomson. Quanta lætitia me affecerint tuæ cum libro More hannevochim, alio argumento, quam epistola tibi probandum esset. Scito igitur, pluris mihi esse Librum, quam si *ἰσόμετρον χρυσὸν* misisses. *Idem in Elench. Tribæres. cap.* 20. Quod etiam diserte in divino Opere suo Arabico More hannevochim disputat Rambam. *Isaacus Casaubonus in Exercitationibus suis contra Baronium, Exercit.* 15. *n.* 13. Moses Majemon in More Nebukim admirandæ doctrinæ scripto *&c. August. Justinianus in Præfat. ad Stephanum Poncherium Senonensium Archiepiscopum;* More Nevochim opus sane reconditæ & minime trivialis doctrinæ, in quo multa rationibus demonstrantur Philosophicis, plurima adducuntur, quæ mire conducunt & faciunt ad intelligentiam Sacrorum librorum. *Et sub finem;* Percipies porro, illum, quæ sunt religionis, religiose, quæ philosophica, philosophice, quæ Talmudica Talmudice, ac demum, quæ sunt divina divine tractare. *Sed pluribus testimoniis adducendis supersedeo*, פוק תהי ליה בקנקניה, Prodi, odorator ipsemet in cantharum ejus, *dicebant olim prisci Hebræi sermone Babylonico, Bava basra fol.* 22. *col.* 1.

Ad hunc autem Librum de novo recensendum, & genuina interpretatione donandum, varia sunt, quæ me impulerunt & invitarunt. Cum enim ante sex circiter annos Nebiense exemplar in manus nostras incideret, atque exinde magnam utilitatem ex collatione cum Hebræo nos consecuturos speraremus, tantam & obscuritatem & pravitatem ab initio statim deprehendimus, ut non solum nullum fere ex illo sensum assequi, sed vix Hebræi codicis vestigia deprehendere potuerimus. Quæ res non solum illius nauseam, sed & novi moliminis conatum & appetitum excitavit. Quia enim tantopere passim a Viris in his literis eruditis præ omnibus aliis libris eum commendari & celebrari vidi, pro innato, quo erga has linguas amore feror, (nam רחילא בתר רחילא אזלא וברא בתר עובדיה דאבוהו Ovis post ovem, & filius sequitur opera patris sui, *ajunt Hebræi), nullam me perditurum operam mihi persuasi, si, ipsorum judicio fretus, illum non solum evolverem, sed & (quia eadem fere opera fieri potuit) nova versione illustrarem, ac commune bonum facerem. Opus igitur divino cum Numine aggressus sum, sed propemodum humeris meis impar deprehendi. Subinde enim obstacula mihi se exhibebant, quæ me deterrebant & in cœpto opere retardabant. Nam præter materiæ difficultatem (sunt enim Philosophica inter Hebræos intellectu difficillima] & stylus vere* perplexus *est : cujus rei caussam hanc esse arbitror, quod illum ad Exemplar Arabicum eamque linguam Author attemperarit. Unde factum, ut & novas Voces, & Phrases in Hebræum idioma introduxerit. At vero tum adminiculis, quæ ad manus erant, adjutus, tum Virorum doctorum judiciis & monitis in proposito confirmatus, tandem Divina assistente gratia ad finem Opus perduxi. Usus enim sum Exemplari tum impresso, tum in pergameno manuscripto. Impressum exemplar editum est Sabionetæ, & adjunctos habet trium Rabbinorum commentarios*, Ephodæi, Schem Tobh, [*qui nescio an idem sit cum illo* Calo Calonymo Hebræo, *qui Averrois Metaphy-*

 sicam

sicam transtulit, ut in præfatione illius commemoratur: Calonymos enim Græcis idem, quod Shem Tobh Hebræis) & Craskasi, qui non raro lucem mihi attulerunt & auxilio fuerunt. Et quando impressum Exemplar menda fortassis habebat, (prout non pauca deprehendi) opportune tum mihi affuit manuscriptum exemplar, ex quo illa corrigere promptum erat, præsertim vero pag. 146. b. ubi aliquot lineæ omissæ fuere, quas sane absque hoc subsidio divinare & conjectare nemo potuisset. Licet autem non ab omnibus, tum de ipso libro, tum de meo hocce labore, idem judicium latum iri probe sciam, hoc præsertim tempore, quo non solum propter armorum strepitus Leges silent, & studia prostrata jacent, secundum illud Hebræorum אם ספרא לא סייפא ואם סייפא לא ספרא h. e. Si literæ, non arma: si arma, non literæ, in Avoda Sarah pag. 10. c. 1. sed & singulari fato, hæ literæ, dum ad summum fere pervenerunt, in imo simul jacent: attamen propterea non supprimendum esse censui. Ut non nobis solum, sed posteritati maxime arbores plantamus, ædes exstruimus, sic & hic illius ratio habenda, in qua erunt, qui hæc aliquando studiosius requirent & deamabunt. Nec tamen dubito, quin & nunc futuri sint, qui æquius de eo sint judicaturi, & illius usum perspecturi; ii videlicet, qui paullo profundius in Philologiam Hebraicam se demiserunt; לבות החכמים יש להם עינים רואות מה שאין רואים הפתאים Corda sapientum oculos habent, quibus cernunt ea, quæ simpliciores non vident, inquit hic noster Author in Epistola de Astrologia. Si non absolute vel ad farinam, vel ad salutem sunt necessaria; scire tamen illa & intelligere nihil nocebit. Si non sunt sapientia ipsa, sint פרפראות לחכמה h. e. delitiæ, condimenta, vel ornamenta sapientiæ & doctrinæ, ut R. Elieser de scientiis Mathematicis loquitur in Pirke Avos cap. 3. Si non omnia bona sunt & præstantia, erunt aliqua: ac proinde legamus ea, prout R. Meir Rabbinorum libros esse legendos monuit; רימון מצא תוכו אכל קליפתו זרק Qui malogranatum [dicebat] invenit, comedat meditullium, & corticem abjiciat, in Chagiga fol. 15. col. 2. Ea quod attinet, quæ forte Religioni Christianæ contraria in eo videri possint, qualia nonnulla virgula censoria in margine testigimus, non sunt multa, nec amarulenta. Rejicere & resecare non videbatur consultum. Authorem castrare noluimus. Nemo illa ita interpretabitur, ac si a nobis approbarentur; nemo etiam illis seducetur. Non nisi a doctis istiusmodi libri leguntur, qui firmiori judicio sunt præditi. Et in Ethnicorum libris talia reperiuntur, qui tamen e Scholis nostris ideo non exterminantur. Ut ut multa contineat, quæ etiam apud nostros, & forte planius & plenius reperiuntur: alia tamen plurima quoque habet peculiaria, quæ observatione sunt dignissima. Varia sunt, quæ ante hæc, & huc usque Viri docti ad bonarum literarum illustrationem inde protulerunt. Erunt forte & imposterum, qui id facient, & melius facere hac versione adjuti poterunt. Præterea si nihil aliud haberet, hanc tamen utilitatem non contemnendam præstat, quod immensos in Hebraica lingua progressus inde facere poterit, qui cum Hebræo conferre volet. Nulli meliores sunt præceptores ad Rabbinica legenda, quam scripta talia, quæ in linguam aliquam vulgarem translata, ad Hebraica intelligenda nos veluti manu ducunt. Nam si vocis & sententiæ alicujus sensus nobis sit manifestus; facile etiam constabit de legendi ratione, & punctis adjiciendis. In transferendo eam rationem observavi, ne nimis longe ab Hebraica dictione recederem, non etiam mordicus nimis illi adhærerem, ne vel sensus fieret obscurior, vel fontis gratia & scaturigo periret. Stylum materiæ attemperare coactus fui, quæ cum Philosophica sit & scholastica, talem quoque sermonem postulavit. Quod si alicubi forte erravi, cogitandum, in tam vasto Opere fieri aliter vix posse, ac propterea condonandum. Alia ratio est, cum sententia vel periodus aliqua tantum ex Hebræo transfertur: alia, cum integer tractatus. Si sermo & stylus non ubique est ad palatum & Hebraismum redolet, sciendum, iis hic etiam indulgendum fuisse aliquid, qui in linguæ Hebrææ studio exinde proficere cupiunt, ne in collatione impediantur. Et certum est, vix ita pura esse posse ea, quæ ex alia lingua & ab alio sunt translata; in his præsertim linguis, quæ non sunt usuales, sed ex libris addiscuntur: semper aliquid ex stylo Authoris & linguæ originalis adhæret. Sæpe etiam singulares subsunt emphases & energiæ, quas libenter retinere & doctis intelligendas ac dijudicandas proponere volumus. Majoris jucunditatis gratia non solum notis marginalibus, sed & Indicibus Librum illustravi. Locorum Scripturæ Indicem, qui in Hebræo codice erat retinui eo modo & ordine, quo illic reperitur, sed Latine translatum, & adjectis librorum, capitum, & versuum notis, quæ ibi desunt. Animus quidem erat, Hebraicum quoque textum & notas adjungere, & e re fuisset, sed certæ sunt caussæ, quæ illud nunc impediverunt. Ubi videbo, quo vultu hæc accipiantur, & illa desiderentur, poterit adhuc fieri, si Deus gratiam, vires & valetudinem prorogat. Script. Basileæ X. Kal. Mart. Anno CIↃ IↃ C XXIX.

Hactenus *Buxtorfius*. Quæ ſequuntur, ubi breviter vita *Maimonidis*, at uberrime ejus opera recenſentur, pleraque ex Tomo primo p. 834. ſqq. & Tom. III. 771. Bibliothecæ Hebraicæ celeb. Wolfii deſumpta ſunt.

ר׳ משה בן מימון *R. Moſe f. Maimon h. e. Maimonides*, ſeu ut plenius in calce comm. in *Miſchnam* Ed. Veteris Neapol. ex Cod. Mſſ. [vide *Pocok*. præf. ad Portam Moſis] appellatur *Moſes fil. Maimon Judicis fil. Joſephi Sapientis*, *fil. Iſaaci Judicis*, *fil. Joſephi Judicis*, *fil. Obadiæ Judicis*, *fil. Salomonis Doctoris*, *fil. Obadiæ Judicis* per ראשי תיבות i. e. literas nominis initiales רמבם non רמבן, cum quo quidam perperam confundunt, plerumque dictus, ab aliis etiam ר׳ מורה i. e. *Doctor*, tum a doctrina, tum a libri *More* Nevochim titulo, vel ſimpliciter Moſes quaſi κατ' ἐξοχὴν vel Moſe *Ægyptius* [1] a loco commorationis, vel *Moſes Cordubenſis* a patria vocatus. *Herbelotus* in Biblioth. Orientali pag. 538. ait appellari, *Abu Ambram Mouſſa fil. Majemoun Alkortobi al Jehoudi*, additque eundem per aliquot tempus in Hiſpania Mahumedaniſmum ſimulaſſe, inde vero in Ægyptum ſeceſſiſſe, & ſuſcepta Judaiſmi profeſſione Patronum inveniſſe *Al Fadhel Al Baiſſani*. Natus eſt Cordubæ in Hiſpania A. M. 4891. i. e. C. 1131. die Sabbathi eademque veſpera Paſchatis, hora tertia pomeridiana ceu poſt *Juchaſin* f. 131. *6*. Judæi plerumque tradunt; quamvis R. *Iſaac Iſraelita* in lib. MS. יסוד עולם & *R. David* [2] noſtri nepos in an. 1136. & vetus quidam quaternio, teſte *Schalſcheleth* p. 42. *6*. in an. 1132. referat. Hic itaque Patre *Joſepho* natus, ob ingenium ſtupidum patri inviſus, ad *R. Joſephum fil. Megas* [cujus tantum ſcriptis liber *Juchaſin* p. 131. *6*. uſum eum eſſe ex temporis ratione non inepte colligit] abiit, cujus diſciplina edoctus & in patriam reverſus communi omnium plauſu in Synagoga peroravit ceu teſtatur *Schalſcheleth* p. 43. Patris ſui & *Joſephi* tanquam præceptorum ſuorum ipſe meminit in præfat. ad Ordinem *Seraim*, quibus addi etiam debent Arabes, *Ibnu Thophail*, *Ibnu Saig*, & *Averroes*, quod facile credimus *Leoni Africano* de Scriptoribus Arabibus apud *Hottingerum* in Biblioth. p. 288. Horum ope cum variam ſibi in Theologicis, Philoſophicis, & aliis ſcientiarum generibus [3] doctrinam comparaſſet, invidiamque ſuorum ac odium cavere non poſſet, teſte *Schalſcheleth* in Ægyptum (4) profectus eſt, ibique & ſermone & ſcriptis plurimis docuit alios, tandemque Archiater Regis Ægyptii *Saladini* conſtitutus gratia & autoritate valuit, quod ipſe ſcribit in Epiſtola ad *Samuelem Tibbonidem* p. 379. Inſtitut. Epiſtol. Hebr. *Buxtorfii*, ubi parum ſibi otii ex hoc munere relinqui ſcribit, inprimis ideo, quod ipſe Ægyptum, Rex vero Cairum incolat, a quo proinde quodam intervallo ſit ſejunctus. Adde *Menaſſe ben Iſrael in ſpe Iſraelis* p. *96*. *Schalſcheleth* p. 43. *6*. & *Scheveth Jehuda* p. *162*. Ed. Lat. Elogia ipſi a Judæis & Chriſtianis collata commemorare hic longum foret, quæ legi cumulate poſſunt in *Eduardi Pocockii* præfat. ad Portam Moſis, *Buxtorfii* præfat. ad *More Nevochim*, *Thom. Pope Blount* p. 274. *Gejeri* præf. ad lib. de luctu Hebr. *Carpzov*. not. ad *Schikardi* Jus Regium Hebr. p. 88. & *Radulphi* Skinneri dedicat. tract. *Maimonidæi* de Pœnitentia *Anglice* converſi, quæ etiam inter Epp. *Jac. Uſſerii* n. 102. le-

(1) Cavendum igitur eſt, ne *Maimonidem* a *Rambam*, aut *Moſe Ægyptio*, diſtinguamus, cujus generis errorem notavit in *Caſaubono* (quamvis non nominato) *Wagenſeil*. in præfat. ad *Sota* p. 2. & Rich. *Simonius* in Epp. Selectis ep. 24. p. 178. Sic & *Geſnerus* p. 509. Biblioth. ex *Maimonide*, *Moſe Cordubenſi*, & *Moſe* Aphoriſmorum Medicorum autore tres diverſos effinxit, qui pro uno erant habendi.

(2) Verba *Davidis* hujus, quæ ex calce Comment. *Maimonidis* Ms. in Tract. *Roſch Haſchana* refert *Scalſcheleth* p. 42. in *Meor Enajim* p. 96. *6*. fine, qui ea ſe in Cod. Ms. *Eſræ* Fanenſis legiſſe teſtatur, latine ita habent. *Magiſter noſter Moſes author hujus libri natus eſt patri ſuo Menſe Niſan die* 14. *an.* 1446. *Contractuum in urbe Corduba. Obiit autem an.* 1516. *Contract. die* 20. *Thebeth. Itaque illuſtravit oculos exilii* 70. *annor. minus* 23. *diebus. Et Aba Mori filius ejus natus eſt an.* 1496. *Contract. atque mortuus eſt an.* 1566, *Contract. Ego autem Rav Senioris Moſes natus ſum patri meo in Ægypto an.* 1534. Computus hic facile ad Æram Chriſtianam revocabitur, ſi obſervetur, Æram contractuum incidere in an. ante C. N. 310. ut proinde annus Contract. 1446. reſpondeat A. C. 1136. annus vero 1516. A. C. 1206. quo proinde ſecundum hunc computum obiiſſe cenſendus fuerit. Neuter computus approbari poterit, ſi ipſum audiamus *Maimonidem* in calce Comment. Miſchnici Verbis mox citandis, teſtantem *abſolviſſe ſe expoſitionem iſtam* an. Contract. 1479. an. ætat. 30. Demtis enim his annis 30. natalis ejus annus incidet in an. Contract. 1449. qui eſt C. 1139. præſtructo obierit A. C. 1209. ſi 70. vitæ annos expleverit.

(3) Πολυιστορίας laudem nemo noſtro abjudicabit, quam & ſcripta ejus, & Buxtorfius in præfat. ad *More Nevochim* ipſi vindicarunt. Tantam ſcientiarum varietatem ſibi comparavit πολυγλωττίς. Præter *Arabicam* enim in qua pleraque ſcripſit, *Chaldaicam*, *Turcicam*, & *Medicam*, teſte *Schalſcheleth* p. 43. *6*. imo etiam *Græcam* calluit, in qua poſtrema ſcripta quædam ejus exſtare, per multas vero epiſtolas eadem lingua ad exteros exaratas deſiderari ſcribit *Schalſcheleth* p. 44. 2. Hinc videri etiam poterat *Ariſtotelis*, *Platonis*, *Galeni*, aliorumque Scriptorum Græcorum commentationes, quas ſæpe allegat, *Græce* legiſſe, niſi quod malim, eas *Arabice* converſas in manibus ejus fuiſſe cenſeas.

(4) *Leo Africanus* apud *Hottingerum* p. 288. Bibliothecarii Corduba noſtrum ideo aufugiſſe teſtatur, quod vereretur ne prodendus ſibi eſſet *Averroes* ejus quondam præceptor, qui tunc inter Judæos verſatus fuerit. Aliam reddit rationem *Scheveth Jehuda* p. 162. Ed. Lat. nuper edictum per Africam & totum Orientem contra Judæos tunc promulgatum.

gitur. Summatim Judæis audit רב המאמין *doctor fidelis* in *Juchasin* נשר הגדול *Aquila magna*. המאור הגדול החכם השלם *lumen magnum*, *sapiens*, *perfectus* in *Halicoth Olam* p. 14. כבוד המזרח ואור המערב *gloria Orientis*, & *lux Occidentis* in *Schalscheleth*. Imo a *Mose* ad *Mosen* non extitisse huic *Mosi* similem iidem adfirmant, sicut *Scaligero* lib. I. ep. 62. *Casaubono* ad Baronii Annales Exercit. XVI. p. 538. & *Petro Cunæo* I. de Rep. Hebr. p. 11. primus visus est inter Judæos nugari desiisse. Quod Elogium quo sensu accipiendum sit ostendit *Wagenseil*. in præfat. *ad Sota* p. 2. sq. Obiit, si *Schalscheleth* p. 44. 6. credimus in terra Sancta, in qua per aliquod tempus commoratus erat, an. ætatis 70. si magis audimus *Samuel Schullam* ad lib. *Juchasin* p. 131. Obiit in Ægypto, quorum uterque tamen annum fatalem referunt in A M. 1465. C. 1205. quem alii communiter, ceu paulo ante vidimus, constituunt 1201. prout sc. annus natalis diversimode numeratur. *R. Immanuel fil. Jekuthiel* in annotat. ad לוית חן cap. IX. p. 31. & cum eo *Ganzius* obitum collocant in an. 1964. C. 1204. In Ægypto & quidem *Cairi* diem obiisse cum *Schullam* scribit *Leo Africanus* apud *Hottingerum* in Bibliothecario, & quidem an. Hegiræ 640. C. 1262. quo ipso a ceteris nimium abit: quod adhuc magis fit in *Sal Virgæ Scheveth Jehuda* (¹) quem *Gentius* sub Historiæ Judaicæ titulo edidit p. 410. ubi an. 5165. qui responderet A. C. 1405. Cairi dicitur defunctus. Additur ibidem annum illum 65. notatum fuisse per vocem נהי i. e. *luctus* ex Mich. 11. 4. cujus vocis literæ numerum 65. producunt, qui itidem nascitur ex בכי אבל ex Deut. XXXIV. 8. ubi legitur בכי אבל משה quæ verba monimento insculpta fuisse testatur *Schalscheleth* p. 44. 6. *Georgius Abulpharajus* in Histor. Dynastiarum p. 297. refert annum ejus Emortualem in an. *Hegiræ* 605. *Anno* (inquit) *sexcentesimo quinto* (sc. Hegiræ qui ex plerorumque sententia respondet A. C. 1227.) *e vivis excessit* Moses Ebn Maimon Judæus Hispanus, *veterum scientiis studium in Hispania impenderat*, *ibidemque solidam disciplinarum Mathematicarum scientiam paraverat*, *ac Medicinæ operam dederat*, *adeo ut ejus scientiam optime calleret*, *ac praxim exercendi audaciam sibi non sumeret*. *Ad religionis Islamiticæ professionem compulsus*, *eam præ se tulit*, *clam Judaismum retinens*. *Cumque particulares Islamismi ritus*, *qui lectionem & orationem spectant*, *exercendi necessario essent*, *illud fecit*, *donec tandem*, *postquam res suas composuisset*, *oblata migrandi opportunitate*, *ex Hispania una cum familia sua discederet in Ægyptum; ubi sedem in urbe Phostat inter Judæos figens*, *religionem suam palam professus est*, & *mercaturam in gemmis aliisque ejusmodi rebus exercendo victum paravit*. *At ubi* Al Azz *Ægyptum occupaverat*, *abolitumque esset* Aliadarum *imperium*, *cum benevolentia complexus* Alkadi Al Phadel Abdol Rakim Ebn Ali Al Baisani, *ipsiusque rationem habens*, *stipendium ei ratum assignasset*, *se medicis adjunxit*, *ita ut sua unius sententia non niteretur*, *ob experientiæ defectum*, *cum curationi* & [ægrotorum] *regimini adsuetus non esset*. *Doctus etiam fuit in Judæorum lege*, *librumque de eorum religione composuit*, *cui titulum indidit*, Delalah [i. e. Judex sive Directorium, Hebr. מורה נבוכים] *quem eorum alii laudant*, *alii vituperantes* Dhelalah [i. e. errorem] *appellant*. *Philosophorum sectæ præcipue deditus fuit*. *Epistolam etiam composuit de resurrectione mortuorum*, *quam cum illi vitio verterent Judæorum primores*, *clam eam habuit*, *nisi illis*, *qui ejusdem cum ipso sententiæ essent*. *Morte imminente*, *hæredibus suis in mandatis dedit*, *ut ipsum*, *ubi desiisset corpus olere*, *ad Tiberiadis lacum translatum*, *ibi sepelirent*, *quod ibi essent multorum piis apud ipsos sepulchra*, *quod & isti factum est*. Ex mortis nuncio ad Cives Cairi luctus triduanus nec minus ad Alexandrinos & Hierosolymit. qui & jejunia & ferias indixerunt, pervenit, quam in rem vide *Juchasin* & *Scheveth Jehuda* l. c. ubi utrinque res miraculo proxima, quæ cadaveri *Maimonidis* in terram Sanctam transportando, acciderit, refertur, exigua & inter ipsos Judæos dubia fide, cum *Schalscheleth* ipsum in terra Sancta mortuum esse testetur. Ex signo illo memoriali utroque quod adduximus, id certo affirmari posse putem, quod anno 4965. C. 1205. exspirarit. *Schalscheleth* p. 44. 6. eum in *Galilæa superiori*, *Sam. Schullam* ad *Juchasin* p. 131. 6. *Tiberiade*, vel ex aliorum, quam memorat ibidem sententia in *Chebron* sepultum ajunt. Fuerunt autem, qui monumentum sepulchrale a Maronitis Pastoribus in monte Nebo, ut ajunt, an. 1655. detectum, quod *Mosis Servi Domini* nomine inscriptum fuerit, de nostro *Maimonide* interpretandum dicerent. Retulit rem *Georg. Hornius* in Histor. Ecclesiast. & Polit. p. 364. 6. de *Maimonide* vero nostro accipi voluit *Wagenseilius* in observat. ad Lib. *Sota* p. 327. qui tamen dein-

(¹) Satius fuerit mendum hic librarii agnoscere, qui compendii causa pro התקסה omissis prioribus duabus literis scripserit ק"סה i. e. 165. quod deinde Interpres Latinus adhuc magis corrupit addendo Millenar. V. notam 5165.

deinde, mutata ſententia, in Pera Juvenilium Librorum Tom. III. p. 378. tutius adfirmavit, rem totam fabulis & commentis abſolvi, præcipue cum ex *Tenzelii* Dialogis menſtruis anni 1693. p. 586. ſq. intelligitur, *Jobum Ludolfum* de veritate eorum, quæ *Hornius* ſcripſerat, & *Stephano Petro* Patriarcha Antiocheno quærentem, reſponſionis loco accepiſſe, totam narrationem eſſe falſam. Confer ſi placet de hoc negotio *Hermanni Witſii* Miſcellanea Sacra lib. 1. c. XVII. §. 13. ſeqq. *Criticum Eruditum* Tom. I. q. 47. & V. C. *Jo. Jac. Schudt*, in compend. Hiſtor. Judaicæ p. 73. ſq. Nos quidem de monimento ejus ſepulchrali minus ſolliciti, ingenii, quæ exiſtant, monumenta propius intuebimur. Eorum tanta olim fuit copia, ut autor *Schalſcheleth* ea a ſe recenſeri poſſe neget. Primum omnium, quæ ætatem tulerunt, fuit.

פירוש המשנה *Commentarium in corpus Miſchnicum*, quod in Hiſpania an. ætatis 23. ſcribere cœpit, in Ægypto vero anno 30. abſolvit, ut ipſe teſtatur in calce hujus commentarii, *ſe abſolviſſe expoſitionem iſtam* anno contractuum 1479. qui incidit in an. 30. ſuæ ætatis. Hos commentarios exaravit lingua Arabica idque ob linguæ illius amplitudinem & perſpicuitatem, uſumque ejus, cui illius ætatis homines adſueti erant, late diffuſum, ceu ſcribit *R. Jacob*, qui comm. ejus in *Seder Naſchin* hebr. convertit, citante *Pocockio* ad portam Moſis, in qua etiam manu exarati in variis Bibliothecis adhuc exſtant, v. c. in *Bodlejana* inter Codices *Pocockianos* n. 79. ſqq. *Pariſiis* in *Colbertina* n. 4279. in 4. in *Sorbonica* codice Membranaceo in fol. ſed ab initio mutilo num. 1. iterumque num. XXXIX. codice chartaceo. De eodem forte accipiendum eſt aliud volumen partim membranaceum partim chartaceum quod ibid. num. 50. 4. ſub titulo *Ritualis Moſaici Harambam de obſervantiis Hebraicis* exſtat, niſi quod malim de *Jad Caſaka* ejuſdem interpretari malis. Comment. in *Neſikin*, *Kodaſchim*, & *Taboroth* MS. in fol. apud *Oppenheimerum* in membrana in volumine ampliſſimo, & luculento. In calce dicitur illum *Maimonides* ſcripſiſſe an. ætatis 23. & intra ſeptem annos abſolviſſe. Comment. in Codicem הוריות *Arabice* ſed literis Hebraicis exaratus occurrit in Bibl. *Bodlejana*, inter Codices *Eduardi Bernhardi*. Codex eſt Chartaceus, & luculente ſcriptus in 4. Ejuſdem Comment. *Arabicus* in cap. X. *Sanhedrin fol.* 1. ſq. *Hebraicus* autem in *Pirke Avoth* fol. 10. ſeqq. MS. eſt in Bibl. *Bodlejana* inter Codd. *Pocockianos* hodie n. 68. *Hebraice* idem in cap. x. *Sanhedrin* vel potius præfatio MS. extat in Bibl. *Uffembachiana*, cujus vide Catal. Parte 1. p. 93. Sic & cl. *Guil. Surhenuſius* p. 8. præf. in Miſchnam teſtatur, Judæos Liburnienſes ſibi petenti eoſdem Arabica lingua inſcriptos Amſtelodamum miſiſſe. Iidem deinde ex Arabico Hebraice per partes diverſo temporis intervallo converſi ſunt, facto initio a præfat. in *Pirke Avoth*, cujus verſio debetur *Samueli fil. Judæ Tibbon*, qui & comm. in cap. X. *Sanhedrin*, teſte *R. Jacob filio Moſis* עכסי, interpretatus eſt. Poſtea *R. Jehuda fil. Salom.* Chariſi rogatu Judæorum Maſſilienſium, quod ipſe ſcribit, totum opus interpretari adgreſſus eſt, quod num perfecerit, non conſtat, cum ex verſione ejus, ſi interpretationem præfationis in *Seder Seraim* & quinque ejus tractatuum priorum exceperis, ſuperſit. Cum illæ partes ad Judæos Romæ habitantes perferrentur, illi quidem opus integrum deſiderantes *R. Schimcha* legatum *Barcinonem* miſerunt, qui deinde ſpe illius obtinendi ibi fruſtratus, *Weſchkam* Arragoniæ urbem profectus eſt, ibique duos codices *Moed* & *Naſchim* Arabice ſcriptos invenit quorum priorem *R. Joſe fil. Iſaac fil.* אלפועל vel אלופל *Alpual* vel *Aluphal* hebraicum fecit & abſolvit an. æræ contractuum 1557. i. e. an. Chriſti 1247. quam operam reliquis *Seraim* tractatibus, qui ſc. a *R. Jehuda fil. Salom.* converſi non erant, ſe præſtitiſſe ipſe ſcribit. Poſteriorum, nempe ordinem *Naſchim*, interpretatatus eſt *R. Jacob* fil. *Moſche* fil. אכסאי *Achſai* cognomine בדרש, uſus ope *R. Chajim* fil. *Salom.* fil. *Baka* Medici, quod ex ipſius *Achſai* præfat. apparet. Hinc *R. Schimcha* Ceſarauguſtum profectus *Maimonidis* Commentarios in ceteros ordines, excepto *Taboroth*, Arabice reperit, ex quibus expoſitionem Ord. *Neſikin* (præter *Pirke Avoth* jam ante quod diximus translatum) convertit *Salom. f. R. Joſeph. f. Jacob*, de mendoſo & alicubi imperfecto exemplari Arabico conqueſtus. Ordo vero *Kodaſchim* interpretem invenit *Nathan* quem שׁי *Nathanael* vocat medicum *fil. Joſephi* fil. אלמלי *Almeli* qui itidem exemplar ſuum mendis fluxiſſe ſcribit. Denique ordo *Taboroth* ſuum nactus eſt interpretem, cujus tamen nomen in editis fruſtra requiras. Hæc omnia ex præfationibus ſingulorum interpretum intelliguntur, ex quibus ea in compendium retulit *Eduardus Pocockius* in præfat. ad portam Moſis.

Hi itaque commentarii *Hebraice* converſi cum ipſo Miſchnæ textu, & *R. Bartenoræ* expoſitione aliquoties lucem viderunt, & quidem *Sabionetæ* 319. [1559. 4.

Man-

Mantuæ 321. & 322. C. 1561. & 1562. 4. *Venetiis* 326. C. 1566. fol. iterumque 366. C. 1606. fol. literis quadratis. Ordines tres *Seraim*, *Moed*, & *Naschin* cum utroque commentar. *Amstelod.* 1689. & seqq. opera V. C. & de his literis præclarius merentis *Guil. Surhenusii*, qui solus latinam commentariorum illorum interpretationem, si paucos tractatus, ab aliis conversos, de quibus in recensione Talmudis dicemus, exceperis, perfecit.

Præfationes quas nonnullis vel ordinibus vel codicibus præmiserat *Maimonides*, Arabice sed literis Hebraicis cum latina sua versione edidit *Eduardus Pocockius* sub titulo *Porta Mosis* (i. e. præfatio vel introductio, quam Hebræi etiam שער i. e. *portam* vocare solent, per quam aditus ad lectionem ipsam patet) *Oxon.* 1655. 4. Sunt autem ; præfat. 1. in *Seder Seraim*. (Hæc etiam Hebraice seorsim præmittitur *Scaphtel Horvvitz* libro שפע טל; extat etiam Latine ex versione *Pauli Riccii*, sed in compendio Tom. 1. Scriptorum artis Cabbal. *Jo. Pistorii*) quæ totius Mischnæ, & Gemaræ rationem exponit : 2. in *Pereck* Chelech ([1]) seu caput X. *Sanhedrin* 3. in *Pirke Avoth*, ubi de natura animæ hominis, facultatibus ejus, virtutibus item & vitiis. Hanc a *Jac. Mantino* Judæo latine conversam & *Bononiæ* apud *Hieronymum de Benedictis* 1520. 4. editam esse scribit *Bartol.* tom. III. p. 859. Prodiit etiam cum nova Versione Latina *Cneji Corn. Vythage Lugd. Batavorum* 1683. 8. p. 78. sub titulo : *Explicatio* R. Mosis Maimonidis Cordubensis *super Patrum sive Seniorum Judæorum sententias, complectens octo capita, ubi præclara multa cum in Theologia tum Philosophia doctissime explicantur*. 4. in ordin. *Kodaskim* 5. in ordin. *Taboroth* & 6. in Codic. *Menachoth*. Harum præfationum versio latina *Pocokiana* a Cl. *Surhenusio* suis locis corpori Mischnico est inserta, sicut annotationes Miscellaneas, quas eorum occasione descripserat *Pocockius*, seorsim optimo consilio edidit cl. M. *Christianus Reineccius*, *Lipsiæ* 1705. 4. Ceterum has *Maimonidis* in Mischnam commentationes, quarum tamen loco nonnulla in יד חזקה ipse retractat, Judæi æque ac Christiani preceteris omnibus ita prætulerunt, ut in illis potissimum acquiescerent. Unus forte est *Guil. Guisius* Anglus, qui in suis ad Codices quosdam Mischnicos notis subinde sinistre admodum de hoc *Maimonidis* labore judicavit, omni opere contendens, eum & linguam Arabicam non satis intellexisse, & in exponendis ritibus nugas agere. Sed id quidem immitius judicium juvenili ([2]) tum temporis igneoque alioquin & literis his probe exculto *Guisii* ingenio facile condonaverit prudens Lector.

יד חזקה *Manus fortis* [3) qui liber alias etiam vocatur משנה תורה, a *Paulo Burgensi* in scrutinio Scripturarum passim *Deuteromium* appellatur [4] *repetitio legis* vel מימוני *Maimonedeum* si opus, vel a libro 1. simpliciter ס׳ מדע quo titulo venit in Anonymi libro Medico apud *Wagenseil.* in Exercit. II. p. 80. Et in *Juchasin* p. 131. 6. Hunc lingua Hebræa purissima elaboravit an. 4936. C. 1176. secundum *Schalscheleth* p. 42. 6. vel 4930. C. 1170. Secundum *Zemach David* ad hunc annum, duodecim post commentarium in Mischnajoth annis ([5]) secundum *Juchasin* p. 131. 6. per quinque annorum intervallum, quod tradit ex libro *Jesod Olam* autor *Schalscheleth* l. c. Isti labori incubuit *Maimonides*, si Judæos audimus in spelunca, in quam se invidiam Regis Ægyptii, quam hostes ipsi conflaverant, evitaturus receperat. Eo opere lingua Hebraica elegantissima, teste *Juchasin* p. 130. 6. exarato sistit compendium Pandectarum Talmudicarum, non vero, quod sibi vir doctus ([6]) a *Wagenseilio* præf. ad lib. *Sota* notatus, persuasit, commentarium in præ-

([1]) In B Senat. Lipsienis Cod. *Wagenseil.* exstat hæc præfatio seorsim M. S. in 4. n. 6. sed ita, ut negligatur præfamen aliud in editione *Pocockiana* non obvium, & prorsus ἀνέκδοτον. Eodem codice comprehenditur præfatio in *Pirke Avoth*.

([2]) Natus est 1655. in vico *Glocestriæ* vicino, obiitque 1683. 3. Septemb. Variolis extinctus an. ætatis 31. ceu testatur *Thomas Smithus* in vita *Eduardi Bernhardi* p. 50. Confer de eo *Antonii de Wood* Athenas Oxonienses Tom. II. p. 565. Et *Eduardum Bernhardum* in præfatione Versionibus Mischnicis *Guisii* præmissis. *Jo: Millio* p. 168. proleg. in N. T. *Orientalis & quidem omnigenæ literaturæ pro ætate miraculum* vocatur.

([3]) Titulus partim ex allusione ad Deut. XXXIV. v. ult. partim ex ipsius operis conditione est repetendus, quod cum quatuordecim libris absolvatur, qui numero literis יד exprimitur, hoc titulo commode insigniri posse authori videbatur.

([4]) Hic titulus desuptus est ex Deut. XVII. 18. ubi hæ voces ab interpretibus varie vertuntur, quam in rem inprimis vide *Carpzovium* ad *Schickardi* jus regium Hebr. p. 82. sqq. V. C. *Herm. Von der Hardt* in effigie juris Judaici p. 34. & sq. & Cl. *Jo: Buxtorfii* catalecta Theol. Philolog. p. 194. sq. *Jo. Picus Mirandulanus* lib. IX. c. 11. adversus astrologos p. 458. Opp. ita : *Moses Ægyptius* in eo libro, cui titulus *Misna Tora*, quasi dixeris Græce δευτέρωσις Latine *secundam Legem*.

([5]) Si hoc ita se habet, necesse erit dicere cum *Bartoloc.* quod scripserit an. 4933. C. 1173. an. ætat. 42. vel 43. quia ipse quod antea not. * vidimus, professus est, se commentarium in Mischnam an. ætatis 30. absolvisse.

([6]) Est is *Isaacus Casaubonus* in exercit. Antibaron. p. 138. cujus sententia sine temperamento accipi non potest. Quamvis enim ipsum Talmud præcepta legis illustret, ceremonialia tamen utramque hic paginam faciunt; deinde vero *Maimonides* ipse singularem operam, ceu *Schalschelth*, p. 34. a. testatur in præceptis affirm. & negat. exponendis collocavit. Forte tamen *Casaubonus* ita persuasus fuit ideo quod indicem præceptorum utriusque generis Operi huic præmissum videret.

præcepta qua affirmativa qua negativa . *Arabice* exstat in Biblioth. *Bodlejana* inter Codd. *Pocock*. n. 76. ſq. MSS. unde ſuſpicari poterat Arabice ab autore ſcriptum eſſe, niſi *Juchaſin* l. c. Hebraicam linguam authenticam eſſe diſerte moneret.

Diſtinctum opus integrum eſt in partes IV. quæ conſtant libris XIV. qui iterum in certos abeunt tractatus, quos ([1]) omnes ſigillatim una cum Editionibus & verſionibus ſingulorum, quorum exſtant, hic recenſebimus.

PARS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

Poſt præfationem longiorem & ſeriem Præceptorum Affirmat. & Negativ. ספר המדע *liber de ſcientia*; MS. eſt *Pariſiis* in Bibliotheca *Sorbonica* Codice Chartaceo num. 24. in 4. Ita enim accipio titulum, quem in MS. Catalogo lego : *Liber ſcientiæ, ſive ſupplementum librorum in Jad Rambam, autore Anonymo*. Videri poterat, alium quendam in *Maimonidis Jad chaſaka* commentatum eſſe. Malim tamen pro opere ipſo *Maimonidis* accipere, ſive totum opus *Jad chaſaka* eo volumine comprehendatur, ſive tantum ejus liber I. quippe qui diſerte liber ſcientiæ appellatur. Hujus libri הלכות *conſtitutiones* ſunt

יסודי התורה *de fundamentis legis* cum verſione & notis *Guil. Vorſtii* Amſtel. 1658. 4. iterumque ſi titulo credimus ibid. 1680. ſub hac inſcriptione. *Moſis Maimonidis theoremata de principiis juris Divini*. Sed aut valde fallor, aut novus tantum titulus priori illi Editioni eſt præfixus, quemadmodum eſt Abarbanelis *liber de capite fidei* tractatui huic junctus annum refert 1638. quo primum cum priore illo prodierat.

Caput illius I. & II. cum verſione latina *Jo. Adami Schertzeri* extare dixi parte I. pag. 840. titulum ſc. ſecurius ſecutus, qui tum in *Trifolio* ejus *orientali*, Lipſiæ 1663. tum in *Operæ pretio Orientali* 1672. quæ ejuſdem collectionis repetita eſt editio, id quidem referebat. Sed poſtquam librum ipſum curatius inſpexi, nihil niſi commentarium Hebraicum in textum *Maimonidis* ſine ipſo contextu exhiberi deprehendi. At in noviſſima & auctiore illius collectionis editione a *Joh. Georgio Abichtio* ſub titulo Selectorum Rabbinicorum Lipſiæ 1705. 4. ipſe textus *Maimonideus* cum verſione latina *Vorſtii* ſed emendata illa acceſſit.

הדעות *Canones Ethici*, quo titulo *Georgius Gentius* Hebr. & Lat. cum notis uberioribus edidit *Amſtelod*. 1640. ac 1653. quod ש״י in calce monet. Ibi de probatis hominum omnis generis inprimis ſapientiæ & legis ſtudioſi moribus, & regulis ad tuendam ſanitatem pertinentibus exponitur. Eundem tractatum *Hiſpanice* converſum edidit *David Cohen de Lara Hamb*. 1662. Exſtat etiam Editio *Germanice Auguſt. Vindelicorum* 1681. Tractatus idem MS. Exſtat in Bibliotheca *Uffembachiana* Codice LII. in fol. antiquiſſimo & optimæ notæ, ex quo proinde varietates lectionum non contemnendas, & ad edita emendanda facientes optimo conſilio excerpſit *Jo. Henricus Majus* in Catalogo *Uffembachiano* Part. I. pag. 42. ---- 64.

תלמוד תורה *de ſtudio Legis* cum verſ. & notis *Roberti Clavering* Oxon. 1705. 4. Extat etiam verſio Latina in cl. *Jo. Ulmanni* Deliciis Ruralibus cent. 1. pag. 258. ſeqq. Eam verſionem non viderat cl. *Robertus Clavering* cum ſuam illam concinnaret. In calce enim notarum ſuarum p. 152. tractatum hunc nunquam antea latine verſum eſſe tradit.

עבודה זרה de *Idololatria* cum verſione & notis *Dionyſ. Voſſii*, qui *Jo. Gerhardi Voſſii* patris operi de Theologia Gentilium, quod illius tractatus *Maimonidei* a filio converſi occaſione ſcripſerat, ſubjunctus prodiit *Amſtelod*. 1642. & 1666. in 4. iterumque 1700. fol. In *Jo. Ben. Carpzov*. diſput. Academicis p. 133. ſq. diſput. extat ad hujus tractat. c. 7. Ed. *Voſſ*. in qua etiam verſio *Voſſiana* ab animadverſionibus *Sauberti* de Sacrif. Vet. p. 379. defenditur.

התשובה *de pœnitentia* I. ex verſione Anonymi, qui ſub literis G. N. initialibus latere voluit *Cantabr*. 1631. 4. II. ex verſione M. *Jo. Hilperti Helmſtad*. ſine Hebraico textu & notis plag. 3. 1651. 4. III. ex verſione *Jo. Ulmanni* in calce ſpeciminis obſſ. Philolog. in V. T. *Argentor*. 1705. 4. una cum תלמוד תורה. *Claveringius* teſtatur priores utraſque ſibi ante non viſas quam ſuam perfeciſſet, eaſdem

vero

([1]) Recenſentur quoque, ne de Biblioth. *Rabbinica* dicam, a *Vejelio* præfat. ad verſionem tractatuum trium de *Jejunio*, *Feſto Expiationis*, & *Paſchatis*, & a *Mich. Neandro* in Erotematt. lib. Hebr. p. 472. Recentiorem Operis *Germanicam* habes in *Jac. Friderici Reimanni* introductione in hiſtor. Theologiæ Judaicæ p. 313. ſqq.

vero præcipue *Hilpertianam* in multis errare. *Hispanice* convertit *David Cohen de Lara Lugdun. Batav.* 1660. 4. *Anglice* a *Ralph Skinnero* cum præfat. longiore. Vide cl. *Jo. Clerici* Biblioth. Univerf. Tom. II. p. 252. *Imbonati* Biblioth. Lat. Hebr. p. 457. Latinam Verfionem *Gerebrardi Anslo* fe apud ipsum vidiffe teftatur *Georg. Gentius* dedicat. ad *Maimonidis* Canones Ethnicos ipfi infcriptos.

LIBER II.

ס׳ אהבה *de Amore* cujus הלכות *constitutiones* funt.

קריאת שמע *de lectione Audi*, cujus partem aliquam Hebraice cum verfione fua Latina exhibet. *M. Laur. Dav. Bollaghen* in differt. *de Keriat Schema*; nunc primum *in Thefauro Antiquitatum Sacrarum* prodit integra ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis Philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

תפלה וברכת כהנים *de precibus & benedictione Sacerdotali* nunc primum in *Thefauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

תפלין ומזוזה *de Phylacteriis, & de Schedis postibus januarum includendis*, nunc primum *in Thefauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis Philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

ס׳ תורה *Liber Legis*, quem Hebraice & Latine cum notis edidit fub titulo *Obfervationum Sacrarum* cl. *Jac. Henr. van Bashuyfen Francof. ad Moenum*, 1708. 4. cum antea *Hanov.* 1705. difputantium more eandem produxiffet.

הציצית *de peniculamentis facris* cum verfione & eruditis notis *cl. Jo. Henr. Maji* Filii *Francof. ad Moenum* 1710. 4.

הברכות *de benedictionibus*, nunc primum in *Thefauro Antiquitatum facrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

המילה *de circumcifione* cum verf. *Sebaftiani Schmidii Argentorati* 1661. 4. cum verf. & notis *Chriftiani Walteri* difputantium ritu *Region.* 1705. 4. Vide nova Literaria Maris Baltici 1705. p. 216.

LIBER III.

זמנים *de Temporibus*, cujus הלכות *conftitutiones* funt.

שבת *de Sabbatho*, nunc primum *in Thefauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

עירובין *de commixtionibus Sabbathicis*; nunc primum in *Thefauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

יום כפור *de Fefto expiationis* ex verfione *Lud. Compiegne de Veil Paris* 1667. 8. & in Fafciculo VII. Opufcul. Philol. *Roterd.* Edit. p. 819. nunc primum in *Thefauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illuftrata Hebraice & Latine.

חמץ ומצה *de fermento expurgando & maffa non fermentata tempore Pafchali* ex verf. L. C. *de Veil Paris* 1667. 8. & Fafcic. VII. Opufc. Philolog. p. 837. nunc primum in *Thefauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illuftrata. Hebraice & Latine. Hujus cap. VII. & VIII. *Seb. Schmidius* in Tractatu de Pafchate pag. 213. fqq. *Latine* repræfentat. Ex hoc tractatu *Jo. Buxtorfius* Fil. cap. VIII. de ritibus veteris Cœnæ Pafchalis differens Hebr. & Lat. exhibet in exercitat. fuis differt. VII. p. 392. fqq. quod ad decem paragraphos priores, cujus verfio paffim difcedit a verf. *Ludov. Capelli* quam is in Cenfura differt. illius *Buxtorfianæ*, quæ ejus diatribæ de antiquis Hebr. literis addita eft, fubjunxerat.

שופר סוכה ולולב de *cornu*, quod in Fefto Novi Anni inflatur, *de Scenopegiis*, & *palmarum ramis* in Fefto Tabernaculorum folenniter receptis, nunc primum in *Thefauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illuftrata. Hebraice & Latine.

שקלים *de annua penfitatione Sicli* cura *Jo. Efgers* Amftelo-Batavi additis ad fingula capita annotationibus prodiit *Lugduni Batavorum* 1718. 4. Duo ejus capita I. & IV. Hebr. & Lat. cum notis præfide *Guftavo Peringero* edidit cl. *Ericus Benzelius Upfal.* 1692. 8. Hunc tractatum cum fcholiis *Jof. Karonis* & *Abrahami* fil. *David* latinum promifit *Theod. Daffovius* in novis Liter. Maris Balthici 1705. p. 90.

קדוש

קדוש החודש de *consecratione Novilunii* ex versione L. C. *de Veil Parif.* *1669.* 8. quæ sine textu Hebræo cum lib. de Sacrif. *Amstelod.* 1701. 4. recusa est. Hebr. & Lat. cum annotationibus *Henningi Bernardi Witteri Jenæ 1703.* cum erudita cl. *Jo. Danzii* præfat. p. *96.* Disputationis forma sub hoc titulo. *Novilunii initiatio ad mentem Talmudistarum pro festis Judæorum determinandis, parandoque ipsorum Calendario, e R. Mose Maimonide.* Prodiit etiam cum commentario *R. Arie Lovv* Rabbini Lublinensis *Lublini* Hebraice *1667.* 4. Eundem diligenter illustravit R. *Jehonathan* ben *Joseph* in libro ישועה בישראל

תעניות *de jejuniis* Hebr. & Lat. ex vers. *Jo. Benedicti Carpzovii* sine notis Lipsiæ *1662.* 4. & ex vers. L. C. *de Veil Paris 1667.* 8. & in Fascic. VII. Opuscul. Philolog. p. *777.* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מגילה וחנוכה *de festo Purim, & lectione libri Esther, & de festo Encæniorum Templi* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

PARS SECUNDA.

LIBER IV.

נשים de *Mulieribus* cujus הלכות *constitutiones* sunt.

אישות de *maritatione* ex vers. L. C. *de Veil Paris.* *1673.* 8. quam mihi videre nunquam licuit, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

גירושים *de ripudiatione* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine. Capitis I. versionem Latinam cum textu Hebræo locis paralelis Talmudicis illustrato, subjectis annotationibus edidit *Jo. Justus Sonneschmid* Jenæ 1718. 4. in forma disputationis.

יבום וחליצה *de fratriarum jure & ritibus in mariti absque liberis defuncti fratre ducendo vel repudiando, extracto calceo*, nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

נערה בתולה *de puella virgine vel vi vel dolo compressa*, nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

שוטה *de muliere adulterii suspecta*, nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

LIBER V.

ס׳ קדושה *de Sanctitate*, cujus הלכות *constitutiones* sunt.

אסורי ביאה *de probibito congressu & incestu de menstruata & Proselytis* nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hujus tractatus cap. XIII. & XIV. latine edidit *Humfr. Prideaux Oxon. 1679.* 4. Hujus magnam partem se jam ante aliquot annos latinam fecisse testatur cl. *Georgius Wallin* in notis ad vitam Josephi Arabice editam cap. 3. p. 15. Illam nunquam vidi.

מאכלות אסורות *de cibis probibitis* Latine dedit *Marc. Woldike Hafniæ* 1722. 1724. per tres dissertationes sine textu Hebræo cum notis. Integer tractatus jam prodiit.

שחיטה *de ritu mactandi* nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

PARS TERTIA.

LIBER VI.

ס' הפלאה de *separatione* cujus הלכות *constitutiones* sunt.

שבועות *de juramentis* Latine tantum cura *Jo. Frid. Miegii Heidelbergæ 1672.* 4. cum notis diffusis & eruditis pp. 146. Præmittitur præfatio de Juramentis Judaicis quatenus admitti tuto in foris Christianorum possint, in qua de fide Juramentis Judaicis habenda mitius sentit quam plerique alii solent. Ex versione & notis *Justi Christoph. Dithmari Lugd. Batav.* 1706. 4. ubi Interpres in præfat. scribit monitum se esse de vers. Latina a *Jo. Frid. Miegio* facta, quam tamen nunquam viderit.

נדרים *de votis* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata Hebraice & Latine. Hic tractatus ab Anonymo Latine redditus an. 1641. MS. dicitur exstare in Bibliotheca *Uffenbachiana.*

נזיר *de Naziræis* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

ערכין וחרמים *de æstimatione rerum & personarum & de anathemate ac devotione ad usum sacrum* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine. Hunc tractatum dicitur cœpisse edere cum versione Latina & notis *Henricus Langenes* præside cl. *Dav. Millio* Ultrajecti 1720. 4. Sed ego hactenus non vidi.

LIBER VII.

זרעים *de Seminibus*, cujus הלכות *constitutiones* sunt.

כלאים *de heterogeneis*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine. Cujus tria capita præside *Olavo Celsio* Latina dedit *Laur. Hellman* Upsal. 1713. 8. cum textu Hebræo. Ejusdem cap. IV. & V. eodem præside similiter Hebr. & Lat. edidit *Magnus Olaus Beronius* ibid. 1714. 8. Quæ mihi videre adhuc non licuit.

מתנות עניים *dona pauperum* ex versione *Humphr. Prideaux Oxonii 1679.* 4. Hujus tractatus capita II. & III. Latine conversa & brevibus notis illustrata sub suo præsidio ventilari fecit *Dan. Lundius*, Respondente *Jesaia Hasselhun Holmiæ* 1705. Hebr. & Lat.

תרומות *de primitiis*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מעשרות *de decimis primis*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מעשר שני ונטע רביעי *de Decima secunda, & planta anni quarti* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

בכורים ומתנות כהונה *de primitivis & donis Sacerdotii* ex versione *Gustavi Peringeri* usque ad cap. VII. inclusive, disputantium more ventilata & edita *Upsal.* 1694. & 1695. 8. Textus Hebræus cum MS. Regio, qui p. 62. *membranaceus & pretiosus* dicitur, & variis impressis exemplaribus collatus est. Sic cap. 1. p. 17. & alias, voces quædam afferuntur ex MS. Regio, & ed. *Veneta* 1551. fol. quæ in ed. *Veneta* 1574. desiderantur. Illam versionem an. 1675. factam, sed sibi non visam esse scribit *Jo: Henr. van Bashuysen* in præf. ad Tom. I. *Obser. Sacr.* Vide *Holmiam Literatam* part. 1. p. 26. Alia versio Latina cum notis philologicis cura V. C. *Jo: Rudolphi Crameri* prodiit Lugd. Bat. 1702. 4. qui *Peringerianam* interpretationem frustra se quæsivisse in præfat. profitetur.

שמטה ויובל *de anno septimo & Jubilæo* ex versione & notis cl. *Jo: Henrici Maji* fil. Francof. ad Moenum 1702. 4. ex interpretatione *Jos. de Voisin* in libro de *Jubilæo secundum Hebræorum & Christianorum doctrinam Paris. an.* 1655. 8. Capita qua-

quatuor postrema Hebraice cum versione sua dedit *Matthæus Beke Leidæ* 1708. 4. sub titulo *Halachoth Jobel*. In præfat. promittit versionem priorum novem capitum.

LIBER VIII.

ס' עבודה *de Ministerio sacro*, cujus הלכות *constitutiones* sunt.

בית הבחירה *de domo electa sive Sanctuario* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine. Ex hoc tractatu excerpta dedit *Lud. Capellus* in descriptione Templi Salomonis, quæ inserta quoque est apparatui ad Biblia Polyglotta p. 193. sq.

כלי המקדש והעובדים בו *de vasis Sanctuarii, & qui in illo ministrabant*, e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

ביאת המקדש *de ingressu in Sanctuarium* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

אסורי המקדש *de iis quæ offerri non debebant* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מעשה הקרבנות *de oblatione sacrificiorum* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

תמידין ומוספין *de sacrificiis jugibus & addititiis* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

פסולי המוקדשים *de sacrificiis vitiatis* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

עבודת יום כפורים *de ministerio diei expiationum* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מעילה *de transgressione in fruitione sacrorum* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

Hos tractatus omnes latine convertit ita quidem quod semper facile solet, ut sensus magis quam verborum haberet rationem, & brevibus notis atque ichnographia templi illustravit *Ludov. Comp. de Veil Paris.* 1678. 4. in Fascic. Opusculorum Philologic. VI. & VII. *Roterd.* & non ita pridem *Ultrajecti* in 8. secutus est *Veilius* editiones *Venetas* an. 1524. & 1574. inter quas cum non levis sit varietas, varias lectiones, quæ in tractatu primo, occurrunt, in fine integri codicis a se conversi repræsentavit, & subinde utramque editionem, posteriorem tamen fere semper & priori & antiquiori emendavit.

LIBER IX.

הקרבנות *de sacrificiis*, cujus הלכות *constitutiones* sunt.

קרבן פסח *de sacrificio Paschatis* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

חגיגה *de triplici comparitione coram Domino solemni* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

בכורות *de primogenitis* e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

שגגות *de errore per ignorantiam* e versione *Lud. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מחוסרי כפרה *de indigentibus piaculi*, e versione *L. C. de Veil* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine. Partem ejus cum Latina sua versione & notis *Hafniæ* edidit *Petrus Simon*

Aarbus an. 1711. 4. Confer Cl. *Alberti Thura* ideam Histor. Literariæ Danorum pag. 338.

תמורה *de sacrificiorum permutatione* e versione *L. C. de Veil*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

Prodierunt hi tractatus omnes lat. cum notis brevibus cura *L. C. de Veil Londini* 1683. 4. recus. *Amst.* 1701. 4. addita præfat. *Abarbenelis* in Levit. Latine conversa.

LIBER X.

ס׳ טהורות *de purificationibus*, cujus הלכות *constitutiones* sunt.

טמאת מת *de pollutione ex mortuo* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

פרה ארומה *de Vacca Rufa* cum versione *Andr. Christiani Zelleri* cum notis & erudita ejus de *Vacca Rufa* dissertatione *Amstelod.* 1711. 8.

טמאת צרעה *de pollutione ob lepram* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

טמאת משכב ומושב *de iis qui cubilia & sedilia polluunt* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

שאר אבות הטמאות *de patribus i. e. generalibus capitibus pollutionum* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

טמאת אוכלים *de pollutione ciborum*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

כלים *de vasis* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מקואות *de Lavacris*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

LIBER XI.

נזיקין *de damnis* cujus הלכות *constitutiones* sunt.

נזקי ממון *de damnis facultatibus illatis*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

גניבה *de furto* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine, reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

גזילה ואבידה *de rapto & perdito* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

חובל ומזיק *de vulnere homini inflicto*, *& damno dato* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

רוצח ושמירת נפש *de homicidio & conservatione animæ* innocentis nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

LIBER XII.

ס׳ קנין *de possessionibus & acquisitionibus* cujus הלכות *constitutiones* sunt.

מכירה *de emtione & venditione* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

זכיה ומתנה *de acquisitione & donatione* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum*

Sacra-

Sacrarum ex Hebraico Latine & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

שכנים *de vicinis & jure vicinitatis* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

שלוחין ושותפין *de nunciis, & de jure societatis* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

עבדים *de servis* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

LIBER XIII.

ס׳ משפטים *de Judiciis* cujus הלכות *constitutiones* sunt.

שכירות *de conductione pro mercede* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

שאלה ופקדון *de commodato & deposito* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מלוה ולוה *de mutuante & mutuum accipiente*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

טוען ונטען *de actore & reo*, nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

נחלות *de hæreditatibus*, nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & La-

LIBER XIV.

ס׳ שופטים *de Judicibus* cujus הלכות *constitutiones sunt.*

סנהדרין *de Synbedriis* e versione *Henrici Houtingii* Amstelod. 1695. 4. nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* perpetuis notis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

Interpres in præfatione monet usum se esse editione quæ cum כסף משנה & מגיד משנה prodierit i. e. *Veneta* anni 1574. eam vero *adulteratam & in quibusdam locis castratam* deprehendisse ex Codice MS. a D. *Pina* secum communicato, cujus proinde varietates quod ad Cod. *Sanbedrin* in calce exhibet. In præfat. vero modo dicta præterea illustre affert exemplum, ex quo intelligi possit *Venetam* illam Editionem non vitiis tantum Typographicis abundare, sed & lectiones exhibere sensum mutantes, & integris interdum vocibus carere. Alia hujus Cod. versio *Latina* circa an. 1641. facta MS. est in Bibliotheca Ill. *Uffembachii* Senatoris, & Icti Francofurtani.

עדות *de testibus* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

ממרים *de rebellibus* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine. Partem aliquam vertere cœpit *Jo. Leonb. Lenzius Vitteb.* 1700. 4. in disput. 2. plagularum, sed quæ præter præfationem in tribus tantum foliis textum *Maimonidis* cum vers. exhibet.

אבל *de luctu* nunc primum in *Thesauro Antiquitatum Sacrarum* ex Hebraico Latine reddita & notis perpetuis philologicis illustrata. Hebraice & Latine.

מלכים ומלחמותיהם *de Regibus & eorum bellis* ex vers. & notis cl. *Melch. Leydekeri* Roterod. 1699. 8. & in Fascic. IX. Opuscul. Philolog. *Roterodami* editorum, & in ejus Opere de Rep. Hebr. Tom. I. lib. VII. c. 4. p. 432. & sq. & cap. XII. p. 485. sq. ubi tamen octo tantum capita priora, quæ se ad institutum ejus faciebant, leguntur. Capita VIII. IX. & X. latine edidit *Humphr. Prideaux* Oxon. 1679. 4. Capita XI. & XII. quæ de Rege *Messia* ex Judæorum mente exponunt *Gilbertus Genebrardus* seorsim *Paris.* 1572. 8. cum brevi Chronico, & deinde in Chronogra-

graphia edit. 1584. fol. p. 80. Integrum Tractatum latine conversum reliquit *Jo. Henr. Otto*. Vide *Bibliothecam Bremensem* clas. VI. pag. 297.

Præfationem in *Jad Chasaka*, & *Maimonidis* tractatus de doctrina capitulorum, de scientiarum traditione, de doctrina Legis, Idololatria, oratione, pœnitentia, cultu divino, juramentis, Sanhedrin &c. latine convertit, sed non edidit *Conr. Pellicanus*, quod post *Gesnerum* & *Hottingerum* in Schola Tigurinorum memorat *Meelfuhrerus* in accessionibus ad Bibliothecam promissam & latentem p. 80. Vide *Jo. Buxtorfii* fil. præfat. ad *Buxtorfii* Biblioth. Rabbinicam Ed. secundæ, & Novantiqua Tigurina Part. 1. p. 54.

Fuerunt nonnulli, qui integrum hoc sistema *Maimonidæum* latina civitate donatum promitterent, nominatimque *Veielius*, cl. *Surenhusius* in præfat. ad Tom. I. *Mischnæ*, *Bashuysen* in præfation. ad Tom. I. observat. Sacr. Meminit etiam cl. *Ockelium* professorem hodie Linguæ Arabicæ Cantabrigensem mihi præsenti profiteri idem consilium meditari. *Latinam* integri Operis versionem una cum interpretatione commentariorum in illud nempe *Keseph* & *Maggide Mischne* promisit cl. *Jo. Christianus Clodius* in novis Literariis Lipsiensibus an. 1718. p. 81. Quod si aliquando *Dassovii* Antiquitates Hebraicæ in dias luminis auras prodirent bonam hujus operis partem, vel certe medullam ejus habituri eramus, quemadmodum idem in eruditis suis dissertationibus, quæ de variis argumentis extant, jampridem manifestam fecit, post Scripturam diviniorem hunc fere unum esse, cujus judicium in Antiquitatibus Judaicis audiri debeat. Prodibunt omnia Maimonidis Opuscula, nunc primum *in Thesauro Antiquitatum Sacrarum* maximam partem ex Hebraico Latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata.

Opus hoc Hebraice prodiit *Constantinopoli* an. הר״סט i. e. 269. C. 1509. fol. 2. voll. quæ editio reperitur in Bibliotheca *Oppenheimeri*. Memorant etiam hanc editionem *Peringerus* in not. ad cap. XI. Tract. *Maimonidis de Regibus*, & *Jo. R. Cramerus* in not. ad Tract. בכורים & *Rich. Simon* in Catalogo Autorum Historiæ Criticæ V. T. addito p. 151.

Veneta 284. C. 1524. fol. 2. (1) vol. cum serie præcept. Aff. & Negativ. in quatuordecim classes [שרשים] distinctorum & cum comm. הרי״טבא i. e. *Jom Tov fil. Abraham* qui dicitur מגדול עוז *turris fortis* & cum ejusdem [2] commentario מגיד משנה *indicans duplum* super *Semanim*, *Naschim*, *Keduscha*, *Kinian*, & *Mischapathim*, præterea cum animadversionibus הראב״ד i. e. *R. Abraham fil. David vel Dior*, & vindiciis quas illi opposuit הרי״טבא apud *Dan. Bombergium*, operam dantibus *R. David Pizzighton*, & *Jacobo ben Chajim*.

Veneta 310. C. 1550. apud *Bragadinos* cum מגדול עוז, & מגיד משנה ut est cum annotationibus in *Maimonidem* (הגהות מימוניות) *R. Meir Rotenburgensis* [3] & animadversionibus *R. Mosche Cohen*, qui dicitur compendiose הר״מך; accedunt in margine loca ex quibus ritus singuli eliciuntur, & in calce ea, quæ *Meir Patavinus* in ora exemplaris sui notaverat.

Veneta 310. C. 1550. apud *Marc. Anton. Justinianum* eodem modo, accedentibus insuper animadversionibus *R. Mosis Nachmanidæ* super numerum Præceptorum, in limine recensitorum, & observationibus aliis in *Maimonidem* ex diversis libris, qui vel editi vel manu exarati erant, collectis.

Veneta 334. --- 336. C. 1574. --- 1576. 4. Tomis in fol. jussu *Aloysii Bragadini per Meir Phorins*; ubi leguntur מגיד משנה tum כסף משנה *R. Joseph Karo*, animadversiones הראב״ד & הר' מך, ac commentarius *R. Levi fil. Chaviv.* Accedunt figuræ ad perspiciendos ritus celebrandi novilunii idoneæ, & index omnium constitutionum (הלכות] & capitum. Hæc non æque correcta est ac *Veneta* an. 1514. Eam recentissimam sed non omnium optimam appellat *Theodorus Dassovius* in limine Exemplaris sui.

Novissime omnium lucem adspexit *Amstelod.* 462. C. 1702. fol. ex officina R. *Immanuel fil. Jos. Achiæ* 4. partibus in fol. cum figuris æneis. Hæc omnium plenissima & chartæ typorumque elegantia se commendans exhibet 1. animadversiones *Haravad* 2. *Maggid Mischne* qui in exponenda *Maimonidis* sententia diligentior est. 3. *Ceseph Mischne* in quo loca Gemaræ ex quibus suam decisionem probat *Maimonides*

(1) In Catalogo *Bodlejano* p. 223. duplex editio *Veneta* hujus anni memoratur, quorum altera duobus Tomis comprehensa, & Inquisitoris manum experta dicitur, in qua etiam series præceptorum alteri illi præmissa frustra quæratur.

(2) *Maggid Mischne* illi *Jom. Tov ben Abrah.* tribuitur a *Schabatæo* ש״י qui tamen simul monet in *Zemach David* tribui alteri *Jom. Tov*. Plerique Anonymo vindicant, quoniam nomen ejus in titulo non memoratur, sed simpliciter vocatur *artifex*, & *filius artificis*.

(3) Quidam volunt has esse notas *Maimonidis* ipsius a quodam ejus discipulo collectas, alii vero ex *R. Meir Rotenburgensis* quæst. & respons. collectas ajunt. Confer inter Anonym. הגהות מימוניות.

nides, indicantur. 4. *Migdal Os* in quo *Maimonides* contra animadversiones *Haravad* defenditur. 5. *Haggaboth* sive animadversiones *Maimonideæ R. Meir Rotemburg*. 6. *R. Obadiæ D. R. Levi fil. Chaviv* de ritibus novilunii cum figuris æneis ad rationes novilunii & Sabbathi & Tabernaculorum intelligendas facientibus. In margine quoque leguntur loca Talmudis & aliorum librorum ritualium, quibus vel *Maimonides* ipse vel interpretes ejus innituuntur. Nuper prodiit Editio hujus Operis *Fesnitii*.

Sine commentariis totum opus primum prodiit *Soncini* 250. C. 1490. fol. teste *Bartoloccio*. Tres priores libri nempe *Madda*, *Ahava*, & *Semanim* seorsim prodierunt *Mantuæ* 1566. & *Venetiis* 375. C. 1615. cum notis quibusdam marginalibus per *Pet. Bragadinum* apud *Joan.* קיון iterumque eadem forma cum additionibus & excerptis constitutionibus de cibis prohibitis ibid. 425. C. 1665. 4. jussu *And. Mauroceni*. In his editionibus magnam occurrere varietatem collatio ostendit & monuerunt jampridem *Veielius*, & *Gustavus Peringerus* in notis ad c. XI. Tract. *Maimonid.* de Regibus p. 4.

Non desunt Codices MSS. Operis hujus eximii v. c. in *Cæsarea Vindobonensi* inter Codices *Tengnagelianos*, inter quos *Lambecius* Tom. 1. p. 185. Commentariorum suorum ait esse *Codicem membranaceum ingentem in folio maximo*, *accuratissimæ simul perfectionis & incredibilis elegantiæ*. Nec minus in *Bodlejana* inter *Huntingtonianos* n. 6000. sqq. inter *Seldenianos* num. 3332. qui codex additas habet notas Hebraicas: tum in Bibliotheca Regia *Upsaliensi*, qui codex longe antiquissimus in membrana pulcherrimis literis, sed lectu aliquantulum difficilioribus, & partem tantum posteriorem exhibens idoneus visus est *Peringero* loco modo citato, ex quo lacunæ variæ in impressis libris obviæ restituerentur. Eum olim a nob. viro *Ludov. Ger. a Renesse* acceperat *Constant. Lempereur*, quod manu ejus in fronte libri & citatione in comment. de Legibus Hebr. Forensibus p. 264. intelligas. Pars prior ejusdem Operis MS. in membrana exstat in Bibliotheca *Berolinensi*, quæ cum itidem characteribus Rabbinicis lectu difficillimis exarata sit, conjectura mihi subnata est, forte hanc partem esse illam, quæ Codici *Upsaliensi* deest. Cod. MS. qui olim fuit *Jo. Mich. Dilheri* quemque in Bibliotheca *Norinbergensi* repositum suspicor; allegant, & ex eo loca in editis male habita, emendat *Wagenseilius ad tela ignea Satanæ* p. 568. & 611. ut & *Jo. Wulferus* ad *Theriacam Judaicam* p. 39. 137. & 205. qui & p. 240. scholia ejusdem Codicis adfert. Vidi quoque MS. in Biblioth. *Oppenheimerana*. *Menachen de Lonzano* in libro אור תורה p. 8. a. 9. §. 6. & 11. a. allegat Codicem MS. *Maimonidis*, qui fuerit *Seracbiæ Levitæ* nostro fere æqualis; hunc ego accipiendum putem de *Jad Casaka*. Inde is quædam adfert ad recte constituendum comma octavum Exod. XV. quæ in editis Codd. minus recte habent. Possedit & *Jo. Leusdenius* Cod. MS. an 1477. exaratum, quem is p. 10. notarum ad *Joelem illustratum* allegat. Duos quoquo Codd. MSS. alterum in Occidente an. 1477. alterum longe vetustiorem, & in Oriente, ut videtur, exaratum possidet cl. *Daniel Ernestus Jablonski*; est etiam Cod. MS. *Paris.* in Biblioth. *Sorbonica* in fol. num. 2. Et in *Colbertina* num. 645. fol. Partem ejus II. MS. habuit *Adrianus Junius* in membrana in fol. ceu ex Catalogo librorum ejus patet p. 69. Opera ejus in membrana cervina an. 5162. C. 1402. descripta *Plebisacii* prope Patavium exstare scribit R. Jacob Aboab in literis ad *Ungerum* datis. Fortasse id speciatim de *Jad Chasaka* accipiendum est. Tractatus de *sementibus*, *cultu divino*, & de *Sacrificiis* MSS. in Bibliotheca *Colbertina* n. 1592. fol.

Compendium *Jad Casaka* sub titulo קצור משנה תורה prodiit *Constantinopoli* 278. C. 1518. 4. quod introductio in opus majus esse dicitur in Catalogo *Bodlejano* sub nomine *Maimonidis*.

Fuerunt præter eos, quos cum ipso opere editos diximus, qui *Maimonidis* opus notis suis illustrarent v. g. *Abrah. de Boton* in lib. לחם משנה de quo & aliis ejusmodi suo loco dicemus. Animadversiones in partem II. *Jad* Arabicæ MSS. Anonymi memorantur inter *Huntingtonianos* B. *Bodlejanæ* p. 5997. ubi etiam n. 5998. & 5999. *Saidbar David* elucidatio Arab. libri *Ahaba & Semanim* itemque num. 6015. libri *Tabara* laudatur.

Non placuisse Judæis omnibus apparet ex ipsius *Maimonidis* epistola ad *Pinchasum fil. Meschullam* apologetica, quæ in *Buxtorfii* Institutione Epistolari Hebraica p. 382. legitur. Negat ibi ex vero sibi exprobrari, quod hac ipsa scriptione Talmudi contradiceret, illudve e medio tollere, vel saltem nomina Sapientum, quibus traditiones singulæ debeantur, e memoria hominum abolere silentio suo voluerit. Eadem vero opera dolet, quod judicium locorum Talmudis, ex quibus sua sint petita

operi

operi desit quod additurum se imposterum pollicetur, præcipue cum usu sibi venerit, ubi interrogatus, quo in loco decisio quædam legeretur, locum monstrare non potuerit. Vicissim alii eodem fere tempore præclarius de eo senserunt, quod apparet ex præfat. *R. Eliæ Chajim* ad אגרת חמורות in qua teste *Schalscheleth* p. 43. a. ex scripto quodam *R. Obadiæ* refert, Hierosolymas venisse Judæos e plagis Australibus & Orientalibus, qui professi sint, uti se in foro solis decisionibus libri *Jad*. Addit idem se ex viris senio & doctrina venerandis *Thessalonicæ* audivisse, librum illum ultra *Chalack* & fluvium *Gozan* divulgatum esse, manibusque decem tribuum teri. Taceo *Christianorum* Elogia, ex quibus *Constant. Lempereur* in epist. dedicator. ad Ὀδιπορίου sive Grammat. Hebr. *Kimchii* adfirmat hoc libro, *tantam antiquitatis descriptione facem sacris literis accendi, ut vel solus ad stili Rabbinici studium animum inflammet eorum, qui quosdam ipsius Codices delibarint*. *Petrus Cunæus* lib. I. de Rep. Hebr. p. 1. statuit hoc libro Nostrum *Talmudicam doctrinam sepositis nugamentis feliciter complexum* esse, quod totidem verbis repetit *Jo. Ben. Carpzovius* in Dedic. versionis Latinæ Tractatus תעניות.

מורה נבוכים *Director* sive *Doctor perplexorum* ex *Exod.* XIV. 3. [*Directorium in Theologia*, vertit *Gesnerus* in Bibl. p. 509. ubi tamen perperam a *libro perplexorum* distinguitur: *Raym. Martini in Pugione Fidei* p. 427. Latinis monet vocari *directionem neutrorum*, quæ rectius diceretur *directio nutantium*; *Paulus Burgensis* in scrutinio Scripturarum frequenter v. c. Part. I. Distinctione IX. c. II. p. 313. & ejus exemplo Author *Fortalitii Fidei* lib. III. considerat. IV. pag. 102. ubi tamen per calami lapsum *R. Salomoni* tribuitur, *de directione Perplexorum* inscribit, at p. 129. a. *Demonstratorem errantium* vocat; sic ut *Herbelotus* in Bibliotheca *Orientali* p. 538. titulum Operis Arabicum *Delalat Elhairin*, *Gallice* per *la Guide des Devoyez* interpretatur; *liber Æquivocorum*, seu *de Æquivocis* vocatur in *Franc. Zephyri* catena ad Pentateuchum & ad Cantica V. & N. T. p. 60. speciatimque *lib. tertius æquivocorum* ex Arcanis Sabiorum, Chaldæorumque monumentis laudatus p. 43.] quem anno ætatis quinquagesimo secundum Judæos ac nominatim *Schalschleth* p. 43. 6. *Arabice* in gratiam discipuli sui *R. Josephi* conscripsit eo instituto, ut ostenderet quomodo verba, phrases, metaphoræ itidem, & insolentiores locutiones in S. Scriptura hinc inde obviæ & sensum literalem non admittentes capiendæ sint: qua quidem occasione varia S. Codicis oracula, varia item tum Philosophica tum Theologica argumenta excutiuntur, in primis vero ratio præceptorum Mosaicorum, quæ fortuito data videri poterant, subinde redditur. Totus liber abiit in tres Partes, quarum I. Capitibus LXXVI. nomina & φράσεις ἀνθρωποπαθῶς in Scriptura accipiendas v. g. *descendere*, *adscendere*, *videre* &c. explicat, ac præterea de Prophetia, Coelo, mundo, & Angelis commentatur. II. capitibus XLVIII. de Deo Creatore, Intelligentiis coelos moventibus, Sphæris, influxu siderum, & Legis Mosaicæ præstantia differit. III. Capitibus LIV. Opera Hexæmeri, Animalia, & rotas Ezechielis, Providentiam Dei, Legisque Mosaicæ præcepta persequitur.

Hunc utique Librum suasu *Jonathanis* & aliorum Sapientum Hierichuntinorum, *R. Schemuel Tibbonides Jehudæ fil.* ceu ipse in præf. sua profitetur, *hebraice* convertit, ita quidem, ut de dubiis locis *Maimonidem* ipsum adhuc superstitem consuleret. Misit enim is exemplar *Arabicum*, quo ad interpretationem usus erat, ad *Maimonidem* per discipulos ejus a mendis quibus scatebat, & quorum nonnulla in part. III. ope alius Codicis sustulerat *Tibbonides*, liberandum, ceu apparet ex epistola ejus ad *Maimonidem* scripta in *Buxtorf.* Institut. Epistol. p. 373. ubi deinceps responsoria *Maimonidis* p. 376. *Tibbonidæ* consilium laudans, & proposita dubia solvens, sequitur. Aliam interpretationem Hebr. suscepit eodem tempore *R. Jehuda fil. Schelomo Charisi*, quæ tamen minus se probavit, adeoque neglecta fuit, nisi quod argumenta sive lemmata, quæ singula librorum capita in compendio sistunt, adhuc retineantur, & operi præmittantur. Juvat audire *Pocockium* in præfat. ad *Portam Mosis* de utraque illa judicantem: *Vir* (inquit de *Charisio* illo) *& ingenii & stili elegantis fuit, poeta etiam eximius, cujus versio alteri illi ab* Aben Tibbon *factæ postposita fuit, non quod illa* Tibbonidæ *elegantior, sed materiæ quæ libro isto tractatur, congruentior fuerit. Ipse igitur in rebus philosophicis non adeo versatus, minorem eo ex opere laudem reportavit, cum alias eloquentiæ & poeseos laude celeberrimus esset, ut & versio ejus* Makamal *sermonum* Alhariri, *qui penu elegantiarum locupletissimum, eaque, quæ ipse Hebr. ad ejus libri imitationem composuit, abunde testantur*.

Antiquissima hujus operis edito est in folio minori, literis Hebraicis quadratis luculente expressa sine titulo, & sine loci, anni aut typographi mentione. Eam acce-

accepit ex Bibliotheca *Ungeri*. Catalogus editioni huic annum 1476. ſtatuebat, cujus rei argumentum nuſquam in volumine ipſo conſpexi. Formæ literarum *Theſſalonicam* mihi referre videbantur. Manus Reviſoris in calce annum 1597. [quo ſc. cenſuræ ſuæ eum ſubjecerat] notavit. Non diſtinguenda eſt hæc ab illa, quam *Bartoloccius* in forma quarti ordinis editam aſſeverat. Incipitur a præfatione Interpretis *R. Schemuel Tibbonidæ*, qui & in calce interpretationem ſuam an. 1465. abſolutam eſſe teſtatur. Colophonem imponit index capitum toto volumine comprehenſorum.

Veneta in 4. ſine mentione anni & ſine comment.

Veneta 311. C. 1551. fol. apud *Bragadinum* pp. 185. ubi primum legitur *Index Capitum a Chariſio* factus hinc פירוש מלות הזרות *expoſitio vocum difficiliorum* quæ in verſione a *Tibbonide* vel ex philoſophia vel aliunde uſurpatæ ſunt ſecundum literarum ſeriem facta a *Tibbonide*, qui in limine monet, ſimile quid elaboratum eſſe a *R. Jebuda Chariſio*, qui poſt ſe librum hunc converterit. Sequitur Index locorum Biblicorum in ipſo opere explicatorum, poſtea præfatio *Schem Tov*, hinc contextus ipſe, literis quadratis expreſſus, & duplici commentario, altero *R. Schem Tov fil. Joſephi*, altero *Ephodæi* munitus. In exemplari hujus edit. *Edzardiano* expoſitio manu exarata perpetua ad marginem legitur.

Sabionetæ 313. C. 1553. fol. apud *Tobiam Puam* per *Cornel. Adelkind* cum iiſdem commentariis, ac præterea tertio *Abrahami fil. Bonan Craſcas* [קראשקאש] quem *Bartoloccius* minus recte קרשקש vel קרקש appellat. Extrema hæc præſtantiſſima & pleniſſima omnium, unde eandem quoque cum Cod. MS. ad ſuam interpretationem adhibuit *Buxtorfius*.

Hebraicis verſibus *More* expreſſit *R. Matathias Carthin* [קארטין] quam metaphraſin memorat MS. *Schabbatæus*.

Duplex [1] exſtat hujus libri verſio Latina, quarum alteram edidit *Auguſtinus Juſtinianus* Epiſcopus Nebienſis *Paris*. 1520. fol. apud *Jodocum Badium*, cujus alioquin rariſſimæ exemplar poſſidet cel. *Hermannus von der Hardt*; quæ prodiit ſub hoc titulo. *Rabi Moſſei Ægyptii Dux ſeu Director Dubitantium aut Perplexorum, in tres libros diviſus, & ſumma accuratione Reverendi Patris Auguſtini Juſtiniani Ordinis Prædicatorii, Nebienſium Epiſcopi, recognitus. Cujus index ſeu tabella ad calcem totius apponetur operis*. Deinde prelo *Aſcenſiano* ære expreſſo hæc verba ſubjiciuntur. *Venundatur cum gratia & privilegio in triennium a Jodoco Badio Aſcenſio*. In fine hæc leguntur. *Finis Rabi Moſſei Ductoris dubitantium ſeu perplexorum, anno MDXX. ad Nonas Julias opera Jodoci Badii Aſcenſii, cum gratia & privilegio in triennium proximum, annuente literatorum omnium Mecænate L. Ruz*.

Juſtinianum ipſum illius non eſſe autorem [quem putat *Rich. Simon* in Catalogo autorum Hebr. in alias linguas translatorum, & alii plures] ex Epiſt. Dedicator. ad *Steph. Poucher* Archiepiſcopum Senonenſem, patere merito ait *Paulus Colomeſius* p. 808. Operum in calce epiſtolæ ad *Juſtellum*. Quæ ſequitur, eſt Epiſt. Dedicatoria *Juſtiniani*.

Auguſtinus Juſtinianus Ordinis Prædicatorii, Epiſcopus Nebienſis, Stephano Poucherio Senonenſium Archiepiſcopo S.

Recentiores Hebræi, Stephane Præſul humaniſſime, duos in primis celebrant Moſſeos, Ægyptium unum, Gerundenſem alterum; Ægyptio pater fuit Maimon, Gerundenſi Nachman; Unde hunc ficto vocabulo הרמבן Haramban, i. e. filium Nachman; illum vero הרמבם vocant; quod verbum Hebræis ſonat החכם רב בן משה מאימון hachacham Rab Moſſe ben Maimon, i. e. Rabi Moſſes filius Maimon, ut ſingulis literis in ficto nomine contentis unum reſpondeat integrum verbum; eſt hic quidem Moſſes Ægyptius multa ſuæ ſapientiæ poſteris reliquit monumenta. Exſtat namque illius opus, quod יד hoc eſt *Manus*, ſive quatuordecim inſcribitur, magnum profecto volumen, in 14. nempe digeſtum libros; quibus explanat Judæis Legem, ac bonam תלמוד *Talmud* partem. Leguntur illius complura alia tum in Medicina quam in Philoſophia tum in Sacris Literis: quæ proprie omnia hactenus Hebraice ſolum ſunt ſcripta. Hunc vero ejuſdem Librum, qui inſcribitur מורה הנבוכים *More Hannevochim*, ſive director dubitantium, jampridem in noſtrum ſermonem

(1) Tertiam & antiquiorem extitiſſe neceſſe eſt, ſi credimus *Jo. Seldeno*, qui in libro de *Jure naturæ & Gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum* p. 122. ſcribit; *Maimonidem a S. Thoma Aquinate* ſæpius allegari, & quidem ex antiqua Verſione Latina *More Nevochim*.

monem versum constat ab interprete, cui magis curæ fuit (ut illis temporibus) sententias utcunque exprimere, quam verba reddere eleganter: opus sane reconditæ & minime trivialis doctrinæ, in quo multa rationibus demonstrantur philosophicis: plurima adducuntur quæ mire conducunt & faciunt ad intelligentiam sacrorum librorum. Quæ res mihi in causa fuit, ut librum in publicum emitterem, tuoque nomini clarissimo dicarem. Novi enim, quod te delectet, quod te capiat, quod etiamnum tibi arrideat Sacrarum Literarum lectio. Ceterum fuit Autor iste candidus, minimeque superstitiosus: plus certe veritati addictus, quam næniis importunis neotericorum Judæorum: quo factum est, ut Judæi omnes Galli (sunt enim Judæi, sicut & Christiani, Galli, Hispani, Germani, Itali, Asiani, Africani) in unum conspirarint, librumque incendio devoverint, quod sibi videretur nimium favere Christianorum hæresi. Verum non potuerunt perversæ alioquin mentis homines perficere, quod commenti sunt. Habebatur enim liber non in Gallia tantum, sed per totum ferme orbem in multa exemplaria propagatus. Percipies porro illum, quæ sunt religionis, religiose, quæ philosophica, philosophice, quæ Talmudica, Talmudice, ac demum quæ sunt divina, divine tractare. Tu vero, Pater venerande, munusculum hoc eo animo accipe, quo omnia soles, quæ ad divinas literas & Christianam pietatem attinent, futurum semper insigne judicium meæ erga te observantiæ. Vale Parisiis Calendis Martiis MDXX.

Nonnulli versionem a *Justiniano* editam eam putant esse, quam a *R. Jacobo Mantino*, vel ut *Buxtorfius* vocat, *Mantenu* [מנטינו] elaboratam testatur *Schalscheleth* p. 65. 6. Sed id quidem *Buxtorfio* minus veri videtur simile in præf. ad *More Nevochim*, eo quod recentior sit *Mantinus*, quippe qui an. 320. C. 1560. adeoque quadraginta annis post edit. *Parisiensem* vixisse dicitur. Enimvero nisi aliud quid obstet, ætas certe non prohibebit, quominus isti quidem hanc versionem tribuamus, cum ejusdem *Mantini* Paraphrasis *Averrois* quædam in *Aristotelem* Latine conversa *Rom.* 1521. & alius *Avicennæ* liber *Venet.* 1530. adeoque eodem fere tempore, quo *More Nevochim* prodiit, lucem adspexit. At ex *Justiniani* præfatione interpretationem Latinam ab eo productam in lucem patet non esse *Jacobi Mantini*. Hanc enim ait *jampridem* factam esse, quod in *Mantinum*, qui *Justiniano* fere σύγχρονος fuit, non cadit. Itaque aliam esse necesse est, atque eam forte, qua *S. Thomas Aquinas*, *Bradvvardinus*, & alii nonnulli usi sunt, uti suspicatur *Richardus Simon* in Epistolis Selectis Tom. III. p. 95. sq. ubi & testatur se MS. illius versionis Latinæ exemplum vidisse in Bibliotheca *Sorbonica*. Quicquid sit, interpretatio illa *sæpe hallucinatur*, *neque mentem authoris assequitur*, præterea vero Librarii vel Typographi negligentia plurimis mendis, ut v. c. pro *spiritualis* legatur *specialis*, *bonitas* pro *brevitas*, *altitudo*, pro *aptitudo &c.* ceu observavit *Jos. Scaliger* in Epistolis pag. 195. cujus judicio junge testimonium *Buxtorfii* in præfatione ad suam versionem, infinita ibi menda & errores agnoscentis, ut sensus authoris vel invertatur penitus, vel omissis integris vocibus, versibus, periodis non parum mutetur, inprimis vero interpunctio male collocetur. Hinc non præter rationem novam interpretationem adornavit χαλκέντερος *Jo: Buxtorfius* junior, eamque cum lemmatibus marginalibus, Indicibusque variis, dictione pura & perspicua, Codice MS. quem laudat, adjutus edidit *Basileæ* 1629. 4. In ea nihil quod sciam, desiderarunt eruditi, nisi quod recte omnino contextum Hebr. additum mallent [1] ceu ipse monet in præfat. ad librum *Cosri* latine conversum p. 2. eodem loco calamitatibus temporis illius, quominus eum adjiceret, prohibitum se fuisse testatus. *Latinam Anonymi* versionem MS. in Vatic. n. 4274. sub titulo, *Ducis Neutrorum* memorat *Bartoloccius* ut & aliam Judæi Germani 1613. elaboratam sed nunquam editam. Præterea vero non dubium est, rectius in sententiam *Maimonidis* penetraturos, quibus Arabicum consulendi copia detur, quod *Hugo Grotius* monuit Epist. 327.

Liber hic ipse cum ex Hebr. versione *Tibbonidæ* ad Judæos hinc inde dispersos perveniret, non omnibus arrisit, qui *Maimonidis* interpretationes & causas Legum rituumque Mosaicorum ex ratione magis & Philosophia externa, quam Talmude aut Cabbala petitas esse ægre ferebant, adeoque Authorem & novitatis & hæreseos nomine notabant. Fecerunt hoc inprimis Galli, præeunte *R. Schelomo f. R. Abraham* Montepessulano cum duobus discipulis *R. Jona* & *R. Davide fil. Saulis*, qui ab oculis hominum libros hos removendos, imo flammis comburendos censuerunt, quos propterea ex altera parte Synagogæ quædam Galliæ Narbonensis anathemate percusserunt, ab aliis ejusdem Galliæ Synagogis vicissim defensos, donec, annitente *Davi-*

(1) Id consultum putabant *Wilh. Schickardus*, *Dan. Heinsius*, & *Lud. Capellus*, quod pateat ex ipsorum epistolis ad ipsum *Buxtorfium* datis, quæ hodie in V. C. *Jo: Buxtorfii* Catalectis Theologico-Philolog. p. 4. sqq. 468. sq. & 487. leguntur.

Davide Kimchio, Synagogæ omnes communi voce *Maimonidem* contra tres illos, & qui illis se junxerat, *R. Josephum fil. Alphachar* Medicum, Christianorum deinde operam implorantem defenderent. Lege in hanc rem epistolas *Maimonidis* & aliorum *Venet.* 305. C. 1545. 8. editas quarum potiores, quæ huc pertinent, exstant etiam in Appendice institut. epistol. *Buxtorfii* p. *396.* sqq. Confer *Jo: Henr. Hottingerum* in Histor. Eccl. N. T. sec. XII. pag. *262.* sqq. Ex Christianis certatim hunc librum laudarunt plerique, nominatim *Scaliger* in epp. p. 704. qui librum vocat *bonæ frugis plenum, abstrusæ eruditionis, & Theologis Christianis apprime necessarium.* Adde eundem in *Elencho* Trihæres. c. 20. & *Casaubonum* in Exercit. xv. Anti-Baron. num. 13. *Huetium* in Demonstrat. Evangel. p. 571. ut & *Herm. Witsium* in orat. de præstantia veritatis Evangel. qui cetera quidem valde extollit, in eo tamen culpat, quod, *ubi eo deventum est, ut externarum ceremoniarum arcani significatus explicandi sint, ipse hic doctor perplexus hæreat, totaque ejus commentatio in futiles nænias abeat.*

Locis vel in Hebræa vel Latinis versionibus male aut obscure expressis consuli potest, variis codicibus MSS. hinc inde in Bibliothecis latentibus. *Arabice* quidem & literis Hebr. fuit apud *Scaligerum*, ceu ipse ostendit in Epistolis p. *195.* & 704. inde translatus in Bibliothecam *Leidensem*. Vide ejusdem Biblioth. Catalogum in Fol. editum p. 408. n. *6.* Codex est in folio minori eleganter scriptus & figuris ornatus. In qua aliud exemplar *Arabice* sed Characteribus Rabbinicis exaratum invenitur; vide ibid. p. 410. num. 17. 18. & p. *293.* novum exemplar *Arabicum* inter Codd. *Warnerianos* memoratur. Quatuor numerat B. *Bodlejana*, duo inter *Pocockiana* n. *92.* in fol. & 4. duo inter *Huntingtoniana* n. *618.* Pars fuit *Arabice* in Bibl. *Jo. Elichmanni* quod ex Catal. Bibl. ejus patet. *Hebraice* MS. aliquoties est in *Vaticana, Medicea, Bodlej. Paris. Bibl. Sorbonica* num. 31. Codice chartaceo in 4. *Vindobon & Leidensi*, imo & in privatis Bibliothecis, olim quidem *Buxtorfii*, qui eo se multum adjutum profitetur *Jo. Christoph. Vagenseilius* (junctus is est libro גנזי אגרן, & in fine accedunt homiliæ quædam & miscella alia; Codex est in fol. chartaceus, integer, illæsus, spissus; num. 11. Ibid. in 4. n. *6.* inter cætera opuscula extant capita 50. 52. 53. & 54. partis III. hujus libri MSS.) qui eum aliquoties ad partes vocat in notis suis ad *Sota* p. 71. & *ad tela ignea Satanæ* p. 136. 464. 473. 551. 561. *Gustavi Peringeri* optimæ notæ, cui castigando an. 1613. præfuit *Camillus Jagbel*, Judæus conversus, quod ipse scribit ad cap. 3. tract. בכורים p. *90.* *Abrah. Kinchelmanni*, qui codex membranac. an. *4965.* C. 1205. scriptus dicitur in Catalogo MSS. n. *163.* & *R. David Oppenheimeri* in membr. Habuit olim MS. *Adrianus Junius* in membrana eleganti charactere in 4. ceu patet ex Catalogo Librorum ejus p. *69.* Item *Cornel. Schultingius* in Codice membranaceo elegantissime A. C. 1306. exarato. Vide Catalogum Biblioth. *Schultingianæ* inter MSS. p. 3. num. 21. Video quoque recenseri in Bibliotheca *Rostgardiana* instructissima p. 444. num. 5. *More Nevochim Codex membranaceus scriptus an.* 1348. *Barcinone a Levi bar R. Isaac e regione Salmanacca in usum R. Menachen Bezalen Barcellon. characteribus Rabbinicis : Schabtai visus, & propter eximium nitorem commendatissimus.*

Codicem Ill. *Uffenbachi* MS. in 4. fol. 243. describit cl. *Jo. Henr. Majus* in Bibliothecæ *Uffembachianæ* part. 1. p. 92. In illo limen occupat præfatio *Sam. Tibbonidæ*, in qua de difficultate libros ex alia in aliam linguam speciatim ex Arabica in Hebræam convertendi commentatur foliis quatuor. Eam *Maimonidis* Epistola ad *Josephum f. Jehudæ* discipulum suum sequitur. Atque hæc illius præfationis pars tantum exstat in versione Latina tum *Buxtorfii*, tum ea, quam a *Justiniano* diximus editam. Integra vero legitur in Editione Hebræa antiquissima quam paulo ante recensuimus initium est דברי ר׳ שמואל בן ר׳ תבון ז״ל מעתיק המאמר הזה׃ לשון הנרי לשון עברי אמר מתנצל לא מהיותי חכם בעיני השיאני לבבי לבא במשעול ההעתקה הצר הלזה אשר נדר מזה ונדר מזה נדר צורך ידיעת הלשון המועתק ממנו וגו׳.

Eodem modo incipit Codex meus (nempe *Wolfii*) ejusdem libri MS. in 4. Chartaceus, quem luculente scriptum ex Bibliotheca *Ungeriana* accepi. Ibi singulis tribus partibus præmittitur index capitum. In fine vero duplex extat in librum ipsum commentarius, quorum alter משרת משה foliorum 20. alter vero רוח חן inscribitur fol. 20. Prior ille annum descriptionis designat 282. C. 1522. Denique sequitur alphabetica expositio Hebraica vocum & terminorum difficiliorum, qui in *More Nevochim* occurrunt. Illa ab initio & fine mutila est, & a litera ה incipit. Consentit autem cum expositione *Tibbonidis* illa, quam in editione τȣ̃ *More Nevochim Veneta* anni 1551. exstare monuimus.

Accepi nuper ex Bibliotheca *Schultingiana* similem Codicem formæ quarti ordinis Majoris, in charta Turcica diligenter exaratum, & animadversionibus quibusdam marginalibus instructum. Librarii nomen est *Schaul Elchachim* (אלהכים) qui annum descriptionis 5201. i. e. 1441. designat. In Calce Codicis exstat *Samuelis Tibbonidæ* expositio vocum difficiliorum in *More Nevochim* exstantium, folior. 21. una cum ejusdem dissertatiuncula de ratione interiori mensæ sacræ, candelabri, panum propositionis, & sacrificiorum foliis tribus. Hinc existimari potest quid habendum sit de codicis hujus delineatione, in Catalogo *Schultingiano* ita conformata p. 3. n. 22. in fol. *Sermo* sive *expositio in doctorem Perplexorum scriptus an. mundi* 5000. C. 1140. *autore R. Samuele f. Jehudæ fil. Tibbon, etiam in pergameno scriptus*. Non exhibetur hic commentarius in *More Nevochim*, sed ipse liber, prout a *Tibbonide* est conversus, & in calce quod ad voces difficiliores illustratus. Præter illos quos memoravimus commentarios editos, extant & alii manu exarati, qualis, sed imperfectus, memoratur in *Bodlejana* n. 6034. inter *Huntgtonianos* n. 288. & ibid. alius *Abrahami* (forte *Abrahami Abulaphiæ*) n. 170. De alio *R. Jo. Caspi R. Josephi fil. Isac*.

ביאור *Expositio R. Mosis fil. Salom.* super duas partes, & *Josiæ* filii ejus super tertiam MS. in B. *Medicea* Plut. II. n. II. Comment. nescio cujus MS. in B. *Vindob.* v. *Nessel.* Catalog. n. 76. & in Bibliotheca *Regis Gall.* apud *Labbeum* p. 295. Biblioth. Nov. MSS. *Andr. Masius* in indice Scriptorum, commentario in lib. Josue præmisso varia sibi ait in promptu esse in hunc librum commentaria tum edita tum inedita. Quid per *Sam. fil. Jehudæ Tibbon* clavem libri *More* quæ MS. memoratur in Catalogo *Leidensi* p. 285. n. 34. intelligi debeat, non satis assequor, forte est index libri, nisi expositionem vocum difficiliorum, quam ipsi versioni Hebr. præmissam esse diximus, significari censeas. Memoratur etiam commentar. MS. in catalogo Librorum *R. Mosis Raphael de Aguilar.* p. 18. num. 6. in fol. sub titulo יא״ פרקים פיר׳ על מורה נבוכים i. e. *undecim capita commentarii in More Nevochim*. Hic non distinctus est a libello רוח חן de quo modo diximus. In eadem *Aguilarii* Bibliotheca existit alius commentarius MS. *R. Mosis Narbonensis*. Commentarius nescio quis in eundem exstat MS. *Paris.* in Bibliotheca *Colbertina* n. 2603. in fol.

Athanasius Kircherus in Œdipo Ægyptiaco Tom. I. 1. Syntagm. 1. c. 4. p. 246. aliquot nostri loca ex Cod. Hebr. MSS. affert. Librum ipsum *Simeon de Muys* in castigatione Animadversionum *Jo. Morini* p. 95. Opus præclarum & tantum non divinum appellat.

ספר המצות *Liber præceptorum* i. e. expositio præceptorum 613. tam Affirm. quam Negativ. quæ in 14. classes יד חזקה ספ׳ præmissas distinxerat, cum duplici commentario, altero R. *Mosis ben Nachman*, qui partim illustrat partim corrigit *Maimonidem*, altero *R. Isaac fil. Eliezer fil. Schelemo*, qui ex libro ejus מגלת אסתר excerptus est. *Amstelod.* 420. C. 1660. 4. accedit in calce ejusdem מאמר תחית המתים & אגרת תימן. *Arabice* hæc explicatio scripta primum fuit a *Maimonide*, ceu ipse testatur in calce Epistolæ ad *R. Pinchasum* fil. *Meschullam* apud *Buxtorf.* p. 394. Institut. Epistol. Ea lingua MS. exstat in Biblioth. *Bodlejana* n. 5418. inter Codd. *Pocockianos* n. 91. Unde miror *Wagenseilium* non aliam hujus libri notitiam quam ex citatione *Schalscheleth* p. 43. a. habuisse, quod profitetur in præfat. ad librum *Sota* p. 3. Prodiit iterum Ibid. 473. C. 1713. 12. fol. 129. apud *Nathanael Pua* sine commentariis, sed cum brevibus glossis cura *R. Mosche Chagis*; *Hebraice* & *Italice* cura *R. Isaac Arubas* hoc titulo אמת ואמונה *veritas & fides*. *Venet.* 432. C. 1672. 16. ex officina *Bragadina* per *Christoph. Ambrosium*. MS. Extat. *Paris.* in Biblioth. *Sorbonica* in membrana n. 3.

אגרת תחית המתים vel מאמר h. e. *Epistola* vel *oratio de resurrectione mortuorum* *Arabice* ab autore scripta & *Hebraice* conversa a R. *Samuele* (non *Jehuda*, ut tradunt *Buxtorf.* & *Hotting.*) fil. *Jehudæ Tibbon*, prodiit *Constantinopoli* in 8. an. 329. C. 1569. *Venet.* 361. C. 1601. 4. & Basileæ in collectione variorum Opuscul. *R. Salomonis del Medico*, quam edi curavit *Samuel Germanus* an. 389. C. 1629. 4. p. 104. sq. *Buxtorfius Hanoviæ* prodiisse ait contra tituli ipsius fidem, unde factum est, ut *Bartoloccius* duplicem statueret editionem *Hanov.* & *Basileensem*. Prodiit *Amstelod.* cum ס׳ המצות 420. C. 1660. 4. apud *Jos. Athiam*. Seorsim *Furthi* 451. C. 1691. 8. & *Hanoviæ* 473. C. 1725. 8. apud *Jo. Jacob. Beausang* הגרת תימן. *Latinam* hujus versionem cura *Flavii Mithridatis* in Bibl. *Vaticana* extare refert *Bartoloccius*. In hac Epistola suam de resurrectione sententiam magis quam alibi dilucide exposuit, ut proinde causam habuerit *Menasse ben Israel* cur in tractatu de *resurrectione* p. 61. *Maimonidem* contra eos defenderet, qui animæ immortalitatem ab

eo

eo negatam dicebant. *Plantavitius* bis hoc ſcriptum memorat, ſemel quidem n. 21. ſub titulo אגרת, & num. 747. ſub titulo תחית המתים, qui certe ejuſdem ſcriptionis titulus eſt. Eadem Epiſtola MS. eſt in B. *Bodlejana* inter Codd. *Pocockianos* n. 289. 4. & in *Uffembachiana* n. LXV. cujus vide Catalogum P. I. p. 91.

אגרת תימן *Epiſtola meridionalis*, quæ ad Judæos in terris Auſtralibus habitantes ſcripta eſt, ad conſtantiam eorum in fide Judaica & calamitatum perpeſſione firmandam; illa *Arabice* ſcripta, & a *R. Nachum Hebraice* translata titulum accepit פתח תקוה i. e. *janua ſpei*. Prodiit ſed mutatis nonnullis in collectione Opuſculorum *R. Salom. del Medico* modo laudata *Baſil.* 389. C. 1629. 4. p. 93. & in calce ס׳ המצות *Amſtel.* 420. C. 1660. in qua locus quidam deſideratur, qui exſtat in *Baſileenſi*, & Cod. MS. quem habet cl. *Erneſtus Jablonski*. Eam *Guil. Henr. Vorſtius* latine redditam inſeruit obſervationibus ſuis in *Zemach David* p. 293. Hinc autem repetiit *Chriſt. Græfius* in Politico ſuo Orientali *Altenburgi* 1679. de qua lege *Ludovici* hiſtoriam Rectorum Part. IV. p. 257. Ex eadem *Germanice* quædam exhibentur in *Eiſenmengeri* Judaiſmo detecto Part. II. pag. 657. ſq. Ejuſdem meminit *Scheveth Jehuda* p. 162. verſ. *Lat.* ita quidem ut moneat eam a. 4096. ſcriptam eſſe, cum generalia edicta per omnem Africam & totum Orientem contra omnes Judæorum Synagogas promulgata eſſent. In ea de Pſeudo-Meſſiis occaſione Pſeudo-Meſſiæ in illis regionibus exorti, exponit, unde nonnulla repetiit *Schalſcheleth* p. 46. 6. ſqq. Ad hanc Epiſtolam ipſe *Maimonides* provocat in Epiſtola ad *Marſilienſes* de *Aſtrologia* plag. E. II. verſionis Latinæ.

אגרת לחכמי מורסיליה *Epiſtola ad ſapientes Maſſiliæ de Aſtrologia*, qua reſpondet ad quæſtiones ſibi propoſitas de iis Viris, qui omnia ex planetis decerni, & conſtitui volebant; ut & de Judæo, qui Meſſiam ſe eſſe gloriatus fuerat. Ea poſt priorem illam ſcripta inter reliquas *Maimonidis* epp. *Venet.* editas exſtat: Et recuſa eſt tum in Appendice Inſtitut. Epiſtol. *Buxtorfii* p. 444. tum cum verſ. Lat. *Jo. Iſaaci Levitæ* in calce Phyſices, quæ dicitur רוח חן *Colon.* 1555. 8. Pars ejus exſtat quoque *Hebraice* in *Schalſcheleth* p. 44. 6. & in *Vorſtii* obſervatt. ad *Zemach David* p. 292. & verſ. *Jo. Iſaaci*. Ejuſdem argumenti Epiſtolam *de Orbium motu & ſtellarum decretis ad Sapientes Lunir* (vel potius *Lunel*) & Gallos Montiſpeſſulanos MS. in B. *Vatic.* fol. exſtare teſtatur Bartoloccius.

אגרת להמאור הגדול *Epiſtola ad lumen magnum* i. e. Epiſtolæ ad *Maimonidem* a Sapientibus Hiſpanis & Gallis exaratæ cum hujus reſponſionibus, quas *Bartoloccius Conſtantinopoli* 282. C. 1522. fol. cum aliis Opuſculis prodiiſſe ait. Exſtat quoque Editio *Veneta* 304. C. 1544. 8. apud *Cornel. Adelkind*; alia *Veneta* 305. apud *Marcum Antonium Juſtinianum*; tertia *Veneta* apud *Dominicum Vedelago* per *Moſen Cajin Zelach* incolam Hieroſolymitanum 425. C. 1665. 12. Epiſtolæ quædam *Arabicæ* MSS. exſtant in B. *Bodlejana* n. 5393. inter Codd. *Pocockianos* n. 66. *Latina* earum verſio a *Corn. Pellicano* facta una cum dubiis circa lib. *More Nevochim*, cum Epiſtolis R. *David Kimchi* & R. *Bechai* ad Synagogas Arragonicas exſtat MSS. in B. *Tigurina*. Vide Novantiqua *Tigurina* P. I. p. 54.

Reſponſum ejus ad quæſita tria R. Nahoræi fil. Hillel הדיין item alia Arabica MSS. ſunt inter Codices *Huntingtonianos* B. *Bodlejanæ* n. 503. 4. Quæſtio I. agit de eo quomodo incipiendus & deſcribendus ſit liber Legis. Sequuntur ibi plures aliæ quæſtiones cum reſponſis, ita ut totum volumen foliis triginta abſolvatur.

Fragmentum quoddam *Maimonidis* Arabicum *de utili librorum lectione* MS. inter Codices *Pocockianos* n. 18. 4.

ס׳ דרשות *Librum concionum* ſe ſcripſiſſe teſtatur in comment. ad c. XI. *Sanhedrin.* teſte *Schalſcheleth* p. 43. a.

ס׳ הגיון *Logica* in quatuordecim capita diſtincta MS. in B. *Vaticana* n. 349. 4. Et *compendium* ejuſdem ex Arab. Hebr. factum a R. *Moſe* f. *Salom.* ut ſcribit *Bartoloccius* pro *Samuel*, *Aben Tibbon* in fol. ſub titulo מלאכת הגיון *opus logicum* ibid. n. 216. & 283. exſtare teſtatur *Bartoloccius*, & ſimile compendium ſub *Maimonidis* nomine Hebr. legi in B. *Abbatiæ S. Prudentianæ* n. 8. in 4. Exſtat & compendium ejus Logicum in B. *Vind.* v. *Neſſelii* Cat. n. 71. Hos libros *Bartoloccius* & a ſe invicem & a מלאכת הגיון h. e. *dictionibus Logicis* diſtinguit; quæ non videntur diſtinguenda; quia & ille in 14. capita diſtinctus eſt, quibus *Logica* illa abſolvi dicitur; *compendium* vero, quod dicitur מלאכת הגיון ex titulo ipſo מלות הגיון videtur appellatum, præcipue cum a *Moſe Tibbonide* dicatur Hebr. translatum, a quo *Logica Maimonidis* converſa eſt. Sicut igitur non niſi unus eſt hic liber nempe מלות הגיון ita idem non debet diſtingui a Logica illa, quam *Seb. Munſterus* Hebr. cum vocalibus & Lat. verſione ſub *Simeonis* nomine (ſub quo etiam שי׳ memorat titulo הגיון, ubi tamen ſimul ad

מלות

מלות הגיון Lectorem remittit) edidit *Basil.* 1527. Neque dicendum est cum cl. *Rob. Claveringio* in præf. ad binos *Jad chasaka Maimonidis* tractatus, quos cum latina sua versione edidit, *Logicam* illam non esse *Maimonidis*, *cum nec ipse nec usquam alius de eo quicquam dixerit*. Præter enim MSS. quæ citavimus, autor *Schalscheleth* p. 44. a. disertis verbis testatur, eum בהגיון *de Logica* scripsisse, ut taceam *Mardochæum Comtino* in *Logicam Maimonidis*, commentatum esse, quod sub nomine ejus diximus. Inter ἀνέκδοτα *Matth. Frid. Beckii* apud *Pippingium* p. 926. recensetur *Lexicographus Hebræo-Philosoph. ex Logica* Sapientis *R. Simeonis*, quæ a nostro non est distinguenda. *Veneta* editio 310. C. 1550. curata est per *Danielem f. Cornelii Adelkind* in ædibus *Marci Antonii Justiniani* in 4. cum duobus commentariis anonymis in utroque textus latere quadratis literis expressi. Titulus integer hic est. מלות ההגיון שחבר הרמב״ם ז״ל עם שני פירושים; i. e. *Voces Logicæ quas construxit R. Mosche ben Maimon f. m. cum duobus commentariis*. Commentariorum nomina ibid. in frontispicio ignota esse dicuntur, cum illi præ modestia, non gloriam nominis, sed aliorum commodum hac opera amplificare instituerint. Præfationis initium ita habet. אמר רבינו משה בן כבו׳ הרב רבינו מימון ז״ל : שאל שר אחד מעלי החכמות התוריות ומאנשי האחות והמליצה בלשון הערב לאיש מעיין במלאכת הגיון שיבאר לי עניני השמות הנזכרים הרבה במלאכת ההגיון ויבאר לו הסכמת אנשי המלאכה לפי מה שהסכימו. Eodem modo incipit הגיון sive *Logica*, quam *R. Simeoni* tribuit *Seb. Munsterus*, & sub hoc titulo Hebraice cum latina sua versione edidit *Basileæ* 1527. apud *Jo. Frobenium* in 8. plagulis 8. Versio *Munsteri* Latina ita habet. *Dicit R. Mosche filius honorandi R. Maimon f. m. Rogavit quidam cantor, unus sc. de magistris legum, & viris eloquentiæ dissertitudinisque lingua suavi, virum linguæ artis peritum, qui sibi explicavit concordiam virorum hujus artis juxta id quod convenit inter eos de ipsa*. Quæ ita rectius vertenda erant: *R. Moses ben R. Maimon p. m. ait. Vir quidam eximius inter eos, qui scientiarum Legalium seu divinarum, & eloquentiæ in lingua Arabica periti sunt, desideravit a viro artis Logicæ studioso, ut sibi significationem terminorum in arte Logica occurrentium exponeret, & scriptorum Logicorum sententiam de illis exponeret*. Hinc patet, *Rich. Simonem*, tum in Histor. Critica V. T. lib. II. p. 117. ed. Latinæ, tum in Bibliotheca Critica Tom. IV. p. 48. sqq. recte asseverasse, *Munstero* interpretandi operam in hoc libello adeo male cessisse, ut nulla fere phrasis in ea recte habeat. Nos vero ista hic attulimus eo consilio, ut constaret, *Maimonidem*, non vero *Simeonem* quendam, quem *Munsterus* appellat, scripti hujus esse autorem, atque illam *Logicam* a *Munstero* editam non esse diversam a libello מלות הגיון, quem hic habemus. Nam finis capitis XIV. edit. *Munsterianæ* cum *Veneta* nostra exacte consentit, si exceperis quod post finem libri hujus hæc insuper verba leguntur. נשלם החבור ברצון השם והעתיקו אל לשון עברי מלשון הגרי רבינו משה בן החכם הפילוסוף ר׳ שמואל בן תבון ספרדי; i. e. *Absoluta est hæc commentatio ex voluntate Dei Benedicti & auxilio ejus, quam in linguam Hebraicam ex Arabica convertit R. Mosche f. Philosophi R. Schemuelis Tibbonidæ*. Hæc enim in *Veneta* & *Cremonensi* editione an. 326. desiderantur. Hinc vero simul intelligitur, scriptum ipsum a *Maimonide Arabice*, a *Mose* vero *Tibbonide Hebraice* prodiisse. Ceterum non dubito eundem libellum esse, qui sub titulo *compendii Logicæ Hebr.* ex versione *R. Mosis b. Tibbon* exstat. MS. in Bibliotheca *Colbertina* n. 4499. in 4. & sub titulo *Vocabulorum Logicorum Maimonidis* in Bibliotheca *Oratorii Paris*. Atque hos puto esse Codices, ad quos provocat *Rich. Simon* l. c.

Titulum מלאכת הגיון, qui huic scriptioni a nonnullis tribuitur, ex eo puto natum esse, quod tum in præfatione, tum in limine Cap. I. ille conspiciatur. Sic enim autor statim ab initio השם אשר יקראהו מדקדק הערב התחלה הוא אשר יקראהו בעל מלאכת ההגיון הנושא ואשר יקראהו המדקדק ספור ההתחלה הוא אשר קראהו בעל מלאכת ההגיון הנשוא; i. e. *Nomen quod Grammaticus Arabs vocare solet principium, id Logicus appellat subjectum, & quod Grammaticus vocat enunciatum principii, id Logicus dicit prædicatum*. Præter *Venetam* editionem est *Cremonensis* 260. C. 1500. 4. & alia ibid. 326. C. 1564. apud *Vinc. Conti* 4. pagg. 20. in qua *Maimonidis* contextus medium occupat locum literis quadratis expressus. In titulo commentarius uterque ab ignoto autore profectus dicitur, *Maimonides* vero ipse in limine profitetur se de terminis logicis exponendis admonitum a quodam esse.

הנהגת הבריאות, *de tuenda valetudine* ad Ægypti Regem. Inscribitur etiam אביר יעקב *Potens Jacob* ex Genes. XLIX. 24. teste *Hottingero* in Bibliotheca *Orientali* pag. 39. *Arabice* scriptum qua lingua exstat MS. in Bibl. *Bodlejana* inter Codd. *Pocockianos* n. 388. & in *Vindobonensi* tum *Arabice* sed charactere *Hebr.* an. 1257. 4. exara-

exaratus, tum *Hebraice*; v. *Lambecii* comment. T. I. p. 178. & *Vagenſeilium* præfat. ad exercit. 2. quæ eſt inter ſex illas varii argumenti p. 77. Prodiit quoque *Latine Venet.* 1514. & ibid. 1521. fol. cum conſiliis *Jo: Matthæi de Gradi Auguſtæ Vindelicorum* 1518. 4. Varia quoque conſilia Medica leguntur in ejus הלכות דעות, ſive tractatu Operis *Jad chaſaka*, quem *Georgius Gentius* ſub titulo *Canonum Ethicorum* edidit. In eo tractatu cap. IV. §. 21. ipſe allegat ſuum ספר הרפואות *librum Medicum*.

Sunt & alii libri ejus Medici v. g. *Aphoriſmorum Medicinalium* libri XXV. qui hunc referunt titulum. *Aphoriſmi R. Moſis Medici antiquiſſimi ac celeberrimi, ex Galeno Medicorum principe collecti, nunc vero ad uſum ſtudioſorum Medicinæ ab interitu vindicati, & jampridem in lucem editi. Baſil. apud Henr. Petri* 1579. 8. una cum locorum quorundam apud *Galenum* ſibi ipſis contradicentium caſtigatione, & *Jo: Damaſceni Aphoriſmis ad filium* pp. 542. Qui MSS. recenſentur in Catal. Bibl. *Leidenſis* p. 304. & *Latine* converſi *Hieronymo Mercuriali*, a quo id ſe accepiſſe teſtatur *Imman. Aboab* p. 275. Nomolog. non inferiores illis viſi ſunt, quos *Hippocrates* olim edidit. Dicuntur alias *commentarii in Aphoriſmos Hippocratis ſecundum doctrinam Galeni* & prodierunt *Bononiæ* 1489. 8. & *Baſileæ* ut ſupra dictum eſt. Commentatio hæc *Hebr.* MS. eſt in Bibl. *Urbinat.* ap. *Vatican.* n. 51. ſub tit. ס' על רפואה *Liber de Medicina*. Fragmenta quædam *Latine* exſtant in editione *Galeni* Pariſienſi Tom. IX. Parte II. p. 359. Particula ſive ſectio XIX. de *Balneis*, ex *Galeno* a noſtro excerpta, legitur in opere de *Balneis Venetiis* 1523. ed. p. 438. Confer *Peringerum* ad *Maimonidis* cap. XI. de *Regibus* ab ipſo *Latine* editum. Adde paulo poſt n. 24. פרקי משה & n. 20. In Bibliotheca *Scorialenſi Arabice* MSS. fuerunt noſtri tractatus. 1. Medicus ex *Hippocrate & Galeno* excerptus. 2. *Aphoriſmi* ſive tractatus xxv. 3. de Medicina Practica. 4. *Galeni* lib. I. de alimentis & de ſimplicibus, & de tuenda valetudine *Arabice* ab eo converſi.

Ejuſdem סוגירות i. e. *Aphoriſmi*, ut interpretor, ſuper *Hippocratem & Galenum* MSS. in 4. Codice Membranaceo tres digitos lato, exſtant in Bibliotheca *Oppenheimeriana*.

In Bibliotheca *Leidenſi* inter Codd. *Warnerianos* n. 30. in 4. Aphoriſmi *Hippocratis* cum ſubjecta *Maimonidis* expoſitione inveniuntur. Initium hoc eſt: אמר אשר משה בן עבד האלהים הקורדובי הישראלי לא אחשוב אחד מן החכמים אשר חברו ספרים וגו'; i. e. *Dicit princeps, Moſche fil. ſervi Dei* (i. e. Arabice *Abdalla*) *Cordubenſis Iſraelita; non æſtimabo quenquam ex Sapientibus, qui libros compoſuerunt &c.* Hic *Maimonides* appellatur *filius ſervi Dei* Abdalla, atque id prænomen videtur fuiſſe patris ipſius *Maimon*, cujus prænomen aliud nuſquam inveni. Ipſe quoque *Maimonides* noſter in præfat. *R. Schemuel Tibbonidæ* ad *More Nevochim* appellatur עבד אלהים.

Sub eodem *Moſis Ibn Obeid Alla* nomine compendium Medicum MS. exſtat in B. *Bodlejana* cujus vide Catalogum MSS. n. 4579. & in *Colbertina* n. 1707. in fol. Liber de Medicamentis particularibus *Arabice* literis *Hebraicis* ſcriptus exſtat ſub eodem *Moſis ben Abdallæ Iſraelitæ, Cordubenſis* nomine inter Codd. *Pocockianos* n. 280. ſed capite primo fere toto truncatus, ut & פרקים de quibus infra dicetur.

פרקי משה *Capita Moſis ex Galeno excerpta Arabice*, dehinc *Hebraice* tranſlata: Hæc *Hottingerus* p. 39. Bibl. *Orient.* ſiſtere ait Epitomen librorum *Galeni*, quæ deinde *Latine* converſa ſub titulo *Florum Galeni* (vide locum *Ferdin. Nunnez* infra adducendum) lucem viderint. Memorat illa פרקים *Juchaſin* p. 131. 6. ſed ſine argumento. *Bartoloccius* putat eſſe eadem cum præfat. in libro *Pirke Avoth* præmiſſa, quæ de anima ejuſque operationibus & facultatibus præcipit. Sed id veri ſimile mihi non videtur, ש' ait eſſe librum Medicum, qui *Latine* ſit tranſlatus. Crediderim ego פרקים illa eſſe *Aphoriſmos Medicinales*, de quibus ſupra. *Aphoriſmos* enim Hebræi ſic appellant; ubi facile aliquis pro פרקי legere potuit פרחי i. e. *flores*. Exſtant MSS. in Bibl. *Bodlejana* inter Codd. *Pocockianos* n. 405. ſub nomine *Moſis ben Ebed Haelohim* (Arabice *Abdalla*) *Iſraelitæ Cordubenſis*, quem a *Maimonide* noſtro non diſtinguendum eſſe ſupra oſtenſum eſt. In calce occurrunt Aphoriſmi *Hippocratis* cum commentario noſtri. Utriuſque operis ex *Arabico* interpres fuit R. *Nathan* המאתי *Hamathæus*.

Hortum ſanitatis de animalibus, avibus, piſcibus, lapidibus, & in terræ venis naſcentibus a noſtro compoſitum eſſe ex invocatione Dei ad exemplum & formulas Arabum in prooemio facta, ut ex frequenti Scripturæ allegatione conjecit *Immanuel Aboab* in Nomologia p. 275. Confer *Peringerum* in notis ad cit. *Maimonidis* tractatum p. 3.

Quæ

Quæ ſub *Moſis Cordubenſis* nomine Medica ſcripta lingua Arabica in Bibliotheca *Bodlejana* n. 5397. inter *Pocockianos* n. 70. & 396. memorantur, *Maimonidi* noſtro ſunt tribuenda.

ס׳ הזקורה *liber de meritis* noſtro tribuitur a *Plantavitio* n. 172. præter rem, cum ille ſit *R. Moſis Nachmanidæ*, qui *Ramban* dici ſolet, quod cum *Rambam* facile permutari poteſt.

ס׳ חלומות *liber de ſomniis*, idem *Plantav.* noſtro tribuens n. 201. ex eo ait nonnulla ſe cum declaratione Florilegio ſuo Rabbinico inſeruiſſe.

ידיעת יהוה *de cognatione Dei per creaturas* MS. in B. *Vatic.* n. 251. 4.

ס׳ הנמצא *liber inventi*, ſcriptum Medicum & aſceticum, quod additum eſt *Abrahami Hayun* libro, quem dixit אמרות טהורות *Theſſalonic.* 356. C. 1596. 4.

ס׳ הנפש *liber de Anima*, neſcio cujus argumenti, quem noſtro tribuit ש״י. Ex hoc libro petita eſt *R. Gerſon fil. Salom.* שער השמים teſte ש״י p. 75. qui cum Phyſicus ſit, quod ſuo loco oſtendemus, & noſtrum illum ad idem argumentum pertinere veri ſit ſimile.

ס׳ הסבות *liber de cauſis* MS. in *Vatic.* n. 351. in 4.

פירוש אפיקראט *comm. in Hippocratem* ei tribuitur in *Juchas* p. 131. nec diſtingui debet ab eo, de quo ſupra diximus.

פיר׳ אבן סינה *comm.* ſeu potius verſio *Avicennæ Hebraica*, quæ Bononiæ in Bibliotheca *Monaſterii S. Dominici* in Codice, pulcherrimis minio delineatis picturis exornato, legitur his verbis in fronte ſignatis: אבן סנה מהעתקה רבינו משה מימון ז״ל נעשתה במצרים מס׳ אבן סנה שקבל מה״סלטן הגדול מלך מצרים בשנת ארבעת אלפים תשע מאות וארבעים וששה ליצירה h. e. *Avicenna ex translatione R. Moſis Maimonidis f. m. facta in Ægypto ex codice Avicennæ, quem accepit a Sultano magno, Rege Ægypti anno* 4946. ab O. C. i. &. C. 1186. Teſtatur hoc V. C. *Bened. Montfauconius* p. 402. *Diarii Italici*. Idem monet in calce libri legi epiſtolam Italicam, quæ referat *Ferdinandum I.* ejus potiundi cupidum, oblatis 200. aureis nummis voti non fuiſſe damnatum.

Liber de *Aſthmate* in Bibliotheca Regia *Pariſienſ.* Hebr. MS. in 4. item tractatus Arabicus *de curatione eorum, qui ab inſecto quodam venenato morſi ſunt*, vel venenum acceperunt. Vide *Herbelotum* in B. *Orientali* p. 575. a. qui & alibi alia ejus ſcripta medica & Mathematica commemorat.

Ejuſdem forte eſt liber de ſcientiis occultis & curatione morborum per ſchedas, qui teſte eodem *Herbeloto* p. 686. in B. Regia *Pariſ.* n. 1057. ſub nomine *Maimoun* extat, quamvis alioquin non ignorem, plures hujus nominis inter ſcriptores Arabas commemorari.

פיר׳ על התורה. Ad noſtrum pertinet *expoſitio verſuum difficiliorum in Geneſi, Pſalmis, & Proverbiis*, quæ in B. *Bodlejana* inter Codd. *Pocockianos* hodie n. 343. exſtat, ſiquidem Catalogo MSS. Angliæ fides habenda foret. At enimvero cl. Gagnerius in Catalogo MS. me docuit, eam profectam eſſe a *R. Jehuda Cohen ben Schelemo*. Atque hujus libro מדרש חכמה in dicto Codice expoſitio iſta ſubjungitur.

פיר׳ על הגמרה *comm. in Gemaræ*, partes tres, *Moed*, *Naſchim* & *Neſikin*, ut & tractatum *Cholin*, ſcripſiſſe ſe autem comm. in *Miſchnam*, & in eum multa ex Patris ſui & *R. Joſephi Levitæ* præceptoris ſui meditationibus retuliſſe, ipſe ſcribit *Maimonides* in præfat. ad ordinem *Seraim*. Confer *Juchaſin* p. 131. 6. & *Schalſcheleth* p. 43. a. ubi *R. Jacob* in præfat. ad verſionem ſuam Hebr. comment. *Maimonidæi* in ord. *Seraim* idem ait teſtatum reliquiſſe. Addit ſibi viſum illum eſſe tantum in duos vel tres tractatus *Arabice* exaratum, *Maimonidem* vero ipſum in comm. *Miſchnico* ſuper Cod. *Tamid* memorare *conſtitutiones* ſeu הלכות quas ex *Gemæra Hieroſolymitana* collegerit. De his commentariis accipienda putat *Wagenſeilius* in præfat. ad librum *Sota Ferdinandi Nunnez Pinciani* verba in notis ad *Jo. de Mena* Cordub. *Labyrinthum Poeticum* cantu 124. ita concepta: *R. Moſes de Ægypto Medico del Soldan, composo un libro en Medicina* (*che ſe llama* flores de Galieno, *yel* Moreto *en Theologia* [i. e. More Nevochim] *y copilo ſobre el Talmud, grande eſcriptura*. Sic & *Abraham ben David* in ſuis השגות ſive animadverſionibus ad *Maimonidem* ſcribit, *Maimonidem* cogitaſſe de *Talmude Babylon. Hieroſolymit. & Toſephot* in unum compingendis. Expertus igitur ſcribere potuit, quæ leguntur in ejus Epiſtola ad *R. Joſephum* diſcipulum ſuum libro *More Nevochim* præmiſſa. *Cave ne tempus tuum teras in expoſitione, & operoſa conſideratione* Gemaræ, *ego enim in illis multum temporis perdidi, & parum utilitatis hauſi*.

שאלות ותשובות *quæſtiones & reſponſa* de rebus variis cum Epiſtolis a Sapientibus Galliæ & Hiſpaniæ & aliorum Orbis partium ad eum exaratis *Conſtantinopoli*

396.

296. C.1536. fol. quas ש״ memorat, & disertis verbis distinguit ab illis Epistolis, quas *Venet.* 304. excusas diximus.

שאלות ותשובות *quæst. est responsa* a prioribus diversæ n. *362. Arabice* scriptæ & *Hebraice* translatæ, nec unquam editæ in ש״ memorantur; quæ fuerunt in Bibliotheca *R. Mosis Raphael de Aquilar.* Arab. & Hebr. n. *362.* quod patet ex Catalogo librorum ejus p. 18. nu. 3. in Fol. Sunt etiam in Bibl. *Oppenheimeri*. Memorantur etiam in *Bodlejana* responsa ejus Arabica ad quæsita *R. Naboræi* Arabis n. *6014.* inter Codd. *Huntingtonianos* n. *268.* Ejusdem responsa interprete *Sal. Aben Tob* ibid. inter Codd. *Pocockianos* n. *67.* ubi legendum est *Aben Tibbon*.

שלש עשרה עקרים *Tredecim Articuli Fidei*, quos primum constituit noster, teste *Abarbenele* in ראש אמנה cap. 1. fol. 3. 6. & quidem Christianorum excitatus occasione Cap. XI. *Sanhedrin* quod vocatur *Cheleck* & in præfat. ad hoc caput, tredecim illos articulos proposuit. Eos vocavit *Maimonides* alias יסודות *fundamenta*, שרשים *radices* & עקרים; unde non dubito articulos hos innuere *Juchasin* p. 43. a. quando ait eum scripsisse פי׳ הסודות ועקרי אמונה. Occurrunt quod diximus cum expositione l. c. Parte IV. Ed. *Surhenus*. p. *259.* apud *Pocock*. in *Porta Mosis*, tum in libro שבלי אדם *Dav. Vidal.* מכתם לדוד *Theod. Hackspanii* specimine Theolog. Talmud. c. 1. §. *19. Jo. Henr. Hottingeri* Gramm. Chald. Syr. App. III. p. 212. Brevius autem leguntur in libellis precum *Abrahami Jagelii* Cathechismo, *Menasse ben Israel* lib. de Creat. probl. 1. *Buxtorfii* Synagog. Judaica, *Cartuwrighti* Mellificio Hebr. lib. V. c. 4. *Carpzovii* differt. de tredecim Articulis fidei Judaicæ, quæ inter dispp. ejus Acad. legitur p. 483. sqq. *Jo. a Lent* Theologia Judaica hodierna p. 22. sq. & Anonymo apud *Coccejum* in considerat. Responf. Judaic. qu. XII. c. 4. Prodierunt etiam seorsim hebr. & lat. cura *Seb. Munsteri* cum compendio Histor. Josephi *Wormat.* 1529. 8. Et *Isnæ* 1540. Hebr. per *Paulum Fagium* teste *Neandro* p. *536.* Erotematum L. in Hebr. Eam puto quæ sine anno locoque editionis memoratur in Catal. *Bodlejano*. Sic & in *Gilb. Genebrardi* Chronographia p. 70. sq. exstant. *Hispanice* cura *David Cohen de Lara* prodierunt sub tit. Tractatus de Articulis Legis Divinæ ad X. capita revocatis, quæ complectuntur sex præcepta affirmativa & quatuor negativa. *Amstel.* 414. C. 1654. 4. Eosdem exemplo *Lombardi* a *Maimonide* confectos esse suspicatur cl. *Henr. Benzelius* in not. Literaria p. 43. *Maimonidem* enim & juniorem eo fuisse, cum is an. 1131. vel 1135. natus, *Lombardus* autem jam provectæ ætatis an. 1164. defunctus est, & Judæos alias Arabum exemplo ad nova instituta excitari se passos esse, scite observat.

Fuerunt inter Judæos, qui illum Articulorum numerum non approbarent, speciatim *Jos. Albo* in lib. עקרים, qui tres tantum nempe *de existentia Dei*, *Lege*, *Bonorum & Malorum præmio* censuit admittendos, sicut *R. Chasdai Crescas* in lib. אור יהוה quatuor numerat. Videatur *Abarbanel* in *Rosch Amana*, ubi is primum quidem *Maimonidem* defendit, tandem vero unum tantum fidei articulum nempe de Creatione, a quo ceteri omnes dependeant, commendat vel potius simpliciter legi divinæ inhærendum putat. Lege plura de hac causa in laudata *Carpzovii* differt. & ejusdem introduct. in Theolog. Judaicam, *Laur. Odhelii* Synagoga bifronte p. *68.* sq. *Jo. a Lent* Theologia Judæorum hodierna p. 22. sq. cel. *Jo. Franc. Buddei* introduct. ad Philosophiam Hebr. p. 136. *Frid. Alb. Christiani* de fide & superstitione Judæorum, ut & cl. *Jac. Basnage* Hist. Judæorum lib. 4. c. 1. p. 1. sq.

תורה *exemplar Legis sive Pentateuchi* propria nostri manu ex antiquo, ut ajunt, Codice in Ægypto exaratum, & deinde cum αὐτογράφῳ Esdræ collatum venditant Judæi non uno in loco, nominatimque *R. Asarias* in *Meor Enajim* lib. 3. c. *9.* p. 53. *6.* ex nota Pentateucho antiquo sub *Maimonidis* nomine adscripta, quam inde repetit *Buxtorfius* præfat. ad *More Nevochim* p. 8. Sed præterquam quod ipsi *Asariæ* verba hæc ab alia, non ipsius *Maimonidis*, manu profecta, atque adeo valde mirabilia visa sunt, cum nullam apographi hujus sui mentionem fecerit in *Hilcoth Sepher Tora* c. 8. ubi tamen, si res ita haberet, non videtur fuisse neglecturus; certe non unus ex Christianis totam narrationem fictione absolvi ostendit, v. c. *Jo. Morinus* p. 15. Exercit. Biblic. *Hottingerus* in Thesauro Philolog. & *Rich. Simon* in disquisitt. Crit. de variis Bibl. Editt. c. 11.

Constitutum præterea habuit *Maimonides*, quod ex comm. ad cap. XI. Cod. *Sanhedrin* p. 37. col. 4. sive parte IV. Mischnæ *Surhenus*. p. 261. patet, singulari commentatione ostendere, narrationes *Gemaræ* parabolicas, seu allegoricas, quas הגדות vocant, non literaliter esse capiendas. Conf. *Rich. Simonis* epistolas selectas Tom. I. p. *69.* Sic & de notis veri Prophetæ librum promittit in præfat. ad ordinem *Seraim*

Edit. *Surhenus*. In præfat. ad *More Nevochim* p. 6. ait se in commentariis Talmud. jampridem promisisse librum de *Propheta* [vide ad cap. XI. *Sanhedr.*] ut & librum *conciliationis* quo explicaturus fuerit allegorias omnes dubias, sed illorum loco paulo post ait, se in libro *More Nevochim* rationem prophetiæ illiusque graduum & explicationem Parabolarum Propheticarum exhibuisse. Sub vitæ finem *Cabbalæ* eum studuisse *R. Jom Tov f. Abraham* i. e. ריטבא scribit super Hilchoth *Jesode Tora* in calce Cap. I. & *Elias Chajim* in præf. libri אגרת חמורות apud *Schalscheleth* p. 44. a. vidisse sc. ait Epistolam *Maimonidis* Hierosolyma in Ægyptum missam, qua testatus sit, *didicisse se Hierosolymis Cabbalam a Sene, quam si antea scivisset, multa hactenus neglecta, scripturus fuisset*. Enimvero vereor omnino ne hæc prorsus sint conficta, ne sc. neglectio *Cabbalæ*, quæ ex omnibus *Maimonidis* scriptis elucet, in ipsius *Cabbalæ* fraudem & præjudicium vergeret. Certe Judæi ipsi, quorum nonnulli *Maimonidem* non vivum, sed post fata demum in terram Sanctam delatum scribunt, *Maimonidem* ibi *Cabbala* imbutum esse inficiabuntur.

Inter commentitios numero librum שפירן quem a *R. Mose Ægyptio* i. e. *Maimonide* confectum exstare quidam inter Judæos, sed rarius inveniri *Philippus Nicod. Leberecht* Ex-Judæus, Vir alioquin eruditus & probus testatur in Tract. Germanico, quem in scripsit : Gaistlich todte Jude p. 121. In eo autem idem autor est, hæc de causa præsentis Judæorum exilii legi ישוע הנוצרי נראה כמשיח ונהרג מבית הדין והיה סיבה שישראל נחרב בחרב; *Jesus Nazarenus gessit se ut Messias, sed occisus est a Synedrio, & causa existit, cur Israel gladio sit devastatus*.

Finiemus verbis *Schalscheleth* p. 44. a. *Quod si vellem omnia ejus* (Maimonidis) *preclara Opera* ([1]) *recensere, tempus me citius quam illa deficeret. Plurimos enim composuit libros, Halachoth, Constitutiones Juris, quæstiones, & responsiones, ac denique commentarios. Hæc quia nota sunt, non opus est illa recensere. Verum occulti sunt nobis multi in Theologia, in Philosophia, in Logica, in Medicina, & in linguis multis, ut puta Arabica, Græca, & Chaldæa. Testor ego me vidisse multos libros medicos in linguam latinam translatos, nomen ejus præseferentes. Audivi etiam pro certo in lingua Græca & Arabica maximum illorum adhuc exstare numerum. Responsiones item, quas fecit Sapientibus urbis Lunel in Ægypto* (has etiam memorat *Juhasin* p. 131. 6.) *& aliis locis, quæ nunquam ad nos pervenerunt, quas etiam possessores illorum nunquam publicare & divulgare voluerunt*. Confer, si placet, de nostro *Jo. Buxtorf.* in præfat. ad verf. lat. *More Nevochim*, *Robertum Claveringium* in diss. de *Maimonide*, & ejus operibus Tractatt. ejus duobus latine conversis, & *Oxon.* 1705. 4. editis præmissa, & cl. *Jac. Basnage* Hist. Judaica Tom. V. p. 1614. sqq. ubi plura de vita ejus inveneris, quæ hic, de scriptis magis solliciti, destinato consilio omisimus. Nec negligendus est *Imman. Aboab* in Nomologia p. 274. sqq. ubi inter cetera elogia p. 274. ait, ejus doctrinam adeo omnibus numeris absolutam fuisse, ut Principis titulo ex merito insigniri debeat; speciatim opus *Jad Chasaka* p. 276. admirabile & Sanctum vocat, quod lingua Hebr. purissima sit exaratum. Monet etiam p. 174. communicatas secum esse nonnullas ejus commentationes manu exaratas, quæ ad scientias occultas & profundiores spectent. Eundem singulari scripto Legis Oralis vindicias suscepisse relatum sibi testatur p. 280. Proverbio denique p. 278. inter suos ait, a *Mose* (nempe *Propheta*) *usque ad Mosen* (Maimonidem) non fuisse *Mosi* similem.



R O-

([1]) Sic & *Juchusim* p. 131. scribit libros ejus ad numeros revocari non posse, ספרין אין חקר



ROBERTI CLAVERINGII DISSERTATIO DE MAIMONIDE.



DUO præcipue cavenda esse arbitror cum de hominibus aut aliis rebus modo historico scribere instituimus; primo ne plus, deinde ne minus quam quod verum est aut satis probabile dicamus: quod ad prius attinet, si in eo labamur, tum aut fabulas narrasse, aut mendacia confinxisse, aut orationem composuisse videbimur quibus vel nostrum ingenium & scribendi artem intempestive jactare, vel aliquod portentum divulgare, vel quorundam ambitum & inanis gloriæ pruritum titillare, aut nostris commodis velificari, aut alios in errorem ducere possemus: Talia quidem ad infimæ sortis Poetas, Panegyricos & ejusdem farinæ alios nullo modo autem ad verum Historicum spectant; in historia enim ejusmodi assumenta sunt maxime inconcinna & indecora, ac æque incongrua videntur ac si vestes deauratæ filis ex viliore metallo ductis ornatæ essent & intertextæ. De posteriore quod ab Historico fugiendum est dicere licet, quod id quoque culpandum esse censeamus; cum minus quam par est dicendo veritatem reticemus, nec ullo jure Historicorum nomen vobis vendicare possumus; sicut nec ille statim est verus Logimus Logicus qui aliquam tantum ejus partem didicit, nec ille eruditus Mathematicus qui quasdam ex præcipuis Elementorum propositionibus non novit demonstrare. In Maimonidis vita aut de Maimonide dissertatione [aut quocunque nomine veniat) contexenda summam dabo operam nec istos scopulos impingam. Atque ut in hoc opere fælicius progrediar, primo de Autore ejusque Genio, de animi dotibus & ea arte quam professus est, verba faciam; & postea ejus opera recensebimus, & qualia sunt, quæque in iis continentur quam brevissime enarrare conabimur, nolumus autem ista miracula & fabulas hic transferre quas de Autoris nostri nativitate, studendi ratione, artis medicæ peritia & de libro *Jad* conscribendo prodit imperitus iste scriptor *R. Gedaliah*, apage istas nugas & figmenta quibus non omnino indiget *Maimonides*, & quæ, si in vivis esset, summo fastidio contemneret.

R. Moses Ben Maimon sæpissime *Rambam* a Judæis [qui literas nominum propriorum initiales in unum contrahunt] vocatus, *Cordubæ* in Hispania, ut ex libro *Juchasin* discimus, hora tertia promeridiana diei Sabbati & vespera Paschatis annoque Christi 1131. natus fuit. Alii autem, ut *Rabbi Isaac* & *Rabbi David* Autoris nostri nepos, eum anno Christi 1135. natum fuisse contendunt: in hac controversia

chronologica non possumus certo determinare a cujus partibus stat veritas, pro comperto autem habemus eum post annum Christi 1129. natum fuisse. Ejus Pater fuit *R. Maimon* judex vir & juris cognitione & sapientiæ dotibus celebris & insignis, & illustri familia clarissimisque majoribus prognatus; at quæ & qualis ejus mater fuit non omnino cognovimus : nam ea, quæ de illa narrat Autor *Schalschelet Hakabala*, aniles fabulas redolent, nullamque fidem merentur. Apud *Rabbinos* non infrequens nec insitatum est aliquod prodigium vel divinitus editum, vel angelorum ministerio & humanis viribus potentia divina adjutis factum confingere, quo alicujus viri illustris famam & authoritatem augeant, aut quo vulgo imperito absurdas & ineptas eorum opiniones & blasphemias contra *Jesum Messiam* nostrum magna copia effusas facilius devorare persuadeant : Memini enim me tale figmentum de *R. Solomone Jarchi* aut legisse aut audivisse quale a prædicto authore de *Maimonide* narratur. Magistrum habuit *R. Josephum Levitam F. Megas* virum maximæ eruditionis in rebus *Talmudicis*, quem *Maimonides* in præfatione ad partem Misnæ *Zeraim* vocatam summis laudibus effert, neminemque ei in omnibus retro seculis parem aut æqualem fuisse dicit. De Præceptore ejus dissentiunt *R. Gedaliah* & *R. Abraham Zacuth* : prior eum *R. Josephum Levitam* magistrum habuisse, posterior autem a Patre suo institutum fuisse vult : nullam causam invenire possum quare de hac re inter se degladiarentur præfati authores; potuit enim prius a patre institui & postea a celebri isto *Josepho Levita* doceri; & quamquam *Maimonides* decem tantum annis *R. Josepho* minor natu fuit, prout asserit *R. Abraham Zacuth*, tamen hoc non impedit quo minus hic illius præceptor esset si scholam juvenis aperuit. Quot annos in audiendo magistrum suum posuerit nobis non compertum est. *R. Gedaliah* eum cum Magistro suo in spelunca delituisse & ibi Legem didicisse scribit : at nulla ratione induci possum ut credam Magistrum tam præstantem & insignem tam diu latitare, aut Discipulum tam egregium in umbra & tenebris educari potuisse. In solitaria & umbratili illa vita, quæ in cellis & locis a publico hominum cœtu seclusis est agenda, torpent aut languescunt plerumque puerorum ingenia, aut se omnium doctissimos cogitantes inani tumescunt persuasione; adeoque nihil fere quod lectu dignum est in lumen emittunt, id quod de *Maimonide* nullo modo affirmari possit ut postea facile deprehendemus.

Ingenio fæliciſſimo i. e. philosophico erat præditus, quo nihil amplius aut præstantius a Deo hominibus tribui & concedi potest : hujus beneficio bonum a malo, rectum a pravo decorum ab indecoro, verum a falso, certum a probabili, & magis probabile a minus probabili secernitur; & hoc incitamur rerum rationes perpendere, earum causas investigare, easque inter se componere, ut rectos de iis formemus conceptus, & quæ ad praxin spectant melius dignoscamus. Tale ingenium quamvis industria & crebra exercitatione augeri & perfici potest, nulla tamen arte nullisque conatibus acquiritur, cum singulare sit donum quod natura, seu potius Deus bonorum omnium largitor, hominibus quibusdam benigne indulsit : nam ut nemo insignis Poeta, nemo magnus Orator, ita nemo celebris Philosophus sine peculiari corporis temperamento & genuina animi indole unquam evasit. Hoc autem *Maimonidi* nostro cum paucis Hebræis concessum est. Inter cæteros *R. Abarbenel* huic in philosophia proximus videtur; ejus autem Ingenium tenue est si cum *Maimonidis* genio comparetur : prior acutus erat & subtilis, posterior firmus & nervosus; ille suam argumentandi artem ubique ostendere conatur, hic nulla prodita ostentatione semper strenuissime arguit; ille omnes rerum rationes & momenta corradere & coacervare videtur, hic ea quæ majoris sunt ponderis & ad rem probandum satis sufficiunt tantum colligit; ille sæpius nimium dicit & Lectores verborum abundantia onerat & fatigat, hic suam scribendi artem intra justos limites cohibet & sicut non parcus est ita nec in dicendo est nimius; ille acris & vehementis, hic mitis & temperatæ indolis fuit; ut verbo dicam, ille *Scoto* nostro hic *Aquinati* similis fuisse videtur.

Prout optimo Ingenio præditus ita & maximo judicii acumine & perspicacia erat donatus; id quod in omnibus ejus operibus, nisi ubi *Christianis* se opponit, clarissime elucet. Absque hoc omnem istam fabularum, Incantamentorum, & futilium disputationum farraginem nec rejicere nec a rebus commodis & utilibus tam perite secernere potuisset; nec totius Juris Judaici Corpus methodo tam clara, apta & concinna tradidisset nisi optimi judicii viribus obscura *Gemaræ* claustra reserasset, & maximas ejus difficultates planis & perspicuis explicationibus illustrasset. Præcipua autem ejus facultatis specimina & documenta in Libro *Moreh Nevochim* apparent, ubi de variis & omnis fere generis argumentis tam distincte & luculenter disputat, ut

ut suos oculos amisisse videatur qui de ea re ulterius dubitare possit. De ejus Memoria nihil nobis tradiderunt Scriptores Judæi; eam si non optimam attamen non pessimam fuisse tuto dicere licet, cum sine memoria tenaci aut saltem mediocri omnes istas artes, quibus ornatus erat, nec ab aliis discere nec cum aliis communicare potuisset.

Hæc naturæ dona optimis artibus & omne genus doctrina polivit & excoluit, nullam non adhibuit industriam nullum refugit laborem quo suum animum optime a Deo fictum & formatum tum Doctorum suorum prudentia & disciplina tum Philosophorum celebriorum Sapientia imbueret & ornaret. In omni philosophia & Græca & barbara fuit eruditus, & hanc tanti fecit & tantæ necessitatis æstimavit, ut iniquum fere & prorsus periculosum arbitratur aliquem se Theologicis Studiis addicere priusquam Philosophiæ notitia & regulis se tanto muneri & aptum effecerit & idoneum. Se omnes autem optimorum Philosophorum libros legisse ait: in Epistolis suis, præsertim autem in ea quam ad *R. Samuelem Aben Tybbon* misit, de *Platone*, *Aristotele*, de *Themistio* Philosopho, de *Pythagora*, *Porphyrio* & *Avicenna* aliisque autoribus tanquam a se sæpius lectis loquitur; & in *Moreh Nevochim* sæpius contra *Aristotelem* disputat ejusque opiniones refellit. Nulla sane Philosophiæ pars eum latuit. Eum Logicum fuisse satis ostendit optima ista argumentandi methodus quæ in omnibus ejus operibus conspicitur. Ejus rerum moralium notitia in pluribus locis at speciatim in Tractatu *Danoth* vocato abunde apparet: de Metaphysicæ scientia & præstantia non raro differit, eaque utitur cum de Deo, Angelisque in Tractatu de *Fundamentis Legis* & *Moreh Nevochim* verba facit: in Physicis & Mathematicis plurimum desudavit & maximos fecit progressus, ut ex Tractatu de *Consecratione Kalendarum* & Epistola ad *Marsilienses* de Astrologia colligimus.

Insignis quoque Criticus fuit Author noster, at non talis quales fuerunt plurimi superioris seculi Critici, & quales etiam in ætate nostra minutis suis & insulsis observationibus authores optimos inquinarunt: Sunt enim isti mordax & rabiosum hominum genus qui de literis & literarum apicibus tanquam de maximi momenti rebus concertant, & de nihilo maximas turbas excitant, qui in superficie semper hærent, & ad veras vocum significationes enucleandas perraro aut nunquam se accingunt. Noster vero de istiusmodi levissimis parum solicitus est; quippe cum sublimis ingenii viris nihil indignius nihil magis indecorum est quam in istis exercitationibus tempus & otium consumere; & circa talia occupari ad animos vulgares & degeneres tantum spectare videtur: ille in pervestigando vocum significationes nec Grammaticorum nec Lexicographorum vestigiis insistit, sed præcipuas earum homonymias evolvit, & significationem præsenti negotio & argumento quod sub manibus est, inservientem amplectitur. Hujus rei exempla afferre inane esset & inutile, cum in tota prima parte Libri *Moreh Nevochim* nihil aliud fere agit quam ut plurimarum vocum, quæ in sacra Scriptura occurrunt, verum sensum explicet, & clavem nobis præbeat quo Sacri Textus loca dubia, obscura, & difficilia aperiamus. In hoc enim Ars Critica consistit, ut verum Authorum & vocabulorum sensum inveniamus, & inventum aliis rite explicemus; non autem ut eorum literas dinumeremus & circa istas jurgia & rixas moveamus.

Eum multas & varias linguas nempe Hebraicam, Chaldaicam, Arabicam, Turcicam, Medicam & Græcam edidicisse ferunt Scriptores Hebræi: eas omnes *Maimonidem* intellexisse non ausus sum affirmare; at in earum plurimis eum satis exercitatum fuisse nemini ejus opera legenti dubium est. Et cum hic de linguis agitur, non incommodum nec præter Institutum nostrum erit de ejus stylo sive orationis genere pauca subjicere. Scriptor erat nitidus & elegans, & sacrum Textum, utpote omnis Hebraicæ Eloquentiæ exemplar, quantum potuit, imitatus est; Flosculos Rhetoricos & sublimem loquendi modum non affectat, sed omnia Stylo puro, simplici & perfacili tradit; nec contentioso & forensi scribendi genere sed leni & æquabili delectatur; ut in oratione sua luxuriosus non est, ita nec sterilis nec parcus, sed omnia dicit quæ materiam subjectam vel explicare vel illustrare possunt, & plura dicere refugit. Ejus oratio, ut arbitror, isti scribendi generi simillima est quo *Cicero* in libro de officiis, aut *Aristoteles* in sua Philosophia tradenda usus fuit: Hic loquendi modus ad docendum, ille sublimis ad commovendum & inflammandum aptior est; hic aquæ limpidæ & leniter fluenti, ille maris æstui omnia huc & illuc rapienti comparari potest; hic temperato verborum delectu animos nostros veritate instituit, ille eorum nimia copia obruit & obfuscat. Non mirandum est ideo *Maimonidem* optimi ingenii & limati judicii virum prius genus amplexum fuisse, posterius vero neglexisse.

Non

Non necesse est ut quicquam de ejus virtutibus moralibus hic dicam; eum vitam suam ad veteris Testamenti regulas & rectæ rationis normam, quantum fieri potuit, exegisse facile est credere; ubique enim bonos mores laudibus prosequitur, eos ad res intelligendas earumque veritatem assequendam omnino necessarios esse vult, & neminem in præceptis institutisque Philosophiæ, multo minus in Theologia, proficere posse dicit nisi qui virtute est præditus & se a corporis voluptatibus & hujus mundi negotiis abducit. Liceat hic observare eum fuisse mitissimæ & placidissimæ indolis, & nunquam suos adversarios, ne *Christianos* quidem, convitiis & contumeliis excipere: id quod reliquis Judæis gratum est atque jucundum.

In Medicina adeo peritus erat & insignis ut in numerum Medicorum Regis Ægyptii cooptaretur. In Epistola ad *R. Aben Tybbon* missa se tantis in re medica occupationibus implicari ait, ut cum eo consabulari nec noctu nec interdiu possit. Regem quotidie visere consuevit, & si quis in Aula morbo laboraret, ibi totum diem consumebat: Si eorum nemo morbo affectus esset statim a meridie domum suam repetebat, ubi tanta Gentilium, Judæorum, Nobilium & Ignobilium, Judicum & Ministrorum, Amicorum & Inimicorum multitudo eum adibant, & de sanitate aut tuenda aut recuperanda consulebant, ut cibum vix comedere potuit; & se auscultando, respondendo, & de morbis iisque medendi ratione loquendo quotidie delassatum fuisse queritur.

Absoluta jam prima hujus dissertationis parte ad secundam jam deveniendum est, & quemadmodum ex agro fœcundo & fertili, in quo bona jacta sunt semina optimos & uberrimos fructus, ita a tali Ingenio omnibus Philosophiæ aliarumque disciplinarum principiis instructo & exculto opera egregia & maxime præclara non possumus non expectare.

Primum ejus opus erat Commentarius, quem in tres *Gemaræ* partes *Moed*, *Nasim*, *Nesikin*, & in Tractatum *Cholin* scripsit: quo tempore aut loco hoc opus [quod injuria temporum jam periit] confecit nobis non certo constat; istud autem eum in Hispania & incepisse & absolvisse credere inducor, eo quod ex Patris suis Scriptis & *R. Josephi F. Megas* magistri sui expositionibus & interpretationibus magna ex parte collectum fuisse tradat: & verisimile mihi videtur eum in isto opere quædam communibus & receptis Judæorum opinionibus libere & palam tradendo eorum odium & invidiam in se derivasse, & hac de causa non potuisse diutius apud suos *Hispanienses* pacate & quiete vitam traducere: adeoque patria sua relicta in *Ægyptum* commigravit, & quoniam in ista regione ætatem consumsit, *Ægyptius* plerumque vocatur.

Commentarium suum in *Misnam* viginti tres annos natus incepit eumque trigesimo ætatis anno absolvit. Hujus operis præcipuus scopus est *Misnæ* explicationes & verborum Interpretationes ita breves & faciles ob oculos Lectoris ponere, ut ejus verum sensum nullo negotio & intelligere & memoriæ tradere possit, ut Doctorum decisiones & constitutiones notas faciat, & ad quas conformanda sit praxis ostendat, ut alios ad *Gemaræ* Studium deducat, & rectam rationem verba explorandi & explicandi doceat, ut doctrinæ *Talmudicæ* compendium habeant, ex quo sine magna difficultate & molestia quæ agenda sunt aut omittenda quæque cognitu sunt necessaria intelligant. Hunc Commentarium in lingua Arabica scripsit *Maimonides*, & eum Hebraice reddidit *R. Aben Tybbon*: nonnullis ejus partibus introductiones sive procemia præmisit quibus Lectorum animos ad ea, quæ sequuntur, capiendum magis aptos & idoneos efficeret: Hæ introductiones numero sunt sex, & in iis de Lege *Mosaica*, de *Misnæ* & *Gemaræ* compositione & Doctoribus eam componentibus, de Vita futura, de Judaicæ Religionis fundamentis, de anima humana ejusque facultatibus & de modo eos dirigendi juxta sanæ rationis regulas, de homine pio & virtutibus prædito, de virtutibus & vitiis eorumque natura & differentia, de humanæ voluntatis libertate, de Oblationum divisione earumque speciebus, de variis impuritatibus aliisque istiusmodi rebus docte & eleganter differitur: in his omnibus variam & multiplicem scientiam ostendit & se ultra ætatem doctum fuisse demonstrat.

Opus illud, quod interdum יד החזקה, interdum משנה תורה, & *magnum* ab ipso Autore vocatur, annis duodecem post *Misnæ* Commentarium in publicum misit. In quatuordecim libros distribuitur, & in istis reperiuntur octoginta & novem Tituli sive Tractatus, quibus omnia ista præcepta sive affirmativa sive negativa præmittit in quæ totum Jus Judaicum resolvi & distribui potest; Omnia ista hic recensere non conceditur, adeoque breviter tantum & in genere ea, quæ in isto opere author noster complectitur, perstringam: cum hæc agere aggredior æquum erit & tutis-

tutissimum ipsius *Maimonidis* vestigiis insistere & ductum sequi : Ille autem omnia præcepta in isto opere contenta in quatuordecim classes partitur. In prima classe de præcipuis Fidei fundamentis & necessario credendis agitur; secunda vel ea complectitur præcepta quæ immediate Idololatriam spectant, vel ea quæ ritibus Idololatricis suam debent originem. Tertia Philosophiam moralem virtutum indagatricem vitiorumque expultricem continet. In quarta omnia ista disputantur quæ pertinent ad Eleemosynam, ad Mutuum & Debitum, ad Anathemata, ad Servorum jura & privilegia, ad oblationes liberas & indefinitas, ad Decimas primas & secundas, & ad Annum septimum in quo terram colere non licuit. In quinta de omni Damnorum genere agitur; sexta præcepta de Furibus, Prædonibus, Testibus eorumque testimoniis, Synedriis, Rebellibus & Apostatis, & de Regibus & bellis gerendis complectitur. In septima omnia reperiuntur quæ ad rerum occupationem, Hæreditatem & possessionem, & ad quæ Mutui & Depositi, Locati & Conducti, Actoris Rei & cæterarum ejusmodi rerum jura pertinent. In octava præcepta de Sabbatho & Diebus & Festis & solennibus invenimus. In nona de precibus, Benedictione & gratiarum Actione, Phylacteriis, Postium schedis, Peniculamentis, & de recto Legem scribendi more sermo instituitur. In decima de Sanctuario ejusque vasis & ministris disputatur. In XI. omnia Oblationum & Sacrificiorum genera eorumque ritus ponuntur. XII. omnes Pollutionis & purificationis modos complectitur. In XIII. de Cibis vetitis & omni votorum genere tractatur; & in XIV. demum de Concubitu illicito agitur. Hic Codex totius Juris Judaici Corpus sive Systema vocatur, in quo omnia tanto nitore apparent, tantis suffulciuntur rationibus & tali methodo traduntur, ut nec Romanorum Pandectis, nec aliarum Gentium Scriptis juridicis locum cedat. In tanto volumine *Maimonidem* nunquam lapsum fuisse non ausi sumus affirmare; si *Abrahamo Ben David*, qui Animadversiones in hunc librum scripsit, fides adhibenda esset, eum sæpissime errasse non potuimus diffiteri : at credo istum Censorem contradicendi cacoethe fuisse percitum, prout plurimis in locis ostendunt Authores *Maggid & Ceseph Misna*; & hujus exemplum in notis nostris p. 129. nos ipsi posuimus. Existimavit fortassis hicce Animadversor se tanti viri lapsus notando celebriorem & illustriorem fieri; at longe fallitur, cum nihil eum magis obscurum reddere potuit quam cum Authore adeo insigni in certamen descendere : nam quemadmodum Solis lumen minora lumina extinguit; ita minuti Authores juxta celebriores positi multo minores fiunt & tandem evanescunt. Huic ingenti operi *Librum Præceptorum* præmisit *Maimonides* : in eo, ut ipse loquitur, omnia præcepta simpliciter tantum recenset, nullis adductis rationibus quare observanda traduntur. Sunt autem numero sexcenta & tredecem; quorum ducenta & quadraginta octo sunt negativa, & trecenta sexaginta quinque affirmativa.

Librum *More Nevochim* anno ætatis quinquagesimo Lingua Arabica scripsit, eumque Sermone Hebraico interpretatus est *R. Samuel Aben Tybbon*; eum quoque Hebraice reddidit *R. Jehudah Alcharisi*; at hujus versio nullius erat pretii, prioris vero ab ipso *Maimonide* erat approbata. Hic liber est partim Criticus, partim Philosophicus, & partim Theologicus. Criticus est ubi de Parabolis, Metaphoris, Allegoriis, vocum explicationibus & homonymiis agitur; Philosophicus ubi de Mundi Creatione & æternitate, de motibus cœlestibus, de Dei & seperatarum Intelligentiarum natura & ejusmodi disputatur; Theologicus ubi de Providentia divina, Prophetia, *Ezekielis* visione, & de fine & ratione Legum Mosaicarum tractatur. Hoc ejus opus ab omnibus & præcipue *Christianis* magni semper æstimatur : illud enim a *Josep. Scaligero*, *Isaaco Casaubono*, *Augustino Justiniano* aliisque viris illustribus laudibus celebratur, & talis plerumque habetur qualem vel viri doctissimi scribere exoptarent. Cum hic liber in linguam Hebræam versus fuit, *R. Solomon F. R. Abraham MonsPessulanus* cum duobus suis discipulis *R. Jona* & *Davide F. Saulis* adversus *Maimonidem* & doctrinam in isto libro traditam maximas in Gallia excitarunt turbas, at *R. Davidis Kimchii* industria & authoritate tum in ista regione tum in Catalonia & Arragonia erant compressæ, & tres isti Seditiosi homines, quos nec argumentis nec lenitate & humanitate vincere potuerunt, Anathematis & Excommunicationis fulmine vicerunt.

Post *Moreh Nevochim* authorem nostrum nihil nisi quasdam Epistolas scripsisse invenimus; quot vel antea vel postmodum scripsit Hebræi Scriptores non docent. Insigniores, de quibus aut legimus aut audivimus, hæ sunt quæ sequuntur. I. ad *R. Chasdai* in qua responsio continetur ad quasdam quæstiones quas ille de quibusdam in *Moreh Nevochim* opinionibus movet. II. de Astrologia ad Judæos Marsilienses missa. III. illa quam una cum libro *Moreh Nevochim* ad R. *Josephum* discipulum suum misit.

sit. IV. ad R. *Samuelem Aben Tybbon* de ejus libri *Moreh Nevochim* versione scribit V. truncata est & ad *R. Josephum* missa, in qua *Moreh Nevochim* defendit. VI. valde prolixa est, eamque ad *R. Pinchas F. R. Meshullam* misit: in ea Apologia pro libro *Jad Hhazekah* continetur. VII. ad Filium suum *Abrahamum* misit in qua illum ad studia & Pietatem hortatur. VIII. est Consolatoria ad *R. Josephum* de filiæ ejus morte missa. IX. est de Mortuorum Resurrectione. X. est quæ a *R. Chajim* citatur, in qua *Maimonidem* posterioribus ætatis annis *Kabbalam* didicisse & magni æstimasse narratur: at ego istam aut spuriam & suppositiam esse, aut nunquam extitisse arbitror; eo quod istas nugas puerilesque literarum & vocabulorum lusus semper contemserat *Maimonides*. Hisce Epistolis addi possunt variæ istæ Quæstiones Authori nostro propositæ ejusque Responsiones, quæ ambæ simul cum Epistolis supra enumeratis in publicum prodierunt.

Omnia ipsius opera quæ ad manus nostras devenerunt jam recensuimus: de iis quæ vel perierunt, vel falso illi tribuuntur, vel quæ scribere statuit & nunquam scripsit, pauca dicemus: Metaphysicam scripsit cum adhuc juvenis esset, at eam a nemine nisi ipso *Maimonide* citatam vidimus; idcirco eam jamdudum periisse concludimus. Ei tribuitur Logica quam sub nomine *R. Simeonis* vulgavit *Munsterus*; ad eum autem non omnino pertinere arbitror; cum nec ipse nec quisquam alius (quantum scio) de ea quicquam dixerit. Omnes istos libros in Theologia, Philosophia, & plerosque in Medicina, quorum meminit & quos occultos vocat *R. Gedaliah*, inter supposititios & falso ei ascriptos recenseo. Volunt nonnulli eum totam *Mosis* Legem sua manu exscripsisse & tanquam exemplar reposuisse, ad quod alii sua Legis Autographa describerent; sed cum *R. Azariah* hoc falsum esse suspicor: & mirum videtur eum in Tractatu *Sepher Torah* hujus non meminisse, cum nullibi opportunius quam in isto loco citari potuit: In Commentariis suis Talmudicis Librum de *Prophetia* & Librum *Conciliationis* se scribere velle dicit; eos vero nunquam scripsit, ut ex Introductione libro *Moreh Nevochim* præmissa cognoscimus. De statu futuro librum copiosum se quoque componere velle promittit, eum autem istud opus nunquam absolvisse satis verisimile est. Absoluto jam quod suscepimus, non multum ab re erit aliquid de ejus morte & fama post mortem coronidis loco breviter adjicere.

Author noster Septuagesimo ætatis anno in Ægypto decessit & in terra Israelis erat sepultus. Eum per tres dies continuos Judæi & Ægyptii defleverunt & istum annum hac de causa *Lamentum Lamentabile* vocarunt. Magna est tum apud suos tum apud Exteros ejus nominis fama. Judæi nullum post Legislatorem *Mosem* ei parem fuisse opinantur, id quod hoc vulgari proverbio efferunt. ממשה עד משה לא קם כמשה i. e. *A Mose* Propheta *ad Mosem* Maimonidem *non extitit sicut Moses* Maimonides. Eum maximis quoque laudibus & Elogiis celebrarunt viri inter *Christianos* & hujus & superioris sæculi doctissimi: & quemadmodum adhuc viget ita in omne ævum vigebit *Maimonidis* memoria.



HUM-

HUMPHRIDI PRIDEAUX
PRÆFATIO
AD TRACTATUS
MAIMONIDIS
DE JURE PAUPERIS ET PEREGRINI.

TRADO in manus tuas [Benevole Lector] duos Titulos Juris Judaici, prout eos ex utroque Talmude in compendium redegit Rabbi Moses filius Maimonis, vir magni nominis tam apud Christianos quam suos : qui cum summis animi dotibus instructus fuisset, eas omnes ad jura Gentis suæ explicanda adhibuit : In qua palæstra tam optimo desudavit successu, ut totum jus Judaicum barbarie & sentina Talmudica prius fere absortum & penitus demersum adeo feliciter restituit, ut hinc, quasi alter esset illius conditor, de eo apud Judæos egregium hoc totius gentis suffragiis ubique receptum est elogium, ממשה עד משה לא קם כמשה: i. e. *a Mose* [propheta] *usque ad Mosem* [Maimonidem] *non extitit qualis Moses* [Maimonides.]

Jus Judaicum, sicut cætera omnia jura, duplicis naturæ est, Originarium & ab Originario ortum; hoc Legem oralem, illud Legem scriptam vocant Judæi; utramque simul pertractat Maimonides. Lex scripta ea est, quæ ipsius Legislatoris autoritate consignata in Pentateucho continetur : eam distribuunt Jurisconsulti Judæi in 613. præcepta, quorum 365., quæ illicita prohibent, præcepta negativa; reliqua 248., quæ facienda jubent, præcepta affirmativa appellantur. Hæc sola legum vim & autoritatem habent, totiusque juris Judaici sunt fundamenta; sed cum ad omnes particulares actiones ita applicari non potuissent, ut universas, quæ oriebantur, propalam dirimerent controversias, hinc in subsidium venerunt Constitutiones Prophetarum & Sapientum, Decreta Synedrii, Decisiones Judicum, & Interpretationes Doctorum, quæ juri Judaico, sicut rescripta Imperatorum & responsa Prudentum juri civili Romano, uti data erat occasio, continuo addebantur, eamque partem illius, quam vocant Legem oralem, constituebant : ea enim non scripta erat, sed ore tenus primo a Mose ad Joshuam, & deinde a Joshua ad Seniores, qui post illius obitum gentis regimen accipiebant, & a Senioribus rursus ad Prophetas, & sic deinceps diu transmissa fuerat. Ex his eæ Constitutiones, quæ ipsi Mosi acceptæ referuntur, maximæ auctoritatis habebantur : eas enim dicunt illum eodem tempore, quo Legem ipsam, in monte Sina a Deo accepisse, & ore tenus Israelitis tradidisse; atque ideo vocantur Constitutiones Mosis e Sina, quarum frequens mentio est in Talmudicis Scriptoribus. In proximo gradu sunt, quas Prophetæ, & deinde quas Sapientes suo quisque seculo constituerunt. Post datam enim legem Moses ipse per quadraginta, quibus vixerat, annos quomodo ea observanda esset, & quomodo in singulis causis & controversiis exercenda Israelitas continuo docebat : si qua enim difficultas oriretur, ipse eam juxta legem dirimebat; si in aliquo præcepto quid dubitatum esset, explicabat interpretationem illius; & ubi populum ad violandam legem nimis pronum deprehendebat, quomodo reprimendi essent constituebat, omnesque hæ Decisiones, Interpretationes, & Constitutiones illius ab Israelitis memoria retentæ ad posteros pro certissimis regulis juris transmittebantur. Post Mosis autem obitum, si quid dubii vel in ritibus vel in judiciis exercendis oriretur, illud ad Pontificem maximum, uti a Mose præceptum fuerat [Deut. 17. vers. 8.] vel ad Prophetam, si quis tum in Israele fuisset, determinandum deferebant, & quicquid ab his decretum fuerat, cæteris traditionibus addebatur, & sic continuo factum fuerat usque ad Captivitatem Babylonicam. Post reditum autem e Babylonia, cum jam diuturnum illud & a patria & a patriis legibus exilium omnes has traditiones e populi memoria fere penitus delevisset; congregata est Synagoga magna, quam ex centum & viginti viris præstantissimis dicunt constare; iique, inquiunt Judæi, recollectis & simul collatis, quascunque ex antiquis traditionibus singuli memoria tenuerant, Legem oralem iterum restituere, eique insuper multas novas Con-


ſtitutiones, & Interpretationes pro re nata addidere; quod itidem & in Conſeſſibus Sapientum, qui iis ſucceſſerunt, continuo factum fuerat. Cum enim jam extincto inter Iſraelitas ſpiritu prophetiæ, & oraculo, (quod Pontifici maximo per Urim & Thumim ſolebat reſpondere) poſt exciſum templum primum penitus ablato, nullus amplius eſſet in ea gente infallibilis controverſiarum judex, omnia deinceps in Synedrio juxta plurium ſuffragia tranſigebantur, niſi forte quis inter eos ob eminentiorem juris peritiam tantæ auctoritatis eſſet, ut illius de rebus in dubium vocatis ſententia deinde pro ſtabilita Conſtitutione reciperetur, quales fuerant Simon juſtus, Hillel, Gamaliel, aliique. Quæcunque autem ab his Sapientibus, vel a Synedrio ſtatuta fuerant eodem modo quo Coſtitutiones Prophetarum juri Judaico addebantur; iiſque Judæi, jam prævalente Phariſæorum ſecta, qui in obſervandis traditionibus ſuis uſque ad impietatem ſuperſtitioſi fuerant, non minus quam lege ipſa ſe obligatos exiſtimabant; atque ideo quo melius omnibus promulgatæ, ſimul & poſteris conſervatæ eſſent, Scholæ inſtituebantur, in quibus jus Judaicum eodem modo, quo Juſtinianæum in noſtris, ab iiſdem plerumque qui in Synedrio, ſummiſque Gentis conſiliis præſidebant, ſummo ſtudio docebatur: in iis cum quotidie aut quæſtiones determinandæ, aut difficiliora Legis explicanda proponerentur, novæ Determinationes, & Interpretationes etiam continuo excuſæ fuerant, præſertim ſub Hillele, qui regnante Herode non multis ante Chriſti nativitatem annis Synedrii præſes & Rector Academiæ Hieroſolymis conſtitutus quamplurima Legi orali addebat; quod idem & a ſucceſſoribus illius ſingulis ſeculis, quæ deinde ſequebantur, factum fuerat uſque ad R. Judam Sanctum, qui ei in utroque magiſtratu ſeptimus ſucceſſerat. Ille autem imperante Antonino Pio ad hanc dignitatem evectus, cum jam vidiſſet gentem ſuam tot cladibus, quas ſub Veſpaſiano & Adriano Imperatoribus Romanis paſſa eſſet, adeo afflictam, eoque exilio, quo ex ſævo Adriani edicto mulctati fuerant, tam miſere diſſipatam, ut inter tot miſerias quam pauciſſimi deinde Legis ſtudio poterant vacare; atque ideo timeret, ne ea jam tot incrementis aucta ſola traditione orali vix diutius conſervari, & ſine diſpendio ad poſteros propagari poſſit, ut huic damno præveniret, omnes eas Conſtitutiones, Interpretationes, & Deciſiones, quæ uſque adhuc a majoribus ore tenus acceptæ fuerant, corraſas undique & ſimul collectas in antiquiſſimum eum Juris Judaici Codicem, quem Miſnam appellavit, ſumma cura digeſſit, qui circa annum 150. poſt Chriſtum natum in publicum editus ab omnibus ſtatim Iſraelitis tanto applauſu receptus & approbatus fuerat, ut deinde pro authentico totius Juris Judaici corpore ubique agnoſceretur; ſub eoque titulo in omnes Scholas, tam eas quæ in terra Iſraelis, quam quæ in Babylonia ſtudii Legis promovendi gratia erectæ fuerant, recipiebatur. Ab eo tempore quicunque in iis florebant Sapientes & Doctores neglecto Sacræ Scripturæ Textu, in cujus interpretationibus eruendis uſque adhuc laboraverant, totum deinceps in explicando textu Miſnæ ſtudium & laborem poſuere; illæ interpretationes vero cum ſupplementum Miſnæ præberent גמרא *Gemara* i. e. *ſupplementum*, ipſique Doctores *Gemarici* appellabantur, viri omnium qui unquam literis operam dedere nugaciſſimi: dum tamen nugas ſuas maximo agebant conatu, eodemque modo quo Scholaſtici noſtri novas continuo ſpeculationes, novaſque difficultates, de quibus diſceptarent, ſummo ſtudio venabantur, hinc vaſti concinnati ſunt Commentarii, quorum ii qui in Scholis terræ Iſraeliticæ ortum habuerant a R. Johanne Synedrii præſide circa annum 230. poſt Chriſtum natum ſimul collecti eum librum conſtituere, qui Talmud Hieroſolymitanum appellatur. Id etiam præſtitum fuit in terra Babylonica; ſed cum in ea plures Scholæ fuiſſent, in iiſque poſt vaſtatam terram Iſraeliticam Legis ſtudia præcipue viguiſſent, longe ibi feraciora fuerant Gemaricorum ingenia; atque ideo omnes eas Diſputationes, Interpretationes, & Dilucidationes, quas illi in explicando textu Miſnæ excogitarunt, ſimul colligere & debita methodo diſponere opus difficilius & multo grandius fuerat; nec ab uno homine, nec una ætate compleri poterat. Primo illud aggreſſus eſt R. Aſe Scholæ Soranæ Rector, qui cum in eo totos ſexaginta annos laboraſſet, ſucceſſoribus ſuis perficiendum reliquit; qui ſeptuaginta tres alios annos pari ſtudio in eodem opere ſe exercuere, donec tandem poſt 133. annos a Rabbi Abina, qui poſt Rabbi Aſe ſextus in eodem Scholæ Soranæ Rectoratu ſucceſſerat, & huic etiam Gemaræ circa annum Chriſti 500. ultima manus imponebatur; & hoc eſt alterum Talmud, quod a nomine provinciæ; in qua compilatum fuerat, Babylonicum vocatur, opus ſane ingens, & non tantum molis, quin ſtili etiam cuicunque lectori inſuperabilis, in dialecto enim conſcriptum eſt, quæ nec eſt Chaldaica, nec Hebraica, ſed ex utriſque illis & tot aliis tam barbare tam confuſe, ſine Grammatica, ſine Syntaxi conflata, ut in ea merito altera

confu-

confuſio Babylonica fieri videatur; præterea tot nugis, tot fabulis, & deliriis Rabbinicis repletur, ut niſi tam multi anni, & tanta induſtria in iis excudendis expenderetur, vix credibile eſſet, poſſe homines tam acutiſſime delirare; de minutiſſimis enim rebus magnas agunt controverſias, & inextricabiles ſæpe de lana caprina movent quæſtiones, omniaque tantis argutiis pertractant, ut ea plerumque de quibus diſceptant, obſcuriora reddant, & ubi nullas inveniunt difficultates, relinquant maximas; quibus omnia antiqua jura ita obſcurarunt, ut in tanto juris Judaici Theſauro nihil difficilius ſit quam quid juris, vel quid ſanæ rationis invenire. Nec in altero Talmude quid felicius præſtitum deprehendes, iiſdem & illud obſcuratur tenebris, iiſdem nugis & deliriis lectorem vexat, nec in ceteris quid invenies, quo minus fiat eadem nauſea dignum, niſi hoc ſolum, quod, cum in tanta non creſcat volumina, non ſit tam ingentis molis ſterquilinium. Cum igitur his Commentariis tam miſere corruptum fuiſſet jus Judaicum, tantoque ſtercore jacuiſſet demerſum, atque ideo omnis ad illud aditus melioribus ingeniis (a quibus tam putidis inquinamentis ſe immergere maxime ſemper abhorret) prorſus intercluſus fuiſſet, poſt ſexcentos tandem annos tanto literatorum damno ſubvenit Maimonides, qui poſtquam Miſnam Commentariis revera explicaſſet, omneſque iſtius libri uſque adhuc obſcuriſſimi illuſtraſſet tenebras, Herculea quadam audacia Talmud deinde utrumque eſt aggreſſus, iiſque etiam monſtris poſt duodecim annos, quibus in hac palæſtra laboraverat, exſuperatis inde iterum jus Judaicum cum priſtino nitore fecit emergere, totumque illud omnibus nugis, fabulis, deliriis, ceteriſque vitiis purgatum methodo tam plena & perſpicua diſpoſuit, & ſtilo tam facili & eleganti deſcripſit, ut ſi quis omnia ea, quæ in hoc egregio opere præſtita ſunt, æquo animo perpendat, facile concedet, quod nec jus civile Romanorum, nec cetera aliarum gentium jura accuratiori Codice poſſit gloriari, quam quo jura gentis ſuæ ſapientiſſimus hic donaverat Judæus. Totus liber abſolutus fuit quatuor Tomis, & in Ægypto primum in publicum emiſſus circa annum poſt Chriſtum natum 1177. duos titulos præ ſe gerit, Maimonides ipſe eum inſcripſit משנה תורה *Legem ſecundam*; frequentius autem vocatur יד *manus*, & quia vox חזקה ſæpius cum voce יד in Sacra Scriptura conjungitur, יד חזקה *manus fortis*; e Sacra enim Scriptura ſuorum librorum inſcriptiones plerumque deſumunt Judæi; vocatur autem יד *manus*, quia hæc vox ex iis literis conficitur, quæ in arte numerandi deſignant 14. numerum ſc. librorum, qui in hoc opere inveniuntur; illud enim ſapientiſſimus concinnator in quatuordecim libros diſtribuit, eoſque rurſus in octoginta novem Tractatus ſeu Titulos, quorum ſingulis præmittit ea præcepta ſive affirmativa ſive negativa, quæ fundamenta totius juris ſunt, quod deinde in eo tractatu explicatur; atque ideo totam legem oralem, ſimul ac totam legem ſcriptam comprehendit, & ſane utramque tam plene tam perſpicue, ut ex omnibus antiquis Ritibus, Conſuetudinibus, & Traditionibus, quæ apud Judæos olim in obſervanda Lege Moſaica in uſu fuerant, nihil in hoc egregio opere deeſſe invenies, quo minus totius doctrinæ Judaicæ, quæ non ſit prorſus abſurda, Theſaurus omnibus numeris abſolutiſſimus judicetur; atque ideo ut omnibus ſimul pateſceret, in eo reſerando deſudare viri ſane doctiſſimi operæ pretium exiſtimarunt, quorum laboribus nonnulli illius Tractatus Latine verſi, & notis illuſtrati jamdudum prodiere. Horum ipſe inſiſtens veſtigiis ex eodem conſilio jam duos alios Tractatus ejuſdem præſtantiſſimi operis Latinitate pariter & annotationibus donatos curavi edendos; in primo eorum omnia jura, quæ de portione pauperis, in altero omnia ea, quæ de Peregrino ſeu Proſelyto apud Judæos obtinuere, tibi trado explicata; licet enim a Maimonide in diverſis operis ſui Tomis hi diſpoſiti ſint, cum tamen toties (1) in Lege, ubi de portione pauperis agatur, Peregrinum ſeu Proſelytum cum eo in eodem præcepto conjunctum inveniamus, hic etiam ſimul conjunxi. Cum autem Proſelyti apud Judæos duplicis generis eſſent, Proſelyti juſtitiæ, & Proſelyti domicilii, in diverſis locis de iis agit Maimonides; de Proſelytis ſcilicet juſtitiæ in Tractatu de prohibito congreſſu, & de Proſelytis domicilii in Tractatu de Regibus; de his tria capita, de illis duo in iſtis disjunctis Tractatibus inveniuntur; ut tamen omnia, quæ de utriſque tradita ſunt, ſimul habeas collecta, ſub uno eodemque Titulo, acſi a Maimonide ſic diſpoſita fuiſſent, ſimul collocavi. Utrique hi Tractatus ſeu Tituli cum toto opere jamdudum ſæpius prodiere: tam præſtantiſſimi enim libri non deſunt plurimæ editiones: quatuor inſignioris notæ ſunt, omnes Venetiis impreſſæ, tres nempe in magno folio, & una in parvo folio, quæ cum Commentario, quem vocant כסף משנה i. e. *Argentum duplum*, anno Chriſti 1574. in quatuor voluminibus e prælo emiſſa a pleriſque merito præſtantiſſima judicatur,

(1) Vide Levit. c. 19. v. 10. & cap. 23. v. 22. & cap. 25. v. 6. & v. 35. Deut. c. 26. v. 12.

catur, atque ideo eam ubique ſequor, omniaque Maimonidæ, quæ jam tibi edo, juxta illius exemplar habes impreſſa. In verſione conficienda, ut ea in ſtudio linguæ Hebrææ Tironibus magis prodeſſet, præcipuam operam poſui, ut verbum verbo, quantum fieri poterat, reſponderet; & ſi quid interpolandum requireret nimis conciſus textus Hebræi ſtilus, literis Italicis diſtinguitur; quo eodem etiam charactere omnes Sacræ Scripturæ Textus, qui in utriſque Tractatibus citantur, inſignitos invenies. In notis nihil ulterius præſtandum propoſui, quam ut omnes difficultates, quæ in legendis his Tractatibus cuicunque lectori poſſint occurrere, prorſus tollerem; & conatu meo in hac re ſpero non excidi, quin ita cunctas textus Hebræi reſeravi latebras, obſcuraſque illius tam perſpicue illuſtravi tenebras, ut quæ ſub iis uſque adhuc latuere, omnibus deinceps manifeſtiſſime pateſcant; & hæc ultima eſt laboris mei meta, quam ſi tam feliciter attigerim, ut hinc acutioribus ingeniis ea ſubminiſtrata fuerint, quæ vel in explicanda Sacra Scriptura, vel in pietate & bonis moribus promovendis quid prodeſſe poſſint, & propoſiti mei finem, & operæ præmium ſum aſſecutus.



LUDOVICI COMPIEGNE DE VEIL PRÆFATIO AD MAIMONIDIS OPERA.

DUAS ajunt Hebræi, ſe leges a Deo accepiſſe: quarum eſſet altera mandata ſcriptis, altera ſemper a patribus tradita liberis ac ſine ſcripto perpetuum propagata. Hanc cum negarent omnino ſcribi oportere, memoria cuſtodierunt ad annum a Chriſto paſſo ferre centeſimum & quinquageſimum: quo tempore demum quam ad id tempus memoria tenuerant traditionem, propagandam monumentis ſuſceperunt. Illis autem cauſæ fuere tot & tantæ clades a Veſpaſiano Romanorum Imperatore, atque a Tito ejus filio jam acceptæ, diſturbatio templi, ſuorum tam crudelis trucidatio, rerum denique ſuarum everſio; ex quibus ſatis intelligebant brevi ſe longe lateque diſperſum ac diſſipatum iri. Putarunt igitur ſatius eſſe multo, quæ tantum audita haberent a Majoribus, ea denique literis prodere, quam committere, ut cum Repub. una omnia interirent. Cernebant enim futurum eſſe, ut propter multas ac varias, quæ ſibi & adeſſent & impenderent, miſerias atque ærumnas, ſane paucis liceret doctrinarum ſtudio vacare: ſic vero ſe res habere, ut ſi doctrinam bene multi inveſtigarent ac conſequerentur, tamen eam ſuis tam longe disjunctis tradere nequirent.

Tum igitur Judæorum princeps Rabbi Judas, is qui apud Judæos quidem propter mores ſuaviſſimos atque probitatem ſingularem, cognomen habet *Sancti*, primum univerſam traditionem diligenter undique conquiſitam brevibus commentariis, & puris, id eſt, Hebræis complexus eſt. Hi ſunt illi videlicet commentarii, qui dicuntur Hebræis Miſchnaiot, hoc eſt, ſecundæ leges ac doctrina tradita. Deinde triginta poſt annis princeps Academiæ Babyloniæ Rau duos conſcripſit libros, Syphra & Syphre, in quibus de his diſputat, quæ ſuperiorum illorum commentariorum ſunt quaſi fundamenta. Paulo vero poſt ediderunt multi multa. Rabbi Chaia quaſ-

quasdam in hos commentarios explanationes, quas solent additiones appellare. Hunc subsequentes simul R. Hochaia & Bar Kapara hos item commentarios explicationibus illustrarunt iis, quæ Beraitot inscribuntur. Tandem R. Jochanan confecit Talmud Hierosolymitanum annis prope trecentis post dirutum templum. Atque annos circiter centum post composuit Rau Asche Talmud Babylonium. Quæ quidem opera eo spectant omnia, ut, rebus quoad fieri potest in omnem partem agitatis, apertæ omnibus sint, & perspicuæ res vel lege, vel legis tuendæ causa ex sapientium institutis permissæ vel interdictæ, mundæ atque inquinatæ, necessariæ ac liberæ, postremo ad sacra idoneæ, atque earum contrariæ.

Sed multis olim traditiones Hebræorum fuisse superstitionibus refertas, justissima Christi Jesu reprehensio illa declarat, qua Judæos castigat, qui præpostere gravissimis Dei præceptis futilia hominum instituta præferrent. *Relinquentes enim* (verba sunt Christi) *mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum & calicum, & alia similia his facitis multa &c.* Marc. 7. v. 8.

Hujus vero mali magnitudo incredibiliter etiam cum ætate crevit. Nec mirum si corrupta in pejus ruant, cum optima quæque temporis longinquitate depraventur. Itaque venerunt Rabbini isti recentiores, qui cum viderent illorum, qui traditionem composuerant, scriptorum verba pro divinis haberi, eandem sibi comparare studentes auctoritatem, & ipsi ad augendam atque amplificandam traditionem agressi sunt. Nihil autem cum haberent, quod esset cuiquam Judæorum aut novum aut inauditum, fictas & commentitias protulerunt fabulas, quas fidei conciliandæ causa proposuerunt quasi mysteria reconditæ cujusdam doctrinæ, ac multitudini nequaquam credendæ. Quod ita esse facile cognoscere licet, ex harum fabularum, atque aliarum rerum, quæ disputantur in Talmude, dissimili prorsus ratione atque oratione. Incredibile est enim quam omnia præter has nænias, incondite, barbare & monstrose in Talmude scripta sint, cum ineptiæ istæ ita pure ac dilucide, ita nitide, eleganter, ac composite narrentur, ut nihil supra. Ex quo quæcunque ridicula atque absurda Talmude continentur prompta & aperta sunt quamvis mediocriter Hebraice scientibus: contra vero quæ bona atque ad intelligentiam legis conducentia, penitus retrusa, atque abdita, ut a pueritia discentibus vix pateant, aliis ne vix quidem. Qua de causa fere a cunctis aliis, quam Judæis omnino repudiatum Talmudis studium ac rejectum.

Extitit annis abhinc quingentis Judæus quidam, ingenio vir acerrimo ac splendido, & doctrina prope singulari, Rabbi Moses Majemonides: Cujus quidem opus illud, quod *Doctorem Perplexorum* inscripsit, non modo frequens laudat is Ecclesiæ Doctor, qui solet Angelicus usurpari (viderat enim hunc librum ex Hebræo Latine conversum) sed etiam suam ipsius auctoritate sententiam sæpenumero confirmat. Sed qui cum musis Hebraicis commercium habuere Christiani, eorum ut quisque peritissimus erat Hebraicarum literarum, ita maximis hunc auctorem laudibus cumulavit. Testes sunt Genebrardus, Grotius, Scaliger, Petavius, Vossius, Buxtorfius, & alii bene multi quorum eruditionem suspiciet omnis ætas. Nam quid ego dicam de Judæis? qui in hujus viri laudem excogitarunt illud, quod factum est jam tritum omnium sermone proverbium. *A Mose, ad Mosen, non extitit par Mosi.*

Hic igitur R. Moses traditionem Judæorum tot ineptiis fœdatam in opere Talmudico cum videret, tam fuse, confuse permisteque scriptam, atque adeo omnibus judicium intelligens & aures teretes habentibus optimo jure invisam, studium omne suum, curam, diligentiam, atque operam contulit ad traditionem, sublatis ex ea omnibus omnino fabulis, breviter, pure, distincte & articulatim describendam. Atque erit operæ pretium hujus operis & instituti paucis explicare ordinem & rationem, ex quo facile intelligetur, quantum insit utilitatis.

Quoniam igitur ordo postulat, ut homini nota prius sit scripta Lex, quam ad traditionis accedat intelligentiam, idcirco prudentissimus hic Judæorum scriptor opus id, quod traditionem contineat, *Secundam Legem* inscripsit: sed credo illud appellatum esse *Manum fortem* eo, quod omnium operum, quæ quidem ex hujus scriptoris officina prodierunt, longe maximum sit, & Judæis certe tam utile, quam quod maxime. Est autem illius tripartita divisio. Nam primo totum opus in libros decem & quatuor distinguitur, deinde illorum quisque complures in tractatus, atque hi denique in capita. Quorum omissis nominibus, hic est librorum ordo & tractatuum, hæc illorum inscriptio, & subjecta cuique materia.

1. *Liber de ſcientia, cujus ſunt tractatus quinque, de legis fundamentis, de conformatione morum, de legis ſtudio, de idololatria, de pœnitentia.*

2. *Liber de amore Dei, cujus libri ſunt tractatus ſex, de ſectione illa Legis* Audi Iſrael Dominus Deus noſter Dominus unus eſt &c. *quotidie bis recitanda, de precibus ac Sacerdotibus populo benedicentibus, de induendis phylacteriis, ſcheda poſtibus infigenda, & deſcribenda cuique lege, de fimbriis ſive peniculamentis a lege imperatis, de rerum omnium conſecrationibus, de circumciſione.*

3. *Liber de temporibus, cujus tractatus ſunt decem. De ſabbatho, de incolarum ſocietate inter ſe per cibos ineunda, de ſolenni expiationum die, de quibuſcunque feriis, de ſolennitate Paſchatis* [qui ab auctore quidem inſcribitur de pane fermentato & azymo] *de inflando prima die civilis anni cornu arietis, de Senopegiis, de Semiſiclo quotannis ad ſacra ſolvendo, de Kalendarum dicatione*, ubi & intercalandi ratio, & omnis de Sphæra doctrina tractatur, *de jejuniis, de feſto ſortium, de ſolennitate dedicati templi.*

4. *Liber de re uxoria, cujus ſunt tractatus quinque, de matrimonio, de divortiis, de officiis quæ leviro adverſus viduam fratris ſine liberis mortui ſervanda ſunt, de virgine vitiata, de uxore nomine adulterii ſuſpecta.*

5. *Liber de ſanctimonia, quo tres continentur tractatus, de conjunctione illicita, de cibis interdictis, de mactandi ratione.*

6. *Liber de ſeparatione, cujus ſunt tractatus quatuor, de jurejurando, de votis, de Nazaræorum ratione, de æſtimandis rebus atque hominibus conſecratis, & anathemate.*

7. *Liber de ſatione, qui continet tractatus ſeptem, de ſeminibus heterogeneis non una ſerendis, de iis quæ in agro ſunt pauperibus relinquenda, de oblationibus iis, quarum modum ſuo quiſque arbitrio terminat, de decimis primis, de ſecundis decimis, & quarto ſatæ arboris anno, de primitiis frugum atque fructuum, ceteriſque quæ per totam terram promiſſam ſacerdotibus ſunt tribuenda, de anno ſeptimo atque jubilæo.*

8. *Liber de divino cultu novem complectitur tractatus, de templo, de inſtrumentis & miniſtris ejus, de ratione adeundi templi atque ex eodem diſcedendi, de iis, quæ ab altari Lege prohibentur, de ſacrificiis faciendis, de ſacrificio jugi, & addendis hoſtiis, de non idoneis ad ſacra, de iis ſacrificiis quæ fiebant die ſolenni Expiationum, de ſacrificiorum abuſu.*

9. *Liber de ſacris, cujus ſunt tractatus ſex, de ſacrificio paſchali, de illo ſacrificio, quod mares faciebant apparentes coram Domino, de primogenitis, de erratis, de primogenitis, de homine expiationis indigente, de ſacrificiorum permutatione.*

10. *Liber de purgationibus continet tractatus octo, de rebus tactu cadaveris humani pollutis, de vacca rufa, de inquinatis lepra, de iis, qui contaminati cum ſint, & ipſi contagione lectos & eas, quibus inſident, ſedes polluant, de capitibus & quaſi fontibus rerum immundarum, de cibis immundis, de vaſis inquinatis & (1) eluendis, de lavationibus.*

11. *Liber de damnis complectitur tactatus quinque, de detrimentis factis in re pecuniaria, de furtis, de rebus ereptis & perditis, de vulnere homini inflicto, & damno injuria dato, de puniendo homicida, & illo, qui occidit imprudens, conſervando.*

12. *Liber de rebus acquirendis continet item tractatus quinque, de venditione, de iis, quæ ex communibus privata cujuſque fiunt, & donatione, de finibus regundis & prædiorum ſervitutibus, de mandato & ſocietate, de ſervis emendis, vendendis, comiter habendis, remunerandis &c.*

13. *Liber de judiciis itidem quinque tractatus continet, de locato & conducto, de commodato & depoſito, de mutuum dante & accipiente, de actore & reo, de hæreditatibus.*

14. *Liber de judicibus quinos etiam tractatus habet de ſenatu illo majore, quem Sanhedrin appellant, & animadverſionibus quæ penes illum erant, de teſtibus audiendis atque examinandis, de hominibus legi aut ſapientum auctoritati præfracte refragantibus, de officio lugentium, de regibus creandis & faciendis bellis.*

Habes omnium, quæ in hoc opere tractantur, rerum ſeriem. Sed autor ille ipſe, qui nullas ſuo operi fabulas inſeruerit, tamen permultis hoc idem ſuperſtitionibus identidem referſit, atque obſervationibus minutis, ne dicam plane ridiculis. Nam ut

(1) En vero baptiſmata urceorum & calicum.

ut vere dicam literarum aucupium commune est Judæorum omnium nec eorum fere quisquam est, qui sequatur legis mentem ac sententiam Quanquam hic quidem autor satis in suo *Doctore Perplexorum* indicat, se ab istiusmodi superstitionibus, quas ipse uti sunt ab aliis & institutæ, & observatæ, ita hic descripsit, animum habere quam maxime alienum. Ut ut est, id certe constat, istas superstitiones atque minutias rebus sane gravibus & dignis, quæ ab homine divinæ Legis amante cognoscantur, longe præponderari. Accedat eo quod eas ipsas, quæ a Judæis observentur, superstitiones scire, vel maxime conducat: Neque enim ex iis aut pauca aut mediocria possunt quasi tela depromi in Judæos ipsos intorquenda. Missum facio hoc opus utile fore puritatis Hæbraicæ studiosis, quippe de hisce rebus tam pure, quam hic autor, tamque eleganter, hactenus scripsit nemo. Quare cum ignotum adhuc manserit Hebraice nescientibus totum hoc Majemonidis opus, præter minutas quasdam particulas hinc inde excerptas, quas doctissimorum hominum aliqui Latine verterunt aut animi gratia, aut quia studiorum ratio ita postulabat, nos illud omnino Latinum faciendum suscepimus. Quod eo fecimus confidentius, quo literis Hebraicis a teneris (ut ajunt) unguiculis imbuti, atque ad Judæorum ceremonias, heu! nimium diligenter instituti, nihil a nobis ad communem utilitatem præstantius afferri posse duximus.

Nam ex parentibus natus Judæis, patrem habui eum, qui principio Metensi, deinde multis ac variis in Germania Synagogis præfuit. Illius fuit atavus R. Jacobus de Veil, de quo in Bibliotheca Rabbinorum duo hujus ætatis viri meminerunt, alter ex doctrina longe clarissimus Joannes ille Buxtorfius, alter etiam dignitate perillustris Joannes Plantavitius Pausanus Episcopus Lodovensis. Ab hoc ego patre sum cura eductus singulari, & literas Hebraicas perquam studiose edoctus ad annum ætatis meæ decimum & sextum, quo ergo cœpi alios instituere, & Talmudicum opus publice explicare ad annum ætatis meæ undevigesimum. Tum vero misericors de cœlo me respexit Deus immeritum, atque a diuturno me errore, longeque perniciosissimo deduxit ad veritatem Christianam, atque adeo sui ipsius cognitionem. Commode enim Tertullianus, *Cui veritas comperta sine Deo; cui Deus cognitus sine Christo?* Itaque Metis jam catechumenus evocor a Rege Christianissimo ad Aulam, Lib. de ani. cap. I.
quæ tunc temporis erat Compendii. Ibi me susceperunt e sacro augustoque baptismate Rex Christianissimus, simul & Regina ejus mater octiduo post Pentecosten anno reparatæ salutis M. D. C. L. V. conferente Sacramentum illustrissimo Suessionensium Episcopo, eodem illo, qui Regem inauguraverat.

Rex autem & suo me nomine decoravit, & urbis, in qua gesta res est, vocabulum pro cognomine mihi imposuit. Atque ex illo tempore munificentissimi Regis sumtibus Latinas didici literas, quas ideo cum Hebraicis conjunxi, ut aliquando possem Ecclesiæ optimæ parenti quoquomodo inservire. Sed jam ad id, unde digressi sumus revertamur.

Cum habeam multa ex hoc opere elaborata ac confecta sic ut jam nunc possint divulgari, libuit tamen prius edere modicum veluti specimen, unde cognoscere liceat quid de reliquo sit judicii futurum: tentare enim volui, an sic posset in lucem proferri hoc opus, ut probaretur. Prodeunt igitur nunc quidem omnino tres per quam exigui [sicuti ferebat natura speciminis] tractatus, de jejunio, de solennitate Expiationum, ac de solennitate Paschatis. Hic ab auctore inscribitur, ut supra dixi, tractatus de pane fermentato & azymo, sed nos eum, quia non de his solum disputat; verum omnes explicat cœnæ paschalis celebrandæ ritus, nomine latius patente appellavimus. De Agno vero Paschali, is, quoniam in libro de sacrificiis de illo accurate differitur, cumulateque, in hoc tractatu duntaxat attingitur. Quod autem ad hujusmodi scripta Judæorum intelligenda requiruntur multa jam cognita ex observatione, atque rerum ipsarum usu, qui quidem apud Christianos, quamvis Hebraicarum literarum peritos fere desideratur, idcirco tractatus hos notis illustravimus. Item loca e sacris voluminibus in eos adducta crebro produximus, quia in extremo sita illorum erat vis omnis. Atque etiam ut auctoritas sacri textus ad sensum auctoris accommodaretur, a sacra editione vulgata sæpenumero declinandum erat ad Hebraicam (ut sancti Hieronymi verbis utar) veritatem. Itaque institueram ad marginem notare quid esset discriminis inter utrumque textum sacrum, sed ad extremum cœpto sciens destiti. Quid vero? Numquis in animum hoc inducat suum, ut credat in opusculo tam parvo reperiri posse, quod pro re Christiana faciat? Omnino tamen sic se res habet: ex verbis & sententia Judæi longe pervicacissimi plane potest id effici, quod Christianos inter & Judæos maxime venit in


con-

contentionem, Christum ab his etiamnum exspectatum jam dudum [1] venisse. Adeo & Rabbinorum scripta prosunt non modo ad confirmandam Ecclesiæ doctrinam plane divinam: sed etiam ad refellendam Judæorum contumaciam non ferendam. Si quis autem est, cui nostra hæc ingressio longior appareat, is eam non cum hujus speciminis, sed cum universi operis, cui præfamur, magnitudine comparet, sic fortasse fiet, ut etiam brevior esse videatur. Ac de nostro quidem instituto satis: aliquando enim Rabbi Mosen Latine loquentem audiamus.

(1) Decretum est (*inquit* Maimonides *in Tractatu* Taanith v. 2.) Israelitis in solitudine, ut ne intrarent in terram promissam; templum utrumque eversum, capta urbs amplissima nomine Bither, quæ quamplurima Israelitarum millia, & myriadas bene multas continebat, qui sibi regem magnum constituerant adeo, ut & cunctæ Israeliticæ genti, & sapientissimis quibusque *Messias* esse videretur. *Ubi ita* Veilius. Hic sane quam gravissimi autoris locus non parum confert ad convincendos hujus ætatis Judæos suæ in Christum Jesum perfidiæ. Nam cum habeant compertum vel Hadriano imperante a cuncta Israelitarum plebe, & a sapientissimo quoque suæ gentis judicatum, vaticinia de Christo jam tum consummata esse, quid porro est, quod Christum adhuc exspectent? Non veniet denique; nisi ut judicet vivos & mortuos.



LUDO-



LUDOVICI COMPIEGNE
DE VEIL
PROEMIUM
IN TRACTATUM
MAIMONIDIS
DE DOMO ELECTA.



QUARTUM hunc laborem, Benevole Lector, ex eodem, atque superiores, R. Mosis Majemonidæ opere illo, quod est totius compendium Talmudis, expressum profero. Ac illis quidem, quas antehac emisit, lucubrationibus addidi ejusmodi prœmia, ut non tam singulis partibus, quam universo illi, quod jam dixi, operi præfatus esse videar. In his enim de traditionis Judaicæ ratione ita disserui, ut rem ab origine usque repetens per singula deinceps secula deducerem, usque adeo, donec ad ætatem perveni scriptoris nostri. Et hic qua tandem ratione traditionem concinnarit, quo ordine disposuerit, qua partitione diviserit ac distinxerit, quo porro nomine opus hoc suum ipse inscripserit, atque alii postmodum appellarint, exposui quam fieri potuit accuratissime: tum vero cur ego hoc compendium Talmudis ex hebræo latinum faciendum susceperim, causam reddidi eam, quam judicarunt omnes idoneam. Hic autem Liber Tractatus habet novem: primus eorum est de Ædificio Templi Hierosolymitani, quod quidem ad rei ve-

ritatem exprimere tam est difficile, quam quod maxime. Joannes enim Baptista Villalpandus, vir bonarum artium laude præstans scribit decem & sex annos totos in hujus Templi artificio percipiendo, describendoque posuisse, atque id temporis tam assiduo se labore defatigasse, tantaque animi contentione, tot denique vigiliis, uti vita sæpius in extremum adduceretur discrimen. Et a viro illo, qui, ut ipse dicit, neque sumtibus, nec tempori, nec labori, nec incommodis pepercit ullis, tandem exiit Hierosolymitani Templi forma, non ad historiæ fidem descripta, sed ad exemplar sumtuosi ædificii. Immo vero vir ille totus est in eo, ut suam hanc Templi Salomonici descriptionem ad Vitruvii præceptionem conformet, idemque demonstret Græcis Latinisque nulla alia re, quam hujus augustæ fabricæ notatione atque animadversione partam esse ædificandi artem. Majemonides autem Templi expressit imaginem eam, quæ tanto minus habet artificii, quanto est vero similior, quæ perpetuæ ac constanti traditioni consonat, eademque Sacrorum Voluminum oraculis apte quadrat. Idem hic singulis Templi partibus acute describendis multa huc pertinentia Divinæ Scripturæ loca obscura patefacit atque illustrat, quæ possunt ideo pro novis afferri, quia nec ab interpretibus, nec a pictoribus adhuc satis intellecta sunt. Appendices Templi, verbi gratia, seu thalamos, in quibus sacerdotes, ac reliqui sacrorum ministri vicem exercentes degebant, ad hoc usque tempus ipsius Templi pariete conjunctos voluerunt omnes ad unum, quod & Templo minus decorum, nec Textui sacro consentaneum est: at noster hos docet astructos fuisse atrii muro, qui quidem abs Sacrario sic satis longe distabat. Rursus Majemonides lateribus atrii tribus tres graduum scapos rectos ita circunductos repræsentat, ut his ad Templi cœnaculum scanderetur, cum in ipsius angulo Sacrarii gradus in cochleæ modum effingunt ceteri. Quid dicam de panibus propositionis? Hos ubique videas ita depictos, ut alius in alio recumbat: at enim dimidiati ex auro calami excavati inter eos interpositi eo fuerant, ut mucorem ab his panibus plenam hebdomadam asservandis arceret aura facile per omnes hac ratione penetrans. Iidem panes haud secus ac vulgares figuræ rotundæ exhibentur usque: contra scriptor noster hujus Libri Tractatu VI. ad Articulum IX. Capitis V. diserte docet panes istos figuræ fuisse quadratæ, id quod cunctis Hebræis cum eo convenit. Quin etiam Hebræorum est doctrina constans ac conveniens altare cum usquequaque solidum fuisse, tum in ejus suprema parte conglobatum semper esse cineris cumulum, qui ostentaret quam magna victimarum adoleretur copia, quod cum Judaicæ religionis genio, etiam illius anti-
quæ

quæ mirifice congruit : atqui omnis omnium pictura in altari summo effingit elegantem quandam atque artificiosam craticulam, per quam cinis decideret in cavum nescio quod. Hunc ego Tractatum postquam ex hebræo latine converteram legendum dedi D. PERRAULT, physicæ rei, medicæque, ac cunctarum adeo primarum artium peritissimo, qui nunc nuper Vitruvii monumenta ad eum usque diem crassis tenebris circumfusa gallicis literis illustravit, & notis, quarum eximiam doctrinam satis digne laudabit nemo : tum figuras apposuit ejusmodi, ut eas studiosissimus literarum & artium propagator LUDOVICUS MAGNUS suis sumtibus curarit excudendas quam elegantissime ; quippe quas idem prudens rerum æstimator judicarit sibi gloriæ fore, & utilitati publicæ plurimum conducturas. Hic igitur D. PERRAULT, quem honoris causa iterum appello, lecto hoc Tractatu, Templi formam a Majemonide descriptam sua manu depinxit, ac distribuit in Tabulas tres, quibus & egregiam adjunxit dissertationem, quæ *Monitum* inscribitur, in qua nova illa Majemonidæ, de quibus supra, firmissimis suis tuetur argumentis & rationibus. Hæc igitur ad calcem hujus I. Tractatus adjecta, grate Lector, huic clarissimo viro accepta referes. In sequentibus enim hujus Libri partibus tractatur de Templi instrumentis & ministris idoneis : de ministrorum initiamentis, vicibus, ordinibus, honoribus officiis, insignibus, atque de totius Hierarchiæ Judaicæ ratione ac dispositione : porro & de legitimis hostiis, de multis ac variis sacrorum generibus, de quotidianis & dierum solemnium cærimoniis, & horum similibus, quæ nos omnia in subjecto sub hoc Prœmium Elencho nominatim persequimur. Nihil est igitur hoc verius sine cognitione rerum, de quibus hoc Libro commode explicatur, pleraque Veteris & Novi Fœderis haud pauca omnino intelligi non posse. Et hac de causa nos hujus libri textui longe plures, quam antea solebamus, notas addidimus, & magis etiam, ni fallor, exquisitas. Hæ, quoniam separatim singulis paginis adjiciuntur, characteribus excusæ sunt paulo minutioribus, quam textus, ad cujus articulos positis utrinque asteriscis velut anectuntur. Nunc etiam unum, quod alias a nobis dictum, denuo dicendum est. Opus hoc Majemonidæ Venetiis, non alibi quod sciam, excusum est multis sane temporibus, ac formis : & in hoc editionum numero mira lectionum est varietas. Ego vero ad hanc meam interpretationem usus sum exemplaribus Regiæ Bibliothecæ duobus ; quorum unum excusum anno 1524 in Folio majori distribuitur in volumina duo : alterum in Folio minori excusum anno 1574. fere dividitur in tomos quatuor. In utraque editione textui adjunguntur

commentarii duo, & quædam insuper animadversiones. Quod autem in his itidem, ut in ceteris editionibus textus a textu discrepat idcirco harum ego duarum editionum varietatem eam, quæ in Tractatu I. de Ædificio Templi existit, ad finem hujus Libri posui. Id volui videlicet quoddam exhibere quasi specimen, ex quo Lector studiosus judicet de cæteris, si meam interpretationem conferre cum auctoris textu lubuerit. Quanquam facere non potui, quin in reliquo Libro per notas ad marginem appositas identidem unius, aut alterius, & nonnunquam utriusque editionis lectionem depravatam corrigerem. Ac de hujus Libri ratione, & de nostræ interpretationis instituto satis dictum est.





ר' משה בן מאימון

הלכות בית הבחירה

יש בכללן שש מצות שלש מצות עשה ושלש מצות לא תעשה וזהו פרטן :

א לבנות בית המקדש: ב שלא לבנות המזבח גזית:

ג שלא לעלות עליו במעלות: ד ליראה מן המקדש:

ה לשמרו סביב: ו שלא להשבית שמירתו:

וביאור מצות אלו בפרקים אלו:

R. MOSE BEN MAIMON.

CONSTITUTIONES DE DOMO ELECTA

Quæ comprehendunt tria præcepta affirmativa, & tria præcepta negativa, quæ ſpeciatim hæc ſunt.

I. Ut ædificetur domus Sanctuarii.
IV. Ut reverentia habeatur Sanctuario.
II. Ne ædificetur altare ex làpidibus cæſis.
V. Ut in circuitu cuſtodiatur.
III. Ne gradibus ſuper illud adſcendatur.
VI. Ne ejus cuſtodia deſeratur.

Et explicatio horum præceptorum his capitibus continetur.

NUNC PRIMUM

CUM

BLASII UGOLINI

Perpetuis notis philologicis.

פרק ראשון.

א. **מצות** עשה לעשות בית לה' מוכן להיות מקריבין בו הקרבנות וחוגגין עליו שלש פעמים בשנה שנאמר ועשו לי מקדש וכבר נתפרש בתורה משכן שעשה משה רבינו והיה לפי שעה שנאמ' כי לא באתם עד עתה וגו'

ב. כיון שנכנסו לארץ העמידו המשכן בגלגל ארבע עשרה שנה שכבשו ושחלקו ומשם באו לשילה ובנו שם בית של אבנית

CAPUT PRIMUM.

I. PRæceptum eſt * jubens, ut Deo * [1] templum efficiatur, [2] in quo immolentur victimæ, & [3] ter in anno dies feſti celebrentur: ſcriptum eſt enim, *Facientque mihi Sanctuarium.* [*Exod.*25.8.] Ac in Lege quidem deſcriptam habemus rationem ejus tabernaculi, quod fecit magiſter ille noſter Moyſes: verum id fuit duntaxat ad tempus, ſic, ut ſcriptum legitur, [4] *Neque enim uſque ad præſens tempus,* [*Deu.* 12.9.] &c.

II. Ut terram ſanctam ingreſſi fuerant, tabernaculum illud * [5] Galgalis collocarunt, ibique reliquerunt annos decem & quatuor [6] dum terram caperent &

ופרשי

I. *Jubens*. Vulgo affirmativum appellatur.

Templum. Ad ſignificandum templum Hebræi promiſcue tribus his utuntur vocibus היכל בית מקדש quæ ſi velis ad verbum interpretari, ſunt templum, domus ſeu ædes, ſacrarium.

II. *Galgalis*. Idem hoc legitur apud Miſnam tract. Zebachim cap. 14. art. 5. 6. 7. Iſraelitas in terram ſanctam ingreſſos primum tabernaculum deſerti erexiſſe Galgalis, tum ædem e lapide ædificaſſe Schilunte, quæ eadem vulgo Silo vocatur; inde vero templum extruxiſſe Nobæ & Gabaone. Immo vero poſt diſtributam terram ſanctam tabernaculum eſſe erectum Schilunte his ipſis verbis ſcriptum legitur Joſ. 18. v. 1. *Congregatique ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonii,* &c.

Silo Silo fuit urbs Tribus Ephraim.

Eli. Summum Sacerdotem.

Nobæ. De hac urbe commemoratur 1. Reg. c. 22. ubi vocatur civitas ſacerdotum.

Gabao-

ופרשי יריעות המשכן עליו ולא היתה שם תקר׳ ושס״ט שנה עמד משכן שילה וכשמת עלי חרב ובאו לנוב ובנו שם מקדש וכשמת שמואל חרב ובאו לגבעון ובנו שם מקד׳ ומגבעון באו לבית עולמי׳ וימי נוב וגבעון שבעה וחמשים שנה

ג. כיון שנבנה המקדש בירושלם נאסרו כל המקומות כולן לבנו׳ בהן בית לה׳ ולהקריב בהן קרבן ואין שם בית לדורי הדורו׳ אלא בירושלם בלבד ובהר המוריה שבה נאמר ויאמר דוד זה הוא בית ה׳ אלהים וזה מזבח לעולה לישראל ואומר זאת מנוחתי עדי עד

ד. בניין שבנה שלמה כבר מפורש במלכים וכן בניין העתיד להבנות אף על פי שהוא כתוב ביחזקאל אינו מפורש ומבואר ואנשי בית שני כשבנו בימי עזרא בנוהו כבניין שלמה ומעין דברי׳ המפורשי׳ ביחזקאל

ה. ואלו הן הדברים שהן עיקר בבניין הבית עושים בו קדש וקדש הקדשים ויהיה לפני הקדש מקום אחד והוא הנקרא אולם ושלשתן נקראין היכל ועושין מחיצה אחרת סביב להיכל רחוקה ממנו כעין קלעי החצר שהיה במדבר וכל המוקף במחיצ׳ זו שהוא כעין חצר אהל מועד הוא הנקרא עזרה והכל נקרא מקדש

ו. ועושין במקדש כלי׳ מזבח לעולה ולשאר הקרבנו׳ וכבש שעולי׳ בו למזבח ומקומו לפני

diſtribuerent. Inde ad * Silo profecti [7] ædem e lapide ædificarunt, quam explicatis ſuperne tabernaculi tapetibus operuerunt: tecto enim caruit. Hæc [8] in urbe Silo ſtetit ædes novem annis & ſexaginta & trecentis. Hac æde poſt mortuum * Eli diſturbata venerunt * Nobam, & ibi Sanctuarium extruxerunt. Id poſt Samuelis obitum cum eſſet diſturbatum, Sanctuarium eſt * Gabaone ædificatum aliud. Et ſecundum hoc demum extructum eſt templum illud * peſpetuum. Ac poſtrema quidem duo Sanctuaria Nobæ & Gabaonis annis ſeptem & quinquaginta ſteterunt.

III. Ut templum fuit Hieroſolymis ædificatum [9] interdictum erat, ne ullo in loco alio aut ædes Domino, [10] aut ſacrificium fieret. Jam [11] templum perpetuum niſi Hieroſolymis, & in uno monte Moria nuſquam omnino eſſe potuit. Nimirum hic eſt ille mons de quo ſcriptum legitur, *Dixitque David: hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael*, (1.*Par*.22.1.) & alio loco, *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. Pſ*.131.14.)

Ac Salomonis quidem * ædificium in lico Regum aperte deſcriptum eſt. Nam apud Ezechielem omnino ſcriptum eſt illud, fore ut aliquando templum aliud ædificetur: ſed ejus ratio plane definita atque explicata non eſt. Cum igitur Eſdræ tempore ſecundum ædificarent templum, tum ad Salomonis ſeſe direxerunt ædificium, atque etiam ad ea, quæ planius ſunt apud Ezechielem de templo futuro explicata.

V. Hæc igitur in ædificio templi [12] potiſſima ſunt: primo fit *Sanctum* deinde *Sanctum Sanctorum*: ante *Sanctum* veſtibulum eſſe neceſſe eſt: hæc tria ſimul * templum vocantur. Tum huic templo circundatur etiam paries alius. Is a templo tantundem ſpatii diſſitus eſt, quantum in deſerto atrii tapetia diſtabant a tabernaculo. Ac pariete iſto quidquid eſt circundatum, quoniam ſpeciem habet ejus atrii, quod ad tabernaculum fœderis erat, atrium dicitur. Hæc igitur omnia ſimul Sacrarium nominantur.

VI. Hoc Sacrarium multis & variis rebus inſtruendum: altari ad holocauſtum & re-

Gabaone. Urbs iſta vulgo Gaba, ſeu Gabaa vocatur: non eſt autem ea Gaba, quæ commemoratur Judic. 9. quam ſortito poſſidebat Tribus Benjamin, ubi videlicet arca fœderis ſubſtitit numquam: eſt vero Gaba illa altera, de qua 1. Reg. c. 7. v. 1. Et 2. Reg. c.6. v. 3. & 4. quo translata fuit arca de Bethſamitis, ut ſcriptum legitur 1. Reg. 6. ſed poſterior hæc eadem vocatur Joſ. 15. v. 9. Baala, item & Cariath-iarim: tum ibidem v. 60. vocatur Cariath-Baal, itemque Cariath-iarim. Sic igitur & locis paulo ante laudatis appellatur Cariath-iarim, & alio nomine Gaba. Nempe fuit urbs illa in clivo ſita, ex quo fiebat, ut pars ejus ſuperior, quæ fortaſſis arx erat, Gaba nominaretur; quippe quæ vox Hebraica collem ſeu locum præcelſum atque eminentem ſonat. In hac urbis ſuperiori parte habitabat Abinadab, ad quem arcam de Bethſamitis reportarunt incolæ Cariath-iarim. Atque hanc iſtius nominis rationem jam ante me ſtrictim attigit eruditiſſimus F. Vatablus, ut videre licet in ejus annotationibus 2. Reg. cap. 6. ad verſum tertium.

III. *Perpetuum*. Sic templum Salomonis vocant Scriptores Judæi, cui quidem templo tribuunt perpetuitatem, non quod in æternum ſtare debuerat, ſed quod hoc ſemel ædificato porro nuſquam aliud Domino excitare licebat.

IV. *Ædificium*. Illud videlicet quod Deo dedicavit.

V. *Templum*. Nonnunquam tamen verbo templi Sanctum & Sanctum Sanctorum duntaxat intelligi volunt, ut videre licet c. 6. hujus Tract. art. 4. item & alibi. Quinetiam videre licet templum vocari ſolam partem eam, quæ Sanctum nuncupatur.

VI. *Colle*, *per quem*. Nam gradibus ad altare aſcendere nefas erat: ſed de hac re plane diſputabitur art. 17. hujus capitis.

La-

האולם משוך לדרום וכיור ובוו לקדש ממנו הכהנים ידיהם ורגליהם לעבודה ומקומו בין האולם ולמזבח משוך לדרום שהוא שמאל הנכנס למקד' ומזבח לקטרת ומנורה ושלחן ושלשתן בתוך הקד' לפני קדש הקדשי'

ז. המנורה בדרום משמאל הנכנס ושולחן מימין שעליו לחם הפנים ושניהם בצד קדש הקדשים מבחוץ ומזבח הקטרת משוך מבין שניה' לחוץ ועושין בתוך העזרה גבולין עד כאן לישראל עד כאן לכהני' ובונים בה בתים לשאר צרכי המקדש כל בית מהם נקרא לשכה

ח. כשבונין ההיכל והעזרה בונין באבנים גדולו' ואם לא מצאו אבני בונין בלבנים ואין מפצלין את אבני הבנין בהר הבית אלא מפצלי' אותן ומסתתין אותן מבחוץ ואחר כך מכניסין אותן לבנין שנאמר אבנים גדולות אבנים יקרות ליסד הבית אבני גזית ואומר ומקבות והגרזן כל כלי ברזל לא נשמע בבית בהבנותו

ט. ואין בונין בו עץ בולט כלל אלא או באבנים או בלבני' וסיד אין עושין אכסדרות של עץ בכל העזרה אלא של אבני' או לבנים

י. ומרצפין את כל העזרה באבנים יקרות ואם עקרה אבן אף על פי שהיא עומדת במקומ' הואיל ונתקלקלה פסולה ואסור לכהן העובר לעמוד עליה בשעת העבוד עד שתקב' באר'

יא. ומצוה מן המובחר לחזק את הבנין ולהגביהו כפי כח הציבור שנאמר ולרומם את בית אלהינו ומפארין אותו ומייפים כפי כוחן אם יכולין לטוח אותו בזהב ולהגדיל במעשיו הרי זו מצוה

& reliqua sacrificia facienda : * colle per quem ad altare ascendatur, quem collem ante vestibulum [13] ad meridiem oportet situm esse : * labro basi fulto, ex quo sacerdotes operaturi manus * consecrent & pedes. [14] Hujus situs est inter vestibulum & altare versus meridiem ad sinistram introeuntis in * Sacrarium : rursus altari, in quo odores incendantur : candelabro : mensaque: [15] quæ tria postrema posita sunt in Sancto ante Sanctum Sanctorum.

[16] VII. Candelabrum erat in australi parte situm ad sinistram introeuntis, & ad dextram [17] mensa, cui * panis propositionis imponatur : atque hæc duo extra Sanctum Sanctorum ad latus ejus sita sunt : [18] & altare suffimentorum item est extra Sanctum Sanctorum inter hæc duo interjectum. Jam in atrio varii constituuntur [19] termini : huc usque Israelitis: huc usque sacerdotibus. Tum in eodem atrio ad reliquos templi usus construuntur ædes multæ, quarum unaquæque *Conclave* nominatur.

VIII. Templum & ejus atrium [20] magnis e lapidibus extruuntur. Quod si lapides desint ex lateribus ædificantur. Atqui hujus ædificii lapides in * monte ædis præcidere non licet; [21] sed foris cæsos ac politos oportet ad ædificium afferri : Scriptum est enim, *Lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi:* [2. *Reg.* 5.17. & 6.7] & alibi, *& malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.*

IX. Ad ædificium templi nihil adhibetur ligni, quod quidem emineat; sed aut e lapide conficitur totum, aut e latere ac calce : Neque in atrio fiunt usquam exedræ e ligno; sed vel e lapide, vel e latere.

X. Jam atrii pavimentum totum lapidibus sternitur pretiosis. Et pavimento in isto si quis lapis a reliquis sit divulsus pro temerato habetur, tametsi suo loco permansit, siquidem est a reliquis disjunctus : Nec licet, ut in eo insistat Sacerdos dum facit ad aram usque dum solo rursus inhæreat.

XI. Atque id laudabile imprimis est ædificium templi pro facultate Ecclesiæ munire atque extollere. Huc enim spectat id quod scriptum videmus, *Et sublimaret domum Dei nostri.* [1. *Esd.* 9.9.] Idem etiam pro rei facultate decorare, & totum, si fieri potest, auro obducere, & magnificis operibus exornare, rectum est.

Labro basi. Sic apud veteres Christianos frequens erat usus fontium seu cantharorum ante Ecclesiam manibus, oribusque lavandis. Vide Eusebium Pamphili hist. lib. 10. c. 4. Fontibus ante Ecclesiam sitis jam diu successit vas aquæ lustralis, quod ad vestibulum fere ponitur.

Consecrent. Id est lavent. Namque manus lautas Hebræi manus consecratas vocant, & ex contrario illautæ manus vocantur manus communes in Evangelio. Marc. 7. 2.

Sacrarium. Sacrarium enim superiori articulo dicitur comprehendere atrium.

VII. *Panis propositionis*. Panis propositionis Hebraice לחם הפנים passim vocatur, quod ad verbum est, *panis facierum*. Jam cur Hebræis לחם הפנים panis facierum dicatur, rationem reddit noster hic Scriptor Tract. 5. de Sacrificiis jugibus, & extraordinariis cap. 5. art. 9. Verum idem 1. Par. 9. v. 32. & 23. v. 29. dicitur לחם המערכה id est, *panis dispositionis*, seu mavis, *propositionis*, quod quidem vulgato Interpreti magis complacitum est, unde semper vertit *panem*, seu *panes propositionis*.

VIII. *Monte ædis*. De monte ædis postea copiose explicabitur.

יב. אין בונין את המקדש בלילה שנאמר וביום הקי׳ את המשכן ביום מקיימין לא בלילה ועוסקין בבניין מעלות השחר עד צאת הכוכבים והכל חייבין לבנות ולסעד בעצמן ובממונם אנשים ונשים כמקדש המדבר ואין מבטלין תינוקות של בית רבן לבניין ואין בניין בית המקדש דוחה יום טוב

יג. המזבח אין עושין אותו אלא בניין אבנים וזה שנאמר בתורה מזבח אדמה תעשה לי שיהיה מחובר באדמה שלא יבנוה לא על גבי כיפי׳ ולא על גבי מחילות וזה שנאמ׳ ואם מזבח אבני׳ מפי השמועה למדו שאינו רשות אלא חובה

יד. כל אבן שנפגמה כדי שתחגור בה הציפורן כסכין של שחיטה הרי זו פסולה לכבש ולמזבח שנאמ׳ אבנים שלמות תבנה את מזבח ה׳ ומהיכן היו מביאין אבני מזבח מן בתולת הקרקע חופרין עד שמגיעין למקום הניכר שאינו מקום עבודה ובניין ומוציאין ממנו האבנים או מן הים הגדול ובונין מהן וכן אבני ההיכל והעזרו׳ שלימו׳ היו

יה. אבני היכל ועזרות שנפגמו או שנגממו פסולין ואין להן פדיון אלא נגנזים כל אבן שנגע בה הברזל אף על פי שלא נפגמה פסולה לבניין המזבח ובנין הכבש שנאמר כי חרבך הנפת עליה ותחלליה והבונה אבן שנגע בה ברזל במזבח או בכבש לוקה שנא׳

XII. Non ædificatur templum de nocte. Nam quod in Lege scriptum est, *Igitur die qua erectum est tabernaculum*. (*Num.* 9. 15.) Id indicat interdiu quidem extruendum esse, noctu non item. Ergo in hoc ædificio laboratur ab aurora nascente ad exorta sidera. Atque in templo fundando atque extruendo omnes debent adjuvare tum opera tum opibus, viri & mulieres itidem, ut in Sacrario deserti adornando factum est. Verum tamen e ludo * pueri non evocantur ad hoc ædificium : nec vero ullus ob hoc ædificium promovendum die festus in laborem impenditur.

XIII. Omnino præter lapides nihil est ex * quo construatur altare. Quod autem in lege est, [22] *Altare de terra facietis mihi*, (*Ex.* 20. 24.) hujus sententia est, ut altare [23] inhæreat in terra solida, ut ne super fornicibus, aut terræ cavernis ædificetur. Quod autem in Lege dicitur, [24] *Quid si lapideum altare*, (*Ib. v.* 25.) id auditione accepimus non esse arbitrii nostri, sed necessitatis.

XIV. Qui lapis est vel ita leviter [25] incisus, ut si per eum sic, tanquam per cultrum illum quo jugulantur animantes, deducatur unguis, offendat ista lapidis incisione, lapis hic, vitiosus erit ad extruendum collem & altare, quia scriptum est, [26] *De lapidibus integris ædificabis altare Domini*. [*Deu.* 27. 6.] Porro lapides altaris eliciantur [27] e terra virgine necesse est : terra videlicet fodiatur usque dum perveniatur ad solum id, quod satis noscitur & omni cultu semper, & ædificio vacasse, ex quo demum solo lapides extrahuntur : extrahuntur etiam ad hoc ipsum ædificium e * mari magno. Atque lapides illi quoque qui adhibentur ad templi ædificium & atrii, illi etiam integri sint oportet.

XV. Atriorum igitur & templi lapides si forte infracti seu incisi sint, vitiosi fuerint, ac ne redimi quidem in alium usum potuerint : sed eos oportet sepositos ac conditos habeamus. Quemcunque lapidem [28] ferrum tetigit, is etiamsi integer atque illibatus sit, tamen non est idoneus, qui adhibeatur aut ad altaris aut ad * collis ædificium : Scriptum est enim, *Si enim levaveris cultrum super eo, polluetur* (*Exod.* 20. 25.) Si quis igitur lapidem ferro tactum altaris adhibuisset ædificio, aut collis ejus, ver-

XII. *E ludo pueri non evocantur*. Judæi quidem de Mosaicæ Legis observatione sic existimant, tot illorum præceptorum aliud alio longe superius, gravius, ac sanctius esse : verum enim instituere pueros ad doctrinam Legis cunctis sine controversia anteponendum. Itaque decernunt hos nec ad ædificandum templum a studio Legis avocandos, licet alioquin omnes omnium ætatum adjuvare debeant in templo exornando, ut sine quo omnino cultus Dei nullus est.

XIII. *Ex quo construatur altare*. Idem decretum traditur a Sylvestro primo de aris Christianorum.

XIV. *E mari magno*. Vulgo mare Mediterraneum dicitur : verum enim Judæi qualemcunque aquarum congregationem mare nominant. Itaque cunctorum lacuum & stagnorum comparatione mare Mediterraneum vocant mare magnum.

XV. *Ad collis ædificium*. Hujus videlicet collis, quo ad altare ascenditur.

Jussum violat. Vulgo præceptum affirmativum appellatur.

VXI.

לא תבנה אתהן גזית והבונה אבן פגום עובר בעשה

יו. אבן שנפגמה או שנגע בה ברזל אחר שנבנית במזבח או בכבש אותה האבן פסולה והשאר כשרות ומלבנין את המזבח פעמי׳ בשנה בפסח ובחג וכשמל בנים אותן מלבנים במפה אבל לא בכפיס של ברזל שמא יגע באבן ויפסול

יז. אין עושין מדרגות למזבח שנאמר לא תעלה במעלות על מזבחי אלא בונין כמו תל בדרומו של מזבח מתמעט ויורד מראש המזבח עד הארץ והו׳ הנקרא כבש והעולה במעלו׳ על המזבח לוקה וכן הנותץ אבן אחת מן המזבח או מכל ההיכל או מבין האולם ולמזבח דרך השחת׳ לוקה שנאמר ונתצתם את מזבחותם וגו׳ לא תעשון כן לה׳ אלהיכם

יח. המנורה וכליה והשלחן וכליו ומזבח הקטורת וכל כלי השרת אין עושין אותן אלא מן המתכת בלבד ואם עשאום של עץ או עצם או אבן או של זכוכית פסולין היו

יט. הקהל עניים עושין אותן אפילו של בדיל ואם העשירו עושין אותן של זהב אפי׳ המזרקות והשפודין והמגרפות של מזבח העולה והמדו׳ אם יש כח ציבור עושין אותן של זהב אפילו שערי העזרה מחפין אותן זהב אם מצאה ידת

כ. אין עושין כל הכלים מתחלתן אלא לשם הקודש ואם נעשו מתחלתן להדיוט אין עושין אותן לגבוה וכלי גבוה עד שלא נתשמש בהן גבוה רשאי להתשמש בהן הדיוט ומשנ תשמש בהן גבוה אסורין להדיוט אבני׳ וקורו׳ שחצבתן מתחלה לבית הכנסת אין בונין אותן להר הבית :

verberibus multaretur, quoniam ſcriptum legitur, *Non ædificabis illud de ſectis lapidibus* (*Ibid.*) Porro qui lapidem contaminatum adhibeat, is * juſſum violat.

XVI. Si lapidum aliquis poſtea quam altaris aut collis ejus ædificio adhiberetur [29] vel crena vitiatus ſit, vel ferro tactus, temeratus ſit ille ſolus: reliquum enim ædificii caſtum & integrum erit. [30] Singulis annis altare bis dealbatur, ſemel ad ſolemnitatem Paſchæ, & ad * Tabernaculorum ſolemnitatem iterum: quod quidem altari tectorium inducitur mappa, non trulla ferrea, quæ ſi quem altaris lapidem contingeret, temeraret utique.

[31] XVII. Gradus altare fieri nefas eſt, quia ſcriptum legitur. *Non aſcendes per gradus ad altare meum.* (*Exod.* 20. 26.) Itaque ad meridiem altaris conſtruitur agger, qui ſenſim ad terram deſcendat ab altaris faſtigio. Hic nimirum agger eſt, qui *collis* appellatur. Si quis igitur gradibus aſcenderet ad altare, is verberibus multaretur: & qui damni dandi cauſa [32] vel unum ex altari, aut ex quacunque templi parte lapidem eruat, aut etiam aliquo e loco, qui veſtibulum inter & altare templi ſit: Scriptum eſt enim, *Diſſipate aras eorum*, &c. *Non facietis ita Domino Deo veſtro.* [Deut. 12. 3. & 4.]

[33] XVIII. Candelabrum & ejus utenſilia; itemque menſa cum utenſilibus quoque ſuis, & altare ſuffimentorum, cæteraque rei divinæ inſtrumenta metallo debent ex aliquo fieri. Quæ ſi ſint e [34] ligno, oſſe, lapide, vitrove facta, vitioſa ſint.

XIX. Quod ſi ſit Eccleſia pauper, id ſaltem efficiet, ut hæc inſtrumenta ſint e ſtamno. Rurſus Eccleſia ſi [35] ditetur, ex auro hæc conficiet. Crateres etiam, verua, palæ quoque altaris holocauſti, atque etiam menſuræ fiunt ex auro, ſi tamen publica res patitur. Quin etiam atrii portæ inauratæ ſunt, ſi facultates ſinunt.

[36] XX. Vaſa templi univerſa oportet ab initio ad Dei cultum deſtinentur & apparentur. Vas igitur aliquod in uſum privati hominis aptatum omnino ad divinum miniſterium non adhibetur. Quæ vero vaſa ſunt ad cultum divinum deſtinata, his, antequam ſacris adhibeantur, ut utatur homo conceſſum eſt: ſecus autem poſtea quam adhiberi cœpta ſunt. Qui lapides aut trabes a principio ſunt exciſi in ædificium Synagogæ, ad ædificium templi non adhibentur.

XVI. *Tabernaculorum ſolemnitatem*. Eſt hoc verbum חג ſane generale, adjungiturque omnino omni ſolemnitati: at cum ſic, ut hoc loco ponitur ſine adjuncto, Judæis eſt ſolemnitas Tabernaculorum, quod ego, quoniam in Lexicis minus reperire licet, hic annotandum eſſe putavi.

NOTÆ IN CAPUT PRIMUM.

1 TEmplum &c. *Siphri ad Deut.* XII. 10. *Tranſibitis Jordanem & habitabitis in terra*. R. Jehuda dicit. Tria præcepta mandata ſunt Iſraelitis, poſtquam in terram ingreſſi eſſent, ut conſtituerent ſibi Regem, ut ædificarent domum electam, & delerent ſemen Amalech. *Peſikta ad Deut.* XXV. 19. Hinc dixerunt; Tria præcepta mandata ſunt Iſraelitis, poſtquam terram ingreſſi eſſent, ut conſtituerent ſibi Regem, ut delerent ſemen Amalech, & ædificarent domum electam. *R. Levi Barzelonita præc.* 95. Erigendam nomini Domini ædem, ut & ſacrificia ibi noſtra offeramus, & pedites illuc adſcendamus, & Iſraelitæ ibidem congregentur ſingulis annis, q. d. *Facientque mihi Sanctuarium*. Exod. XXV. 8. *Vide Maimonidem Præcept. Affirm.* XX.

2 In quo immolentur &c. *Siphri ibid.* v. 11. *In loco, quem elegerit Dominus Deus veſter, ut ſit nomen ejus in eo &c. Holocauſta veſtra*, holocauſtum privati, & holocauſtum coetus; *Et ſacrificia veſtra;* Sacrificia pacifica privati, & ſacrificia pacifica coetus. *Et decimas veſtras*. R. Akiba dicit; de duabus decimis Scriptura loquitur; una eſt decima frumenti; altera eſt decima Animantium; *Et primitias manuum veſtrarum;* hæc ſunt primitiva; *& munera ſpontanea veſtra* (ita Hebræus) ad includendum vota, & oblationes ſpontaneas; ne adducat niſi ex optimo. Non habeo niſi vota, & oblationes ſpontaneas, unde probatur ad includendum primogenita, & decimas, ſacrificia pro peccato, & ſacrificia pro delicto? ex eo quod dictum eſt; *quicquid præcipuum eſt ex muneribus, quæ vovebitis Domino*.

3 Et ter in anno &c. *Mechiltha ad Exod.* XXIII. 17. *Ter*; Cur dictum eſt? quia dictum eſt; *tribus vicibus*; Deuteron. XVI. 16. Ego arbitror, omni loco, & omni tempore, quo voluerit; dictum eſt; *in ſolennitate Azimorum, in ſolennitate Hebdomadarum, & ſolennitate tabernaculorum apparebit*. Deut. ibid. ad excludendum coecos. *Maſculinum tuum*; ad excludendas mulieres; *Omne Maſculinum tuum;* ad excludendos proſelytos, obſtructos, & Androgynos. *Leges omnia verba legis hujus omni Iſrael, audientibus eis*. Deut. XXXI. 11. ad excludendos ſurdos; *& epulaberis*; ad excludendum ægrotum, & minorennem; *in conſpectu Domini Dei tui*; ad excludendum impurum. *Siphri ad Deut.* XVI. 16. *Tribus vicibus per annum*. פעמים, non ſunt niſi tempora ſtata, vel conventus, & ſic dictum eſt; *conculcabit eam pes; pedes pauperis, greſſus egenorum*. Eſa. 26. 6. *apparebit*; quemadmodum venit ad comparendum, ita etiam venit ad videndum; *maſculinum tuum*; ad excludendas mulieres; *omne maſculinum tuum* ad includendos minorennes &c. *Peſikta ad Deut.* XVI. 16. *Tribus vicibus*; פעמים non ſunt niſi ſtata tempora; altera interpretatio; פעמים ſunt inceſſus; tempora ſtata vel conventus & ſic dictum eſt; *conculcabit eam pes, pedes pauperum, greſſus egenorum*. Eſa. 26. 6. *Apparebit, omne maſculinum tuum;* quemadmodum venit ad comparendum, ita etiam venit ad videndum; ad docendum, quod coecus ex altero oculo liber eſt ab apparitione; *maſculinum tuum*; ad excludendas mulieres; *omne maſculinum tuum*; ad comprehendendos minorennes &c. *Vide Codicem Chagigah cap.* 1. *& Maimonidem de ſacris ſolennibus* cap. II.

4 *Neque enim &c. Siphri ad Deut.* XII. 9. *Neque enim uſque in præſens tempus veniſtis*. At permittendum excelſa; *ad requiem, & poſſeſſionem*; poſſeſſio eſt Silo; requies eſt Hieruſalem; dictum eſt enim *Pſalm.* 131. 14. *Hæc eſt requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*; Verba R. Simeonis; R. Jehuda dicit, commuta verba. *Peſiktha ibid. Neque enim uſque in præſens tempus veniſtis &c.* poſſeſſio eſt Silo; requies eſt Hieruſalem; dictum eſt enim; Pſalm. 131. 14. *Hæc eſt requies mea in ſeculum ſeculi* &c. Verba R. Simeonis. R. Jehuda dicit, commuta verba.

5 Galgalis &c. *Sevachim fol.* 118. *col.* 2. Tradunt Doctores noſtri. Anni quibus tentorium conventus in deſerto fuit, ſunt 40. minus uno; anni, quibus idem fuit in Gilgal, ſunt, ſeptem quibus ſubjecere terram ſibi, & ſeptem, quibus diſpertiti ſunt eam. *Toſaphta Sevachim* XIII. 8. Tabernaculum congregationis in deſerto ſubſtitit quadraginta annis minus uno; & Gilgalis annis quatuordecim. *Autor Schalſch. Hakkab. p.* 15. In Capite ultimo Sevachim & in Temura quoque docetur, Iſraelitas in Palæſtinam ingreſſos ſtatuiſſe Sanctuarium in Gilgal per annos XIV.

6 Dum terram &c. *Sevachim fol.* 119. *col.* 1. Unde hæc probabis? R. Ex eo quod Mar inquit. Anno primo confecerat Moſes Tabernaculum, quod erigebatur anno ſecundo, quo ipſo ablegabat Moſes exploratores. Unde vero probatur, Tabernaculum in Gilgal moratum eſſe annos ſeptem, quibus ſubiciebantur terræ, & ſeptem, quibus dividebantur inter occupantes? Quia Caleb inquit, *Quadragenarius eram, cum me emitteret Moſes &c.* ubi & hæc habentur. *Nunc* 85. *annos habeo &c.* Hoc itaque tempore natus erat annos 85. Quot vero cum tranſiret Jordanem? 78. Cum vero hic dicat, ſe annos habere 85. en 7. emergunt inde, quibus ſubjecere terram. At vero unde probabis 7. etiam annos inter ſe eam illos diviſiſſe? Et id ſi petieris, probabo ex eo, quia 7. annos tranſegere in ſubactione, 7. annos etiam conſumſerunt in diviſione. Imo ſi ulteriorem probationem exigas, hanc habeto, quod ſcilicet non deprehendas annos illos, ſi Ezech. XL. I. rectius perpenderis. *Vide Jeruſ. Schebiith fol.* 36.

7 Ædem e lapide &c. *Kimchi ad Joſ.* XVIII. I. *Congregatique ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonii*. Hoc contigit poſt 14. annos quam ingreſſi ſunt in terram, 7. quibus ſubjecerunt, & ſeptem, quibus diviſerunt; & his 14. annis fuit tabernaculum conventus in Gilgal, & poſthæc ſubſtitit in Silo; & tunc prohibita ſunt excelſa omni tempore, quo fuit in Silo; & dixerunt Rabbini noſtri f. m. quod fecerunt ædem lapideam inferius, & ſuperius *extenderunt* cortinas, ſicuti dixit David 2. Reg. VII. 2. *Et arca Dei poſita ſit in medio pellium? Raſchi ad* 2. *Reg.* VII. 2. In Silo non erat in Tabernaculo contignatio, ſed ædes lapidea inferius, & ſuperius cortinæ.

8 In urbe Silo &c. *Toſaphta Sevachim ibid.* Et in Schilo annis tercentum & ſeptuaginta minus uno; Et Noba & Gabaone ſeptem & quinquaginta annis. *Autor Schalaſch. Hakkab. ibid.* Inde tranſlatum fuit in Schilo, ubi annis CCCLXIX. ſubſtitit, atque ſtructura quædam lapidea excitata erat, ſuper quam periſtomata extendebantur. Mortuo Eli exciſa fuit Schilo, ergo in Nob migratum eſt, ibique Sanctuarium conditum. Poſtquam Samuel e vita exceſſit, urbe Nob everſa, Gibeon Sanctuario hoſpitium præbuit, hinc poſtea in conditorium æternum translatum. Manſerat vero in Nob & Gibeon LVII. annos.

9 Interdictum eſt &c. *Poſt exſtructum templum Hieroſolymitanum prohibita ſunt excelſa. Siphri ad Deut.* XII. 8. *Non facietis ibi, quæ nos facimus*. Antequam erectum eſſet tabernaculum, licita erant excelſa, & miniſterium per primogenitos fiebat; poſtquam erectum eſt tabernaculum, vetita ſunt excelſa, & miniſterium per Sacerdotes fiebat; antequam ſe contulerunt in Silo, permiſſa erant excelſa, poſtquam iverunt in Silo, interdicta ſunt excelſa; venerunt in Nob & Gibeon licita facta ſunt excelſa, venerunt Hieroſolymam, prohibita ſunt excelſa; hinc & ulterius nunquam permiſſa ſunt; dictum eſt enim; *Non facietis &c.* Nos transferimus tabernaculum hodie, nobis prohibita ſunt excelſa; poſtquam ventum eſt ad terram, non transferimus tabernaculum, & non ſunt permiſſa excelſa. *Codex Sevachim* XIV. 4. ---- 8. Antequam erectum eſſet tabernaculum, fuerunt excelſa licita, & cultus per primogenitos fiebat; poſtquam erectum eſt tabernaculum, prohibita fuerunt excelſa, & cultus per Sacerdotes factus eſt. Sancta Sanctorum edebantur intra vela; Sancta levia in totis caſtris Iſraelis. Ubi venerunt in Gilgal, atque licita fuerunt excelſa, ſancta ſanctorum comedebantur intra vela; ſancta levia quolibet in loco. Cum venerunt in Schilo, prohibita eſſe cœperunt excelſa; Non tamen illic fuit contignatio, ſed ſtructura lapidum inferius, & aulæa ſuperius. Et ille fuit quietis locus. Tum ſancta ſanctorum edere ſolebant

lebant intra aulæa, & sancta levia, & decimas secundas quousque prospectus dabatur. Cum venissent in Nob & Gibeon, permittebantur excelsa; sancta autem sanctorum comedi solebant intra aulæa; sancta levia in omnibus urbibus Israelis. Cum venerunt in Hierusalem, prohibita sunt excelsa, neque amplius fuerunt licita. Nam hæc erat possessio. *Tosaphta Sevachim* XIII. 2. ---- 7. Antequam erectum esset tabernaculum, excelsa licita fuerunt, & ministerium per primogenitos fiebat, postquam erectum est tabernaculum, excelsa fuerunt interdicta, neque ministerium fuit legitimum nisi per Sacerdotes. Sanctitates Sanctitatum edebantur intra vela, & sancta levia in totis castris Israelis. Qui projecisset super altare, quo tempore erat incompositum, aut cum ventus aperuisset cortinam, nihil fecerat, quo tempore proficiscebantur, sanctitates erant interdictæ, & immundi singuli separandi erant extra sua castra. Venerunt in Gilgal, licita fuerunt excelsa, & sanctissima edenda erant intra aulæa, & sancta levia in quolibet loco. R. Jehuda & R. Simeon dicunt, quousque prospectus dabatur; quid est quo usque prospectus dabatur? quod sine interpositione videbatur, Venerunt in Schilo, prohibita fuerunt excelsa, sanctissima edenda erant intra cortinas, & sancta levia, quousque prospectus dabatur; quid est quousque prospectus dabatur? quod sine interpositione videbatur. Venerunt in Nob & Gibeon, licita fuerunt excelsa, sanctissima edenda erant intra cortinas, & sancta levia in omnibus civitatibus Israelis. R. Jehuda, & R. Simeon dicunt; in omni loco, qui videbatur; quid est quod videbatur? quando videbatur sine interpositione. *Kimchi ad* 3. *Reg.* III. 2. Immolabat in excelsis; donec extrueretur domus; quia permissa erant excelsa ab excidio Schilo usque ad constructionem domus seculorum. *Ralbag ibid.* Inter requiem & possessionem permissa fuerunt excelsa; nempe inter tabernaculum in Schilo & domum seculorum tantummodo, postquam Dei domus ædificata est, prohibita fuerunt.

[10] Aut sacrificium &c. *Siphri ad Deut.* XII. 13. *Cave ne offeras holocausta tua*; neque holocausta gentilium; verba R. Simeonis; R. Jehuda dicit; neque holocausta gentilium, quæ sanctificata sint extra terram; *in omni loco quem videris*; at offeres in omni loco, quem tibi dixerit propheta; quomodo obtulit Elia in Monte Carmeli. *Pesiktha ibid. In omni loco quem videris*; at offeres in omni loco, quem tibi dixerit propheta, uti obtulit Elia in monte Carmeli, & Gideon filius Joas per os Angeli. *Maimonides de Fundamentis Legis* IX. V. 5. 6. Similiter etiam si dixerit nobis propheta, de quo constat nobis eum esse prophetam, violandum esse unum ex omnibus præceptis, quæ recensentur in lege, vel præcepta multa tam levia quam gravia pro brevi tempore, tum mandatum est ut ei auscultemus. Atqui sic didicimus per traditionem a priscis sapientibus. *In qualibet re cum dixerit tibi propheta; transgredere verba legis, sicut Elia fecit in monte Carmeli, audi eum, præterquam in Idololatria.* Cum vid. aliquid pro certo tempore futurum est; sic Elia obtulit holocaustum in extraneo *loco*, licet Hierusalem ad hoc electa esset; qui autem offerebat in alieno loco, is reus evadebat exterminii; sed quia erat propheta, præceptum nobis fuit, ut ei auscultaremus. Atque hinc etiam dicitur Deut. XVIII. 15. *Ipsum audies*. Quod si interrogassent Eliam, atque ei dixissent: Quomodo exstirpabimus quod scriptum est in lege, Deut. XII. 13. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris?* Ille respondisset; non præcepit hoc Deus nisi offerenti semper in loco extraneo, & talis reus fit exterminii, sicuti mandavit Moses; sed ego hodie extra offeram, juxta verbum Domini ad falsitatis convincendum prophetas Baal.

[11] Templum perpetuum &c. *Kimchi ad* 2. *Paral.* VI. 2. *In perpetuum*. Quia Silo &, Nob & Gabaon non erant in perpetuum, quia non erant locus electus; dictum est enim Deut. XII. 11. *In loco quem elegerit Dominus*; Sed hic locus erat Mons Morijah, ubi ligavit Abraham Isaac filium suum, & vocavit illum Gen. XXII. 18. *Dominus videt*. Et dixit ibid. *In monte Dominus videbit*, quia ex eo monte, prodibit timor gentibus. Et David quando vidit, quod ibi exauditus esset, & descendisset ibi ignis de cœlo super ejus holocaustum cognovit, quod iste esset locus electus; & dixit 1. *Paral.* XXII. 1. *Hæc est domus Dei & hoc altare in holocaustum Israel. Idem ad* 3. *Reg.* VIII. 13. *In sempiternum*. Quia Gilgal, & Silo, & Nob, & Gabaon non erant in sempiternum, quia non erant locus electus, de quo dictum est; *In loco quem elegerit Dominus*; sed hic locus erat mons Morijah, ubi ligavit Abraham pater noster Isaac filium suum; & appellavit; *Dominus videt; dixitque; In monte Dominus videbit*. Quia ex hoc monte prodibit timor gentibus; Et David quando vidit, quod ibi exauditus esset, & descendisset ibi super holocaustum suum ignis de cœlo, cognovit, quod esset locus electus; & dixit. 1. *Paral.* XXII. 1. *Hæc est domus Dei; & hoc altare in holocaustum Israel. R. Levi Barzelonita præcept.* 95. Quod antequam ædes Hierosolymis exstructa esset, in ceteris suis locis sacrificia obtulerint. Erecto autem templo non licuisse in alio ædificare loco templum Domino, aut offerre ibi sacrificia, quemadmodum dicitur Psalm. CXXXI. 14. *Hæc requies mea in seculum seculi*.

[12] Potissima sunt &c. *Ralbag ad* 3. *Reg.* VI. 1. Ecce hæc domus comprehendit locum sancti sanctorum, & locum sancti; & locus sancti sanctorum erat interior ad angulum occidentalem, absumens ex hac domo viginti cubitos, ibique erat arca fœderis Domini, & in reliquis quadraginta cubitis erat locus sancti, ibique erat mensa, & candelabrum, & altare aureum, & hoc relationem habebat ad tabernaculum quod fecerat Moses. *R. Levi Barzelonita ibid.* Hæc sunt autem fundamentalia hujus ædificii. Faciunt in eo Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Extra Sanctum alius est locus, vestibulum dictus; Atque hæc tria nomine templi veniunt. Circumdant insuper eminus templum sepimento, quod tapetibus respondet ocellaris atrii, quod in deserto habebant. Totumque quod ambitu suo hoc sepimentum complectitur, & atrio tentorii conventus respondet, atrium vocatur; Universa vero conjunctim sumta structura Sanctuarium.

[13] Ad *Meridiem* &c. *Siphra ad Levit.* 1. 11. *Ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem*; quia femur hominis erat in plaga aquilonari; & ubi erat ejus facies? ad meridiem; discimus collem, per quem erat adscensus ad altare, situm esse in plaga meridionali. R. Jehuda dicit; *Gradus autem ejus versi ad orientem*. Ezech. XLIII. 17. Quia qui adscendebat super altare, se convertebat ad latus dextrum altaris; docemur igitur, quod collis situs esset in plaga meridionali. *Pesiktha ibid. Ad latus altaris quod respicit ad aquilonem*. Latus in aquilone, & facies ad meridiem; ad docendum quod collis esset in plaga meridionali. Dictum est enim. *Gradus autem ejus versi ad orientem*. Quia respiciebat ad austrum; ad docendum, quod collis esset in meridie. *Sevachim fol.* 62. 2. Unde probatur Clivum in meridie fuisse constituendum? R. Hunna dixit, quia Scriptura habet; *Immolabitque ad latus Altaris, quod respicit ad Aquilonem*. Levit. 1. 11. Hinc constat, quod femur in septentrione sit, facies autem in meridie. Obiici possit, & *femur* & *faciem* ad eandem plagam esse conversa. Sed respondet Rabba, omnino aram cum homine cubante comparari. At regerit Abai, modo contrario exponi posse, & aram componi cum sedente. Probat ergo assertum suum Raba *eo quod altare Exod.* XXVII. 1. *dicitur* רבוע a רבע *jacere*. Juxta sensa tua, רבוע cubans scribendum fuisset. Scriptum est רביע, ut uterque significatus *& quadrati*, *& jacentis* simul obtinere queat &c. Doctor aliquis id hinc monstravit, quod in Baraitha traditur. R. Jehuda ait *Ezech.* XLIII. 17. *Gradus autem ejus versi ad Orientem*. Quotiescunque nos in sacris vertimur, nonnisi ad dextram verti debemus. *Vide Middoth* III. 3.

[14] Hujus situs &c. *Siphra ad Levit.* I. 5. R. Jose Galilæus dicit; quid dicendum erat; *quod est ante, ostium tabernaculi?* Quia dictum est; *Labrum inter altare, & tabernaculum*; Exod. XL. 7. Crederem, quod ipsum labrum situm esset inter altare, & tabernaculum conventus; ideo dictum est; *per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi*; Levit. ibid. Altare erat ante ostium tabernaculi, labrum vero non erat ante ostium tabernaculi. Ubinam situm erat ipsum labrum? inter sanctuarium, & altare, sed protractum versus meridiem. *Raschi ad* 2. *Paral.* IV. 10. *Porro mare posuit in latere dextro contra orientem ad meridiem*. Removit illud a meridie ex ea parte, quæ erat contra portam, quæ respiciebat plagam meridionalem

nalem atrii, quia non erat decens & honestum, ut lavarent contra portam Ulam. *Idem ad Exod.* XXX. 18. *Et inter altare*; Altare holocausti, de quo scriptum est, quod esset e regione portæ tabernaculi conventus, & labrum parum protractum, & positum erat contra spatium, quod erat inter altare & tabernaculum, neque prorsus decernitur ejus situs; propterea dictum est; *& altare holocausti, quod erat ante Ostium tabernaculi*; nempe altare erat e regione tabernaculi conventus; at labrum non erat contra tabernaculum conventus. Quomodo? Erat parum protractum ad plagam meridionalem; sic legimus in *Sevachim*.

15 Quæ tria &c. *Babyl. Joma fol.* 33. 2. Traditio. Mensa erat ab Aquilone, a pariete remota cubitis duobus & dimidio. Candelabrum erat ab Austro, remotum etiam a pariete, cubitis duobus & dimidio. Altare positum erat in medio, protractumque pariter aliquantum versus orientem.

16 Candelabrum &c. *Siphra ad Levit.* XXIV. 3. *Extra velum testimonii*; Cur dictum est? quia dictum est Exod. XL. 22. *Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ*; at nescio utrum propius fuerit velo an portæ; verum dicit; *extra velum testimonii in tabernaculo fœderis*, docetur, fuisse propius velo, quam portæ. *Pesiktha ibid. Extra velum testimonii*; cur dictum est? quia dictum est. *Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii*; At nescio, utrum fuerit propius velo an portæ tabernaculi; ideo dicendum erat *extra velum testimonii*; ad docendum fuisse propius velo quam portæ.

17 Mensa &c. *Raschi ad Exod.* XXVI. 35. *Mensamque extra velum*. Mensa erat in aquilone protracta ex pariete aquilonari duos cubitos cum dimidio, & candelabrum in meridie, protractum ex pariete meridionali duos cubitos cum dimidio, & altare aureum positum erat e regione spatii quod intercedebat inter mensam inferius, parum protractum versus orientem, & omnia posita erant in dimidia parte tabernaculi & interius; Quomodo? Longitudo a porta ad velum erat viginti cubitorum; altare, & mensa & candelabrum protracta erant a porta ad latus occidentale decem cubitos.

18 Altare &c. *Kimchi ad* 3. *Reg.* VI. 22. *Altare oraculi*; proximum erat altare oraculo; neque erat intra illud, sed in templo; & erat directum contra portam oraculi; quia in templo erat mensa in aquilone protracta ex pariete duos cubitos cum dimidio, & candelabrum in meridie protractum ex pariete duos cubitos cum dimidio, & altare thymiamatis in medio inter illa, & parum protractum extrinsecus, & respiciebat contra portam oraculi, & propterea quod altare proximum erat oraculo, dictum est *altare oraculi*.

19 Termini &c. *Josephus Antiquit. lib.* 15. cap. 14. *Περίβολος δεύτερος προβατὸς ἦν βαθμίσιν ὀλίγαις ὃν περιεῖχε ἑρκίον λιθίνου δρυφάκτου, γραφῇ κωλύον εἰσιέναι τὸν ἀλλοεθνῆ, θανατικῆς ἀπειλουμένης τῆς ζημίας. Jac. Jehuda Leo de Templo.* 11. 5. Extitere ibi (*nempe in antemurali*) columnæ plurimæ proportione æqualiter fundatæ, super quibus scriptum exstabat lingua Græca, & Romana, quod omni extraneo, qui transiturus sit ibi, & ulterius, sanguis suus futurus sit super caput suum.

20 *Magnis e lapidibus &c. Kimchi ad* 3. *Reg.* V. 17. *Ut tollerent*, juxta ejus Paraphrasin ut *evellerent*; Jussit ut cæderentur in monte, ubi cædebantur, & tollerent ex monte lapides grandes in fundamentum templi; & hi sunt *lapides*, de quibus dictum est 3. Reg. VI. *lapidibus magnis decem sive octo cubitorum*; & in reliquum ædificium cædebant lapides parvos, & hi vocantur lapides גזית dolati; & pariter dictum est; *Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant*; & hi erant lapides dolati. Deficit ו servile, sicuti sol luna. Et explicant, lapides magnos in fundamentum templi, & lapides dolatos in reliquum ædificium superius; & lapidis dolati mensura nota erat apud illos; uti dictum est; *juxta mensuram cæsi lapidis*. Uti pariter notum erat tempore Sapientum Misnæ; mensura cæsi lapidis erat quinque palmorum; at mensura Salomonis erat major; & mensura erat nota apud illos. *Pretiosi*; graves; & quamvis dicti sint *lapides grandes*, addit, *pretiosi*, quod essent onere graves, ita ut essent boni in fundamentum præ levibus; & Jonathan interpretatur lapides pretiosos juxta sensum literalem; quia qui cædebat in monte, cognoscebat, quod essent lapides meliores & pulchriores iis, qui ab aliis cædebantur, ideoque erant pretiosi, propterea quod non invenirentur nisi in illo monte, & quod non *facile* invenitur, vocatur pretiosum. והגבלים, artifices callentes artem dolandi lapides juxta mensuram parieti necessariam; & erat quædam species limitationis, qua limitabant lapidem in eo exsculpendo; & alii interpretantur homines Giblios; quia erant artifices lapidum pretiosorum, uti dictum est *Ezech.* XXVII. 9. *Senes Giblii & prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium &c.* Et Jonathan interpretatur וארגובליא *cæmentarios*; & pariter alibi ולנררי ולחוצבי האבן interpretatur ולארגובליא ולפסלי אבניא *in cæmentarios, & lapicidas*; si ita est, erunt juxta verba ejus הגובלים structores parietis; & interpretatur בוני Salomonis & בוני Hirami ארדיכלי *architectos*, & erant artifices magni, quibus subjecti erant alii artifices, & בוני Salomonis & בוני Hirami comprehendit sculptores tam lapidum quam ligni.

21 Sed foris cæsos &c. *Gemara ad cap.* IX. *Sota*. Commentatio. Periit Schamir. Nempe ita tradentibus magistris, ille Schamir, quo usus Salomo in condendo templo, prout 3. Reg. VI. 7. dictum est. *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est*. Verba prout scripta; Hæc R. Jehudæ sententia. Cui R. Nehemias. Fieri ne potest ut hæc sententia obtineat? Annon enim pridem dictum ibid. VII. 9. *Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus ferrati erant?* Quis sensus verborum VI. 7. *Non sunt audita in domo cum ædificaretur?* Foris illum præparasse, atque intulisse. R. Nachman dixit videri sibi R. Jehudæ sententiam veriorem, quod quidem ad lapides templi attineat, sed quod ad lapides regii palatii spectat, præferre se opinionem R. Nehemiæ. *Kimchi ad* 3. *Reg.* VI. 7. *De lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est*. Quomodo scilicet advexerunt eos de monte, ubi cædebant eos juxta mensuram cæsi lapidis. Postquam eos advexerant ad templum, nihil quicquam amplius ab eis cædebant, sed integris utebantur ad structuram, prout eos adduxerant de monte. Sunt ex Rabbinis nostris qui asserunt, etiam in monte non fuisse cæsos ullo instrumento ferreo, sed per vermiculum quendam qui vocatur Schamir. Et quando lapidibus eum imponebant, statim per se findebantur & dolabantur. Ajunt etiam vermiculum istum fuisse instar grani hordeacei. Posuerunt eum & conservarunt in arcula plumbea, cum furfuribus hordeaceis. Si ponerent eum super montem, diffindebat eum; Eo divisit Salomon omnes lapides templi. Quis autem dedit eum regi Salomoni? Aquila adduxit eum ex Paradiso, sicut dictum est. *Et locutus est Salomon ad jumenta, & ad aves* 3. Reg. IV. 33. Quid locutus est ad aves? Quæsivit ex eis, ubinam esset Schamir vermiculus. Confestim avolavit aquila, & attulit eum, adduxitque ad Salomonem ex paradiso. Estque hoc unum ex iis, quibus dedit Deus dominium, ut tenerum & molle dominaretur in durum. Eo dolavit Moses lapides pretiosos Ephod; eo dolavit lapides tabularum primarum, & secundarum legis. *Miror Kimchium, virum cæteroqui acerrimi judicii, non puduisse hæc portenta referre*.

22 *Altare de terra &c. Mechilta ad Exod.* XX. 24. *Altare de terra facietis mihi*; Altare mihi addictum ne condatur ex professo alieno nomine. R. Ismael dicit. *Altare de terra facietis mihi*; ne ædificetur super lapides, & columnas. R. Nathan dicit; concavum in terra faciendum est; sicuti dictum est; *Sed inane, & cavum intrinsecus facies illud*; *Exod.* XXVII. 8. Isi filius Achibæ dicit; Altare æneum terra plenum facies mihi; sicuti dictum est; *Quoniam Altare æreum, quod erat coram Domino minus erat, & capere non poterat holocaustum* 3. Reg. VIII. 64. Parvumne erat? Nonne jam dictum est? *Mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud*; 3. Reg. III. 4. Cur dictum est *parvum*? Verum quo die edificatum est hoc, absconditum est illud *sc. Mosis*. *Et immolavit super illud*; coram illo; tu dicis quod *super illud sit explicandum* coram illo; verum super illo non *explicandum est* nisi juxta sensum literalem. Et est argumentum; Si plaga aquilonaris Altaris, quæ non est idonea ad expiandum, est idonea

nea ad mactandum; fastigium altaris, quod est legitimum ad expiandum, non erit æquum, quod sit legitimum ad mactandum? Et ecce Altare interius probet, quod est aptum ad expiandum, & non est aptum ad mactandum, probet pro Altari exteriori, quod quamvis sit idoneum ad expiandum, non sit idoneum ad mactandum. Minime; Si dixisti de Altari interiori, quod neque rectificat, neque permittit, neque perficit expiationem, ideoque non est aptum ad mactandum; dictum est enim; *Et offeres oblationes tuas carnem & sanguinem*; Deut. XII. 27. Caro & sanguis in vertice Altaris; at non mactatio in vertice Altaris. R. Ase dicit; etiam mactatio in vertice Altaris &c.

[23] Inhæreat in terra &c. *Hoc confirmatur a Paraphrasi Hierosolymitana, quæ illud Exod.* XX. 24. *Altare de terra facietis mihi, ita explicat* מדבח קביע בארעה תעבד לשמי *Altare in terra fixum statues nomini meo. Et Sevach. fol.* 58. 1. שיהיה מחובר באדמה שלא ובנוהו על גבי כיפין או מחילות; ut sit terræ conjunctum, neque supra arcus, neque supra cavitates positum; *Sed magis arridet altera sententia*. מעיקרא בימי שלמה דרשו מזבח אדמה אטום באדמה שלא יהיה חלול. Ab initio in diebus Salomonis per Altare terræ intellexerunt terra impletum, & quod nullo modo vacuum est. *Raschi in Exod.* XXVII. Et ara terrea est ara ænea, quam terra implebant, quum castra metabantur. *Et Jonathan ben Ussiel Verba Exod.* XXVII. 8. נבוב לוחות תעשה אותו transfert, חליל לוחין מלי עפרא, tabulis equidem concavum, sed terra repletum facies illud.

[24] *Quod si lapideum* &c. *Mechiltha ad Exod.* XX. 25. *Quod si Altare lapideum feceris mihi*; R. Ismael dicit; Quotiescunque vox *si* occurrit in lege, est ex arbitrio, exceptis tribus locis. *Si autem obtuleris munus primarum frugum: Levit.* II. 14. ex debito; tu dicis ex debito; aut non est nisi ex arbitrio; dictum est; *& sic offeres primitias tuas. Ibid.* Ex debito, non ex arbitrio. Similiter; *Si pecuniam mutuam dederis populo meo*; *Exod.* XXII. 25. ex debito; tu dicis ex debito; aut non est nisi ex arbitrio; dictum est; *Dabis mutuum*; *Deut.* XV. 8. Ex debito. Similiter; *Quod si Altare lapideum feceris mihi*; ex debito; tu dicis ex debito; aut non est nisi ex arbitrio; dictum est; *Et de saxis informibus & impolitis ædificabis. Deut.* XXVII. 6. ex arbitrio; tu dicis ex arbitrio; aut non est nisi ex debito; dictum est; *Altare lapideum feceris mihi*; ex arbitrio, non ex debito &c. *Mechiltha ad Exod.* XII. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo*. R. Ismael dicit; quotiescunque vox *si* occurrit in Scriptura, est ex arbitrio, excepto hoc loco, & duobus aliis. *Si autem obtuleris munus primarum frugum. Levit.* II. 14. ex debito; Tu dicis ex debito, aut potius ex arbitrio; dictum est; *Obtuleris munus*; ex debito, non autem ex arbitrio. Similiter; *Quod si Altare lapideum feceris mihi*; Exod. XX. 25. ex debito; tu dicis ex debito; aut potius ex arbitrio; quemadmodum dictum est; *Et de saxis informibus, & impolitis ædificabis. Deut.* XXVII. 6. *R. Kimchius ad* 3. *Reg.* VIII. 64. Altare (*inquit*) lapideum fuit, quod fecit Salomon, non æneum; Et quod extat 2. *Paral.* IV. 1. *Fecit quoque Altare æneum*. Item 3. *Reg.* VIII. 64. Quoniam Altare æneum &c. ita intelligendum est; Altare lapideum, quod Salomon fecit in loco ænei a Mose confecti. *Sevach.* 61. 2. R. E. F. I. Eo quod *Deut.* XXVII. 5. 6. & *Exod.* XX. 25. ter lapidum altaris fit mentio, docetur, aram lapideam unam Silunte, alteram Nobe, & Gibeone, tertiam in Templo fuisse. *Ralgab commentar. ad l. c.* Ecce Scriptura vocat eam aram *æneam*, quia ære abducta fuit, sed sub eo lapidibus integris juxta legis præscriptum constitit.

[25] Incisus &c. *Middoth* III. 4. Alicui lapidi si crena incisa sit, is vitiatus, omnes reliqui legitimi sunt. *Raschi idem sentit*. In lapide ipso *incisura* quantulacunque *aram vitiat*; L. D. E. Ex lapidibus integris. *Gemara Cholin fol.* 18. 1. Omnis lapis, qui ita læsus est, ut in crena ejus unguis offendatur, ecce is profanus est. Opponunt. Quanta esse debet labes, quæ aram vitiat? Rischbi existimat palmarem. Rabi autem olivæ instar. Sed respondent *distinguendum esse* inter calcem & lapides.

[26] *De lapidibus integris* &c. *Philo* περὶ θυόντων, scribit. Ὁ μὲν γὰρ ἐκ λίθων λογάδων ἀτμήτων ᾠκοδόμηται. Illud ex lapidibus selectis, sed impolitis structum est. *Hecathæus apud Josephum*. Ἐν ᾧ βωμός ἐστι τετράγωνος οὐκ τμητῶν ἀλλ' ἐκ τῶν ἀργῶν λίθων οὕτω συγκείμενος. In quo est Altare quadratum, non ex sectilibus, sed ex rudibus lapidibus fortuito congestum. Et 1. *Mach.* IV. 49. *Acceptis lapidibus integris secundum legem ædificatum, est Altare ad formam ejus, quod prius fuit*.

[27] E terra virgine &c. *Middoth* III. 4. Lapides cum ascensus, tum Altaris fuerunt e convalle Beth Cherem, atque inde adducere solent lapides integros. *Bartenora in hunc locum*. מבקעת בית כרם; *e convalle Bethcherem*; id est e terra nondum subacta, que virgo dicitur. In *Additamentis* ad Codicem *Schevìith* tres virgines numerantur. שלשת בתולות הן בתולת אדם בתולת אדמה בתולת אילן; Tres virgines, nimirum est virgo homo, virgo etiam terra, & virgo arbor. Et Cap. 16. de Tabernaculis; עד ההוא מגיע לסלע ולבתולה, donec perveniat ad petram, & virginem, i. e. terram virginem. *Nidda fol.* 8. 2. Tres sunt virginitates; virginitas terræ, virginitas sycomori, & virginitas hominis. Virginitas hominis, quandiu non contrahit matrimonium. Virginitas terræ, quandiu non colitur &c.

[28] Ferrum tetigit. &c. *Mechiltha ad Exod. XX.* 25. Non ædificabis illud de sectis lapidibus. Non est גזית nisi succisum; super quod levatum sit ferrum. R. Nathan dicit; si ædificaverit duos lapides incisos, super quos levatum sit ferrum, crederem, quod totum Altare esset profanatum; dictum est; *non ædificabis illud de sectis lapidibus*; illi sunt polluti, non autem totum Altare profanatum est. *Non ædificabis* illud *de sectis lapidibus*; illud non ædificabis; at ædificabis templum, & Sanctum Sanctorum. Sed est argumentum; si Altare, quod est leve, vetitum est illud ædificare *de sectis lapidibus*; templum, & Sanctum Sanctorum, quæ sunt gravia, non erit æquum ne ædificentur de sectis lapidibus? dictum est; *Non ædificabis illud de sectis lapidibus*; illud non ædificabis de sectis lapidibus; at ædificabis de sectis lapidibus templum, & Sanctum Sanctorum. Quomodo ego explicabo, *Et malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur?* 3. Reg. VI. 7. In domo non sunt audita, sed foris audita sunt. *Si enim levaveris cultrum super eo*. Hinc dixit R. Simeon filius Eleasaris; Altare creatum est ad prolongandos dies hominis, & ferrum ad abbreviandos; non est conveniens, ut agitando abbrevians applicetur prolonganti. R. Jochanan fil. Zachai dicit; *de lapidibus integris ædificabis*, ex lapidibus, quæ afferunt pacem; & ecce argumentum a minori ad majus; si de lapidibus Altaris, qui neque vident, neque audiunt, neque loquuntur, conciliant pacem inter Israelitas & eorum patrem, qui in cœlis est, dicit Deus, quod super eos non agitetur ferrum; qui conciliat pacem inter hominem, & hominem, inter virum & uxorem ejus, inter urbem, & urbem, inter nationem, & nationem, inter dominium & dominium, quanto magis a calamitatibus liberabitur! *Raschi ex Jalkut* in *Exod.* XX. ad voc. שלמות *scribit*; quia altare pacem Israeli cum patre cœlesti conciliat, idcirco corrumpente, & excidente immune est. Quod si lapides sensu & ratione destituti; ideo quia pacem afferunt, lædi non debent, quanto magis Deus eum, qui pacem inter conjuges, inter familias, & inter homines restituit *a calamitatibus liberabit! Josephus lib. VI.* c. 8. de Bello. κατεσκεύαστο δὲ ἄνευ σιδήρου καὶ οὐδέποτε ἔψαυσεν αὐτοῦ σίδηρος. Sine ferro autem constructa est, neque eam ferrum unquam tetigit. *Etiam apud Gentiles usitatæ erant hujusmodi aræ. Arrianus in Periplo ab initio*. Aræ jam excitatæ sunt saxi tamen scabri, ac proinde literis, quæ celatæ sunt, non satis planis, & apertis. Itaque decrevi aras dicare candidi saxi &c. *Maimonides More Nevochim causam reddit hujus præcepti; part.* 3. *cap.* 45. Prohibitionis illius, qua Deus prohibuit ne Altare exstruatur ex lapidibus cæsis, & ne super illo ferrum moveatur, vel elevetur, nosti quam Rabbini nostri causam reddant, dum ajunt אין דין המקצר על המאריך, quæ quidem optima est secundum rationem allegoricam. Sed vera illius causa est manifesta, hæc nempe. Quia Idololatræ tum temporis Altaria sua ex lapidibus cæsis ædificarunt, ideo interdixit ne assimilemur ipsis, & ut omnibus modis id vitemus, præcepit Altare fieri ex terra, sicut dicitur. *Altare de terra facietis; Exod.* XX. 24. & siquidem absque lapidibus

dibus fieri non possit, ut lapides in forma sua naturali maneant, neque cædantur, vel dolentur, sicut etiam prohibuit, lapidem pictum, & plantationem arborum juxta Altare; Levit XXVI. 1. Et Deut. XVI. 21. Horum quippe omnium una, & eadem est intentio, videlicet, ne colamus ipsum eo modo, quo Idololatræ fictitia sua colere solebant, quam rem generaliter, & universaliter prohibuit, dicendo; dicens; *sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam.* Deut. XII. 30. Vult dicere, illos non debere ita facere Deo, idque propter causam, quam subjungit. *Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt Diis suis. Abarbanel commentar. in Exodum hanc affert rationem,* שלא בואו לעשות באבנים צורות, ne *Israelitæ* eo devenirent, ut in lapidibus formarent imagines. *Idem sentire videntur Onkelos, & Jonathan; nam Onkelos hos lapides sectos* per פסילן, *quæ sæpe sculpturas, & figuras notat, & Jonathan* sectos illos חצבין sculptos *reddit, unde Chaldæum vocabulum* מחצבין sculptilia *derivatur.*

29 Vel crena vitiatus &c. *Middoth ibid.* Atque inde adducere solent lapides integros, super quos agitatum ferrum non fuit; quia ferrum vitiat tactu, & qualibet crena; alicui lapide si crena incisa sit, is vitiatus, omnes reliqui legitimi sunt.

30 Singulis annis &c. *Middoth ibidem.* Eosdem extergunt bis annuatim, semel tempore Paschatis, iterum festo Tabernaculorum. Templum vero semel sub ipsum Pascha. Rabbi dicit singulis Sabbathi vesperis extergunt mappa sanguinis causa. Eosdem adhibita trulla ferrea non incrustant calce, ne forte ferrum tangat, & vitiet; quia ferrum creatum est ad contrahendum dies humanæ vitæ, at Altare creatum est ad protrahendum dies humanæ vitæ; æquum autem non est, ut agitando applicetur decurtans prolonganti.

31 Gradus ad Altare &c. *Mechiltha ad Exod. XX. 26. Non adscendes per gradus ad altare meum;* Hinc dixerunt, exstruendum esse pontem Altari. Non est mihi nisi adscensus, descensus unde probatur? dictum est; *ne reveletur turpitudo tua;* Non adscensus, neque descensus causam præber, sed operimentum præbet causam. R.Israel dicit; non est necesse; quoniam dictum est; *facies & fœminalia linea; Exod. XXIX.* 42. Et cur dictum est, *ne reveletur turpitudo tua?* ne magno incessu gradiatur, sed pollex in latere calcanei, & calcaneus in latere pollicis. *Ne reveletur turpitudo tua super illud;* super illud ne magno incessu gradiare, sed magno gressu incedere poteris in Templo, & in Sancto Sanctorum; & est argumentum; si in Altari, quod est leve, tibi non licet magno incessu gradiri; in Templo, & Sancto Sanctorum, quæ sunt gravia, non erit æquum, ne magno gressu possis incedere, eo quod sint gravia? Dictum est; *ne reveletur turpitudo tua super illud;* in illo tibi gradiri non licet; at in Templo, & Sancto Sanctorum gradiri tibi licet; & est argumentum a minori ad majus; si lapides, quibus non est mens neque ad bonum, neque ad malum, dicit Deus Benedictus, quod contemnendi non sint; socius tuus, qui formatus est ad similitudinem illius qui dixit, & fuit mundus, quanto magis contemni non debet, nec reveletur turpitudo tua super illum! *Maimonides ibidem.* Porro non te latet, qua ratione olim Idololatricus cultus Pehoris perficiebatur, retectione nempe nuditatis; hinc præcepit Deus Sacerdotibus sibi, facere femoralia, ad nuditatem suam tegendam, quando cultui Divino vacant. Item; ut non ascendant ad Altare per gradus, ne detegatur, sicut inquit Deus, Turpitudo tua juxta illud. *Huic consentit Jonathan, qui historiam cultus in Pehoris honorem præstiti, ita* παραφράζει *Num.* 25. 1. 2. Et inceperunt populus profanare sanctitatem suam, & aperire corpora sua Idolo Pehor.

32 Vel unum &c. *Siphri ad Deut. XII.* 3. & 4. Unde probatur, quod eruens lapidem unum ex templo, & ex altari, & ex atriis, violet præceptum negativum? Dictum est enim. *Dissipate aras eorum &c. Non facietis ita Domino Deo vestro. Pesiktha ibid. Non facietis ita Domino vestro.* R. Ismael dicit, hinc probatur, quod eruens lapidem ex templo, & ex altari, aut ex atriis, flagellationis reus sit; dictum est enim; *Non facietis ita Domino Deo vestro.*

33 Candelabrum &c. *Siphri ad num.* VIII. 4. Cum dictum sit מקשה זהב, cur dicitur מקשה היא? Quia invenimus in vasis domus seculorum, quod si desit materia solida fiant ex scrutis. Crederem quoque de candelabro. Ideo dictum est מקשה היא, repetit textus ad excludendum. Hinc dixerunt, si desit aurum, fit ex argento, ferro, & plumbo; verba R. Jehudæ, Gemara *Menacoth fol.* 28. תניא אין לו זהב מביא אף של כסף של נחשת של ברזל ושל בריל ושל עופרה; si defuerit aurum, conficere licet ex argento, ære, ferro, stanno, vel plumbo.

34 Ligno &c. *Lychnuchum tamen a Chasmonæis ex ligno confectum esse asseritur in Gemara Avoda Zara fol.* 43. 1. R. Jose dixit etiam ex ligno non licere lychnuchum facere similem lychnucho sacro, quoniam ex ligno lychnuchum sacrum fecerunt Chasmonæi. *Siphri ibid.* R. Jose filius R. Jehudæ dicit etiam ex ligno, & argilla.

35 Si ditetur &c. *Ibidem asseritur, postquam res Judæorum melius se habere inceperunt, factum esse lychnuchum ex argento, denique ex auro;* העשירו עשאום של כסף חזרו והעשירו עשאום של זהב·

36 Vasa Templi &c. *Tosaphta Menachoth* IX. 22. Vase sacro, cujus nullus factus sit usus, privato homini licet uti; postquam vero ad Dei cultum adhiberi cœptum est, non licet homini eo uti. Vasa, quæ prius destinata essent ad usum vulgarem, ad ministerium sacrum adhiberi non possunt.

פרק שני

א. המזבח מקומו מכוון ביותר ואין משנין אותו ממקומו לעולם שנאמר וזה מזבח לעולה לישראל ובמקדש נעקד יצחק אבינו שנ' ולך לך אל ארץ המורייה ונאמר ויבן שם שלמה את הבית בהר

CAPUT SECUNDUM.


I. ALtaris ratio perquam accurate descripta est. Situs ejus mutatur nunquam, quia scriptum legitur, *Et hoc altare in holocaustum Israel* (1. *Paral.* 22. 1.) Atque ubi loci situm est templum, ibidem fuit etiam [1] ligatus ille Isaacus Patriarcha noster: nam scriptum habemus, *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaacum, & vade in* * *terram Moria;* (*Gen.* 22. 2.) Atque in Paralipomenis scriptum videmus, *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem* [2] *in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus in loco, quem paraverat* [3] *David in area Ornan Jebusæi* [2. *Par.* 3. 1.]

II. At-

I. *Vade in terram Moria.* Vulgatus Interpres reddidit *in terram Visionis.*

ב. ומסורת ביד הכל שהמקום שבנה בו דוד ושלמה בגורן ארונה הוא המקום שבנה בו אברהם המזבח ועקד עליו יצחק והוא המקום שבנה בו נח כשיצא מן התבה והוא המזבח שהקריב עליו קין והבל ובו הקריב אדם הראשון קרבו כשנבר ומשם נבר׳ אמרו חכמים אדם ממקום כפרתו נברא

II. Atque id quidem omnes a patribus auditum habemus, 4 quo loco est a Davide & Salomone extructum altare in area Ornanis Jebusæi, in eodem & ab * Abrahamo ædificatum esse altare illud, in quo filium ligavit Isaacum. In eodem etiam altare ædificavit Noa egressus ex arca. Porro in eodem rem divinam fecere Cainus & Abel, & ante istos etiam primus homo, statim atque a Deo creatus erat : quin etiam in eodem ipse loco creatus : hinc illud sapientum : *Factus est homo ex ipso suæ expiationis loco*.



ג. מדות המזבח מכוונות הרבה וצורתו ידועה איש מאיש ומזבח שבנו בני הגולה כעין מזבח שעתיד להבנות עשוהו ואין להוסיף על מדתו ולא לגרוע ממנה

III. Altaris igitur demensio est accurate definita : tum figuram ejus alius ab alio compertam habemus. Jam quod fecerunt altare reduces a captivitate id erat 5 ad similitudinem ejus, quod postremo futurum est, altaris : cujus quidem dimensionis nihil neque addendum, neque detrahendum est.

ד. שלשה נביאים עלו עמהן מן הגולה אחד העיד להן על מקום המזבח ואחד העיד להן על מדותיו ואחד העיד להן שמקרובין על המזבח הזה כל הקרבנות אף ע״פ שאין שם בית

IV. Ex captivitate cum reliquis Judæis 6 tres una vates ascenderant : quorum ab uno altaris ædificandi locus est demonstratus : designavit ejus dimensiones alter : tertius id edocuit, altari in isto quælibet sacrificia fieri licere, ut etiam templum ædificatum nondum esset.

ה. מזבח שעשה משה ושעש שלמה ושעשו בני הגולה ושעתיד להעשות כולן עשר אמות גובה כל אחד מהן וזה הכתוב בתור׳ ושלש אמות קומתו מקו׳ המערכה

V. Quæ Moyses, Salomo, & reduces e captivitate fecerunt altaria, & quod olim futurum est, eorum quodque 7 decem erat cubitorum altitudine, quæ eadem altitudo erit & ejus quod demum futurum est. Quod autem in Lege est, & 8 *tres cubitos in al-*

II. *Abrahamo*. Josephus Historicus Antiq. Jud. l. 7. c. 10. locutus de sacrificio, quod Rex David in area Ornanis Jebusæi pestilentiæ deprecandæ causa Deo fecerat, hæc addit verba ; Erat autem is locus in „ quem olim Abrahamus filium, ut holocaumata faceret, adduxerat, & cum jam jam jugulandus esset „ puer, aries repente astans altari apparuerat, qui „ pueri vice fuerat mactatus, ut jam ante scripsimus. David autem cum animadvertisset se exauditum, & gratum fuisse sacrificium, decrevit totum „ illum locum altare universi populi appellare, & „ Deo templum ibi exædificare : quam ejus vocem „ Deus in futurum ratam esse voluit : mox enim „ Propheta ad eum missus illic templum extruendum „ prædixit a filio.

המערכה בלבד ומזבח שעשו בני הגולה וכן העתיד להבנות מדת ארכו ורחבו שתים ושלשי׳ אמות על שתים ושלשי׳ אמו׳

ו. עשר אמות של גובה המזבח מהן באמה בת חמשה טפחי׳ ומהן באמה בת ששה טפחים ושאר כל אמו׳ הבנין באמה בת ששה טפחים וגובה כל המזבח שמנה וחמשים טפחים

ז. וכך היתה מדתו וצורתו עלה חמש׳ טפחי׳ וכנס חמשה טפחי׳ זהו יסוד נמצא רוחב שלשים אמה ושני טפחי׳ על רוחב ל׳ אמה ושני טפחים עלה שלשים טפחי׳ וכנס חמשה טפחים וכנס חמשה טפחים זהו סובב נמצא רוחבה שמונה ועשרים אמה וארבעה טפחי׳ על שמנה ועשרים אמה וארבעה טפחים ומקו׳ הקרנו׳ אמה מזה ואמה מזה סביב וכן מקו׳ רגלי הכהני׳ אמה סביב נמצא מקום המערכה רוחבו עשרי׳ וארבעה אמה וד׳ טפחים על כ״ד אמה וארבעה טפחים

ח. גובה כל קרן וקרן חמשה טפחים ורבוע כל קרן אמה על אמה וארבע הקרנות חלולות היו מתוכן וגובה מקום המערכה שמנה עשר טפחי׳ נמצא חצי גובה המזבח בששה טפחים מסוף הסובב ולמט׳

ט. וחוט של סקרא היה חגור באמצע המזבח להבדיל בין דמים העליונים לדמים התחתונים ונמצא גובהו מן הארץ עד מקום המערכה תשע אמות פחות טפח

י. יסוד המזבח לא היה מקיף מארבע רוחותיו כמו הסובב אלא היה היסוד משוך

titudine, [*Exod.* 27. 1.] id de loco duntaxat intelligendum eſt eo, quo ſacra ſtruebantur. Jam quod fecerunt altare reduces e captivitate [cujus ad ſimilitudinem futurum eſt id quod deinceps extruetur] id & in longitudinem & in latitudinem patebat [9] duos & triginta cubitos.

[10] VI. Jam qui erant in altaris altitudine cubiti decem, [11] eorum alii e * palmis quinque, alii conſtabant e palmis ſex: verum in reliquo templi ædificio * cuncti cubiti conſtabant e palmis ſex: omninoque altare totum [12] octo & quinquaginta palmos altum erat.

VII. Hæc igitur erat menſura altaris & forma. [13] Erigebatur quinque palmos in altitudinem, & undique retractio quinque palmorum: hæc erat altaris baſis. Itaque deinceps latitudo altaris erat triginta cubitorum cum duobus palmis quaquaverſus. [14] Deinde erigebatur etiam triginta palmos, rurſumque fiebat retractio quinque palmorum: hic erat alaris gyrus. Tum etiam duodeviginti palmos in altitudinem excitabatur, hic erat * locus ſtructionis, qui patebat quaquaverſus quatuor palmos, & cubitos duode-triginta. Poſt autem quam hos duodeviginti palmos erectum erat, contrahebatur etiam in angulis: nimirum excitabatur in unoquoque [16] altaris angulo veluti cornu quoddam ex ædificio [17] quadrato & eodem cavo. Et horum quatuor cornuum altari circundatorum quodque [18] hinc & inde cubitum ocupabat: ibidem circunquaque relinquebatur ſacerdotibus ſpatii tantundem, in quo pedes ponerent. [19] Itaque locus ille in quo ſacra ſtruebantur omnino quatuor palmos, & quatuor ſupra viginti cubitos in longitudinem & in latitudinem patebat.

[20] VIII. Erat cujuſqe cornu altitudo palmorum quinque: quadrum vero cujuſque cornu quaquaverſus * cubitum patebat. Jam hæc quatuor cornua erant intus cava. Et locus ſtructionis palmos duodeviginti altus erat. Itaque altaris altitudo media erat infra ſummum gyrum palmos ſex.

IX. Erat autem altari ad dimidiam partem [21] filum coccineum circundatum, quod * ſuperiorem ſanguinem diſcerneret ab inferiori. Itaque altare totum a terra uſque ad locum ſtructionis altum erat cubitos novem uno palmo minus.

X. Baſis altaris [22] non erat in lateribus quatuor ex æquo ducta, ſicut erat gyrus: erat enim baſis latus ſeptentrionale totum

כנגד

VI. *E palmis quinque*. Omnino duo cubiti in altari conſtabant e palmis quinque: unus in baſi, & alter in cornibus.

Cuncti cubiti conſtabant. Nempe cuncti cubiti erant ſacri qui conſtabant e palmis ſex: Soli illi duo in altaris baſi & cornubus erant cubiti communes, qui conſtabant e palmis quinque.

VII. *Locus ſtructionis*. Quo videlicet loco ſacra ſtruebantur.

VIII. *Cubitum patebat*. E ſex palmis conſtantem.

IX. *Superiorem ſanguinem*. Sanguis quadrupedis hoſtiæ pro peccato, item & ſanguis holocauſti volucris aſpergebatur altari ſupra filum coccineum: reliquarum vero victimarum ſanguis aſpergebatur altari infra filum coccineum.

כנגד כל רוח צפון ומערב ואוכל בדרום אמה אחת ובמזרח אמה א׳ וקרן דרומית מזרחית לא היה לה יסוד

יא. ובקרן מערבית דרומית היו שני נקבים כמין שני חוטמין דקין והן הנקראין שיתין שהדמי׳ יורדין בהן ומתערבין באותה הקרן באמה ויוצאין לנחל קדרון

יב. ולמטה ברצפ׳ באותו הקרן היה מקום אמה על אמ׳ וטבלה של שייש וטבעת קבוע בה שבו יורדין לשיתין ומנקין אותו

יג. וכבש היה בנוי לדרומו של מזבח ארכו שלשים ושנים אמה על רוחב י״ו אמה והיה אוכל באר׳ שלשי׳ אמה מצד המזבח ופורח ממנו אמה על היסוד ואמה על הסובב ואויר מעט היה מפסיק בין הכבש למזבח כדי ליתן האיברים למזבח בזריק׳ וגובה הכבש תשע אמות פחות שתות עד כנגד המערכה.

יד. ושני כבשים קטני׳ יוצאי׳ ממנו שבהם פוני׳ ליסוד ולסובב ומובדלין מן המזבח כמלא נימא וחלון היתה במערבו של כבש אמה על אמה ורבובה היתה נקראת שבה נותנין פסולי חטאת העוף עד שתעבור צורתה ותצא לבית השריפ׳

יה. ושני שלחנות היו במערב הכבש אחד של שיש שנותנין עליו את האברי ואחד של כסף שנותנין עליו כלי השרת

יו. כשבונין המזבח בונין אותו כולו אטום כמין עמוד ואין עושין בו חלל כלל אלא מביא אבנים שלמות גדולות וקטנות ומביא סיד וזפת וקונייא וממחה ושופך לתוך מלבן גדול כמדתו ובונה ועולה ונותן בתוך

æquabiliter ductum : pariter & latus quod spectabat occidentem : sed ad meridem unius cubiti spatium erat exesum tantundem ad orientem, ita ut medius inter meridiem & orientem angulus basi prorsus esset vacuus.

XI. In angulo, qui erat intermedius occidenti & meridiei, [23] foramina erant duo tenuissimarum instar narium. Nimirum hæc illa sunt, quæ *Sitin* appellantur, per quæ multiplex sacrificiorum sanguis ab altari descendebat, isque ad eundem angulum in subjecta fossa confundebatur, unde permeabat ad torrentem Cedron.

XII. Ad eundem angulum erat in pavimento [24] locus cavus, qui cubitum unum quaquaversus patebat. Is operiebatur tabula in qua * annulus inerat : hac descendebant qui subjectam fossam purgarent.

XIII. Ad meridiem altaris erat ædificatus [25] collis. Is in longitudinem patebat duos & triginta cubitos, & sedecim in latitudinem : nempe occupabat in terræ solo spatium triginta cubitorum ad altaris latus : tum etiam supra basim spatium * unius cubiti procedebat : procedebat & alterius cubiti spatium supra gyrum : attamen [26] paululum inane inter collem & altare projicerentur. Jam collis iste erat altudine [27] novem cubitorum minus sextante : pertinebat enim ad eum altaris locum, quo sacra struebantur.

XIV. Præterea autem ex eo colle prodibant [28] duo parvi ponticuli, qua sacerdotes altare circuituri irent ad gyrum & basim : hi distabant ab altari * transversum unguem. [29] Ad occidentem collis erat quadratum unius cubiti cavum, quod *Genu* dicebatur. In hoc hostiæ pro peccato volucres, quæ vitiatæ fuissent, condebantur usque dum illarum * figura mutaretur, & tum demum igni consumebantur.

[30] XV. Erant etiam ad occidentem collis, mensæ duæ : una e marmore, & ex argento altera. In illa victimarum ordinabantur membra : in hac apta rei divinæ vasa erant disposita.

XVI. In altari nihil cavum; sed, veluti columna, totum intus solidum erat. Etenim [31] congerebantur lapides magni, parvi * in formam, quæ mensuram altaris caperet : tum vero diluta calx atque pix, & plumbum quoque liquefactum infundebatur usque dum altare exurgeret ad modum præscriptum. At enim [32] ad angulum meridiei & orienti intermedium in hanc altaris mo-

XII. *Annulus inerat*. Quo videlicet tolletur.

XIII. *Unius cubiti procedebat : procedebat*, &c. Uterque processionis cubitus fuit palmorum quinque tantum. Namque hujus tantum spatii fuit illa retractio, quæ cum supra basim, tum etiam supra gyrum fiebat, ut videre licet art. 7. hujus capitis.

XIV. *Transversum unguem*. Quemadmodum hoc loco, sic ubique noster hic Scriptor, & cuncti adeo Hebræi si vel minimum spatium significari velint, translatis per similitudinem verbis, *plenum pilum* dicunt : id ipsum Latini *transversum*, vel, *latum unguem*. Atqui translatio cum ea debeat esse, quæ clariorem faciat rem, ad Latinorum me consuetudinem loqui putavi satius esse.

XV. *Figura mutaretur*. A corruptione videlicet & putredine.

XVI. *In formam*. Ligneam videlicet ex asseribus compactam.

הבניין גוף של עץ או אבן בקרן דרומית מזרחית כמדת היסוד וכן נותן בתוך כל קרן וקרן עד שישלי׳ הבניין ויסיר הגופין שבתוך הבניין כדי שתשאר קרן דרומית מזרחית בלא יסוד וישארו הקרנות חלולין

יז. ארב׳ קרנו׳ של מזבח ויסודו ורי בועו מעכבין וכל מזבח שאין לו קרן ויסוד וכבש וריבוע הרי הוא פסו׳ שארבעתן מעכבין אבל מדת ארכו ומדת רחבו ומדת קומתו אינן מעכבין והוא שלא יפחות מאמה על אמה ברום שלש אמות כשיעור מקום המערכ׳ של מזבח מדבר

יח. מזבח שנפגם מבניינו אם נפגם מבניינו טפח פסול פחות מטפח כשר והוא שלא יהיה נשאר אבן פגומה:

lem frustum inserebatur aliquod ligni vel lapidis ad mensuram supra præscriptam. Eadem ratione [33] unicuique cornu lignum inserebatur interea dum perficiebatur totum ædificium: tum de ædificio inserta corpora detrahebantur, ita ut angulus inter meridiem & orientem intermedius sine basi remaneret, atque cornua forent intus vacua.

XVII. Atque in altaris ratione [34] quatuor cornua, basis, & figura quadrata omnino requiruntur sic, ut si quod altare sine cornibus, sine basi, sine colle fuerit, item si non quadrata fuerit ejus figura, sit vitiosum: in his enim ponitur altaris ratio. [35] Longitudinis autem mensura & latitudinis, itemque altitudinis non ita requiritur, dummodo non minus, quam cubitum unum pateat in longitudinem & latitudinem, nec occupet altitudo minus, quam cubitos tres, quantum videlicet spatii occupabat * locus structionis in altari deserti.

XVIII. Si ex ædificio altaris demolitio facta sit pro [36] magnitudine palmi, vitiosum erit: sin minus, nihil oberit; si tamen in ædificio reliquo nullus omnino lapis delibatus remaneat.

XVII. *Locus structionis*. Quo videlicet altaris loco sacra struebantur.

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM.

1 Ligatus &c. *Abarbenel in Genes. fol.* 75. 3. Voluit Deus ut *Isaacus* ligaretur eo ipso loco montis Moriæ, quo exstruendum erat Altare in domo seculorum. Et jam in *Paralip.* 2. III. 1. dictum est Templum in monte Moria esse ædificandum. Præterea Adamus ex illo loco est creatus, & ibi habitavit, cum Paradiso est pulsus. Quin etiam Noach ibi Altare (*quod falsum est*) suum exstruxit.

2 In monte Moria &c. *Hunc locum Paraphrastes Chaldæus ita reddit.* Cœpit itaque Salomo ædificare Sanctuarium Domini in Hierosolymis in monte Moria, in loco ubi coluit, & adoravit Abraham nomen Domini; iste locus est terræ cultus, ubi coluerunt Jehovam omnes generationes, ibi quoque oblaturus erat Abraham Isaacum filium suum in holocaustum; liberavit vero eum verbum Domini, & constitutus est aries loco ejus; ibi oravit Jacob, cum aufugeret ab Esau fratre suo; ibi denique apparuit Angelus Domini Davidi tempore quo disposuit sacrificium in loco, quem emit ab Ornane, in horreo Ornanis Jebusæi.

3 *In area Ornanis* &c. *Kimchi ad* 2. *Reg.* XXIV. 16. *Erat .... juxta aream Areuna Jebusæi*; ut ibi videret eum David, & oraret, & exaudiretur a Deo in illo loco. *Et cesset interfectio*. Hoc erat Davidi signum, quod ibi esset locus propitiationis, & ibi exstruenda esset domus Sanctuarii, & domus orationis & cultus, uti ei præceperat Deus per Gad, ut ibi ædificaret Altare, & ibi exaudiretur igne, qui descensurus erat de cœlo super holocaustum, uti dictum est 1. Paral. XXI. 26. *Idem ibid.* VI. 17. *Quod tetenderat ei David*. Cortinas ei desuper tetenderat; quamvis in domo Abinadab, & in domo Obededom fuisset in domo contignata, uti dictum est de illis *domus*, neque ibi dictum est tabernaculum, quia non fuit stabile, sed accidentaliter. At cum transtulit David Hierosolymam, & cognovit quod ibi futura esset in perpetuum, quia traditione acceperat, quod Hierusalem esset civitas Sancta, & ibi exstruenda foret domus Sanctuarii, quamvis ignoraret in quo loco civitatis, donec exstruxit Altare David ex ore Gad prophetæ in area Araunæ Jebusæi, & descendit ignis de cœlo, tunc cognovit David, quod ibi exstruenda esset domus Sanctuarii; at usque ad hoc tempus noluit David inferre in domum contignatam &c. *Ralgab ad* 2. *Reg.* XXIV. 16. Et ecce area Areuna erat in monte Morijah, uti commemoratur Paralip. Et videtur electus fuisse hic locus, ut ibi exstrueretur domus Sanctuarii, antiquitus; & erat locus ubi ædificarat Abraham Altare ad ligandum filium suum, quia ille etiam erat in monte Morijah uti dictum est in lege.

4 Quo loco &c. *Midrasch Till. fol.* 41. 2. Traditio ab omnibus recepta est, locum ubi David condidit Altare in area Araunæ, fuisse locum, ubi suum condidit Abrahamus, super quod ligavit Isaacum, ubi suum condidit Noachus, cum egrederetur ex arca; ibidem fuisse Altare, super quod obtulerunt Cain & Abelus; ibidem Adamum obtulisse cum crearetur, atque inde fuisse creatum. Dicunt Sapientes; idem ei locus expiationis, qui creationis. *S. Augustinus lib. Serm. de Temp. Serm.* 71. Audite aliud Sacramentum fratres charissimi; Hieronymus Presbyter scripsit ab antiquis & senioribus Judæis se certissime cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est. Denique ab eo loco, unde beatus Abraham jussus est proficisci, tertio die ad locum, ubi Christus crucifixus est, pervenitur. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput generis humani ibi dicitur esse sepultum. Et vere Fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut ubi occideret humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia.

5 Ad similitudinem &c. Altare Ezechielis XLII. 22. ab his omnibus erat dissimile. *Kimchi* ad h. l. i. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo ejus duorum cubitorum*. Hoc Altare non erat simile neque altari, quod fecerat Moses, neque altari, quod construxerat Salomo, neque altari, quod fecerunt filii captivitatis; Et ecce jam commemorat altare alterius mensuræ; & fieri potest, quod hoc altare fuerit altare interius, quod Moses aureum fecerat. Et dixit. *Hæc est mensa*; vocavit altare mensam; Et

Jona-

Jonatham interpretatur; *Contra altare erat mensa lignea*, mens ejus est, quod loquens de mensa mentionem faciat altaris, quod esset contra altare; & in commentariis Rabbinorum nostrorum *dicitur*; initium fecit ab altari, & desinit in mensa. *Raschi ibid. Altaris lignei*. Jonathan interpretatur; *contra altare erat mensa*; Alii dicunt, quod mensam vocavit altare, quod hoc tempore expiet sicut altare; sic audivi.

6 Tres una vates &c. *Sevach. fol. 62. 1. Altare* tribus Prophetis, qui ex Captivitate Babylonica ascenderunt, autoribus *excitatum est*. Unus locum ejus ostendit, alter mensuras *docuit*, & tertius, quod liceat quascunque victimas, super eo offerre, etiam templo nondum ædificato. *Schilte Haggibborim Cap.* XVI. Altare exterius destinatum sacrificiis quotidianis, & addititiis, & omnibus muneribus, & sacrificiis, erat inter locum ambulacri Sacerdotum, & Hulam; Et tres Prophetæ adscenderunt ex captivitate Babylonica; unus testatus est de loco ejus, alter de ejus mensuris, & tertius, quod offerrentur super hoc altare omnia sacrificia, etiam Templo nondum adificato. *Maimonides ad Middoth* III. 1. Porro dixerunt; tres Prophetæ cum illis adscenderunt e captivitate, unus, qui de altari testatus est, & alter, qui de loco altaris testatus est, tertius, qui testatus est, quod sacrificia fierent, licet non esset templum. Quando dixerunt ipsum testatum fuisse de altari, intelligas quod accurate locutus sit de mensura illius, uti exponam.

7 Decem erat &c. *Maimonides ibid.* Non meminit altitudinis altaris totius, quia notum ipsam non mutatam, nec additam, nec diminutam esse. Dixerunt; Altare, quod construxit Moses, decem esse cubitorum, & ejusdem mensuræ fuisse ea, quæ facta sunt a Salomone, & ab iis, qui reduces fuerunt e captivitate Babylonica.

8 *Tres cubitos* &c. *Seva him fol. 59. 2. & tres cubitos* in altitudine Exod. 27. 1. explicatur משפת סובב ולמעלה a fine cinguli & superius. *R. Jom Tobh in notis ad Middoth.* Scripsit magnus R. Samuel in Mischna; *Ascendit per tres cubitos atque ibi est cornuum locus*. Quia nulla ibi *a Cingulo ad cornua* est coarctatio. Ratio autem, cur עלה שלוש omittatur, est, quia isti *describuntur* Exod. XXVII. 1. *Et tres cubitos in altitudine*; intelligitur enim hoc a circuitu & supra. *Schilte Haggibborim. Ibid.* Neque meminerunt in *Middoth* distincte, sed generaliter altitudinem altaris, quia constat, nihil immutatum esse de altitudine Altaris, quod fecit Moses; quia altare, quod fecit Salomon, & quod fecerunt reduces e captivitate, erat ad illius similitudinem altitudine decem cubitorum; Et quod Textus dicit, *& tres cubitos in altitudine*, intelligitur a circuitu & supra.

9 Duos & triginta cubitos &c. *Middoth. Ibid.* Altare fuit quaquaversum 32. cubitorum. Altare vero Salomonis octo & viginti tantum cubitos patuisse ibidem asseritur. Dixit R. Jose; Ab initio non patebat altare nisi 28. cubitos quaquaversus; contrahebatur, & surgebat secundum istam mensuram, donec redderetur locus focarius 20. cubitorum quaquaversum. Cum autem adscendissent, qui substinuerant captivitatem, addiderunt illi quatuor cubitos a septentrione, & quatuor cubitos ab occidente instar literæ Gamma, quia dictum est Ezech. XLIII. 16. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus*; dici poterat, non nisi duodecim fuisse quaquaversus; itaque cum dicit; quadrangulatum æquis lateribus, docet se a medio mensurare, duodecim cubitos in quamvis partem. *Raschi ad Ezech.* XLIII. 17. והעזרה quatuordecim cubitorum. Tectum altaris cum loco cornuum, & cum loco ambulacri sacerdotum patebat octo & viginti cubitos quaquaversum. Et quatuordecim hoc loco commemoratos a medio metitus est, uti explicatum est; *Quadrangulatum æquis lateribus. Vide Schilte Haggibborim ibid.*

10 Cubiti &c. *Codex Celim.* XVII. 9. 10. Duo enim cubiti erant in Susan palatio, unus ad plagam orientalem septentrionalem, & alter ad orientalem meridionalem, nam ad plagam orientalem septentrionalem erat redundantia supra Mosis cubitum dimidii digiti, nam ad plagam orientalem meridionalem redundantia erat supra eum dimidii digiti; hinc constat, quod redundantia digiti erat supra Mosis cubitum. Sed quare dictum est, unus magnus, & alter parvus? quia opifices cum parvo opus accipiebant, & cum magno reddebant, ne inciderent in prævaricationem. R. Meyr dicit; omnes cubiti erant mediocres, altari aureo, cornu, circuitu, & fundamento exceptis. R. Jehuda dicit; cubitus ædificii erat sex palmorum, vasorum autem quinque. *Kimchi ad Ezech.* XL. 5. *Calamus mensuræ sex cubitorum & palmo*. Cubito noto, qui constabat quinque palmis & palmo; hic cubitus erat major palmo, & constabat sex palmis; & sic dixerunt Celim XVII. 9. Dixit R. Jehuda; Cubitus ædificii est sex palmorum, & vasorum quinque. Et Jonatham interpretatur. Sex cubitorum in cubito, qui constabat cubito, & palmo. *Raschi ibid.* Sex cubitorum & palmo. Sex cubitorum in cubito, qui constabat cubito & palmo. Hic erat cubitus ædificii, qui constabat sex palmis, nempe cubito & palmo, in cubito quinque palmorum. *Schilte Haggibborim* LXXII. Sciendum cubitos de quibus Rabbini nostri loquuntur, non fuisse omnes æquales & ejusdem generis. Nam cubiti altaris aurei, Cornuum, Ambitus, & fundamenti fuerunt quinque palmorum, secundum R. Jehuda in *Menacoth* II. Mischna 5. & hi vocantur אמות קטנות *cubiti parvi*. Verum cubiti structuræ templi & reliquarum rerum sacrarum fuerunt sex palmorum secundum sententiam R. Meir, quam omnes sequuntur. His cubitis dimensus est Moses Tabernaculum, & vocantur אמות של משה *cubiti Mosis*, quod in Sanctuario cubiti fuerint his aliquanto majores. *In Kelim* XVII. 9. Dicunt Rabbini nostri, quod duos cubitos habuerit porta orientalis montis domus, super quo erat Susan *regia*; unum supra angulum &c.

11 *Eorum alii &c. Raschi ad Ezech.* XLIII. 13. *In sinu ejus erat cubitus*. At fundamentum mensus est cubito communi, qui constabat quinque palmis; חיק significatione sinuum fixorum; & fundamentum erat ex cubito communi, neque ex cubito & palmo, qui erat cubitus constans sex palmis; & sic legimus in *Menachath*; quod fundamentum, & circuitum, & cornua metirentur cubito quique palmorum.

12 Octo & quinquaginta &c. *Menachoth fol.* 94. 1. 2. & 95. 1. מזבח כמה היו חמשים ותמניא altare quantum est? *Altitudine* quinquaginta & octo palmorum. *Maimonides ad Middoth ibid.* Nos autem magno studio e Gemara collegimus, quod fundamentum sit quinque palmos altum, & sic etiam coarctatio illius. Circuitus vero triginta palmorum altus erat, & coarctatio illius quinque; nam de coarctatione circuitus intelligendum est id quod dicitur circuitum fuisse cubiti quinque palmorum. Ceterum locus in quo strues lignorum posita est, octodecim erat palmos alta, cornua vero singula quinque erant palmorum; sed quadrata cornuum forma sex erat palmos lata & longa, ita ut tota altitudo quinquaginta octo esset palmorum, dimidium vero novendecim erat palmorum, ad sextum palmum erat filum coccineum, nam sex de circuitu reliqui erant palmi &c.

13 Erigebatur &c. *Middoth ibid.* altare fuit quaquaversum 32. cubitorum; exurgens in cubitum, in cubitum coarctabatur, quod erat fundamentum, sive pulvinus deprehendebatur esse quaquaversum 30. cubitorum. *Schilte Haggiborim ibid.* Quomodo altare struitur? Forma quadrata adhibetur, facta ex asseribus quatuor quarum quilibet cubitos 32. longus, latus unum est, qui formæ altitudinem constituit. Atque eadein lapidibus, calce, pice, & plumbo liquefacto impletur. Ita fit corpus continuum cubita 32. amplitudine, & unum altitudine continens, atque hoc est fundamentum. *Raschi ibid. Istæ autem mensuræ altaris*; Explicatur inferius; quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis; *in cubitis, cubito, cubito & palmo*, cubito sex palmorum, qui constabat cubito & palmo; & cubito quinque palmorum. *In sinu ejus erat cubitus*; at fundamentum ejus mensus est cubito communi, qui erat quinque palmorum; חיל significatione sinnum fixorum; & erat fundamentum ex cubito communi non cubito & palmo, qui constabat sex palmis; & sic legimus in *Menachoth*, quod fundamentum, circuitum & cornua metirentur cubito quinque palmorum. *In sinu ejus erat cubitus*; hoc est fundamentum. *Et cubitus in latitudine*; hic est circuitus. *Et definitio ejus usque ad labium ejus, & in circuitu palmus unus*; hæc sunt cornua; *palmus unus*; ab ejus medio mensus est spithamam in singula

la latera, ecce cubitus quaquaversum. *Et paulo post. Et de sinu terræ*; a fundamento, a solo terræ, usque ad crepidinem novissimam; usque ad tectum primæ formæ; *duo cubiti.* Non ita erat in domo seculorum; ubi legimus quod afferebatur forma patens quaquaversum duos & triginta cubitos, & cubitum in altitudine; & hic dicitur; *altitudo duorum cubitorum. Et latitudo cubiti unius.* Postquam illi imposuit formam secundam, secunda forma patebat quaquaversum triginta cubitos; deprehenditur, quod circumcirca fieret retractio in latitudine cubiti, & hoc erat fundamentum; & assurgebat duos cubitos, & retrahebatur cubitum, hoc est fundamentum; Jonathan interpretatur מסמכתא *pavimentum*, significatione *strati*, *pavimenti*; quia impleba tur forma lapidibus glabris, pice, & calce, & plumbo liquefacto, & infundebantur, & desuper lævigabantur, & erat tanquam stratum. *Kimchi ibidem. Istæ autem mensuræ altaris.* Rabbini nostri f. m. sic interpretantur hunc textum. *In sinu ejus erat cubitus*; hoc est fundamentum; *Et cubitus in latitudine*; hic est ambitus. *Et definitio ejus usque ad labium ejus, & in circuitu palmus unus*; hæc sunt cornua; *Hæc quoque erat fossa altaris*; Hoc est altare aureum. Et Jonathan interpretatur. *Istæ sunt mensuræ altaris, in cubitis, cubito, qui constabat cubito & palmo*; *Et fundamentum patebat cubitum; & cubitum latitudo; & peribolus ambiens usque ad labium ejus circum circa spithamæ unius*; *hæc est structura altaris. Vide Maimonidis, & Bartenoræ notas ad* l. c. *Middoth.*

14 Deinde erigebatur &c. *Middoth ibid.* Ascendebat quinque cubitis, & coarctabatur in cubitum, qui est circuitus; deprehendebatur esse 28. cubitorum quaquaversum. *Schilte Haggibborim ibid.* Postquam sic fundamentum ad unum cubitum surrexit, forma alia lignea, quæ ad 30. cubita extenditur longitudine, & latitudine sua, atque ad quinque altitudine surgit, adducitur, supra fundamentum statuitur, & pari ratione, ut prior impletur, ut fundamento adhæreat. Ita corpus quadratum 30. cubitorum, supra fundamentum positum, & vocatur circuitus, isque supra illud ad quinque cubitos elatus est. *Vide iterum Maimonidis, & Bartenoræ notas ad l. c. Middoth.*

15 Post autem &c. *Middoth ibid.* Locus cornuum ab omni parte unius cubiti; adeo ut quaquaversum remanerent 26. cubiti. *Vide pariter Maimonidis & Bartenoræ notas ad l. c. Middoth.*

16 Altaris angulo &c. *Abarbenel comment. in Exod. fol:* 196. Dicit Deus; *parabis cornua ejus in quatuor angulis*, ad indicandum, quatuor paranda esse cornua super quatuor angulis. Dicuntur vero cornua, quia superne e lateribus altaris prominebant, & cornuum instar protueberabant.

17 Quadrato &c. *Abarbanel ibid.* Jubet Deus cornua fieri ex altari, id est ex lignis Schithim erecta surgere cornua, non inflexa ad latus extrorsum, neque ad latus introrsum, sed erecta protuberare ex aræ angulis. *Gentilium quoque aras cornutas fuisse legimus. Nonnus Dionysia c. lib.* 44. n. 96. καὶ εὐκεράῳ παρὰ βωμῷ & pulchre cornuto in altari. *Callimachus hymno in Apollinem* v. 60.

Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.
Diana venata capita assidue Caprearum
Cynthiadum afferebat, ipse vero compingebat aram
Apollo;
Construxit quidem cornibus fundamenta, compegitque
aram
Ex cornibus; cornua vero undique apposuit parietibus

Diog. Laert. in vita Pythagoræ, lib. VIII. segm. XIII. p. 499. Ἀμέλει καὶ βωμὸν προσκυνῆσαι μόνον ἐν Δήλῳ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Γενέτορος, ὅς ἐστιν ὄπισθεν ΤΟΥ ΚΕΡΑΤΙΝΟΥ. Διὰ τὸ πυροὺς καὶ κριθὰς, καὶ τὰ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς, ἱερεῖον δὲ μηδὲν ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Δηλίων πολιτείᾳ. Denique aram Delii tantum Apollinis Genitoris veneratus, esse fertur, quæ pone corneam est, quod in ea frumentum, & hordeum, & placentulæ solæ absque igne, nulla autem victima apponeretur, ut ait Aristoteles in Deliorum Republica. *Plutarchus de solert. Animal. Tom.* II. Oper. p. 983. Δήλῳ δήποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ νηῷ τὸν κεράτινον βωμὸν εἶδον ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις θεάμασι ὑμνούμενον ὅτι μήτε κόλλης δεόμενος, μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ, διὰ μόνων τῶν δεξιῶν συμπέπηγε καὶ συνήρμοσται κεράτων. Tale quid in Delo & Phœbi me cernere templo memini; nempe aram cornutam, quæ inter septem mundi miracula celebratur, quod neque glutine ullo neque aliis vinculis cohærens, e solis cornibus dextris compacta est. *Et Tom.* 1. Opp. p. 9. in *Theseo*. Ἐχόρευσε δὲ περὶ τὸν κερατῶνα βωμὸν ἐκ κεράτων συνηρμοσμένον εὐωνύμων ἁπάντων. Saltavit autem circa aram Ceratonam e cornibus sinistris omnibus compactam. *Martialis de Spectac.* Ep. 1.

Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Ovidius in Epist. Cydippes ad Acontium

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

18 Hinc & inde &c. *Middoth ibid.* Locus ambulationis Sacerdotum hinc & inde unius cubiti, ita ut pateret circumquaque cubitos 24. locus pyræ. *Gemara Sevachim fol.* 62. col. 2. Quis est ille כרכוב *ambitus* Exod. XXVII. 5. memoratus? Spatium cubiti unius erat inter cornua & ambulacrum Sacerdotum cubitale. Dices: hoc pacto quomodo Sacerdotes ab uno latere in aliud pergere potuerunt cornibus obstantibus? Resp. Ambitus comprehendit spatium inter cornua, & cubitum unum pro ambulacro Sacerdotum. Quod autem ambitus infra summitatem aræ deprimitur, dum dicitur Exod. l. c. sub ambitu inferiori ad medium altare; id R. Nachman bar Iizchak solvit, duo statuendo, unum pro ornamento, alterum pro Sacerdotibus, ne laberentur. *Raschi ad Exod.* XXVII. 5. Erat altari prominentia in circuitu in ejus latere ad ornatum, & erat ad finem trium cubitorum ejus altitudinis, juxta verba qui dicit; quomodo explicabo; & tres cubitos in altitudine? a labio ambitus & superius. At circuitus pro ambulacro Sacerdotum non erat in altari æneo; sed in ejus summitate a cornibus & interius; & sic legimus in *Sevachim*. Quinam est iste כרכוב ambitus? inter cornua & interius erat cubitus pro ambulacro Sacerdotum; hi duo cubiti vocantur ambitus. Atqui ibi subtiliter differunt; scriptum est; *sub ambitu inferiori*; ad docendum, quod ambitus in ejus latere esset; & sub eo reticulum indueret. Et respondetur objectioni; duo erant; unus ad ornatum, & alter pro Sacerdotibus, ne laberentur. *Schilte Haggiborim ibid.* Ambulacrum Sacerdotum erat hinc inde unius cubiti; ne Sacerdotes cogerentur ambulare inter cornua: sed relinquebant locum vacuum a loco cornuum & interius, ita ut locus struis pateret quatuor & viginti cubitos quaquaversum. *Raschi ibid. Et a crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti.* A tecto formæ inferioris usque ad tectum formæ superioris quatuor cubitos ejus altitudo. *Et latitudo cubiti unius.* Erat retractio ambitus; assurgebat quatuor cubitos, & retrahebatur cubitum; hic erat circuitus; & inferiorem vocat minorem, quia non erat alta nisi duos cubitos, at superior erat alta quatuor, *Kimchi ibid.* Et locum, ubi Sacerdotes sacrificantes ad altare, consistunt, vocat עזרה, sicuti vocat עזרה locum, ubi consistunt Israelitæ; & superior erat ab altari ad Ulam, & inferior ab altari ad orientem; & dicit. Quod a medio terræ esset locus altaris usque ad העזרה inferiorem duos cubitos nempe in longitudine, & latitudine unius cubiti. Et a crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti unius. Nescio quænam sit, ex duabus Asaroth superior, aut inferior; aut quamnam vocet majorem; semper dicitur, quod ex hac ad illam essent quatuor cubiti. *Vide iterum Maimonidis & Bartenoræ notas ad* l. c. *Middoth.*

19 Itaque locus &c. *Tosaphoth Sevach.* Ergo locus focarius patebat in singulas partes 24. cubita; atque ex hoc Scripturæ loco (sc. Ezech. 43. 16.) argumentamur in constitutionibus Codicis *Middoth*. Dici autem potest, quod si non sit idoneum testimonium, explicabo, & accipiam illud cum cornibus. *Raschi ad Ezech.* XLIII. 16. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine*; Locus struis patebat 24. cubitos quaquaversum; & hic duodecim cubitos quaquaversum. *Quadrangulatum æquis lateribus.* Ab ejus medio metitus est duodecim cubitos in singula latera; ecce 24. quaquaversum; sic explicatur in *Sevachim*; & sic legimus in *Middoth*.

20 Erat cujusque &c. *Raschi ad Ezech.* XLIII. 17. *Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti.* Jonathan interpretatur גדנפא *Clausuram*. Et Rabbini nostri explicarunt pro cornibus. Dimidii cubiti; a medio metitus

titus eſt; deprehenditur cubitus quaquaverſum. *Ralbag in Exod.* XXVII. Fuerunt quatuor cornua in quatuor angulis ſuperioris areæ altaris. Equidem menſura cornuum in lege non determinatur, in templo tamen ſecundo unius cubiti quadrati erat. *Schilte Haggiborim ibid.* Deinde afferebat formam quadratam cubiti, & ſtatuebat ſuper angulum altaris, & implebat; & hoc erat cornu altaris; & idem fiebat in quatuor angulis.

[21] Filum coccineum &c. *Toſaphta Sevach.* VI. 9. Et in angulo meridionali orientali non erat baſis; erat vero filum rubrum in medio altaris, ab eo & inferius erant quinque cubiti; ab eo & ſuperius erant quinque cubiti, quod omnes ii (*ſanguines*) infra aſpergendi legitimi erant a filo rubro & inferius, & omnes ii, qui ſupra aſpergendi erant, legitimi erant a filo rubro & ſuperius; verba R. Meyr; & ſapientes dicunt; de quo hæc intelliguntur? de holocauſto avis; ſed de ſacrificio pro peccato animantis non aſpergebant niſi ſupra cornu. *Middoth ibid.* Filum vero coccineum cingebat altare medium ad diſcernendum inter ſanguines ſuperiores, & inferiores. *Sevach. fol.* 53. Quam ob cauſam filum ſicra medium altaris ambire voluerunt? Reſpondet Rab Acha bar Rab Ketina; Q. S. E. והיתה הרשת עד חצי המזבח; & erit הרשת uſque *ad Altaris medium*. Exod. XXVII. 5. *Raſchi ad Exod. ibid. & Sevach. fol.* 62. 1. Iſte ambitus, qui in latere fuit, ornatus cauſa adfuit, & ſub eo altare reticulum induit, cujus latitudo ad medium aræ pertigit. Itaque reticulum, cubitum unum latum fuit, & medium aræ ſublimitatem indicavit. *Quid autem hoc opus?* Ut diſcrimen fieri poſſet inter ſanguines ſuperiores, & inferiores. *Vide Schilte Haggibborim ibid.* Et *Maimonidis, & Bartenoræ notas ad l. c. Middoth.*

[22] Non erat &c. *Middoth. ibid.* Atque fundamentum erat ambulacrum, ſive pervadebat per totum latus ſeptentrionale, ac totum latus occidentale, & abſumebatur ad auſtrum uno cubito, pariterque ad orientem, vel ab auſtro occupabat unum cubitum, ſimiliter ab oriente. *Toſaphta Sevachim* VI. 9. Baſis pervadebat facies totius altaris a ſeptentrione ad occidentem, cubitum lata, & alta; deficiebat in plaga orientali, meridionali cubitus, & in orientali cubitus, & in angulo meridionali orientali deerat baſis. *Raſchi ad Sevach. fol.* 53. 54. In cornu noto zephryno fundamentum ſtruxerunt, ſed tantum uno cubito in latere meridionali, vacuum univerſum latus illud reliquerunt, ut & latus orientale uſque ad cubitum unum prope cornu Euroborealem, ſicut infra traditur; unum cubitum occupavit in Orientem, unumque ad meridiem. *Vide Schilte Haggiborim* ibid. *Et Maimonidis, & Bartenoræ notas ad Middoth l. c. Cur baſi cornu Euroauſtrale caruerit*, *ratio redditur* Sevach. 53. & 54. Cur cornu Euro auſtrale baſi fuit privatum? R. Elieſer reſpondet, quia in poſſeſſione *Benjaminis*, *qui diſcerptor eſt* Geneſ. XLIX. 27. non extitit. R. Samuel F. R. I. dixit, aram unum cubitum ex portione Judæ occupaſſe &c. Lorum e portione Jehudæ egreſſum eſt, atque ingreſſum in portionem Benjamin, Benjamin autem juſtus valde indoluit, voluitque illud ſibi dari, q. d. e. *quaſi in thalamo tota die morabitur*, Deut. XXXIII. 12. Ea propter Benjamin juſtus, obtinuit, ut Deum b. d. hoſpitio exciperet; q. d. e. *Et inter humeros illius requieſcet*. Ibid. *Hoc quoque confirmat Targum Onkeloſi*, *qui illud Geneſ.* XLIX. 27. Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, *ita reddit*, באחסנתיה יתבני מקדשא, *Jonathanis* בית מקדשא in poſſeſſione ejus ædificabitur ſanctuarium vel domus ſacrata. *Gemara Sevach. ibid.* legit מדבח *altare* pro מקדשא. Rabh interpretatur *in poſſeſſione ejus ædificabitur* מדבחא *altare*; ſed Levi. *In poſſeſſione ejus ædificabitur* מקדשא *ſanctuarium*, i. e. locus Victimarum ſanguini recipiendo deſtinatus. *Vide Joma fol.* 11. 1. *Et Megillah* fol. 25. 1. *Zohar Par. Bereſch.* fol. 14. *c.* 3. *rationem reddit*, *quare Judæ fundamentum ablatum ſit*. Veni, vide. Juda dixit, Geneſ. XXXVII. 27. *Venite, & vendamus cum Iſmaelitis* (ita Hebræus.) Quia ergo ille circa fundamentum, Joſephum juſtum peccavit, atque eum ſeparatum voluit a terra ſuperiore, conſiliumque ſuppeditavit, de eo vendendo, idcirco in ejus hæreditate non fuit *altari* fundamentum.

[23] Foramina &c. *Toſaphta Sevach.* VI. 10. Baſis habebat duo foramina, veluti duo fila tenuia, per quæ ſanguines deſcendebant, & in foſſa miſcebantur, & defluebant in torrentem Kedron, & ſtercorandis hortis Olitoribus vendebantur, & in iis erat prævaricandi locus. *Middoth ibid.* Cornu autem inter occidentem, & auſtrum habebat duo foramina inſtar duarum narium exilium, per quæ ſanguis ſparſus cum ſuper pulvinum ſive fundamentum occidentale, tum ſuper fundamentum auſtrale deſcendebat, & miſcebatur uterque ſanguis in canali, ac effluebat in torrentem Kedron. *Vide Schilte Haggiborim* cap. XXVII.

[24] Locus cavus &c. *Middoth ibid.* Inferius in pavimento ad idem cornu erat locus quadratus unius cubiti, ubi tabulæ marmoreæ annulus infixus erat, qua deſcendebant in foveam ſive camarinam, eamque purgabant. *Meila fol.* 11. 2. Foramen parvum inter clivum, & altare ad latus illius occidentale, in quod ſemel per ſeptuaginta annos Sacerdotes juvenes deſcendebant, & vinum ſacrum, quod jam maſſa ficuum inſtar concreverat, repetebant, in ſanctitate comburendum Q. d. e. Num. XXVIII. 7. *Et libabitis .... in Sanctuario Domini*. *Vide Schilte Haggiborim ibid.*

[25] Collis &c. *Middoth ibid.* Præterea aſcenſus erat ab auſtro altaris 32. cubitorum, cujus latitudo ſexdecim. *Sevachim* 62. 2. Tradiderunt ibi. Clivus & altare longa ſunt cubitus duos & ſexaginta. Atqui cubitos quatuor & ſexaginta reperies. At cubiti duo ſupremi a clivo avolant; unus ob fundamentum, & alter ob cingulum. *Raſchi ibid. Gradus autem ejus verſi ad orientem*. Et collis, qua aſcendebant, erat ſitus, in meridie, ut qui per eum aſcenderet, ſe converteret ad orientem, quia omnes ſe convertunt ad dextram, & cum ſitus eſſet collis in meridie, qui per illum aſcendebat, convertebat ſe ad dextram, & reſpiciebat ad orientem. *Schilte Haggiborim. Ibid.* Et collis extructas erat in plaga auſtrali altaris longus triginta duos cubitos, & ſexdecim latus, & in terræ ſolo occupabat triginta cubitos a latere altaris, & occupabat cubitum baſis, & cubitum circuitus, uti dictum eſt *Gemara Sevachim cap.* VI. 1.

[26] Paululum inane &c. *Sevachim fol.* 62. R. Simeon ben Joſe nepos Lekunia quæſivit ex R. Joſe, de eo quod R. Simeon ben Jochai ſpatium aliquod clivum ab altari ſeparare dixit. *Reſpondit R. Joſe*; Tunc hæc quæris? cum noveris dictum eſſe *Deut.* XII. 27. *Et offeres oblationes tuas carnem, & ſanguinem. Unde conſtat* uti ſanguis in altare projicitur, *cum a Sacerdote in pavimento ſtante per interjectum intervallum in illud ſpargitur*, ita etiam carnem *in ſtruem* conjici debere a *Sacerdote*, *inde per ſpatium aliquod ſeparato*. Excepit R. Simeon, putare ſe quod Sacerdos in altari ad latus ſtruis ſtare poſſit, & *in eam* projicere proſegmina. *Sed reſpondit R. Joſe.* Cum ita projicit, an in ſtruem ardentem projicit, an antequam ſuccendatur? Concedes mihi in ardentem conjici. *Atque hic projectio neceſſaria ſit*, ita ut aliter facere non *poſſit*. Rabh Papa idem clarius docuit. Sicut in ſanguine ſpatium vacuum a fundo uſque *Sacerdotem ſpargentem ab ara* ſeparat ita etiam circa carnem ſpatium vacuum a fundo uſque *Sacerdotem projicientem ab ara ſeparare debet*. *Schilte Haggiborim ibid.* Et paulum ſpatii intercedebat inter collem & altare, ut collocare poſſet membra projiciendo ſuper altare.

[27] Novem cubitorum &c. *Schilte Haggiborim ibid.* &c. Et altitudo collis erat novem cubitorum, minus ſexta parte cubiti uſque ad locum ſtruis.

[82] Duo parvi &c. *Sevach. fol.* 62. 2. Rabh Juda ait; duo pontes parvi exibant e clivo, in quorum uno ad fundamentum, in altero ad cingulum abibant, atque ſeparati erant ab ara latum unguem, *quia de altari dictum eſt Levit.* 1. 5. *circumquaque*. Rabbi Abhu dicit; q. d. e. Exod. XXVII. 1. *quadratum*; ſed neceſſe fuit dici *circumquaque*, & neceſſe fuit, dici *quadratum*. Nam ſi Deus tantum *circumquaque* dixiſſet, credi potuiſſet, altare rotundum eſſe, *idcirco* addidit Deus *quadratum*. Si vero tantum *quadratum* dixiſſet, *credi potuiſſet*, altare longius eſſe quam latum. Idcirco addidit Deus *circumquaque* &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Duo parvi ponticuli prodibant ab eo *Colle*, quibus ſe convertebant ad baſim, & ad circuitum, & tenui filo ab altari ſeparati erant.

[29] Ad occidentem &c. *Middoth ibid.* Habebatque fora-

foramen in parte occidentali; ubi effundebant sanguinem super pulvinum occidentalem, & pulvinum meridionalem, per quos defluens deinde miscebatur, ac tandem effluebat; Eo etiam projiciebant rejectanea sacrificia pro peccato ex avibus desumta. *Pesachim fol.* 34. 1. Fenestra parva fuit inter clivum & aram ad occidentalem illius partem, in qua condiderunt aves piaculares vitiosas, ut transiret forma earum, eæque in locum combustionis exire possent. *Tosaphta Sevachim* VI. 5. R. Ismael filius R. Jochanan filii Beroka dicit; Fenestra erat a plaga occidentali Collis, & vocabatur Rebuchà, in quam projiciebant aves piaculares vitiosas, donec mutaretur earum forma, & deinde efferebantur ad locum combustionis. *Vide Schilte Haggibborim, ibid.*

30 Mensæ duæ &c. *Codex Sekalim* VI. 4. Duæ deinde erant *mensæ* versus occasum ascensus *Altaris*, quarum una erat marmorea, altera vero argentea; marmoreæ imponebant membra, argenteæ vero vasa cultus.

31 Congerebantur &c. *Gemara Babyl. Sevach.* fol. 54. Adducunt formam, quæ in longitudinem, & latitudinem pateat 32. cubita, cubitumque alta sit; deinde afferunt leves lapides, eosque (duros vel) recentes, cum magnos, tum parvos, apportant etiam calcem, & cum plumbi ramentis picem, quæ contundunt, ac calcant, postquam injecta, & infusa sunt &c. *Kimchi ad Ezech.* XLIII. 17. Ex formis fiebat altare, uti dixerunt. Traditio Levi. Quomodo ædificant altare? Adducitur forma patens duos & triginta cubitos quaquaversum, & cubitum alta, & afferuntur lapides læves & recentes tam magni quam parvi, & calx, & pix, & plumbum liquefactum, & infunduntur; hoc est fundamentum altaris. Et iterum affertur forma patens quaquaversum triginta cubitos, & alta quinque, & adducuntur lapides læves & recentes tam magni quam parvi, & calx, & pix, & plumbum liquefactum, & infunduntur, hic est circuitus. Affertur iterum forma patens octo & viginti cubitos quaquaversum, & tres cubitos alta, & afferuntur lapides læves & recentes tam magni quam parvi, & calx, & pix, & plumbum liquefactum, & infunduntur, & hic est locus struis. Et iterum affertur forma patens cubitum quaquaversum, & alta cubitum, & adducuntur lapides læves & recentes tam magni quam parvi & calx, & pix, & plumbum liquefactum, & infunduntur, & hoc est cornu, & sic in singulis cornibus.

32 Ad angulum meridiei &c. *Sevach.* 53. 54. In locum ejus baseos (sc. meridionalis orientalis) *lignum* aliquod *longum magnitudinis convenientis in forma illa* ponitur, *ut lapides & reliqua materia id spatii replere non possint*, *quod postquam moles exsiccata est*, aufertur. *Vide Schilte Haggibborim ibid.*

33 Unicuique cornu &c. *Sevachim fol.* 54. 2. Rabh Cahana ait; lapides cornuum excavati erant; q. d. e. *Et replebuntur ut phialæ, & quasi cornua Altaris. Zachar.* IX. 15. *Neque obstat* quod & hic Deus lapidibus integris uti jusserit. *Nam* baculos tenues *corporibus cum struuntur* interponunt *illosque postquam hæc exsiccata sunt*, auferuntur. *Abarbanel in Leg. fol.* 196. Fuerunt intus cava, ut sanguis posset infundi, indeque descendere intra terræ cavernas.

34 Quatuor cornua &c. *Tosaphta Menachot* VI. 13. Cornu Altaris, & basis, & figura quadrata impediunt inter se; R. Jose filius R. Jehudæ dicit; etiam circuitus. *Gemara Succa fol.* 48. Eo die fractum fuit unum ex cornibus Altaris, adduxerunt vero massam salis, qua *rupturam* obstruxerunt, non eo fine ac si illa *cornu fractum* ad ministerium iterum aptum redderet, sed ne Altare *aliqua sui parte* mutilum appareret, quoniam omnis ara clivo, aut cornu, aut fundamento, aut denique quadratura carens *ad ministerium sacrum* ineptum est, R. Jose filius Jehudæ dicit, etiam si cingulo careat. *Gemara Babyl. Sevachim* 62. 1. Docent Rabbini: Cornu, ascensus (& si non sit Altaris pars) fundamentum, quadratum impediunt Altaris usum &c. Unde ista verba? Dixit R. Houna; Ait Scriptura; Altare; Nam cuicunque rei Scriptura *vocem* Altaris jungit, eo innuit, illa altare carere non posse. *Jam autem de cornibus dicitur* קרנות המזבח Levit. VI. 7. *de clivo* אל פני המזבח Levit. IV. 30. *Et de forma quadrata* רבוע יהיה המזבח. Exod. XXVII. 1. *de fundamento* יסוד המזבח Levit. IV. 30. *Raschi in Glossa*. Sic etiam ex Rabbi opinione ara legitima non est, nisi figuras florum, rerumque similium circumquaque in ea fecerint.

35 Longitudinis &c. *Tosaphta Menachoth ibid.* Longitudo, & latitudo in mensura Altaris nihil impediunt. *Sevachim ibid.* At mensura longitudinis, latitudinis, denique mensura altitudinis non impediunt; dummodo ara, quam fecit Moses, non sit minor.

36 Pro magnitudine &c. *Gemara Cholin fol.* 18. 1. Omnis lapis, qui ita læsus est, ut in crena ejus unguis offendatur, ecce is profanus est; opponunt, quanta esse debet labes, quæ aram vitiat? Rischbi existimat palmarem. Rabi autem olivæ instar. Sed respondent; *distinguendum* est inter calcem, & lapides. *Raschi idem sentit*. In lapide ipso *incisura* quantalacunque *aram vitiat*. Q. D. E. ex lapidibus integris. *Schilte Haggibborim ibid.* Si ex ædificio Altaris demolitio facta sit pro magnitudine palmi, vitiosum est, minus palmo, legitimum est, dummodo in ædificio reliquo nullus omnino lapis delibatus remaneat; hoc modo scripsit *Maimonides f. m. in constitutionibus domus electæ* cap. II. 18. Verum cap. I. Cholin videtur, quod læsum esset Altare, si in ejus crena unguis ingrederetur; & eo loci dicimus; opponitur; Quanta est labes Altaris? R. Simeon filius Jochai dicit, palmarum. R. Eliefer filius Jacobi dicit, in quantitate olivæ; & respondetur; nulla est ibi contradictio; alter loquitur de calce, & alter de lapide; & commentarium *Raschi*; in lapide *incisura* quantalacunque; quia textus dicit; *ex lapidibus integris*; & *Maimonides* decidit juxta mentem R. Simeonis filii Jochai, quia ille in Gemara peritior erat R. Eliesere filio Jacobi &c.



פרק שלישי

א. המנורה מפורשת צורתה בתורה וארבעה גביעים ושני כפתורים ושני פרחים היו בקנה המנורה שנאמר ובמנורה ארבעה גביעים משוקדים כפתוריה ופרחיה ועוד פרח שלישי היה סמוך ליריכה של מנורה שנאמר עד ירכה עד פרח

CAPUT TERTIUM.

I. De candelabri figura atque forma explicatum a Lege est. Erant igitur in candelabri [1] scapo quatuor scyphi, duo globuli, & flores duo: Scriptum enim legimus: *In ipso autem recte erant quatuor scyphi in nucis modum, spherulæque per singulos simul, & lilia* [*Ex.* 37. 20.] Præterea flos erat tertius paulo supra candelabri scapum. Nam scriptum videmus, *Tam medius stipes, quam cuncta quæ*, &c. [*Num.* 8. 4.]

ב. ושלש



ב. ושלש רגלים היו לה ושלשה כפתורים אחרות היו בקנה המנורה שמהן יוצא' ששת הקנים שלשה מצד זה ושל שהמצד זה ובכל קנה וקנה מהן ג' גביעים וכפתור ופרח והכל משוקדים כמו שקדי' בעשייתן

ג. נמצאת כל הגביעים שנים ועשרים והפרחים תשעה והכפתורים אחד עשר וכולן מעכבי' זה את זה ואפי' חסר אחד מן השני' וארבעי' מעכב את כולן

ד. ברא כשעשאו' זהב אבל שאר מיני מתכו' אין עושי' בה גביעי' כפתורי' ופרחיה וכן מנור' הבא' זהב תהיה כולה ככר עם נרותיה ותהי' כולה מקשה מן העשתות ולשאר מיני מתכות אין מקפידין על משקל ואם היתה חלולה כשרה

ה. ואין עושין אותה לעולם מן הגרוטאו' בין שהיתה של זהב בין שהיתה של שאר מיני מתכות

ו. המלקחים והמחתות וכלי השמן אינן מכלל הככר שהרי נאמר במנורה זהב טהור ולא נאמר נרותיה זהב טהו' מפני שהנרות קבועין במנורה והם מכלל הככר

ז. שבעת קני המנור' מעכבין זה את זה ושבעה נרותיה מעכבין זה את זה בין

II. Candelabro [2] pedes erant tres: & [3] globuli etiam tres erant in candelabri scapo, [4] ex quo sex excedebant calami seu rami hinc atque hinc tres. In eorum singulis erant tres scyphi, globulus unus, & flos unus. Illi vero omnes speciem referebant [5] amygdalarum, ut sunt amygdalæ cum adolescunt.

III. [6] Sic omnino scyphi sunt omnes viginti duo, flores novem, & undecim globuli, quæ omnia [7] dependent alia ab aliis; ut si vel unum de hisce quadraginta duobus ornamentum desideretur, reliquorum usum prohibeat.

IV. Atque hæc tum erat candelabri forma cum [8] ex auro fieret. Nam in ceteris metallorum generibus [9] nulli fiebant scyphi, nulli globuli, nullique flores. Et quod est ex auro candelabrum, [10] in id totum & lucernas ejus talentum impenditur. Item totum [11] erit solidum, & opus continuatum. In ceteris autem metallorum generibus de pondere cura est nulla. Jam si cavum fuerit candelabrum, sit tamen satis idoneum.

V. [12] Ex scrutis autem fit nunquam, sive ex auro sit, sive reliquorum metallorum ex aliquo.

VI. Forcipes, trullæ, atque vasa olearia non erant ex illo auri talento: nam de candelabro præscribitur: *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo*: (*Exod.* 25. 31.) tum rursus præscribitur, *Et forcipes ejus & trullas ejus facies de auro purissimo*: (*Ibid. v.* 38.) Verum in præscribendis lucernis non dicitur, Lucernas ejus de auro purissimo, ea re, quia hæ ipso candelabro inhærentes ex eodem atque illud talento auri erant.

VII. Candelabri hujus septem calami requiruntur alius ab alio: & septem ejus lu-

שהיתה

שהיתה של זהב בין שהיתה של שאר מיני מתכות וכל הנרות קבועים בקנים

ח. ששה הנרות הקבועים בששה הקנים היוצאים מן המנורה כולן פניהם לנר האמצעי שעל קני המנורה וזה הנר האמצעי פניו כנגד קודש הקדשים והיא הנקרא נר מערבי

ט. הגביעים דומין לכוסות אלכסנדריאה שפיהן רחב ושוליהן קצר והכפתורים כמין תפוחים כרותים שהן ארוכי׳ מעט כביצ׳ ששני ראשיה כרין והפרחין כמו פרחי העמורים שהן כמין קערה ושפתה כפולה לחוץ

י. גוֹבה המנורה היה שמונה עשר טפח הרגלים והפרח שלשה טפחים ושני טפחים חלק וטפח שבו גביע כפתור ופרח וטפחים חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאין ממנו אחד הילך ואחד הילך ונמשכין ועולין כנגד גובה המנורה טפח חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאין ממנו אחד הילך ואחד הילך ונמשכין ועולין כנגד גובה המנורה וטפח חלק וטפח כפתור ושני קנים יוצאין ממנו אחד הילך ואחד הילך ונמשכין ועולין כנגד גובה המנורה וטפחים חלק נשתיירו שלשה טפחים שבהן שלשה גביעים כפתור ופרח

יא. ואבן היתה לפני המנורה ובה שלש מעלות שעליה כהן עומד ומטיב את הנרות ומניח עליה כלי שמנה ומלקחיה ומחתותיה בשעת הטבה

cernæ item alia ab alia requiruntur: nec ad hanc rem quidquam intereſt, utrum fuerit ex auro candelabrum, an ex alio metalli genere. Jam lucernæ calamis inhærent omnes.

VIII. Sex lucernæ, quæ ſex calamis e candelabro excedentibus inhærent, illæ ſunt omnes [13] ad unam hanc converſæ lucernam, quæ in medio candelabri calamo inhæreat. Iſta vero media lucerna ſpectat ad Sanctum Sanctorum. Hæc eſt ea quæ lucerna occidentis dicitur.


IX. [14] Scyphi conſimiles erant poculorum Alexandrinorum, quæ ore patulo, fundo ſunt anguſto. Globuli pomorum erant ſimiles * Cerethæorum, quæ ſunt ita longula, ut ovum, cujus extrema duo lata ſunt ambo. Flores autem tales erant, quales ſunt in columnis, qui flores referunt quandam quaſi lancem, cujus ora foris convolvitur.

X. Omnino [15] candelabrum palmos duodeviginti altum erat. Pedes igitur & flos primus occupabant palmos tres: inde lævitas erat duorum palmorum: palmus ſequens continebat ſcyphum, globulum, & florem: rurſuſque palmi duo læves erant: conſequebatur inde globulus unius palmi, ex quo procedebant calami duo, unus hinc, & illinc alter, qui extollendo producebantur ad altitudinem ipſius candelabri: ſuper his erat lævitas, unius palmi globulus, ex quo rurſum procedebant duo calami, unus hinc, & illinc alter, qui ad candelabri pertinebant altitudinem: poſt etiam erat unius palmi lævitas, & unius palmi globulus, ex quo rurſum excedebant calami duo, unus hinc, & illinc alter, qui itidem aſſequebantur altitudinem candelabri: ſuper his erat duorum palmorum lævitas: reſtabat igitur ſpatium palmorum, in quo erant ſcyphi tres, & globulus unus, unuſque flos.

XI. Ante candelabrum [16] lapis erat poſitus, in quo tres inerant gradus. In eo lapide inſiſtebat ſacerdos, qui lucernas emundaret ac componeret: in eodem ſacerdos ille vaſa olearia, forcipes, & trullas candelabri reponebat in lucernis emundandis ac componendis.

יב. השלחן

IX. *Cerethæorum*. Vox iſta Hebraica כרתים ſepius occurrit in Litteris ſacris Ezech. 25. v. 16. Sophon 2. v. 5. & in numero ſingulari כרתי 1. Sam. ſeu 1. Reg. c. 30. v. 14. quibus locis vulgatus Interpretes eam vocem reddit *Cerethi*, *vel Ceretheos*: Septuaginta vero nonnunquam Κρῆτας Cretenſes: ſed & a Septuaginta non ſignificari Cretam inſulam; verum Hebraicam vocem conſimili voce Græca exprimi, egregie probat doctiſſimus Bochartus Geographiæ ſacræ parte altera lib. 1. pag. 457. & 458.



יב. השלחן היה ארכו שני׳ עשר טפח ורחבו ששה טפחים והיה מונח אורכו לאורך הבית ורוחבו לרוחב הבית וכן שאר כל הכלי׳ שבמקדש אורכן לאורכו של בית חוץ מן הארון שהיה ארכו לרוחב הבית וכן נרו׳ המנורה היו כנגד רוחב הבית בין הצפון ובין הדרום

יג. ד׳ סניפין של זהב היו לשלחן מפוצלין בראשיהם שהיו סומכין בהן שתי המערכות של לחם הפנים שנים מסדר זה ושנים מסד׳ זה והם הנאמרי׳ בתורה וקשותיו

יד. וכ״ח קני׳ של זהב כל אחד מהן כחצי קנה חלול היו לו ארבע׳ עש׳ לסדר זה וארבע׳ עשר לסדר זה והם הנקראי׳ מנקיותיו

טו. ושני הבזיכין שמניחין בהן הלבונה על השלחן בצד המערכות הן הנקראין כפותיו והדפוסי׳ שעושין בהן לחם הפנים הם הנקראין קערותיו אלו הרבעה עשר קנים נותן החלה הראשונ׳ על עצמו של שלחן ונותן בין ראשונ׳ ושנייה שלשה קני׳

XII. [17] Mensæ longitudo palmorum erat duodecim, & sex palmorum latitudo; sicque sita erat, ut [18] ejus longitudo responderet longitudini templi, & latitudini latitudo. Atque reliquorum etiam, quæ in templo inerant, utensilium situs erat ejusmodi, ut ad templi longitudinem spectaret eorum longitudo, & eorum latitudo ad templi latitudinem. His oportet excipias arcam, cujus erat latitudo conversa ad templi longitudinem. Itemque lucernæ candelabri ad templi latitudinem spectantes sitæ erant inter septentrionem & meridiem. ¶

XIII. Mensa erat instructa [19] quatuor ex auro baculis superne * fissis, quibus inniterentur ordinationes duæ panum propositionis utraque videlicet ordinationum baculis duobus: hos autem, Lex ita dicit [20] וקשותיו *uksotav*.

XIV. Porro erat instructa mensa [21] duodetriginta dimidiatis calamis aureis, atque adeo intus vacuis, ex quibus quatuordecim utrique panum ordinationi adhibebantur. Nimirum hi sunt illi, qui dicuntur [22] מנקיותיו *menakiotav*.

XV. Præterea autem [23] duabus acerris, quibus thus in mensa imponebatur ad ordinationum latus: hæc dicuntur כפותיו *koppotav*. [24] Et formis, in quibus propositionis panes efficerentur: istæ dicuntur קערותיו *kearotav*. [25] De calamorum aureorum ordine, imponebatur in ipsa mensa panis seu placenta prima: tum inter primam & secundam placentam tres interponebantur calami, atque inter singulas deinceps placen-

¶ Præter hoc præcipuum candelabrum tam accurate descriptum a Moyse, etiam alia fuisse multa candelabra in templo tum argentea declaratur 1. Paral. cap. 28. v. 15.

XIII. *Fissis*. Fissi dicuntur baculi nempe foramine oblongo in carchesii morem, quod Gallice *mortaise* vocatur. Significatur autem extremum calamum, qui inter duos supremos panes interjectus erat, pro vario spatio quod sex panes occupabant, exceptum firmatumque esse. Namque pro panum crassitudine, quæ non potuit eadem esse semper, extremus ille calamus nunc ascenderet, nunc descenderet oportebat.

וכן בין כל חלה וחלה ג' קנים ובין ששית וחמשית שני קנים בלבד לפי שאין על הששית אחרת נמצאו ד' עשר בכל מערכ' ומערכ'

יו. ושתי שלחנות היו באולם מבפנים על פתח הבית אחת של שייש נותני' עליו לחם הפני' בכניסתו ואח' של זהב נותני' עליו הלחם ביציאתו שמעלין בקדש ולא מורידין

tas item calami tres. Etenim inter placentam quintam & sextam duo duntaxat intercedebant calami, propterea quod in sexta placenta nulla alia recumberet. Itaque cuique ordinationi decem & quatuor adhibebantur calami.

XVI. Præterea autem in interiori vestibuli parte ad templi fores erant etiam [26] mensæ duæ: una e marmore, in qua illi, qui panes propositionis in templum importarent, eos parumper reponebant. Erat ex auro altera, in qua propositionis panes item ad tempus reponebant, qui eos e templo éxportarent. Ea est enim sacrorum ratio, ut augeantur quidem honores; nunquam vero minuantur.



יז. מזבח הקטרת היה מרובע אמה על אמה והוא נתון בהיכל מכוון בין הצפון לדרו' משוך בין השלחן והמנור' לחוץ ושלשתן היו מונחין משליש ההיכל ולפנים כנגד הפרוכ' המבדלת בין הקדש ובין קדש הקדשים

XVII. Altare suffimentorum [27] in longitudinem & in latitudinem patebat omnino cubitum unum. Id in templo [28] situm erat inter septentrionem & meridiem, & sic erat inter candelabrum & mensam interpositum, ut totum excederet. [29] Atque tria hæc inter templi tertiam partem sita erant contra velum id, quod Sanctum a Sancto Sanctorum separabat.



יח. הכיור



יח. הכיור היו לו שנים עשר דדין כדי שיהיו כל הכהנים העוסקי' בתמיד מקדשי' ממנו באחד ומוכני עשו לו שיהיו בה המים תמיד והיא חול כדי שלא יהיו המים שבה נפסלין בלינלה שהכיור מכלי הקדש ומקדש וכל דבר שיתקדש בכלי קודש אם לן נפסל:

XVIII. Erant labro [30] mammæ duodecim, ut ex eo sacerdotes jugi sacrificio operantes lavare possent simul omnes. [31] Atque labro conjunctum erat aliud vasis genus, in quo perpetua contineretur aqua, idque vas erat profanum, ut in eo pernoctans aqua non vitiaretur. Labrum enim erat e vasis sacris unum, & sanctum efficiebat quidquid recipiebat: quod autem sanctum efficeretur in aliquo vase sacro, hoc idem si in eodem vase pernoctasset, vitiaretur.

NOTÆ IN CAPUT TERTIUM.

[1] Scapo &c. *Raschi ad Exod.* XXV. 34. Et quatuor *crateres* erant in corpore candelabri, & undecim mala; sex in sex cannis, & tria in corpore candelabri, unde egrediebantur cannæ; & duo jam commemorata in candelabro, dictum est enim משוקרים כפתריה, & ad minimum mala duo, unum inferius ad scapum & alterum in tribus palmis superioribus, cum tribus crateribus; & novem flores ibi erant, tres tribus cannis; scriptum est enim בקנה האחר כפתור ופרח; & tres in candelabro; dictum est enim משוקרים כפתוריה ופרחיה; & ad minimum, flores duo; & alter commemoratus in Parascha *cum posueris* Num. VIII. 4. עד ירכה עד פרחה. *Maimonides ad cap.* III. 7. *Menachoth*. Primo itaque dico fundamentum nobis esse e Traditione; *Candelabrum altum esse octodecim palmos, & columnam illius quatuor habuisse scyphos, duoque malogranata, sive sphærulas, & tres flores; Vid. Exod.* XXV. 34. Sed in numero plurali duo saltem continentur; idcirco exponunt doctores duo fuisse malogranata, duos flores, tertium vero florem extremæ candelabri parti conjunctum, sicut lex dicit *Num.* VIII. 4. עד ירכה עד פרחה sensus est fundamentum & florem ei conjunctum trium pedum quantitatem habuisse.

[2] Pedes erant tres. &c. *Abarbanel in commentar. in Pentateuchum unum tantum pedem instar Cistæ Candelabro assignat.* Jerech & pes lychnuchi factus instar cistæ, cui insistit lychnuchus. A *Raschi in Gemara Menachoth tres assignantur pedes.* Jerech est pes inferior lychnuchi factus ad formam arcæ, & tres pedes alii inde egrediuntur. *Schilte Haggibborim cap.* XXXI. Tres erant pedes candelabri.

[3] Et globuli &c. *Raschi ibid.* 34. *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi.* In corpore candelabri erant quatuor crateres; unus prominebat infra cannas, & tres supra, unde procedebant cannæ prominentes ex ejus lateribus.

[4] Ex quo &c. *Raschi ibid. Qui producendi sunt de hastili.* Hinc inde oblique protrahebantur, & assurgebant contra altitudinem candelabri, quod erat canna media, & procedebant ex canna media, hæc superior altera, inferior longior, & superior hac brevior, & superior ista brevior, ut altitudo earum summitatum par esset altitudini cannæ mediæ, unde sex procedebant. *Schilte Haggibborim Cap.* XXXI. Atque etiam quatuor crateres & duo mala, & tres flores erant in ramis candelabri; atque etiam in eo erant tria alia mala, ex quibus sex excedebant calami, hinc atque inde tres; & in singulis calamis erant tres crateres, malum unum, & flos unus.

[5] Amygdalarum &c. *Raschi ibid.* Juxta ejus Targum מצויירין *figurata.* Uti faciunt vasis argenteis & aureis, quæ vocant נ״ילי. *Et paulo post.* משוקדים sphærulæque & lilia. Hic est unus ex quinque Scripturæ locis, quibus non est solutio, non constat utrum crateres sint amygdalati, an sint amygdalata mala & flores. *Schilte Haggibborim ibid.* Et totum erat amygdalatum, id est opus amygdalarum. *Græci reddunt* ἐκτετυπωμένους καρύσκους, vel ἐξημυγδαλωμένους incisos forma amygdali vel nucis.

[6] Sic omnino scyphi &c. *Gemara Menachoth* fol. 28. 2. Verum dicet aliquis, concedo tibi de numero craterum, eos esse 22. quia scriptum est Exod. XXV. 34. *In ipso autem candelabro (id est medio stipite, qui* מנורה *appellatur) erunt quatuor scyphi:* Et commate præcedenti. *Tres scyphi per singulos calamos, sphærulaque & flos.* Nam quatuor & 18. faciunt 22. De malis quoque largior ea esse undecim, quia scriptum est Exod. XXV. 34. In candelabro (*id est medio stipite*) esse mala כפתרים quod ad minimum duo notat, & unum in singulis ramis Exod. XXV. 33. & dein commate 35. ter vox כפתור *mali* legitur, quæ mala essent in medio stipite sub ramis inde prodeuntibus; atqui ea efficiunt undecim. Sed

flores esse novem unde colligitur? Scilicet פרחים *flores* tribuuntur stipiti medio Exod. XXV. 34. quod ad minimum debent duo intelligi, & commate praecedenti singulis sex ramis tribuitur flos. Adeoque hæc octo efficiunt. Nonus flos uti R. Schalman dicit commemoratur Num. VIII. 4. *usque ad florem ejus opus erit mikscha. Pesiktha ad* Num. VIII. 4. Concedendum quod crateres fuerint 22. Scriptum est enim. *In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi*; octodecim in cannis, & quatuor simul faciunt duos & viginti; Mala etiam undecim; scriptum est כפתוריה duodecim (*lege undecim.*) Flores vero fuisse novem unde probatur. Scriptum est פרחים duo simul, & sex in cannis, sunt octo. Dixit R. Schalmam עד ירכה עד פרחה; addit unum florem; ecce novem. *Maimonides ibid.* Atque ex ista tibi exponam figura, quod 22. erant scyphi, novemque flores, & undecim mala. *Schilte Haggiborim ibid.* Deprehenditur quod 22. essent crateres, & flores novem & mala undecim. Crateres 22. sicuti dictum est. *In ipso autem candelabro* (*i. e. medio stipite*) erunt quatuor scyphi; octodecim in calamis, & quatuor in medio stipite, ecce 22. Mala etiam erant undecim; duo mala, & sex in calamis, & tria mala sub sex calamis, ecce undecim. Verum flores fuisse novem unde probatur? duo flores in stipite, & sex in calamis, sunt octo. Dixit R. Schalman עד ירכה עד פרחה. Erat flos prope pedem.

7 Dependent &c. *Tosaphta Menachoth* VI. 12. Candelabri crateres, mala, & flores impediunt inter se. *Gemara Menachoth ibid.* Deprehenduntur esse crateres 22. mala 11. flores 9. Craterum unus si desit, reliquos facit illegitimos; malorum unum si desit, reliqua facit illegitima; florum unus si desit, reliquos facit illegitimos. Quid? quod si vel craterum, malorum, vel florum unum desit, reliqua reddit illegitima. *Maimonides ibid.* Dixerunt autem 22. scyphi 11. malogranata, novemque flores inter se impediunt. *Schilte Haggibborim ibid.* Crateres impediunt inter se, flores inter se impediunt, mala inter se impediunt. Crateres mala & flores inter se impediunt.

8 Ex auro &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Legitur in Baraitha. *Facies & candelabrum ... de auro mundissimo*. Si ligneum fecisset, Rabi excludit, & illegitimum ducit; R. Jose filius R. Jehudæ legitimum putat. Rabi argumentatur a generali particulari, & generali; *facies & candelabrum*, est generale, *de auro*, est particulare, *ductile*, iterum fit generale, generale, particulare, & generale, non deducitur nisi quod sit simile particulari, sicut particulare explicitum est, de metallo, etiam generale, quod fit de metallo. R. Jose filius R. Jehudæ argumentatur ex inclusione, & exclusione; *facies & candelabrum*, includit; *de auro mundissimo*, excludit, *ductile*, iterum includit, excludit, & includit, omne includitur; quid includit? includit, quamlibet materiam; quid excludit? excludit lapidem. Nam legitur in Baraitha; si deesset aurum, potest adduci ex argento, ære, ferro, stanno, & plumbo. R. Jose filius R. Jehudæ, legitimum putat etiam ex ligno; sed non deciditur juxta ejus opinionem; etenim necesse erat, ut candelabrum & omnia vasa fierent ex metallo; sicuti decidit Maimonides in constitutionibus domus electæ cap. 1. 18. *Siphri ad num.* VIII. 4 Hinc dixerunt, si deesset aurum, faciebant ex argento, ferro, & plumbo; verba Rabi. R. Jose filius R. Jehudæ dicit, etiam ex ligno, & argilla.

9 Nulli fiebant &c. *Schilte Haggiborim ibid.* Si non fieret ex auro, non erant necessaria scyphi, mala, & flores.

10 In id totum &c. *Schilte Haggibborim ibid* Legitur in Baraitha; Candelabrum, & ejus lucernæ de talento fiebant, sed ex eodem talento non fiebant forcipes, & palæ. R. Nachman dicit; Candelabrum afferebatur ex talento, sed ejus lucernæ, palæ, & forcipes non adducebantur ex talento; unde oritur hæc quæstio? Ex textu, qui legitur in Baraitha; *habebit talentum auri purissimi*: *Exod.* XXV. 38. Docemur ex hoc textu, quod candelabrum fiebat ex talento, unde probatur ad includendum ejus lucernas? Ex eo quod dicit; *cum universis vasis suis*; possem credere, quod includantur ejus forcipes, & palæ; ideo dicit *illud*; hæc est opinio R. Nehemiæ. Explicatur R. Nehemia alia sui ipsius sententia. *Respondetur*, duos esse Misnæ sapientes, qui vario modo referunt verba R. Nehemiæ. R. Jehosua filius Korka dicit; candelabrum afferebatur ex talento, sed ejus lucernæ, forcipes, & palæ non afferebantur ex talento; quo pacto explicabitur *cum universis vasis?* quod sint aurea; aurea? Hoc clare expressum est, quando dicit; *facies & lucernas septem*; & pariter dictum est; *Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta sunt exstinguantur fiant de auro purissimo*. Sed necesse est ad ora lucernarum; quia mihi in mentem venire posset, quod cum nigrescerent ora lucernarum, ut haberetur ratio facultatum Israelitarum, ex qualibet materia fierent; ideo dicit &c.

11 Erit solidum &c. *Siphri ad Num.* VIII. 4 *ductili*; מקשה nil aliud significat, nisi materiam duram, *opus artificis*, opus mallei; *tam medius stipes, quam cuncta &c.* Ego non probo nisi pro stipite, & flore pro scyphis, & malis unde probatur? Ex eo quod dicit; *facies & candelabrum*. *Schilte Haggiborim ibid.* Legunt Rabbini, quod Candelabrum ex virga aurea fiebat, si ex variis scrutis fecisset, erat interdictum, ex aliis metalli speciebus erat legitimum; *facies .,.. de auro mundissimo*; si ex auro fieret, fieri debebat ex talento, sin minus esset aureum, non opus erat talento &c. si de auro fieret, ex opere ductili fiebat, si de auro non fieret, non opus erat, ut ex opere ductili fieret; *ductile*, nempe opus artificis, & opus mallei.

12 Ex scrutis &c. *Siphri ibid. facies & Candelabrum &c.* Ego credam, fieri ex multis scrutis; ideo dicit; *ductile*; cur iterum dicit, cum jam dictum esset, *ductile de auro?* Quid necesse erat, ut etiam diceret, *ductile?* quia deprehendimus in vasis domus seculorum, quod si deesset materia solida, fiebant ex metalli scrutis, ego crederem id etiam *fieri* in Candelabro; ideo dicit *ductile*; repetit textus ad excludendum &c. Verum si deesset species metalli solidi, non licebat fieri e scrutis; quod non obtinet in Tubis; si deesset argentum, non conficiebantur ex auro; si solida deesset materia, ex scrutis fiebant; deprehenditur quod erat legitimum in Candelabro, fuisse illegitimum in tubis, & quod erat legitimum in tubis, fuisse interdictum in Candelabro; ego non probo nisi pro Candelabro, lucernæ, scyphi, & flores, & mala unde probantur? ex eo quod dictum est, *talentum auri*; nisi quando erat de talento auri, & de materia solida. *Tosaphta Menachoth.* IX. 20. Candelabrum non erat legitimum, nisi ex una massa, si ex scrutis, & variis frustis aureis fecisset erat illegitimum, & ex aliis metallis erat legitimum; & Tuba non erat legitima nisi ex argento, si ex frustis fecisset, erat legitima, ex alio metallorum genere, erat illegitima; deprehenditur, quod erat illegitimum in Candelabro, fuisse in tuba legitimum, & quod erat in tuba illegitimum, fuisse legitimum a Candelabro. *Tosaphta de Profanis* I. 17. Candelabrum non est legitimum nisi ex una massa, si ex frustis fecisset, est illegitimum; ex alia metallorum specie est legitimum.

13 Ad unam hanc &c. *Siphri ad Nu. VIII.* Cur dicta est hæc sectio? Quia dicit Exod. XXV. 37. *Et pones eas super Candelabrum, ut luceant ex adverso.* Ego crederem, quod omnes lucernæ arderent super facies totius Candelabri. Ideo dicit; *Contra eam partem, quam Candelabrum respicit, lucere debebunt.* Ut lucernæ directæ essent contra Candelabrum, & Candelabrum contra lucernas. Quo pacto erat igitur? Tres ad orientem, & tres ad occidentem, & una in medio, deprehenditur, omnes fuisse contra mediam. Hinc dicit R. Nathan mediam fuisse nobilissimam *Pesiktha ibid.* על עבר פניה. Ego crederem ad omnia latera. Dictum est אל מול פני המנורה; ut essent lucernæ contra Candelabrum, quomodo? Tres ad orientem, & tres ad occidentem, & una in medio. Hinc dixit R. Nathan mediam fuisse nobilissimam. *Raschi ad num.* VIII. אל מול פני המנורה; ad lucernam mediam, quæ non erat in calamis, sed in corpore Candelabri, אירו שבעת הנרות. Sex quæ erant in sex calamis tres orientales convertebant sua Ellychnia ad mediam, & tres occidentales convertebant capita Ellychniorum ad mediam. Et quare? Ne dicerent, lumine indiguisse. *Vide Schilte Haggiborim ibid. de hoc uberrime disserentem.*

14 Scyphi consimiles &c. *Gemara Menachoth fol.* 28. 2. Cui rei similes erant crateres? Poculis Alexandrinis. Cui rei similia erant mala? Malis cretensibus.

ſibus. Flores cui rei? Floribus qui in columnis conſpiciuntur. *Schilte Haggiborim ibid.* Crateres cui rei ſimiles erant? Poculis Alexandrinis, qui ore patulo, fundo ſunt anguſto. Mala cui rei ſunt ſimilia? Pilæ non omnino rotundæ, ſed oblongulæ, uti ovum avis. Flores cui rei ſimiles erant? Floribus columnæ, qui referunt quandam quaſi lancem, cujus ora foris convolvitur.

15 Candelabrum &c. *Raſchi ad Exod.* XXV. 34. Altitudo candelabri erat 18. palmorum; Pedes & flores trium palmorum; Eſt flos commemoratus in ſcapo. Dictum eſt enim Num. VIII. עד ירכה עד פרחה. Et duo palmi læves, & palmus, ubi erat crater ex quatuor crateribus, & malum, & flos ex duobus malis, & ex duobus floribus commemoratis in ipſo candelabro; dictum eſt enim, משוקרים כפתוריה ופרחיה; ad docendum, fuiſſe in calamo duo mala, & duos flores duntaxat ex tribus malis, unde calami protrahebantur; dictum eſt enim. וכפתור תחת שני הקנים וגו׳. Et duo palmi læves, & palmus, in quo erat malum, unde prodibant duo calami hinc inde, & protrahebantur, & aſſurgebant contra altitudinem candelabri; Et duo palmi læves. Reliqui ſunt tres palmi, ubi erant tres crateres, & malum, & flos, Deprehenduntur 22. crateres, 18. in ſex cannis, tres in ſingulis, & quatuor in corpore candelabri; Et undecim mala, ſex in ſex calamis, & tria in corpore candelabri, unde cannæ prodibant; & duo jam commemorata ſunt in candelabro; dictum eſt enim; משוקרים כפתוריה; & ad minimum mala duo; unum inferius ad ſcapum, & aliud in tribus palmis ſuperioribus, cum tribus crateribus; & novem inerant flores, ſex ſex calamis; dictum eſt enim, בקנה האחד כפתור ופרח; & tres in candelabro; ſcriptum eſt enim. משוקרים כפתוריה ופרחיה; & ad minimum duo flores; & alius commemoratus in Paraſcha; *cum poſueris*. Num. VIII. עד ירכה עד פרחה. *Vide ibid. Maimonidem & Schilte Haggibborim.*

16 Lapis &c. *Siphri ad Num.* VIII. 3. העלה את נירותיה. Faciendi ſunt gradus. Hinc dixerunt lapidem fuiſſe e regione candelabri, ibique fuiſſe tres gradus, quos adſcendebat Sacerdos, conſiſtebat, & purgabat lucernas deponebat vas in ſecundo gradu, & abibat. *Peſiktha ibid.* Rabbini noſtri dixerunt בהעלותך. Fac tibi gradus. Hinc dixerunt, fuiſſe lapidem e regione candelabri, ibique fuiſſe tres gradus, quos adſcendebat Sacerdos, conſiſtebat, & accendebat, & purgabat, lucernas. Et jam diſſeruerunt Rabbini noſtri hinc, quod gradus eſſent, quos adſcendebat Sacerdos, ſtans emundabat. *Vide Tamid.* III. 9. *Schilte Haggiborim ibid. & Maimonidem de Sacrificiis Jugibus* III. 17. *qui More Nevochim part.* III. *c.* 45. *hæc de Candelabro ſcribit*. Poſthæc *coram Arca reponere juſſit candelabrum* ad decorem & honorem ipſius domus. Illam enim domum in qua ſemper lucerna ardet intra velum abſcondita, apud homines in ſumma veneratione haberi certum eſt. Noſti enim quam ſolicite & vehementer lex laboret, magnificentiam & venerationem Sanctuarii nobis perſuadere, ut ejus intuitu addiſcamus humilitatem, manſuetudinem & miſericordiam. Ita dicit. *Et ſanctuarium meum metuite*. Lev. XIX. 30. Continuo poſt præceptum de obſervando Sabbatho, ſimiliter ad venerationem Sanctuarii augendam.

17 Menſæ longitudo &c. *Codex Menachoth* XI. 5. Menſa in longitudine palmorum decem, in latitudine quinque eſt. Panis facierum in longitudine eſt decem, in latitudine quinque palmorum; longitudinem ergo panis, opponat latitudini menſæ, & duos palmos, & dimidium duplicet, duos palmos & dimidium ab una parte, & duos palmos cum dimidio ab altera parte; hinc fiet ut longitudo panis totius menſæ latitudinem compleat; ita R. Jehuda. Sed R. Meyr ſtatuit, menſæ longitudinem eſſe duodecim, latitudinem ſex, & panis facierum longitudinem decem, & latitudinem quinque palmorum, idcirco longitudinem panis opponendam eſſe latitudini menſæ, & duos palmos duplicandos ab una parte, totidemque ab altera parte, & porro duorum palmorum ſpatium in medio, ut penetrare poſſit ventus. *Schilte Haggibborim ibid.* Ad ſeptentrionem Templi erat menſa aurea, ſuper quam erat panis facierum; Et ecce in *Menachoth cap.* IX. 5. ſcribunt noſtri Rabbini f. m. ſententias R. Jehudæ, & R. Meyr. R. Jehuda ſequitur ſententiam ſuam, quod ulna in vaſis memorata conſtaret quinque palmis; & R. Meyr aſſerit, quamlibet ulnam fuiſſe ſex palmorum, excepto cubito Altaris aurei, & cornu Altaris, & circuitus, & baſis; Et deciditur ſecundum ſententiam R. Meyr.

18 Ejus longitudo &c. *Siphra ad Levit.* XXIV. 8. Et collocabat in longitudine domus. Omnium vaſorum quæ erant in Sanctuario, longitudo ponebatur in longitudine domus, excepta arca. *Codex Menachoth ibid.* Omnium vaſorum in Sanctuario longitudo ponebatur in longitudine domus. *Toſaphta Menachoth* XI. 6. Omnium Vaſorum, quæ erant in Sanctuario longitudo ponebatur in longitudine domus, excepta Arca, cujus longitudo poſita erat in latitudine domus; ita ejus vectes poſiti erant contra ſuam latitudinem, atque ita ferebatur. *Bartenora in hunc locum, Longitudo illorum erat ſecundum longitudinem domus*; Vaſa poſita erant in longitudine ſua ab oriente ad occidentem, excepta Arca, cujus longitudo poſita erat ſecundum latitudinem domus, nam vectes Arcæ prodibant ad locum veli in modum mammarum fœminearum uti ſcriptum eſt 3. *Reg.* VIII. 8. ואריכו הבדים ויראו; vectes autem protendebantur per arcæ latitudinem, nam ſi per longitudinem protenderentur, inter vectes tantum eſſet ſpatium latitudinis Arcæ, ſc. cubiti & dimidii. Duo vero homines, qui Arcam ferebant ab una & ab altera parte, inter vectes intrare non poterant, idcirco abſque dubio per latitudinem Arcæ protendebantur ab oriente ad occidentem, nam in velo prolongabantur; ita conſequitur quod Arcæ longitudo proportionata erat ad domus latitudinem. *Vide ibid. Schilte Haggibborim.*

19 Quatuor &c. *Siphra ad Levit.* XXIV. 6. *Super menſam puriſſimam*. Super puritatem menſæ. Ne furculæ extollant panem ſuper menſam. Hinc dixerunt; quatuor furculæ aureæ ibi erant, fixæ in capitibus ſuis, quibus ſuſtentabant, duæ uni ordini, & duæ alteri ordini. *Peſiktha ibid. Super menſam puriſſimam coram Domino*; ſuper puritatem menſæ, nempe ſuper corpus menſæ, ne furculæ extollant panem ſuper menſam. Hinc dixerunt; quatuor furculæ aureæ ibi erant fiſſæ, quibus ſuſtentabant, duæ huic ordini, & duæ alteri ordini. *Toſaphta Menachoth* XI. 5. Quatuor furculæ aureæ ſimiles clavulis ibi erant, quibus ſubſtinebant placentam, quia cymbæ ſimilis erat, ne deſiliret. R. Joſe dicit, ibi non erant furculæ; ſed menſæ erat altitudo palmaris, ſicuti dictum eſt; & *ſuper eandem alteram coronam auream*. *Exod.* XXXVII. 12. Eidem reſponderunt; verum eadem corona non erat niſi in pedibus. *Codex Menachoth* XI. 15. Quatuor furculæ aureæ illic erant, fiſſæ in capitibus ſuis, duæ erant pro hoc ordine, & duæ pro illo. *R. Salomon Exod.* 25. 29. *ad vocem* מנקיתיו, ubi ſcribit. Targum ejus eſt מכילתיה. Sunt autem סניפין furculæ inſtar clavorum vel paxillorum aureorum, ſtantes in terra, & in altitudinem adſcendentes multum ſupra menſam, uſque ad altitudinem nempe ordinis panum &c. *Schilte Haggiborim ibid. Facies & menſam de lignis Setim*; *Exod.* XXV. 23. duodecim palmos erat ejus longitudo, & ſex palmos latitudo, & cubitum cum dimidio altitudo, id eſt ejus pedes, & erat obducta auro mundiſſimo, eo modo quo Arca. *Facieſque illi labium aureum*, nempe ut eam circumeat ambitus aureus paulum altus, uti fit in pulchris menſis, ut contineant res, quæ ibi collocantur, ne ab iis delabantur. *Et facies ei cingulum palmare circumquaque* (*ſic Hebræus*) Ecce hæc clauſura eſt illa, qua ſtatuunt in ea pedem menſæ ad quatuor angulos, & ejus craſſities erat palmaris, ut ſtabiliret, & confirmaret; & forſitan, quod ejus latitudo quoque erat palmaris; ne pedes menſæ cum ipſa menſa conſtituerentur; & circa clauſuram erat circulus aureus, ut in eum ingrederetur, & cum eo conjungeret, eo modo quo circulus aureus, qui erat in Arca, circumibat Propitiatorium, & ideo dicit, *contra clauſuram erunt annuli*; (*ſic Hebræus*) quia ſi fuiſſent in menſa; ecce ſi extolleretur menſa, remanerent in terra pedes menſæ, & ejus clauſura; atque ideo, cum eſſent contra clauſuram, ferebant una clauſuram, & menſam &c. קשותיו. Erant rami arborum, qui in varios ramos dividebantur, in quibus inſiſterent dimidiæ cannæ, ſuper quibus ponebatur panis facierum; ibique erant quatuor ſtipites, & in terra ſtatuebantur contra menſæ vectes.

20 וקשותיו

20 וקשותיץ &c. Raschi *ad Exod.* xxv. 29. *vocat* ומנקיותיו, *quos Maimonides appellat* קשותיו. מנקיותיו (*inquit*) Juxta ejus Targum ומכילתיה; sunt furculæ instar paxillorum aureorum stantes in terra, quorum capita multum assurgebant supra mensam contra altitudinem ordinis panum, & quinque locis fissi erant, uno super alio, & cannarum capita, quæ erant inter panem & panem, his partibus fissis innitebantur, ne gravesceret panis impositus superior super inferiori, & frangeretur.

21 Duodetriginta &c. *Siphra ibid.* Et octo & viginti dimidiatæ cannæ perforatæ erant, quatuordecim uni ordini, & quatuordecim alteri ordini. *Pesiktha ibid.* Et octo & viginti cannæ perforatæ erant, quatuordecim uni ordini, & quatuordecim alteri ordini. *Codex Menachoth ibid.* Octo & viginti cannæ instar dimidiæ cannæ perforatæ, quatuordecim pro hoc ordine, & quatuordecim pro illo ordine.

22 מנקיותיו &c. *Raschi iterum ibid. quæ a Maimonide vocantur* מנקיותיו, *appellat* וקשותיו׳ קשותיו (*inquit*) erant instar dimidiæ cannæ perforatæ fissæ in earum longitudine, ex auro, & ordinabantur tres super summitate cujusque panis; ponebatur alter panis super iisdem cannis, & dividebant inter panem & panem, ut aer introiret inter illos, ne mucescerent; & Arabice quod perforatum est, vocatur קצ״בא, *Aben Ezra ibid.* Dicit R. Nathan autor Aruch הקשות fuisse similes cannis, quia lingua Ismaelitica sic vocantur. *Raschi iterum.* Sunt aliqui ex sapientibus Israelis qui dicunt קשותיו fuisse furculas, quæ comprehendunt illum ne corrumpatur. Verum Onkelos, qui interpretatur מכילתיה docet juxta verba ejus, qui dicit מנקיותיו fuisse furculas. אשר יסך בהם; quibus teget, & de קשותיו dicit אשר יסך, quod impositi essent tamquam tegumentum, & operimentum. Et sic alibi, sc. *Num.* iv. 7. ואת קשות הנסך. In utroque loco tam יסך quam הנסך significat tegere & operire. *Mihi verosimilius videtur in utroque loco designari vasa libationis.*

23 Duabus acerris &c. *Pesiktha ibid.* והיתה ללחם Non super panem; Sed ponebat in duabus acerris, quæ sunt הכפות. Erant ibi acerræ concavæ, ne frangerent panem. *Tosaphta Menachoth ibid.* Accipiebant duo Sacerdotes duas acerras, quibus inde bant duos thuris pugillos. Omnia vasa Sanctuarii carebant pedibus exceptis his, quibus pedes inerant. *Codex Menachoth ibid.* Quatuor Sacerdotes intrabant, bini manu tenebant binos ordines panum, & bini duas acerras. Raschi ibid. כפותיו. Acerræ, ubi indebant thus; Duæ erant pro duobus pugillis thuris, quas imponebant duobus ordinibus; dictam est enim Levit. XXIV. 7. *Et pones super eos thus lucidissimum.* *Schilte Haggibborim ibid.* וכפותיו, hæ sunt illæ acerræ, in quibus ponebant thus prope ordinem panis facierum. *Onkelos interpretatur* ובזיקוהי (*legendum* ובזיכוהי a בזך) acerras.

24 Et formis &c. *Siphra ibid.* ושמת אותם *&* *statues eos* in formis. Et tres formæ ibi erant; & statuebant in forma, quando erat passa. Et in furno erat forma, & quando e furno extrahebant, ponebant in forma, ne corrumperetur. *Pesiktha ibid.* ושמת אותם *& statues eos*; hinc docetur statuisse in forma. Tres formæ ibi erant; ponebant in forma, quando erat passa; & in furno erat forma, & quando extrahebant, ponebant in forma, ne corrumperetur. *Tosaphta Menachoth ibid.* Tres formæ ibi erant, una pro furno, altera pro massa, & alia, qua afferebat, quando in furno collocabat, ne panis corrumperetur. *Raschi ibid.* קערותיו, erant formæ, quia pani faciebant formas &c. *Et paulo post.* Et faciebant ei formas ferreas, in qua coquebatur, & quando extrahebant e furno, collocabant in forma aurea usque ad mane Sabbathi, in quo ordinabant panes super mensa; & hæc forma vocabatur קערה. *Schilte Haggibborim ibid.* קערותיו sunt illæ formæ in quibus coquebant panem facierum, & in iis relinquebant, donec ordinarent super mensam.

25 De calamorum &c. *Siphra ibid.* Et post Sabbathum ingrediebatur, & ordinabat tres *cannas* sub singulis *panibus*, & duas sub superiori, quamvis nihil super illo erat. *Pesiktha ibid.* & post Sabbathum ingrediebatur, & ordinabat tres sub singulis, duas sub superiori, & duas sub inferiori, quamvis illi non esset impositum onus. At quare? ne corrumperentur placentæ, quia erant calidæ. *Tosaphta ibid.* Quomodo ordinabant panem facierum? uni ordini sex placentas, & alteri ordini sex placentas imponebat; si uni ordini octo placentas, & quatuor alteri imposuisset, aut quatuor tribus ordinibus, nihil inserviebat. Si de quatuordecim duos ordines efformasset; Rabi dicit, reputantur superiores perinde ac deessent, & inferiores sunt legitimæ. Quomodo thuris acerras ordinabant? Uni ordini unam acerram, & alteri alteram imponebat; si sine thure acerras imposuisset, aut thus sine acerris, aut aliquid interesset inter acerras & panem & mensam, erant illegitimæ. Aba Saul dicit; in spatio duorum palmorum, qui intercedebant inter utrumque ordinem, collocabat; Quomodo igitur explicabitur; Levit. XXIV. 7. *Et pones super eos thus lucidissimum?* Ut totum sit pani proximum. Quomodo ordinabat cannas? Post Sabbathum ingrediebatur, extollebat summitatem placentæ, & cannam supponebat; extollebat summitatem secundæ, & cannam supponebat; & spatium in medio remanebat; & tres singulis placentis supponebat, & superiori duas, quia superiori non inerat onus, & inferior super aurum mensæ posita erat. *Schilte Haggibborim ibid.* Octo & viginti dimidiæ cannæ erant, quatuordecim pro singulis ordinibus, propterea quod primus panis mensæ imponebatur, & deinde pani tres dimidias cannas imponebat, & illæ ab stipitibus fulciebantur, & his secundum panem imponebat, & hoc modo usque ad quintum, & sexto duas tantum dimidias cannas imponebat.

26 Mensæ duæ &c. *Tosaphta Menachoth.* Quomodo introducebant panem facierum? Vigilia Sabbathi a sua forma extrahebat, & mensæ, quæ erat in Ulam prope portam domus imponebat, & mane quando adspersus erat sanguis Sacrificii jugis, accipiebant duo Sacerdotes duas acerras, in quibus duos thuris pugillos reponebant. *Codex Menachoth ibid.* Duæ erant mensæ in porta Ulam intra portam templi, una erat marmorea, altera aurea; marmoreæ imponebatur panis facierum in introitu, aureæ vero in exitu, nam in Sanctis adscendunt, non descendunt. *Codex Schechalim* VI. 4. Duæ etiam mensæ erant in porticu intra portam Sanctuarii, una erat marmorea, altera vero aurea, marmoreæ imponebant panes propositionis, cum ipsos in Sanctuarium portabant, aureæ vero illos imponebant, cum illos ex Sanctuario efferebant. Nam in rebus Sanctis semper adscendunt non descendunt. Una denique tabula aurea erat ab intra, & supra ipsam perpetuo expositi erant panes propositionis.

27 In longitudinem &c. *Schilte Haggibborim* XXXIII. Ejus longitudo patebat cubitum, & ejus latitudo cubitum quadratum, & altitudo duos cubitum quadratum, cubito quinque palmorum juxta sententiam R. Jehudæ *Menachoth* XI.

28 Situm erat &c. *Tosaphta Joma* II. 19. Ingrediebatur & ambulabat in templo donec perveniret inter altare aureum & candelabrum; & altare erat ipso interius. Mensa sita erat ad septentrionem a tertia parte domus & interius distans a pariete duos cubitos cum dimidio. Altare aureum erat in medio contra duo Arcæ latera protractum versus orientem, & omnia sita erant a tertia parte domus & interius. *Schilte Haggibborim ibid.* Altare aureum situm erat a tertia parte templi & interius remotum a candelabro juxta ejus distantiam ab aquilone.

29 Atque tria hæc &c. *Babyl. Joma fol.* 33. 2. Traditio. Mensa erat ab aquilone, a pariete remota cubitis duobus & dimidio. Candelabrum erat ab austro remotum etiam a pariete cubitis duobus & dimidio. Altare positum erat in medio protractumque pariter aliquantum versus orientem. *Schilte Haggibborim* XXXI. Et ecce Altare aureum, & candelabrum, & mensa sita erant a tertia parte templi & interius contra velum. Et altare suffitus versus orientem paululum protractum erat, quia textus dicit; *Et candelabrum contra mensam.*

30 Mammæ &c. *Tosaphta Joma* II. 3. Filius Catini fecit labro duodecim epistomia; duodecim Sacerdotes sanctificabantur in ipso eodem tempore; ab initio duo tantum erant, & duo Sacerdotes per ipsum sanctificabantur. *Codex Joma* III. Filius Catini fecit duodecim epistomia ipsi labro, cui nonnisi duo erant. *Babyl. Joma* III. Traditur (sc. 12. *episto-*

mia

mia ab illo confecta fuisse) ut duodecim ejus fratres Sacerdotes sanctificarent manus suas, & pedes suos una pupilla, *sc. uno momento*. *Aruch in voce* דדי'. Instar mammarum muliebrium, e quibus epistomiis scaturiunt aquæ, ut Sacerdotes lavarent manus & pedes suos.

[31] Atque labro &c. *Maimonides ad Thamid* 1. 4. *Et cap.* III. Tractatus Joma jam expositum est, quod ben Catin fecerit vas aliquod aqua plenum circum labrum, ne aquæ pernoctando polluerentur, nempe ne aquæ pernoctarent in labro post consecrationem, nam quicquid in vase ministerii pernoctaverit, id pollutum censetur. *Bartenora ibid. Ben Catin*; ita vocabatur Pontifex maximus, qui מוכני fecerat pro labro, cujus ope aquam haurire poterant e puteo labri, quoties quis accederet ad se lavandum, ne aqua pernoctando inficeretur, nam quidquid in vase ministerii consecratum est, id pernoctando inficitur, & dum labrum demissum erat in puteo, ea non inficiebatur.

פרק רביעי

א. אבן היתה בקדש הקדשים במערבו שעליה היה הארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה אהרן ובעת שבנה שלמה את הבית וידע שסופו ליחרב בנה בו מקו' לגנוז בו הארון למט' במטמוניות עמוקות ועקלקלות ויאשיהו המלך צוה וגנזו במקום שבנה שלמ' שנ' ויאמר ללוים המבינים לכל ישראל הקדשים לה' תנו את ארון הקדש בבי' אשר בנה שלמה בן דוד מלך ישראל אין לכם משא בכתף עתה עבדו את ה' אלהיכם וכו' ונגנז עמו מטה אהרן והצנצנת ושמן המשחה וכל אלו לא חזרו בבית שני ואף אורי' ותומי' שהיו בבי' שני לא היו משיבין ברוח הקדש ולא היו נשאלין בהן שנאמר עד עמוד כהן לאורי' ותומי' ולא היו עושין אותן אלא להשלים שמנה בגדים לכהן גדול כדי שלא יהא מחוסר בגדי

ב. בבית ראשון היה כותל מבדיל בין הקדש ובין קדש הקדשי' עביו אמה וכיון שבנו הבית שני נסתפק להם אם עובי הכותל היה ממדת הקדש או ממדת קדש הקדשים לפי' עשו קדש הקדשים עביו עשרים אמה תמימות ועשו הקדש ארבעים אמה תמימות והניחו אמה יתירה בין הקדש ובין קדש הקדשי' ולא בנו כותל בבית שני אלא עשו שתי פרכות אחד מצר קדש חקדשים ואחד מצר הקדש וביניהן אמה כנגד עובי הכותל שהיה

CAPUT QUARTUM.

I. IN Sancto Sanctorum [1] lapis situs erat, in quo lapide reponebatur arca fœderis. [2] Intra arcam ad partem anteriorem condita erat urna mannæ, & virga Aaronis. Quoniam igitur [3] Salomo, cum ædificaret templum, cernebat futurum esse ut aliquando templum hoc suum disturbaretur, jussit arcæ fieri latebram penitus in terra abditam inter multiplices recessus & tortuosos. In hac latebra Salomonis jussit arcam abscondi Rex [4] Josias, de quo scriptum legitur: *Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite arcam in Sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David Rex Israel; nequaquam enim ultra portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro*, &c. (2. *Paral.* 35. 3.) Ac cum arca simul virga Aaronis, urna mannæ, & oleum unctionis absconditum est, quorum omnino in secundo templo restitutum est nihil. Quin etiam *[5] Urim & Tummim quæ fuerant in æde secunda nullum responsum reddebant, nec vero consulebantur. Huc enim spectat illud Esdræ: *Donec surgeret sacerdos cum Urim & Tummim*. [1. *Esdræ* 1. 63.] Nullam igitur aliam ob causam tunc quidem fiebant, [7] nisi ut vestes summi sacerdotis omnibus numeris essent absolutæ, quippe quem suis privari vestibus non licebat.

II. In æde prima murus erat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, qui murus cubitum unum spissus erat. Ædes vero secunda cum ædificaretur, [9] addubitatum est utrum fuisset ejus muri spissitudo ex spatio Sancti, an ex spatio Sancti Sanctorum. Attribuerunt igitur longitudini Sancti Sanctorum viginti cubitos integros, & cubitos integros quadraginta longitudini Sancti, & spatium insuper unius cubiti medium reliquerunt inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. Murum igitur inter Sanctum & Sanctum Sanctorum intergerinum in æde secunda omnino nullum ædificarunt: [10] verum * vela sunt adhibita duo: unum ab extrema parte Sancti, & alterum ab extremo Sancto Sanctorum. His intermedium erat spa-

בראשון

I. *Urim & Tummim*. De ratione Urim & Tummim, item & de modo consulendi ac respondendi accurate disputabitur inferius in Tractatu de Apparatu Templi.

II. *Vela sunt adhibita duo*. Idem hoc esse factum in templo illo, quod Herodes instauravit, diserte narrat Josephus belli Judaici lib. 5. cap. 4.

בראשון אבל במקדש ראשון לא היתה שם אלא פרכת אחת בלבד שנאמר והבדילה הפרכת לכם וכו׳

ג. ההיכל שבנו בני הגולה היה מאה אמה על מאה אמה על רום מאה וכן היתה מדת ורמו כנו גבוה ששה אמה אטום סתום כמו יסוד לו ורום כותלי הבית ארבעים אמה ורום הכיור שבתקרה אמה ועל גביו גובה שתי אמות פנוי שיכנס בו הדלף והוא הנקרא בית דילפ׳ ועובי התקרת שעל גבי בית דילפא אמה ומעזיב׳ גובה אמה ועליה בנוייה על גביו גוב׳ כותליה ארבעי אמה ובנגה גובה אמה כיור ומאתים גובה בית דילפא ואמה תקרה ואמה מעזיבה וגובה המעקה שלש אמות וטס של ברזל כמו סייף גובהו אמה על גבי המעקה סביב כדי שלא ינוחו עליו העופו׳ והוא הנקר׳ כלה עורב הרי הכל מאה אמה

ד. מן המערב למזרח מאה אמה וזהו חשבונן ארבעה כתלים זה לפנים מזה וביניהן שלש מקומות פנויין בין הכותל המערבי ובין הכותל שלפנים ממנו חמשה אמות ובין כותל שני ושלישי שש אמות ובין כותל שלישי ורביעי שש ואלו המדות של עובי הכותל עם המקו׳ הפנוי שבין שני כותלי׳ ואורך קודש הקדשים עשרים אמה ובין שתי הפרכות המבדילות בינו ובין הקדש אמה ואורך הקדש ארבעים אמה ועובי הכותל המזרחי שבו השער שש אמות והאולם אחת עשר׳ אמות ועובי כותל האולם חמש אמות נמצא הכל מאה אמה

ה. מן הצפון לדרום מאה אמה עובי כותל האולם חמש אמות ומכותל אולם עד כותל הקודש עשר אמו׳ וכותלי הקודש ששה זה

tium unius cubiti: idque vacuum, quod illius in æde prima muri latitudinem repreſentabat. Nam in æde prima velum erat omnino unum. Scriptum eſt enim: *Ut velum id Sanctum a Sancto Sanctorum dividat.* (*Exod.* 26. 33.)

III. Quod reduces a captivitate templum ædificarunt, id partes in omnes [11] centum erat cubitorum. Atque hac ratione ejus erat deſcripta altitudo ac diſpoſita. Principio [12] baſis erat alta cubitos ſex, quæ ſolida prorſus atque oppilata erat quaſi fundamenti loco. Deinde parietes ædis excitabantur ad [13] altitudinem quadraginta cubitorum. Tum erat cœlatum atque laqueatum tabulatum altitudine cubiti. [14] Super hoc duorum cubitorum relinquebatur vacuum, quod, quoniam pluviæ guttæ inſtillarent, impluvium nominabatur. Tum altitudine cubiti tabulatum erat, & altitudine cubiti tectorium ſuperne inductum. Præterea [15] cœnaculum exurgebat, cujus parietes quadraginta cubitos erant alti, cui cœlatum & laqueatum erat altitudine cubiti tectum, & ſupra hoc duorum cubitorum altitudine impluvium: rurſuſque unius cubiti tabulatum, & unius cubiti tectorium: tum erat podium altitudine trium cubitorum, ex quo denique ferrea quædam lamina cubitum alta & eadem veluti gladius peracuta undequaque ſurgebat, quæ volucres impediret, quominus in podio reſiderent. Hæc * corvi conſumtor appellabatur, ſic erant cubiti centum altitudinis deſcripti.

IV. Centum vero cubitorum [16] ab occidente ad orientem intercedentium fuerat iſta ratio: Erant parietes quatuor alius interior alio, & tria inter hos inania. Ab pariete occidentis ad proxime interiorem intercedebant cubiti quinque: intercedebant ab ſecundo ad tertium cubiti ſex, & totidem ad quartum a tertio. Quas quidem menſuras explebat latitudo parietis conjuncta vacuo duobus parietibus intermedio. Jam Sanctum Sanctorum [17] longum erat cubitos viginti, & inter duo vela Sanctum Sanctorum a Sancto ſeparantia cubitus intererat unus. Jam quadraginta cubitos in longitudinem patebat Sanctum: tum paries orientis latus erat cubitos ſex: in hoc pariete porta templi inerat: porro veſtibulum erat cubitorum [18] undecim, & veſtibuli paries latus erat quinque cubitos. Habes & horum centum cubitorum rationem.

V. Jam vero ab [19] aquilone ad auſtrum centum erant cubiti. Paries veſtibuli latus erat cubitos quinque. Ab pariete veſtibuli ad Sancti parietem intercedebant cubiti decem. Porro parietes ſancti ſex erant, alius

לפנים

III. *Corvi conſumtor*. Quoniam acquieſcentium in ſe avium pedes findebat. Nempe corvus hoc loco omne genus avium ſignificabat.

IV. פשפש. Hujus verbi ſignificatio eſt ſane multiplex & varia. Interdum eſt ſumma trabium capita, quæ extra ædificium prominent: interdum eſt cimex fœdiſſimum animal: nonnunquam oſtiolum, ut hoc loco definitur a Majemonide.

לפנים מזה ובינה' חמש' מקומו' פנויין בין כותל החצון ובין השני חמש אמות ובין שני ושלישי שלש אמו' וחמש בין שלישי ורביעי ובין רביעי וחמישי שש ובין חמישי וכותל הפנימי שש נמצ' בכל ארבעים אמה מצד זה וארבעים אמה מצד זה שכנגדו ורוחב הבית מבפני' עשרי' הרי מאה אמה

ו. הפשפש והוא שער הקטן ושני פשפשין היו להיכל מצדי השער הגדול שבאמצע אחד בצפון ואחד בדרום שבדרום לא נכנס בו אדם מעולם ועליו הוא מפורש על ידי יחזקאל השער הזה סגור יהיה לא יפתח ושבצפון בו נכנסין ומהלך בין שני הכתלים עד שמגיע למקום פתוח לקדש משמאלו ונכנס לתוך ההיכל ומהלך עד שער הגדול ופותחו

ז. השער הגדול היה רחבו עשר אמות וגובהו עשרים אמה וארבעה דלתות היו לו שתים בפנים ושתים בחוץ החיצונות נפתחות לתוך הפתח לכסות עוביו של כותל והפנימיות נפתחו' לתוך הבית לכסות אחורי הדלתות

ח. פתחו של אולם היה גבוה ארבעים אמה ורוחב עשרים ולא היה לו שערים וחמש מלתראות של מילא היו על גבי פתחו מלמעלה התחתונ' עודפת על הפתח אמה מזה ואמה מזה וכל אחת בחמשתן עודפת על שלמטה ממנה אמה מזה ואמה מזה נמצאת העליונה שלשים אמה ונדבך של אבני' היה בין כל אחת ואחת

ט. ההיכל היה בניינו רחב מלפניו וצר מאחוריו כמו ארי ויציעי' היו מוקפין לבית כולו מסביב חוץ לכותל המסבה ויציע התחתונה חמש ורובד על גבה שש ויציע אמצעית שש ורובד על גבה שבע והעליונ' שבע שנ' היציע התחתונה וגו' וכן היו השלש יציעי' מקיפי' לבית משלש רוחותיו וכן סביב לכותלי האולם מלמטה עד למעלה כן

interior alio, & inter hos quinque inania: ab extimo pariete ad secundum cubiti intercedebant [20] quinque: Abs secundo ad tertium cubiti tres: inter tertium & quartum quinque: sex inter quartum & quintum, & tantundem inter quintum, & parietem intimum: ex quibus una conjunctis omnino cubiti quadraginta conficiuntur ex ædis uno latere: atqui idem prorsus erat in opposito latere: tum in intima æde viginti cubitorum erat spatium; ex quibus omnino fit centum cubitorum summa.

VI. * פשפש est parvum ostiolum. Ejusmodi erant [21] in templo duo ab ejus, quæ inter utrumque media erat, portæ magnæ lateribus: unum ad septentrionem: alterum ad meridiem. Per illud meridiei nemo homo introivit unquam, quia de illo vates Ezechiel: *Porta hæc clausa erit: non aperietur*. (*Ezech.* 44. 2.) [22] Per hoc autem septentrionis introibat ministrorum aliquis, ac procedebat inter duos parietes tamdiu dum pervenisset ad eum usque locum, qui erat apertus in Sanctum ad lævam. Et hac in templum ingressus recta pergebat ad templi portam magnam, quam aperiebat.

VII. * Magnæ portæ latitudo [23] cubitorum erat decem, & viginti cubitorum altitudo. Erant autem isti portæ [24] valvæ quatuor: duæ intus, & duæ foris. Exteriores aperiebantur intra portam ita, ut operirent muri latitudinem: & interiores intra templum aperiebantur, atque ita, ut partes post se positas obtegerent.

VIII. [25] Ostium vestibuli cubitos erat altum quadraginta, latum viginti: id vero valvis instructum non erat. [26] Quercinæ trabes quinæ signis atque picturis ornatæ supra ostii superliminare sic erant dispositæ, ut earum inferior excederet ostium utrinque cubito, & reliquarum deinceps superior proxime inferiorum tantundem excedebat utrinque. Itaque trabium illarum suprema cubitorum erat triginta: Atque inter singulas corium erat lapidum.

IX. [27] Ædificium templi parte anteriori latius, augustatum erat posteriori, qualis est figura leonis. Jam * appendices erant omni ædi circundatæ extra ambitus parietem. [28] Erat structura inferior quæ patebat cubitos quinque, atque huic impositum superne tabulatum patebat sex cubitos. Et structura media item patebat cubitos sex: huic quod erat impositum superne tabulatum patebat cubitos septem, & tantundem structura suprema. Id enim significat quod scriptum videmus: *Tabulatum quod subter erat*, &c. [1. *Reg.* 6. 6.] Atque ejusmodi appendicibus ædes erat [29] partibus e tribus

VII. *Magnæ portæ*. Erat omnino ista templi porta magna, neque tamen omnium maxima; nam major hac erat porta vestibuli.

IX. *Appendices*. Trium videlicet tabulatorum, ut proxime sequenti art. differitur.

Atque inter singulos spatium. Planum scilicet & æquum.

היו השלש יציעים מקיפין לבית משלש רוחותיו וכן סביב לכותלי האולם מלמטה עד למעלה כך היו אמה אחת חלק ורובד שלש אמות ואמה חלק ורובד שלש אמו' עד למעלה ונמצאו הרובדין מוקפין לכתלים רוחב כל רובד שלש אמות עד למעלה ובין כל רובד ורובד אמה ורובד העליון היה רוחבו ארבע אמות

י. כל אלו המקומות הפנוי' שבין הכתלים הם הנקראים תאים נמצאו התאי' המוקפין למקדש חמש מן הצפון וחמש מן הדרום ושלש מן המערב ושלש דיוטות היו דיוטא על גבי דיוטה נמצאו חמשה עשר תאים בדרום חמשה על גבי חמשה וכן בצפון חמשה עשר ושמנה תאים היו במערב שלשה על גבי שלשה ושנים על גביהן בדיוטא אחת הכל שמנה ושלשים תאים

יא. שלשה פתחים היו לכל אחת ואחת מן התאים אחד לתא מן הימין ואחד לתא מן השמאל ואחד לתא שעל גביו ובקרן מזרחית צפונית בתא שבדיוטא האמצעית היו חמשה פתחים אחד לתא מימין ואחד לתא שעל גביו ואחד למסיב' ואחד לתא שיש בו הפישפש ואחד להיכל

יב. ומסיבה היתה עולה מקרן מזרחית צפונית לקרן צפונית מערבית שבה היו עולין לגגו' התאי' היה עולה במסיבה ופניו למערב הלך את כל פני הצפון עד שהוא מגיע למערב הגיע למערב הפך פניו לדרום הלך את כל פני המערב עד שהו' מגיע לדרום הגיע לדרום הפך פניו למזרח והיה מהלך לדרום עד שהו' מגיע לפתחה של עלייה שפתחה של עלייה היה פתוח לדרום

יג. ובפתחה של עלייה היו שתי קלונסות של ארז שבהן עולין לגגה של עליה ושני פיספסין היו מבדילין בעלייה בין גג הקוד'

circumdata. Tum vestibuli quoque parietes ab imo ad summum ita fuerant distincti, ut in iis primo spatium esset unius cubiti planum & æquum, tum prostaret eminentia ad altitudinem trium cubitorum, deinde succederet etiam spatium unius cubiti planum, & huic eminentia trium cubitorum, & sic deinceps ad fastigium usque. Quibus igitur erant isti parietes distincti eminentiis, harum singulæ tres patebant in latitudinem cubitos, * atque inter singulos spatium unius cubiti intercedebat. Suprema vero eminentia cubitos in latitudinem patebat quatuor.

X. Omnia loca ista parietibus intermedia [30] *thalami* nominabantur. [31] Thalamorum igitur templo circundatorum quinque siti erant in parte aquilonari, in australi quinque, & in occidente tres. Atqui horum thalamorum erant tabulata tria super alio aliud ita, ut in parte australi essent thalami quindecim: nempe super quinque inferioribus alii quinque, & super his etiam quinque alii. Erant item quindecim ad septentriones. In occidente vero erant omnino octo; nam duo inferiora tabulata continebant quodque tres, & supremum duos. Itaque omnes omnino thalami erant duodequadraginta.

XI. Thalamorum singulis erant [32] januæ tres: una quæ aperiebatur in thalamum dextrum: altera quæ in lævum: tertia quæ aperiebatur in thalamum proxime superiorem. [33] Ad angulum vero orienti & septentrioni intermedium thalamo medii tabulati januæ erant quinque: una aperiebatur in thalamum dextrum: altera in superiorem: * tertia in thalamum, cui a gradibus nomen erat: quarta in thalamum, in quo & parvum erat ostiolum; quinta in templum ipsum aperiebatur.

XII. [34] Gradus erant sensim excitati ab angulo inter orientem & septentrionem medio ad communem septentrioni & occidenti angulum, per quos * ascensus dabatur in tecta thalamorum. [35] Per hos gradus qui ascendebat, is spectans ad occidentem latus aquilonare perambulat: & cum latus occidentis attigerat, tum ore ad austrum verso totam occidentis partem perambulabat: Post cum ad latus australe pervenerat orientem spectans secundum australe latus ambulabat usque ad cœnaculi januam, quæ versus austrum aperiebatur.

XIII. In ista cœnaculi janua [36] cedrinæ trabes erant duæ, quibus in tectum nitebantur cœnaculi. Jam in cœnaculo summa trabium capita dividebant tectum Sancti a

לנן

XI. *Tertia in thalamum*. Hic Majemonides abutitur nomine thalami: neque enim orientem versus erat thalamus, sed murus duntaxat: verum enim in eo muro fortassis erat spatium quoddam vacuum, id quod Gallice *embrasure* vocatur. Atque ideo dicitur in eo parvum esse ostiolum, quia vacuum illud non omnem sic, ut ostium, muri spissitudinem penetrabat.

XII. *Ascensus dabatur*. Non in primo statim latere, sed in tribus simul.

לגג קדש הקדשים ולולין היו פתוחין בעלייה לבי' קדש הקדשים שבהן משלשין את האומנין בתיבות כדי שלא יזונו עיניהם מבית קדש הקדשי' ופעם אחת בשנה מפסח לפסח מלבנין את ההיכל :

tecto Sancti Sanctorum. Præterea autem erant in eodem cœnaculo 37 oſtiola quædam aperta in Sanctum Sanctorum. Per hæc enim fabri dimittebantur arcis incluſi, ut ne Sancto Sanctorum paſcerent oculos. Porro ſingulis annis ad Paſchæ tempus templo tectorium album inducebatur.

NOTÆ IN CAPUT QUARTUM.

[1] Lapis erat &c. *Toſaphta; Joma* 11. 22. Lapis ibi erat a tempore priorum Prophetarum, & lapis fundationis vocabatur, cui ab initio impoſita fuit Arca, poſtquam abducta fuit Arca, ſuper ipſum incendebant ſuffimentum in loco interiori. *Codex Joma* V. 2. Ex quo abducta eſt Arca; lapis ibi erat a diebus priorum Prophetarum, & lapis fundationis vocatus fuit, altus a terra tribus digitis, & ſuper ipſum thuribulum collocabat. *Vide Maimonidem cap.* IV. *de die Expiationum; & R. Jacob Jehuda Arie de* Templo *lib.* 3. *Portenta de hoc lapide narrantur a Judæis. Zohar in Exod. col.* 398. Lapis ipſe vocatur שתית, quia ex eo plantatus eſt mundus (*& diffundebat*) ad omnia latera, alii dicunt vocari ita, quaſi ש"ת"ית poſuit Deus, quia Deus poſuit eum ut eſſet fundamentum mundi, & plantatio omnium. *Jonathan Paraphraſtes in Exod.* XXVIII. 30. *loquens de lapidibus pectoralis ſummi Pontificis.* In eis exſculptum erat, & expoſitum nomen illud Dei, magnum, & ſanctum, quo creati ſunt trecenti & decem mundi, quodque ſculptum & expoſitum quoque erat in lapide fundationis, per quem Dominus mundi obſignavit oſtium abyſſi magnæ a principio. *Vide reliqua Tomo II. Theſauri pag.* 486. *& cl. Haſæi de hoc lapide diſſertationem.*

[2] Intra Arcam &c. *Uberrime de his egimus Tomo II.* Theſauri pag. 395. *in notis* ad Relandi Antiquitates ſacras.

[3] Salomo &c. *R. David Kimchi ad 2. Chronic.* XXXV. 3. Dicunt enim fuiſſe lapidem in Sancto Sanctorum ad occidentalem ejus partem, cui Arca fuerit impoſita, & ante eam urna mannæ, & Virga Aaronis; Salomonem enim quando ædificavit templum, cum præſciviſſet illud vaſtandum eſſe, extruxiſſe locum quendam pro abſcondenda Arca infra (*ſub illo lapide*) per loca abdita profunda, & tortuoſa, quem locum obtexerit lapis ille. *Abarbanel commentar. in Daniel. cap.* 9. v. 34. Et adytum in medio domus intrinſecus præparavit, ut eo reponeretur Arca fœderis Domini.

[4] Joſias &c. *R. David Kimchi ibid. Dixitque*, (Joſias) *Levitis qui erudiebant univerſum Iſraelem, & qui conſecrati erant Domino. Ponite Arcam ſanctitatis in domo, quam ædificavit Salomon filius Davidis Rex Iſraelis.* Fortaſſis extulit eam inde Menaſſe, cum ſculptile poſuiſſet in domum Dei. Mirandum tamen eſt, quod eam non reſtituerit, poſteaquam humiliatus pœnitentiam egit, & idolum illud e domo Dei removit. Rabbini noſtri tradiderunt illum his verbis præcepiſſe, ut Arcam abſconderent, ne una cum ceteris captivis abduceretur &c. Joſiam itaque hic præcipere, ut illo in loco abſcondant Arcam, ſicut dicitur; *Ponite Arcam ſanctitatis &c.* Et ſic illos abſcondiſſe cum Arca ſimul Virgam Aaronis, urnam mannæ, & oleum unctionis ſacrum. *Abarbanel ibid.* Joſias enim ex Hulda prophetiſſa reſciſcens, tandem vaſtatum iri Templum, præcepit Levitis, ut abſconderent Arcam fœderis in domo, quam ædificavit Salomon, ne diriperent eam inimici, ſicut cetera vaſa Sanctuarii. Et hæc vera eſt expoſitio. Nam ſi aliter eſſet, quid ſibi vellet, quod hic præciperet, ut reponeretur Arca in domum ſive templum, in quo jam per quadringentos annos fuerat? Scimus enim eam non fuiſſe ablatam cum reliquis vaſis, quæ abduxit rex Babel. *At optime Raſchi hunc locum interpretatus eſt.* Juxta ſenſum literalem (*inquit*) tranſtulerunt Menaſſe & Ammon Arcam, & in ejus loco poſuerunt ſculptilia, ſicut dictum eſt 2. *Paral.* XXXIII. 7. *Sculptile quoque & conflatile ſignum poſuit in domo Dei* &c. Idcirco juſſit Joſias conſtitui & poni Arcam in loco ſuo, quem ædificavit Salomon. *Vide Hieroſ. Sekalim, R. Bechai in legem* fol. 199. *& notas noſtras ad cap.* 11. *Toſaphta Joma, quibus hæc commenta refutavimus.*

[5] Cum Arca &c. *Gemara Joma ad cap.* 1. Iſtæ ſunt quinque res, quæ fuerunt in Sanctuario primo & non fuerunt in Sanctuario ſecundo, nempe Arca ſacra cum operculo propitiatorio, & Cherubim, ignis cœleſtis, majeſtas divina, Spiritus ſanctus, Urim & Thummim. *Aruch in radice* כבר. Scriptum eſt ואכבר, & legimus ואכברה. Quid docet nos iſta diverſitas? Quinque res quæ defuerunt in templo ſecundo ex templo primo nempe Arca, operculum, & Cherubim una res, divina majeſtas res ſecunda; Spiritus ſanctus, quæ eſt prophetia, res tertia; Urim & Thummim res quarta; Ignis de cœlo res quinta. *R. Bechai in ſectione* ויגש. Scriptum eſt ואכבר cum defectu literæ ה, quia defuerunt ibi quinque res, Arca, oleum unctionis, ignis cœleſtis, divina majeſtas, Urim & Thummim. *Abarbanel ad Hagg.* I. Verum ſciendum eſt non ſolum quinque illas res defuiſſe in templo ſecundo; nam & candelabrum, & menſa, & omnia vaſa Tabernaculi, & aulæa, & ejus aſſeres, cum reliquis quæ Moſes fecit in deſerto, urnula item mannæ, virga Aaronis, & oleum unctionis; hæc inquam omnia abſcondita fuerunt, neque redierunt in templo ſecundo. Hoc vero ideo factum eſt, quia non conveniebat, ut illis tabernaculi vaſis, quæ Moſes pro Iſraelitis fecerat, uterentur in captivitate, ſed quando Iſraelitæ omnes eſſent in terra ſua. Ideo cum major pars tribuum erant in captivitate, neque reverſæ fuerunt, par non fuit, ut paucæ tribus reverſæ uterentur. Sic quia oleum unctionis ſacræ proprium fuit Regum de domo Davidis, abſconditum manet, donec regnum revertatur ad domum ſuam. Quinque autem rerum deficientiam duntaxat mentionem faciunt Sapientes noſtri, quia illæ erant univerſales, populo neceſſariæ, & fundamenta totius ſanctitatis templi, divinitatiſque ejus. *Midraſch Schir haſchirim ad Cantic.* VIII. 8. fol. 38. Rabbini noſtri exponunt hunc verſum de abductis in captivitatem. *Soror noſtra parva eſt*; hi ſunt abducti in captivitatem. *Parva*, ſic dicuntur quia fuerunt debiles inter populos, *& ubera non ſunt ei*; hæ ſunt quinque res, quæ in templo ſecundo defuerunt, nempe ignis cœleſtis, Oleum unctionis, Arca, Spiritus ſanctus, Urim & Thummim. *Vide Hieroſ. Taanyóth. cap.* 2.

[6] Urim &c. *Sota fol.* 48. 2. Ex quo vaſtata eſt domus Sanctuarii prioris, ceſſarunt civitates refugii, Urim & Thummim, & Rex de domo Davidis. *Abarbanel ibid.* Summus Sacerdos toto tempore Templi ſecundi non reſpondit per Urim, & Thummim, idque duas ob cauſas; *primo*, quia ibi non fuerunt omnes tribus Iſraelis, ſed tantum tribus Juda, & Benjamin. Reliquas enim tribus captivas abduxerat Rex Aſſyriæ. Hinc non occupavit Sacerdotem magnum Spiritus ſanctus, qui ſuper ipſo reſidere ſolebat propter XII. tribus, quando ſc. illæ eſſent in terra ſua; *ſecundo*, quia Scripturæ ſanctæ nominis tetragrammati expoſiti, quas Moſes duplicationi pectorali indidit, non amplius penes ipſos fuerunt, occultatæ enim fuerunt cum pectorali primo, quod Moſes fecerat. Hæc vero erant ipſa ſubſtantia Urim & Thummim, unde iis deficientibus, principale defecit pectorali, ac proinde non reſpondebat. Fortaſſis ad hoc reſpexit Deus, cum Moſi diceret. *Et indes in pectorale judicii Urim & Thummim*, ſignificans illum, & neminem alium ea debere indere.

[7] *Donec ſurgeret* &c. *Sota ibid.* Quod ſi quis tibi obganniat, & opponat locum *Eſræ* II. 63. *Reſponſio eſt*, hoc quod dicitur עד עמוד הכהן לאורים perinde valere, ac ſi quis ſocio ſuo diceret, uſque dum reſuſci-

suscitabuntur mortui, vel veniet Messias filius Davidis. *R. Salomon ad h. l.* Non possum verba hæc explicare de templo secundo, quia in c. 1. *tractatus Joma* diserte reperimus, quod domus secunda caruerit Urim & Thummim. *Aben Esra sic explicat, Donec surgeret Sacerdos* ראוי dignus, vel idoneus ad Urim, & Thummim. Nam Urim & Thummim, quæ Moses fecerat, fuerunt abscondita, nec dum alia in illorum locum facta fuerunt. *Don Joseph Aben Jechija; donec surgeret Sacerdos cum Urim & Thummim*, quod erit tempore futuro (*Messiæ*) Nam sub templo secundo non fuerunt Urim & Thummim. *Neque enim in Templo secundo Urim & Thummim fieri necesse erat, cum in eo versatus fuerit Jesus Christus*, qui erat lux vera, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *de quo explicandus est superior Esræ textus.*

8 Nisi ut vestes &c. *Joma cap.* I. Urim & Thummim habuerunt; nam alioqui Sacerdos magnus non omnes vestes Sacras habuisset, sed non respondebant iis, qui ea consulebant.

9 Murus erat &c. *Kimchi ad 3. Reg.* VI. 21. Erat murus e regione oraculi dividens inter oraculum & templum, in loco, ubi in tabernaculo erat velum, & muri latitudo erat unius cubiti. *Schilte Haggibborim* XIV. Ceterum de voce Terakſin, & ejus etymologia scribit *Raschi* f. m. Terakſin vocabatur murus intergerinus, qui dividebat in primo Sanctuario. Terakſin significat intus & foris, uti inveni in *Gemara Hierosolymitana*, & argumentum hujus rei, ubi dicit antiquos homines pios introduxisse suos fructus per טרקסמון, ut ad decimas obligarent, hinc discimus טרק significare *introducere*. Hactenus verba *Raschi*. Et *Autor Aruch* in voce טרקסין scribit in principio *Gemaræ Bava Bathra*, in secundo Sanctuario cur non constructus est cubitus Terakſin? commentatur hoc modo. Terakſin est vox græca significans intus & foris; atque ita legitur in *Hierosolymitana*. Autores vero *Tosaphoth* scribunt. Terakſin declarat *Raschi* f. m. intus, & sunt qui explicant טרקו גלי *claudite portas*, quia intra ipsum clausæ erant tabulæ, quæ in Sinai datæ erant. Hactenus *Autores Tosaphoth*. *Et R. Bartenora* IV. 7. *Middoth Tosaphoth* sententiam amplectitur, neque eorum ullam facit mentionem, & dicit; paries, qui inter Templum & Sanctum Sanctorum dividebat, vocabatur Terakſin, quia claudebat Arcam, & tabulas in Sinai datas, nam טרק Syriace (vel potius *Chaldaice*) notat claudere, ut טרוקו גלי, & סין. *Et Autor Aruch* in voce טרק, quæ est tertia significatio hujus dictionis, quæ legitur in *Gemara Berachoth cap.* IV. & *cap.* X. *Bava Chama*, & *cap.* VII. *Bava Metzia*, & cap. X. *Erubbin*, & cap. IV. *Avoda zara* reddidit vocem טרק juxta suum sensum, & claudit suum ordinem hac phrasi, *circum ædificavit adversum me ut non egrediar*; Thren. III. 7. *conclusit me ut non egrediar* a טריקא, id est septum. Et noster Præceptor in *Misnam* jam dictam Middoth scribit. Murus qui dividebat inter templum, & Sanctum Sanctorum vocabatur *Terakſin*, ubi erat porta, cui impositum erat velum; ecce quod explicat sua verba contra ac existimaverat *Karo*, ut jam dixi. Verum ego quoque, qui sum vermis, & non homo, referam meam opinionem, & juxta explicationem *Aruch* fuse loquar, quod juxta meam sententiam vox Terakſin sit græca, eaque corrupta, quia dicendum esset Tekosin pro Terakſin, quia Tekos apud Græcos scriptum cum Tau, Epsilon, Jota, Ki, & Omicron, & Sigma, designat inclusorem, custodem, ita ut etymologia vocis Tekosin sit velum loco parietis, qui includebat, & custodiebat Sanctum Sanctorum interius. *Vide Joma* fol. 52. 1. ubi Glossa; טרקסין significat intus & exterius, mediastinum scilic. *In Jalkut* fol. 100. 1. *scribitur* טרכסין, sic in *Gemara Hierosol. Celaim.* fol. 31. 3.

10 Addubitatum est &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Quod spectat ad vela, omnes sapientes conveniunt, in prima domo fuisse parietem, qui dividebat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum; & quando reduces e captivitate ædificarunt secundam Sanctam domum, addubitarunt, utrum spissitudo cubiti muri intergerini includeretur in quadraginta templi cubitis, & res, quam separabat, distaret a pariete occidentali uno & viginti cubitis integris, & ejus Sanctitas esset Sanctitas exterior, an comprehenderetur in viginti cubitis Sancti Sanctorum, & ejus Sanctitas esset Sanctitas interior; idcirco removerunt in secundo Sanctuario crassitiem parietis exterioris a pariete templi & Sancti Sanctorum, & huic cubito imposuerunt velum interius, & aliud velum exterius, ita ut crassities illius parietis, qui ibi dividebat, comprehenderetur a duobus velis, & hoc modo una simul separarent inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.

11 Verum vela &c. *Tosaphta Joma* II. 19. Ambulabat in templo, donec perveniret inter duo vela, quæ inter Sanctitatem, & Sanctum Sanctorum dividebant, inter quæ interstitium erat unius cubiti, hic erat locus oraculi, quod fecit Salomon. R. Jose dicit; unum duntaxat ibi erat velum, sicuti dictum est; & dividet *vobis velum*; Exod. XXVI. 33. Quid igitur dicendum *inter Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuaria?* Illis respondit inter Sanctitatem superiorem, & Sanctitatem inferiorem; alia glossa; inter Nob & Gabaon, & Silo, & domum seculorum. Exterius duplicatum erat a meridie, & interius a septentrione. *Joma* V. In Sanctuario ibat, donec inter duo vela pervenerat, quæ inter Sanctum & Sanctum Sanctorum dividebant, & cubito inter se distabant. R. Jose dicit; unum duntaxat erat velum, ut velum id Sanctum a Sancto Sanctorum dividat; exterius duplicatum erat a meridie, & interius a septentrione. Hinc illustratur Apostoli ad Hebræos IX. *Μετὰ δὲ δεύτερον καταπέτασμα, σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων.*

12 Centum erat &c. *Middoth* IV. 6. Templum erat latitudine, & longitudine 100. cubitorum, cum altitudine centum. *Schilte Haggibborim* XIV. Nunc dico altitudinem templi juxta sententiam nostrorum Rabinorum in Middoth cap. IV. 6. fuisse centum cubitorum.

13 Basis erat &c. *Middoth ibid.* Solum sex cubitorum. *Schilte Haggibborim ibid.* Basis oppilata erat sex cubitorum; & hæc basis oppilata erat fabrica occlusa, ut sit fundamentum domus, quæ super eam ædificabatur, super quam parietes exstruebantur juxta sententiam *R. Obadiæ* f. m. Et hæc basis oppilata secundum R. Semanja in commentario in Misnam, erat limen e terra altum in fabrica occlusa forma decenti pro fundamento domus. Et quamvis noster præceptor f. m. in commentario Misnæ *Middoth* dicat, quod ædificaverint in ipso solo fundamentum, cui imposuerunt parietes; ut videatur ex ejus verbis, basis in solo fuisse comprehensa; tamen in constitutionibus domus electæ in capite, qui incipit; *lapis erat in Sancto Sanctorum*; paragrapho 3. his verbis scribit, quæ solida prorsus atque oppilata erat quasi fundamenti loco &c. hinc dicendum, quod ille hoc loco etiam sentiat, *basim* in solo non fuisse inclusam, quomodo putat R. Semanja f. m. & ratione adducimur, quod alta esset e terra sex cubitos, cum autor Misnæ eam includat in altitudine templi, at si in solo comprehenderetur, non posset includi in numero ceterarum altitudinum, quæ in Misna describuntur.

14 Ad altitudinem &c. *Middoth ibid.* Altitudo deinde 40. cubitorum; trabes everganeæ cubiti. *Schilte Haggiborim ibid.* Post basim oppilatam excitabatur paries domus in altitudinem 40. cubitorum, & trabes everganeæ cubiti; & quia obducta *hæc pars* fuit auro, & figurata pulchris figuris vocabatur כיור.

15 Super hoc &c. *Middoth ibid.* Et duorum cubitorum intertignium, deinde coassatio unius cubiti, & nucleus cubiti. *Schilte Haggiborim ibid.* Et duorum cubitorum בית דלפא i. e. intertignium, nempe tigna superiora, quæ inferioribus fulciebantur, erant duorum cubitorum crassitiei, & appellabantur בית דלפא, quia tabulæ contignationis per ea connectebantur; nam Chaldaice connexio dicitur בית לופי; Neque mirari licet, tignum inferius, cui totum innitebatur, fuisse crassitiei unius cubiti, & tigna superiora, quibus tantum onus non imponebatur, fuisse crassitiei duorum cubitorum; nam tignum inferius, quandoquidem valde latum erat, crassitie unius cubiti fortissimum erat ad sustinendum magnum ædificium; At tigna superiora, quæ nonnisi palmum aut minus lata erant, crassiora esse debebant. Vel etiam tigna superiora duos cubitos crassa erant, ad distinguendum contignationem a tigno inferiori, quia elegantissimis figuris depictum erat, & si tectum vicinum, ac veluti affixum ei fuisset, figuræ conspicuæ

non

non fuissent. Præterea dixerunt nostri Rabbini; & coassatio unius cubiti; nam tabulæ, quæ trabibus everganeis impositæ erant, erant cubitum crassæ; & nucleus cubiti; nam lutum, lapides, & calx, impositæ tabulis, quæ trabibus everganeis innitebantur, erant pariter cubiti unius.

[16] Cœnaculum &c. *Middoth ibid.* Altitudo autem cœnaculi 40. cubitorum; & ulterius erant unius cubiti trabes everganeæ; duorum cubitorum intertignium; coassatio unius cubiti; & crusta cubiti; triumque cubitorum erat lorica, denique cubiti unius erat tænia vel potius acroterium: R. Jehuda inquit, non surgebat tænia supra illam loricæ quantitatem, sed lorica erat quatuor cubitorum. *Schilte Haggiborim ibid.* Altitudo secundi cœnaculi erat 40. cubitorum, & unius cubiti trabes everganeæ, duorum cubitorum intertignium, & coassatio unius cubiti, & nucleus cubiti; trium cubitorum lorica; & cubiti *tænia, quæ dicta* consumens corvos, quæ erat lamina ferrea instar ensis acuta, alta cubitum, & posita erat supra loricam, ne ibi aves insiderent, ideoque consumens corvos vocabatur, quia illinc corvos consumebat; Ecce altitudo templi erat 100. cubitorum, sicuti dixerunt nostri Sapientes, quorum verba hoc loco descripsi.

[17] Ab occidente &c. *Middoth* IV. 7. Ab oriente ad occidentem 100. cubiti. Murus pronai erat 5. πρόναον ipsum 11. murus templi sex; & fanum 40. cubitorum, unius cubiti spatium intergerini parietis; 20. cubitorum adytum, murus templi 6. & murus thalami 5. *Vide Schilte Haggibborim ibid. & Maimonidem, & Bartenoram in hunc locum.*

[18] Longum erat &c. *Kimchi ad 3. Reg.* VI. 2. *Habebat sexaginta cubitos in longitudine. Tota domus,* inter oraculum & templum; quia quadraginta cubitorum erat templum in longitudine, & oraculum viginti cubitorum in longitudine & latitudine, in mensura domus quadratum erat oraculum. *Idem ibid.* v. 16. *Et fecit interiorem domum oraculi.* Quod erat interius fecit oraculum, ut esset Sanctum Sanctorum, quia erat sanctius templo. *Porro quadraginta cubitorum.* Nunc dividit sexaginta cubitos, quos supra commemoravit in mensura longitudinis domus; sc. nunc dividit, dicendo, fuisse oraculum viginti cubitorum, & quadraginta templum. *Ralbag ad 3. Reg.* VI. 2. *Domus autem quam ædificavit rex Salomon Domino habebat sexaginta cubitos in longitudine.* Ecce domus hæc comprehendit locum Sancti Sanctorum, & locum Sancti; & ecce locus Sancti Sanctorum erat interior ad latus occidentale absumens ex ipsa domo viginti cubitos, ibique erat Arca fœderis Domini; & qui reliqui erant quadraginta cubiti, erant locus Sancti, ibique erat mensa &c. *Raschi ibid.* Sexaginta cubitos; Oraculum & templum simul.

[19] Undecim &c. *Raschi ad Ezech.* XL. 48. *Quinque cubitis.* Atque etiam in vestibulo domus secundæ, ubi discimus parietem fuisse quinque cubitorum, & vestibulum undecim. *Kimchi ibid. Longitudine autem vestibuli viginti cubitorum*; longitudinem contra latitudinem templi; *Et latitudinem undecim.* Sic erat in domo secunda, uti discimus in *Middoth* . *Et Ulam undecim cubitorum*; At in ædificio Salomonis latitudo erat undecim cubitorum sicuti longitudo.

[20] Ab aquilone &c. *Middoth ibid.* Ab aquilone ad austrum 70. cubiti. Murus ipsius circuitus 5. & thalamus 6. murus templi 6. & fanum ipsum 20. cubitorum; murus templi 6. thalamusque sex, & murus thalami quinque; impluvium autem trium cubitorum; murus denique quinque cubitorum. *Vide Schilte Haggibborim ibid. & Maimonidem, & Bartenoram in h. l.*

[21] Quinque &c. *Kimchi ad Ezech.* XL. 7. *Et inter thalamos quinque cubitos.* Explicat quantum spatium intercederet inter thalamos; sc. murus medius inter duos thalamus erat latus quinque cubitos. Et sic interpretatur *Jonathan*. Et inter thalamos murus quinque cubitorum. Et thalami erant intra murum; & quinque loci erant divisi, hic altero interior a pariete montis templi.

[22] In templo duo &c. *Middoth* IV. 2. Duo ostiola erant portæ magnæ; unum ad aquilonem, alterum ad austrum, per id quod ad austrum nemo ingreditur in æternum; Et de hoc explicite traditum est per Ezechielem; nam dictum est; *Et dixit Dominus ad me; porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa. Ezech.* XLIV. 2. *Tamid* III. 7. Accedebat ad januam septentrionalem, duæ enim erant januæ in porta magna, quarum una ad septentrionem, altera ad austrum, per illam quæ ad austrum, nunquam ingressus est ullus homo, & de ea explicatum est per Ezechielem; *Porta hac clausa erit &c. Schilte Haggiborim* XXXI. Et duo ostiola ibi erant, unum ad dextram portæ magnæ templi, & alterum ad sinistram, paululum distantia a porta magna; per illud quod ad austrum, nemo ingrediebatur, uti explicatum est in *Ezechiele &c.*

[23] Per hoc autem &c. *Middoth ibid.* Sumit quis clavem, aperitque ostiolum, ingrediturque in thalamum, & ex thalamo in templum. R. Jehuda dicit, quod eat per medium densitatis muri, donec consistat inter binas valvas, aperiatque exteriores intrinsecus, & interiores extrinsecus. *Tamid ibid.* Sumebat clavem, & aperiebat ostium, veniebat in conclave, & ex conclavi in templum, donec appropinquaret ad portam magnam, removebat vectem, & pessulos, aperuitque eam. *Schilte Haggiborim ibid.* Sumebat clavem, & aperiebat ostiolum quod erat ad aquilonem, & introibat in thalamum, i. e. in thalamum, qui aperiebatur in templum, & a templo ibat usque ad portam magnam, quæ erat in fine crassitiei parietis interioris, & aperiebat, & veniebat ad secundam portam, quæ erat in fine crassitiei parietis exterioris, & intus stabat, & aperiebat. R. Jehuda dicit; per medium densitatis parietis ambulabat; putans, quod a thalamo non ingrederetur in templum, sed a thalamo ambularet in medio densitatis parietis, donec consisteret inter duas valvas interiores, & exteriores portæ magnæ; & aperiret pessulos valvarum exteriorum, quæ templum respiciebant, & pessulos valvarum exteriorum, quæ Ulam respiciebant.

[24] Latitudo &c. *Middoth* IV. 1. Portæ templi altitudo erat 20. cubitorum, & latitudo 10. cubitorum. *Schilte Haggiborim ibid.* Porta templi erat alta 20. cubitos, & 10. lata.

[25] Valvæ quatuor. *Middoth ibid.* Habebatque quaternas valvas, binas intus, & binas foris, quia dicitur ושתים דלתות להיכל ולקדש. *Ezech.* XLI. 23. Exteriores aperiebantur intra portam tegendo muri crassitiem, interiores vero aperiebantur intra ædem obtegendo quod a tergo erat valvarum, quia tota ædes erat obducta auro præterquam a tergo valvarum. R. Jehuda inquit; intra portam consistebant, erantque similes scamno plicatili spondæ, & retro plicabantur singulæ ad duos cubitos cum dimidio (prætrea hinc inde postes dimidii cubiti) quia dicitur; ושתין דלתות לדלתות שתים מוסבות. *Ezech. ibid.* unis foribus duæ valvæ, & duæ valvæ alteris. *Kimchi ad 3. Reg.* VI. 34. *Et duo ostia de lignis.* Postquam dixit duas valvas, venit ad dicendum fuisse portæ oraculi quatuor valvas, pariterque portæ templi. Et sic dictum est in ædificio Ezechielis. XLI. 23. *Et duo ostia erant in templo, & in Sanctuario; & in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola.* Et Rabbini nostri f. m. explicant, quod exteriores valvæ aperirientur intra portam ad tegendum crassitiem muri templi, & interiores aperirentur intra domum ad tegendum posteriora valvarum, quia tota domus erat abducta auro exceptis posterioribus valvarum. *Vide ibid. Raschi. Schilte Haggiborim ibid.* Et super ipsam erat velum, sicuti dictum est, & etiam quatuor valvæ constitutæ & infixæ in stipitibus portæ. *Vitruvius* scriptor vocavit cardines portæ in suo secundo libro cap. 8. & lib. 10. cap. 17. *Orthostata*, quia erant semper recti, non in obliquo positi. Ex his quatuor valvis duæ erant foris, & duæ intus, sicuti dictum est ושתים דלתות להיכל ולקדש, Et ecce crassities muri templi erat sex cubitorum, & in postremo cubito densitatis muri versus Ulam erant duæ valvæ exteriores, una ad dextram, altera ad sinistram portæ; & in fine crassitiei parietis versus templum erant duæ valvæ interiores, una ad dextram & altera ad sinistram; & singulæ valvæ cum interiores tum exteriores latæ erant quinque cubitos, & quando claudebantur, & se mutuo contingebant, claudebant latitudinem portæ, quæ erat decem cubitorum; & idcirco cum aperirentur introrsum valvæ exteriores, singulæ valvæ ad dextram, & sinistram, tege-

tegebant crassitiem parietis templi, qui erat utrinque quinque cubitorum, & cum valvæ interiores versus templum aperirentur, una valva tegebat quinque cubitos parietis templi ab una parte, & altera quinque cubitos parietis ab altera parte, quo loco paries non erat auro obductus, sicuti cæteræ templi partes, quia non erat conspicuus murus, qui post valvas non erat inauratus. R. Jehuda dicit intra portam consistebant, erantque similes איצטרמיטא; & Autor *Aruch* legit veluti אצטרבא מיטא. Et Rabini in *Bereschit Raba* איסטרופי מיטא ut scamilli plicatiles spondæ erant fores, sc. plicatiles retro, quæ in se reduci possent; constitit Jacob post januam, usquedum ingressus est Esau & egressus est, super textu, *Vix egrediendo egressus est Jacob*; (*sic Hebræus*) Genes. XXVII. 30. non dicit nisi vix egrediendo egressus est, videbatur egressus, & jam non erat egressus. Et addit R. *Nathan* in hac eadem voce; græce, quod contorquetur, & convolvitur, astrap vocatur. Verum ego nescio unde hanc vocem deducat; contra vero, mihi constat, quod *astrabilis* scriptus alpha, sigma, tau, ro, alpha, beta, ita, sigma, designet id, quod contorqueatur, aut id, quod non duplicetur. R. tamen *Bartenora* legit איצטרמיטא, forsitan est vox syriaca; & explicat; i. e. erant tabularum fragmenta, ope vertebrarum conjuncta, quæ complicabantur unum super aliud; & hujusmodi erant omnes valvæ tam interiores, quam exteriores, ope vertebrarum conjunctæ, & in crassitie extremi dimidii cubiti parieti constitutæ erant omnes valvæ interiores, & exteriores, & quinque cubiti densitatis parietis dividebant inter valvas exteriores & interiores, & quælibet janua erat quinque cubitorum e duabus tabulis juncta, & quævis tabula erat duorum cubitorum cum dimidio; quando autem exterior janua intus aperiebatur, una pars media alteri applicabatur, crassitiemque parietis tegebat in quantitate duorum cubitorum cum dimidio. Sic etiam quando janua interior aperiebatur foris, pariter illa complicabatur, & tegebat duos cubitos cum dimidio, qui reliqui erant de crassitie muri detecti, sicut dicitur; ושתי דלתות לדלתות שתים מוסבות *duabus foribus duæ valvæ, & duæ valvæ alteris.*

[26] Ostium vestibuli &c. *Middoth ibid.* Ostium propylæi erat altitudine 40. cubitorum, ejusque latitudo erat 20. *Schilte Haggiborim* cap. XXIX. omnibus constat, quod ex omnibus portis Sanctuarii nulla erat major porta Ulam; nam reliquis portis altitudo erat 20. cubitorum, & latitudo 10. Hujus autem altitudo erat quadraginta cubitorum, & latitudo 20.

[27] Quercinæ trabes &c. *Middoth ibid.* Et quinque everganeæ trabes e ligno gallæ, i. e. robore erant in ejus summitate; infima redundabat super portam cubito hinc & inde, & hæc superior redundabat super ipsam cubito hinc & inde; deprehendebatur, supremam esse 30. cubitorum, seriesque sive corium lapidum erat inter singulas. *Schilte Haggibborim ibid.* Et quinque tigna lignea, nempe erant quædam trabes figuris ornatæ, & cælatæ ex arbore, in qua gallæ crescunt, quæ a nobis מילין appellantur; illæ erant supra portam Ulam; Trabs inferior sita erat super limine per latitudinem suam, & viginti cubitos lata erat; & redundabat cubito hinc & inde super latitudine portæ, ita ut esset latitudo trabis 22. cubitorum, seriesque lapidum erat inter hanc & secundam trabem, ita ut trabs se mutuo non contingerent; & hic ordo servabatur inter quinque trabes, quæ ibi positæ erant. Secunda trabes, quæ collocata erat super primam, hinc inde cubito super eam prominebat, & longa erat 24. cubitos. Tertia, quæ erat super secundam, longa erat 26. & quarta 28. & quinta 30.

[28] Latius &c. *Middoth* IV. 7. Templum erat angustum a parte posteriori, sed latum ab anteriori, referebatque leonis figuram, quia dictum est; *Væ Ariel, ubi castrametatus est David*; quemadmodum leo arctior est a parte posteriori, latior autem ab anteriori; ita templum angustius ab posteriori, latius vero ab anteriori erat. *Raschi ad Ezech.* XLI. 12. Longitudo ædificii thalamorum & loci vacui septuaginta cubitorum ad aquilonem & ad austrum, excepta domo secespitarum, quæ cum eo non computatur; quia prominebat extrinsecus ad aquilonem & ad austrum, neque æquiparabat reliquum ædificium, quia domus anterius erat latior triginta cubitis, quam posterius, uti discimus; Ulam præ templo excellebat quindecim cubitos ad aquilonem, & quindecim cubitos ad austrum, & hæc vocabatur domus secespitarum, ubi recondebant secespitas. *Kimchi ibid.* Atrium, quod erat domus, cum ædificio, quod erat ad aquilonem & ad austrum latum erat ad occidentem septuaginta cubitos, & ab oriente centum cubitos, quia ibi supererant triginta cubiti; quod Ulam excellebat præ templo quindecim cubitis hinc, & inde quindecim cubitis, ubi sita erat domus secespitarum. *Schilte Haggibborim* cap. XXIV. Templum erat angustum a parte posteriori, sed latum ab anteriori; & simile erat Leoni, sicuti dictum est; *Væ Ariel Ariel civitati ubi castrametatus est David*; quemadmodum leo latus est a parte anteriori, & arctus a parte posteriori: ita templum est angustum a posteriori, & latum ab anteriori. Scito lector, nostros Rabinos pios aliquando templum appellare illam tantum partem domus, quæ lata erat quadraginta cubitos, & viginti lata, extra quam ad orientem erat Ulam undecim cubitos longum, & quod supererat in latitudine templi quindecim cubitos ad latus meridionale, & quindecim cubitos ad latus septentrionale; & præterea ad latus occidentale erat Sanctum Sanctorum, quod erat quadratum viginti cubitorum, & hoc erat verum templum. Verum aliquando Rabini nostri appellarunt templum totium illud spatium, quod supra dicta tria loca simul conjuncta comprehendebant; idcirco quando dixerunt, templum fuisse latum a parte anteriori, & a posteriori angustum, credo illos comprehendisse supra dictum illud spatium, non vero templum peculiare; & hoc modo, erat latius a plaga orientali, & ab occidentali angustius; quia templum latum erat ab aquilone ad meridiem 70. cubitos, sicuti explicatum est in cap. IV. 7. *Middoth.* Et Ulam, quod præ ipso erat, a plaga orientali patebat ab lateribus templi quindecim cubitos ad latus septentrionale, & quindecim cubitos ad meridionale; & vocabatur locus secespitarum; neque protractum erat ab oriente ad occidentem nisi duntaxat contra Ulam; Deprehenditur templum generaliter sumtum ad orientem fuisse latum centum cubitos propter locum secespitarum, qui ibi situs erat, & augustum fuisse a parte interiori, ubi solum latum fuit 70. cubitos.

[29] Erat structura &c. *Middoth* IV. 4. Pteroma infimum quinque cubitorum erat, & tabulatum sex, medium deinde sex cubitorum, ejusque tabulatum septem cubitorum, supremum denique septem cubitorum; quia 3. Reg. VI. 6. dicitur. *Pteron infimum erat quinque cubitorum latitudine sua, & medianum sex cubitorum latitudine sua, tertium vero septem cubitorum latitudine sua.* *Raschi* ad 3. *Reg.* VI. 6. *Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis*: Quare? *Quia diminutiones dedit domui in circuitu extrinsecus* (sic Hebræus) Murus thalami quinque cubitorum, & quando paries templi assurgebat quinque cubitos, diminuebatur ejus crassities, & in eo retrahebatur cubitus extrinsecus ut ibi imponeretur ingressus capitum tignorum tecti tabulati thalami qui erat pavimentum medii, & quando assurgebat decem cubitos, retrahebatur cubitus, ut ibi imponerentur capita tignorum tabulati thalami, qui erat pavimentum superioris, deprehenditur medius latior inferiori uno cubito, & superior medio uno cubito. *Ut non hærerent muris templi*. Ne hærerent capita tignorum per foramina muris templi, quia destrueretur murus, neque decebat. *Idem ad Ezech.* XLI. 6. *Et non attingerent parietem domus*. Capita eorum ingrediebantur in latus parietis templi, & perforabant in retractionibus, quia murus templi prominebat in thalamos, uti dictum est in ædificio Salomonis; *Quia diminutiones dedit domui in circuitu extrinsecus*. Thalamus inferior erat latus quinque cubitos in ejus vacuo, & tabulatum sex cubitos, murus templi retrahebatur superius uno cubito; ideoque vacuum medii erat latum sex cubitos, & tertius septem cubitos latus, & erat tabulatum medii, quia murus templi retrahebatur cubito superius &c. Et ideo dicit; *Et non attingerent parietem templi*. Non perforabant in pariete templi, sicut reliqua capita tignorum humilium figuntur in pariete alto, quæ murum perforant, & figuntur capita tignorum in fo-

rami-

raminibus. ורחבה: Et thalami aſſurgentes dilatabantur ſuperius, uti explicavi, medius inferior erat latior uno cubito, & uno cubito ſuperior medio. *Kimchi ad 3. Reg.* VI. 6. *Diminutiones dedit domui per circuitum forinſecus*. Sc. quia murus templi inferius erat latus, & adſcendendo erat anguſtus extrinſecus e regione thalamorum, ideoque thalamus inferior erat latus quinque cubitos, & contignatio inferioris, quæ erat pavimentum medii, poſita erat a latere templi ſuper pariete templi, uno cubito, & ſuper hoc cubito non erat ædificium, quia vacuum erat thalami medii, & paries templi erat illo arctior, qui erat inferius uno cubito, tota altitudo thalami medii erat quinque cubitorum, & hæc ſunt diminutiones quas dicit dediſſe domui extrinſecus. Ecce medius erat latus ſex cubitos cum cubito, qui addebatur in latitudine in pariete domus, & contignatio medii, quæ erat pavimentum ſuperioris, qui erat tertius, ponebatur ſuper pariete templi, uno cubito; ecce ſuperior erat latus ſeptem cubitos, quia duo cubiti addebantur in latitudine in pariete templi; ecce paries templi ſuperius erat arctior illo, qui inferius erat in inferiori, duobus cubitis; & hoc factum eſt, ne hærerent tigna thalamorum parietibus templi in foraminibus, quæ fiunt in parietibus, ſed ſuper diminutionibus imponerentur tigna thalamorum; quia non poſſunt fieri foramina in pariete. *Domus autem cum ædificaretur*. Hac de cauſa prius commemoratur; *ut non hærerent muris templi*. Ideo neceſſe erat fieri diminutiones in pariete templi, ut ibi imponerentur capita tignorum thalamorum; quia non poterant fieri foramina in pariete, ut ibi ponerentur tigna, ſicuti fieri ſolet in reliquis ædificiis profanis; *Quia malleus & ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur*. Et lapides ædificii erant omnes unius menſuræ; ſi ita eſt; non erat conveniens fieri foramina in ædificio parietis, & fieri foramina poſt ædificatum parietem, & præterea non erat conveniens; *quia malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur*; Et hac de cauſa intulerunt hunc verſiculum inter narrationem thalamorum, & narrationem portarum thalamorum. Vide eumdem ad Ezech. XLI. 6.

30 Partibus e tribus &c. *Raſchi ad 3. Reg.* VI. 6. *In lateribus per circuitum*. E regione templi, & domus Sancti Sanctorum, quæ eſt oraculum fecit thalamos extrinſecus ad meridiem, occidentem, & aquilonem. *Kimchi ibid.* v. 8. Multi erant thalami in circuitu domus extrinſecus, in tribus lateribus, ſc. in meridie, occidente, & aquilone. *Idem ad Ezech.* LXI. 6. At dicit thalamum inferiorem fuiſſe quatuor cubitorum, & ibi (*nempe 3. Reg. 6.*) quinque, cubitorum; & thalami illi fuerunt in tribus parietibus domus extrinſecus in occidente, aquilone, & meridie, & iſti per circuitum.

31 *Thalami* vocantur &c. *Raſchi ad 3. Reg.* VI. 6. יצע vernacule אפנט״יץ; & tribus nominibus appellatur צלע תא יצע, ſic explicatur in *Bava Bathra*. *Kimchi ibid.* יצע. Vocatur etiam צלע, & appellatur תא. *Et fecit per circuitum totius domus*, per circuitum templi, & oraculi extrinſecus; & thalami vocantur צלעות, quia tribus nominibus appellantur. *Idem ad Ezech.* XLI. 6. Et צלע erat התא, & היצע commemoratus in ædificio Salomonis, & *Jonathan* interpretatur מחציתא *ſc. tabulatum*, pariterque ibi ita reddit.

32 Thalamorum &c. *Middoth.* IV. 3. Ibi erant octo & triginta thalami, quindecim ad ſeptentrionem, quindecim ad auſtrum, & octo ad occidentem. Eorum, qui ad Septentrionem & ad auſtrum, quinque erant impoſiti aliis quinque, deinde quinque ſuper impoſiti iſtis; eorum, qui ad occidentem, tres impoſiti tribus, deinde duo ſuperimpoſiti iſtis. *Raſchi ad 3. Reg.* VI. 6. In ſingulis lateribus erant thalami tres, alius ſuper alio, & menſura longitudinis hic non commemoratur, at in *Middoth* diſcimus octo & triginta fuiſſe thalamos. *Idem ad Ezech.* XLI. 6. Et in domo ſecunda erant octo & triginta *thalami*, quindecim in aquilone, & quindecim in auſtro, quinque ſuper quinque, & quinque his ſuper impoſiti, & octo in occidente &c. *Kimchi ad Ezech.* l. c. Et in domo ſecunda erant thalami, qui vocantur צלעות, octo & triginta, quindecim in aquilone, & quindecim in auſtro, & octo in occidente, eorum, qui erant, in aquilone, & in auſtro, quinque ſuper quinque, & quinque his ſuperimpoſiti; & eorum, qui erant in occidente, tres ſuper tribus, & duo his ſuperimpoſiti. *Schilte Haggiborim ibid.* Et triginta octo thalami ibi erant, quindecim ad aquilonem & quindecim ad auſtrum, & octo ad occidentem; qui ad aquilonem & ad auſtrum, quinque ſuper impoſiti quinque, & quinque his ſuperimpoſiti; eorum qui ad occidentem, tres impoſiti tribus, deinde duo iſtis impoſiti.

33 Januæ tres &c. *Middoth ibid.* Tres portas habebant ſinguli, unam ad thalamum dexterum, alteram ad thalamum ſiniſtrum, tertiam ad thalamum ſuperiorem. *Raſchi ad 3. Reg. VI. Oſtium lateris medii in parte erat domus dexteræ*. Jonathan interpretatur תיכונה *mediam* tanquam inferiorem in mediam, inter ſuperiorem; & inferiorem quia quinque thalamis auſtralibus erat porta extrinſecus in ſerie inferiori &c. *Per cochleam adſcendebant in medium cœnaculum*. התיכונה Jonathan interpretatur מציעיתא *medium*. Hi thalami non erant aperti niſi extrinſecus; ſed tres portæ erant ſingulis, ut diſcimus ex *Middoth*; una in thalamum dexterum, altera in ſiniſtrum; tertia in thalamum ſuperiorem; hinc docetur ſingulis ex inferioribus, qui erant in pariete auſtrali, fuiſſe portam extrinſecus, & per hanc portam ingreſſum patuiſſe in omnes. *Schilte Haggiborim ibid.* Tres portas habebant ſinguli, unam ad thalamum dexterum, alteram ad thalamum ſiniſtrum, tertiam ad thalamum ſuperiorem.

34 Ad angulum &c. *Middoth ibid.* Et in angulo inter orientem & ſeptentrionem erant quinque portæ, una ad thalamum dexterum, altera ad thalamum ſiniſtrum, tertia ad ſcalas cochlides quarta verſus oſtiolum, ultima ad ipſam ædem. *Kimchi ibid.* Et thalamis qui erant in domo ſecunda, erant ſingulis ſeptem portæ, una in thalamum dexterum, altera in thalamum ſiniſtrum, & alia in thalamum his impoſitum, & alia in ſcalas cochlides, & alia in oſtiolum, & alia in templum. *Schilte Haggibborim ibid.* Et in angulo inter Orientem & aquilonem erant quinque portæ, una in thalamum dexterum, altera in thalamum ſibi impoſitum, tertia in ſcalas cochlides, quarta verſus oſtiolum, ultima in ipſam ædem.

35 Gradus erant &c. *Middoth ibid.* Cochlea ſurgebat a cornu Cæciam ſpectante inter orientem & ſeptentrionem verſus cornu caurum ſpectans inter ſeptentrionem & occidentem, qua adſcendebant in thalamorum tecta. *Raſchi ad 3. Reg.* VI. 8. *Et per cochleam*. Jonathan interpretatur מסיבתא ſc. *cochleas*, & ſic vocantur lingua noſtra, vernacule וי״ץ, & Germanice ווינד״לס שט״ין, & hoc ædificium erat columna lapidea, cui fiunt gradus; & qui per eam ambulat videtur circumire ambiendo columnam, & per eam adſcendunt quot gradus alta eſt. *Idem ad Ezech.* XLI. 7. *Aſcendens ſurſum per cochleam*. מסיבה, quæ vernacule vocatur וי״ץ erat ædificium lapideum ſimile columnæ, & in ea erant gradus, & qui per eam adſcendit, videtur ambulando circumire columnam lapideam; & Germanice vocatur ווינד״לס שטי״ץ; & erat eadem quæ commemoratur in ædificio Salomonis. *Et per cochleam adſcendebant in medium cœnaculum*. *Kimchi ad 3. Reg.* VI. 8. Et nunc dicit, quomodo adſcendebant ex hoc in illud, non gradibus lapideis, & ligneis, ſed בלולים *ſc. per cochleas*. Et בלולים ſcriptum eſt cum ו dagheſſato. Et בלול erat columna vacua, cui fiunt gradus in circuitu, & qui per eam adſcendit, ambiendo adſcendit, pariterque qui per eam deſcendit, ambiendo deſcendit; Et Jonathan ובלולים interpretatur ובמסבתא *& per cochleas*. Et ſic reddit verſiculum. *Porta tabulati infimi erat aperta in latus domus dexteræ*; *Et per cochleas adſcendebant ex infimo in ſuperius per medium*. Et nonnulli לול interpretantur ארובה *ſc. feneſtram*, nempe quod per feneſtram adſcenderent ex hoc in illud. *Idem ad Ezech.* XLI. 7. *Et per cochleam*. Nempe per cochleam adſcendebant ſupra in thalamos, uti dictum eſt Reg. ibid. *Et per cochleam adſcendebant in medium cœnaculum, & a medio in tertium*. Et בלול aut הלול erat ædificium ſimile columnæ vacuæ, cui faciunt tanquam gradus circum circa, & qui per eam adſcendit, ambiendo adſcendit; uti diſcimus *ex Middoth*. Et cochlea erat a cornu &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Cochlea ſurgebat ab cornu orientali boreali ad cornu boreale occidentale, qua adſcendebant in thalamorum tecta.

35 Per

36 Per hos gradus &c. *Middoth ibid.* Adſcendebat quis per oſtiolum facie ſua occidenti obverſa, ibatque per totum latus ſeptentrionale donec perveniret ad occidentem, ubi perveniſſet ad occidentem obvertebat faciem auſtrum verſus, ibatque juxta occidentem donec perveniret ad auſtrum, cum perveniſſet ad auſtrum, facie ad orientem obverſa, ibat ſecundum auſtrum, donec perveniret ad portam cœnaculi, i. e. ἀνώγεω, ſive ὑπερῴου; nam porta ὑπερῴου verſus auſtrum aperiebatur. *Schilte Haggibborim ibid.* Adſcendebat quis per cochleam facie ſua occidenti obverſa, ibatque per totum latus ſeptentrionale, donec perveniret ad occidentem; ubi perveniſſet ad occidentem, obvertebat faciem ortum verſus, ibatque per totum latus occidentale, donec perveniret ad auſtrum; ubi perveniſſet ad auſtrum, facie ad orientem obverſa, ibat per latus orientale, donec perveniret ad portam loci ſuperioris; nam porta loci ſuperioris aperiebatur verſus auſtrum.

37 Cedrinæ trabes &c. *Middoth ibid.* Et in porta ὑπερῴου erant duæ trabes cedrinæ, quibus adſcendebant in tectum ὑπερῴου. Atque proceribus ſive trabium capitibus diſtinguebant in cœnaculo inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. *Schilte Haggiborim ibid.* Et in porta loci ſuperioris erant duæ trabes cedrinæ, quibus adſcendebant in tectum loci ſuperioris; & capita trabium in loco ſuperiori ſeparabant inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.

38 Oſtiola &c. *Peſachim fol.* 26. 1. Feneſtræ erant apertæ in ſummo conclavi domus Sancti Sanctorum. *Middoth ibid.* Foramina etiam erant aperta in cœnaculo ad Sanctum Sanctorum, per quæ catenis demittebant fabros in arcis, ne eorum oculi nutrirentur e Sancto Sanctorum. *Schilte Haggibborim ibid.* Foramina etiam aperta erant in loco ſuperiori ad Sanctum Sanctorum, per quæ demittebant fab os in arcis, ne conſiſtere poſſent ad inſpiciendum Sanctum Sanctorum.

39 Fabros &c. *Toſaphta ad Codicem de vaſis.* Omnes fabricatum intrare poſſunt templum, & propulſatum immunditiem illius; attamen ad Sacerdotes pertinet hoc officium, & ſi non adſint Sacerdotes, intrant Levitæ, ſi nec hi adſint, intrant Iſraelitæ, & ſi hi non ſint puri, intrent impuri, & præceptum etiam poſtulat perfectos, ſi vero non ſint perfecti, intrent imperfecti, ſive vitiis affecti. Et porro præcipitur ut intrent in arcas, ſi vero non ſint arcæ, intrent per januas.

40 Annis &c. *Middoth* III. 4. Eoſdem extergunt bis annuatim, ſemel tempore Paſchatis, iterum feſto Tabernaculorum; Templum vero ſemel ſub ipſum Paſcha.



פרק חמישי

א. הר הבית והוא הר המוריה היה חמש מאות אמה על חמש מאות אמה והיה מוקף חומה וכיפין על גבי כיפין היו בנוי' מתחתיו מפני אהל הטומאה וכולו היה מקורה סטיו לפנים מסטיו

ב. וחמשה שערים היו לו אחד מן המערב ואחד מן המזרח ואחד מן הצפון ושנים מן הדרום רוחב כל שער עשר אמות וגובהו עשרים ויש להם דלתות

ג. לפנים ממנו סורג מקיף סביב גובהו עשרה טפחי' ובפני' מן הסורג החיל גובהו עשר אמו' ועליו הוא אומר בקינו' ויאבל חיל וחומה זו חומת העזרה

ד. לפנים מן החיל העז' וכל העזרה היתה אורך קפ"ז על רוחב מאה ושלשי' וחמש ושבע' שערי' היו לה ג' מן הצפון סמוכין למער' ושלש' מן הדרו' סמוכי' למערב ואחד במזר' מכוון כנגד בית קוד' הקדשי' באמצע

CAPUT QUINTUM.

I. Mons ædis erat mons ille Moria. Is in [1] latitudinem & in longitudinem quingentis æque patens cubitis muro circundatus erat: ſubter eo [2] multi fornices erant extructi, ſuper aliis alii; id adeo ne fieret in eo alicujus * inquinamenti tabernaculum. Item erat undique * inſtructus [3] ſcamnis, quorum aliud alio interius erat.

II. Erant ei [4] portæ quinque: una ad occidentem: una ad orientem: una ad ſeptentrionem: & ad meridiem duæ. Jam cujuſque portæ latitudo patebat cubitos decem, & altitudo cubitorum erat viginti, hiſque fores erant appoſitæ.

III. [5] Intra murum cancellis etiam erat circundatus, qui palmos erant alti decem. Præter cancellos etiam erat altitudine decem cubitorum [6] murus interior. De poſteriori hoc dicitur in Lamentationibus: *Luxitque antemurale.* (*Lament.* 2. 8.) Quod autem ſequitur, *Et murus*, murum ſignificat atrii.

IV. Intra murum illum interiorem erat [7] atrium, cujus tota longitudo ſeptem cubitos & octoginta & centum; latitudo vero quinque cubitos & triginta & centum patebat: huic erant [8] portæ ſeptem: tres ad ſeptentrionem non procul ab occidente: tres ad meridiem item prope ad occidentem: & [9] una ad orientem, quæ erat * [10] contra Sanctum Sanctorum in medio.

ה. כל

I. *Inquinamenti tabernaculum.* Id eſt, ne forte homo mortuus hic occulte humaretur: hoc vero ſpectat ad id quod Moyſes præcepit Num. 19. v. 14.

Inſtructus ſcamnis. His ſcamnorum nomen ducitur non ab uſu, ſed a forma: ſic Vitruvius *ſcamillos* vocat columnarum ſtylobatas, quæ ſcamnorum uſum non habent, ſed formam.

IV. *Contra Sanctum Sanctorum.* Hoc eſt e regione medii templi.

ה. כל שער מהן היה רוחבו עשר אמ' וגובה עשרים אמה והיו לו דלתות מחופות זהב חוץ משער מזרחי שהיה מצופ' נחשת דומה לזהב ושער זה הוא הנקרא שער העליון והוא שער ניקנור

ו. העזרה לא היתה מכוונת באמצע הר הבית אלא רחוקה מדרום הר הבית יתר מכל הרוחות וקרובה למערב יתר מכל הרוחות ובינה ובין הצפון יתר ממה שבינ' ובין המערב ובינה ובין המזרח יתר ממה שבינה ובין הצפון

ז. ולפני העזר' במזרח היתה עזרת הנשים והיא היתה אורך מאה אמה ושלשי' וחמשה על רוחב מאה ושלשים וחמשה וד' לשכות היו בארבע מקצעותיה של מ' אמה ולא היו מקורות וכן עתידין להיות

ח. ומה הם משמשות דרומית מזרחית לשכת הנזירין ששם מבשלין את שלמיהן ומגלחים את שערה מזרחית צפונית לשכת דיר העצים ששם כהנים בעלי מומין מתלעים בעצים שכל עץ שנמצא בו תולעת פסול צפונית מערבית לשכת המצורעים מערבית דרומית בה היו נותנין יין ושמן והיא היתה נקראת לשכת בית שמנים

ט. עזרת הנשים היתה מוקפת גזוזטרא כדי שיהיו הנשים רואות מלמעלן והאנשים מלמטן כדי שלא יהיו מעורבין ובית גדול

V. Singulæ portarum illarum erant latæ [11] cubitos decem, & viginti cubitos altæ: ac ſingulis [12] fores erant extrinſecus inauratæ, præter portam in oriente ſitam, cujus fores erant obtectæ æris illo genere, quod aurum imitatur. Nimirum hæc erat illa, quam portam ſupremam dicebant, quæ eadem eſt * porta Nicanoris.

VI. Atrium [13] non erat plane * in medio monte ædis ſitum, ſed longius diſtabat ab ea parte montis, quæ ſpectabat meridiem, quam a ceteris: & ab occidente montis, quam a reliquis partibus aberat propius. Quod igitur ſpatium inter montem ædis & atrium intererat ab ſeptentrione, id magnitudine ſuperabat illud, quod interjectum erat ab occidente: & quod intercedebat ab oriente majus illo, quod interpoſitum ab ſeptentrione.

VII. Ante hoc atrium ad orientem erat [14] atrium mulierum, cujus longitudo æque & latitudo patebat quinque cubitos & triginta & centum. Hujus in [15] quatuor angulis erant conclavia quatuor, quorum unum quodque tecto carens quadraginta cubitos quaquaverſus patebat: eademque erit etiam futurorum ratio.

VIII. Sed quem tandem ad uſum erant iſta? Nempe [16] quod erat in angulo inter meridiem & orientem intermedio conclave ad coquenda ſacrificia pacifica Nazaræorum, * & capillos tondendos. Quod erat [17] in angulo inter orientem & ſeptentrionem medio conclave ad cædenda ſacrificiorum ligna. Etenim in eo ſacerdotes aliquo * corporis vitio affecti ligna ſacrificiis ſeligebant. Namque profanum habebatur quodcunque lignum cariem traxerat. In angulo [18] inter ſeptentrionem & occidentem medio erat conclave, quo exciperentur purgati * a lepra homines. In angulo [19] inter occidentem & meridiem intermedio id erat conclave, in quo vinum in libamina reponebatur & oleum, quod quidem conclave, vulgo cella olearia dicebatur.

IX. [20] Atrio mulierum erat circundatum podium, ut mulieres ſuperne proſpectarent, inferne vero viri conſiſterent, ne videlicet hi cum illis miſcerentur. Hujus ad atrii latus id quod ad ſeptentriones ſpectabat ex-

V. *Porta Nicanoris*. De hujus portæ foribus ſeu valvis hoc ſcriptum legitur in Talmude tract. Joma cap. 3. fol. 38. p. a. „ Nicanor pietate vir inſigni „ profectus Alexandriam, valvas exquiſiti cujuſdam „ artificii faciendas curavit: has ille cum ad terram „ ſanctam navi veheret, ingenti exorta tempeſtate „ earum unam in mare levandæ navis cauſa proje„ cerunt nautæ: alteram eodem jam dejiciendam „ amplectitur Nicanor, ac profitetur ſe eam non „ eſſe dimiſſurum: ſi in mare dejiciatur, ſe quoque „ una dejectum iri. Reſpexit viri pietatem Deus, „ & ſævientem maris æſtum ſedavit. Immo vero & „ hoc miraculum fecit, ut illa altera, quæ in mare „ dejecta erat, ſub navi præter naturam (erat enim „ ex ære) nataret, atque ſimul una in portum Pro„ lemaidis intraret.

VI. *In medio monte ædis*. Per montem intelligi oportet murum, qui montem cingebat.

VIII. *Et capillos tondendos*. Nazaræorum plerique ad tempus aliquod tantum hanc vitæ rationem tenebant, ut vino abſtinerent, & capillos promitterent. Et iidem completo voti ſpatio ad communem vitæ conſuetudinem redibant poſtquam præſcripta ſibi ſacrificia obtulerant, & capillos tondendos curaverant: id vero in hoc conclavi fieri oportebat.

Corporis vitio affecti. Nam iſti ad cetera altaris munera obeunda non erant idonei.

A lepra homines. Cum primum in templum redirent.

IX. *Appoſita inter atrium*. Nempe mulierum.

היה בצד העזרה בצפונה מבחוץ בין העזר׳ והחיל והיה בנוי כפה ומוקף רובדין של אבן והוא היה נקרא בית המוקד ושני פתחי׳ היו לו אחד פתוח לעזרה ואחד פתוח לחיל

י. וארבע לשכות היו בו שתים קודש ושתים חול וראשי פספסין מבדילין בין הקדש והחול ומה היו משמשות מערבית דרומית לשכת הטלאים דרומית מזרחית לשכת עושי לחם הפנים מזרחית צפונית בה גנזו בית חשמונאי אבני מזבח ששקצום מלכי יון צפונית מערבית בה יורדין לבית הטבילה

יא. היורד לבית הטבילה מלשכה זו היה הולך במסיבה ההולכת תחת המקדש כולו והנירות דולקות מכאן ומכאן עד שמגיע לבית הטבילה ומדורה היתה שם ובית הכסא של כבוד וזהו כבודו מצאו נעול בידוע שיש שם אדם

יב. אורך העזרה מן המזרח למערב מאה ושמנים ושבעה וזהו חשבונן מכותל מערבי של עזרה עד כותל ההיכל אחד עשר אמה ואורך ההיכל כולו מאה אמה בין האולם ולמזבח שנים ועשרים המזבח שנים ושלשי׳ מקום דריסת רגלי הכהני׳ והוא הנקרא עזרת כהנים יא אמה מקום דריסת רגלי ישר׳ והוא הנקרא עזרת ישראל אחד עשרה אמה

יג. ורוחב העזרה מן הצפון לדרום מאה ושלשים וחמשה וזהו חשבונן מכותל צפוני עד בית המטבחי׳ שמנה אמות בית

trinsecus erat magna domus * apposita inter atrium & antemurale. Quæ [21] domus erat camerata & projecturis circundata lapideis: nomen hujus erat *Domus ardoris*. Porro [22] ostia erant ei duo, quorum alterum aperiebatur in atrium, alterum in spatium illud intermurale.

X. Erant in ea domo [23] conclavia quatuor, quorum duo sita erant in ejus spatio sancto, & in profano item duo. Id vero [24] spatium ejus sanctum a profano distinguebant summa trabium. [25] At enim quis & qualis horum erat conclavium usus? Nempe in occidentis & meridiei angulo situm erat conclave agnorum: conclave in angulo orientis & meridiei situm erat eorum qui panes propositionis efficiebant. Jam in illud, quod in [26] angulo orientis & septentrionis situm erat, conclave * seposuerunt Hasamonæi lapides altaris ejus, quod Græciæ reges temeraverant: & per conclave in angulo occidentis & septentrionis situm descendebant in balneum.

XI. [27] Per hoc igitur conclave qui descendebat in balneum per cryptoporticum subter Sanctuario toto diductam ambulabat ad lucernas hinc & inde ardentes usque dum attigisset balneum: ibi focus erat & latrina, cui etiam id honoris habebatur, ut si occlusa reperiretur pro certo haberetur hominem inesse aliquem.

XII. Atrii longitudo ab [28] oriente ad occidentem patebat septem cubitos & octoginta & centum, quorum erat ista ratio. Ab [29] atrii pariete qui spectabat occidentem ad templi parietem undecim intercedebant cubiti: jam totius templi longitudo patebat cubitos centum; & cubiti duo supra viginti [30] inter vestibulum & altare intererant: ipsum autem altare cubitos patebat triginta duos: tum erat spatium per quod ambulandi jus uni sacerdotes habebant, atque adeo atrium sacerdotum nominabatur: id undecim cubitos patebat. Præterea autem & spatium undecim cubitorum erat, in quo ambulandi jus habebant omnes Israelitæ, idque atrium Israelitarum dicebatur.

XIII. Atrii latitudo quæ ab [31] aquilone ad austrum erat, quinque patebat cubitos & triginta & centum, quorum erat ista ratio. Ab pariete aquilonari ad lanienam intercedebant octo cubiti. Jam laniena ipsa

המטבחים

X. *Seposuerunt Hasamonæi*. Hoc videlicet illud est, quod scriptum legitur Machab. 1. cap. 4. v. 46. *Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto*. Fuit illa gens ex vico Modin oriunda, religionis puræ propugnaculum, veræque virtutis exemplum, quæ Judæorum focos & aras ab impietate tyrannorum Græcorum vindicavit fortitudine quadam singulari ac pene incredibili. Huic erat gentile cognomen Hasamonæi, quod quidem ex Josepho historico cum passim „ cognoscere licet, tum vero lib. 11. Antiq. Jud. „ ubi scriptum videmus. Penes Pontifices enim fuit „ summa auctoritas, donec Hasamonæorum gens mu„ tato rerum statu regnum obtinuit. Rursusque libro „ 1. de bello Judaico, ubi narratur istud. Denique „ Matathias Hasamonæi filius, unus ex sacerdotibus „ ex vico, cui nomen Modin est, cum manu dome„ stica, nam quinque filios habebat, sicis armatus, „ Bacchidem occidit, &c. Jam hujus gentis tesseram militarem inscriptam fuisse hoc versiculo, pleno spei ac pietatis erga Deum מי כמוך באלים יהוה *Mi kamoka baelim Jehova*, *Quis sicut tu in Diis Domine*, Exod. 15. 11. quarum vocum Hebraicarum literæ primariæ sunt מכבי *mkbi*, indeque factum esse, ut symbolum hoc, quod *Machabe*, seu *Machabi* legebatur, inderetur genti pro agnomine, atque Machabæi vocarentur, literis proditum est. His autem temporibus agnomen illud notum est magis, quam cognomen gentile.

המטבחים שנים עשר אמות ומחצה ושם תולין ומפשיטין את הקרשים בצידו

יד. מקום השלחנות שמנה אמות ובו שלחנות של שיש שמניחין עליהן הנתחים ומדיחין את הבשר לבשלו ושמנ׳ שלחנו׳ היו ובצד מקום השלחנות מקום הטבעות ארבעה ועשרים אמה ושם שוחטין את הקרשים

יה. ובין מקום הטבעות והמזבח שמנה אמו׳ והמזבח שנים ושלשי׳ והכבש שלשי׳ ובין הכבש ולכותל דרומי שני׳ עשר אמה ומחצה מכותל צפוני של עזרה עד כותל המזבח שהוא רוחב ששים ומחצה וכנגדו מכותל האולם עד כותל מזרחי של עזרה שהוא אורך ששה ושבעים

יו כל המרובע הזה הוא הנקר׳ צפון והוא המקו׳ ששוחטין בו קדשי קדשים

יז. שמנה לשכות היו בעזרת ישראל שלש בצפון ושלש בדרום שבדרום לשכת המלח לשכת הפרוה לשכת המדיחין לשכת המלח שם נותנין מלח לקרבן לשכת הפרוה שם מולחין עורות הקדשי׳ ועל גגה היתה בית טבילה לכהן גדול ביום הכפורים לשכת המדיחין שם היו מדיחין קרבי הקדשים ומשם מסיבה עולה לגג בית הפרוה והשלש שבצפון לשכת הגזית לשכת הגולה לשכת העץ לשכת הגזית שבה סנהדרי גדולה יושבת וחציה היה קדש וחציה היה חול ולה שני פתחים אחד לקדש ואחד לחול ובחצי של חול היו הסנהדרין יושבין לשכת הגולה שם היה׳ בור שממלאין ממנו בגולה ומשם מספקין מים לכל העזרה ולשכת העץ היתה אחורי שתיהן והיא היתה לשכת כהן גדול והיא הנקראת לשכת פרהדרין וגג שלשתן שוה ושתי לשכות אחרות היו שם בעזרת ישראל אחד מימין שער מזרח והוא לשכת פנחס המלביש ואחת משמאלו והוא לשכת עושה חביתין:

patebat cubitos duodecim & semissem, cujus e latere [32] suspensis victimis pelles detrahebantur.

XIV. Tum octo [33] cubitos patebat spatium mensarum: in eo mensæ erant marmoreæ, in quibus [34] disponebantur victimarum artus, & lavabatur caro jam jam coquenda: mensæ vero omnino fuerant octo. Ad harum latus erat spatium [35] annulorum patens quatuor supra viginti cubitos, in quo * mactabantur victimæ.

XV. [36] Inter spatium annulorum & altare cubiti inerant octo. Jam ipsum [37] altare patebat cubitos duos & triginta: & triginta collis: ab hoc ad parietem australem intercedebant cubiti duodecim ac semissis. Itaque ab pariete aquilonari ad altaris crepidinem erat latitudo sexaginta cubitorum & semissis, & exadverso ab pariete vestibuli ad parietem atrii in oriente situm erat longitudo cubitorum septuaginta sex.

XVI. [38] Quadrum hoc totum aquilonare dicebatur. Hoc [39] loco mactabantur victimæ sanctiores.

XVII. In atrio [40] Israelitarum erant [41] conclavia octo: ad aquilonem tria, & tria ad austrum. Nempe [42] erant ad austrum conclave salis, * conclave Parvæ, & conclave lavantium. In conclavi salis sal in sacrificia reponebatur: saliebantur victimarum pelles in conclavi Parvæ, cujus in tecto balneum erat summo sacerdoti paratum in diem Expiationum: & in conclavi lavantium intestina lavabantur hostiarum, atque ex isto in tectum conclavis Parvæ erat excitata cochlea. [43] Tria vero conclavia aquilonis erant conclave lapidis quadrati, conclave scaturiginis, & conclave ligni. In conclavi lapidis quadrati * considebat * Senatus supremus. Atque hoc conclave dimidium profanum, [44] ostiaque habebat duo, alterum in sancto, alterum in profano; Senatus in dimidio profano considebat. In conclavi scaturiginis erat puteus: ex eo hauriebatur aqua lecytho, & toti suppetebat atrio. Conclave ligni pone duo proxime superiora situm summi sacerdotis erat: nimirum hoc illud est, quod conclave Præfectorum dicebatur. Atque horum trium erat tectum æquale. Præterea autem duo [45] erant in Israelitarum atrio conclavia: unum a dextra portæ in orieute sitæ, quod erat conclave * Phinesi vestiarii: alterum erat a læva, quod conclave erat eorum, qui crustula efficiebant.

XIV. *Mactabantur victimæ*. Nempe minus sanctæ: sanctiores enim alio loco mactandas fuisse art. 16. differitur.

XVII. *Conclave Parvæ*. Majemonides in Commentariis super Misnam c. 5. tract. Middot vult Parvam nomen esse cujusdam viri venefici, qui curiositate adductus conclave hoc ita perforaverat, ut sacrificandi rationem perspicere posset. Eum in delicto deprehensum interfectum esse, atque suum conclavi nomen reliquisse: sed aliter alii.

Considebat. Neque enim in Sancto sedere licebat cuiquam præterquam regibus e stirpe Davidis oriundis. Sed hac de re tota perspicue explicabitur cap. 7. art. 6.

Senatus supremus. Is Sanhedrin vulgo appellatur.

Phinesi vestiarii. Ejus qui vestimentis sacerdotalibus præfectus erat. Et exempli causa ponitur Phinesus, nomen certum pro quovis incerto.

NOTÆ IN CAPUT QUINTUM.

1 In latitudinem &c. *Middoth* II. Mons ædis erat quadratus, ita ut ſingula latera eſſent cubitorum quingentorum. *Kimchi ad Ezech.* XLII. 15. *Menſus eſt eam undique per circuitum.* Menſus eſt domum, ubi erat porta; per circuitum ad quatuor ventos, menſus eſt latus orientale per circuitum, omne ejus latus, pariterque menſus eſt latus aquilonare, & auſtrale, & occidentale, inter ſingula 500. cubitos in longitudine, & latitudine. *Schilte Haggibborim cap.* II. Mons ædis qui ædificatus fuit ſuper montem Moriah, erat quadratus, ita ut ſingula latera eſſent quingentorum cubitorum, & muro circumdatus erat.

2 Multi fornices &c. *Toſaphta Parah.* II. 7. Clivum faciebant a monte templi, uſque ad montem unctionis *i. e. oliveti*, & fornicem e regione fornicis, & fornicem e regione ſtylobatæ, ob ſepulcrum abyſſi. R. Elieſer dicit, non erat ibi clivus, ſed columnæ marmoreæ ibi conſtitutæ erant, iiſque trabes cedrinæ erant impoſitæ; neque neceſſe erat, ut vacca per clivum egrederetur. *Schilte Haggibborim ibid.* Et fornices e regione fornicum *ædificabant* ad evitandam immunditiem tentorii; & ſi ſequamur verba noſtri præceptoris, qui dicit; *& fornices ſuper fornicibus addiderunt, & fornicem e regione ſtylobatæ*, ejus verſio eſt clarior, & magis vera. Dixerunt noſtri ſapientes cap. III. 6. *Parah*. Clivum vero faciebant a monte templi uſque ad montem unctionis, & fornices e regione fornicum, & fornicem e regione ſtylobatæ ob ſepulcrum abyſſi; nempe faciebant fornicem, cujus pes ad montem unctionis perveniebat, & pes [nempe pedes fornicis ſunt columnæ, quibus fornix ipſe innitebatur] vocatur אטם. Deinde exſtruebantur alii fornices proximi huic inferiori, qui ſtylobatæ innitebatur, & his impoſiti alii fornices, nec fornices fornicibus impoſiti erant, neque ſtylobatæ ſtylobatæ, ſed fornix ſtylobatæ, & fornici ſtylobata, ut eſſet clivus vacuus, ſi vero obſtructus fuiſſet, neque vacuus fuiſſet, immundities ſepulcri in altum exhalaſſet.

3 Scamnis &c. *Gemara Peſachim fol.* 52. 2. In monte templi duplicatæ erant ſtoæ, una ante aliam poſita. *Raſchi ad Succa* IV. 4. Stoa circumquaque circumfundebatur, & in medio iſtius ambitus *Stoarum* adhuc alius fuit &c. latitudo montis templi cincta erat porticibus ad conſidendum ibi, quæ deſuper tecto erant inſtructæ contra pluvias. *Joſephus de bello Judaico lib. V. cap.* 14. Διπλαῖ αἱ στοαὶ πᾶσαι, κίονες δ' αὐταῖς εἴκοσι πέντε πηχῶν τὸ ὕψος ἐφεστήκεσαν, μονόλιθοι λευκοτάτης μαρμάρου, κεδρίνοις δὲ φατνώμασιν ὠρόφωντο. Duplices porticus omnes, quas columnæ ſuſtinebant, quinis & vicenis cubitis altæ, & ſingulis ſaxis marmore candido, laquearibus autem cedrinis tegebantur. *Vide Gemar. Schabb. fol.* 6. 1. *Et Schilte Haggibborim ibid. Ibi ambulaſſe legitur Salvator noſter* Johan. X. 23. *Et Apoſtoli Jacobus & Johannes*. Act III. 11.

4 Portæ quinque &c. *Middoth* I. 3. Quinque erant in templi ambitu portæ, duabus nomen Chulda, quas ab Auſtro ad ingrediendi egrediendique uſum ſtatuerunt. Porta autem Kiponos ab occidente ſita eodem ſpectabat; porta vero Teri ab aquilone nulli erat uſui; portæ denique orientali impreſſa erat Suſan civitatis imago, per quam intuebatur Sacerdos dum combureret Vaccam. Etiam quicunque operis ſocii, quæque adjumento in vacca comburenda erant, hac in olivarum montem prodibant. *Vide Schilte Haggibborim cap.* III.

5 Intra murum &c. *Middoth cap.* II. 3. Ab interiori parte erat cancellata ſepes altitudine decem palmorum. *De hoc ſatis ſuperque diximus Tom.* II. Theſauri *in notis* ad Relandi *antiquitates pag.* 436.

6 Murus interior &c. *Middoth ibidem*. Citra illam erat intermurale decem cubitorum latitudine. *De hoc quoque ibidem uberrime locuti ſumus*.

7 Atrium &c. *Middoth* V. Totius atrii longitudo erat centum octoginta ſeptem cubitorum, latitudo vero centum triginta quinque.

8 Portæ ſeptem &c. *Middoth* I. 4. Septem erant portæ in atrio magno, tres ad aquilonem, tres ad auſtrum, una in oriente. Ad auſtrum erat porta ardoris, huic ſuccedebat porta oblationis, tertia ordine erat porta aquarum; *At tredecim* Middoth II. *6. numerantur portæ*. Atque tredecim adorationes ibi erant. Aba Joſe filius Chanan dicit, e regione tredecim portarum, quarum auſtrales vicinæ occidenti, porta ſuperior, porta incendii, porta primogenitorum, porta aquarum. At quare vocatur nomine portæ aquarum? quia ea inferunt lebetem aquarum libaminis in feſto. R. Elieſer filius Jacobi dicit; quia in illa aquæ mutabantur egreſſuræ ſub limine ædis. E regione illarum in ſeptentrione adhærentes occidenti, porta Jeconiæ, porta oblationis, porta mulierum, porta cantici. At quare vocatur porta Jeconiæ? quia ea exivit Jeconia in captivitatem ſuam. Quæ autem erat in oriente porta Nicanoris dicebatur, cui duo erant oſtiola, unum ab ejus dextra, alterum ab ejus ſiniſtra. Duabus in occidente non erat nomen. *Schilte Haggibborim* cap. XV. Tredecim adorationes erant in Sanctuario, quatuor ad ſeptentrionem, quatuor ad meridiem, tres ad orientem, & duæ ad occidentem. Aba Joſe filius Chanan dicit; e regione tredecim portarum, quæ erant atrio; quarum auſtrales vicinæ occidenti erant quatuor, porta ſuperior, porta incendii, porta primogenitorum, & porta aquarum; mons templi declivis erat ab oriente ad occidentem, idcirco porta proxima occidenti vocabatur porta ſuperior, porta incendii erat, porta lignorum, quæ per eam adducebantur propter uſum altaris; & quoniam per eam introducebantur ligna ſtruis, quæ ſuper altare incendebantur, vocabatur porta incendii; porta primogenitorum, quia ingrediebantur per eam primogenita, quæ ad meridiem mactabantur; porta aquarum, e qua aquæ ſcaturiebant, ſicuti ſcriptum eſt in *Ezechiele* XLVII. 2. *Et ecce aquæ redundantes a latere dextero*; & hoc latus eſt meridionale, quod vocatur dexterum, ſicuti dictum eſt Pſalm. LXXXVIII. 12. *Aquilonem & dexterum* (ita Hebræus) *tu creaſti*. Et vidit Ezechiel in prophetia, quod aquæ egrederentur e Sancto Sanctorum tenues ut cornua locuſtarum, & quando perveniebant ad hanc portam, creſcebant, & fiebant ut plenitudo dolii minoris, propterea מים מפכים vocantur. E regione iſtarum in Septentrione adhærentes occidenti erant porta Jeconiæ, & porta Sacrificii, porta mulierum, porta cantici. Porta Jeconiæ, per quam Jeconia egreſſus eſt in captivitatem, poſtquam ingreſſus eſt in Sanctuarium ad adorandum, & valedicendum, quando in captivitatem abiit Babylonem. Porta ſacrificii, per quam introducebantur ſacrificia ſanctiſſima, quæ in aquilone mactabantur; porta mulierum, per quam introibant mulieres, ut ſuis ſacrificiis manus imponerent, juxta opinionem R. Joſe qui dicit mulieres ſacrificio voluntario manus impoſuiſſe; & juxta ſententiam R. Jehudæ, & R. Simeonis, ut ſuis ſacrificiis præeſſent. Porta Cantici, per quam introducebantur inſtrumenta Cantici &c. *Et nonnullis interjectis*. Præterea juxta opinionem Joſe filii Chanan, duæ aliæ portæ erant in occidente, quibus non erat nomen; & numerus tredecim portarum eruitur *e Gemara Hieroſolymitana* juxta ſententiam Aba Joſe filii Chanan. At Sapientes dicunt, ſeptem portas fuiſſe in atrio, & illi putant haſce tredecim adorationes fuiſſe e regione tredecim rupturarum &c. *Vide Sekalim*. VI. 3.

9 Et una ad orientem &c. *Hieroſ. Erubhin fol.* 22. 3. Quum acceſſerunt prophetæ priores ad conſtruendam portam orientalem, ita ut ſolis ſplendor eam tegeret tam in ſolſtitio hyberno, quam æſtivo, ſeptem nominibus eam inſignivere; *vocaverunt illam* portam ſur, portam fundamenti, portam Chariſith, portam introitus, portam mediam, portam denique ſuperiorem. Sur enim vocarunt, quia ibi immundos ſeparabant, q. d. c. Thren. IV. 15. *Recedite polluti clamaverunt eis*; portam fundationis, quia ibi fundatæ fuere conſtitutiones; portam Chariſith, quia ipſa collocata fuit recta ad ortum ſolis; portam introitus, quia per eam ingreſſus atque exitus patet; portam mediam, quia fundata fuit inter duas portas; portam novam, quoniam ibi ſcribæ reſtaurarunt conſtitutiones; portam denique ſuperiorem, quia illa altior extitit quam atrium Iſraelis, veſtibulum, & atrium mulierum. *Schilte Haggibborim ibid.* Hæc porta Nicanoris appellatur in Scriptura *porta domus Domini*

mini; *Jerem.* VII. 2. sine alio nomine, quia per eam ingrediebantur ad adorandum Dominum; vocatur quoque (*Ezech.* X. 19.) *porta domus* קדמוני, quia erat in oriente, & erit Kadmoni vel Kadimani, quia reliquis atrii portis erat vetustior, & prima inter portas Sanctuarii, ideo nostri Rabini in 2. Reg. XI. 6. *tertia autem pars sit ad portam sur*, dicunt septem nomina huic portæ fuisse; nempe porta sur, quia ibi separabantur immundi, a voce סור; *Recedite polluti*, *clamaverunt eis Thren.* IV. 15. porta יסור fundamenti (*Paral.* 2. cap. 23.) quia ibi fundabatur lex; porta חרסית *solis* (*Jerem.* XIX.) quia recta sita fuit ad ortum solis; porta איתון (*Ezech.* XL.) quia per eam ingressus & exitus patet, ex phrasi, אתה *Sanctorum millia* (Deut. XXXIII. 2.) &c. porta תוך, quia fundata fuit inter duas portas (*Jerem.* XXXIX.) aut ob duo ostiola, quæ utrimque habebat; porta חדש (*Jerem.* XXXVI.) quia ibi scribæ renovarunt constitutiones; & porta עליון (*Paral.* 2 XXIII.) quia erat supra vestibulum mulierum, & erat in introitu vestibuli Israelis; Alia de causa porta montis ædis occidenti proxima vocabatur superior, quia erat sita in ea parte, qua ad montem adibant, uti superius dictum est.

[10] Contra Sanctum &c. *Berachoth* IX. 5. Ne leviter se gerat quis ante portam orientalem, quæ domum Sancti Sanctorum ex adverso respicit.

[11] Latæ &c. *Middoth* II. 3. Ad omnia ostia & portas istius loci quod attinet, cujusque altitudo viginti cubitorum erat, latitudo vero cubitorum decem, excepta porticus porta.

[12] Fores &c. *Middoth ibid.* Omnibus istius loci ostiis erant fores præterquam in porticu. Omnibus portis erant limina excepta porta Teri, ibi erant lapides duo, altero alteri immisso. Omnes portæ, quæ ibi erant mutatæ fuerunt, ut ex auro essent, preter portam Nicanoris, propterea quod ibidem editum fuerit miraculum; alii dicunt propterea quod æs ipsius corulcaret ac niteret in modum auri.

[13] Non erat plane &c. *Middoth.* II. Mons ædis erat quadratus ita ut singula latera essent cubitorum quingentorum. Maximum spatium erat ab austro, proximum ei ab oriente; tertium ab aquilone; minimum vero ab occidente. Eo loco ubi majus erat spatium, major erat ejus usus. *Schilte Haggibborim* II. Prætera dicunt nostri sapientes cap. II. *Middoth* Maximum spatium erat ab austro; proximum ei ab oriente, tertium ab aquilone; minimum vero ab occidente. Eo loco ubi majus erat spatium, major erat ejus usus, & in commentario hujus paragraphi noster magister & *Bartenora* dicunt atrium non fuisse in medio montis templi; ideoque spatium, quod intercedebat inter parietem montis templi & parietem atrii ad austrum, fuisse majus eo spatio, quod inter ea intercedat a parte orientali, & spatium a plaga orientali fuisse majus spatio a parte aquilonari, & spatium aquilonare fuisse majus occidentali; Idcirco fingite vobis, exempli gratia, parietem australem atrii fuisse remotum a pariete australi montis ædis 265. cubitos; his addite 135. cubitos latitudinis atrii; ex his omnibus simul conficietur summa 400. cubitorum; si pervenire volueritis ad parietem aquilonarem montis templi, his spatiis addendi sunt 100. cubiti; ex his constabit, spatium parietum australium montis templi fuisse 256. cubitorum, & spatium parietis aquilonaris atrii a pariete aquilonari montis ædis fuisse centum cubitorum. Spatium vero australe erit hujusmodi; semovete a pariete montis ædis 115. cubitos, donec perveniatis ad principium atrii mulierum, quod patebat, uti constat, in longitudinem 135. cubitos; ex his simul conjunctis conficietur summa 250. cubitorum, qui simul pervenient ad parietem orientalem portæ Nicanoris; & hoc totum erit spatium parietis orientalis montis ædis a pariete orientali atrii Israelis; addite his quoque 187. cubitos totius atrii, quod perveniebat usque ad finem undecim cubitorum, qui erant post Propitiatorium; ut ex his spatiis simul junctis fiat summa 437. cubitorum. Si pervenire volueritis ab undecim cubitis, qui erant post Propitiatorium, ad parietem occidentalem montis ædis, addendi erunt 63. cubiti; hoc modo tibi erit majus spatium ab austro, quod 265. cubitos patebit; huic proximum ab oriente, quod erit 250. cubitorum; tertium ab aquilone, quod constabit 100. cubitis; & minimum ab occidente, quod patet 63. cubitos; & ubi erat majus spatium, quod erat ab austro ibi equidem erat major usus in Sancta domo, in iis conclavibus, quod ego auxiliante Deo ostendam, in cap. XXV. hujus tractatus;

[14] Atrium mulierum &c. *Middoth* II. 4. Atrii muliebris longitudo centum & triginta quinque cubitorum, cum latitudine centum triginta quinque. *Schilte Haggibborim* III. Atrium mulierum quaquaversum patebat centum triginta quinque cubitos.

[15] In quatuor &c. *Middoth ibid.* Atque quatuor conclavia erant in quatuor ejus angulis, singulaque cubitorum quadraginta, quæ non erant contignata; Et sic etiam futura sunt, quia dictum est *Ezech.* XLVI. 21. & 22. *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii; & ecce atriolum erat in angulo atrii &c. & in quatuor angulis atrii erant atria caminata* (sic Hebræus) sed non erant contignata. *Kimchi ad Ezech.* XLVI. 21. *Et ecce atriolum erat in angulo atrii.* In singulis ex quatuor angulis erat atrium, & hæc atria sunt conclavia, uti legimus in *Middoth &c. Schilte Haggibborim ibid.* Atque quatuor conclavia erant in quatuor ejus angulis, quorum longitudo erat 40. cubitorum, & latitudo 30. omnia erant æqualia; uti scriptum est *Ezech.* XLVI. Et in secunda domo ejusdem erant mensuræ; neque autor Misnæ rationem habuit hæc nobis explicandi, quia evidens est, & explicitum in sacro textu; neque erant contignata; & hujusmodi futura erunt tempore nostri Messiæ; Ah! Veniat cito in diebus nostris. *Expecta perfide Judæe ad Kalendas Græcas.*

[16] Quod erat in angulo &c. *Middoth ibid.* Verum cui rei inserviebant? Ad ortum brumalem erat conclave Nazyræorum, quod ibi Nazyræi coquerent Eucharistica sua, & detonderent capillos suos, eosque ollæ summitterent. *Schilte Haggibborim ibid.* In angulo australi orientali, erat conclave Nazyræorum, ubi coquebant sua pacifica, & detondebant capillos suos, eosque ollæ summittebant, ut incenderentur igni, qui erat sub olla, ubi eorum pacifica coquebantur, sicuti scriptum est; & *ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.* Numer. VI. 18.

[17] In angulo &c. *Middoth ibid.* Ad ortum æstivum erat conclave lignorum, quod ibi Sacerdotes vitiis affecti vermes in lignis perscrutarentur; omne autem lignum, in quo vermis inveniretur, rejiciendum erat ab altaris tecto. *Schilte Haggibborim ibid.* In angulo orientali boreali erat conclave lignorum, ubi Sacerdotes vitiis affecti ligna vermibus purgabant, quæ parata erant ad struem altaris; omne autem lignum, in quo vermis inveniretur, est Altari illegitimum. *In hoc conclavi occultatam fuisse Arcam Judæi fabulantur. Babyl. Joma fol.* 53. 2. Dixit Raf Nachman traditio est sapientes nostros docuisse, Arcam in conclavi atrii lignorum esse absconditam. Et Raf Nachman filius Isaac dixit, se quoque audivisse vel legisse historiam de quodam Sacerdote, qui dum illic in munere suo occupatus esset, viderit pavimentum in loco quodam esse nonnihil immutatum a reliqua pavimenti structura. Abiens itaque id significavit collegis suis. Non autem poterat absolvere verbum, cum ecce moreretur, & anima ejus evolaret. Itaque certo hinc cognoverant, Arcam illic esse absconditam; Quid faciebat Sacerdos ille? occupatus erat in securi sua (in findendis lignis.) *Misna Sekalim cap.* 6. In Sanctuario Templi Rabban Gamaliel, & R. Chananja Antistes Sacerdotum incurvabant si quatuordecies. Quorsum autem dirigebatur incurvatio illorum? Versus conclave lignorum, quia traditionem habebant a patribus suis, ibi absconditam esse Arcam. *Hierof. Sekalim cap.* 6. R. Hoschajam tradidisse, illum, *sc. Sacerdotem ligna findentem*, malleo percussisse super illum pavimenti locum, & ignem egressum combussisse ipsum.

[18] Inter septentrionem &c. *Middoth ibid.* Ad occasum æstivum erat conclave leprosorum. *Schilte Haggiborim ibid.* In angulo aquilonari occidentali erat conclave leprosorum, quod ibi se lavabant octavo die purificationis suæ; quando veniebat ad introducendum manum, & pedem suum, ut dona pollicibus imponi possent, quamvis se lavisset vespera superiori.

19 In-

19 Inter occidentem &c. *Middoth ibid.* De conclavi ad occasum brumalem, dicit R. Eliеſer filius Jacobi, inveni cui inserviret. Aba Saul dixit, ibi reponebant vinum & oleum, ideoque vocabatur conclave domus olei. *Schilte Haggibborim ibid.* In angulo occidentali australi erat conclave; ubi reponebant vinum & oleum pro libaminibus, Candelabro, & muneribus, & vocabatur conclave olei.

20 Podium &c. *Middoth ibid.* In summis lateribus læve ac planum erat atrium mulierum, sed id circumscripserunt interno podio, ut mulieres superne prospicerent, viri autem inferne, ne miscerentur. *Gemara Babyl. Succa fol.* 51. Circumdederunt ei atrio mulierum podium, & ordinarunt ut mulieres sederent superne, & viri inferne . . . . cum spectarent gaudium domus hauriendi aquam. *Raschi in commentar. ad Succa* v. 2. Tigna parietibus indidere, quæ exinde prominebant in toto atrii circuitu, singulis itaque annis disposuerunt super illis *lignis* podia tabulata, quæ *vernacule* vocantur *Planke*, *vel gallice Balcon*, quibus mulieres tempore gaudii domus haustionis insistere possent, ejusve spectatrices agere, & hæc est magna illa ordinatio, de qua Misna loquitur, quam singulis annis instituerunt. *Schilte Haggibborim ibid.* A principio Atrium mulierum erat læve, neque prominebant tigna e parietibus, verum tandem metuentes, ne illa nocte mulieres cum viris miscerentur, circumdederunt podiis, id est tignis, qui e parietibus prominebant, sicuti explicat *Raschi cap.* v. *Succa &c.*

21 Domus &c. *Middoth cap.* I. 8. Domus incendii erat concamerata, & magna, atque stratis saxeis circumdata, ubi seniores classis paternæ dormiebant, atriique magni claves in potestate sua habebant. *Schilte Haggibborim cap.* XVI. In plaga aquilonari atrii extrinsecus inter ipsum *atrium* & Hel prope portam domus incendii, quæ hoc nomine vocabatur, erat domus magna concamerata, id est non erat contignata, uti plerumque fieri solet in domibus &c. Hoc conclave vocabatur domus incendii propter ignem, qui ibi erat semper accensus. Hoc conclave erat stratis saxeis circumdatum; i. e. ibi erant projecturæ per circuitum e lapide cæso, atque a pariete versus medium loci focarii, a latere pavimenti prominebant; his autem alii impositi erant lapides prioribus breviores, qui similiter e parite prominebant; itaque graduum, quorum alii aliis impositi essent, rebant speciem.

22 Ostia erant &c. *Middoth* I. 7. Duæ erant portæ domui incendii sive loco focario, una aperta versus spatium intermurale, altera quæ atrium respiciebat; ita dixit R. Jehuda. Huic quæ versus atrium aperiebatur, ostiolum erat parvum, per quod, ut atrium lustrarent, ingrediebantur. *Schilte Haggibborim ibid.* Duæ erant portæ domui incendii, una quæ erat ad septentrionem domus incendii, aperiebatur versus spatium intermurale, & quæ ad austrum, aperiebatur versus austrum; Et huic portæ parvum erat ostiolum, per quod ut atrium lustrarent, ingrediebantur.

23 Conclavia quatuor &c. *Middoth* I. 6. Quatuor conclavia erant in loco focario, sive incendii, veluti totidem κοιτῶνες versus palatium vel Basilicam aperti, quorum duo in loco Sancto, duo in profano. *Schilte Haggibborim ibid.* Quatuor conclavia erant in domo incendii, veluti totidem κοιτῶνες aperti in Basilicam, exstructi ad dormiendum tempore æstivo, quia æstas Chaldaice קיטא dicitur.

24 Spatium &c. *Middoth ibid.* Atque proceres sive trabium capita inter Sanctum & profanum distinguebant. *Schilte Haggibborim ibid.* Quum vero ex his quatuor conclavibus, duo, quæ erant versus atrium erant Sacra, & duo profana, statuerunt trabes, quæ prominebant a pariete usque ad locum, qui sacer erat, ut sacrum a profano distingueretur.

25 At enim &c. *Middoth ibid.* Sed illa in quem usum? ad occasum brumalem erat conclave agnorum oblationis, ad ortum brumalem conclave panum propositionis. *Tamid* III. 3. Dicebat illis ite & adducite agnum ex conclavi in quo sunt agni; illud autem conclave erat in angulo septentrionali occidentali, & quatuor illic erant conclavia, unum agnorum, alterum sigillorum, conclave domus foci, & conclave in quo præparabant panem facierum. *Schilte Haggibborim ibid.* In angulo occidentali australi erat conclave agni Sacrificii; quia ibi erant agni explorati pro Sacrificiis jugibus, uti legitur in Misna; *non diminuebant de sex agnis in conclavi agnorum*. Et quod dixerunt conclave agnorum fuisse in angulo aquilonari occidentali, & in *Middoth* statuunt in angulo occidentali australi; respondetur huic objectioni in *Gemara*, & dicunt, quod si quis esset in plaga aquilonari, illud intueretur quasi foret in meridionali, & qui erat in meridionali, illud conspiciebat, quasi foret in aquilonari; & ratio persuadet, quod esset in angulo occidentali australi, quia ipsa domus incendii sita erat in angulo occidentali australi; uti dicitur in *Middoth*; & quando ejus situs considerabatur respectu atrii, erat in angulo aquilonari occidentali, uti dicunt in *Tamid*; & tunc conclave panis facierum (locus, ubi viri de familia Garmu conficiebant panem facierum) erat in angulo australi orientali domus incendii. *Vide Maimonidem ad l. c. Middoth*.

26 In angulo orientis &c. *Middoth ibid.* Ad ortum æstivum conclave, quo Hasmonæorum filii Altaris lapides olim congesserant, quos Græciæ Reges profanarant; ad occasum denique æstivum conclave, quo in balneum descendebatur. *Schilte Haggibborim ibid.* In angulo orientali aquilonari seposuerunt Hasmonæorum filii lapides Altaris, quos profanarunt pollutionibus Reges Græcorum, qui in illo Idolis thura incenderunt; *& in Tamid* III. 3. hoc conclave vocatur conclave sigillorum; quia adibant præfectum sigillorum, eique numerabant pecuniam pro libaminibus necessariis, & ab eo recipiebant sigillum, quod tradebant præfecto libaminum, quæ ab eo accipiebant; & per conclave in angulo aquilonari occidentali situm descendebat in balneum, cui accideret seminis fluxus.

27 Per hoc &c. *Middoth* I. 9. Si casus nocturnus alicui eorum obtingeret egressus per cochleam descendebat in crypto porticum, quæ sub Sanctuario deducebatur, (facesque hinc inde ardebant) donec balneo appropinquaret. R. Eleasar filius Jacobi, inquit, per porticum, quæ sub intermurali permeat, egressus pervadit portam Teri. *Tamid* I. Si alicui ex illis accideret seminis fluxus egrediebatur per circuitum, qui ducebat eum sub Biram, candelis hic & illic accensis, usque dum perveniret ad domum lotionis, ubi ignis erat, & locus secretus honoris, hic autem honor ejus fuit, ut, quando inveniebat clausum, sciverit aliquem ibi esse, quando apertum, cognoverit, quod nullus esset, descendebat, lavabat se, adscendebat, & abstergebatur, calefaciebat se ante ignem, accedebat, & consedit apud fratres suos Sacerdotes, donec portæ essent apertæ, tunc egressus, abiit. *Schilte Haggibborim ibid.* Descendebat in crypto porticum quæ sub Sanctuario erat in balneum, ubi ignis erat, ubi se calefaciebat Sacerdos postquam lavisset, & adscendebat, & abstergebatur; & conclave ignis vocabatur.

28 Ab oriente &c. *Middoth* V. Longitudo ab oriente ad occidentem centum octoginta septem cubitorum, cum latitudine centum triginta quinque, ita se habebat.

29 Ab atrii pariete &c. *Middoth ibid.* Locus incessus sive ambulacrum Sacerdotum undecim cubitorum, altare vero triginta cubitorum, spatium inter porticum & Altare viginti duorum cubitorum; Ædes sive fanum cum adyto erat cubitorum centum; deinde undecim cubiti a tergo Propitiatorii.

30 Inter vestibulum &c. *Raschi ad Ezech.* XLIX. 49. Inter vestibulum & altare intercedebant duo & viginti cubiti.

31 Ab aquilone &c. *Middoth ibid.* Ab aquilone ad austrum centum triginta quinque cubitorum hoc modo a columnis ad murum atrii cubiti octo. *Et cap.* III. 5. Laniena erat ad septentrionem Altaris, atque in eo vel apud ipsum octo columnæ humiles, quibus erant imposita quadrata e cedro ligna, his vero unci ferrei ita infixi erant, ut ligna singula haberent eorum ordines tres, e quibus sacrificia suspendebant, ac pelle nudabant ad mensas marmoreas, quæ inter columnas erant. *Tamid* III. 5. Laniena erat ad aquilonem &c.

32 Suspensis &c. *Raschi ibid.* v. 41. Uncini ferrei fixi erant in humilibus columnis in domo lanienæ in aquilone ad suspendendum, & excoriandum sacrificia, uti legimus in *Pesachim*. Uncini ferrei fixi erant in columnis, & parietibus, ubi suspendebant,

&

& excoriabant. Et pariter *Jonathan* interpretatur. Uncini prodibant palmo uno. *Kimchi ibid.* Et *Jonothan* interpretatur. Et uncini prodibant palmo uno; fixi erant in columnis domus lanienæ &c.

33 Octo cubitos &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Latitudo totius atrii erat centum & triginta quinque cubitorum juxta computum ſuarum partium ſecundum opinionem *Raſchi* in tractatu *Joma*, ſicuti ſcribit *R. Cotzenſis* ejus nomine in ſuis præceptis affirmativis in conſtitutionibus Sanctuarii, & ipſius vaſis cap. 1. 61. dicens; quomodo hoc intelligitur? a pariete aquilonari ad columnas octo cubiti, & ipſæ erant columnæ humiles in ſolo infixæ, & ferrei unci ibi infixi erant, in quibus ſuſpendebant animal ad detrahendam pellem; & a columnis ad menſas quatuor cubiti; ecce duodecim; & ſpatium ſingularum menſarum non erat minus quatuor cubitis; & octo erant menſæ, uti dicitur in Tractatu *Sekalim* in cap. quod incipit; *tredecim cornua &c.* & ſitæ erant quaternæ in prima, & quaternæ in altera ſerie; deprehenduntur quatuor, una poſt aliam per latitudinem, en tibi omnino ſexdecim cubiti a pariete boreali ad finem menſarum, ſicuti dictum eſt, & hinc ad annulos quatuor cubiti, ecce viginti; & ſpatium annulorum erat vigintiquatuor cubitorum, & ab annulis ad Altare octo; ecce duo & quinquaginta; & collis & Altare erat 62. ecce 114. reliqui ſunt unus & viginti cubiti, qui dividuntur, partim pro loco columnarum, & partim inter collem & murum auſtralem; neque explicari neceſſe eſt latitudinem menſarum in noſtra Miſna, quia expreſſæ ſunt in libro *Ezechielis*. Hactenus verba *Raſchi*. Ego valde miror, quod *Raſchi*, & *R. Moſe Cotzenſis*, qui non ignorant in Miſna non inveniri menſuram menſarum, neque earum longitudinem, latitudinem, & altitudinem, neque in cap. VI. 4. *Sekalim*, neque in cap. III. 5. *Tamid*; neque cap. III. 5 *Middoth*, ſequantur Ezechielem, cujus menſura menſarum non eſt ea, quæ refertur a *Raſchi*, & a *Cotzenſi*; Etenim cap. XL. 41. legitur. *Quatuor menſæ hinc &c. octo menſæ erant ſuper quas immolabant; Et quatuor menſæ &c. longitudine cubiti unius & dimidii, & latitudine cubiti unius & dimidii, & altitudine cubiti unius &c.* Noſter præceptor in *cap.* V. 13. 14. 15. *domus electæ*, numerat partes latitudinis atrii hoc modo; nempe a pariete aquilonari uſque ad locum lanienæ intercedebant duodecim cubiti cum dimidio; ſpatium menſarum octo cubitorum (vide quod præceptor noſter vult, quod menſæ latæ eſſent unum cubitum; ego vero neſcio, unde perceperint hi noviſſimi ſapientes, quod latitudo menſarum eſſet unius cubiti; etenim ſi earum uſus conſideretur, in menſura unius cubiti cum dimidio, uti dicit Ezechiel, videbuntur etiam anguſtæ) locus annulorum 24. cubitorum, inter annulos & altare 8. cubiti; Altare patebat duos & triginta cubitos, collis triginta; & inter collem & parietem auſtralem intercedebant duodecim cubiti cum dimidio, quibus omnibus conficitur ſumma centum trigintaquinque cubitorum.

34 Diſponebantur &c. *Sekalim* VI. 4. Tredecim menſæ fuerunt in Sanctuario, octo marmoreæ in domo mactationis, ſupra quas abſtergebant inteſtina. *Toſephot in Joma c.*1. Carnem quidem abluunt ſuper menſis, ſed inteſtina, quæ ſordibus referta ſunt in conclavi lavantium mundant.

35 Annulorum &c. *Middoth ibid.* Locus annulorum erat vigintiquatuor cubitorum *Et* III. 5. Ad ſeptentrionem altaris erant annulorum ſex ordines, quorum ſinguli continebant quatuor, ſunt qui aſſerant fuiſſe quatuor, quorum ſinguli continerent ſex, ad quos mactabant victimas. Jam diximus (inquit *Maimonides in notis ad Tamid cap.* IV.) in tractatu de Decimis ſecundis quod Joannes ſacerdos in loco mactationis atrii inſtituit annulos ſolo infixos, quibus colligebantur pecudum pedes & armi, quando mactabantur, quia omnino ligari non poterant. *At melius Bartenora* ad III. 5. *Middoth*. Sancivit vero Jochanan pontifex maximus, ut vigintiquatuor annuli infigerentur pavimento atrii pro vigintiquatuor Sacerdotum excubiis, in forma arcus, hiſce immittebant pecorum colla, quando mactabantur. *Cur hi annuli in templo ſtatuerentur, legimus* Sota 48. 1. Quinam ſunt illi ſacrificantes? Autore R. Samuele docet R. Jehuda, eam quondam in templo Hieroſolymitano obtinuiſſe conſuetudinem, ut Sacerdotes immolaturi vitulo pellem, quæ inter cornua ejus eſt, inciderent . . . . . In Miſna traditur receptum quoque fuiſſe, ut victimæ mactandæ fuſtibus in fronte, quoad miteſcerent, cæderentur, quod idem vanæ ſuperſtitionis ſacrificuli facere ſolebant &c. Venit Jochanan, & ſuſtulit inciſionem, quia vitio ſimilis eſſe videbatur. *Et paucis interjectis*. Dixit illis Jochanan; quandiu morticina Altari conſumenda dabitis? *An dicere potuit* morticina, cum ipſi ea cæderent? Non! ſed diſcerpta, quoniam fieri potuit, ut pellicula cerebri læderetur.

36 Inter ſpatium &c. *Middoth* V. Ab Altari ad annulos octo cubiti.

37 Ipſum Altare &c. *Siphra ad Levit.* I. 11. Altare ſitum erat in recta linea contra portam templi, & contra alteram valvarum, protractum ad auſtrum. R. Jehuda dicit. Altare erat omnino in medio atrii, & occupat duos & triginta cubitos, decem cubitos contra portam templi, undecim cubitos ad auſtrum, & undecim cubitos ad aquilonem, deprehendebatur altare ſitum eſſe contra templum, & ejus parietes. *Middoth. ibid.* Ab aſcenſu ad Altaris extremitatem erant cubiti duo & ſexaginta . . . . Reliqui cum inter aſcenſus & murum, tum ſpatium erant columnarum.

38 Quadrum hoc &c. *Siphra ad Levit.* I. 11. Quinam eſt ſeptentrio? A latere boreali Altaris uſque ad parietem aquilonarem atrii, & e regione Altaris; verba R. Joſe filii R. Jehudæ. R. Elieſer filius Simeonis addit quoque ſpatium, quod erat inter Altare & introitum Sanctuarii uſque ad parietem aquilonarem atrii. Rabi addit ſpatium, quod erat e conſpectu ambulacri Iſraelitarum, & e regione ambulacri Sacerdotum, atque etiam parietem aquilonarem atrii; ſed e regione conclavis ſeceſpitarum ulterius omnes dicunt ibi mactari non licere. *Toſaphta Sevachim* VI. Quinam erat ſeptentrio Altaris, ubi licebat mactare Sanctitates Sanctitatum? locus Altaris borealis uſque ad parietem borealem atrii verſus totum Altare, *quod ſpatium* comprehendebat triginta cubitos; verba R. Meyr. R. Eleaſar filius R. Simeonis addit ſpatium e regione loci, qui erat inter Ulam & Altare uſque ad locum e regione ſeceſpitarum, *quod ſpatium* comprehendit duos & viginti cubitos. Rabbi addit locum ambulacri Iſraelitarum, nempe undecim cubitos latitudinis, & centum octoginta ſeptem longitudinis, & ſpatium ambulacri Sacerdotum, nempe undecim cubitos longitudinis, & centum octoginta ſeptem latitudinis, atque etiam ſpatium parietis aquilonaris uſque ad parietem orientalem atrii.

39 Hoc loco mactabantur &c. *Siphra ad Levit.* IV. 24. *Cumque immolaverit eum in loco, ubi ſolet mactari holocauſtum.* Ubinam mactabatur holocauſtum? In aquilone, etiam hoc in aquilone. Hincne ego doceor? Nonne dictum eſt *Ibid.* VI. 25. *In loco ubi offertur holocauſtum, immolabitur ſacrificium pro peccato coram Domino?* Cur exivit? ad obligandum, quod ſi non fuerit immolatum in aquilone, ſit illegitimum. Tu dicis, quod hac de cauſa exierit. At dicam quod non exierit niſi ad docendum, quod non obligetur ad aquilonem. Ideo dicit; *ubi ſolet mactari*. Non probo niſi pro hoc uno tantum, unde probatur ad comprehendendum omnia ſacrificia pro peccato? Ex eo quod dictum eſt; *Cumque immolaverit eum in loco, ubi ſolet mactari holocauſtum*; ad includendum omnia ſacrificia pro peccato, non eſſet mactanda, niſi in aquilone. At dicam, quod non includat niſi his ſimilia. Sicuti hoc eſt ſacrificium privatum, maſculum, ſtabile, expians, & adductum ex pecore, & allatum pro peccato cognito; ego quoque non comprehendam niſi huic ſimilia. Et quid includam? Hircos Idololatriæ, qui ſunt ſacrificium pro peccato, maſculi, ſtabiles, expiantes, & veniebant ex pecore, & adducebantur pro peccato cognito, aut juvencos comburendos, qui ſunt ſacrificium pro peccato, maſculi, ſtabiles, expiantes, & veniebant pro peccato cognito, at non adducebantur ex pecude, aut hircos feſtorum, qui erant ſacrificium pro peccato, maſculi, ſtabiles, expiantes, & veniebant ex pecude, at non adducebantur pro peccato cognito. Conſtat hos omnes eſſe includendos. Cum vero dicit. *Immolabitur*; ad includendum ſacrificium pro peccato

Ido-

Idololatriæ, quod est sacrificium pro peccato stabile, expians, & venit ex pecude, & affertur pro peccato cognito, ut vero non adducitur masculum; aut hircum diei expiationum, qui est sacrificium pro peccato, masculus, stabilis, expians, & affertur ex pecude, ut non adducitur, pro peccato cognito, probatum est ambos esse includendos. Et quando dicit; *Immolabitur*, ad includendum sacrificium pro peccato illius qui polluit sanctuarium, quod erat sacrificium pro peccato expians, & afferebatur ex pecude, & adducebatur pro peccato cognito; sed non afferebatur masculum, neque stabile; aut sacrificium pro peccato Naziræi, quod erat sacrificium pro peccato stabile, & expians, & afferebatur ex pecude, at non adducebatur masculum, neque afferebatur pro peccato cognito; constat ambo esse includenda. Et quando dixit. *Immolabitur*; ad includendum sacrificium pro peccato leprosi, quod non erat sacrificium pro peccato stabile, sed expians. Postquam comprehendimus huic similia, & huic dissimilia; cur exiit? ad obligandum, quod si non immoletur in aquilone, sit illegitimum. Crederem hoc solum, quod si non immolaretur in aquilone, esset illegitimum; at reliqua sacrificia pro peccato præceptum esse immolanda in aquilone, si vero in aquilone non immolentur, tamen esse legitima. Ideo dictum est. *Cumque immolaverit eum in loco, ubi solet mactari holocaustum*; Principii constitutio pro omnibus sacrificiis pro peccato, si non immolentur in aquilone, esse illegitima. *Siphra iterum ad Levit.* VI.25. *In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino.* Hoc dictum est ad includendum omnia sacrificia pro peccato non esse immolanda nisi in aquilone. Et R. Eliezer, dicit; hinc probatur, holocaustum ex debito non immolari nisi in aquilone. *Sanctum Sanctorum est.* Ad includendum sacrificia pacifica cœtus, non fuisse immolanda nisi in plaga aquilonari. *Sevachim* V. Quisnam est locus sacrificiorum, quæ sunt Sancta Sanctorum? Eorum mactatio in septentrione. *Maimonides de sacrificiorum oblatione* V. Victimarum enim sanctarum jugulatio item & sanguis illarum acceptio fiebat tantum ad latus altaris aquilonare.

40 Atrio Israelitarum &c. *Middoth* II. 6. Atrium Israelis erat longitudine 135. cubitorum, latitudine undecim.

41 Conclavia octo &c. *Middoth* V. 2. Sex conclavia erant in atrio, tria a Septentrione, tria ab austro. *Schilte Haggibborim cap.*XXIII. Octo conclavia erant in atrio generali, duo in atrio Israelitarum ad latus portæ Nicanoris, unum ad dextram, & alterum ad sinistram, unum erat conclave Pinchasi vestiarii; alterum conclave crustulario destinatum. Et de sex aliis, quæ initium ducebant a latere orientali, alia erant juxta meam opinionem in atrio Israelis, & alia in atrio Sacerdotum, quæ simul juncta sunt principium & aliqua pars totius atrii cogniti, quod initium ducebat a porta Nicanoris, & perveniebat usque ad undecim cubitos, qui erant post tergum Propitiatorii. Hæc a me sententia defenditur tam pro etymologia vocis עזרה, tam pro amplitudine spatii, quod his conclavibus tribuendum est; עזרה simpliciter sumta nullo addito nomine designat juxta verba nostrorum sapientum totum atrium, idcirco cetera atria non ita simpliciter a nostris sapientibus appellantur, sed addito alio nomine, quod eorum conditionem designet; etenim atrium, quod est intra Hel, ad latus portæ Susan, nuncupatur atrium mulierum, & quod portæ Nicanoris proximum est, vocatur atrium Israelitarum, & alterum, quod illud consequitur, nuncupatur atrium Sacerdotum; idcirco dixerunt cap. V. 3. *Middoth*; *sex conclavia erant in atrio*, locuti sunt de toto atrio, quod est idem, quod declaratur in paragrapho primo ejusdem capitis; etenim si hæc conclavia fuissent solum in atrio Israelis, uti multi putarunt, ea hic non numerarent nostri sapientes extra locum suum, sed numerassent aut cap. . 4. *Middoth*, ubi egerunt de conclavi Pinchasi, & conclavi crustularii, aut cap. II. 6. numerassent, quando scripserunt de conclavibus extructis infra atrium Israelitarum ubi Levitæ collocabant instrumenta musica, ubi deinde agitur de longitudine & latitudine atrii Israelitarum, & ejus conditionibus. Præterea si consideretur eorum usus, mihi adest facultas meæ opinionis defendendæ; cum constet atrium Israelitarum ab oriente ad occidentem patuisse tantum undecim cubitos; si nobis fingere velimus hæc conclavia æquali ordine disposita unum post aliud, uti a nostro præceptore efformantur, tria conclavia, quæ erant ad austrum, si detraxeris crassitiem parietum, qui necessarii erant in singulis lateribus atrii (quamvis putaremus crassitiem eorum fuisse tantum unius cubiti; & parietes meridionales ab uno latere, & parietes aquilonares ab altero latere erant etiam loco parietis ex iis quatuor, quibus opus erat ad dividendum, & distinguendum tria conclavia, quæ in iis lateribus sita erant) non paterent nisi duos cubitis cum duabus tertiis cubiti partibus spatii in latitudinem; neque hujusmodi locus conclave appellari poterat, si consideretur usus eorum, quæ in Misna explicantur, præsertim quod spectat latus meridionale, ubi erat conclave salis, ubi reponebant plurimum salis pro sacrificiis & muneribus & pellibus e conclavi, quod appelabatur domus Parvæ, & pro colle altaris, ne Sacerdotum pedes laberentur, quando afferebant ligna & membra holocaustorum super altare; & ad latus aquilonare erat conclave Gazith, constitutum pro Synhedrio, quod constabat, uti clarum est, septuaginta senatoribus minus uno, nec poterant ibi considere nisi in dimidio conclavi, quod erat profanum, ita ut hoc conclave amplissimum fuerit, necesse est, præsertim, cum præter Senatores statuendus esset locus scribis, judicandis, testibus, & aliis, qui ibi aderant; ecce, quod demonstravi, quod dixi in principio hujus capitis, sc. quod sex conclavia sita erant cum in atrio Israelitarum, tum in atrio Sacerdotum, non vero tantum in atrio Israelitarum.

42 Erant ad austrum &c. *Middoth ibid.* Quæ a septentrione (alii legunt שברום) dicebantur conclave salis, conclave Happarvæ, conclave lavantium. In conclavi salis reponebant sal pro oblationibus; in conclavi Happarvæ, ibi sale condiebant pelles victimarum; atque in ejus tecto erat balneum pro Sacerdote magno in festo expiationis; conclave lavantium erat ubi lavabant victimarum intestina; Atque inde cochlea surgebat in tectum illius Happarvæ. *Schilte Haggibborim ibid.* Tria igitur conclavia ad austrum juxta *Maimonidem* erant conclave salis, ubi reponebant sal pro sacrificiis, pro muneribus, & pro pellibus Sanctissimorum, conclave Parvæ, ubi saliebantur pelles holocaustorum, & Sanctitatum; appellabatur Parva ab nomine viri alienigenæ, qui excavavit in pariete ipsius cubiculi, ut videret ministerium summi Sacerdotis in die expiationum, ibique occisus fuit, idcirco hoc conclave ab ejus nomine denominatum est; Hæc interpretatio *Maimonidis* probabilis est, & confirmatur ex his, quæ dicuntur in *Gemara diei expiationum* cap. 3. *Quid est Parva?* dicit R. Joseph; magus &c. & juxta opinionem R. *Obadiæ Bartenoræ*; erat magus, denominatus Parva, qui magice hoc conclave ædificaverat; a cujus nomine id denominatur; Atque in ejus tecto erat balneum pro Sacerdote magno in die expiationum; quia quinquies lavabat summus Sacerdos eo die, quoties depositis vestibus aureis, induebat vestes albas; & hujusmodi lotiones omnes fiebant super tecto conclavis Parvæ, quod atrii sanctitate sanctificatum erat; & lotiones omnes, quæ fiebant causa diei expiationum, in loco Sancto fieri necesse erat, sicuti dictum est Levit. XVI. 24. *Lavabit carnem suam in loco Sancto*. Prima autem lotio, quæ non fiebat causa diei expiationum, quæque singulis Sacerdotibus puris necessaria erat, qui non ingrediebantur in atrium generale, nisi prius lavissent; fiebat in loco profano, i. e. super porta aquarum, quæ erat tertia porta australis, in quam perducebantur aquæ per canalem de fonte Etham, ibique primum lavabat Sacerdos magnus. Tertium erat conclave lavantium, ubi lavabant intestina Sanctitatum; atque inde erat cochlea, i. e. structura lapidea ex gradibus rotundis, & fornicata erat, Italice dicitur, *Scala a Lumaca*; per cochleam ascendebatur in tectum conclavis Parvæ. Postquam igitur detracti fuerint undecim cubiti a principio gradus, super quem excitatum erat pulpitum, ab austro ad aquilonem, ut pavimentum esset æquale, tibi mente finge a pariete orientali remoto a muro australi atrii undecim cubitos, protractum esse ab oriente ad occidentem alterum parie-

parietem, cujus longitudo erat undecim cubitorum, crassities autem duorum cubitorum, & altitudo tredecim cubitorum cum dimidio; Et in fine hujus inveniebatur alter paries protractus ab aquilone ad meridiem, longus undecim cubitos, altus tredecim cum dimidio, & crassus duos cubitos; tunc tibi erit conclave, cujus spatium erit novem cubitorum in longitudine, & etiam novem cubitorum in latitudine, & tredecim cubitorum cum dimidio in altitudine; & hoc erat conclave salis, in quo ædificabis portam in ejus pariete aquilonari, quæ aperta erat in atrium Israelis, uti opus erat; & longitudo, & latitudo hujus portæ erat quaquaversum trium cubitorum, & super porta faciendæ erunt valvæ ligneæ, quæ clauderent, in duas partes æquales divisæ, & pessulus erat in iis extrinsecus cum seris decentibus; & asseres valvarum intrinsecus obtecti erant laminis æneis, quæ clavis etiam æneis confixæ erant, ad asservandas valvas ligneas, ne sale, a quo tangebantur, roderentur, & consumerentur; & forsitan valvæ melius tegerentur ferro, quam ære; tamen non erant ferreæ, quia non erat æquum, ut abbrevians vitam tangeret illud, quod adscendebat in id, quod vitam producebat. Postquam adscenderis duos cubitos cum dimidio, ubi erat ambulacrum Sacerdotum, altius ambulacro Israelitarum duos cubitos cum dimidio, perduces conjunctum muro, quem ab oriente ad occidentem extruxisti, alterum pariter ab oriente ad occidentem, qui pateat in longitudinem undecim cubitos, in crassitiem duos cubitos, & undecim cubitos in altitudinem, & in ejus fine perduces parietem iterum ab aquilone ad austrum latum undecim cubitos, duos crassum, & undecim altum; tibi erit conclave, quaquaversum novem cubitorum, & undecim altum. Deinde in dimidio hujus spatii inter duos parietes, qui sunt ab austro ad aquilonem, perduces alterum parietem, pariter ab austro ad aquilonem longum undecim cubitos, & crassum pariter duos cubitos, pro cochlea, quæ in conclavi lavantium constructa, aut huic parieti innixa erat; erunt tibi duo conclavia in æquali ordine, unum post aliud, & patebunt in latitudinem tres cubitos cum dimidio, & novem in longitudinem. Singulis construenda est porta in eorum pariete septentrionali, quæ aperta sit in atrium Sacerdotum; & portæ erunt latæ unum cubitum, & altæ duos cubitos cum dimidio; & in distantia duorum cubitorum super portam prope tectum conclavium, singulis conclavibus ædificandæ sunt duæ fenestræ quaquaversum unius cubiti, cum valvis ligneis in duas partes divisis cum super portas tum super fenestras, & pessulus fenestrarum erit intrinsecus, & pessulus valvarum cum seris extrinsecus; & habebis conclave salis, conclave Parvæ, & conclave lavantium, in quo erit cochlea, qua adscenditur in tectum conclavis Parvæ, uti dictum est; atque eorum tectum erit pariter æquale. Sed priusquam agam de reliquis conclavibus, quæ erant in atrio, te rogo Lector, ne tibi videatur absurdum, si videas, quod ego putaverim, atque adhuc putem, in ædificio sex horum conclavium, crassitiem parietis fuisse duorum cubitorum; quamvis juxta opinionem nostrorum Rabinorum, omnes parietes crassos esse debere unum cubitum, in Misna *Bava Batra* cap. I. 1. *ubi solent exstruere* &c. quia parietes Sanctuarii non sunt demonstrandi ex parietibus profanis; sed plerumque parietes sacri distincti erant a profanis, vel ratione immanis ponderis, quod illis impositum erat, vel ratione usus. Quis ignoret parietem, qui unum tantum cubitum crassus sit, non posse sustinere, & ferre magnam altitudinem, ut in his accidere debuit?

43 Tria vero &c. *Middoth ibid.* Quæ ad austrum
(alii legunt שבצפון) erant conclave ligni, concla-
ve scaturiginis, conclave cæsi lapidis. De conclavi
lignorum dixit R. Elieser filius Jacobi, reperi quis
ejus usus fuerit. Aba Saul inquit, fuit conclave Sa
cerdotis magni, ut alterum illud. Horum vero trium
tectum æquale fuit. Conclave scaturiginis quod atti-
net, ibi puteus fixus sive cavatus, atque trochlea
imposita erat, unde aqua suppebitabant toti atrio.
In conclavi cæsi lapidis consessus magnus Israelis se-
debat, ac etiam judicabat Sacerdotes. *Schilte Hag-
gibborim ibid.* Hæc erant tria conclavia, quæ erant
ad aquilonem; Conclave cæsi lapidis, ubi Synhe-
drium magnum Israelis considebat in parte ipsius

profana, & de omnibus judicabat; ideoque hoc conclave dimidium erat in sacro, & dimidium in profano, quia in dimidio sacro non poterat considere Synhedrium in ipso atrio, sicuti dictum est; *cumque venisset rex David, & sedisset coram Domino.* 1. *Paralip.* XXVII. 16. Alterum erat conclave Captivitatis, in quo erat puteus fixus, quem foderunt ii, qui de captivitate Babylonis adscenderunt, eique trochlea imposita erat, & inde utebantur aqua pro toto atrio. Tertium erat conclave ligni, quod erat conclave summi Pontificis, quod etiam conclave Parhedrin vocabatur, uti legitur in tractatu *Joma*; *Septem diebus ante diem expiationis separabant Summum Sacerdotem a domo sua in Conclave Parhedrin*; Et scitote, quod adsessores Regum vocabantur Parhedrin; & propterea quod summi Sacerdotes domus secundæ post Simeonem Justum dabant nummos pro ministerio Pontificis maximi, & quia impii erant, non implebant annum, & mutabantur ad mensem duodecimum, quemadmodum adsessores regii singulis annis mutari solent; ideoque vocabantur Parhedrin; fortasse erat aliud conclave appellatum conclave Abtines, & conclave Parhedrin erat in plaga australi; hujusmodi dubium in Gemara perpenditur. Postquam igitur detraxeris a plaga aquilonari pariter undecim cubitos a principio gradus, cui impositum erat pulpitum ab aquilone ad austrum propter ea quæ supra scripsi, tibi animo finges, quod a pariete orientali distanti a muro aquilonari undecim cubitos, perducatur ab oriente ad occidentem murus longus undecim cubitos, duos crassus, & tredecim cum dimidio altus; & in fine hujus muri sit alter murus protractus a meridie ad aquilonem longus undecim cubitos, duos crassus, & tredecim cum dimidio altus; tunc erit tibi conclave, cujus spatium patebit novem cubitos in longitudinem, novem in latitudinem, & tredecim cum dimidio in altitudinem; deinde in fine muri orientalis, qui est in angulo orientali boreali, cum eo compinges alterum parietem protractum versus septentrionem longum undecim cubitos, duos crassum, & viginti septem altum, & in fine alterius muri, qui perductus est ab austro ad aquilonem, cum eo conjunges pariter alterum parietem extra atrium, longum undecim cubitos, duos crassum, & viginti septem altum (nam extollendus erat hic paries tredecim cubitos cum dimidio supra ceteros muros, ut æqualiter ad altitudinem omnes parietes pervenirent, cum tibi constet pavimentum portæ Susan humilius fuisse pavimento portæ Nicanoris tredecim cubitos cum dimidio, & memineris summam graduum in altitudine dimidii cubiti pro singulis gradibus, quibus ab Hel in atrium mulierum, & ab atrio mulierum in atrium Israelitarum adscendebatur) rumpatur paries atrii septentrionalis, qui est inter duos muros extra ipsum protractus, eaque ruptura aperta relinquatur, & extra atrium in fine duorum parietum, qui perducti sunt ad aquilonem, exstruatur alter paries, qui duos parietes claudat muro, cujus longitudo sit undecim cubitorum, duorum crassities, & viginti septem altitudo, in pariete australi hujus conclavis ædificetur in sacro porta aperta in atrium Israelitarum, alta tres cubitos, pariterque tres lata, & in pariete boreali extra atrium exstruatur altera porta aperta in Hel alta tres cubitos, pariterque tres lata, tunc erit tibi conclave alterum, cujus longitudo patebit ab austro ad aquilonem octodecim cubitos, novem latitudo, & tredecim cum dimidio altitudo. Verum inter duos parietes, qui prominent extra atrium, ædificetur tectum, vel pavimentum usque ad finem horum parietum, quod sit æquale pavimento interiori conclavis cæsi lapidis, quod situm est intra atrium, & super ejus porta in Hel aperta, id est in muro, qui claudit duos parietes exteriores, excitentur viginti septem gradus in altitudine pro singulis dimidii cubiti, & in latitudine pariter dimidii cubiti, ut adscendatur per eos ad pavimentum atrii conclavis cæsi lapidis per pavimentum exterius, quod exstructum est, uti dictum est, æquale pavimento interiori, uti decet, & æquum est; & super singulas portas sacri & profani, facienda est fenestra, quæ distet tres cubitos a tecto conclavis, cujus altitudo & latitudo sit duorum cubitorum, & super fenestras & portas faciendæ sunt valvæ ligneæ in duas divisæ; & pessuli cum duarum fenestrarum, tum portæ Sacri cum suis seris erant intrin-

intrinſecus, & peſſulus, & ſeræ portæ profani erant extrinſecus; & hoc erit conclave cæſi lapidis, dimidium in Sacro, & dimidium in profano; Conſidebat Synhedrium in forma ſemicirculari, ejus facies converſæ verſus dimidium ſacri; & in ejus conſpectu aderant duo ſcribæ &c. Deinde in fine muri, quem excitaſti in atrio ab oriente ad occidentem, poſtquam adſcenderis duos cubitos cum dimidio in pavimentum ambulacri ſacerdotum altius duos cubitos cum dimidio ambulacro Iſraelitarum, ut conſtat, compingatur, & adjungatur alter paries protractus pariter ab oriente ad occidentem, cujus longitudo, & latitudo ſit undecim cubitorum, & duorum cubitorum craſſities, & in fine hujus parietis excitetur alter paries ab auſtro ad aquilonem longus, & latus undecim cubitos, & duos cubitos craſſus, tunc erit tibi conclave, cujus ſpatium erit in longitudine, & latitudine novem cubitorum, & in altitudine undecim. Verum ſi excitetur in dimidio parietis, qui extenditur ab auſtro ad aquilonem, alter paries protractus ab oriente ad occidentem longus undecim cubitos, pariterque undecim altus, & unum tantum cubitum craſſus, qui perveniat ad ſecundum parietem, perductum ab aquilone ad auſtrum; tunc facienda ſunt duo conclavia, quorum ſingula ſint lata ab aquilone ad auſtrum quatuor cubitos, & longa ab oriente ad occidentem novem cubitos; & porta conclavis captivitatis in longitudine trium cubitorum, & in latitudine unius cubiti cum dimidio erit in muro auſtrali aperto in atrium Sacerdotum; atque etiam ſuper ejus porta in diſtantia duorum cubitorum prope tectum hujus conclavis fiat feneſtra quaquaverſum unius cubiti, cum valvis ligneis in duas diſtributis tam ſupra feneſtram, quam ſupra portam; & erit peſſulus feneſtræ intrinſecus, & peſſulus cum ſeris extrinſecus. In Conclavi ligni duntaxat facienda eſt porta in longitudine trium cubitorum, & in latitudine unius cubiti cum dimidio in ejus muro boreali, qui eſt paries aquilonaris atrii, aperta in Hel cum valvis ligneis in duas diviſis, & fineſtra ſuper eam, uti dictum eſt in conclavi cæſi lapidis; & ſint peſſulus & ſeræ feneſtræ intrinſecus, & porta Conclavis ligni aperta ſit in profanum, uti dictum eſt; & intrinſecus ſint peſſulus & ſeræ, ut poſſit ibi ſummus Sacerdos quieſcere, & commorari ſeptem dies ante diem expiationum, & in parte exteriori hujus portæ ſint pariter peſſulus & ſeræ ad claudendum extrinſecus tempore neceſſario, & 27. gradus, uti ſcripſi in por a conclavis cæſi lapidis aperta in Hel, ita ut inde deducere eum poſſent ſeniores Sanhedrin in vigilia diei expiationum cum adveſperaſceret, & tradere eum ſenioribus ſacerdotii; quia introducebant eum in conclave Abtines, ibique eum adjurabant, uti legitur in tractatu *Joma cap.* 1. 5. Ideoque conclave quod proximum erat lateri parietis aquilonaris atrii ſit neceſſe eſt conclave ligni, & conclave, quod cum eo conjunctum erat, & reſpiciebat ad auſtrum, ſit conclave captivitatis; Etenim hoc modo conclave ligni omnino ſitum erat poſt tergum conclavis captivitatis, atque etiam poſt tergum conclavis cæſi lapidis, quod erat in ſacro intra atrium, quod reſpiciebat auſtrum; & atrii pars eſt perinde ac totum &c. Hæc mea eſt ſententia de his ſex conclavibus præſertim ſitis in parte atrii generaliter ſumti. Ego non ignoro nonnulla quæ ſcripſi, opinioni *Maimonidis* contraria eſſe; idcirco ſi hæc mea ſententia tibi diſpliceat, quæ non multum abeſt a mente *Raſchi*, & noſtri magiſtri *Obadiæ*, quieſce, & ſequere omnino quod ſcripſit *Maimonides* præceptor noſter f. m. Jam tibi coſtat a *Maimonide* collocari tantum conclave ligni prope murum aquilonarem atrii, & conclave cæſi lapidis, & conclave captivitatis ab eo collocari prope murum auſtralem conclavis ligni, juxta figuram, quam delineat in ſuo commentario Miſnæ; neque collocat partem conclavis cæſi lapidis extra atrium in Hel, & partem in ſacro, ut a me factum eſt; ſed ſcribit in cap. v. 4. *Middoth*, quod ei erant duæ portæ, una aperta in ſacrum, & altera in profanum; & dimidium profani erat ad occidentem, ubi conſidere poterat Synhedrium, non vero in ſacro, quia nemini licebat ſedere in atrio, uti dictum eſt, niſi unis Regibus de domo David. Ex eo quod dicit Præceptor, quod porta conclavis cæſi lapidis, quæ aperta erat in profanum, & ejus dimidium profanum fuerit ad occidentem; ego fateor meam inſcientiam, quod propter meum mediocre ingenium ego non intelligo, qui fieri potuerit, ut pars occidentalis eſſet profana una cum porta aperta in occidentem. Idcirco Lector conſidera, quod tibi propoſui, & ſcito, quod princeps exercitus Dei magnificus, & admirandum lumen lucis caput Academiæ *R. Samuel Marli* pro occidente putat legendum orientem; tunc dici poterit, quod porta aperta hujus conclavis eſſet in Hel, nempe in atrio mulierum, ibique conſideret Synhedrium uti dictum eſt. Addunt noſtri Rabini in tractatu *Middoth cap.* v. 4. tectum horum trium conclavium aquilonarium fuiſſe æquale; Si dices tectum conclavis cæſi lapidis, quod erat e regione ſacri, & in ſacro, fuiſſe ſanctum, & quod erat e regione profani, & in profano, fuiſſe profanum, recte erit, & confirmabitur a verbis noſtrorum Rabinorum in tractatu de *Decimis ſecundis* cap. III. 8. *Conclavia conſtructa in Sancto, & aperta in profanum &c.* Et vos mei filii ſcitote, quod poſtquam hoc caput perfecerim, Dominus noſter Deus mihi notum fecerit ſapientem ex incolis Zaphet, qui vagabatur per urbes noſtrarum provinciarum, ubi incolunt filii Iſraelis fratres noſtri, ut ſibi opitularentur, & domui ſuæ, & miſeris filiis, qui in eorum urbe remanſerant in ſumma egeſtate; & ex ejus ore audivi verſionem *Gemaræ* in II. capite tractatus *Joma* circa conſtitutiones conclavis cæſi lapidis, quam hic deſcribam, ut intelligatis, quod in eo, quod *Maimonides* f. m. collocaverit conclave cæſi lapidis totum in ſacro, aberraverit omnino ab eo, quod ſcriptum eſt in *Gemara*. Et forſitan, quod collocarit ejus latus profanum ad latus occidentis, ipſa verſione, ut videbitis, confirmatur. Magnificus *Marli*, de quo ſupra diximus, poſtquam intellexit ſenſum ejuſdem verſionis *Gemaræ* nomine ejuſdem ſapientis, non immutavit verba *Maimonidis*, & in ſuum priſtinum ſtatum reſtituit, retinens occidentem in ſua verſione, non orientem. Qua de cauſa indoluit cor meum, & tremens factus ſum & ſtupens de eo quod vidi, & in mea priſtina inſcitia adhuc ſum, donec ſit qui mihi ſignificet, quomodo fieri poſſit, quod cum conclave cæſi lapidis ſitum ſit totum in Sancto juxta ſententiam *Maimonidis*, latus ejus occidentale ſit in profano; ſi ibi aperta fuerit porta in occidentem; Verum juxta meum ſyſtema facile, per miſericordiam Domini inveniemus locum promtum ei quod dixerunt in *Gemara* Sapientes; quod plane intelligetis, quando vobis demonſtravero eandem verſionem, quæ eſt ejuſmodi, uti mihi idem ſapiens oretenus ſignificavit. Dicit R. Seſſat; unde id probo? ex eo quod habetur in *Baraitha*. Conclave cæſi lapidis erat inſtar Baſil cæ magnæ (Baſiliki, cum ſcribitur cum Kappa, græce deſignat locum magnificum, & maxime nobilem, ut in eo exerceantur judicia publica) locus ſortis erat in ejus plaga occidentali, & ſenex ſedebat in occidentali, & Sacerdotes conſiſtebant in ordine circulari inſtar בוליאר, & præfectus veniebat, & uni eorum tiaram e capite ſumebat, & ab illo ſortem numerandi incipere ſciebant. Si tibi vero in mentem veniret, quod veſtibus profanis induti eſſent, in veſtibus ne profanis erat mitra? fieri poteſt, uti dicit R. Jehuda, & ſunt aliqui qui dicunt, R. Samuel filius R. Jehudæ; Sacerdos, cui mater feciſſet tunicam, poteſt ea ipſe unus miniſtrare. Dicit Abaje hinc eruitur, quod conclave cæſi lapidis dimidium eſſet in ſancto, & dimidium in profano; hoc quoque eruitur, quod ei duæ portæ eſſent, una aperta in ſanctum, & altera in profanum; ſi tibi in mentem veniret, quod totum ſitum eſſet in ſancto, ſenexne ſedebat in ejus plaga occidentali? Verum dicit Mor, non poterant ſedere in atrio niſi Reges de domo David. Si tibi in mentem veniret, quod totum in profano eſſet, ſortiebanturne in parte orientali? Verum eundum erat in domo Dei cum cœtu; neque ita eſſet; dicendum eſt igitur, quod dimidium eſſet in ſancto, & dimidium in profano. Si tibi in mentem veniret, quod una porta ei eſſet, & aperta in ſanctum, ſenexne ſedebat in ejus parte occidentali? Verum legitur in *Miſna*; *conclavia exſtructa in profano, & aperta in ſanctum, eorum ſpatium interius ſit ſacrum*. Si tibi in mentem veniret, quod aperta eſſet in profanum, ſortiebanturne in oriente? verum legitur in Miſna, *exſtructa in ſancto, & aperta in profanum, eorum ſpatium interius eſt profanum*.

num. Dicendum est igitur, quod duæ illi essent portæ, una aperta in sanctum, & altera in profanum. Hactenus *Gemara*. Ecce *Raschi* commentarium in hanc versionem. *Conclave cæsi lapidis*, in quo sortiebantur, *Basiliki*, domus alta, quod erat super loco superiori. Verum ego miror, quod *Raschi* ita explicet; etenim conclave cæsi lapidis non erat ædificatum super loco superiori; nisi vero diceremus, quod *Raschi* denominet locum superiorem illi ordini, aut pavimento, quod ego assignavi super conclavi cæsi lapidis extra atrium, uti scriptum est in hoc capite. *Sortitio in oriente*, ordo circularis eorum, qui sortiebantur, erat in oriente; *& senex Synhedrii*, nempe is, qui docebat sortiendi modum, sedebat in occidente, *instar* בוליאר; sc. circuli, qui denominatur *Nosca*; ego Abraham ignoro interpretationem hujus vocis *Nosca*, quæ Hebraica non est, & fortasse est *Gallica*, uti videre est in commentario in *Esai*. cap. III. in versiculum 20. *ornamenta pectoris* (sic Hebræus) *& inaures*, ubi scribit; *ornamenta pectoris*, quæ sunt e regione cordis *Nosca* juxta linguam hujus gentis. *A quo initium sumebat numerandi sortes*, uti explicavi in principio capitis, quemadmodum docet R. Samuel filius R. Jehudæ ulterius in cap. 3. quod matres sacerdotum de suis facultatibus conficiebant vestes ad instar vestium sacerdotalium suis filiis, ad ostentandum suas opes, & pulchritudinem artificii, & ad decus religionis, uti legitur; Sacerdos, cui Mater tunicam confecisset, potest eam induere, & in ea ipse unus ministrare. *Non licebat sedere in atrio*; sicuti dictum est; *Et non poterant Sacerdotes stare, & ministrare*; 3. *Reg*. VIII. 11. illi stabant coram Domino; sed uni reges de domo David legimus, quod sederent; sicuti dictum est 1. *Paralip*. XVII. 16. *Cumque venisset rex David, & sedisset coram Domino*, & dixit; *quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea?* Quia opus est in domo Dei ire cum cœtu. Igitur sortiendum erat in domo Dei. Hactenus commentarium *Raschi* f. m. Si modo recte observavimus in structura conclavis cæsi lapidis, quam efformavi, plane videbimus a me servatas esse omnes conditiones hujus versionis; quia illud construxi dimidium in sancto, & dimidium in profano, eique ædificavi duas portas, unam apertam ab aquilone, & alteram ab austro; Etenim Abaje non nominat orientem, & occidentem in portis, neque erat necesse, ut ibi fierent, & non alibi, sed simpliciter dicit; erant igitur ibi duæ portæ &c. Nobis licet credere eas in quolibet latere sitas fuisse, sed ea tamen lege, ut una aperta esset in sanctum, & altera in profanum; Idcirco juxta meum systema statuentur portæ, quas mihi finxi, secundum Gemaræ opinionem, ut propter portam apertam ad latus aquilonare in profanum, esset locus seni sedendi in parte occidentali in profano, quia omnia latera dimidii atrii, quod erat a parte aquilonari, & pars occidentalis includitur, propter portam, quæ aperta erat in profanum, erant profana; sicuti totum dimidium, quod erat ad austrum, propter portam apertam in Sanctum, erat Sanctum; ideoque in ejus orientali parte, quæ erat in Sancto, sortiebatur, uti dictum est in versione citata; Hæc est mea sententia de his conclavibus; si fortasse in eorum structura dixerint nonnulli sapientes, quod aberraverim a vera via (quod non puto) non ero refractarius ad bibendum cum siti quod placet, & rectum est, juxta nostros Rabinos, & dandam operam, ut hæc conclavia disponantur, si necesse fuerit ea disponere juxta eorum doctrinam, neque ab eorum præceptis declinabo neque ad dextram neque ad sinistram.

Præter hæc alia commemorantur conclavia XXV. *Schilte Haggibborim*. Hactenus (*inquit*) auxiliatus est mihi Deus, ut describerem conclavia, & alia loca, quæ erant in Sanctuario. Nunc scribam de domibus & conclavibus, quæ fuisse oportebat in monte domus. At ego inscitiæ meæ causa nescio, in quonam ex quatuor lateribus præcise sita essent.

Primum erat conclave mensariorum, qui consistebant in Sanctuario die quinto & vicesimo Adar, & pignus sumebant a Levitis, Israelitis, Proselytis, & Libertinis, qui siclos suos non attulissent; at propter pacem non sumebant pignus a Sacerdotibus, uti dicitur in tractatu Sekalim 1. 3.

Secundum erat conclave siclorum, qui ibi reponebantur ad comparanda sacrificia, eosque separabant ad

dimidium (*nempe quindecim diebus*) stante Pascha ad dimidium ante Pentecostem, ad dimidium ante festum Tabernaculorum; fieri potest, ut ibi reponerentur decem cornua ex tredecim, quæ erant in Sanctuario; vocabantur cornua, quia forma similia cornibus erant, nempe arcæ superius augustæ, & inferius latæ instar cornu, deceptorum causa, ne possent in ea suas manus immittere, dum viderentur in ea projicere, educerent. Primo cornu inscriptum erat *Sicli novi*; secundo *sicli veteres*, tertio *ligna*, quarto *thus*, quinto *aurum* pro propitiatorio, sexto *reliquiæ sacrificii pro peccato*, septimo *reliquiæ sacrificii pro delicto*; octavo *reliquiæ sacrificii Naziræi*, nono *reliquiæ sacrificii pro delicto Leprosi*, decimo simpliciter *spontaneum*.

Tertium erat conclave Petachiæ, & erat conclave nidorum; fieri potest, ut ibi essent tria reliqua cornua, primo inscriptum erat *nidi*, & erant turtures grandiusculi; secundo *columbi* in holocaustum, & hi erant filii columbarum parvi; tertio *reliquiæ nidorum, votorum, spontaneorum, & puerperarum*. Neque hic mentionem faciam de conclavi Achiæ, qui præerat libaminibus, quia fieri potest ut idem esset ac oleorum conclave, ubi erant necessaria candelabro, & simila pro muneribus, & vinum pro libaminibus; & erat occidentale orientale, quod erat in atrio mulierum.

Quartum erat conclave Eleazaris, qui præerat velis.

Quintum erat conclave occultorum, in quod viri pii clam immittebant nummos pro pauperibus honesto loco natis, & ex his clam alebantur. Neque hic mentionem faciam conclavis Jochanan filii Pinchas, qui præerat sigillis, quia erat idem conclave orientale boreale, quod situm erat in domo incendii, uti dictum est.

Sextum erat conclave oblationis vasorum; quicunque enim aliquod vas offerebat, ibi reponebat; & trigesimo quoque die Quæstores aperiebant; & quodvis vas, quod esset idoneum pro sancta domo, in alio conclavi reponebant destinato ad instaurationem domus, uti legitur in tractatu *Sekalim* v. 6. Et hoc non erat conclave vasorum, unde educebantur tria & nonaginta vasa argentea & aurea, quia hoc conclave quotidie, & illud trigesimo quoque die aperiebatur.

Septimum erat conclave instaurationis domus, ubi reponebantur omnia sanctificata pro instauratione domus.

Octavum erat conclave Vasorum, unde singulo mane educebantur tria & nonaginta vasa argentea & aurea.

Nonum erat conclave Thesaurorum, quos sanctificaverant Rex aut Imperatores exercitus, qui præerant mille, & centum ex spoliis bellicis, qui quoque vocabantur thesauri domus Domini, uti videtur in Rege Jehoas, qui non instauravit domum Domini ex thesauris domus Domini, quos deinde misit ad Hazael Regem Syriæ, sed argento, quod obtulerunt omnes Israelitæ, quod posuerunt in arca, quam fecerat Jehojadas Sacerdos, uti 4. Reg. XII.

Decimum erat conclave lignorum, ubi reponebant omnia ligna necessaria pro toto anno, quæ offerebant fili David filii Jehudæ, & filii Parhos, & eorum socii.

Undecimum erat conclave anathematum, de quibus participabant Sacerdotes; & quamvis cap. VIII. tractatus *æstimationum sacrarum* 6. de eo disputant, R. Jehuda filius Betheræ, & Sapientes, utrum anathemata data essent Sacerdotibus, an inservirent instaurationi domus, deciditur juxta sententiam sapientum dicentium anathemata simpliciter devota cessisse Sacerdotibus, sicut dictum est Levit. XXVII. 21. *Et possessio consecrata ad jus pertinet Sacerdotum*. Cur igitur dictum est *ibid*. v. 28. *Quicquid semel fuerit consecratum; Sanctum Sanctorum erit Domino?* quia cadebat in Sancta Sanctorum, & in sancta leviora, uti ibi dicitur.

Duodecimum erat conclave primitiarum frugum terræ.

Tertium decimum erat conclave separationis, & placentæ.

Quintum decimum erat conclave decimæ Levitarum.

Sextum decimum erat conclave decimæ ex deci-

ma pro Sacerdote; & si removebimus ab his conclave anathematum, ibique statuemus conclave lignorum, rationes suppeditabit sacer textus in *Nehem.* X.

Decimum septimum erat conclave medicamentorum, unguentorum & emplastrorum, quæ opuserant Achiæ præfecto morbis Sacerdotum; neque hic mentionem faciam de conclavi aromatum suffitus, quia fieri potest, ut asservarentur in conclavi Abtines, quod situm erat super porta aquarum, ubi conficiebatur suffitus.

Decimum octavum erat conclave appellatum conclave lapidis pro Sacerdote vaccam rufam comburente; & explicant in principio Gemaræ *diei expiationum;* cur vocabatur domus conclavis lapidis? Quia omnes ejus operationes fiebant vasis marmoreis, & lapideis, aut vasis terreis; sunt qui explicant juxta phrasin textus *Genes.* XLIX. 24. *Inde pastor egressus est, lapis Israel.* Quod erat versus Sanctuarium ad latus boreale orientale; & adspergebant super Sacerdotem comburentem vaccam rufam integro septiduo de omnibus sacrificiis pro peccato, quæ ibi erant, uti legitur in tractatu de *Vacca Rufa* III. 1.

Decimum nonum erat conclave Beth-Phagi, uti legitur in Mischna tractatus *Menachoth* XI. ubi *R. Obadia de Barthenora* scripsit. *Maimonides* dicit hunc locum fuisse proximum monti domus extrinsecus; at liceat cum ejus honore; Maimonides non ita ut ille dicit, scribit; quia ejus verba sunt quæ explicavimus, sc. Beth-Phagi fuisse conclave extra atrium; si fuerit extra atrium, non ideo dicit, fuisse extra montem domus.

Vigesimum erat conclave Sacerdotis uncti in bellum.

Vigesimum primum erat conclave Sagan, seu Vicarii.

Vigesimum secundum erat conclave duorum Catholicorum.

Vigesimum tertium erat conclave septem Præfectorum.

Vigesimum quartum erat conclave trium Quæstorum.

Vigesimum quintum erat conclave Sacerdotum ex viginti quatuor classibus eo die, quo in Sanctuario non ministrabant; appellatur in *Ezechiele* XL. 46. *Porro Gazophylacium quod respicit ad viam aquilonis Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris.*

Vigesimum sextum erat conclave Levitarum Cantorum, vocatum, לשכת פטורים (scriptum est sine ו) כנראה 1. Paral IX. Et forsitan hæc sunt illa conclavia appellata in *Ezech.* XL. 44. conclavia Cantorum, uti scriptum est *& extra portam interiorem* &c.

Vigesimum septimum erat conclave Levitarum Janitorum.

Vigesimum octavum erat conclave Levitarum noctu custodientium Sanctuarium, & erat conclave meridionale descriptum in *Ezech.* XL. 45. *Hoc est gazophylacium, quod respicit viam meridianam, Sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.* Et Levitæ appellantur Sacerdotes, sicuti Sacerdotes vocabantur Levitæ, sicuti *ibid.* v. 46. dictum est. *Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris, isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi* &c.

Vigesimum nonum erat conclave virorum stationis.


Trigesimum erat conclave synedrii septuagintaviralis. Præterea erant quindecim conclavia pro quindecim præfectis suanctuarii, si dormire libuisset in monte domus.

Hierosolymæ vero erant quoque multæ domus pro singulis Synhedris, quando non libuisset habitare cum reliquis Synhedris. Pariter erant ibi conclavia summo Sacerdoti, ceterisque omnibus, qui in Sanctuario ministrabant.

Hactenus scripsi, quod putavi, de numero conclavium & cœnaculorum, quæ sita erant in monte domus. Major pars de his conclavibus & cœnaculis sita erat ad latus meridionale, quia in plaga meridionali nulla præter hæc collocata erant conclavia, & cœnacula, sicuti erant in oriente & aquilone, quia ibi tantum erat conclave Abtines, & conclave pro summo Sacerdote super porta aquarum; & reliquum ejus distantiæ ante ædificium conclavium novorum, erat omnino vacuum; & minor pars cœnaculorum, & conclavium erat in plaga orientali in domo secunda propter atrium mulierum, & reliqua omnia conclavia, quæ diximus ibi contineri; ideoque ibi non erat locus conveniens, ubi inædificarentur multa conclavia, & cœnacula. Verum in Ædificio *Ezechielis* ibi erant triginta conclavia, uti scriptum est XL. 17. *Et eduxit me ad atrium exterius* (hoc erat atrium mulierum) *& ecce gazophylacia & pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum; triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.* At in plaga aquilonari, propterea quod ibi situm erat conclave cæsi lapidis, & cœnaculum portæ Nitzotz, & domus incendii; pauca erant cœnacula; pariterque in plaga occidentali non multa erant cœnacula propter honorem illius lateris, quia ibi habitabat gloria Dei Israelis. Idcirco scripserunt in tractatu *Middoth*. *Maximum spatium erat ab austro* (nempe major pars ædificii montis domus horum conclavium additorum, erat in plaga australi) *proximum ei ab oriente; tertium ab aquilone; minimum vero ab occidente. Eo loco ubi majus erat spatium, major erat ejus usus.*

44 Ostiaque habebat duo &c. *Joma f.* 25. Conclavis ex lapidibus cæsis pars media erat in loco sancto, & media in profano; unde quoque disces, duas habuisse portas, unam apertam in loco sancto, alteram in loco profano.

45 Duo erant &c. *Middoth* 1. 4. In oriente erat porta Nicanoris, quæ duo habebat conclavia, unum a dextra, alterum a sinistra; unum erat conclave Pinchasi vestiarii; alterum conclave crustulario destinatum.



פרק ששי

א. המקדש כולו לא היה במישור אלא במעלה ההר כשאדם נכנס משער מזרחי של הר הבית מהלך עד סוף החיל בשוה

CAPUT SEXTUM.

I. SAnctuarium non erat totum in plano & æquo situm. Nam * bona pars ejus erat in [1] clivo montis. Qui igitur in Sanctuarium per portam in oriente montis sitam ingressus erat, is recta pergebat ad ועלה

I. *Bona pars ejus erat in clivo montis.* Inde factum, ut passim in Codicibus Sacris, tum Sion, tum Jerusalem appelletur mons sanctus, Psal. 2. v. 9. *Super Sion montem sanctum* Isa. 66. v. o. *Ad montem sanctum meum Jerusalem* Dan. 9. v. 16. *Jerusalem monte sancto tuo* Et rursus Psal. 48. v. 2. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto.* Joelis cap. 3. v. 17. *Habitans in Sion monte sancto meo.* Et ibid. 2. v. 1. *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo.* Ad quæ verba commode germanus Frater meus P. DE VEIL, Canonicus Regularis, Doctor Theologus: „ Aliis verbis, inquit, repetit id quod mox dixerat, *Canite tuba in Sion.* Pergit ibidem: Hic mons situs erat „ ad aquilonem, ut colligitur ex Ps. 43. v. 3. habebatque duos, aut ut alii volunt tres colles, unde Trijugus appellatur. Primus peculiariter Sion dicebatur: secundus Moria, in quo erat templum, unde specialiter vocatur, *mons sanctus Domini, mons Domini, mons domus*, id est, *templi Domini:* tertius Acra. Tres fuere colles in urbe, inquit Josephus lib. 5. de bello Judaico, unus in quo urbs, quam David construxerat, quæ civitas David vocatur. Alter in quo erat arx, qui undique declivis erat, & subjectam urbem inferiorem habebat. Tertius, humilior, in quo erat templum. Hæc germanus meus in suis ad laudatum Joelis locum Commentariis.

ועולה מן החיל לעזרת הנשים ב״ב מעלות רום כל מעלה חצי אמה ושלחה חצי אמה

ב. ומהלך כל עזרת הנשים בשוה ועולה ממנה לעזרת ישראל שמוא תחלת העזרה בחמשה עשר מעלות רום כל מעלה חצי אמה ושלחה חצי אמה

ג. ומהלך כל עזרת ישראל בשוה ועולה ממנה לעזרת הכהנים במעלה גבוה אמה ועליה דוכן יש בו שלש מעלות רום כל מעלה חצי אמה ושלחה חצי אמה נמצאת עזרת הכהנים גבוה על של ישראל שתי אמות ומחצה

ד. ומהלך כל עזרת כהנים והמזבח ובין האולם ולמזבח בשוה ועולה משם לאולם ב״ב מעלות רום כל מעלה חצי אמה ושלח׳ חצי אמה והעולם וההיכל כולו בשוה

ה. נמצא גובה קרקע ההיכל על קרקע שער המזרח של הר הבית שתים ועשרים אמות וגובה שער הר הבית עשרים אמה לפיכך העומד כנגד שער המזרח אינו רואה פתח ההיכל ומפני זה עשו כותל שער גבי שער זה נמוך כדי שיהא העומד בהר המשחה רואה פתח ההיכל בשעה שמזה מדם הפר נוכח ההיכל

ו. ולשכות היו שם תחת עזרת ישראל פתוחות לעזרת הנשים ששם הלוים נותנין הכינורות והנבלים והמצלתים וכל כלי השיר ועל הדוכן העולה מעזרת ישראל לעזרת הכהנים הלוים עומדים בשעה שאומרין שירה על הקרבן

ז. הלשכות הבנויות בקדש ופתוחו׳ לחול אם היו גגותיהן שוין עם קרקע העזרה תוכן חול וגגותיהן קדש ואם אינן שוין אף גגותיהן חול שהגגו׳ והעליות לא לא נתקדשו לפיכך גגים אלו אין אוכלין שם קדשי קדשים ולא שוחטין קדשים קלים

extremum ſpatium intermurale: [2] tum ex eo in atrium mulierum aſcendebat gradibus duodecim, quorum ſingulis erat altitudo dimidii cubiti, & dimidii cubiti * retractio.

II. [3] Rurſuſque recta incedebat per totum atrium mulierum: deinde ex iſto ſcandebat in atrium Iſraelitarum, hoc enim erat atrii principium, [4] quindecim gradibus, quorum unicuique erat altitudo dimidii cubiti, & retractio dimidii cubiti.

III. Perambulabatque totum Iſraelitarum atrium inceſſu æquabili: tum ex iſto aſcendebat in atrium ſacerdotum [5] unico gradu cubitum alto: in hoc autem erat ſuggeſtum [6] trium graduum, quorum quiſque altitudinem habebat ſemicubitalem, & retractionem item ſemicubitalem. Itaque ſacerdotum atrium [7] altius atrio Iſraelitarum erat cubitis duobus & ſemiſſe.

IV. Deinde per [8] totum atrium ſacerdotum, per locum in quo ſitum erat altare, & per intermedium altari & veſtibulo ſpatium recta procedebat. Hinc aſcendebat in veſtibulum [9] duodecim gradibus, quorum ſingulis altitudo ſemicubitalis erat, [10] & retractio ſemicubitalis. Veſtibulum autem, & * templum totum in plano erant.

V. Igitur [11] templi ſolum viginti duobus cubitis altius erat eo ſolo, quod eſſet ad portam montis ædis in oriente ſitam: atqui illa quidem montis ædis porta omnino viginti cubitos erat in altitudinem edita. [12] Ergo fieri non poterat, ut is qui ſtabat ante portam montis ædis, oſtium templi conſpiceret. Quapropter ſupra portam illam [13] paries valde depreſſus erat, ut ſacerdos in monte Oliveti inſiſtens oſtium templi cerneret tum, cum * vaccæ rufæ ſanguinem contra templum ſpargeret.

VI. Sub Iſraelitarum atrio quædam erant [14] conclavia, eaque verſus atrium mulierum aperta. In his citharas, nablia, cymbala reponebant Levitæ, & reliqua fidium genera. Atque in eo quod ex Iſraelitarum atrio in atrium ſacerdotum erat erectum ſuggeſto collocabantur Levitæ carmen ad rem divinam canentes.

VII. [15] Quæ conclavia fuerant in ſpatio constructa ſancto, & aperta in profanum, ſi tecta eſſent illorum æquata ſolo atrii, cava eorum omnino profana; tecta vero ſancta habebantur. Sin non eſſent æquata tecta ſolo atrii, & ipſa quoque profana fuerant. Etenim tecta, & cœnacula, nequaquam conſecrabantur. Itaque in ejuſmodi tectis nunquam nec comedebantur hoſtiæ ſanctiores, nec minus ſanctæ mactabantur.

ח. היו

Retractio. Id eſt, latitudo, quæ pede calcatur.

IV. *Templum totum*. Hic templum pro Sancto Sanctorum & Sancto duntaxat ſumitur.

V. *Vaccæ rufæ*. Eſt hic mendum in textu binorum exemplarium, quibus uſus ſum ad hanc verſionem. פר enim poſitum eſt pro פרה, quod aperte videre licet in Miſna tract. Middot cap. 2. art. 4. unde totus hic locus decerptus eſt: tum vero Majemonides in Commentariis ſuis ejus loci eadem prorſus atque hic aſſerit & פרה exhibet.

ח. היו בנויות לחול ופתוחו׳ לקדש תוכן קדש לאכילת קדשי קדשים אבל אין שוחטין שם קדשי׳ קלים והנכנס לשם בטומאה פטור וגגותיהם חול לכל דבר

ט. המחילות הפתוחות לעזרה קדש והפתוחות להר הבית חול החלונות ועובי החומות כל פנים בין לאכילת קדשי׳ בין לטומאה

י. בית דין שרצו להוסיף על ירושלם או להוסיף על העזרה מוסיפין ויש להן למשוך עד העז׳ המקו׳ שירצו מהר הבי׳ ולמשוך החומ׳ ירושלם עד מקו׳ שירצו

יא. אין מוסיפין על העיר או על העזו׳ אלא ע״פ המלך וע״פ נביא ובאורי׳ ותומים ועל פי סנהדרין של שבעים ואחד זקנים שנ׳ ככל אשר אני מרא׳ אותך וכן תעשו לדורו׳ ומשה רבינו מלך היה

יב. וכיצד מוסיפין על העיר עושין בית דין שתי תודות ולוקחין לחם חמץ שבהן והולכין בית דין אחר שתי התודות ושתי התודות זו אחר זו ועומדין בכינורות ובנבלים ובצלצל על כל פינה ופינה ועל כל אבן ואבן שבירושלם ואומרי׳ ארוממך ה׳ כי דליתני וגו׳ עד שמגיעי׳ לסוף המקום שמקדשין אותו ועומדין שם ואוכלין שם להם תודה אחרת משתי התודו׳ והשנייה נשרפת ועל פי הנביא שורפין את זו ואוכלין את זו

יג. וכן אם הוסיפו על העזרה מקדשים אותה בשירי המנחה מה ירושלם התורה

VIII. [16] Sin constructa fuerant in spatio profano, & aperta in sacrum, cavum eorum erat sanctum adeo, ut in eo vel hostiæ sanctiores comederentur: verum enim ne minus sanctæ quidem ibi mactabantur: tum si quis introjerit immundus, nulla pœna tenebatur. Et illorum tecta ad omnem rem profana habebantur.

IX. Sancti sunt templi specus cum fuerint versus atrium aperti: profani si versus montem ædis. * Fenestræ vero, & spissitudo parietum prorsus interiori loco similes cum ad sacrificiorum sanctiorum esum, tum ad rationem immundorum.

X. [17] Senatus si velit aut urbem Hierosolymam amplificare, aut atrium templi, potest. Is igitur extendat atrium ad quem libuerit intra montem ædis locum, & Hierosolymæ mœnia promoveat quocunque loci voluerit.

XI. [18] Atqui nihil unquam additur urbi vel atriis, nisi ex edicto Regis, simul & auctoritate Prophetæ, responsoque Urim & Tummim, & decreto Senatus ejus, qui unius & septuaginta numero senum erat. Habemus enim in Lege, *Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi*, &c. [Exod. 25. 9.] *Sicque facietis*, scilicet in posterum. Atqui Moyses ille magister noster * rex fuerat.

XII. [19] Sic igitur fiebat urbis amplificatio. Jubebat Senatus duo pro gratiarum actione fieri sacrificia de * fermentatis panibus, qui solebant sacrificiis in istis adhiberi. Ea sacrificia deinceps posita Senatus sequebatur, dum per urbem circunferebantur: insistebat autem ad singula compita, & ad singulos Hierosolymæ * cippos, atque: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*, (*Psal.* 30. 2.) canebat ad citharas, nablia, & cymbala usque, dum ventum erat ad extremum locum eum, qui dedicabatur. * Hic insistebant, ac de duobus sacrificiis eucharisticis comedebant unum, & alterum abolebant igni: horum autem utrum flammis, utrum hominibus esset absumendum, id Propheta decernebat.

XIII. Atque etiam atrio si quid adderetur spatii, * reliquiis fertorum id dedicabatur. Nam ut in amplificanda Hierosolyma,

שנאכלת

IX. *Fenestræ*. Adverte hic templi fenestras, quæ tamen in ratione ædificii ab auctore non describuntur.

XI. *Rex*. Verum est: Moyses rex appellatur Deut. 33. v. 5. ubi secundum textum Hebraicum, atque etiam secundum Paraphrasin Chaldaicam scriptum legitur. *Fuitque in Israele rex*. Vulgatus autem Interpres pro *Fuitque in Israele rex*, posuit, *Erit apud rectissimum rex*.

XII. *De fermentatis panibus*. Nam sacrificia pro gratiarum actione fieri solebant ex animantibus simul & panibus azymis atque fermentatis, ut videre licet Lev. c. 7. v. 12. & 13. Hæc autem ex solis panibus fermentatis fieri solita fuisse asseritur in Gemara tract. Sebuot cap. 2. Videatur etiam Nehemiæ seu 2. Esdræ caput 12.

Cippos. Id est, lapides in urbe excitatos.

Hic insistebant. Haud absimile quid *Livius de Etruscis* refert in enodatione pomerii Dec. 1. Est autem, inquit, magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant certis circa terminis inaugurato consecrabant. *Idemque paulo post*. Et in urbis incremento semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.

XIII. *Reliquiis fertorum*. Ut e fertis sic & cunctis e sacris, quod in altari adolebatur, id quamvis minutum, tamen pro parte præcipua eorum putabatur, & quantumcunque reliquum erat, nomen habebat reliquiarum. Jam de fertis ipsis alio loco disputabitur quid erant.

שנאכלת בה מקרשתה אף העזרה שירי המנחות שאין נאכלין אלא בה הן שמקדשין אותה בהם ואוכלין אותן בסוף המקום שקדשו

יד. כל מקום שלא נעשה בכל אלו וכסדר הזה אין קידוש גמור וזה שעשה עזרא׳ שני תודות זבח הוא שעשה לא במעשיו נתקדש המקו׳ שלא היה שם לא מלך ולא אורים ותומים ובמה נתקדשה בקדושה ראשונ׳ שקדש׳ שלמה שהוא קדש העזרה וירוש׳ לשעתן וקידשן לעתיד לבא

יה. לפיכך מקריבין הקרבנות כולן אף על פי שאין שם בית בנוי ואוכלין קדשי קדשים בכל העזרה אף על פי שהיא חרבה ואינה מוקפת במחיצ׳ ואוכלי׳ קדשי׳ קלי׳ ומעשר שני בכל ירושלם אף על פי שאין שם חומו׳ שהקדושה ראשונה קדשה לשעתה וקדשה לעתיד לבא

יו. ולמה אני אומ׳ במקדש ירושלם קדושה ראשונה קדושתן לעתיד לבא ובקדושת שאר ארץ ישראל לענין שביעית ומעשרות וכיוצא בהן לא קדשה לעתיד לבא לפי שקדושת המקד׳ וירושלם מפני השכינה ושכינה אינה בטילה והרי הוא אומ׳ והשימותי את מקדשיכם ואמרו חכמים אף ע״פ ששוממין בקדושתן הן עומדין אבל חייב הארץ בשביעית ובמעשרות אינו אלא מפני שהוא כבוש רבים וכיון שנלקח׳ הארץ מידיהם בטל הכבוש ונפטר׳ מן התורה ממעשרו׳ ומשביעי׳ שהרי אינה מן ארץ ישראל וכיון שעלה עזרא וקדש לא קדשה בכיבוש אלא בחזקה שהחזיקו בה ולפיכך כל מקו׳ שהחזיקו בה עולי בבל ונתקדש בקדושת עזרא השנייה הוא מקודש היום ואף ע״פ שנלקח הארץ ממנו וחייב בשביעית ובמעשרות על הדרך שביארנו בהלכות תרומה:

incrementum illud per sacrificium pro gratiarum actione, quod intra Hierosolymam ipsam oportebat comedi, item incrementum atrii dedicabatur reliquiis fertorum, quæ nisi in atrio nusquam consumebantur: consumebantur igitur reliquiæ istæ extremo illo, qui dedicabatur, loco.

XIV. Et cujus in loci dedicatione non ista adhibentur omnia, & ordine præscripto, omnino is non rite dedicatur. Atqui duo illa Esdræ sacrificia pro gratiarum actione, illa ad memoriam non ad dedicandum locum adhibita sunt: neque enim ibi rex aderat, neque Urim & Tummim. Quo igitur pacto dedicatus est? Prima videlicet Salomonis dedicatione, qui atrium juxta & Hierosolymam dedicavit non in præsens modo, sed etiam in posterum.

XV. [21] Qua de causa quævis ibi sacrificia fiunt quanquam ædes extructa non est: & sanctiora sacrificia comeduntur in omni atrio etiam penitus everso, nec ullo circundato pariete. Et sacrificia minus sancta, atque decimæ secundæ comeduntur intra urbem Hierosolymæ, ut mœnibus destituta sit. Etenim horum dedicatio prima sicut in præsens, item in posterum valuit.

XVI. Quod autem ita dico Sanctuarii & Hierosolymæ dedicationem primam valuisse in præsens simul & in posterum; [22] contra vero consecrationem primam totius Israeliticæ terræ ad rationem annorum sabbaticorum, decimarum, & his similium non item in posterum valuisse, nimirum hæc causa est, quia Sanctuarii & Hierosolymæ sanctitudo existit a * Dei præsentia, quæ quidem in his nunquam tollitur. Quod enim est in Lege, [23] *Et deserta faciam Sanctuaria vestra*, (*Lev.* 26. 31.) ex eo sapientes concluserunt hæc vel deserta suam etiam retinere sanctitatem. Annis autem sabbaticis & decimis eo duntaxat adstricta est terra sancta, quia multorum expugnatio fuit, quæ causa quidem est sublata ut primum ab Israelitis terra recepta fuit, quæ porro ex Lege fuit soluta decimis & annis sabbaticis. Nam Esdras cum e Babylone reduxit Judæos in patriam terram consecravit non expugnando, sed acquirendo. Quocirca quæ reduces a Babylone recuperarunt loca, & Esdræ secunda dedicatione consecrata sunt, ea sunt etiamnum sacra, & si jam nobis erepta terra sit, & in his annorum sabbaticorum & decimarum lex observari debet sic, ut tract. de Oblationibus explicavimus.

N O-

* XVI. *Dei præsentia*. Per hanc vocem שבינה Judæi volunt intelligi peculiarem quandam divinæ Majestatis præsentiam, qualem cunctæ gentes templorum adytis, Judæi non Sanctuario tantum, sed universæ quoque terræ sanctæ attribuerunt.

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

1 In clivo montis &c. *Raschi ad Ezech.* XL. 6.
Et adscendis per gradus ejus. Mons erat declivis, &
assurgendo adscendebat ex Hel inferiori usque ad a-
trium mulierum duodecim gradibus, sicuti discimus;
Eo interius erat Hel decem cubitorum, ibique erant
duodecim gradus. *Kimchi ibid.* Et thalami erant in-
terius, & quinque loci distributi sunt, hic interior
illo, a pariete montis templi usque ad altare; mon-
te templi erat interior Hel, & eo interius atrium
mulierum, & hoc interius atrium Israelitarum, &
hoc interius atrium Sacerdotum. *Idem ad Ezech.*
XLII. 9. In occidente erant gradus, sicuti explica-
vimus, quia mons templi erat declivis, & assurge-
bat usque ad templum; & ingressus erat ex oriente,
quia ex oriente ingrediebantur in montem templi,
& ex eo & interius usque ad Ulam & templum.
Schilte Haggibborim cap. III. Etenim mons declivis
erat. Siquis ingrederetur per portam Susan, recta
pergebat ad spatium intermurale.

2 Tum ex eo &c. *Middoth* II. 2. Citra illam e-
rat intermurale decem cubitorum, ubi duodecim gra-
dus, quorum cuique erat altitudo dimidii cubiti, ut
& retractio. *Schilte Haggibborim ibid.* Inde ab Hel
adscendebat in atrium mulierum duodecim gradibus,
ut atrium mulierum fuerit altius monte domus &
intermurali sex circiter cubitis.

3 Rursusque &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Deinde
recta incedebat per totum atrium mulierum, & hinc
adscendebat ad atrium Israelitarum quindecim gradi-
bus, ideoque hoc erat altius atrio mulierum septem
cubitos cum dimidio.

4 Quindecim gradibus &c. *Middoth* II. 5. & quin-
decim gradus adscendebant ex ejus medio in atrium
Israelis, respondentes quindecim gradibus, qui in
Psalmis occurrunt, in quibus Levitæ canebant. Non
erant gradus recti, sed gyrati instar dimidiæ rotun-
dæ areæ. *Kimchi ad Ezech.* XL. 22. *Et septem gra-
duum erat adscensus ejus.* Septem gradibus adscende-
bant ex atrio mulierum in atrium Israelitarum, &
construxerunt super porta. At in ædificio domus se-
cundæ discimus in *Middoth*. Et quindecim gradus
adscendebant in atrium Israelis &c.

5 Unico gradu &c. *Middoth* II. 6. R. Eliefer fi-
lius Jacobi dixit; adscensus erat, ejusque altitudo cu-
bitalis, cui impositum erat pulpitum, atque in eo
erant tres gradus, singuli sc. cubiti dimidii. *Schilte
Haggibborim ibid.* Deinde adscendebat ab atrio Israe-
litarum in atrium Sacerdotum per pulpitum, quod cu-
bito altum erat, & per tres gradus supra pulpitum,
quorum singuli erant altitudinis semicubitalis.

6 Trium graduum &c. *Kimchi ibid. v.* 34. Et o-
cto gradus erant, quibus adscendebant per eam. O-
cto gradibus adscendebant ex atrio Israelis in atrium
Sacerdotum; at in ædificio domus secundæ non erant
nisi tres gradus.

7 Altius &c. *Middoth ibid.* Reperitur atrium Sa-
cerdotum duobus cubitis cum dimidio altius atrio
Israelis.

8 Per totum atrium &c. *Schilte Haggibborim ibid.*
Deinde procedebat per totum atrium Sacerdotum;
& ipsum, & pavimentum Altaris, & quod erat Al-
tari & Vestibulo intermedium, erant in eodem pla-
no recto.

9 Duodecim &c. *Raschi ad Ezech.* XL. 49. *Et
gradibus adscendebant ad eam;* Nec commemorat,
quotnam essent. At in ædificio domus secundæ di-
scimus in *Middoth*. Et ibi erant duodecim gradus,
quorum altitudo erat semicubitalis, & retractio se-
micubitalis. *Kimchi ibid. Et gradibus abscendebant
in eam.* Et gradus, quibus adscendebant, ibi erant,
uti discimus. Inter Ulam & Altare duodecim cubiti,
ibique erant duodecim gradus, & cujusque gradus
altitudo semicubitalis. *Schilte Haggibborim ibid.* De-
inde per duodecim gradus adscendebat in vestibulum,
& vestibulum, & templum pariter sita erant in eo-
dem plano recto.

10 Et retractio semicubitalis &c. *Erravit hic* Mai-
monides, *vel mendum irrepsit culpa Amanuensium;
etenim* Middoth. III. 6. *legitur* cubitalis fuisse retra-
ctio. Fuit spatium 22. cubitorum inter altare & por-
ticum, ubi duodecim gradus erant. Altitudo gradus
erat dimidii cubiti, retractio cubiti, postea areola
trium cubitorum, iterum retractio cubiti, retractio
cubiti, deinde areola trium cubitorum, & supremus
gradus post retractionem cubiti, retractionem cubiti,
fuit areola quatuor cubitorum. R. Jehuda dicit, su-
premus gradus post retractionem cubiti, habebat areo-
lam quinque cubitorum. *Et cap.* II. 3. Ubi duodecim
erant gradus, quorum cuique altitudo dimidii cubi-
ti, ut & retractio; ita omnium graduum, qui ibi
erant, singulorum altitudo dimidii cubiti, ac retra-
ctio, sive projectura dimidii cubiti, præter eos, qui
ad porticum sive pronaum erant gradus. *Schilte Hag-
gibborim cap.* XXVIII. Postquam hæc scripsi in hoc
capite, scito Lector, quod magnificus, admirandus
princeps Academiæ *R. Mose Kazez* &c. illuminarit
meos oculos in studio, mihique sit testatus, quod
Maimonides quoque scripserit, retractionem graduum
vestibuli fuisse cubitalem; uti explicatum in misna;
*altitudo gradus erat dimidii cubiti, & retractio cubi-
ti;* quod scripserit in cap. VI. *constitutionum de do-
mo electa; hinc adscendebat in vestibulum duodecim
gradibus, quorum singulis altitudo semicubitalis erat,
& retractio semicubitalis;* manifestus est error, atque
ita emendandus, ut dicat; *& retractio cubiti;* atque
ita scripsit *Samag*, qui, ut constat, ipsa *Maimonidis*
phrasi utitur.

11 Templi solum &c. *Schilte Haggibborim cap.* III.
Ideoque templum atrio Sacerdotum erat altius sex
circiter cubitos, & ex his omnibus altitudinibus col-
ligitur, quod templi solum solo montis ædis fuerit
altius, in quo sita erat porta Susan, duos & viginti
cubitos, & altitudo portæ Susan erat viginti cubito-
rum.

12 Ergo fieri non poterat &c. *Maimonides in notis
ad cap.* II. 4. *Middoth*. Prolixa indiget expositione
hæc Misna, idcirco animum advertas volo ad ea
quæ dicenda sunt, postquam præmisero, quod e san-
guine Vaccæ rufæ spargi debebat coram Templo, ut
esset in conspectu illius, sicuti scriptum est nu. XIX. 4.
Asperget contra fores Tabernaculi. Hicce vero tracta-
tus est secundum R. Eliefer filium Jacobi in hoc ca-
pite dicentem, quod atrium mulierum altius erat
atrio Israelitarum ultra duos cubitos cum dimidio.
Quando autem per portam Susan montis templi in-
trabat via recta donec ad antemurale pervenisset, de-
inceps ab antemurali per duodecim gradus ascende-
bat, donec ad atrium mulierum pervenisset. Mulie-
rum vero atrium erat altius monte templi sex cubi-
tos; diximus enim quod omnis gradus in templo di-
midium cubiti altus erat. Postea ibat per totam atrii
mulierum domum ad dextram, & a fine illius adscen-
debat ad atrium Israelitarum per quindecim gradus, ut di-
cemus inferius in hoc capite; idcirco atrium Israelitarum
septem cubitos & dimidium altius erat atrio mulierum.
Deinde vero ab atrio Israelitarum adscendebat ad atrium
Sacerdotum per suggestum, qui cubitum altus erat,
& per tres gradus supra suggestum. Tum ibat per
atrium Sacerdotum & altare inter porticum Ulam &
altare per solum rectum. Postea per duodecim gra-
dus ibat ad porticum Ulam, ut dictum est tertio ca-
pite hujus codicis. Ulam vero & templum erant in
solo recto, idcirco templum erat supra atrium Sacer-
dotum sex cubitos. Elicimus ergo ex omnibus altitudi-
nibus, quod templi solum altius erat solo montis tem-
pli, ubi porta Susan erat, viginti duos cubitos, &
altitudo portæ Susan saltem viginti erat cubitorum,
uti diximus, quod hæc erat omnium portarum alti-
tudo. Propterea cum Sacerdos staret in monte Oli-
varum, & per portam Susan videret, visus ipsius as-
sequebatur gradum octavum porticus Ullam, sed tem-
pli januam nullo modo videre poterat, quia inferius
limen altius erat superiori limine portæ Susan duos
cubitos e regione. Propterea necesse erat, ut paries
super portam Susan esset humilis, ut templum conspi-
cere posset supra eam. Dixerunt autem fuisse e. g.
plusquam viginti cubitos humiliorem, & ut eam cons-
picerent a porta templi, plus quam duos cubitos, si
igitur parietis altitudo minor fuisset, id quod de porta
templi vidissent, plus esset absque dubio.

13 Paries valde &c. *Middoth* II. 4. Atque omnes
parietes, qui ibi erant, erant alti præter parietem
orien-

orientalem; quia Sacerdos vaccam comburens stabat in cacumine Montis Oliveti, atque collimabat, atque intuebatur in portam ædis, eo tempore quo spargeret sanguinem. *Kimchi ad Ezech.* XL. 5. *Altitudinem quoque calamo uno*. Hic murus exterior erat humilis, neque altus erat nisi uno calamo, cujus mensura erat sex cubitorum ex cubito sex palmorum, neque alii muri atrii non consistebant e regione illius, quia consistebat contra portas; & omnes portæ apertæ erant aliæ contra alias, & erant altiores porta templi, propter altitudinem situm earum. Et sic invenimus in *Middoth*. *Omnes parietes* &c. At si hic paries orientalis esset altior, qui erat in monte domus, non potuisset intueri in portam templi, quia murus coram eo constitisset.

14 Conclavia &c. *Middoth* II. 6. Erant autem conclavia infra atrium Israelitarum, quæ aperta erant atrio mulierum, ubi Levitæ collocabant cytharas, & nablia cum cymbalis, omniaque instrumenta musica. *Schilte Haggibborim cap.* III. Duo conclavia erant infra atrium aperta in atrium mulierum ex utraque parte horum graduum, quibus adscendebatur in atrium Israelitarum, unum ad austrum, & alterum ad aquilonem, ubi Levitæ collocabant omnia instrumenta cantici &c.

15 Quæ conclavia &c. *Tosaphta de decimis secundis* II. 17. Dixit R. Jose; hic est modus quo legebat R. Achiba, verum antiqua lectio hæc erat. Schola Schammai dicit, non potest in iis redimi secunda decima, perinde ac essent intrinsecus, nec in iis comedi possunt sancta levia, perinde ac essent extrinsecus. Et schola Hillelis dicit reputantur æque ac conclavia; quod habet portam interius, reputatur ut interius, & quod habet portam exterius, habetur ut exterius; conclave exstructum in sancto, & ejus porta aperta in profanum, spatium ejus interius est profanum, & ejus tectum est sanctum; possunt ibi comedi sanctissima, neque ibi possunt mactari sancta leviora; Neque hic pœna obtinet propter immunditiem. *Codex de decimis secundis cap.* III. 8. Conclavia ædificata in loco Sancto, & aperta versus profanum, medium eorum est profanum, tecta vero Sancta sunt.

16 Sin constructa &c. *Tosaphta de decimis secundis ibid.* Sin constructum esset in profano, & ejus porta aperta esset in Sanctum, quamvis ita non servabatur, ejus spatium interius erat Sanctum, & ejus tectum profanum; poterant ibi comedi Sanctissima, & mactari Sancta levia; & hic pœna obtinet propter immunditiem; si constructum esset in Sancto, & apertum in Sanctum & in profanum, totum est Sanctum; si constructum esset in profano, & apertum in Sanctum & in profanum, totum erat profanum; si constructum esset in Sancto & in profano, & apertum erat in Sanctum & in profanum, sicuti erat locus incendii, ejus spatium interius, & tecta e regione Sancti & in Sancto sunt Sancta, & in profano erant profana; in edendis Sanctitatibus, portæ ratio habebatur, si respectu immunditiei e regione muri, & interius, omne sequebatur portam. *Codex de decimis secundis ibid.* Si ædificata sint in loco profano, & aperta versus Sanctum, medium est Sanctum, tecta vero profana; si ædificata sint in Sancto & in profano, & aperta versus locum Sanctum & profanum, medium & tecta e regione Sancti, & versus Sanctum sunt Sancta, sed e regione loci profani, & versus profanum, sunt profana.

17 Senatus &c. *Codex Sanhedrin* I. 5. Urbs atriumve non nisi his jubentibus (*nempe Synhedrio magno*) amplificatur.

18 Atqui nihil &c. *Codex Schevuoth* II. 2. Idem est si quis intrat in atrium ipsum, sive intrat appendicem atrii; siquidem nihil addi solet urbi vel atriis, nisi jussu Regis, Prophetæ per Urim & Thummim, & per duo sacrificia Eucharistica, & carmen. *Gemara Hieros. Sanhedrin fol.* 19. 2. & *Schevuoth fol.* 33. 4. Ubi dicitur; & *adscendit David juxta sermonem Gad*; Rex & Propheta simul palam indicantur; & dein ubi dicitur, & *cæpit Salomon ædificare templum Dei Israelis in monte Morjah, qui demonstratus fuerat Davidi patri ejus*, ex eo quod locum demonstrari dicitur; oraculum Sanctissimum innuitur; atque ex eo quod Davidi patri ejus sic demonstratum esse adiicitur, Synhedrium intelligitur.

19 Sic igitur fiebat &c. *Tosaphta Sanhedrin* III. 6. Quomodo fiebat? Senatus præcedebat, & duo Sacrificia Eucharistica eum sequebantur; interius comedebatur, & exterius comburebatur; & quicunque in urbem intrare non poterat, & si intrasset, non tenebatur pœna. De duobus Sacrificiis Eucharisticis, de quibus dixerunt, intelligitur panis, non vero caro. *Megillath Taanith cap.* VI. In secundum diem Elul incidit Dedicatio muri Hierosolymorum, ideo non erat lugendum, quia eum extranei destruxerant, deinde vero corroborata est manus Israelitarum, qui eum reædificarunt, sicut Scriptura docet; *Nehem* VI. 15. *Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul*. Quamvis autem ædificatus esset murus, portæ tamen hactenus nondum erant ædificatæ, sicut legimus *Nehem*. III. 15. *Ipse ædificavit eam, & texit, & statuit valvas ejus*. *Et cap.* VII. 1. *Et recensui janitores & cantores*; *Cap.* XIII. 10. *Et de his qui ministrabant*. Cur ita fecerunt? Quoniam neque urbis, neque atriorum templi termini promovendi erant, nisi Regis, Prophetæ, Pontificis maximi, ac Urim, & Thummim, nec non Synhedrii LXX. Virorum autoritas simul accederet, cum binis confessionibus & cantico juxta id, quod legimus *Nehem* XII. 27. sq. 38. *Et confessio altera pergebat e regione, quam ego sequebar*; & domus judicii mensurabat, & *sequabatur* eas, sicut scriptum legitur *Nehem*. XII. 32. *Post quos ivit Hoschaja, & dimidium principum Jehudæ* &c. sic Hebræus. Interior *Confessio* est comesta a Sacerdotibus, exterior vero combusta. *Codex Schevuoth* ibid. Ubi domus judicii præit, & Sacrificia Eucharistica post illos sequuntur, omnesque Israelitæ post hæc. Interius comedi solet, at exterius comburi. Quæcunque vero appendix non fit secundum omnia ista, tum si ingreditur eum, non reus fit super ea.

20 Ad memoriam &c. *Maimonides ad Schevuoth* II. 2. Ratio autem quare templum secundum consecratum fuit, etsi non habuerit Urim neque Thummim, neque Regem, est, quia sua potitur Sanctitate usque ad omnium generationum finem, nempe illa Sanctitate, qua consecratum fuit tempore Salomonis; nam quod Ezras fecit, id tantum in rei memoriam factum est. *Vide ibid. Bartenoram*.

21 Qua de causa &c. *Codex de controversiarum testificationibus* VIII. 6. Dixit R. Josua; audivi quod sacrificabant, licet non esset Sanctuarium, & quod Sanctissima comedebant, etsi non essent vela, & Sancta levissima, decimasque secundas, licet non esset urbi murus, quia sanctificatio prima sanctificata est pro tempore suo, & pro tempore futuro.

22 Contra vero &c. *Maimonides* ad l. c. *de controversiarum testificationibus*. Omnia hæc clara sunt; jam exposuimus cap. II. tractatus de *jurejurando*, quod nobis fundamentum sit sanctificationem primam sanctificatam esse pro tempore suo, & pro tempore futuro; primam vero sanctificationem a Salomone factam esse, & omnes de Templo conveniunt hoc sensu, sed in cæterarum terræ partium Sanctificatione dissentiunt. Nos autem nitimur sanctificationi Esræ, quæ sanctificatio secunda est, at secundum omnes sanctificatio secunda, quæ est omnium terræ Israelis, quas occuparunt ii, qui Babylone redierunt, facta est pro tempore suo, & pro tempore futuro. *Vide ibid. Bartenoram*.

23 *Et deserta* &c. *R. Levi Barzelonita Præcept.* 136. Etsi autem jam templum non habeamus, dicunt tamen Magistri nostri, monitos nos esse, ne ingrediamur Sanctuarium, id quod eliciunt ex Scripturæ verbis Levit. XXVI. 31. *Et deserta faciam Sanctuaria vestra*. Non dicit. *Ponam Sanctuarium vestrum desolationem*. Quia sensus literalis est. Sanctitatem eorum super ea esse etsi vel maxime sint devastata.

פרק שביעי

א. מצות עשה ליראה מן המקדש שנאמר ומקדשי תיראו ולא מן המקד' אתה ירא אלא ממי שצוה על יראתו

ב. ואי זו היא יראתו לא יכנס אדם להר הבית במקלו או במנעל שברגליו או באפונדתו או באבק שעל רגליו או במעות הצרורין לו בסדינו ואין צריך לומר שאסו' לרוק בכל הר הבית אלא אם נזדמן לו רוק מבליעו בכסותו ולא יעשה הר הבית דרך שיכנס מפתח זו יצא בפתח שכנגדו לדי לקצר הדרך אלא יקיפו מבחוץ ולא יכנס לו אלא לדבר מצוה

ג. וכל הנכנסין להר הבית נכנסין דרך ימין ומקיפין ויוצאין דרך שמאל חוץ ממי' שארעו דבר שהוא מקיף על השמלא לפיכך היו שואלין לו מה לך מקיף על השמאל שאני אבל השוכן בבית הזה ינחמך שאני מנודה השוכן בבית הזה יתן בלבבך ותשמע לדברי חביריך ויקרבוך

ד. כל שהשלים עבודה ונסתלק לו אינו יוצא ואחוריו להיכל אלא מהלך אחורני מעט מעט ומהלך על צידו עד שיצ' מן העזרה וכן אנשי משמ' ואנשי מעמד ולוים מדוכנן כך הם יוצאין מן המקד' כמי שפוסע אחר תפלה לאחוריו כל זה לירא' מן המקדש

ה. לא יקל אדם את ראשו כנגד שער

CAPUT SEPTIMUM.

I. PRæceptum eſt jubens, ut Sanctuarium illud vereamur, ſcriptum eſt enim: *Et pavete ad Sanctuarium meum*. [*Lev.* 26. 2.] Nec vero Sanctuarium eſt, [1] quod metuitur: ſed is, qui de metu Sanctuarii præcepit.

II. [2] Qualis igitur erit metus ille? ut in montem ædis introeat * nemo cum baculo, calceis, zona, cum pulvere pedibus inhærente, aut cum pecunia in veſtimento colligata: id vero nec dici quidem neceſſe eſt interdictum eſſe, ne in omni monte ædis deſpuatur, ſed hic ambulanti, cum neceſſe fuerit, in linteum ſuum ſcreandum: ut ne per montem ædis compendiariam inſtituat viam, introeundo per portam unam, & per adverſam exeundo; ſed montem extrinſecus circumeat: denique ut intra montem ingrediatur nemo, niſi propter * rem piam & laudabilem.

III. Omnes intra montem ædis venientes [3] ad dextram introibant, quam partem obeuntes tandem exibant ad lævam. [4] Contra cui quid accidiſſet lævam obambulabat. Quapropter eum ita rogabant, quid eſt, quod ad lævam ambules? Quoniam lugens ego ſum: tum illi, ſolatium præbeat, * qui hanc incolit ædem: vel quoniam ab Eccleſiæ * communione remotus ſum: & illi, qui hanc ædem incolit, is ſic in animum inducat tuum, ut auſcultes ſociis, qui te reducent.

IV. Qui poſt rem divinam abibant, hi non ita diſcedebant e templo, ut ei tergum verterent, [5] ſed retro incedentes paulatim ſeſe movebant: tum ſenſim gradiebantur in latus quoad diſceſſiſſent ex atrio. Item * viri curiæ ſacra adminiſtrantis, & * viri ſtationis, & a ſuggeſtu Levitæ ex Sanctuario ſeſe recipientes ſic, ut poſt * ſolemnem illam precationem ſolent, retrorſum redibant, & hæc omnia præ metu Sanctuarii.

V. [6] Ante portam in oriente atrii ſitam,

מזרחי

II. *Nemo cum baculo, &c.* An huc ſpectabat quod Apoſtolis præcepit Chriſtus Matth. 10. ut legatione ſancta fungentes nihil ferrent ſecum, non aurum, non argentum, non pecuniam in zonis: neque porro virgam, neque calceamenta?

Rem piam. Hic ego Lectorem benevolum monendum putavi vocem iſtam מצות quæ vere proprieque præceptum ſignificat, ſæpius a Judæis tam in ſermone, quam in ſcriptis cujuſvis generis uſurpari pro quacunque re pia & laudabili, etiamſi res illa omnino præcepta non eſt. Sic igitur quando ad funus alicujus producendum invitant, eorum præco publice clamat אל המצוה, quod Latinorum Præco ita proclamabat, *Exequias ire Chremeti*.

III. *Qui hanc incolit ædem*. Id eſt, Deus.

Communione remotus. De hoc genere toto copioſe diſputat clariſſimus Buxtorfius in Lexico Chaldaico Talmudico ad radicem נדה a pag. 1303. ad uſque 1307.

IV. *Viri Curiæ*. De his vide tract. proxime ſequentem de apparatu templi, &c. cap. 3. art. 9.

Et viri ſtationis. De his quoque tract. proximo explicabitur cap. 6. art. 1.

Solemnem illam precationem. De hac precatione jam egimus in tract. de Jejunio, & fortaſſe pluribus agemus alias. Hic vero id dicere ſat habeo, eam a Senatu majori Hieroſolymitano, eo, qui vulgo Sanhedrin dicitur, confectam eſſe prædicare Judæos, & eam appellare interdum שמונה עשרה *decem octo*, quia totidem ſeu gratiarum actiones, ſeu laudes, ſeu denique poſtulationes continet: interdum vero nude ac ſimpliciter תפלה *precationem*. Ego vero ad rem magis illuſtrandam adjeci vocem *ſolemnem*. Hanc precationem pedibus quam arcte conjunctis ſtantes fundunt uſque dum pervenerint ad undena vel duodena ultima verba: tum enim tres paſſus retrocedunt, atque caput huc illuc inclinantes ultima verba iſta fundunt. Hunc retrocedendi modum exemplo vult eſſe Majemonides.

מזרחי של עזרה שהוא שער ניקנור מפני שהוא מכוון כנגד בית קדש הקדשים וכל הנכנס לעזרה יהלך בנחת במקום שמותר לו להכנס לשם ויראה עצמו שהוא עומד לפני האדון ה׳ שנאמר והיו עיני ולבי שם כל הימים ומהלך באימ׳ וביראה ורעדה שנאמר בבית אלהינו נהלך ברגש

ו. ואסור לכל אדם לישב בכל העזרה ואין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד שנאמר ויבא המלך דוד וישב לפני השם והסנהדרין שהיו יושבין בלשכת הגזית לא היו יושבין אלא בחצייה של חול

ז. אף על פי שהמקדש היום חרב בעוונותינו חייב אדם במוראו כמו שהיה נוהג בו בבנינו לא יכנס אלא למקום שמותר להכנס לשם ולא ישב בעזרה ולא יקל ראשו כנגד שער המזרחי שנא׳ את שבתותי תשמורו ומקדשי תיראו מה שמירת שבת לעולם אף מורא מקד׳ לעולם שאף על פי שחרב בקדושתו עומד

ח. בזמן שיהיה המקדש בנוי אסור לו לאדם להקל את ראשו מן הצופי׳ שהוא חוץ לירושלם ולפנים והוא שיהיה רואה את המקדש ולא יהיה גדר מפסיק בינו׳ ובין המקדש

ט. אסו׳ לאדם לעולם שיפנה או שישן בין מזרח למערב ואין צריך לומר שאי קובעין בית הכסא בין מזרח למערב בכל מקו׳ מפני שההיכל במערב לפיכך לא יפנה למערב ולא למזרח מפני שהוא כנגד המערב אלא בין צפון לדרום נפני׳ וישנים וכל המטיל מים מן הצופים ולפנים ישב ופניו כלפי הקדש או יסלק הקדש לצדדין

י. ואסור לאדם שיעש׳ בית תבנית היכל אכסדרה תבנית אולם חצר כנגד העזרה שלחן כצורת שלחן ומנורה כצורת מנורה

quæ est porta Nicanoris, nemo fronte proterva versetur. Est enim ea porta directo contra Sanctum Sanctorum. Et in atrium quicunque ingressurus est placide pergat eo loci, quo jus eundi habeat: tum etiam persuasus sit animo se in præsentia esse Dei, qui cum de templo loquitur ita dicit: *Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*. [1. *Reg*. 9. 3.] Porro quisque cum terrore, formidine, ac tremore incedat, siquidem scriptum est: *In domum Dei ambulabimus cum perturbatione*. (*Ps*. 55. 15.)

VI. In atrio sedere concessum est nemini [7] præter reges e stirpe Davidis, de quo scriptum est. *Ingressus est autem rex David, &* [8] *sedit coram Domino*. [2. *Sam*. 7. 18.] Etenim qui considebat in conclavi lapidis quadrati Senatus, is in ejus dimidio profano duntaxat sedebat.

VII. Sanctuarium his temporibus cum sit pro peccatis nostris [9] eversum, nihilominus tamen [10] vereri necesse est, quam exædificatum cum erat. Itaque in alium atque sibi liceat, locum ingrediatur nemo: nemo sedebit in atrii spatio: nemo denique proterva fronte versabitur ad eam portam, quæ quondam in oriente erat atrii. Nam quod scriptum est: *Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite*, [*Lev*. 19. 30.] hujus est ea sententia, ut tanquam Sabbati sit observatio sempiterna, sic & æternus sit metus Sanctuarii, quippe quod eversum suam sanctitatem retinet etiam.

VIII. Sanctuarium cum esset ædificatum interdictum erat, ne quis citra [11] Sophim, quod erat extra Hierosolymam, vultum præberet immodestum, si modo conspiceret Sanctuarium, nec ulla inter hoc & ipsum maceria intercederet.

IX. [12] Nunquam vero conceditur, ut inter orientem & occidentem quisquam aut alvum exoneret, aut capiat somnum. Nam illud nec dici quidem necesse est, nusquam inter orientem & occidentem latrinam constitui, quippe cum * ad occidentem templum fuit, & eam ob rem nemo naturæ satisfaciat ad occidentem: neque porro ad orientem, quoniam occidenti oppositus est. At vero inter septentrionem & meridiem utrumque fieri licet & dormire, & ventrem exonerare. * Quin etiam is qui citra Sophim mittet urinam non se vertet ad locum sanctum, sed vel ad aquilonem, vel ad austrum, vel certe locum sanctum ad latus relinquet.

X. [13] Interdictum est ne quisquam ad similitudinem templi domum ædificet, aut ad similitudinem vestibuli pergulam, aut aream, quæ speciem habeat atrii: item ne efficiatur mensa, quæ templi mensam; aut candelabrum, quod templi candelabrum

IX. *Ad occidentem templum fuit*. Hic per templum solum Sanctum Sanctorum intelligitur.

אבל עושה הוא מנורה של חמשה קנים או של שמנה קנים או מנורה שאינה של מתכת אף על פי שיש לה שבע׳ קנים

יא. שלש מחנות היו במדבר מחנה ישראל יהיא ארבע מחנות ומחנה לויה שנאמר בה וסביב למשכן יחנו ומחנה שכינה והו׳ מפתח חצר אהל מועד ולפנים וכנגדן לדורות מפתח ירושלם עד הר הבית כמחנה ישראל ומפתח הר הבית עד פתח העזרה שהוא שער ניקנור כמחנה לויה ומפתח העזרה ולפנים מחנה שכינה והחיל׳ ועזרת הנשי׳ מעלה יתירה בבית עולמים

יב. כל ארץ ישראל מקודשת מכל הארצות ומה היא קדושתה שמביאין ממנה העומר ושתי הלחם והביכורים מה שאין מביאין כן משאר ארצות

יג. עשר קדושו׳ הן בארץ ישראל זו למעלה מזו עיירות המוקפות חומה מקודשות משאר הארץ שמשלחין מתוכן את המצורעים ואין קוברין בתוכן מת עד שירצו שבעה טובי העיר או כל אנשי העיר ואם יצא המת חוץ לעיר אין מחזירין אותו לתוכו אף על פי שרצו כולן להחזירו רצו בני העיר להוצי׳ הקבר מן המדינ׳ מפנין אותו וכל הקברו׳ מפנין חוץ מקבר נביא או מלך קבר שהקיפתו העיר בין מד׳ רוחותיו בין משתי רוחות זו כנגד זו אם היה׳ בינו ובין העיר יתר מחמשים אמה לכאן וחמשי׳ לכאן אין מפנין אותו עד שירצו כולן פחות מפנין אותו

יד. ירושלם מקודשת משאר העיירות המוקפות חומה שאוכלין קדשים קלים ומעשר שני לפנים מחומתה ואלו דברי׳ שנאמרו בירושלם אין מלינין בה את המת ואין מעבירין בתוכה עצמות אדם ואין משכירין בתוכה בתים ואין נותנין בתוכה מקום לגר תושב ואין מקיימין בו קברות חוץ מקברי בית דוד וקבר חולדה שהיו בה

imitetur. Id vero concessum est, ut efficiatur candelabrum, cui calami sint quinque, vel octo, atque etiam cui sint calami septem, si modo non fiat e metallo.

XI. Castrorum erant in deserto genera tria. Israelitarum, quæ erant quadripartita. Levitarum, de quibus dicitur, *Ac per gyrum tabernaculi metabuntur*. [*Num.* 1. 50.] Dei, quod in tabernaculo fœderis erat citra januam atrii. Atque [13] ad horum rationem postmodum quod ab porta Hierosolymæ ad montem ædis intercedebat spatium, id respondebat castris Israelitarum. Quod autem ab porta montis ædis ad portam atrii, quæ eadem fuit porta Nicanoris, spatium intercedebat, id Levitarum respondebat castris: Et quod spatium erat citra portam atrii, castra Dei repræsentabat. Sed his amplius habebat * domus æterna spatium intermurale, & atrium mulierum.

XII. [16] Israelitarum terra cunctis est sanctior. Quid ita? Quia ex ea quotannis Deo offertur [17] manipulus, [18] duo panes, & baccarum [19] primitiæ: reliquis autem e terris non item.

XIII. In Israelitarum terra sanctitatis sunt genera decem, quorum aliud alio gradu superius est. Nam reliqua terra sanctiora sunt [20] oppida mœnibus septa, e quibus ejiciuntur homines [21] affecti lepra: porro autem in his nullus humatur homo mortuus, nisi [22] septem optimates jubeant, vel civitas omnis. Qui si mortuus ex ejusmodi oppido semel elatus sit, rursus in illud non infertur, licet eum omnis civitas referri velit. Jam si cuncti cives sepulcrum velint ex urbe removere, removeatur. Quod quidem jus est in omnibus fieri sepulcris præter sepulcrum prophetæ vel regis. Quod sepulcrum civitas curavit muris cingendum vel a lateribus quatuor, vel a duobus inter se oppositis, id si utrinque distet ab oppido magis, quam quinquaginta cubitos, nisi velit tota civitas, transmoveri non potest: contra si propius sit ab urbe dissitum.

XIV. Ceteris oppidis muro cinctis sanctior est [23] Hierosolyma. Etenim intra hujus mœnia sacrificia [24] minus sancta, & decimæ secundæ comeduntur. Præterea autem hæc de urbe Hierosolyma edicta sunt. In ea ne pernoctare hominem mortuum, neve per illam hominis ossa transferri sinunto: [25] domum in ea ne locanto: * proselito [26] inquilino locum præbento: sepulcrum ne servanto, præter illa gentis Davidicæ, & Oldæ prophetidis sepulcra, quæ in ea fuerant ab primorum usque prophe-

מימות

XI. *Domus æterna*. Admonui jam antea Lectorem Judæis templum Salomonis *Domum Æternam* dici

XIV. *Proselito inquilino*. De proselitis inquilinis, item & de proselitis justitiæ egimus tract. de Jejunio.

Ne forte fœteat. Seu ex stercoratione, qua ad terram colendam usus est, seu etiam ex multis & variis oleribus male olentibus.

מימות נביאים הראשונים ואין נוטעים בה גנות ופרדסים ואינה נזרעת ואינה נחרשת שמא תסרח ואין מקיימין בה אילנות חוץ מגינת וורדים שהיתה שם מימות נביאים הראשונים ואין מקיימין בה אשפה מפני השרצים ואין מוציאין הימנה זיזין וגזוזטראות לרשות הרבים מפני אהל הטומאה ואין עושין בה כבשונות מפני העשן ואין מגדלין בה תרנגולת מפני הקדשים וכן לא יגדלו הכהנים תרנגולין בכל ארץ ישראל מפני הטהרות ואין הבית נחלט בה ואינו מטמא בנגעים ואינה נעשית עיר הנדחת ואינה מביאה עגלה ערופה לפי שלא נתחלקה לשבטים

יה. הר הבית מקודש ממנה שאין זבין וזבות נדות ויולדות נכנסי׳ לשם ומותר להכניס המת עצמו להר הבית ואין צריך לומ׳ טמא מת שהוא נכנס לשם

יו. החיל מקודש ממנו שאין גוים וטמא מת ובועל נדה נכנסין לשם

יז. עזרת הנשים מקודשת מן החיל שאין טבול יום נכנס לשם ואיסור זה מדבריהם אבל מן התורה מותר טבול יום להכנס למחנה לויה וטמא מת שנכנס לעזרת הנשים אינו חייב חטאת

יח. עזרת ישראל מקודשת מעזרת נשים שאין מחוסר כיפורים נכנס לשם וטמא שנכנס לשם חייב כרת

tarum temporibus: [27] horti nulli, nulla pomaria inſeruntor: illam neque ſeminanto, nec aranto, * ne forte fœteat: nullam in ea arborem ſervanto, [28] præter roſetum: id enim a primorum memoria prophetarum in ea fuit: ſterquilinium in ea diu ne tenento propter immundas, quæ fere gignuntur ex eo, [29] ſerpentes animantes: trabes aut podia publicum in locum ne prominento, ne videlicet inquinamenti * fiat tentorium: nullæ propter fumum in ea fornaces fiunto: [30] gallinas in ea propter ſacra ne nutriunto: ſimiliter ſacerdotes, ut ſe puros conſervent, in omni Iſraelitica terra gallinas ne nutriunto: [31] domus ne cujuſquam propriæ ſunto: [32] lepra ne contaminator: eam ut * [33] urbem ſeductam nunquam habento: propter incertum homicidium decollandæ [34] vitulæ ne adſtringitor, quia tribubus diſtributa non fuit.

XV. Sanctior Hieroſolyma [35] mons ædis eſt: intra hunc enim ſeminis fluxione laborantes, menſtruales mulieres, & puerperæ non ingrediuntur. Hominem mortuum tamen [36] intra montem ædis inferri licet, & multo etiam magis ingredi funeſtum.

XVI. Monte ædis [37] ſanctius eſt ſpatium intermurale: in hoc enim neque gentes, neque funeſti, nec qui cum menſtruali muliere conſueſcat, ingrediuntur.

XVII. Et hoc intermurali ſpatio ſanctius eſt atrium mulierum: In id nec * de die lavandus ingrediatur; id vero [39] ex ſapientum inſtitutis interdictum eſt: Etenim homini de die lavando ut ingrediatur in caſtra Levitarum e Lege quidem licet. Atqui funeſtus in atrium ingreſſus non eſt adſtrictus ſtatæ hoſtiæ pro peccato.

XVIII. Atrio mulierum ſanctius eſt [40] atrium Iſraelitarum, in quod non ingrediatur is, * qui piaculi indiget: funeſtus autem ſi ſit ingreſſus * pœna erat כרת *Keret*.

יט.

Fiat tentorium. Eſt a Moyſe præſcriptum Num. 19. v. 14. ut ſi quis in tabernaculo moriatur, id omnes ingredientes, omniaque vaſa in eo contenta polluat in dies ſeptem. Addunt autem Rabbini quidquid parvum cadaveris humani oſſiculum quoquomodo operiat pro inquinamenti tentorio habendum, atque omnes ſubter operimentum illud tranſeuntes itidem contaminari in dies 7. Hinc interdictum fuit, ne in urbe Hieroſolyma trabes podiaque e muris eminerent, ne ſubter ea forte devolveretur aliquod oſſiculum cadaveris humani, atque homines ſubter ea ſe recipientes ſic tanquam inquinamenti tentoria contaminarent, atque adeo a ſacris excluderent.

Urbem ſeductam. Urbs ſeducta dicitur, cujus omnes habitatores a puro Dei cultu averſi ac ſeducti fuerant ad idololatriam, de qua urbe funditus delenda præcepit Moyſes Deut. 13. a verſu 12. ad finem cap.

XVII. *De die lavandus*. Res immundæ non erant omnes unius & ejuſdem generis. Quædam enim, ut paulo ſupra dictum eſt, polluebant in dies ſeptem: quædam etiam in majorem dierum numerum: porro quarundam erat adeo leve inquinamentum, ut his contaminatus de eodem die lavaret, atque ſolis occubitum poſt lavationem expectaret, tum vero ſacris certis admitteretur. Hujus poſtremi generis re immunda contaminatum Rabbini טבול יום dicunt, hoc eſt, *de die lavandum*, ſi tamen ſermo ſit ante lavationem: nam ſi poſt lavationem, *de die lavatum* reddendum eſt. Atque propter hanc nominis ambiguitatem ſæpius a nobis deinceps ejuſmodi homo, *temeratus in diem* appellabitur.

XVIII. *Qui piaculi indiget*. Homines inquinati non dierum numero & aquæ aſperſione tantum luſtrabantur: ſed inſuper oportebat, ut ſacrum piaculare facerent. Itaque ſi completo temporis ſpatio laviſſent necdum illud ſacrum piaculare feciſſent, *piaculi indigentes* dicebantur, neque etiam dum omnibus ſacris admittebantur.

Pœna erat. כרת *Keret*. Pœna iſta in ſacro textu Hebraico his fere modis exprimitur. ונכרתה הנפש ההוא מישראל: ונכרתה הנפש ההוא מעמיה: ונכרתה הנפש ההוא מעדת ישראל Quod ab Interprete Vulgato ita redditur. *Delebitur anima illa de populo ſuo*. Gen. 17. 14. *Peribit anima ejus de Iſrael*. Exod. 12. 15. *Peribit anima ejus de cœtu Iſrael*. Ibid. v. 19. Rurſuſque. *Exterminabitur anima illa de populis ſuis*. Num. 9. 13. Ac Rabbini quidem more ſuo enumera-

יט. עזרת הכהני׳ מקודשת ממנה שאין ישראל נכנסין לשם אלא בשעת צורכיהם לסמיכה ולכפרה ולשחיטה ולתנופה

כ. בין האולם ולמזבח מקודש ממנה שאין בעלי מומי׳ ופרועי ראש וקרועי בגדיה נכנסו לשם

כא. ההיכל מקודש מבין האולם ולמזבח שאין נכנס לשם אלא רחוץ ידים ורגלים

כב. בית קדש הקדשים מקודש ממנו שאין נכנס לשם אלא כהן גדול ביום הכיפורים בשעת העבודה

כג. מקום שהיה בעלייה מכוון על קדש הקדשים אין נכנסין לו אלא פעם אחת בשבוע לידע מה הוא צריך לחזק בדקו בשעת שנכנסין הבנאים לבנו׳ ולתקן בהיכל או להוציא משם את הטומאה מצוה שיהיו הנכנסין כהני׳ תמימי׳ לא מצאו תמימים יכנסו בעלי מומין ואם אין שם כהנים יכנסו לוים לא מצאו לוים יכנסו ישראל מצוה בטהורי׳ לא מצאו טהורים יכנסו טמאים טמא ובעל מום יכנס בעל מום ולא יכנס טמא שהטומאה דחויה בציבור וכל הנכנסין להיכל לתקן יכנסו בתיבות אם אין שם תיבות או אי אפשר להם שיעשו בתיבות יכנסו דרך פתחים:

XIX. Et hoc ſanctius eſt [41] atrium ſacerdotum: in id enim Iſraelitarum introeat nemo niſi tum, cum neceſſario requiruntur aut ad imponendas hoſtiæ manus, aut ad expiationem faciendam, aut ad mactandam victimam, aut * ad agitandum ſacrum.

XX. Hoc etiam ſanctius [42] eſt ſpatium id, quod inter veſtibulum & altare intereſt: in hoc enim nemo corporis vitio affectus introeat, nemo introeat capite aperto & laceratis veſtimentis.

XXI. [43] Atque hoc ſpatio inter veſtibulum & altare intercedente * ſanctius eſt templum, in quod niſi lotis manibus & pedibus introeat nemo.

XXII. Et iſto denique ſanctius & [44] anguſtius eſt Sanctum Sanctorum, in quod nemo introeat præter ſummum ſacerdotem, nec is quidem niſi una ſolemnitate Expiationum ad rem divinam faciendam.

XXIII. Qui erat [45] in cœnaculo locus Sancto Sanctorum directo oppoſitus, in eum ſemel in hebdomada intrabant luſtraturi ecquid in ædificio reficiendum eſſet. Atque in templum cum ingredibantur operæ, vel ad reficiendum aliquid, vel ad eximendum inquinamentum, has omnino operas omnes jus erat [46] ſacerdotes eſſe integros: Qui ſi non reperirentur integri, ſacerdotes intromitterentur aliquo vitio corporis affecti; his etiam deficientibus adhiberentur Levitæ: ſi nec Levitæ reperirentur, adhiberentur Iſraelitæ, quos mundos eſſe jus erat: ſin mundi reperirentur nulli, adhiberentur immundi. Quod ſi partim operarum, quæ præſto adeſſent, reperirentur immundæ, partim corporis vitio laborantes, adhiberentur vitioſæ, immundæ excluderentur. Nam inquinamentum in univerſa etiam Eccleſia reprobatum fuit. Jam quæ in templum reficiendi cauſa intromittebantur operæ, hæ erant in arcis incluſæ: quæ ſi nullæ adeſſent arcæ, aut ſi ſic incluſæ operæ nihil poſſent efficere, tum per oſtium intrabant ſcilicet.

N O-

merarunt præcepta triginta ſex cum hac pœna ſancita fuiſſe, ut videre licet ad principium tractat. כריתות, *Keritot*. Sed de hujus pœnæ ratione diſſident inter ſe. Majemonides enim noſter tract. de Pœn. cap. 8. art. 1. pœnam hanc ita definit, ut velit obnoxium ei hominem diſſoluto corpore prorſus interiturum ſic, tanquam pecudem: neque enim animam ejus fore ſuperſtitem, ſed extinctum iri. Aben-Ezra Commentariis in Geneſim ait כרת pœnam eſſe divinam; qualem vero ſuis ipſius verbis non definit: addit autem quibuſdam placere addictum ei pœnæ hominem moriturum ante annum ætatis quinquageſimum ſecundum, cui opinioni adſtipulatur P. Fagius, uti facile eſt cognoſcere ex ejus notis in Paraphraſin Chaldaicam Exod. cap. 12. ſub num. 15. quoſdam autem ſentire ejus, qui hac pœna tenetur, hominis nomen ac memoriam deletum iri, liberorum videlicet orbitate, atque hanc cauſam eſſe cur in textu ſubjiciatur *de populo ſuo*. Illum enim mortuum etiam vivere quodammodo, qui liberos reliquit ſuperſtites, cujus quidem certe nomen oblivione non obruitur. Jam R. Salomon Jarchi eodem loco vult, ut homo qui pœna iſta tenetur, moriatur ante tempus ac ſine liberis, quod ipſe alio loco ſic exponit, aut ab eo nullos procreari liberos, aut procreatos efferri. Similiter R. David Kimchi apud Commentarios in Iſaiam cap. 38. v. 10. aſſerit a ſapientibus ita pronunciatum, qui hac pœna tenetur homo, eum mori ante annum ætatis quinquageſimum. Atque eodem modo pœna iſta definitur apud Librum Præceptorum Magnum. Sunt autem qui volunt hominem pœnæ huic addictum decidere prorſus eximio jure fœderis ejus, quod Iſraelitis cum Deo ſancitum eſt, cui ego ſententiæ ſubſcribo. Utut eſt, hoc certe conſtat, pœnam hanc irrogari non a judice homine, ſed ab ipſo Deo, ut aperte declaratur Lev. c. 17. v. 10. & c. 20. v. 6.

XIX. *Ad agitandum ſacrum*. De agitatione ſacrorum præcipitur Lev. c. 14. v. 12. & 24. Et cap. 23. v. 11. & 20. Id autem quomodo fiebat diſerte explicatur a Scriptore noſtro tract. de ratione Sacrificiorum faciendorum cap. 9. art. 7.

XXI. *Sanctius eſt templum*. Hoc loco templum pro illo duntaxat ſpatio uſurpatur, cui nomen *ſanctum* erat.

NOTÆ IN CAPUT SEPTIMUM.

1 Quod metuitur &c. *Siphra ad Levit.* XIX. 30. *Sabbatha mea custodite, & Sanctuarium meum metuite*; sicuti Sabbathum non propter Sabbathum metuis, sed ejus causa, qui Sabbathum præcepit; Etiam Sanctuarium non propter Sanctuarium metues sed ejus causa, qui mandavit Sanctuarium. *Pesiktha ad l. c. Sabbatha mea custodite*; sicuti Sabbathum non propter Sabbathum metuis, sed ejus causa, qui præcepit Sabbathum, etiam Sanctuarium non propter Sanctuarium metues, sed ejus causa, qui mandavit Sanctuarium.

2 Qualis igitur &c. *Siphra ibidem*. Qualis erit ille metus? Nemo in montem ædis introeat cum baculo, vel calceis, vel funda, vel cum pulvere pedibus adhærente, nec faciat eum viam compendiariam, nedum conspuat. *Pesiktha ibid.* Nemo introeat in montem ædis cum baculo, vel calceis, vel funda, vel cum pulvere pedibus adhærente; nec faciat eum viam compendiariam, nedum conspuat. Si coram Rege, qui est caro & sanguis, conspuere non licet, coram Rege Regum quanto magis! *Vide Misnam Berachoth cap.* IX. 5. & cap. *ult. Tosaphta Berachoth*.

3 Ad dextram &c. *Middoth* II. 2. Omnes accedentes, qui secundum templi consuetudinem intrant ingrediuntur via dextra ac circumeunt, egrediuntur autem via sinistra. *Schilte Haggibborim cap.* III. Omnes qui ingrediebantur in montem ædis, intrabant via dextra, & sinistra egrediebantur; e. g. qui ingrediebatur per portam Susan, non ambulabat per viam portæ Chuldæ, sed ed latus portæ Tedi.

4 Contra cui &c. *Middoth ibid.* Eo excepto, cui accidit aliquid, qui circum ambulabat ad sinistram, & interroganti, *quid tibi quod ad sinistram circumeas*, dicit; quia *ego lugeo*; aliis respondentibus; *qui hanc ædem inhabitat soletur te*; & quum subiicit; *quia ego excommunicatus reiicior*, alii respondent, *qui hanc ædem inhabitat, indet cordi tuo, atque recipiant te*, ut tradit R. Meyr; Cui dixit R. Jose; constituis illos ac si trangressi essent super eo jus; Verum dicunt; *qui hanc ædem inhabitat, indet cordi tuo, ut auscultes verbis sociorum tuorum, quo recipiant te. R. Eliezer in Capitulis cap.* 17. Rex Salomon quando ædificavit domum Sanctuarii, fecit duas portas, unam pro sponsis, & unam pro lugentibus, & excommunicatis. Qui ingrediebantur per januam sponsorum, ex eo cognoscebant omnes ipsum sponsum esse, dicebantque ipsi; *qui inhabitat domum hanc, exhileret te filiis, & filiabus*. Qui ingrediebatur per januam lugentium, ejus os erat obvelatum, unde cognoscebant, eum in luctu esse, dicebantque ipsi; *qui inhabitat domum hanc, is consoletur te*. Qui autem ingrediebatur non obvelato ore, inde cognoscebant ipsum esse excommunicatum, dicebantque ipsi; *qui inhabitat domum hanc, consoletur te, indatque animo tuo, ut obtemperes sociis tuis. Schilte Haggibborim ibidem*; Excepto lugente, & excommunicato, atque eo, cui aliquid mali accidisset, qui circumambulabant ad sinistram; si ingressus esset per portam Susan, ibat per viam portæ Chuldæ, & circumambulabat, si libebat, totum latus australe, & egrediebatur per portam Kiponos, quæ erat ad occidentem; & tunc qui eum intuebantur, quod se ad latus dexterum non converteret introeuntis, sed circumambularet ad latus sinistrum, & circuitus ordinem commutaret, interrogabant, *quid habes, quod circumeas ad sinistram?* Si quis responderet; *ego sum lugens* dicebant; *qui inhabitat hanc ædem, soletur te*; aut si respondebat; *ego sum excommunicatus*, respondebant; *qui inhabitat hanc ædem, indet cordi tuo, ut auscultes verbis sociorum tuorum, quo recipiant te*.

5 Sed retro &c. *Kimchi ad* 2. *Chronic.* I. 13. ad verba מלפני אהל. Id Rabbini nostri f. m. ita explicarunt: Salomone Hierosolymas Gibeone redeunte, facies ejus ad excelsum, quod Gibeone erat, directa fuit non aliter ac cum illuc proficisceretur. Volunt dicere quod cum egrederetur ex æde, in qua erat excelsum istud, recessim iverit, ita ut facies ejus interim ob reverentiam quam excelso tribuebat ad ipsum excelsum directa esset. Atque hinc discimus, quod eodem gestu Sacerdotes in ministerio suo, Levitæque in suggestu suo, ac Israelitæ in statione sua si abirent non aversa facie sed ad latus inclinata recesserint. Eadem prorsus ratione uti discipulus discedens a præceptore suo. *R. Levi Barzelonita Præcept.* 221. Totum ædis montem neminem ingredi nisi propter negotium præcepti. Et quisquis absoluto cultu in Templo recedit, retrorsum paulatim incedit. Eodem modo & illi, quibus φυλακὴ, *seu custodia* commissa est, & statio, Levitæ insuper e suis suggestis egrediuntur.

6 Ante portam &c. *Codex Berachoth* IX. 5. Ne leviter se gerat quis ante portam orientalem, quæ domum Sancti Sanctorum ex adverso respicit. *Ubi Bartenora*; *portam orientalem versus*, quæ erat extra montem templi in muro inferiori ad pedes domus, sive templi ad orientem, quatenus ea porta spectat versus Sanctum Sanctorum, & reliquæ portæ sic deinceps spectant una versus alteram, uti porta orientalis porta atrii mulierum, & porta atrii Israelitarum, porta Ulam, & porta palatii, & Sancti Sanctorum in templo primo. *Maimonides hoc loco, rectius meo judicio putat hanc esse portam Nicanoris. Porta orientalis* est porta orientalis portarum atrii, quæ etiam vocatur porta Nicanoris, & Sanctum Sanctorum erat versus occidentem atrii e regione portæ illius.

7 Præter reges &c. *Ralbag. ad* 3. *Reg.* VIII. 14, *Omnes enim Ecclesia Israel stabat*. Hinc docemur nemini licuisse sedere in atrio, & hinc videtur Salomon sedisse, & hinc demonstrari potest, Regibus ex domo David in atrio sedere licuisse.

8 *Et sedit &c. Plerique negant Regibus de domo David in atrio sedere licuisse. Midras Tillim ad illud Psalm.* 108. נכון לבי. *Cor meum paratum est*. Rabbini nostri tradiderunt, quod non stant ad orandum nisi cum gravitate capitis, non cum risu, non cum verbis otiosis, ut oratio audiatur. Et iste est sensus ejus quod dicitur 2. Sam. VIII. 18. *Ingressus est autem David, & sedit coram Domino*. Numquid est sessio coram Deo? Numquid orat quispiam nisi stans? Uti dicitur Psal. 106. 30. *Stetit autem Phineas & oravit*. Sed quid est *& sedit*? Quod fixus fuit in oratione, & paravit, vel intendit orationem. *Kimchi ad* 2. *Sam.* 18. *Et sedit coram Domino*, coram Arca. Hinc probarunt Rabbini nostri f. m. nemini sedere licuisse in atrio, nisi regibus de domo David duntaxat. At ex his nonnulli dicunt, ne regibus quidem de domo David sedere licuisse, quia qui superius habitant, sedere non possunt; scriptum est enim. סרפים עומדים ממעל לו. Et pariter scriptum est. וכל צבא השמים עומדים עליו. Et etiam scriptum est בין העומרים האלה, & David sedit. Numquid est sessio coram Deo? Nonnulli dicunt, quod accessit, aut seipsum confirmavit; & alii dicunt, quod composuit se in oratione. *Abarbanel in l. c.* Abivit vero coram arca Domini ad laudandum, celebrandumque Dominum hujus rei gratia, & pro posteritate sua petendum ea, quæ ad hoc essent necessaria. Hoc vero illud est, quod dicunt ישב, *& sedit coram Domino*, h. e. in precibus & supplicationibus. Sapientes vero nostri hinc adstruxerunt in allegorica Psalmorum explicatione, quod nulli sedere licitum sit in atrio, nisi Regibus qui ex Davide orti sunt. Sunt vero ipsorum sententiæ divisæ. R. Huna enim nomine R. Ismaelis defendit, quod ne ipsis quidem Regibus ex familia David ibi sedere licitum sit, quia Angelis, qui superiora incolunt, sedere non permittitur, secundum id quod dicitur. *Seraphim stabant desuper*. Consentiunt loca; *& omnis exercitus cœlorum stabat apud ipsum &c. Licuisse tamen Pontifici maximo in atrio sedere contendunt Kimchi ad* 1. *Sam.* I. 9. Nonnulli ex nostris Rabbinis f. m. dicunt non licuisse sedere in atrio ne regibus quidem de domo David, sed Sacerdoti summo; dictum est enim. *Et Eli Sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini*. Verum *ingressus est rex David, & sedit coram Domino*; explicant, quod composuerit seipsum in Oratione. *Ralbag ibid. Et Eli Sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini*; non sedit in templo, sed in atrio, eique licitum erat, quia erat Sacerdos magnus.

9 Ever-

[9] Eversum &c. *R. Levi ibid.* Etsi vero Sanctuarium hodie devastatum est propter iniquitates, tenetur tamen omnis homo reverentia ejus duci, neque ingredietur locum alium, quam qui in ipso ejus ædificio licitus est, neque sedebit vel in atrio ejus, neque superbe tollet caput suum versus portam Sanctuarii; *Meghilah* III. *dicitur etiam de Synagogis*. Amplius dixit R. Jehuda, in Synagoga destructa non lugent, neque suspendunt in ea funiculos neque retia in ea extendunt, neque in tecto ejus fructus expandunt, neque compendium viæ ad eam faciunt, quemadmodum dicitur est Levit. XXVI. 31. *Et deserta faciam sanctuaria vestra*; Sanctitas eorum ergo manet etiam, quando vastata est.

[10] Vereri &c. *Siphra ad Levit.* XIX. 30. Non probo nisi pro tempore, quo stabat domus, post excidium unde probatur? Dictum est; *Sabbatha mea custodite, & Sanctuarium meum metuite*; sicuti observatio Sabbathi est æterna, ita quoque Sanctuarii timor est æternus. *Pesiktha ibid.* Cur conjungitur observatio Sabbathi cum timore Sanctuarii? ad te docendum; quemadmodum Sabbathi *observatio* subsistit tam stante, quam diruto templo, etiam Sanctuarii timor tam eo stante, quam diruto.

[11] Sophim &c. Zophim (*ut inquit Glossa ad Babyl. Berachoth fol.* 49. 2.) est locus unde prospici potest Templum. *Et Bartenora ad cap.* III. 8. *Si transierit Zophim*; Est nomen loci unde conspicitur templum. *R. Eliezer in capitulis cap.* 31. *de Abrahamo ab austro ad Hierosolymas pergente*. Tertio die (inquit) pervenerunt Zophim, ubi autem accessit ad Zophim, vidit gloriam divinæ Majestatis consistentem supra montem *Morjiah*. *Maimonides de Jejuniis* V. 14. Qui vastitatem cernit Hierosolymæ oportet dicat; *Jerusalem desolata est* (*Isai.* 64. 10.) Qui videt templi exustionem dicat; *Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi te laudaverunt patres nostri, facta est in exustionem ignis* &c. Ibid. V. 11. Tum vestes laceret; Sed ex quo tandem loco vestes oportet lacerare? E Zophim. *Fit mentio Zophim Pesachim* III. 8. Sic etiam si quis exierit Jerosolymis, & illi in mentem venerit, quod in potestate sua datur caro Sancta, & trangressus fuerit Zophim, comburet eam in loco suo. *Et Tosaphta Pesachim* III. 13. Si transgressus fuerit Zophim, comburet eam in loco suo. *A Josepho lib.* V. *de bel. cap.* 8. *vocatur σκοπός*. Cæsar cum noctu legionem ab Ammaunte recepisset, postridie inde castra movens, *ἐπὶ τὸν σκοπὸν καλούμενον πρόεισιν. Ἔνθεν ἥ τε πόλις ἤδη κατεφαίνετο, καὶ τὸ τοῦ ναοῦ μέγεθος ἔκλαμπρον, καθὰ τῷ βορείῳ κλίματι τῆς πόλεως χθαμαλὸς συνάπτων ὁ χῶρος ἐτύμως σκοπὸς ὠνόμασται.*

[12] Nunquam vero &c. *Hierosol. Berachoth fol.* 13. 2. Qui mingit, faciem suam convertat ad aquilonem, qui alvum exonerat, ad austrum. R. Josi 6. R. Bon dicit; Traditio est a Zophim & intus. *R. Levi ibid.* Vetitum est homini se unquam convertere aut dormire inter orientem & occidentem, quia templum ad occasum est.

[13] Interdictum est &c. *Gemara Rosh hasschana fol.* 25. *& Gemara Avoda Zara fol.* 43. 1. Ne exstruat quisquam domum ad similitudinem ædis Sacræ, aut exedram instar pronai, aut aream instar atrii Sacri, aut mensam instar mensæ, aut lychnuchum instar lychnuchi sacri, sed licebit lychnuchum facere quinque, sex, vel octo ramorum, nequaquam vero ramorum septem, etiamsi non ex auro, sed ex aliis metallis constet; R. Jose fil. Jehudæ sententia est, etiamsi ex ligno lychnuchum faciat, non licere, quod talem Chasmonæi fecerint. *R. Levi ibid.* Interdictum eidem ædificare domum ad formam templi, aut *ἐξέδραν* ad formam porticus, aut vestibulum ad formam atrii, idque omne in reverentiam templi.

[14] Genera tria &c. *Siphri ad Num.* V. 3. *ejicite de castris ne contaminent ea*; Hinc dixerunt; tria erant castra Israelitarum, Levitarum, & Divinitatis. *Pesiktha ibid. Ne contaminent castra, cum habitaverim vobiscum*; Hinc dixerunt; tria erant castra; Castra Israelitarum, Levitarum, & Divinitatis.

[15] Ad horum rationem &c. *Siphri ibid.* A porta Hierosolymæ usque ad montem templi erant castra Israelitarum, a porta montis ædis usque ad atrium, erant castra Levitarum, a porta atrii & interius erant castra Divinitatis. *Pesiktha ibid.* A porta Hierosolymæ usque ad portam montis ædis, erant castra Israelitarum; a porta montis ædis usque ad portam atrii & interius, erant castra Divinitatis.

[16] Israelitarum terra &c. *Bammidbar Rabba Sect.* VII. Terra Israelis sanctificata est præ aliis terris; & quænam est ejus sanctitas? Quod ex ea afferunt manipulum & primitias, & duos panes, quod ex nulla alia terra faciunt. Terra Canaan sanctificata est, præ regione trans Jordanem. Terra Canaan idonea fuit, ut in ea esset domus Divinæ Majestatis. *Codex Celim* I. 6. Hæ decem sunt sanctitates; Terra Israelis omnibus terris est sanctior. Sed quænam ista est sanctitas? Quod ex ipsa adducunt manipulum, primitiva, & duos panes, quæ e reliquis terris non offerunt.

[17] Manipulus &c. *Siphra ad Levit.* XXIII. 10. *Cum ingressi fueritis*. Crederem, quando venerunt *in terras* cis Jordanem; ideo dicit *terram*, terram promissam; crederem quando venerunt *in terram* Ammon & Moab; ideo dicit, *quam ego dabo vobis*; non vero Ammon & Moab. *Pesiktha ibib. Cum ingressi fueritis terram*; terram peculiarem; non vero terram filiorum Ammon & Moab. *Codex Menacoth* VIII. Omnes oblationes tam publicæ quam privatæ veniebant ex eo, quod natum est in terra, & extra terram, tam ex novo quam ex veteri proventu, manipulo, duobusque panibus exceptis, qui duntaxat e novo, & ex eo, quod in terra natum erat, offerebantur. *Tosaphta Menachoth* IX. 2. Omnia munera possunt adduci ex terra, & *ex locis* extra terram, tam ex proventu novo quam ex veteri, exceptis manipulo & duobus panibus, qui non afferuntur nisi ex novo, & ex terra.

[18] Duo panes &c. *Siphra ibid.* v. 17. *Ex omnibus habitaculis vestris*; non vero *ex locis* extra terram. *Pesiktha ibid. ex omnibus habitaculis vestris*; non vero ex locis extra terram.

[19] Primitiæ &c. *Codex Challa* IV. II. Ariston adduxit primitiva sua Apamia, & receperunt ab ipso, quia dixerunt; quicunqe emit in Syria, habetur ac si emisset in pago Jerosolymis vicino.

[20] Oppida &c. *Bammidbar Rabba ibid.* Urbs mœnibus cincta sanctificata est præ aliis terræ locis, quia leprosi per totam terram ambulant, sed in urbem mœnibus cinctam non ingrediuntur. *Celim ibid.* Urbes muro cinctæ sunt sanctiores ipsa, quin ex ipsis demittunt leprosos, & mortuum in ipsis transferunt, quo voluerint. Si cadaver exierit, non reducunt ipsum.

[21] Affecti lepra &c. *Siphra ad Levit.* XIII. 46. *Solus habitabit*. Non probo nisi pro hoc solum, unde probatur ad includendum reliquos leprosos? Ex eo quod dictum est; *immundus, solus habitabit*. Aut dicam, quemadmodum est distinctus, cui inest plaga in capite; ita ego includam duntaxat porriginem, nempe plagam in capite; & unde probatur pro reliquis leprosis? Ex eo quod dictum est, *immundus solus habitabit*. Crederem quod cum eo habitare possent duo reliqui immundi (*nempe seminiflui, & ex mortuo immundi*.) Ideo dictum est; *solus habitabit*, neque duo reliqui immundi cum eo; *extra castra*; extra tria castra.

[22] Septem optimates &c. *De his satis superque in Tomo* II. Thesauri *in notis ad cap. X. partis primæ* Relandi Antiquitatum Sacrarum.

Hierosolyma &c. *Bammidbar Rabba ibid.* Hierusalem sanctificata est præ aliis urbibus munitis, quod sancta leviora, & decimæ secundæ comederentur in Jerusalem, non autem in aliis urbibus. *Celim ibid.* Locus intra muros sanctior est iis, in quibus comedunt sancta levia, & decimas secundas. *Megillah* I. 11. Non est differentia inter Schilo, & Hierosolymam, nisi quod Schilunte comedebant Sanctitates leves, & decimas secundas in omni *loco*, quo Schilo videbatur. Sed Hierosolymæ intra murum.

[24] Minus sancta &c. *Siphri ad Deut.* XII. 6. *Et primitias manuum vestrarum*. Hæc sunt primitiva. Ad quid venit scriptura? ut doceamur, si comedantur primitiva extra muros argumento a decimis a minori ad majus. Si quis decimas, quas alienigenis comedere licet, comederit extra muros, prævaricatur præceptum negativum, primitiva, quæ alienigenis interdicta sunt, si quis comedat extra muros, non erit æquum, ut violet præceptum negativum? Ecce non venit Scriptura nisi ad docendum, quod comedens primi-

primitiva priusquam legat super illis, prævaricetur præceptum negativum. *Et vota*; hæc sunt sacrificia Eucharistica, & pacifica. Ad quid venit Scriptura? Ut doceamur, si comedantur sacrificia Eucharistica, & pacifica extra muros, argumento a decimis a minori ad majus; si quis comedens decimas extra muros, de quibus non tenetur abominando residuo, & immundo, violat præceptum negativum; comedens sacrificia Eucharistica, & pacifica, extra muros de quibus tenetur abominando, residuo, & immundo, non erit æquum ut prævaricetur præceptum negativum? Ecce non venit Scriptura nisi ad docendum, quod comedens sacrificia Eucharistica & pacifica ante adspersionem sanguinum, violet præceptum negativum. ובכורות; Hoc est primogenitum. Ad quid venit Scriptura? Ut doceamur, si comedatur primogenitum extra muros argumento a decimis a minori ad majus; si ante adspersionem sanguinum, argumento a sacrificiis Eucharisticis, & pacificis a minori ad majus; si quis'comedat ante adspersionem sanguinis primogenitum, quod interdictum est peregrinis non erit æquum, ut violet præceptum negativum? Ecce non venit Scriptura, nisi ad docendum, quod peregrinus comedens de carne primogeniti sive ante sive post adspersionem sanguinum, prævaricetur præceptum negativum. *Boum, & ovium*. Hoc est sacrificium pro peccato, & pro delicto. Ad quid venit Scriptura? Ut doceamur, si comedantur sacrificia pro peccato & pro delicto extra muros, argumento a decimis a minori ad majus; ante adspersionem sanguinum, argumento a sacrificiis Eucharisticis & pacificis a minori ad majus; post adspersionem sanguinum, argumento a primogenito a minori ad majus; si comedat primogenita, quæ sunt sancta leviora, post adspersionem sanguinum, prævaricatur præceptum negativum, comedens de sacrificio pro peccato & pro delicto, quæ sunt Sancta Sanctorum, non erit æquum, ut violet præceptum negativum? Ecce, non venit scriptura nisi ad docendum, quod comedens de sacrificio pro peccato & pro delicto extra aulæa, prævaricetur præceptum negativum. *Pesiktha ibid.* Hæc sunt primitiva. Dixit R. Simeon. Ad quid venit? ut doceamur, si comedantur primitiva extra muros, argumento a decimis a minori ad majus. Siquis comedat extra muros decimas, quas peregrinis licet comedere, violat præceptum negativum, comedens primitiva extra muros, quæ prohibentur comedere peregrini, non erit æquum ut violet præceptum negativum? Ecce non venit Scriptura nisi ad docendum, quod comedens primitiva, antequam legerit super illis, violet præceptum negativum. *Et vota*. Hæc sunt sacrificia Eucharistica, & pacifica. Dixit R. Simeon. Ad quid venit? ut doceamur, si comedantur sacrificia Eucharistica & pacifica extra muros, argumento a decimis a minori ad majus. Siquis comedat extra muros decimas, de quibus non tenetur abominando, residuo & immundo, violat præceptum negativum; comedens de sacrificiis Eucharisticis & pacificis extra muros, de quibus tenetur abominando residuo & immundo, non erit æquum, ut prævaricetur præceptum negativum? Ecce non venit Scriptura nisi ad docendum, quod comedens de sacrificiis Eucharisticis & pacificis ante adspersionem sanguinum, violet præceptum negativum. ובכורות Hoc est primogenitum. Dixit R. Simeon. Ad quid venit? ut doceamur, si comedatur caro extra muros argumento a decimis a minori ad majus; Si ante adspersionem sanguinum, argumento a sacrificiis Eucharisticis & pacificis a minori ad majus. Siquis comedat ante adspersionem sanguinum de sacrificiis Eucharisticis & pacificis, quæ peregrinis licet comedere, violat præceptum negativum, comedens ante adspersionem sanguinum de primogenito, quod comedere prohibentur peregrini, non erit æquum ut prævaricetur præceptum negativum? Sed scriptura venit ad docendum, quod peregrinus comedens de primogenito perfecto sive ante sive post adspersionem sanguinum, violet præceptum negativum. *Boum & ovium*. Hæc sunt sacrificia pro peccato & pro delicto. Dixit R. Simeon. Ad quid venit? Ut doceamur, si comedantur sacrificia pro peccato & pro delicto extra muros, argumento a decimis a minori ad majus, si ante adspersionem sanguinum, argumento a sacrificiis Eucharisticis & pacificis a minori ad majus; si post adspersionem sanguinum, argumento a primogenito a minori ad majus. Si comedens de primogenitis, quæ sunt sancta levia, ante adspersionem sanguinis, violat præceptum negativum, *comedens* de sacrificiis pro peccato & pro delicto, quæ sunt Sancta Sanctorum, nonne multo magis? Ad quid venit? ut doceamur, quod comedens de sacrificiis pro peccato & pro delicto extra aulæa, prævaricetur præceptum negativum. *Ralbag. ad* 3. *Reg.* III. 1. *Et murum Jerusalem per circuitum*. Pro sanctitate, quæ intra illum erat, quia multæ ex sanctitatibus non poterant comedi nisi intra murum, postquam ædificata est domus Dei, veluti decimæ secundæ, & primitiva, & Pascha, & primogenita, & his similia.

[25] Domum in ea &c. *Megillah fol.* 26. 1. Nam traditio est; non mercede conduci domos Hierosolymis, quia propriæ non erant. R. Eleasar bar Zadok dixit; Nec etiam lectos. Recepit ergo paterfamilias ab hospitibus coria pacificorum. Abai dicit. Hoc etiam inde discas; quod moris est, ut homo relinquat cantharum suum testaceum, atque etiam corium sacrificiorum suorum hospiti suo. *Glossa*. Mercede non elocabant incolæ Hierosolymitani domos suas ad festa accedentibus; sed gratis eas illi concesserunt. *Vide Babyl. Joma fol.* 12. 1. *Hinc illustratur Matth.* XXVI. 17. 18. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit; Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dixit; Tempus meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis. *Vide Marc.* XIV. 12. *&* *Luc.* XXII. 7. --- 11.

[26] Inquilino locum &c. *Siphri ad Deut.* XXIII. 16. *Et in una urbium tuarum*. Non autem Hierosolymis.

[27] Horti nulli &c. *Bava Kama* VII. Non faciunt in Hierusalem hortos aut Paradisos, propter fœtorem. *Ubi Glossa*. Propter fœtorem ab herbis malis, quæ projicerentur; mosque est hortos stercorare, atque inde fœtor.

[28] Preter rosetum &c. *Codex de decimis secundis* II. 5. Inquit R. Jehuda; casus est de horto rosario, qui fuit Hierosolymis, ubi ficus ternæ & quaternæ assario vænire solebant, neque de iis unquam ullo tempore separatæ sunt primitiæ vel decimæ. *Avoth R. Nathan fol.* 9. 1. Non plantant in ea arbores, hortis rosarum exceptis, qui illic fuerunt a diebus usque Prophetarum.

[29] Serpentes &c. *Avoth* V. 5. Nunquam serpens, aut scorpio cuiquam nocuit intra Hierusalem.

[30] Gallinas &c. *Glossa in cap.* VII. *Bava Kama*. Etiam Israelitis prohibitum est gallos alere Hierosolymis propter sacra. Nam illic comederunt carnem Sacrificiorum Pacificorum atque Eucharisticorum; jam vero mos est gallis gallinaceis vertere stercoraria, atque inde forsan educere possent ossa reptilium, unde pollui possent sacra ista comedenda.

[31] Domus ne cujusquam &c. *Tosaphta de decimis secundis* I. 12. Non licet locare domos in Hierosolyma, quia sunt Tribuum. R. Eleasar filius Simeonis dicit, ne lectos quidem; Hospites violenter accipiebant pelles Sanctitatum. *Megillah fol.* 26. 1. Non dividebatur Hierusalem inter tribus. *R. Nathan fol.* 9. 1. Nec dixit quisquam; non inveni clibanum, in quo assem Pascha meum, vel non inveni Lectum in quo recumbam. *En Israel fol* 155. *col.* 2. Ait Scriptura *Deut.* XXXIII. 12. *Et Benjamin ait*; *Amantissimus Domini habitavit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur*. Est vero in Gemara disputatio inter Doctores, num Hierosolymitana civitas inter Tribus fuerit divisa annon. Quidam Doctorum existimat inter Judæ & Benjaminis Tribus fuisse eam divisam, fretus traditione veteri, qua fertur. Quid erat in portione Judæ? Scilicet mons Ædis, cellæ & atria. Quid erat in portione Benjaminis? Porticus, fanum, & Sanctum Sanctorum. Fuitque ducta terminalis linea e portione Judæ ad portionem Benjaminis, huicque lineæ superstructum erat altare. Piissimus Benjamin tota vita sua, summa ægritudine excruciabatur, absorbere cupiens *hanc quoque partem altaris*. Scriptum enim; *quasi in thalamo tota die morabitur*. Atque meruit piissimus Benjamin hospes esse Divinitatis. Unde additur ibi. *Et inter humeros illius requiescet*.

Enimvero alius Doctor contendit Hierosolymas inter
Tribus non fuisse divisas provocatque ad traditionem
antiquam, quæ habet. Non conducunt ibi pretio æ-
des, quia non sunt in dominio eas incolentium. Ad-
dit R. Eleasar filius Jacobi nec lectos conduci, at-
que ideo hospites pelles violenter abstulisse. Dixit
Abai, ex istis colligi esse civilitatis, ut vas fictile
& pellem hospiti relinquat.

32 Lepra &c. *Siphra ad Levit.* XIV. 34. Neque
Hierusalem polluitur lepra; R. Jehuda dicit; Ego non
audivi nisi de domo Sanctuarii duntaxat. *Pesiktha
ibid. In possessionem*, non vero Hierosolyma, quia
inter Tribus non fuit divisa. *Codex Negaim* XII. 3.
Hierusalem & loca extra terram Israel non pollu-
untur plagis.

33 Urbem seductam &c. *Siphri ad Deut.* XIII. 12.
Ad habitandum; excipitur Hierosolyma, quæ non
data est ad habitandum. *Pesiktha ibid. Quas Domi-
nus Deus tuus dabit tibi ad habitandum*; excipitur
Hierusalem, quæ non data est ad habitandum.

34 Vitulæ &c. *Siphri ad Deut.* XXI. 3. Et sapien
tes dicunt; una non duæ civitates adducunt duas vi-
tulas; neque Hierusalem adducit vitulam decollan-
dam. *Seniores civitatis illius tollent*, non autem se-
niores Hierusalem. *Pesiktha ibid. Et quam vicinio-
rem esse perspexerint* &c. Hinc tibi dicendum est;
si recte inventum fuerit inter duas civitates, amba-
bus afferendam fuisse vitulam decollandam; verba R.
Elieseris. Hierusalem vero non adducit vitulam de-
collandam; dictum est enim; *Seniores civitatis illius
tollent*; non vero Hierusalem; quia Hierusalem non
fuit divisa inter Tribus. *Gemara ad* IX. *Sota* Jubet
Scriptura decollari vitulam; cum quis cæsus reperi-
tur in terra, quam Deus hæreditario jure possiden-
dam concedit. At vera est opinio Hierosolymam
inter tribus non fuisse divisam, sed mansisse commu
nem.

35 Mons ædis &c. *Bammidbar Rabba ibid.* Mons
domus sanctificatus est præ Jerusalem, quod Viri &
mulieres profluvio laborantes ingrederentur Jerusa-
lem, sed non montem domus. *Celim ibid.* Mons
templi sanctior est isto, quia in ipsum non adscendunt
seminiflui, seminifluæ, menstruæ, nec puerperæ. *Kimchi
ad Ezech.* XLII. 20. Ibique erat murus dividens in-
ter sanctum & profanum; quia mons ædis erat san-
ctior Hierosolyma, in quem non ingrediuntur semi
nifluæ, menstruæ, & puerperi. *Idem ibid.* XLIII. 12.
Ista est lex domus in summitate montis. Mons do-
mus, & hic erat templum, & erat in summitate
montis, uti scriptum est. *Omnis finis ejus in circui-
tu*. Omnis finis montis in circuitu Sanctum Sancto-
rum est præ Hierosolyma, quia Hierusalem tota sancta
est, uti dictum est והיתה העיר קדש; sed mons erat
Sanctum Sanctorum; & in ipso monte erat locus
sanctuarii, altaris, & oraculi, quod erat Sanctum
Sanctorum, uti supra scriptum est.

36 Intra autem &c. *Glossa ad Pesachim fol.* 67. 1.
Cancelli profluviosorum sunt mons domus, vel atrium
gentium; nam prohibetur iis intrare in castra Levi-
tarum. Immundi enim non excluduntur nisi ex atrio,
exceptis solum profluvioso, & gonorrhæo, qui ex-
cluduntur etiam ex monte domus, & leproso, qui
excluditur ex castris Israelis, id est ex urbe. *Maimo-
nides ad Celim* I. 8. Seminiflui autem, & femini-
fluæ, puerpera, & menstrua extra duo castra exeant
e monte templi; sed qui mortuo pollutus est, si ex-
tra castra divinæ majestatis ablegandus est, nempe
intra montem templi, quia immunditiés mortui non
polluit lapide pavimentali, quod tamen seminifluus,
feminiflua, menstrua & puerpera faciunt, sicuti in
Tosaphta expositum est; & non tantum is, qui mor
tuo pollutus est; sed & ipse mortuus, ex eo enim quod
Moses secum sumsit ossa Josephi in castris Levita-
rum, similitudine quadam colligitur, quod is qui mor-
tuo pollutus est intrare possit antemurale atrii mu-
lierum, quia omnia se habent secundum castra Israe-
litarum, sicuti præfati sumus. *Vide ibid. Bartenoram*.

37 Sanctius est &c. *Bammidbar Rabba ibid.* Inter-
murale sanctificatum est præ monte domus, quod
gentiles & polluti ex contactu mortui, ingrediuntur
montem domus, sed non intermurale. *Celim ibid.*
Antemurale sanctius est isto, quia nec gentilis, nec
pollutus mortuo in ipsum intrat. *Baal Aruch scri-
bit*; antemurale esse locum muro cinctum inter mon-
tem domus & atrium mulierum.

38 Atrium mulierum &c. *Bammidbar ibid.* Atrium
mulierum sanctificatum est præ intermurali, quod il-
luc non ingrederetur is, qui de die lotus est. *Celim ibid.*
Atrium mulierum sanctius est isto, quia ipsum non
intrat is, qui de die lotus est, nec ob illius trans-
gressionem quisquam sacrificio expiatorio tenetur.

39 Ex Sapientum &c. *Maimonides ibid.* In Tosaphta
jam expositum est, quod antemurale & atrium mu-
lierum in Sanctuario excellentiorem habeant gradum;
immundi vero, qui in ipsum intrarunt, liberi sunt a
culpa, neque is qui de die lotus est, & si is non ha-
buerit occasum solis, exeat ex antemurali, sicut is,
qui mortuo pollutus est, exire debet, quia is, qui de
die lotus est, & occasum solis non habuit, jam in
tribus rebus purificatus est. Sapientes vero dicunt,
qui die lotus est, etsi occasum solis non habuerit,
non est immundus, & ipse prohiberi debuit ab atrio
mulierum, at non is, qui expiatione destitutus, quia
is qui die lotus est, & occasum solis non habuerit,
comedere non possit de oblatione prima, qui vero
destituitur expiatione, comedet, uti præfati sumus.

40 Atrium Israelitarum &c. *Bammidbar ibid.* A-
trium Israelis sanctificatum est præ atrio mulierum,
quod qui sacrificium expiatorium non obtulit, in-
grederetur atrium mulierum, sed non atrium Israelis.
Israelitæ ingrediuntur atrium Sacerdotum latitudine
undecim cubitorum ad longitudinem centum trigin-
ta quinque, sed non stant super suggestum. Levi-
tæ stant super suggestum, sed hinc & ulterius non
intrabant. *Celim ibid.* Atrium Israelitarum sanctius
est isto, quia ipsum non intrat, qui expiatione desti-
tuitur; sed ob illius transgressionem est obligatio ad
sacrificium expiatorium.

41 Atrium Sacerdotum &c. *Celim ibid.* Atrium
Sacerdotum sanctius est isto, quia ipsum non intrant
Israelitæ, nisi tempore necessitatis, sc. ad manus im-
ponendum, ad mactandum, & agitandum.

42 Est spatium &c. *Bammidbar ibid.* Sacerdotes
maculati, & nudati capite & vino ebrii ulterius in-
trabant, sed non inter porticum & altare, nec in
templum, nec intra ambitum altaris quatuor cubi-
tos. *Celim ibid.* Inter Ulam & altare sanctior est lo-
cus atrio Sacerdotum, quia ii qui vitio affecti sunt,
& qui capite denudati sunt, non ingrediuntur eo.

43 Atque hoc spatio &c. *Bammidbar ibid.* Dixit
R. Jose; in quinque rebus spatium inter pronaon &
altare est æquale ipsi templo. Nam illuc non acce-
dit quisquam capite nudus, & vino ebrius, & ma-
nibus atque pedibus illotus, & sicut se subtrahunt ab
ipso templo tempore thymiamatis, sic etiam se sub-
trahunt a spatio, quod est inter pronaon & altare
tempore thymiamatis. *Celim ibid.* Templum sanctius
est ipso; quia eo non ingreditur, qui manus non la-
verit, nec pedes. *Et paulo post.* Dixit R. Jose; in
quinque rebus locus inter Ulam & altare similis est
templo, quia nec vitiati, nec capite denudati, nec
vino ebrii, nec ii, qui nec manus pedes nec laverint,
intrant eo; arcebantur autem a loco inter Ulam &
altare, dum suffitus incendebatur. *Pesiktha ad Levit.*
XXI. 23. *Nec accedat ad altare, quia maculam ha-
bet*. Ecce dictum est ter לא יגש *non accedet, & bis*
לא יקרב *non offeret* pro quinque locis, quæ prohiben-
tur ingredi labe affecti; sicut traditum est in *Taha-
roth*. *Decem sunt sanctitates* &c. Spatium inter Ulam
& altare hoc sanctius est, quia eo non intrant vi-
tiati, & capite denudati, inter Ulam & altare, &
templum, & velum, & Sanctum Sanctorum; ecce
quinque sanctitates, quibus excluduntur vitiati; &
quinque supra commemoratæ, ecce decem Sanctitates.

44 Augustius &c. *Bammidbar ibid.* Reliqui Sa-
cerdotes ingrediebantur porticum & templum, sed
non ingrediebantur Sanctum Sanctorum, quo ingre-
diebatur summus Sacerdos quater in die expiatio-
num. *Celim ibid.* Sanctum Sanctorum sanctius est
ipso, quia eo non intrat nisi Pontifex maximus die
expiationis, dum ministerium peragitur.

45 In cœnaculo &c. *Middoth* IV. 5. Atque pro-
ceribus, sive trabium capitibus distinguebant in cœ-
naculo inter Sanctum & Sanctum Sanctorum: fora-
mina etiam erant aperta in cœnaculo ad Sanctum
Sanctorum, qua per catenas demittebant fabros in arcis;
ne eorum oculi nutrirentur e Sancto Sanctorum.

46 Sacerdotes &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 23. Cre-
derem, quod ingredi non liceret ad reficiendum;
ideo dicit אך *tantummodo*. Hujusmodi erat præce-
ptum.

ptum. Sacerdotes ingrediebantur; si deessent Sacerdotes, introibant Levitæ; si deessent puri, ingrediebantur immundi; si deessent immaculati, ingrediebantur vitiati. *Ralbag ad* 3. *Reg.* VIII. 6. Hinc dicitur si acciderit necessitas disponendi domum Sancti Sanctorum; videtur præstantius in primis id fieri per summum Sacerdotem, si fieri possit, si vero fieri non possit, permittitur id primo Sacerdotibus; si ex his nemo sit, qui sciat ordinare; licet Levitis, & sic gradatim. *Tosaphta ad Celim*. Omnes fabricatum intrare possunt templum, & propulsatum immunditiem; attamen ad Sacerdotes pertinet hoc officium; & si non adsint Sacerdotes, intrant Levitæ si nec hi adsint, intrant Israelitæ, & si hi non sint puri, intrent impuri; & præceptum etiam postulat perfectos, si vero non sint perfecti, intrent imperfecti, sive labe affecti. Et porro præcipitur ut intrent in arcas, si vero non sint arcæ, intrent per januas.



פרק שמיני

א. שמירת המקדש מצות עשה ואף על פי שאין שם פחד מאויבים ולא מלסטים שאין שמירתו אלא כבוד לו אינו דומה פלטרין שיש עליו שומרין לפלטרין שאין עליו שומרין

ב. ושמירה זו מצותה כל הלילה והשומרים הם הכהנים והלוים שנאמר ואתה ובניך אתך לפני אהל העדות כלומר אתם תהיו שומרי' לו והרי נאמר ושמרו את משמרת אהל מועד ונאמר והחונים קדמה לפני אהל מועד מזרחה משה ואהרן ובניו שומרי משמרת הקדש

ג. ואם בטלו שמירה עברו בלא תעשה שנאמ' ושמרתם את משמרת הקדש ולשון שמירה אזהרה היא הא למדת ששמירתו מצות עשה וביטול שמירתו מצות לא תעשה

ד. מצות שמירתו שיהיו הכהנים שומרי' מבפנים והלוי' מבחוץ וארבעה ועשרי' עדה שומרין אותו בכל לילה תמיד בארבעה ועשרים מקום הכהנים בשלשה מקומות והלוים באחד ועשרי' מקומו'

ה. והיכן היו שומרים כהנים היו שומרים בבית אבטינס ובבית הניצוץ ובבית המוקד בית אבטינס ובית הניצוץ היו עליות בנויות בצד שערי העזרה והרובין היו שומרים שם בארץ בית המוקד כיפה ובית גדול היה מוקף רובדים של אבן וזקני בית אב של אותו היום היו ישנים שם ומפתחות העזרה בידם

ו. לא היו הכהנים השומרים ישנים בבגדי כהונה אלא מקפלין אותן ומניחין אותן כנגד ראשיהן ולובשין בגדי עצמן

וישנים

CAPUT OCTAVUM.

I. Templum custodire [1] jubendo sancitum est, etsi nihil neque ab hostibus timetur, neque a grassatoribus: ejus enim custodia hanc duntaxat habet rationem, ei ut habeatur honos: neque enim ad palatium præsidio munitum comparandum est id, quod præsidio careat.

II. Hæc igitur custodia in noctem est sancita totam: & custodes sunt [2] Sacerdotes & Levitæ. Quod enim in Lege dicitur: *Tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii*, (*Num.* 18. 2.) id vero perinde est quasi ita dicatur: Vos mihi custodes eritis. Et mox additur: *Et excubent in custodiis tabernaculi*. (*Ibid. v.* 4.) Atque alio loco dicitur. *Castra metabuntur ante tabernaculum fœderis, ad orientalem plagam, Moyses & Aaron cum filiis suis habentes custodiam Sanctuarii*. (*Ibid.* 3. *v.* 38.)

III. [3] Quam custodiam si sustulissent, vetitum violassent. Est enim in Lege: *Excubate in custodia Sanctuarii*: (*Ibid.* 18.5.) vox autem hæc *custodire* admonitionis est; ex quo efficitur de custodia Sanctuarii præceptum esse jubens, & prohibens de sublatione custodiæ.

IV. Custodia ejus [4] sic descripta sit oportet, ut sacerdotes custodiant intus, & foris Levitæ, & singulis noctibus perpetuo custodiant quatuor & viginti manipuli in locis diversis viginti quatuor: in tribus videlicet sacerdotes, & Levitæ in viginti uno reliquis.

V. Sed isti custodes [5] ubinam collocabantur? Sacerdotes in domo * Abtines, in domo splendoris, & in domo ardoris. [6] Erant autem domus Abtines, & domus splendoris cœnacula extructa ad latus portæ atrii: hic excubias agebant pueri; Domus ardoris testudo erat: atque domus illa erat ampla projecturis circundata lapideis: hic cubabant senes ejus familiæ, quæ de die rem divinam administraverant: [7] atque his claves atrii committebantur.

VI. [8] Jam custodientes illi sacerdotes non dormiebant vestes induti sacerdotales: has enim complicatas apponebant ad caput: tum sua veste vestiti humi cubabant. Ea

V. *Abtines*. Abtines nomen proprium fuit sacerdotis, qui præfectus erat iis, quorum erat munus parare suffimentum.

וישנים על הארץ כדרך כל שומרי חצירות המלכים לא שישנו על המטות

ſunt enim conditione omnes in regum aulis excubias agentes, ut in lecto non cubent.

ז. אירע קרי לאחד מהן הולך במסיבה שתחת הקרקע שהמחילות הפתוחות להר הבית לא נתקדשו וטובל וחוזר וישב אצל אחיו הכהנים עד שפותחין השערים בבקר יוצא והולך לו

VII. [9] Si quis eſſet per noctem ſeminis fluxionem paſſus, is illico per cryptoporticum ſubterraneam pergeret ad balneum. Nam ſpecus in montem ædis aperti dedicati non erant: tum deinde lavatus ad fratres ſuos ſacerdotes redibat, quibuſcum manebat uſque dum portæ mane aperirentur, ac tum viam ſuam abibat.

ח. והיכן היו הלוים שומרים על חמש שערי הר הבי׳ ועל ארבע פנותיו מתוכו על ארבע פינות העזרה מבחוץ שאסור לישב בעזרה ועל חמשה שערי העזרה חוץ לעזרה שהרי הכהנים שומרים על שער המוקד ועל שער הניצוץ הרי שמנה עשר מקומו׳

VIII. [10] Levitæ vero poſiti erant ad quinque portas, quæ in monte ædis erant, & intra montem ad quatuor ejus angulos, & ad quatuor angulos atrii videlicet extrinſecus, quoniam in atrio ſedere licebat nemini, & ad atrii quinque portas item extrinſecus. Nam portam ardoris & portam ſplendoris cuſtodiebant ſacerdotes. En igitur loca duodeviginti.

ט. ועוד שומרי׳ בלשכת הקרבן ובלשכת הפרוכת ואחורי בית הכפורם

IX. Præterea autem Levitæ cuſtodiebant etiam conclave oblatorum, conclave veli, & poſticam partem propitiatorii.

י. ומעמידין ממונה אחד על כל המשמרות השומרים ואיש הר הבית היה נקרא והיה מחזר על כל משמר ומשמר כל הלילה ואבוקו׳ דלקות לפניו וכל משמ׳ שאינו עומד ואומ׳ לו איש הר הבית שלום עליך ניכר שהוא ישן חובטו במקלו ורשות היה לו לשרוף את כסותו עד שהיו בירושלם מה קול בעזרה קול בן לוי לוקה ובגדיו נשרפין שישן על משמרו

X. His omnibus cuſtodiis unus erat præfectus Antiſtes. Is præfectus montis ædis appellabatur. [11] Hic igitur nocte tota ſingulas cuſtodias luſtrabat, & accenſæ faces ei præferebantur. Cum offenderetur cuſtodia, quæ non ſtaret in pedes, præfectus montis ædis, pax tibi, ei dicebat. Quam ſi agnoſſet dormientem baculo tundebat ſuo. Idem habebat poteſtatem urendi veſtimenta dormientis. [12] Hinc vulgo dictitabant Hieroſolymæ: Quid hoc clamoris eſt in atrio? Levita vapulat, aut ejus uruntur veſtimenta, quoniam cuſtodiæ ſuæ indormivit.

יא. בשחר קו׳ שיעלה עמוד השחר סמוך לו יבא הממונ׳ של מקד׳ וידפוק על הכהנים שבבירת המוקד והן פותחין לו נטל את המפתח ופתח את השער הקטן שבין בית המוקד ובין העזרה ונכנס מבירת המוקד לעזרה ונכנסו אחריו הכהנים ושתי אבוקות של אור בידם ונחלקו לשתי כיתות כת הולכת למזרח וכת הולכת למערב ויהיו בודקין והולכין את כל העזרה עד שיגיעו שתי הכתות למקום בית עושה חביתין הגיעו אלו ואלו אומרין שלום הכל שלום והעמידו עושי חביתין

XI. Mane paulo ante, quam naſceretur aurora, veniebat præfectus templi, & pulſabat apud ſacerdotes, qui in domo ardoris erant, quam huic illi patefaciebant: tum præfectus clavem ſumebat, & ſitum inter domum ardoris & atrium oſtiolum aperiebat, per quod e domo ardoris abibat in atrium. Conſequebantur ſacerdotes, qui duas faces præferentes in turmas diſpertiebantur duas: quarum altera in orientem, altera pergebat in occidentem, & totum obeuntes luſtrabant atrium uſque dum rurſus ambæ coirent in eum locum, ubi fiebant cruſtula. Quo cum conveniſſet utraque, pax, ajebat, pax ubique, & cruſtula deſinebant efficere cruſtularii.

יב. כסדר הזה עושין בכל לילה ולילה חוץ מלילי שבת שאין בידם אור אלא בודקין בנרות הדלוקין שם מערב שבת:

XII. Atque hanc rationem tenebant ſingulis noctibus, exceptis ſabbatinis, quibus quidem nullæ præferebantur faces; ſed atrium luſtrabant ad lucernas ibi de vigilia ſabbati accenſas.

NOTÆ IN CAPUT OCTAVUM.

[1] Jubendo &c. *Maimonides More Nevochim part.* III. cap. 45. Custodiam & vigiliam perpetuam circa Sanctuarium quod attinet, præcepta illa fuit propter honorem, & majestatem ejus; item ne vel stulti vel immundi, vel etiam alii in luctu constituti, aut corpore illoto in illud imprudentes irrumpant, sicut est manifestum. *Schilte Haggibborim cap.* XVII. Jubendo sancitum est, ut templum tota nocte custodiretur; neque id fiebat aut metu grassatorum aut latronum, sed propter honorem, & magnificentiam domus, ut ne esset sine custodia, quia non est simile palatium, quod suis excubiis custoditur palatio, quod custodias non habeat.

[2] Sacerdotes & Levitæ &c. *Siphri ad num.* XVIII. 2. *Tu autem, & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii*; Sacerdotes intus, & foris Levitæ; an dicam, utrique intus? Ideo dictum est; *Excubabuntque Levitæ*; cur igitur dicit; *tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii?* Sacerdotes intus, & foris Levitæ. *Pesiktha ibid. Tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii;* Sacerdotes intus, & foris Levitæ. *Castra metabuntur &c. Glossa in h. l.* Unde hoc nobis constat? dixit Abhai, dicit Scriptura; *castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, ad orientalem plagam Moyses & Aaron cum filiis suis habentes custodiam Sanctuarii in medium filiorum Israel.* Num. III. 38.

[3] Quam custodiam &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Hi custodes erant Sacerdotes & Levitæ; & si hanc custodiam neglexissent, violabant præceptum negativum, sicuti dictum est; *Excubate in custodia Sanctitatis Num.* 18. 5. Vox autem hæc *custodire* comprehendit præceptum negativum; Hinc discimus, quod erat præceptum affirmativum, ut excubiæ fierent, quæ si negligantur, violatur præceptum negativum.

[4] Sic descripta &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Hoc præceptum ita servabatur, ut Sacerdotes intus excubias agerent, & foris Levitæ; & in quatuor & viginti locis iis erat excubandum in Sanctuario, sicuti scriptum est 1. *Paralip.* XXVI. 17. *Ad orientem vero Levitæ sex, & ad aquilonem quatuor per diem, atque ad meridiem similiter in die quatuor, & ubi erat concilium bini bini; in cellulis quoque janitorum ad occidentem quatuor, in via binique per cellulas.* Ecce quatuor & viginti.

[5] Ubinam &c. *Pesiktha ad Num.* III. 38. Hinc dixerunt, Sacerdotes excubius agunt in domo Sanctuarii, in domo Abtines, in domo Nitsots, & in loco focario. *Middoth* I. 1. Sacerdotes in tribus locis excubias agunt in domo Sanctuarii, nimirum in domo Abtines, in domo Nitsots, & in loco focario. *Tamid.* I. 1. Tribus in locis Sacerdotes excubias agebant in Sanctuario, in domo Abtines, in domo Nitsots, & in domo foci. *Schilte Haggibborim ibid.* In tribus locis excubabant Sacerdotes; verum cum his etiam Levitæ se conjungebant; sicuti dictum est Num. XVIII. 2. *Præstoque sint, & ministrent tibi*; Et ubi erant loca superiora, Sacerdotes excubabant superius, & Levitæ inferius; & ubi deerant loca superiora, Sacerdos excubabat intus, & foris Levita, uti dixerunt in *Tamid*; verum etiam soli Levitæ excubias agebant, uti dixerunt in tractatu *Middoth*; *in locis uno & viginti* &c. Et in singulis excubiis erant decem custodes; idcirco Sacerdotes erant triginta, & 240. Levitæ singulis noctibus. Et quamvis Textus solum Levitas nominet, Sacerdotes etiam Levitæ appellantur, sicuti dictum est; *Et Sacerdotes Levitæ filii Zadochi*; Et hæc tria loca, ubi excubabant Sacerdotes, referuntur ad ea, quæ scripta sunt in Lege; *Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est ad orientalem plagam &c. habentes custodiam*; ex custodia designantur tres custodiæ & in tribus locis; sicuti in Tabernaculo erant Aaron, & duo filii, quorum singuli in loco peculiari excubias agebant, sic etiam in domo seculorum hic usus obtinebat; Et hæc sunt tria loca, ubi excubabant Sacerdotes, in domo Abtines, in loco focario, & in domo Nitsots.

[6] Erant autem &c. *Tamid ibid.* In domo Abtines & Nitsots erant conclavia ubi juvenes excubabant, domus foci erat concamerata, magna domus erat circumdata tabulis lapideis, ubi dormiebant seniores domus paternæ, & claves atrii in manibus eorum. *Schilte Haggibborim ibid.* Domus Abtines, & domus Nitsots habebant portas apertas in Hel, & ipsæ, & eorum tecta non erant sanctificata; & in his duobus locis excubabant רבים; hi erant juvenes, qui ea ætate erant, ut ministrare possent, sed non se exercuerant; nam Chaldaice רביא dicitur puer; ant רבים erant Sacerdotes juvenes, uti dictum est, qui ex arcu sagittas emittebant, ex phrasi רבה קשת, juvenis sagittæ. Ad latus boreale erat conclave Abtines, erat conclave illius familiæ, qui callebat artem parandi suffitus, eique nota erat illa herba, qua fumus suffitus recta adscendebat; & in hoc conclavi, quod erat ad austrum atrii prope portam aquarum, & in loco ipsi superiori, qui apertus erat in Hel, juvenes Sacerdotes excubabant. Domus incendii, uti diximus superiori capite, non erat contignata, sed concamerata erat, & circumdata tabulis lapideis, in quibus dormiebant seniores Sacerdotes domus paternæ; Quemadmodum quatuor & viginti erant custodiæ Sacerdotum, quarum singulæ unam hebdomadam ministrabant ita ut singulæ singulis annis bis ministrarent, ita etiam quælibet custodia in septem familias distribuebatur juxta numerum dierum hebdomadæ; & Seniores domus paternæ illius diei, noctu excubabant, & in iis tabulis lapideis dormiebant, &c.

[7] Atque his claves &c. *Middoth* I. 8. Domus incendii erat concamerata & magna, atque stratis saxeis circumdata, ubi seniores classis paternæ dormiebant, atriique magni claves in potestate sua habebant....

[8] Jam custodientes &c. *Tamid ibid.* Unusquisque juvenum Sacerdotum habebat tegumentum suum in terram, non dormiebant in vestibus sanctis, sed illas exeuntes duplicatas supponebant capitibus suis, & tegumentis propriis se tegebant. *Middoth ibid.* Et candidatorum Sacerdotii singulis erat pulvillus suus in pavimento, ubi spatium habebant quadratum unius cubiti; Tabulæ vero marmoreæ erat infixus annulus, item catena, e qua suspendebant claves. Ubi tempus obserandi ostium appropinquaret, attollens tabulam annulo, claves e catena desumebat æditus, atque claudebat Sacerdos intus; Levita autem foris dormiebat. Ubi jam absolvisset, & obserasset, restituit claves catenæ, tabulamque in locum suum reposuit, eique pulvillo imposito somnum cepit. *Schilte Haggibborim ibid.* Unusquisque Sacerdotum primæ lanuginis habebat pulvillum suum in terra, quia in lectis dormire non poterant; sed solum in terra juxta consuetudinem eorum, qui in aulis Regum excubias agunt; neque dormiebant in vestibus sanctis, quia iis uti tantum poterant tempore ministerii, ideoque eas exuebant, & duplicatas capitibus suis supponebant; quia in vestibus sacerdotalibus erat mixtura ex lino & lana, uti in baltheo; & suis vestibus, sc. profanis se operiebant. Et in domo incendii erat spatium quadratum unius cubiti; & tabula marmorea, cui infixus erat annulus, item catena, e qua suspendebant claves Sanctuarii; ubi tempus obserandi advenerat, attollens Sacerdos tabulam annulo, claves e catena desumebat, & claudebat Sacerdos intus, & Levita foris morabatur. Ubi jam absolvisset, & obserasset, restituit claves catenæ, tabulamque loco suo, eique pulvillo imposito dormiebat.

[9] Si quis esset &c. *Tamid ibid.* Si alicui ex illis accideret seminis fluxus, egrediebatur per circuitum, qui ducebat eum sub Biram, candelis hic illic accensis, usque dum perveniret ad domum lotionis, ubi ignis erat, & locus secretus honoris, hic autem honor ejus fuit, ut quando inveniebat clausum, sciverit aliquem ibi esse, quando apertum, cognoverit, quod nullus esset, descendebat, lavabat se, adscendebat, & abstergebatur, calefaciebat se ante ignem, accedebat, & consedit apud fratres suos Sacerdotes, donec portæ essent apertæ, & tunc egressus, abiit. *Middoth ibid.* Si casus nocturnus alicui ipsorum obtingeret, egressus per cochleam, descendebat in crypto


pto porticum, quæ ſub Sanctuario deducebatur (faceſque hinc inde ardebant) donec balneo appropinquaret. R. Eleazar filius Jacobi inquit, per porticum, quæ ſub intermurali permeat, egreſſus pervadit portam Teri. *Schilte Haggibborim ibid.* Si cui ex illis fluxus ſeminis eſſet, exibat, & deſcendebat per cochleam ſub Palatio, i. e. ſub Sanctuario, quia totum Sanctuarium vocatur Palatium, ſicuti dictum eſt; *& ædificet* הבירה *cujus impenſas paravi*. 1. *Paral.* XXIX. 19. & quia feminifluus non poterat egredi per atrium, ſed per crypto porticum, quia nobis hypotheſis eſt, quod cryptæ non fuerint ſanctificatæ; faceſque hinc inde ardebant, donec balneo appropinquaret; ibique erat focus, & latrina; & hic erat honor ejus, ſi inveniebat clauſam, ſciverit aliquem ibi eſſe, ſi apertam, cognoverit, quod nullus eſſet, deſcendebat, lavabat ſe, adſcendebat, ſe abſtergebat, & ſe induebat, & ſe calefaciebat, & conſedit apud fratres ſuos Sacerdotes in domo incendii; quod quamvis eodem die lotus non poterat intrare atrium mulierum, i. e. in prænominatum ſepimentum Leviticum; huic erant faciles, quia intus ſe immundaverat, & quando portæ aperiebantur, egreſſus ibat.

[10] Levitæ vero &c. *Peſiktha ad Num.* III. Hinc dixerunt; Sacerdotes excubabant in Sanctuario, in domo Abtines, in domo Nitſets, & in domo incendii. Levitæ vero locis uno & viginti; quinque manipuli ad quinque portas templi; quatuor ad quatuor angulos; quatuor ad quatuor atrii portas; quinque ad quinque angulos, extrinſecus; unus ad conclave oblationum, alius ad conclave veli; & tertius ad poſticam partem Veli, i e. Propitiatorii. *Middoth ibid.* Levitæ locis uno & viginti; quorum quinque manipuli ad quinque ambitus templi portas, quatuor ad quatuor angulos; quinque ad quinque portas atrii magni, & quatuor ad quatuor ejus angulos extrinſecus, unus ad receptaculum oblationum, alius ad receptaculum veli, tertio tandem remotius quoddam a poſtica Adyti parte aſſignatum. *Kimchi* I. *Paralip.* XXVI. Inter omnes Janitores erant 24. juxta numerum reliquarum claſſium, ſex ad latus Orientale, ſex ad latus ſeptentrionale, ſex in meridionali, in Aſuppim duo & duo, hoc eſt omnino quatuor, quatuor in occidentali, & duo in Parbar, ecce quatuor & viginti; Rabini noſtri eos diſtribuerunt in 24. loca. *Schilte Haggibborim ibid.* Levitæ ſoli excubabant in uno & viginti locis; quinque claſſes, quarum ſinguꝉæ decem conſtabant, in quinque portis montis ædis extrinſecus, quatuor in quatuor angulis intrinſecus, quinque in quinque portis atrii; nonnulli enim ſapientes putant, quinque tantum portas atrio fuiſſe, & alii dicunt tredecim, uti meminimus in capitibus ſuperioribus, & alii ſeptem, quæ eſt opinio generalior; & juxta ſententiam horum ſapientum, etiamſi ſeptem eſſent portæ, tamen vigiliæ agebantur ad quinque portas; ecce claſſes Levitarum erant quatuordecim; præterea quatuor ad quatuor angulos atrii extrinſecus, quia unis Regibus de familia David licebat in atrio ſedere, nec fieri poterat, ut coſtos tota nocte excubando ſtaret; ideoque excubabant in angulis atrii extrinſecus; pariterque janitores portarum atrii excubabant extrinſecus, ut ſedere liceret; ut ita crederent, adducti ſunt 1. Paral. XXVI. 18. duo ad פרבר, perinde ac ſi dixeris כלפי בר i. e. extra, nempe extra parietes atrii; ecce octodecim; una ad conclave oblationum, alia in conclavi veli; tertia in parte poſtica Propitiatorii ecce una & viginti *claſſes*.

[11] Hic igitur nocte &c. *Middoth* I. 2. Montis templi præfectus perluſtrabat ſingulas cuſtodias, faceſque eidem prælucebant, unumquemque autem cuſtodem, qui pedibus non inſiſteret, his verbis compellabat præfectus; pax tibi. Si eum dormire animadverteret, baculo percutiebat, eidemque illius comburere veſtimenta permiſſum erat. *Schilte Haggibborim ibid.* Et præfectus montis ædis, qui præerat cuſtodiis, erat ben bevai, cui cura erat פקיע; is perluſtrabat ſingulas cuſtodias, uti noſtris diebus fieri videmus, quod princeps cuſtodum civitatis, noctu perluſtrat omnes cuſtodias, & hæc perluſtratio Italice vocatur, *andar in ronda*; eique faces prælucebant, unumquenque autem cuſtodem, qui pedibus non inſiſteret, eique non dixiſſet, *Præfecte montis ædis, pax tibi*, ſciebat, eum dormire, baculo percutiebat, eique licebat illius veſtimenta comburere.

[12] Hinc vulgo &c. *Middoth ibid.* Hinc illa verba; *quæ vox in atrio magno? vox Levitæ vapulantis cujus veſtimenta comburuntur, quod excubiarum tempore dormierit;* Ita refert R. Eleaſar filius Jacobi; ſemel invenerunt avunculum meum dormientem, ideoque veſtimentum ejus combuſſerunt. *Schilte Haggibborim ibid.* Et ipſi dicebant; *Qui clamor in atrio?* Et alii reſpondebant; *vox Levitæ vapulantis; & ejus veſtimenta comburuntur, quod excubiarum tempore dormierit*.

Mane paulo ante &c. *Tamid.* I. 2. Unuſquiſque qui volebat purgare ſurgebat mane, & lavabat ſe, antequam veniſſet præfectus, ſed qua hora accedebat præfectus? non ſemper eadem hora, aliquando veniebat ad galli cantum, aut parum ante, vel poſt eum; cum accederet præfectus pulſavit ad eos, illi autem aperuerunt ipſi, & dixit qui ſe lavit, veniat, & ſortiatur, tunc ſortem miſerunt, & dignus habitus eſt, qui dignus habebatur. Accepit clavem, & aperuit oſtium, & ex domo foci intravit atrium, & Sacerdotes ingreſſi ſunt poſt eum, accenſas faces duas habebant, in duas turmas diviſi ſunt, illi ibant per porticum orientem verſus, hi ibant viam per porticum occidentem verſus, explorantes ibant ad locum domus facientium frixa, pervenerunt hi & illi, & dixerunt *ſalvete*, & conſtituerunt eos, qui faciebant frixa, ut facerent frixa.



Explicatio Tabularum, quæ Figuram Templi exhibent. Monitum.

IN Templi deſcriptione, quam Majemonides nobis reliquit, pleraque fere omnia ſunt ita graphice veluti delineata, ut cuivis ea legenti promptum ſit rerum ipſarum veram imaginem ſibi fingere. Nonnulla ſunt tamen quæ ideo apparent obſcura aut ambigua, quia parum conveniunt cum typis illis, qui paſſim in Bibliis conſpiciuntur ad ſacri textus mentem eam effićti, qualemcunque Pictores ſequi conati ſunt, & quam, opinor, non ſunt aſſecuti. Utut ſit, ſi non veram templi imaginem hic ob oculos ponimus, eam ſaltem exhibemus, qualem, ni fallor, auctor noſter in animo habuit. Verum antequam ad partium brevem deſignationem, quam appoſitis ad ſingulas, ut moris eſt, characteribus nos conferamus, prius operæ pretium erit unum aut alterum eximere ſcrupulum, qui nos utcunque angit, & forſan lectores quoque ad rem attentos male habebit.

Primus ſcrupulus verſatur circa ſitum appendicum illarum, ſeu thalamorum, aut cubi-

cubiculorum, in quibus Sacerdotes degebant, quæ appendices 3. Regum *tabulata* vocantur, apud Ezechielem *gazophylacia*, & 2. Paralipomenon *cœnacula*. Eas enim Sacerdotum mansiones parietibus ipsius Sacrarii, quod ex Sancto Sanctorum, Sancto, & Vestibulo constabat, adjunctas immediate omnes intelligunt: nos vero tribus lateribus Atrii templi extrinsecus adnexas, septentrionali videlicet, occidentali, & meridionali existimamus. Conjecturæ, quibus nitimur, petitæ sunt ex locis nonnullis Majemonidis & Scripturæ sacræ, ex quibus intelligere est; Primo rem ita se habere non posse ut vulgo existimatur; Secundo locos quibus fulcitur vulgaris opinio non adversari nostræ opinioni; sed ita esse ambiguos, ut ad utramque stabiliendam pertineant. Appendices Sacrario adjunctas esse non potuisse sequitur ex iis quæ Majemonides tradit cap. 4. art. 4. Ibi enim templo ab oriente ad occidentem, scilicet ab IN ad *6* in prima Tabula, assignat tantum cubitos centum, quos explebant Sanctum Sanctorum F, Sanctum G, & Vestibulum EH, cum parietibus, quarum partium singularum mensuræ traduntur eo loci, & illæ summam centum cubitorum efficiunt nulla hic facta mentione appendicum illarum, quæ novem saltem cubitos postulabant. Capite 5. art. 12. quod inter murum Atrii & murum Sancti Sanctorum intercedebat spatium nota *6* designatum, erat tantum undecim cubitorum: at in eo spatio appendices esse non potuerunt, quæ novem cubitos ad minimum erant latæ: nemini enim venire potest in mentem duorum tantum cubitorum intercapedinem inter Atrium & templum fuisse relictam. Præterea apud Ezechielem cap. 4. v. 12. inter gazophylacia SSS, erat spatium r, viginti cubitorum: id autem significat aut inter gazophylacia & templum spatium intercedere viginti cubitorum, quod parum abest a spatio, quod erat secundum Majemonidem a lateribus templi ad Atrii parietem, cui nempe adjuncta volumus gazophylacia: aut id significat singula gazophylacia a se invicem esse spatio viginti cubitorum dissita, quod est impossibile, si lateribus templi erant annexa; quia latus templi maximum, nota 7 designatum, vix erat octoginta cubitorum: at quatuor spatia, quæ erant inter quinque gazophylacia, quibus latus istud maximum instructum erat, cubitos octoginta postulabat: ac proinde nullum gazophylaciis erat relictum, quæ secundum Josephum lib. 8. Antiq. erant singula cubitorum viginti quinque. Non ergo in circuitu Sacrarii esse potuerunt gazophylacia; sed in circuitu atrii, in quo Sacrarium inclusum erat.

Illas appendices Atrio conjunctas non Sacrario, disertis verbis significat Majemonides cap. 4. art. 9. *Jam*, inquit, *appendices erant circumdatæ extra ambitus parietem*, quod aperte significat parietem Atrii, qui ædem, hoc est, Sacrarium totum solus circumdat: paries enim est suus vestibulo diversus a pariete Sancti Sanctorum, quod suum quoque diversum ab aliis habuit: unde fit, ut nullus sit Sacrario paries, qui illud totum circumdet, quemadmodum est Atrio.

Tandem nihil reperitur de appendicibus illis dictum, quod eas Sacrario potius, quam Atrio templi annexas fuisse significet; quia incertum est ubique, an nomina domus, ædis, templi, quibus illæ dicuntur annexæ, intelligenda sint de solo Sacrario, an de Sacrario cum Atrio, quod illud circundat, & quod ad illud ita pertinet, ut unum quid cum illo efficere videatur. Quidquid sit, mansiones illas, seu hominum cubicula a sanctissimo Sacrario paulum remota fuisse magis decebat, & per trabes tantum, quæ ponticulum efficiebant, esse conjunctas. Trabes autem illas, quas notis 8, 9, in prima Tabula designavimus, easdem esse existimare licet cum iis de quibus mentio fit 3. Regum, ubi postquam descriptæ sunt illæ appendices, quæ eo loci tabulata vocantur, hoc additum legimus, *Trabes autem Salomon posuit in domo forinsecus per circuitum*, hoc est, in domo quæ Sacrarium circumdabat, *ut non hærerent muris templi*.

Alter scrupulus versatur circa cochleam, quam omnes Interpretes ipsius Sacrarii angulo una cum appendicibus annectunt, an pari errore non ausim affirmare: id unum contendo gradus seu scalas, quibus ascensus erat in gazophylacia & in cœnaculum, neque Sacrario conjunctas fuisse, saltem secundum Majemonidem, neque figuram habuisse cochleæ, cujus nomen ab Interpretibus male, ni fallor, usurpatum est. Nam vocabulum מסיבה si ad verbum interpreteris nihil est aliud quam circuitus seu ambitus: eoque vocabulo Hebræi utuntur, tum ad gradus significandos, tum ad quascunque res quæ circunducuntur, sive in orbem ut cochlea, sive per latera recta figuræ quadratæ porrigantur. Majemonides enim cap. 5. art. 11. eo verbo utitur ad significandam cryptoporticum subter Sanctuario toto circunductam, quæ non in orbem flectebatur; sed secundum figuram quadratam, qualis erat figura Sanctuarii. Quo fit ut ego existimem temere redditum fuisse Latine verbum מסיבה,

per

per cochleam, nempe per eam scalarum speciem, quæ minime ei convenit quam Majemonides describit. Nemini enim, vel minimum ad textum attento, dubium esse potest, quin hæc scala, de qua agitur, scapos tres habuerit rectos & obrepentes, quorum primus c, ab oriente versus occidentem; secundus d, a septentrione ad meridiem; tertius e, ab occidente versus orientem dirigeretur. Jam vero an triplex ille scapus seu scaporum ordo (Gallice *ces trois rampes*) ita fuerint dispositi, ut unus alteri immediate succederet, ut in nostris scalis fieri solet; an vero alius ab alio per longam plateam fuerit divisus, ut ego opinor, videndum. Hanc fateor scalam quadratam cum tribus scaporum ordinibus posse convenire descriptioni quam tradit Majemonides: sed plurima sunt quæ talem non fuisse mihi persuadeant. Primo. Sic disposita scala ad unum tantum e tredecim unius tabulati gazophylaciis aditum præbuisset; adeo, ut Sacerdoti per undecim transeundum fuisset ante, quam ad ultimum potuisset prrvenire. Hinc necessaria fuit platea, seu menianum de quo Ezechiel verba facit, per quam accessus liber esset ad singula gazophylacia. Secundo. Ingens admodum spatium scala illa occupasset, utpote cujus singuli scaporum ordines quindecim fere cubitos præter retractiones graduum quas Gallice vocant *les palliers* occupare debuissent. Tertio. Sic disposita scala nullatenus ad ostium cœnaculi quod ad austrum spectat, & quod nota 10. designatur in Tabula prima: sed ad oppositum locum nota 10. insignitum deducere potuisset. Debuit igitur scala hæc tres scaporum ordines habuisse a se invicem ita separatos, ut primus secundum faciem Atrii quæ spectat ad septentrionem recta progrederetur versus occidentem, alter secundum faciem Atrii quæ spectat ad occidentem repens iret ad meridiem, tertius secundum faciem Atrii, quæ respicit austrum ascendens iret versus orientem, ut in Tabulis videre licet.

Hic ordine suo inserendæ sunt Tabulæ, numero tres.

Explicatio I. Tabulæ, quæ totius Templi Ichnographiam continet.

AAAA. Murus templi exterior quingentorum cubitorum, de quo cap. 5. art. 1.
BB. Murus interior, dictus *antemurale*. cap. 5. art. 3.
CCCCC. Quinque portæ exteriores, de quibus cap. 5. art. 2,
DDDD. Atrium templi, de quo cap. 5. art. 4. 5. 6. 13. 15. 16.
EFGH. Templum, de quo cap. 4. a principio ad art. 9.
EH. Prima pars templi, quæ *vestibulum* vocatur, cap. 3. art. 16. & cap. 4. art. 4. 5. 8. & cap. 6. art. 4.
G. Altera pars templi, quæ *Sanctum* dicitur, cap. 3. art. 7. Ib. vocatur absolute templum, sicut & alibi passim, tum cap. 4. art. 4. 5. & cap. 5. art. 12. & 13.
F. Pars templi tertia, quæ *Sanctum Sanctorum* dicitur, cap. 4. art. 4.
1. Altare suffimentorum, cap. 1. art. 7. cap. 3. art. 17.
2. Candelabrum, c. 1. a. 7. c. 3. ab a. 1. ad 12.
3. Mensa in qua panes propositionis ordinabantur, cap. 1. art. 7. & cap. 3. art. 12.
4. 5. Mensæ duæ in interiori parte vestibuli, cap. 3. art. 16.
6. Quatuor parietes lateris occidentalis Sancti Sanctorum, cap. 4. art. 4.
7, 7. Sex parietes lateris meridionalis, & totidem lateris septentrionalis Sancti, cap. 4. art. 9.
I. Labrum in quo sacerdotes manus & pedes lavabant, cap. 1. art. 6. & cap. 3. art. 18.
K. Altare holocausti, cap. 1. art. 6. & cap. 2. ab art. 1. ad art. 13.
L. Collis per quem ascensus erat ad altare, cap. 1. art. 6. & cap. 2. art. 13. & 14.
λ. Mensæ duæ ad latus occidentale collis, cap. 2. art. 15.
M. Spatium annulorum in quo victimæ mactabantur, cap. 5. art. 14.
N, N. Mensæ octo, in quibus victimarum membra disponebantur, de quibus cap. 5. art. 14.
O. Laniena, cap. 5. art. 13.

PP.

PP. Atrium ſacerdotum, de quo cap. 5. art. 13. & cap. 6. art. 3.
QQ. Atrium Iſraelitarum, cap. 5. art. 12. & cap. 6. art. 3. & 6.
RRRRRRS. Septem portæ atrii templi, cap. 5. art. 4. & 25.
S. Porta Nicanoris, cap. 5. art. 5.
TVXY. Atrium mulierum, cap. 5. art. 7. & 8. Et cap. 6. art. 2.
T. Conclave in quo vinum & oleum in libamina reponebantur, c. 5. a. 8.
V. Conclave in quod purgati a lepra excipiebantur. Ibidem.
X. Conclave ad coquenda ſacrificia pacifica Nazaræorum, & ad tondendos capillos. Ibidem.
Y. Conclave ad ſervanda ſacrificiorum ligna.
ZΘΛΞ. Magna domus camerata, quæ domus ardoris dicebatur, c. 5. a. 9.
Z. Conclave in quod agni luſtrandi introducebantur, cap. 5. art. 10.
Θ. Conclave per quod deſcenſus erat ad balneum. Ibid.
Λ. Conclave ad conficiendos panes propoſitionis. Ibidem.
Ξ. Conclave in quod Haſamonæi ſepoſuere lapides altaris a regibus Græciæ temeratos. Ibid.
cde. Scala ſeu gradus ad thalamos, cap. 4. art. 12.
c. Pars prima ſcalæ per quam aſcendentes ad occidentem ſpectabant. Ibid.
d. Pars altera ſcalæ per quam aſcendentes ſpectabant ad meridiem. Ibidem.
e. Pars tertia ſcalæ per quam aſcendentes ſpectabant ad orientem. Ibidem.
ssss &c. Thalami ſeu appendices, quæ erant ad Atrii murum, cap. 4. art. 10.
rRRRr &c. Menianum ſeu platea quæ circuibat atrium templi, per quam introitus erat in thalamos, de qua mentio fit Ezech. cap. 41. v. 7. Hic duo ſunt obſervanda. Primo Plateam illam Atrio circumductam triplicem eſſe pro triplici tabulatorum numero, quamvis una tantum conſpiciatur, ſcilicet ſuperior quæ duas inferiores obtegit. Secundo Portas RR, quæ ſunt infra primam Plateam in ſolo, tum gradus c, qui ſunt infra ſecundam in prima, & gradus d, qui ſunt infra tertiam in ſecunda, compendii cauſa in tertia illa ſuprema repræſentari; quaſi nempe per tres illas plateas perſpicuas, quæcunque infra poſita ſunt, conſpicere liceat.
8, 9. Trabes duæ cedrinæ, per quas ceu per pontem aditus erat in cœnaculum templi, cap. 4. art. 13:
. Locus januæ cœnaculi, quæ aperiebatur verſus meridiem, cap. 4. art. 12.

Explicatio II. Tabula, quæ partem eam templi exhibet, quæ Sacrarium vocatur cap. 1. art. 5. Hujus figuræ ſunt duæ, quarum ſuperior continet Orthographiam templi, cujus forma exterior, quæ ſpectabat ad orientem, exhibetur amoto Atrii muro anteriore, quæ in prima Tabula notatur literis DSD.

A. Porta veſtibuli, de qua cap. 4. art. 8.
B. Porta Sancti quæ eſt intra veſtibulum, de qua cap. 4. art. 7.
C. Oſtiolum ad meridiem quod ſemper clauſum erat, de quo cap. 4. art. 6.
D. Oſtiolum ad ſeptentrionem, per quod miniſtrorum aliquis introibat, ac progreſſus inter duos parietes, portas templi aperiebat, de hoc cap. 4. art. 8.
EE. Trabes quercinæ quinque ſopra oſtii ſuperliminare, de quibus cap. 4. art. 8.
FF. Baſis templi, de qua cap. 4. art. 3.
GG. Murus interior Atrii templi, de quo cap. 1. art. 5.
HIK. Tres ordines thalamorum poſiti alius ſuper alio, qui thalami appendices vocantur, de quibus cap. 4. art. 9.
H. Thalamus inferior quinque cubitorum latitudine, de quo cap. 4. art. 9.
I. Thalamus medius ſex cubitorum. Ibidem.
K. Thalamus ſupremus ſeptem cubitorum. Ibidem.

Altera Figura repræſentans faciem Atrii, quæ ſpectabat ad ſeptentrionem. Huic ſimiles aliæ duæ, quarum una converſa ad occidentem erat, & altera ad meridiem.

LLLLL. Quinque thalami ſuperiores, & quinque medii totidem inferioribus impoſiti ad latus Atrii ſeptentrionale, de quibus cap. 4. art. 10.

M. Unus e tribus thalamis ſuperioribus, qui ad Atrii faciem occidentalem appoſiti erant, cap. 4. art. 10.

N. Pars prima ſcalæ, per quam aſcenſus erat ad occidentem, de qua cap. 4. art. 12.

O. Pars altera ſcalæ, per quam aſcendentes ſpectabant ad meridiem, cap. 4. art. 12. Pars tertia, per quam aſcendentes ſpectabant ad orientem, non apparet; quia in latere meridionali poſita eſt.

PPP. Portæ tres Atrii templi ad ſeptentrionem ſpectantes, de quibus cap. 5. art. 4.


QRRS. Cœnaculum templi, quod 49. cubitis eminebat ſupra ſummum Atrium, cap. 4. art. 3.

Q. Pars cœnaculi, quæ ſupra veſtibulum erat, cap. 4. art. 13.


RR. Pars cœnaculi, quæ Sancto impoſita fuerat. Ibidem.


S. Pars cœnaculi, quæ ſupra Sanctum Sanctorum erat. Ibidem.





Scala 200 Cubit




OCCIDENS.
MERIDIES.
SEPTENTRIO.
ORIENS.
50 100 150 200 250 300 350 400 450 500
Scala quingentorum Cubitorum



ר׳ משה בן מאימון

הלכות כלי המקדש והעובדים בו

יש בכללן ארבע עשרה מצות שש מצות עשה ושמנה מצות לא תעשה וזהו פרטן

א. לעשות שמן המשחה:
ב. שלא לעשות כמוהו:
ג. שלא לסוך ממנו:
ד. שלא לעשות כמתכונת הקטורת:
ה. שלא להקטיר על מזבח הזהב חוץ מן הקטרת:
ו. לשאת הארון על הכתף:
ז. שלא יסורו הבדים ממנו:
ח. שיעבוד הלוי במקדש:
ט. שלא יעשה אחד במלאכת חבירו במקדש:
י. לקדש מכהן לעבודה:
יא. שיהיו כל המשמרות שוות ברגלים:
יב. ללבוש בגדי כהונה לעבודה:
יג. שלא יקרע המעיל:
יד. שלא יזח החושן מעל האפוד:

וביאור מצות אלו בפרקים אלו:

R. MOSE BEN MAIMON.

CONSTITUTIONES DE VASIS SANCTUARII, ET QUI IN EO MINISTRABANT.

Quæ comprehendunt quatuordecim præcepta; sex præcepta affirmativa, & octo præcepta negativa; quæ speciatim hæc sunt.

I. Faciendum oleum unctionis.
II. Ne fiat aliud ad ejus similitudinem.
III. Ne ullus ex eo ungatur.
IV. Ne ullus faciat suffitum juxta ejus compositionem.
V. Ne quicquam adoleatur super altare aureum præter suffitum.
VI. Ut humeris Arca portetur.
VII. Ne vectes ex ea evellantur.
VIII. Ut Levitæ serviant in Sanctuario.
IX. Nemo faciat in Sanctuario opus sui socii.
X. Ut Sacerdos sanctificetur ad ministerium.
XI. Ut omnes classes sint æquales in festis solennibus.
XII. Ut induantur vestes Sacerdotales ad ministrandum.
XIII. Ne pallium rumpatur.
XIV. Ne rationale removeatur ab Ephodo.

Et explicatio, horum præceptorum his capitibus continetur.

NUNC PRIMUM CUM BLASII UGOLINI

Perpetuis notis philologicis.

פרק ראשון

א. מצות עשה לעשות שמן המשחה שיהיה מוכן לדברים שצריכין משיחה בו שנאמר ועשית אותו שמן משחת קדש

ב. וככה עשהו משה רבינו במדבר לקח מן המור והקנמון והקדה מכל אחד משלשתן חמש מאות שקל בשקל הקדש ומקנה

CAPUT PRIMUM.

I. Jubendo sancitum est, ut [1] oleum unctionis apparetur his rebus, quæ unctionis indigeant: Scriptum est enim: *Faciesque unctionis oleum sanctum*, &c. (*Exod.* 30. 25.)

II. Id igitur sic confecit magister ille noster in deserto Moyses. Sumpsit de unaquaque ex his tribus rebus myrrha, cinnamomo, casia [2] quingentorum pondus * siclo-

II. *Siclorum*. Siclus Hebraice שקל *Sekel*, deducitur a radice שקל *Sakal*, quod est appendere & ponderare. Nimirum priscorum temporum nummi tam ex ære, quam ex argento & auro non sic, ut nunc signati numerabantur, sed plane rudes ponderibus appendebantur. Jam id extra controversiam est siclum omnino numismatum omnium, quæ literis consignata sunt esse antiquissimum. Etenim scriptum vide-

הבושם חמשים ומאתים וזהו שנאמר בתורה וקנמון בשם מחציתו חמשים ומאתים ששוקלין אותו בשני פעמים חמשים ומאתים בכל פעם ושחק כל אחד ואחד לבדו וערב הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל כחם במים ונתן על המים שמן זית הין והוא שני׳ עשר לוג כל לוג ה׳ רביעי׳ ובשל הכל על האש עד שאבדו המי׳ ונשאר השמן והניחו בכלי לדורות

ג. המור הו׳ הדם הצרור בחיה שבהודו הידוע לכל שמת בשמין בה בני אדם בכל מקום והקנמון הוא העץ שבא מאיי הודו שריחו טוב ומתגמרין בו בני האדם והקדה היא הקושט וקנ׳ בשם הם הקנים הדקין כתבן האדומים הבאי׳ מאיי הודו וריחן טוב והם ממיני הבשמים שנותנים אותם הרופאים בצרי

ד. העושה שמן המשחה כמעשה הזה וכמשקל הזה ולא הוסיף ולא גרע במזיד חייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה שנאמר אשר ירקח כמוהו והוא שיעשה אותו להמשח בו אבל אם עשהו להתלמד או ליתנו לאחרים פטור

rum, videlicet ſanctorum: de calamo autem odorato ducentorum & quinquaginta ſiclorum pondo. Quod autem in Lege dicitur: *Et cinnamomi aromatici dimidium ejus, id eſt, quinquaginta & ducentos*. (*Exod.* 30. 23.) Hujus ea cauſa & ratio eſt, quoniam illud duabus vicibus librabant, ducentorum & quinquaginta ſiclorum pondus unaquaque vice: contrivit deinde unumquodque ſeparatim; tum confuſa ſimul omnia [3] in aqua pura & dulci diluit tamdiu, dum omnino vis eorum in aquam tranſiſſet omnis. Huic aquæ addidit * hinnem olivi: hin autem capit logos duodecim: logus autem quartarios capit quaternos. Poſtremo totum hoc igni ſubdito concoxit uſque dum omni aqua exhalata relinquebatur ſolum olivum, quod in vas ſepoſuit ac condidit in poſterum.

III. [4] Myrrha autem iſta oportet intelligi concretum ſanguinem certæ cujuſdam feræ, quæ eſt in India, quo delibutos homines fragrare paſſim, apertum eſt. [5] Cinnamomum eſt ligni genus id, quod ex inſulis apportatur Indiæ, cujus eſt ſuavis odor: eo ligno ſæpe ſe ſuffiunt homines. [6] Caſia vero coſtus eſt. De [7] calamis odoratis, hi ſunt paleæ rubræ conſimiles: deportantur & iſti ex inſulis Indiæ; bene olent: ſunt autem ex illis aromatum generibus, quæ ad theriacam adhibentur a medicis.

IV. Oleum unctionis ad hanc rationem & modum ſi [8] privatus homo efficeret nihil omnino menſuræ nec addens, nec detrahens, cum id effeciſſet obſtinate, * pœna ejus erat כרת *keret*. Sin feciſſet imprudens, ſtatum pro peccato * ſacrificium offerret. Namque ſcriptum eſt: *Homo quicunque tale compoſuerit*, &c. (*Exod.* 30. 33.) nempe ſi id [9] hoc conſilio paraverit, ut eo ad ungendum ſemetipſum uteretur. Nam ſi feciſſet ideo, [10] ut ejus parandi modum addiſceret, aut ut illud daret aliis in uſum ſacrum, nulla pœna teneretur.

ה. הסך

videmus Geneſeos 23. Ephron agrum ſuum illum, in quo erat ſpelunca duplex æſtimaſſe quadringentis ſiclis argenti, quos illi dicitur Abraham, *Appendiſſe tranſeuntes per mercatores*. Erat autem ſiclus, ut videre licet Exod. 30. v. 13. & Ezech. 45. v. 12. obolorum viginti. Maymonides enim noſter tract. de Siclis cap. 1. art. 2. aſſerit ſiclum ejuſdem fuiſſe ponderis ac grana hordeacea vulgaria trecenta viginti. Flavius autem Joſephus teſtatur, locuples ſane teſtis, ſiclum fuiſſe drachmarum Atticarum 4. Siclus „ autem, inquit, lib. 3. Antiq. Jud. nummi genus „ eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradrachmi Attici. Unde ſequitur, ut duarum eſſet drachmarum Hebraicarum: Etenim pondera Hebraica, itemque Alexandrina erant altero tanto majora Atticis, ut cuivis ex Varrone cognoſcere licet. Qua de cauſa Septuaginta ſiclum ubique reddiderunt non τετράδραχμον, ſed δίδραχμον; quia Legem interpretabantur Alexandriæ, cujus pondera ponderibus Hebraicis plane congruebant. Quæ cum minus perſpecta fuiſſent nonnullis, commenti ſunt duplicem fuiſſe ſiclum; unum ſanctum, drachmarum Atticarum quatuor; & alterum communem, qui tamen nuſquam & nunquam reperitur, duarum tantum drachmarum: non eſt ita. Sed enim quod ſicli paſſim in literis ſacris jubentur examinari pondere ſicli ſancti, vel ut textus Hebraicus ad verbum habet juxta ſiclum Sanctuarii ea cauſa fuit, quia in Sanctuario ſervarentur cuncta pondera quæ erant reliquorum omnium certa & perpetua norma: Quod & apud ethnicos uſitatum eſſe, ut in delubris ſuis aſſervarent pondera menſuraſque, atque adeo ſacra putarent, ad quorum normam cætera exigerentur, literis proditum eſt.

Hinnem. De hinne ceteriſque menſuris vide art. 17. hujus ipſius capitis.

IV. *Pœna*, &c. De ratione hujus pœnæ pluribus actum tract. ſup. cap. 7. art. 18.

Sacrificium. Majemonides noſter ad initium Commentariorum in tractatum Miſnicum, qui כריתות *Keritot* inſcribitur: Hoc, inquit, nomine appellatur „ ſacrificium id, quod non immutatur divitiis, vel „ ſacrificium id, quod non immutatur divitiis, vel „ paupertate ejus a quo fiat: Nimirum erat nonnullorum ſacrificiorum ea ratio, ut pro facultate offerentis tum augerentur, tum minuerentur. Sed ea de re pluribus agetur alio loco.

ה. הסך משמן המשחה כזית במזיד חייב כרת ובשוגג מביא חטאת קבועה שנאמר ואשר יתן ממנו על זר ונכרת מעמיו ואין חייבין אלא על סיכת שמן המשחה שעשה משה שנאמר ממנו מזה שנאמר בו שמן משחת קדש יהיה זה לי ומעולם לא נעשה שמן אחר חוץ ממה שעשה משה אחד

ו. הסך את עצמו ואחר הסך את אחרים שנאמר ואשר יתן ממנו על זר הסך כלים ובהמה וגוים שהם כבהמה או שסך מתים בו פטור שנאמר על בשר אדם לא יסך

ז. אין מושחין ממנו לדורות אלא כהנים גדולים ומשוח מלחמה ומלכי בית דוד בלבד אפילו כהן בן כהן מושחין אותו

ח. בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כהן גדול מתרב' בלבישת בגדי' בלבד שהיה לובש בגדי כהונה גדולה

ט. כיצד מושחין את הכהן צק את השמן על ראשו וסך ממנו על גבי עיניו כמין כי יונית כזה χ שנאמר ויצק משמן המשחה על ראש אהרן וימשח אותו לקדשו ומלכי

V. Si quis ungendo conſumpſiſſet ex oleo unctionis tantum, [11] quanta eſt oliva, idque feciſſet contumaciter, pœna כרת *keret* tenebatur. Quod ſi feciſſet imprudens, offerret ſtatum pro peccato ſacrificium, quia ſcriptum legitur: *Et (qui) dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* [*Ibid.*] Etenim eam tantum uncturam pœna ſequebatur, quæ fiebat [12] ex oleo, quod a Moyſe ipſo paratum fuerat. Nam quod dicitur, *Qui dederit ex eo*, &c. ſignificat id, de quo ſcriptum eſt: *Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi.* [*Ibid. v.* 31.] Atqui [13] nullum aliud, quam hoc, quod effecit Moyſes, oleum unctionis effectum eſt unquam.

VI. Hoc oleo [14] ſemetipſum, aut alium unxiſſe hominem, unum & idem erat, quippe cum dicatur: *Et qui dederit ex eo* [15] *alieno.* (*Exod.* 30. 33.) Si quis autem hoc oleo [16] vaſa, pecudes unxerit, aut ethnicos, qui ſunt pecudum ſimiles, aut homines mortuos, is impune foret, quia ſcriptum eſt, *Caro hominis non ungetur ex eo.* (*Ibid. v.* 32.)

VII. A Moyſe reliquis deinceps temporibus hoc oleo ſolos ungebant ſummos [17] Pontifices, * [18] Sacerdotem fecialem, & [19] e gente Davidica reges. Ac ſacerdotes illi quidem, [20] etſi talium erant ſacerdotum filii, tamen ungebantur, quia ſcriptum eſt: *Et ſacerdos unctus in locum ejus e filiis ejus*, &c. [*Lev.* 6. 22.]

VIII. [21] Non erat in templo ſecundo oleum hoc unctionis. Ergo ſummus Pontifex [22] veſtium additione inaugurabatur ſolum: nempe augebatur veſtibus ſummi ſacerdotii.

IX. Jam de ungendi modo, erat qui [23] capiti ſacerdotis inſtillaret oleum, quod idem hic paulo ſupra oculos ſacerdotis diducebat in formam *Chi Græci*, qualis eſt iſta figura χ, quia in Lege dicitur: *Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit.* [*Ibid.* 8. 12.] Jam de gente Da-

בית

VII. *Sacerdotem fecialem.* Hic eſt ille, qui Hebræis modo præciſe dicitur כהן משוח *Sacerdos unctus*, modo plene כהן משוח מלחמה *Sacerdos unctus in bellum*, & omniſſa voce ſacerdotis משוח מלחמה *Unctus in bellum.* Officium ejus erat Iſraelitas bellum parantes monere eorum quæ præcipiuntur Deut. 20. Sed non alienum erit hic ſubjicere, quæ de his ſacerdotibus expoſuit Scriptor noſter tract. de Regi-
„ bus & de bellis eorum, cap. 7. Cum, inquit, bel-
„ lum ſuſciperetur, ſeu illud ex dicto Dei neceſſa-
„ rium, ſeu etiam voluntate indictum, tum ſacer-
„ dotum aliquis præficiebatur, qui ſub belli tempus
„ exercitui certa quædam effaretur carmina. Is un-
„ gebatur oleo unctionis, atque adeo *Unctus in bel-*
„ *lum* nominabatur Hic igitur *Unctus in bellum*
„ debebat ſemel & iterum effari carmina. Primum
„ enim exercitui, cum in expeditionem educeretur
„ ante quam inſtrueretur acies ex Deut. 20. de li-
„ bro prælegebat. *Quis eſt homo qui plantavit vi-*
„ *neam, necdum fecit eam communem, de qua veſci*
„ *omnibus liceat*, & cætera, quorum videlicet cauſa
„ homines militia immunes eſſe Lex jubet Deut. 20.
„ Quibus auditis ejuſmodi homines ex agmine abi-
„ bant: tum deinde reliquis copiis idem memoriter
„ recitabat, *Nolite metuere nolite cedere.* Inſtructa
„ igitur acie diſpoſitiſque ordinibus, cum prælium
„ jam inſtaret, *Unctus in bellum* celſo quodam loco
„ ſe collocabat, ita ut omnes ordines in conſpectu
„ haberet, quibus Hebraice dicebat: *Audi Iſrael,*
„ *vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committi-*
„ *tis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, no-*
„ *lite cedere, nec formidetis eos: Quia Dominus Deus*
„ *veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra ad-*
„ *verſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Quæ
„ cum dixiſſet *Unctus in bellum*, ſubjectus ei ſacerdos
„ eadem per univerſum exercitum contenta voce
„ proclamabat. Rurſuſque *Unctus in bellum* dicebat:
„ *Quis eſt homo qui ædificavit domum novam*, &c.
„ *Quis eſt homo qui plantavit vineam*, &c. *Quis eſt*
„ *homo qui deſpondit uxorem*, &c. Quæ cum dixiſ-
„ ſet Sacerdos fecialis eadem exercitui magna voce
„ repetebat unus eorum, qui imperium in milites
„ habebat, qui idem deinde addebat de ſuo: *Quis*
„ *eſt homo formidoloſus & corde pavido*, &c. Quæ
„ poſtrema alius eorum, qui ordines ducebant, per
„ totum exercitum pronunciabat.

בית דוד מושחין אותם כמין נזר על ראשו לא ימשח במקומו׳ אחרות ולא ירבה בשמן

י. הנותן משמן המשחה על גבי מלך או כהן גדול שכבר נמשחו פטור שנ׳ ואשר יתן ממנו על זר ואין אלו זרי׳ אצלו אבל הסך ממנו אפי׳ למלך וכהן גדול חיי׳ שנ׳ על בשר אדם לא יסך כל אדם במשמ׳ וכהן גדול שנטל שמן המשח׳ מראשו וסך במעיו חייב כרת והוא שיסוך ממנו בכזית

יא. אין מושחין את המלך אלא גבי מעין ואין מושחין מלך בן מלך שהמלכו׳ ירושה למלך לעולם שנא׳ הוא ובניו בקרב ישראל ואם היתה שם מחלוקת מושחין אותו כדי לסלק המחלוקת ולהודיע לכל שזהו מלך לבדו כמו שמשחו שלמה מפני מחלוקת אדוניהו ויואש מפני עתליה ויהואחז מפני יהויקי׳ אחיו וזה שמשח אלישע ליהוא לא בשמן המשחה משחו אלא בשמן אפרסמון ודבר זה מסורת ביד החכמים

יב. כל כלי המקדש שעשה משה במדבר לא נתקדשו אלא במשיחתן בשמן המשחה שנאמר וימשחם ויקדש אותם ודבר זה אינו נוהג לדורו׳ אלא הכלי׳ כולן כיון שנשתמשו בהן במקדש במלאכתן נתקדשו שנאמר אשר ישרתו בם בקודש בשירות הם מתקדשין

יג. הכפורת וכן המזרקות שמקבלין בהן הדם ושאר כלי השרת כולן של כסף ושל זהב היו ומותר לעשותן משאר מיני מתכות כמו שביארנו וכולן מתקדשין במלאכתן ואם נשברו מתיך אותם ועושה אותן כלי אחר ואין קדושתן מסתלקת מהן לעולם

יד. כלי הקודש שנקבו או שנסדקו אין סותמין אותן אלא מתיכין אותן ועושין אותן חדשים

vidica reges ungebantur in [24] capite ad figuram diadematis. Atque in his ipsis nec alias partes corporis ungere, nec multum olei profundere licebat.

X. Si quis in summum sacerdotem, aut regem, qui jam unctus esset, [25] rursus ex hoc unctionis oleo instillaret, impune foret. Scriptum est enim: *Qui dederit ex eo alieno*, &c. [*Exod.* 30. 33.] Atqui hi quidem ab hoc oleo alieni non erant: sed de eodem illo si quis corpus regis fricaret, vel pontificis, pœna erat. Nam quod dicitur. *Caro hominis non ungetur ex eo*, (*Ibid.v.*32.) quemvis hominem complectitur. Et summus sacerdos si suo capiti instillatum oleum [26] sumsisset, atque eo perfricuisset viscera, pœnæ כרת *keret* addictus fuisset, si modo frictioni impertisset tantum, quanta est olivæ magnitudo.

XI. Non ungebatur rex nisi ad fontem: non ungebatur rex, [28] si regis erat filius: regnum enim a patribus hæreditate perpetua traditur liberis, cum a Lege dicatur, *ut longo tempore regnet ipse & filii ejus super Israel*. (*Deut.* 17. 20.) Hic idem, si qua esset de regno [29] contentio, ungebatur, ut sic palam fieret omnibus unum hunc verum ac legitimum esse regem, & controversia dirimeretur. Itaque Salomonem propter Adoniæ contentionem unxerunt: unxerunt & Joam propter Athaliam, & Joacham propter ejus fratrem Joakim. * Jehum vero unxit Eliseus non oleo unctionis, sed oleo balsamino. Id sapientibus quasi per manum traditum est.

XII. Quæcunque in deserto illo loco vasa [30] tabernaculi fecit Moyses, ea nonnisi ungendo oleo unctionis consecrata sunt: Scriptum enim legimus, [31] *Unxitque & sanctificavit*. (*Num.* 7. 1.] Id autem illis, quæ post insecuta sunt, seculis in usu non fuit. Quæcunque vero vasa in Sanctuario suum ad usum sunt adhibita, hoc ipso sacrata fuere. Quod enim in Lege est: *Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario*, [*Ibid.* 4. 12.] id hoc sibi vult vasa ipso ministerio divino sancta fieri.

XIII. Acerræ & lances ad recipienda ferta paratæ, & illi, quibus sanguis hostiarum excipiebatur, crateres, itemque ministerii divini reliqua vasa prorsus erant omnia ex argento & auro. Eadem vero licebat etiam ex alio metalli genere fieri, ut supra posuimus. Porro suo quodque usu consecrabitur. [32] Si fractum esset eorum aliquod, id liquefiebat, ut ex eo conflaretur aliud. Horum enim sanctitas ab eis tollebatur nunquam.

XIV. [33] Ne forata quidem, aut fissa vasa sacra reficiebantur, sed liquefacta prorsus renovabantur.

יה. סכין

XI. *Jehum*, &c. Utpote qui non fuerat e gente Davidica, neque porro rex Judæ, sed rex Israel inaugurabatur.

יה. סכין שנשמט מן הניצב או שנפגם אין מחזירין אותן ואין משחיזין אותו אלא גונזין אותו בצד ההיכל בין הקדוש והאולם לדרום ועושין אחרים שאין עניות במקום עשירות

יו. שתי מדות של יבש היו במקדש עשרון וחצי עשרון העשרון למנחות וחצי העשרון לחלוק בו מנחת כהן גדול שבכל יום

יז. ושבע מדות של לח היו שם הין וחצי ההין ושלישית ההין ורביעית ההין ולוג וחצי לוג ורביעית ולמה היו חצי ההין ושלישית ההין ורביעית ההין למדידת הנסכים של זבחים ולוג למדידת שמן המנחות וחצי לוג למדידת שמן לכל נר מנרות המנור׳ ורביעית לוג לחלק בה השמן לחביתין

יח. ואין לנו דבר למדוד בו הין ולמה היה שם הואיל והיה במקדש בימי משה שמדד בו שמן לשמן המשח׳ ובחצי לוג שהיה במקדש היו מודדין מים למי סוטה ושמן לתודה וברביעית שהיתה שם היו מודדין שמן לחם הנזיר ומים לטהרת מצורע ולא מפני מעשי׳ אלו נתקדשו אלא מפני המלאכות של מקדש שאמרנו

יט. כל המדות האלו קדש ומכלי השרת אלא שמדות הלח נמשחו מבפנים ומבחוץ וכלי היבש לא נמשחו אלא מבפנים לפיכך בירוצי מדות הלח קדש ובירוצי מדות היבש חול:

XV. 34 Si culter exciderit e manubrio, si fuerit crena vitiatus, non restitueretur, non acueretur; sed his conditis ad templi latus inter Sanctum & vestibulum ad septentriones, efficerentur alii novi: nullus enim inter divitias paupertati locus erat.

XVI. 35 Duæ erant siccorum mensuræ in Sanctuario; * decima, & semidecima: illa utebantur ad ferta, hac ad distribuendum summi sacerdotis fertum quotidianum.

XVII. 36 Liquidorum erant * mensuræ septem, hin, & dimidius hin, & tertiarius, & quartarius. Logus, & dimidius logus, & quartarius. Utebantur igitur 37 dimidio hinne, tertiario & quartario ad dimetiendum oleum fertorum: 38 semilogo ad dimetiendum suum cuique candelabri lucernæ oleum: & quartario ad oleum in crustula dispertiendum.

XVIII. At nihil erat hinne metiendum: is igitur cur in templo fuit? Quia fuerat in Sanctuario ætate Moysi. Etenim hoc ille ad efficiendum oleum unctionis mensus est olivum. 39 Jam qui in Sanctuario semilogus erat, eo utebantur ad metiendum cum aquam, qua probaretur adulterii suspecta mulier, tum etiam oleum id, quod ad sacrificium laudis adhiberetur: usus autem quartarii erat ad metiendum & oleum, quod adhibebatur ad panem Nazaræorum, & aquam ad leprosorum lustrationem; quæ tamen his de causis nequaquam consecrata erant: sed ob ea, quæ efficiebantur illis in Sanctuario opera, ut supra diximus.

XIX. Omnino mensuræ istæ erant sacræ omnes, quippe quæ pertinerent ad divini ministerii vasa: verum consecrandi causa ungebantur mensuræ liquidorum 40 intus & foris: siccorum intus tantum. Quocirca quæ de corollariis illorum 41 decidebant, erant sacra: contra vero profana, quæ decidebant e corollariis horum.

XVI. *Decima*. Fuit illa pars decima ephi, de qua
mensura articulo proxime sequenti explicabitur.
XVII. *Mensuræ septem*, *hin*, &c. Omnino noster
hic Scriptor tract. de Permistionibus cap. 1. art. 13.
„ has mensuras capaces sic definit. *Satum*, inquit,
„ quod passim commemoratur, capiebat *Cabos* sex:
„ Cabus autem capiebat quatuor לוגין *Logos*. Logus
„ autem capiebat quatuor *Quartarios* Jam Quarta-
„ rium ibidem artic. 12. ita definit. Quartarius au-
„ tem, inquit, capit id aquæ, vel vini, quod fere
„ se exæquat ponderi denariorum 17. ac semissis. Ha-
ctenus noster, qui tametsi non declarat ad quod de-
nariorum genus mensurarum rationem exigat, tamen
affert aliquid, quoniam eosdem ubique usurpat dena-
rios, quorum centum pondere æquabant denarios
Romanos ducentos & quadraginta, sicut demonstra-
bitur cap. proxime seq. art. 3. in definitione *minæ*.
Ex quo patet denarios 17. & semissem nostri Scri-
ptoris pondere adæquasse denarios Romanos 42. Sed enim mensuræ capaces istæ omnes, cum in Talmude, tum in cunctis fere Rabbinorum scriptis vulgaribus definiuntur ovis videlicet gallinaceis. Quod etiam ad singula mensurarum vocabula in R. Davidis Kimchi Lexico illo, qui מכלול *Miklol* inscribitur, cernere licet. Ac R. Alfes quidem pleraque omnia mensurarum capacium genera uno & eodem loco describit sane quam commode. Is igitur tract. de Paschate „ cap. 5. ita differit. רביעית של תורה *Quartarius ille* „ *Legis* continebat sesquiovum: לוג *Logus* vulgo „ *Sextarius* continebat sex ova קב *Cabus* capiebat „ ova viginti quatuor הין *Hin* ova septuaginta duo „ סאה *Satum* capiebat ova centum supra quadraginta quatuor. איפה vulgo *Ephi*, seu *Epha*, capiebat „ ova quadringenta triginta duo. עומר vulgo *Gomor*, „ quæ est eadem decima pars *Ephi*, continebat ova „ quadraginta tria, addita quinta ovi parte.

NOTÆ IN CAPUT PRIMUM.

[1] Ut oleum &c. *Cum satis superque in notis ad caput primum partis secundæ* Antiquitatum Sacrarum cl. Relandi *Tomo* II. Thesauri *de oleo unctionis* diximus, hoc loco pauca dicemus.

[2] Quingentorum &c. *Gemara Kerithuth fol.* 77. Tradiderunt Rabini. Oleum unctionis; erat myrrha libertatis, 500. Casiæ 500. cinnamomi aromatis, semissis ejus, 500. Et calami aromatis 250. Quæ si in unam summam omnia redigantur, faciunt 1750. Tannæus dicit; numerum sc. significare nobis vult. Tannæus *alius* ecce sc. obstat ei. Dicerem. Calami aromatis tantundem fuisse, quantum cinnamomi aromatis. Sicut cinnamomi aromatis, semissis ejus in 250. ita etiam calami aromatis, semissis ejus 250. ut sint illis 2000. Et dicerem; ita hic pariter etiam esse. Respondeo, si ita foret; scripsisset textus, cinnamomi aromatis, & calami aromatis semissis, semissis, 250. Dixit R. Papha ad Abai. Quum ipse appendit, num per præponderationem ipse appendit, an oculo in oculo, h. e. ad æquilibrium? cui ille respondebat; Deus scripsit v. 34. *solum cum solo*. Tu autem dixisti per præponderationem. Atqui dixit R. Juda; Deum nosse præponderationes, seu ponderum rationes. Ergo quia est in eis præponderatio cinnamomi aromatis, quare affert semissem hujus numeri quingentorum ducenta & quinquaginta, ut unam vicem, *seu* semel? Et Ribbi pariter etiam; una vice seu semel. Postquam totum eorum 500. sunt, afferre debuisset 500. una vice. Scilicet percipio inde, ex eo, quia affert illud respectu cinnamomi aromatis duabus vicibus, præponderationem esse in eo. Deus Opt. Max. autem novit præponderationes. Quid autem est *solum cum solo?* Respondit Rabina; significari eo, quod non debeat apponere pondus ponderi, cum ponderabit istas species. *R. Jarchi exponit semissem ejus* 250. Semissis adductionis ejus erit 250. ut summa totius ejus inveniatur 500. sicut mensura Myrrhæ. Si sic; quorsum ergo dicuntur de eo dimidiæ partes? Scilicet est argumentum a pari, quo scriptura utitur; ut significet adducendum fuisse illud ad dimidias partes, ut includeret per illud duas præponderationes, cum non appendant oculo ad oculum, seu ad æquilibrium. *R. Ab. Ezra dicit*. Gemaricos doctores dicere, quod pondus omnium istarum specierum fuerit æquale; & sic traditione quidem receptum esse, sed ignorari rationem, quare mentionem fecerit semissis ejus, seseque rationem dimidiarum partium non intelligere, quia non sit consuetudo in tota terra Israelitica mantissam superaddi ulli rei, quæ appendi soleat, ut quidem tantillum, quantum ponderet granum sinapi, ne dum in ullo opere unguentario.

[3] In aqua &c. *Gemara Horajoth fol.* 11. 2. Tradiderunt Rabbini; oleum unctionis, quod fecit Moses in deserto, fiebat coctis in eo radicibus aromaticis illis, quarum mentio fit *Exod.* XXX. 23. &c. ut sentit R. Juda. R. Jose dicit. Atqui ne quidem vel ad ungendum eo has ipsas radices oleum illud suffecisset, cum ejus tantum 12. logi fuerint. Quare magis consentaneum est si dicatur; Mosem initio macerasse radices illas aquis, ut plenæ aqua, minus olei deinde absorberent, quo facto, infudisse eis oleum, idque, assumto odore, abstulisse.

[4] Myrrha &c. *Kimchi in Rad.* Myrrha optima, quæ est libera ab adulteratione, & mixtura. *Idem ibid. in Medrasch de* מור *hæc legi scribit*; sicut הכמור myrrha hæc est præcipuum omnium aromatum; ita etiam Abrahamum patrem nostrum esse principem omnium justorum; sicut cujuslibet manus colligentis myrrham hanc, מתמוררות amarore inficiuntur; ita Abrahamum patrem nostrum ממרר amarore affecisse seipsum. Sicut myrrha non exhalat odorem suum, nisi igni imposita; ita Abrahamum patrem nostrum non nota fecisse bona sua opera, nisi cum in fornace esset ignea. *Arabs* מור *exponit* muscum; *qui refutatur ab Ab. Ezra, quia de* מור *dicitur Cant.* V. 1. Decerpsi מורי myrrham meam. Moschus autem non est germen, seu planta, quæ decerpi potest; Hic enim est humor exsudans ex bestia aliqua Indica. *Etiam in Baal-Magg. rejicitur*. Dico ego; mihi non videri, quod compositionem sacram ingrediatur sanguis ullius feræ mundæ, nedum immundæ. Sed hujus vocis recordatur etiam *Cant. Cantic.* V. 1. *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromate meo*. Itaque erit de specie fruticis alicujus, vel arboris, cujus odor fragrans.

[5] Cinnamomum &c. *R. Salomon Jarchi ad Exod.* Voce hac (*inquit*) significari, cinnamomum, quod sit aroma, i. e. ex optimo genere. Nam cinnamomum esse corticem arboris; esseque aliquod quod sit bonum, habeatque odorem & saporem bonum; esse autem etiam aliquod, quod non sit nisi lignum. *Aben Ezra*. Quæ ratio? quod mentio fiat ejus (sc. בשם) nisi quod sumi debeat optimum, quemadmodum etiam in קנה fieri solet.

[6] Casia &c. *Onkelos reddit* קציעתא. *Hinc Aben Ezra*; ex traditione novimus, quid sit קציעה. *Et R. S. Jarchi*. Est nomen radicis herbæ, in lingua sapientum vocatur קציעה.

[7] Calamis &c. *Jarchi hic notat* בשם aromatis *adjectum distinctionis causa*, quia sint calami, qui non sint aromatici. *Kimchi in Rad. inquit* esse speciem, quæ vernacula קנילה canella dicitur.

[8] Privatus homo &c. *Jarchi in Exod. Non facietis aliud*, quale hoc est, in pondere aromatum horum, secundum mensuram Hin olei. Sed si vel minus, vel plus olerum acceperit secundum mensuram Hin olei licitum est, & quoque, quod sit in summa hujus, siquis ungat se ex eo, non est reus, nisi is qui componit illud. *Illud Exodi* XXX. 32. *Et juxta compositionem ejus non facietis aliud*, Arabs *reddit*, & in numero *vel* summa ejus. *Jarchi* in summa vel numero aromatum. *Ab. Ezra*; *ejus* h. e. aromatum, quæ commemorantur, & in pondere eorum. *Kimchi in rad.* numerum, seu summam certo pondere definitam.

[9] Hoc consilio &c. *Gemara Kerithuth fol.* 77. Sin autem misceat eo animo, ut ex eo ungatur, tum reus est.

[10] Ut ejus parandi &c. *Gemara Kerithuth ibid.* Siquis misceat, vel conficiat hoc oleum, eo tantum animo, ut modum discat, quo factum erat tempore Mosis, ut deinde tradat illud cœtui, idque non servet, vel usurpet in privatum suum usum, tum is liber est ab hac pœna ...... Si quis autem alius, qui non miscuit illud, ungatur, seu ungi patiatur ex illo ipso oleo unctionis Mosaico, tum liber est. Ideo, quia non fiunt rei, nisi propter unctionem olei, quod fecit Moses duntaxat. Dixit Mar; eum qui misceat oleum, eo tantum animo, ut discat modum, quo factum erat tempore Mosis, ut deinde confectum reddat cœtui, liberum esse, unde probatur? Provenit ex Exod. XXX. 33. collato cum v. 37. ubi mentio fit; מתכנתו formæ seu compositionis ejus &c. suffimenti, scribitur autem de suffimento v. 37. *non facietis vobis*; sc. si sit vobis, seu vestri causa privatum in usum factum; tum hoc est quod prohibetur, sed si quis conficiat illud, ut tradat cœtui, tum liber est. Ita etiam de oleo colligendum est quod si quis illud conficiat, ut tradat cœtui, liber sit. At viceversa, ratio suffimenti colligi debuisset ex oleo. Ut sicut siquis conficiat oleum ad dimidias partes, liber est, ita etiam eadem sit ratio suffimenti, quod si conficeret quis illud ad dimidias partes, liber esset. Ergo dixit Raba; suffimenti ratione, seu respectu, siquis illud conficiat ad dimidias partes, reus est; olei autem ratione, siquis illud ita conficiat, liber est. Dixit tibi Raba. De oleo scribitur v. 32. *Et juxta compositionem ejus non facietis aliud*. Si sit, *quale hoc est*, prohibetur, sed si sit dimidia pars ejus, approbanda esse videtur. De suffimento scribitur v. 37. *Et suffimentum quod facies* (sic Hebræus) scilicet si sit totus actus faciendi. At fieri posset, ut suffiat partem vel dimidium mane; dimidium inter duas vesperas.

[11] Quanta est &c. *Gemara Kerithuth fol.* 78. Quantum autem inungat oportet, ut reus fiat? R. Meyr; si vel quantulumcunque inuxerit. R. Jehuda dicit, si tantam portionem inunxerit de eo, quanta est oliva. Atqui dixerat R. Jehuda; ungentem absolvi. Respondeo R. Jehudam tum absolvere eum qui ungit, si Reges, aut Sacerdotes ungat; reum autem habere,

si idio-

si idiotas, aut vulgares Israelitas ungat. R. Meyr & R. Jehuda in quonam dissentiunt? Respondit R. Joseph, eos in isto loco dissentire, quia R. Meyr putavit, scribitur *Exod.* XXX. 32. *Caro hominis non ungetur ex eo*. Et scibitur 33. *Et dederit ex eo super alienum*. Sicut unctio intelligenda est de quantulocunque, ita etiam dationem intelligendam esse de quantulocunque. R. Jehuda autem putavit, colligi dationem quæ fit super alienum, ex datione vulgari. Sicut datio vulgaris intelligitur tum esse, si cui detur tanta portio, quanta est oliva, ita etiam præsentem dationem super alienum, ea mensura definiendam esse, si tantum olei ejus dederit, quanta est oliva. Sed unctionem ad ungendum Reges, & Sacerdotes, quia scribitur, omnem definiendam esse quantulocunque. Et dixit R. Joseph; in quonam dissentiunt R. Meyr & R. Jehuda? De Regibus & Sacerdotibus. R. Meyr putavit, id quod scribitur v. 33. Et dederit ex eo super alienum, valere apud Regem, & Sacerdotem, qui jam (*postquam semel uncti sunt*) pro alienis habendi sint. R. Jehuda autem putavit; requiri a nobis illis verbis, *non dandum esse super eum*; tum demum cum quis alienus est ab initio sui, & usque ad finem sui; Regem autem & Sacerdotem ab initio non fuisse alienos, cum revera ab initio uncti sint. Dixit R. Ikka: Et concessit R. Meyr his rationibus adductus, in sententiam R. Jehudæ. *Et paucis interjectis fol.* 79. Dixit R. Joseph; Controversia est, de datione olei unctionis, & de mutatione, seu diversitate, quam diverse tradimus; sed de datione vulgari, communi omnium sententia statui, quod ea determinanda sit mensura olivæ quantitatis.

[12] Ex oleo &c. *Gemara Kerithuth ibid.* Docent Rabbini nostri. Miscens oleum, ut discat, & tradat Ecclesiæ, absolvitur; ut ungat se damnatur; & alius eo se ungens absolvitur, quia non damnantur nisi propter effusionem olei unctionis, quod confecit Moses tantum. *De hoc nonconsentit Aben Ezra in Exod.* Alii dicunt (quod scriptum est *Exod.* XXX. 33. *Et dederit ex eo super alienum*) id intelligi de oleo unctionis, quod confecit Moses. Verum hoc etiam mihi non placet; quippe primo scriptum est, v. 31. *Hoc oleum unctionis Sanctum erit mihi in generationes vestras*. Deinde v. 33. *Homo quicunque tale composuerit, & dederit de eo super alienum* &c. Ecce non est discrimen inter oleum unctionis, quod confecit Moses, & inter illud, quod postea confectum est simile illi.

[13] Nullum &c. *Abarbenel ad* XXX. 23. *Exod. Parascha* תשא. *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens; Sume tibi aromata* &c. usque ad, *Dixitque Dominus ad Moysem; Sume tibi aromata &c. Ibid.* 34. Necesse est admoneri te, de unctionis oleo dici; *Tu autem sume tibi*; nec satis fuisse si diceretur; *Unges* (*Exod.* XL. 11. ubi nempe usus ipsius olei traditur; non autem ratio ejus conficiendi, ut hic) sicut dictum est de concha, basi ac plerisque vasis Sanctuarii; aut *Sume tibi*, ut de thymiamate sive suffimento; sed dicitur; *Tu sume tibi*, superaddito *tu* pronomine. Atque hoc certe probat verum esse, quod sapientes nostri f. m. ponunt, oleum unctionis semel tantum fuisse confectum, ut quod Moses doctor noster suis ipse manibus confecerit, nec deinceps conficiendum fuerit amplius. Dixerunt in Tractatu *Horajoth*. *R. Jehuda dicit; In oleo unctionis, quod Moses confecit in deserto, quot facta sunt miracula a principio ad finem? Initio fuerunt duntaxat duodecim logi. Quantum vero absorpsit ahenum, quantum radices, quantum vi ignis exustum? Eo autem unctum Tabernaculum, vasaque ejus, Aaron ejusque liberi ipsis diebus initiationis suæ, præter Sacerdotes magnos, Reges, atque etiam Sacerdotem magnum Sacerdotis magni filium*. Dicitur ibi præterea; *istudque oleum duraturum est in posterum*; quia dictum est; *Hoc oleum unctionis Sanctum erit mihi in generationes vestras*. זה v. 31. quod sonat *hoc* in numeris valet 12. Additur deinde ibid. *Cum recondita fuit arca, una etiam reconditus fuit olei unctionis lecythus, urna qua manna continebatur, Aharonis virga, hujusque amygdalæ, ac flores, & capsula, quam Philistæi dono miserant Israelitarum Deo*. Sapiens autem *R. Abben Ezra*, qui repugnat, confutatus est a *R. Mose Nachmanide*, qui Magistrorum sententiam ex eo probat, quod non dicat Scriptura; *Oleum unctionis Sanctum erit hoc Aharon & filiis ejus in generationes eorum*; uti dictum est de vestibus; sed *erit mihi in generationes vestras*; id quod arguit oleum istud a Mose confectum perenne futurum, omniumque ætatum inunctionibus inserviturum. Propterea dicitur. Psal. LXXXVIII. 21. *Inveni David servum meum; oleo sancto meo unxi eum*. Oleum quippe Dei sanctum illud est, quod in deserto confectum fuit sancte ac pure ipsius Mosis Prophetarum Domini manibus. Et vero de hoc gloriatur David Rex, seipsum vocans 2. *Sam.* XXIII. 1. *Unctum Dei Jacob*; quod nempe inunctus esset divino illo & sancto oleo. Visum est mihi porro ad confirmandum Magistrorum sententiam rationibus *R. Mosis Nachmanidis* aliam addere, nimirum, illud quod hic dicitur de oleo unctionis; *Et juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis*. v. 32. *Homo quicunque tale composuerit &c. exterminabitur de populo suo*. v. 33. Quod si voluisset Scriptura modum concinnandi semper in posterum Olei unctionis præscribere, debuisset eadem certe prohibere ne aliud concinnaremus unquam ad ejus exemplum in usus nostros, sicut fecit de suffitu his verbis; *Talem Thymiamatis compositionem non facietis vobis, sive in usus vestros* &c. Nihil autem simile usurpavit Scriptura de unctionis oleo, sed plane vetuit, ne usquam eadem confectura oleum faceremus, præciseque dixit; *Homo quicunque tale composuerit*, aliudque ad ejus exemplum concinnaverit; perinde quasi diceret, neque Deo, neque vobis esse aliud concinnandum: est enim inhibitio plana sive absoluta; hocque argumento est voluisse legem ac vetuisse ne ullo unquam tempore aliud unctionis unguentum præter illud prorsus conficeretur. Addo his præterea tertiam rationem, quia si mens Legis fuisset ut alias concinnari posset oleum unctionis, non debuerat præscribere quantitatem aromatum tantummodo (*id est, non debebat lex præscribere aromatum quantitatem, nisi etiam adderet servandam esse proportionem, si plus minus ponderis adhiberet, sicuti fecit &c.*) Nullam quippe proportionis in illius compositione rationem habendam monuit, sicuti fecit in suffimenti confectura, de qua ait, *solum cum solo erit*; i. e. unumquodque seorsim confundetur; ubi non præscripsit singulorum pondus ex quibus suffimentum esset componendum, propterea quod in majori interdum copia illud essent confecturi, interdum in minori, sed rationem compositionis edixit, simpliciumque quæ illam essent ingressura proportionem, quique eorum ordo esset observandus quandocunque concinnare illud vellent. Hoc jam observat *R. Levi ben Gerson*. Ex his autem palam fit sapientum nostrorum f. m. traditionem veritati esse consonam, nimirum non fuisse oleum unctionis aliud, quam quod a Mose confectum est in deserto; Et vero exploratum habes, non fuisse inunctum Sacerdotem stante domo secunda, propterea quod jam fuerat reconditum oleum unctionis, siquidem ipsum recondiderat Josias una cum reliquis rebus sacris, nec facultas illis erat aliud concinnandi. Inde est quod hoc loco Mosi dicitur, cum agitur de oleo unctionis; *Tu autem sume tibi*; perinde quasi diceretur; *Tu, tu* ipse accipito res has, & conficito oleum unctionis, nec alius quisquam mortalis quandiu terra erit, audeat illud conficere. Hujus autem causa, nempe cur voluerit Deus oleum unctionis esse perpetuum, atque æternum duraturum, neque idem voluerit de suffitu, est, quoniam Deus Opt. Max. apud Israelitas constituit regimen duplex, humanum, Regum videlicet, qui supremi sunt inter populi gubernatores, alterum divinum, quod est Sacerdotum Dei ministrorum &c.

[14] Semetipsum aut alium &c. *Tosaphta Macoth* III. 2. 3. Qui componit oleum sacræ unctionis, reus est; qui se illo ungit, liber est; & tantum prævaricatione tenetur. Qui se ungit oleo sacræ unctionis, quod composuit Moses in deserto, tenetur excidio; si unxisset caput, corpus, aliquod ex suis membris, quamvis non sefricuisset, reus est; tam ungens quam unctus tenetur excidio. Qua de re hæc dicta sunt? Quando ambo de industria faciant, si vero per ignorantiam ambo liberi sunt; si alter faciat per ignorantiam, & alter ex industria; ignorans liber est, qui per industriam, reus est. *Gemara Kerithuth ibid.* Gupha; tradidit aliquis coram R. Eliesere; quicunque continetur sub ungente, continetur sub interdicto;

cto; Nequaquam יסך" *ungetur* Exod. XXX. 32. Quicunque autem non continetur sub eo (*seu qui non transgreditur in se ipso, vel aliis ungendo*) non continetur sub interdicto, ne ab aliis se ungi patiatur. Respondit ei v. 32. Non יסך" *ungetur*, scribitur; & legitur; non יסך (*Glossa vox* יסך *significat, præcipi, quod non ungere debeat, nisi seipsum, non autem, quod non ungere debeat alios; præcipi unum ei, ut non ungat eum, gentilem autem non esse filium præcepti*) Tradidit R. Chananja coram Raba. Unde probatur de summo Sacerdote, quod si acceperit de oleo unctionis, quod est super capite suo, dederitque super intestina sua, reus sit? Quia dicitur v. 32. *Caro hominis non ungetur ex eo. Jarchi in Exod.* Non unget ex oleo hoc seipsum. *Kimchi in Rad. statuit* quod sit a Rad. יסך, ut sensus sit, si quis ungat aliquod oleum super carnem suam, non ungat de hoc ipso oleo. Alios tamen esse, qui passive intelligant, quasi esset יוסך *ungetur*, h. e. ne quis sibi ab alio hoc oleum inungi patiatur.

15 *Ex alieno* &c. *Chaldeus reddit* חילוני *profano, seu* laico. *Arabs* peregrino, extero. *R. Sal. Jarchi*; & *qui dederit ex eo*, sc. ex eo ipso Mosaico, super alienum, h. e. quod non est necessarium quid Sacerdotii aut Regni. *Ab. Ezra. Qui dederit ex eo super alienum*, qui non est ex familia Aaronis. Dixit Haggaon p. m. Kabbala erat in manu Israelitarum, quod ungeretur David, & semen ejus ex oleo unctionis, non reges alii; & necesse habuit exponere ita; ideo quia accepit Zadok ex oleo unctionis, quod fuit in tentorio conventus, & unxit eo Salomonem. 3. *Reg.* 1. 39. Tapheth autem dixit, quod super alienum significet, qui non est ex filiis Israel. Verum non dixit rectum. Nam ecce dicitur num. XVIII. 7. Et הזר *si quis externus accesserit, occidetur*. Et sensus est propterea, ut non appropinquet vir זר alienus qui non sit ex semine Aaronis.

16 Vasa pecudes &c. *Gemara Kerithuth fol.* 78. Tradiderunt Rabbini; si quis ungat oleo unctionis bestiam, aut vasa, liber est ab hac poena; si gentiles aut defunctos, liber est. In pace (*seu extra controversiam*) est, cum liberum esse, qui bestiam aut vasa oleo isto inungat, quia scribitur Exod. XXX. 32. *Caro hominis non ungetur ex eo*; cum bestia & vasa non sint homo. Item si quis defunctos inungat, cum liberum esse; cum simul ac aliquis moritur, defunctus vocetur, nec amplius homo sit, sed si quis gentiles eo ungat, quare liber est? cum tamen & hi sint homines. Respondeo eos non censeri pro hominibus, quia scribitur *Ezech. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, & homines estis*. XXXIV. 31. Scilicet vos Israelitæ vocamini homo, gentiles autem non vocantur homo. Atqui scribitur *Num. Et de hominibus sedecim millibus*. XXXI. 46. Respondeo; ideo hos gentiles hic vocari homines, ut eo nomine excipiat bestiam. Atqui scribitur *Jon.* IV. 11. *In qua sunt plusquam centum viginti millia hominum*. Respondeo, & hoc dictum esse ad excipiendum bestias. Aut si malis, dicam, sicut tradidit Doctor Gemaricus primus R. Eliezer, quicunque continetur sub ungente (*h. e. quicunque transgreditur, quum ipse ungit seipsum, aut alios, quia præceptum de non ungendo pertinet ad* זר alienum *Exod.* XXX. 33.) continetur sub interdicto; nequaquam יסך" ungetur; Exod. XXX. 32. *h. e. præcipitur aliis ne patiantur se ab alio ungi*). Et quicunque non continetur sub eo (*seu, qui non transgreditur, quum ipse ungit se, vel alios*) neque continetur sub interdicto, ne ab aliis se ungi patiatur. Traditio alia; si quis ungat oleo unctionis bestiam, & vasa, gentiles & defunctos, liber est.

17 Pontifices &c. *Gemara Horajoth fol.* II. 2. Tradiderunt Rabbini per משיח *unctum* Levit. IV. 3. Ne quis putet forte intelligendum esse Regem; ideo notantur dicendum erat *Sacerdos*; ibid. Si dictum fuisset כהן *Sacerdos*, omissa voce Unctus, ne quis putaret forte intelligendum esse Sacerdotem inauguratum per vestes; ideo notanter dicendum erat, *unctus*; si dictum fuisset משיח *unctus* omisso ה emphatico, nequis putaret forte intelligendum esse unctum belli; ideo notanter dicendum erat והכהן המשיח *Et Sacerdos ille unctus*. Scilicet qui non est unctus juxta ipsum, vel pro ipso, ut sit ejus Vicarius. Quo sensu id intelligitur? Sicut dixit Raba; per הירך *femoris illius* Genes. XXXII. 32. cum He emphatico notati, intelligitur duorum femorum dexterrimum, adeoque non sinistrum; ita hic etiam per המשיח unctum illum cum He Emphatico notatum intelligitur unctorum dexterrimus, h. e. summus Sacerdos &c. *Siphra ad Levit.* IV. 3. *Unctus*; crederem, quod esset Rex; ideo dicit Sacerdos. Ex Sacerdote ego putabam Sacerdotem pluribus vestibus inauguratum; ideo dicit; *unctus*; ex voce *unctus* poteram existimare fuisse unctum belli; ideo dicit; *unctus*; ille unctus, cui nemo est superior.

18 Sacerdotem fecialem &c. *Maimonides in lib. hammizvoth præcept. aff.* CXCI. Præceptum hoc jubet nos consecrare Sacerdotem, qui bellica epanorthosi cum populo agat, & recedere jubeat eum, cui belligerare non convenit &c. Atque hic Sacerdos vocatur כהן משוח מלחמה Sacerdos ad bellum inunctus. *Et Melachim* Ordinant Sacerdotem, qui loquatur ad populum tempore belli, cumque ungunt oleo sacro, & is est, quem vulgo appellant unctum belli. *Schilte Haggibborim fol.* 35. c. 4. Templo primo superstite unctus quoque fuit Sacerdos, qui exercitum alloquebatur, quique ideo unctus belli dictus est.

19 Et e gente Davidica &c. *Aben Ezra in Exod.* XXX. Dixit R. Saadias f. m. traditum esse in Israel, quod ungatur David, & semen ejus oleo unctionis, non vero alii Reges. Et necesse est, ut ita explicetur, eo quod acceperit Zadok oleum unctionis, quod fuit in tentorio conventus, & unxerit eo Salomonem. *Abarbanel ibid.* Quod inunctio non est quorumvis, neque etiam Regum omnium. *Dicitur in Gemara. Reges domus Davidis uncti fuerunt, Reges autem domus Israel minime*. 1. Sam. 16. 12. *Unde hoc nobis constat? Rabba ait; surge, unge eum: ipse est enim*, i. e. ipse opus habet unctione, alius vero non. 2. *Reg.* 9 Proferunt illi Jehu filium Namsi, quem oleo constat fuisse delibutum, cum tamen Israelitarum rex fuerit; *Ibid.* Respondetur fuisse id factum propter Joram Achabi filium, qui jus regni Israelitici sibi asserebat. Movent deinde difficultatem. Quid autem? Ideone oleo unctionis sacræ in ungendo extraneo principe abutemur? Respondent veritati esse consentaneum juxta mentem R. Papæi unctum illum fuisse oleo Balsamico. Statuunt igitur non fuisse oleo perfundendos Israelitarum Reges, sed si necessitas id interdum postularet propter controversiam de regno, tunc oleo Balsami, non autem oleo unctionis sacro peractam fuisse unctionem. Hujus quoque rei reddenda ratio est, nempe discriminis Regum Davidicæ familiæ, & Regum Israel, necnon olei unctionis & olei Balsamini. Dico igitur unctum fuisse Saulem ab Samuele Propheta oleo unctionis, quod ejus inunctio recta esset ac legitima, ejusque regnum ipsi ac posteris perpetuum fuisset permansurum, si non peccasset, quomodo ajebat Sauli Samuel Propheta; *quia nunc stabilierat Dominus Regnum tuum super Israel usque in seculum; nunc autem regnum tuum non stabit*. Posteaquam peccasset Saul, ademta est illi regia potestas, dataque Davidi ejusque posteris. Illud est quod ajebat Deus Prophetæ. *Surge, unge eum; ipse est enim*; perinde ac si diceret; ipse dignus est unctione; ipse ejusque posteri, non autem Saul. Quod quidem Magistri liberius sive argutius interpretati sunt; *ipse opus habet unctione, alius vero non*; quasi diceretur, neminem regnaturum in Israele jure natalium atque ortus, nisi qui sit ex ejus posteris: Eam ob rem inunctus fuit oleo unctionis ab ipso Mose confecto in deserto, eodem, inquam, quo Aharon ejusque filii inuncti fuerant in Sacerdotium prerpetuum, quo significaretur datum fuisse regnum Davidi ejusque posteris in sempiternum, sicut æternum Sacerdotium datum fuerat Aharoni ejusque filiis. Quandoquidem autem cæterorum Regum, qui regnum Israelitarum obtinuerunt post regnorum divisionem, non fuit regnum difficile neque stabile aut diuturnum, nec illi regnandi potestatem obtinuerunt nisi ob peccata Davidicæ familiæ; inde est quod non fuerunt inuncti, ad docendum non fuisse eos ad regnum electos, neque fuisse Divinitus constitutos, nisi in pœnam Davidis posterorum. Cum vero postulavit necessitas ungi Jehu filium Nimsi, minime par fuit ungi illum oleo unctionis sacro, siquidem ejus regnum non esset perpetuum, neque Dei nomini consecratum; quæ quidem duæ res sunt, quas inunctio per oleum unctionis designat. Inunctus autem fuit oleo Balsamino; ut per hoc daretur intelligi, regnum illius non fuisse ve-

rum

rum aut legitimum : oleum Balsaminum , etiamsi per se sit pretiosum , non tamen verum est ac legitimum ad unctionem , sicuti illud quod confecit Moses.

[20] Et si talium &c. *Gemara Kerithuth* l. c. Sacerdos magnus, qui est filius Sacerdotis magni , necesse habet unctione . *Et paulo post* . Dicit Doctor. Etiam Sacerdos M. filius Sacerdotis M. necessario est ungendus . Unde nobis hoc constat? quia scriptum est Levit. VI. 22. והכהן המשיח תחתיו מבניו ; *Et Sacerdos unctus loco sui e filiis suis* ; (sic Hebræus.) Dicit S. S. Et Sacerdos, qui loco sui e filiis suis est; quare unctus adhuc additur? quod sc. ille, qui ex filiis suis unctus est, sit summus Sacerdos , & si non est unctus, non est summus Sacerdos . *Gemara Hierosl. Horajoth*. Sacerdos magnus filius Sacerdotis magni necessario ungi debebat in decem generationes. *R. Levi ben Gerson ad* 1. *Reg*. I. Non erat necesse, ungi Salomonem nisi propter factiones Adoniæ quia in unctione Davidis uncti sunt omnes successores ejus, qui ex ejus erant semine. Quemadmodum in unctione Aaronis & filiorum ejus uncti sunt eorum posteri omnes in Sacerdotes; unde evenit , ut nemo postea necessario ungeretur, nisi esset summus Sacerdos. *Abarbenel ibid*. Quod vulgares Sacerdotes inuncti sunt solummodo in deserto ad conferendum ipsis sanctitatem; verum illorum filii minime inuncti sunt post eos. Vi enim primæ illius inunctionis , qua semel delibuti fuerant patres, sanctitatem adepti sunt. Non sic est de summis Sacerdotibus ; nam etiam Sacerdoti magno Sacerdotis magni filio opus erat unctione. Lex ait. *Pontifex , i. e. Sacerdos maximos inter fratres suos , super cujus caput fusum fuerit unctionis oleum* &c. quo dixerunt sensu in Tractatu *Horajoth ; Mar dixit ; etiam Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius opus habuit unctione*. Et in Tractatu *Kerithuth* dixerunt . *Sacerdos autem unctus in locum ejus. Quid unctus? inde diximus , eum qui ex filiis ejus esset unctus, summum fuisse Sacerdotem , si non esset unctus, non fuisse summum Sacerdotem*. At enim, reliqui Israelitarum Gubernatores , Judices , Synedriales, Millenarii , Centenarii haud uncti fuerunt, sed Reges duntaxat. Itaque in hoc capite duo quæri possunt ; I. quare omnium ætatum ac temporum vulgares Sacerdotes , cum munus ministrandi in Sanctuario aggrediebantur , non ungebantur, sicut omnium ætatum Sacerdotes; aut certe Sacerdoti magno unctio Sacerdotis magni parentis sui debuit esse satis, quemadmodum res se habuit in minoribus Sacerdotibus. II. quare non se habuit res in administratione Israelitarum politica, sicut in procuratione sive administratione Sanctuarii, ut sicuti vulgares Sacerdotes in deserto inuncti fuere, etsi majoribus Sacerdotibus subjacerent , ita etiam inungendi fuerint Judices sive Duces Synedriales, & principes qui essent sub Regum potestate. Causa totius rei meo judicio est, quod cum unctionis sine dubio beneficio, sicuti jam memini , tam Sacerdos quam Rex peculiari addjicerentur officio , præque aliis secernerentur, utroruquem sane posteri ejusdem vi unctionis manebant secreti , eademque unctione censebantur delibuti , propterea quod in ea nascebantur, nec quicquam postea novi illis accidebat. Ast quod summus Sacerdos propriam quandam ac peculiarem sortiretur dignitatem inter reliquos Sacerdotes , idcirco opus habuit unctione, dum summi Sacerdotis munus atque officium capesseret. Inde est quod vulgares omnium ætatum Sacerdotes minime uncti sunt, quod inter ceteros fratres suos nihil haberent peculiare, nec quicquam novæ dignitatis ad eam in qua nati erant, accederet. Ungebatur vero summus Sacerdos summi Sacerdotis filius, siquidem summi Sacerdotis prærogativam nec natalibus deberet , nec paterna hæreditate nancisceretur, sed eam fratrum suorum suffragiis assequeretur, merito perfectionis ac virtutis suæ : conveniebat igitur ungi illum in signum electionis & principatus illius, quo inter fratres emineret. Judices autem Israelitarum, & ceteri principes non fuerunt inuncti, siquidem inunctio continuitatem, & perpetuitatem inducit. Sacerdotes enim statim atque fuere inuncti, eorum filii ac posteri Sanctuarii ministerio addicti sunt . Postquam enim Reges uncti fuerunt , regnum ad illos eorumque posteros jure hæreditario pertinuit; in quam sententiam dictum est ; *ut prolonget dies in regno suo ipse & filii ejus in medio Israel*. Similiter in Tractatu *Sanhedrin* , & in Tractatu *Horajoth* meminerunt regnum ad filios hæreditario jure pertinere. Hoc causæ est , quamobrem neque Judices sive Duces, neque Synedriales , neque Principes uncti sunt; siquidem illorum administratio non fuit perpetua, neque ad eorum filios jure hæreditario pertinuit, quemadmodum dixi.

[21] Non erat &c. *Gemara Kerithuth l. c.* Traditio : Cum recondita est Arca, recondita quoque est urna mannæ, & vasculum olei unctionis &c. *In Medrasch Schir hasschirim ad Cantic.* VIII. 8. fol. 38. Hæ sunt quinque res , quæ in Templo secundo defuerunt, nempe ignis cœlestis, oleum unctionis, Arca, Spiritus Sanctus, Urim & Thummim . *Gemara Horajoth fol.* II. 2. Ex quo recondita est Arca , recondita est cum ea urna mannæ lechytus vel lenticula olei unctionis &c. *Gemara Hierosl.* מכות . Quinque hæ res defuerunt in templo secundo , quas primum habuit , ignis , Arca , Urim & Thummim, oleum unctionis, & Spiritus Sanctus.

[22] Vestium additione &c. *Pesiktha ad Levit.* VI. 22. והכהן המשיח . *Et Sacerdos unctus* . Hic est unctus oleo unctionis tempore primi templi ; at auctus vestibus erat in domo secunda, ubi deerat oleum unctionis, quod absconditum fuit cum Arca. *Glossa ad Tit. Megillah cap.* I. Vestitu insignes sunt Pontifices secundi Templi , & primi a tempore Josiæ & deinceps; quoniam vasculum olei sancti absconditum est.

[23] Capiti &c. *Gemara Horajoth fol.* II. 2. Quomodo autem Sacerdotes *ungunt?* illita nota, quæ instar כי chi (χ) esset. Quid est instar Chi? Respondit R. Menaschia filius Geræ , instar Caph græci (*quia incipiebat ungere digito suo inter palpebras oculorum ejus & protrahebat digitum suum super caput, & peragebat, usque dum pertingebat ad cervicem instar χ Græcorum*.) Traditur ; ab initio infundebant oleum capiti ejus, quo infuso, postea indebant, vel inungebant ei oleum inter palpebras oculorum ejus, quo inuncto, postea infundebant oleum capiti ejus. Ratio hujus diversæ traditionis est, quia sunt qui dicunt, unctionem præstantiorem esse ; alii autem dicunt, infusionem præstantiorem esse. Quæ ratio ejus, qui dixit, infusionem præstantiorem esse? Quia scribitur *Levit*. VIII. 12. *Quod fundens super caput Aaron* (postea autem demum dicitur) *unxit eum & consecravit* . Ejus autem qui dixit , unctionem præstantiorem esse, quæ ratio? Si putavit , quia sic tu invenis apud vos ministerii ; atqui scribitur Levit. VIII. 12. *Quod fundens*; postea autem demum ; *& unxit*. Respondeo sic dicere eum voluisse ; quare & fudit? quia jam ante unxerat , *& unxit eum ad sanctifitandum eum*. *Abarbanel ibid*. Quod forma in unctione Sacerdotis magni alia erat quam Regum , etsi affusio utrisque esset communis; dixerunt in Gemara. Docuerunt Magistri ; quomodo ungunt Reges? in modum coronæ; Sacerdotes vero in modum Caph. Doctor Manassias Geræ filius in modum Caph Græci ait. Igitur jure ac merito quæritur postquam Sacerdotibus ac Regibus æqualis fuit communisque affusio & unctio, necnon ipsum idem oleum, & in capite utrique uncti sunt, cur non itidem eadem utrorumque fuerit unctionis forma ? Namque Reges deceat coronæ forma, quid tandem Caph Græco cum Sacerdote magno? Dico ego in unctionis forma discrimen esse, quod distinguat Regem ab Sacerdote. Rex quippe ungebatur inter oculorum palpebras in formam coronæ, ut innueretur eum selegisse Deum e medio Israelitarum cujus capiti diadema regium & coronam celsitudinis imponeret, atque eam ob rem forma illius unctionis instar coronæ fuit, quæ regiam potestatem designat . Verum forma unctionis Sacerdotis fuit instar Caph , quo innueretur ipsum esse Sacerdotem & a Deo, qui staret ad ministrandum in ipsius Sanctuario. Caph enim כהן i. e. Sacerdotem designat, est quippe prima ejus nominis litera ; כהן autem nihil aliud sonat quam Dei ministrum ; ac propterea inunctio hæc facta in formam istius literæ quæ Sacerdotis erga Deum officium doceret. Fieri etiam potest ut figura literæ Caph in ungendo Sacerdote fuerit adhibita , ad docendum ipsi esse Deo manibus servire (כף enim Hebræis *manum sonat*.) Rex siquidem recta administratione Deo servit; Sacerdos vero manibus rem divinam facit . Porro autem R. Manassias vult literam Caph Græcam adhibitam fuisse, quod ea in Scriptura Græca omnium

literarum sit elegantissima; suaque figura ac specie maxime insignis.

24 In capite &c. *Gemara Horajoth ibid.* Tradiderunt Rabbini; quomodo ungebant Reges? illita nota, quæ instar coronæ esset (circumcirca caput Regis, oleo isto in uncto) *Jarchi ad l. c. Gemaræ*; instar corollæ circa caput ejus; *Gemara Kerithuth fol.* 77. 2. Tradunt Rabbini nostri, Reges ungi ad figuram Coronæ, Sacerdotes autem ad figuram Chi Græci. *Abarbanel ibid.* Rex ungebatur inter oculorum palpebras in forma coronæ, ut innueretur Deum S. Benedictum eum elegisse e medio Israelitarum, cujus capiti diadema Regium, & coronam Celsitudinis imponeret.

25 Rursus &c. *Gemara Kerithuth* 78. Et dixit R. Joseph; in quonam dissentiunt R. Meyr & R. Jehuda? De Regibus, & Sacerdotibus. R. Meyr putavit; id quod scribitur Exod. XXX. 33. *Et dederit de eo super alienum*, valere apud Regem, & Sacerdotem, qui jam (*postquam semel uncti sunt*) pro alienis habendi sint. R. Jehuda autem putavit; requiri a nobis illis verbis, non dandum esse super eum, tum demum, cum quis alienus est ab initio sui, & usque ad finem sui; Regem autem & Sacerdotem ab initio non fuisse alienos, cum revera ab initio uncti sint. Dixit R. Ikka: Et concessit R. Meyr his rationibus adductus, in sententiam R. Jehudæ &c.

26 Viscera &c. *Gemara Kerithuth ibid.* Unde probatur de summo Sacerdote, quod si acceperit de oleo unctionis, quod est super capite suo, dederitque super intestina, reus sit? quia dicitur v. 32. *Caro hominis non ungetur ex eo.* Dixit R. Acha filius Rabæ ad R. Aschen. Id quod dixit, undenam est? Nam traditio est: Sacerdos qui ungit oleo Trumæ filium filiæ suæ Israelitam, volvendo se circum rotat per ipsum, & nil curat. Dixit ei, ibi Levit. XXII. 9. *Et moriantur in Sanctuario cum polluerint illud*, scribitur. Scilicet oleum unctionis, postquam חללים h. e. ex profano, non ab utroque parente Sacerdotali semine nati sunt, ecce profanatur; sed de oleo unctionis scribitur *Lev.* XXI. 12. *Quia oleum sanctum unctionis Dei sui super eum est.* Oleum unctionis vocavit illud Deus; quod, etiam si est super eo, tamen non profanetur.

27 Ad fontem &c. *Gemara Horajoth fol.* II. 2. Tradiderunt Rabbini; non ungunt Reges nisi juxta fontem, eum in finem ut diutius protrahatur regnum eorum; quia dicitur 3. *Reg.* I. 33. *Et dixit ad eos &c. ducite eum in Gihon; & ungat eum. R. Levi ben Gerson ad* 3. *Reg.* I. 33. Ecce voluit David Salomonem ungi in loco fluminis, ut esset signum protrahendi, & stabiliendi, atque confirmandi regni ejus. *Abarbanel ibid.* De loco ubi inungerentur Reges; Dixerunt in Gemara. *Illud est Rabbinorum*; *non ungunt Reges nisi juxta fontem*, boni sc. ominis gratia, *quo instar perennis aquæ proferatur ac prolatetur eorum regnum.* Dictum est enim 1. Reg. 1. 33. & 34. *Et dixit eis Rex*; *Tollite vobiscum servos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & deducite eum in Gihon, & ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israel* &c. Porro autem causa, quamobrem uncti fuerint Reges apud fontem, jam allata est per modum expositionis allegoricæ, quo sc. proferatur, aut protendatur eorum regnum; sed restant duo consideranda; unum, quare non etiam in unctione summorum Sacerdotum adhibita ab illis Magistris est ea conditio, ut perageretur apud fontem quo proferretur eorum dignitas. Alterum, quæ in hoc negotio exstructa ab iisdem est generalis lex sive regula, aut principium ex eo quod circa Salomonem est gestum, postquam non idem reperire est neque de Saule, neque de Davide, neque de ceteris Regibus, nempe fuisse unctos illos juxta fontem. Ad primum respondeo. Propterea quod summi Sacerdotis dignitas non transibat ad posteros, neque ad filios jure hæreditario pertinebat, uti dictum. Quandoquidem enim unctio apud fontem non fiebat, nisi ut esset signum propagatum iri regnum ad filios, neque desiturum, idcirco non observata fuit ea conditio in summis Sacerdotibus sed in Regibus tantum, quoniam regnum hæreditarium est, propterque ejus continuam ac perennem successionem Regum, inunctio semper apud fontem peracta est. Ad secundum vero respondeo ex mente Sapientum nostrorum f. m. præcepisse Regem Davidem ungi filium Salomonem juxta fontem, ut signum esset ejus regnum æternum duraturum ac propagandum. Quoniam autem id signum fuit boni ominis, censuerunt Sapientes inducendum hoc in morem, ut ceteri itidem Reges omnes inungerentur apud fontem, quo illorum foret perfectum instar imperii Salomonis, paxque & fides temporibus eorum vigeret, sicut ejusdem temporibus, quando opum, gloriæ & sapientiæ amplius fuit quam ante & post sub Regum nomine. Ut igitur signum daretur aliquod tale futurum ceterorum imperium, censuerunt omnes ungendos juxta fontem, non quod hæc conditio e statutis regni sit, sed quoniam ex eo quod factum est inauguratione Salomonis didicerunt illam esse boni ominis. Dici præterea potest, propterea quod Saulis filius natu major patri non successit in regnum, atque etiam Davidis filii grandiores perierunt (ad verbum *defecerunt*, *consumti sunt a terroribus*. Ps. LXXIII. 19.) neque paternum adierunt regnum, sed iis natu minor Salomon, id causæ esse quamobrem neque a Saule neque a Davide signum omenve perennitatis fuerit repetitum, sed ab Salomone, in cujus solio major natu filius sedit, inque regnum successit, & exinde ac deinceps in Davidica familia regnum semper obtinuit filius major.

28 Si regis &c. *Gemara Horajoth ibid.* Quod non ungant Regem natum Rege, unde nobis probatur? Respondit R. Acha filius Jacobi; quia scribitur Deut. XVII. 20. *Ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel*; sc. hæreditas sit vobis; seu hæreditarium regnum vocatur. *Abarbanel ibid.* Quod par sit licet præceptum inungendorum Sacerdotum ac Regum, unctusque fuerit Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius, ut cui non sufficeret unctio patris, non tamen Rex; Rex enim qui succedebat Patri non ungebatur. Dixerunt in Gemara. *Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius opus habuit unctione. Rex vero Regis filius non ungebatur. Cur igitur unxerunt Salomonem? Propter contentionem sive seditionem ab Adonia concitatam. Joas quoque ob seditionem ab Athalia commotam. Nec non Joachaz propter Joacimum biennio grandiorem.* 1. *Reg.* 1. 39. & 1. *Paral.* 29. 22. & 2. *Paral.* 23. 2. 2. *Reg.* 23. & 2. *Paral.* 36. Si ita est, quæri jure ac merito potest, cur non eadem fuerit ratio Sacerdotis magni ac Regis, ut nempe ambo Rex & Sacerdos magnus ungendi fuerint, etiamsi esset ille Regis filius, hic vero Sacerdotis magni, aut illorum neuter ungendus fuerit, neque Rex neque Sacerdos magnus. Verum causa hujus rei manifesta est, quod regnum debeatur jure hæreditario filio natu majori, si ad illud idoneus est, nec sit in eo impedimentum essentiale. Idcirco quando paternum regnum obtinebat filius sine dissensione & contentione, haud opus habuit nova inunctione, siquidem patris sui, qui primus regnum adeptus esset, unctione niteretur, adeundi regni paterni hæreditatem recto atque æquo jure. At de regno si oriretur dissensio & contentio, opus habuit qui inibat illud unctione, quæ commonefaceret rebelles illum esse delectum ad regnum, neque esse iis obsistendum. Verum quandoquidem summum Sacerdotium non adipiscebatur summus Sacerdos jure hæreditatis paternæ, neque natu grandiori filio deberetur ut regnum, sed præficiebatur a fratribus suis Sacerdotibus, qui esset summus Sacerdos, qui ad eam dignitatem aptior per se magisque idoneus esset, quo sensu dicitur; *Pontifex i. e. Sacerdos maximus inter fratres suos.* Levit. 21. 10. Nec non a Sapientibus nostris f.m. *major pulchritudine, major opibus, major robore*; ea causa est, quamobrem par esset illum oleo perfundi, ut istiusmodi inunctionis beneficio, palam fieret illum e reliquis fratribus in summum Sacerdotem fuisse constitutum.

29 Contentio &c. *Gemara Horajoth ibid.* Quare autem unxerunt Salomonem? propter controversiam Adoniæ. Unde ergo probatur, quod suborta controversia requiratur unctio, nec omnem pro libitu inter filios faciant hæredem regni? Respondit R. Papha dixisse textum; *regnet ipse, & filii ejus super Israel*; scilicet eo tempore, quo pax est in Israel, prædicamus de eo; *Ipse & filii ejus*, & vel etiam absque unctione. Traditur; etiam Jehu filium Nimsi non unctum fuisse nisi propter controversiam Joram filii Achabi; 3. *Reg.* XIX. 16. 4. *Reg.* IX. 6.

Sed

Sed & excipias eum; ideo quod ipse erat primus ex sua familia, cum non esset Rex Rege natus; carendo caruisset. Et sic traditur; Reges domus David ungebantur; Reges Israelis non ungebantur; Unde probatur? Dixit Raba, dixisse textum, 1. *Reg.* XVI. 12. *Surge, unge eum* &c. hic (*sc. qui est regni domus David*) opus habet unctione; Alius autem non opus habet unctione. Dixit Mar; etiam Jehu filium Nimsi non unctum fuisse nisi propter controversiam motam a Joram, & propter controversiam a Joram filio Achab, per delictum abusus rei sacræ adhibitum fuisset oleum unctionis. Res est, ut dixit R. Papha. Balsamo puro unctionem istam factam fuisse, non oleo unctionis. Hic pariter etiam balsamo puro. Jochazum autem unxerunt 4. *Reg.* XXIII. 30. propter Jehojakimum, quia hic major natu illo erat. Et quid? Num ætate illum antecesserit? Atqui scribitur 1. *Paral.* III. 15. *Filii autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.* Dixit autem R. Johannes; unum eumdemque esse Sellum, qui Sedecias, Johanan, & Jochazus vocetur. In perpetuum ergo Joakim fuerit maximus natu eorum. Quare ergo Johanan vocavit primogenitum? sc. quia primogenitus erat respectu regni. Et quid? Num regnent minores natu ante natu maximum? Atqui scribitur 2. *Paral.* XXI. 3. *Regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus.* Respondeo; Joramum implevisse locum patrum suorum (*h. e. justum fuisse, & dum adhuc justus erat, implebat locum patrum suorum, postea autem degenerabat*) Joakimum autem non implevisse locum patrum suorum. Dixit Mar; eundem esse Sellum, Sedeciam, Johanan, & Joakimum. Atqui singuli sigillatim enumerantur, quia scribitur 1. *Paralip.* III. 15. *Et tertius, & quartus;* quid tertius? tertius sc. respectu filiorum; quid quartus? quartus sc. respectu regni. Quia ab initio regnabat Jehoachaz, postea autem Joakim, postea autem Johanan, postea autem Sedecia. Tradiderunt Rabbini; eundem esse Sellum, & Sedeciam; quare autem vocatum est nomen ejus שלום Sellum? Quia erat משולם perfectus in operibus suis (*h. e. justus perfectus erat, præditus bonis operibus.*) Nam dicunt Sellum vocatum esse, quia שלמה absolutum esset regnum domus David in diebus ejus. Quodnam autem erat nomen ejus? Matthania erat nomen ejus; quia dicitur 4. Reg. XXIV. 17. *Et constituit Matthaniam &c.* Dixerat *Nebucadnezar* ad illum יצדיק יה *justificet Dominus super te judicium, si rebellaveris in me*; quia dicitur *Jerem.* LII. 11. *Et adduxit eum in Babylonem*; & scribitur 2. *Paralip.* XXXVI. 13. *A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum.* Et quid? num fuerit oleum unctionis *in diebus Joachazi, quia paulo ante traditum erat, Jochazum unctum fuisse propter Joakimum?* Atqui traditio est; *ex quo recondita est Area* &c. Dixit R. Papha; Balsamo puro unxerunt Joachaz. *R. Levi ben Gerson ad* 3. *Reg.* I. Non erat necesse ungi Salomonem nisi propter factionem Adoniæ; quia in unctione Davidis uncti sunt successores ejus, qui ex ejus erant semine.

[30] Tabernaculi &c. *Aben Ezra ad Exod.* XXX. 26. *notat*; sub genere tentorii conventus comprehendi tabernaculum; item mentionem fieri rei honoratioris, quæ in eo erat, Arcæ; & mentionem fieri mensæ initio, quia ea erat magna, habebatque multa vasa; postea autem candelabri, quia habebat multa vasa; & Altaris holocausti, quia habebat multa vasa. *R. Sal. Jarchi in l. c.* v. 29. Hæc unctio sanctificat ea, ut sint sanctitas sanctitatum. Quisnam autem est status sanctitatis eorum? Scilicet quod *omne, quod tangit illa sanctum erit*; Hoc est, omne quod convenit vasi ministerii, ex quo subiit intra illud, sanctum est sanctitate corporis; ut illegitimum reddatur per actum ferendi & pernoctandi, & per lotum diei, & non redimatur, quo recedat in statum rei profanæ. Si autem res sit, quæ non convenit illis, tum non sanctificat eas &c.

[31] *Unxitque* &c. *Pesiktha ad Num.* VII. 1. Dixerunt Doctores nostri; omnia vasa, quæ fecit Moses, uncta & sanctificata sunt; In posterum ministerio initiantur; dictum est, *unxitque & sanctificavit; illa unctione sanctificata sunt*; non autem in generationes unctione, sed ministerio sanctificata sunt. *In Siphri vero legimus* l. c. *hac prima unctione reliqua sanctificata fuisse.* Rabbi dicit; *unxitque & sanctificavit* אותם *illa*, cur dictum est? Et jam dictum est; *ex unxit* אותו, *& sanctificavit* אותו; quid dici necesse erat *& unxit* אותם, *& sanctificavit* אותם? ostendit horum unctione omnia vasa in posterum sanctificata esse.

[32] Si fractum &c. *Tosaphta Menachoth* IX. 23. Si vasa sanctuarii perforata fuerint, non possunt in plumbum neque fundi, neque liquefieri, nec acuendum est cuti vitium, quod in iis esset. Si Culter, fissus esset, non reparandus est, neque cuti acuendum est ejus vitium. Aba Saul dicit; contigit, quod cultrum absconderint, quo discerptum fiebat animal. *Maimonides ad* IX. 7. *Sevachim*. Sed oportet ut scias, quod vasa ministerii, si perforata vel fracta fuerint, non corrigantur, sed denuo conficiantur. Sic etiam si cultri dissoluti, vel confracti fuerint, non corrigantur. Omnium vero ratio hæc est, quod in locis divitiarum non debet esse locus paupertati. *Bartenora ibid.* Nihilominus tamen omnia vasa ministerii, quæ perforata aut fracta fuerint, non debent reparari, sed denuo confici. Pariter si culter depravatus fuerit, ne corrigatur &c. & hæc omnia ita fiebant, quia in loco divitiarum non debet esse locus paupertati.

[33] Perforata &c. *Siphra ad Levit.* VI. 9. Vasa sacra, quæ perforata essent, si inserviant eidem usui, cui antea, dum erant integra, sanctificant, sin minus, non sanctificant. *Tosaphta Sevachim* IX. 15. Si perforata essent, aut pars deficeret, aut essent fissa, si pristino eorum usui inservirent, cui antea, dum integra erant, sanctificabant, sin minus, non sanctificabant.

[34] Si culter &c. *Schilte Haggibborim ibid.* cap. XXIV. Si culter exciderit e manubrio, aut vitiosus factus esset, non reponeretur, neque acueretur; sed abscondebatur in latere Templi inter Sanctitatem & Ulam ad latus meridionale; & alii novi efficiebantur, quia in loco divitiarum non erat paupertati locus; Causa, quamobrem absconderetur in latere meridionali, erat, ne forte cultro illegitimo per ignorantiam uteretur; cum plerunque mactatio Sanctitatum fieret ad aquilonem, uti constat.

[35] Duæ erant &c. *Codex Menachoth* IX. 1. Duæ erant mensuræ aridorum in sanctuario, decima, & media decima. R. Meyr dicit; decima, decima, & media decima. Quorsum inserviebat decima? ea mensurabantur omnia munera, non mensurabant, mensura trium decimarum pro juvenco, nec mensura duarum decimarum pro ariete, sed mensurabant per decimas. Dimidium decimæ quorsum? eo mensurabant munera sartaginum Pontificis Maximi, sc. dimidium mane, & dimidium vesperi. *Tosaphta Menachoth* X. R. Meyr dicit; quorsum inserviebat decima? sive fuerit, sive non fuerit accumulata, ea mensurabant omnia munera; quæ non erat accumulata, ea mensurabant sartagines Sacerdotis uncti, & omnibus inserviebat. Neque erat mensura trium decimarum pro juvenco, nec mensura duarum decimarum pro ariete; verum si ibi affuissent sexaginta juvenci, & sexginta arietes, decima mensurabant omnibus, sicuti scriptum est; *Et decimam decimæ per agnos singulos. Num.* XXVIII. 21.

[36] Liquidorum &c. *Codex Menachoth ibid.* Septem mensuræ liquidorum in sanctuario erant, ut Hin, & dimidium Hin, & triens Hin, & quartarius Hin. Logus, & quartarius Logi. *Tosaphta Menachoth ibid.* Septem mensuræ liquidorum erant in sanctuario; quartarius Logi, dimidium Logi; quartarius Hin, triens Hin, & Hin. R. Jehuda dicit; Hin, & dimidium Hin, & triens Hin, & quartarius Hin. Logus, dimidium Logi, & quartarius Logi.

[37] Dimidio &c. *Codex Menachoth ibid.* R. Eliezer filius Zadoci dicit, dentes erant in Hin, huc usque pro juvenco, huc usque pro ariete, huc usque pro agno. *Tosaphta Menachoth ibid.* Quorsum quartarius Hin? pro omnibus animantibus tam masculis quam fœminis, tam magnis quam parvis, quia omnia erant æqualia in libaminibus, & poterant invicem misceri; Triens Hin quorsum? Hæc erat omnium minima mensura; inserviebat libaminibus arietum biennium, aut majoris ætatis. Dimidium Hin quorsum? Omnibus bobus tam masculis, quam fœminis, tam magnis quam parvis, quia omnes in libaminibus erant æquales, atque invicem misceri poterant.

Et


Et paucis interjectis. R. Eliezer filius Zadoci dicit; Quatuor menſuræ liquidorum erant in ſanctuario; quartarius Logi, & dimidium Logi, & Logus, & Hin, atque in eo erant ſigna; huc uſque pro juvenco, huc uſque pro ariete, huc uſque pro agno.

[38] Semilogo &c. *Codex Menachoth ibid.* R. Simeon dicit; non erat Hin; quomodo igitur illius uſus obtineret? Erat alia menſura Logi, & dimidii illius, nam ope illius menſurabant Pontificis maximi munus; Logus cum dimidio mane, & totidem veſperi. *Toſaphta Menachoth ibid.* Quartarius Logi quorſum? illius ope menſurabant ſartagines Sacerdotis uncti. Dimidium Logi quorſum? illius ope menſurabant tres logos cum dimidio pro candelabro, & dimidium Logi pro ſingulis lucernis. Logus quorſum? cum eo menſurabant pro omnibus muneribus.

[39] Jam qui in Sanctuario &c. *Codex Menachoth ibid.* Quorſum erat quartarius? pro quartario aquæ leproſi, & pro quartario olei Nazyræi. Dimidium Logi quorſum erat? pro dimidio Logi aquæ mulieris adulterio ſuſpectæ, & pro dimidio Logi olei ſacrificii Euchariſtici. Porro eo menſurabat Logum pro muneribus, nam vel ſexaginta decimarum munus requirebat ſexaginta Logos. R. Elieſer filius Jacobi dicit; vel ſexaginta decimarum munus unum duntaxat Logum requirebat, ſicut dicitur Levit. XIV. 21. למנחה ולוג שמן. Sex igitur pro juvenco, quatuor pro ariete, tres pro agno, tres cum dimidio pro candelabro, & dimidium Logi pro omni lucerna. *Toſaphta Menachoth ibid.* Non erat ſeptima menſura in Sanctuario Hin, quia ponebatur menſura pro duobus Juvencis, aut menſura pro duobus Arietibus. Earum vice quid adducebat? menſuram Logi cum dimidio. Ei dixit R. Jehuda; nonne erat Logus, & dimidium Logi? Ei reſpondit R. Simeon; ſi ita eſt, poterat pro omnibus uti quartario; ſed una menſura in Sanctuario non poterat inſervire pro altera. *Et paucis interjectis*. Dimidium Logi pro Sacrificio Euchariſtico, & quartarius pro Nazyræo.

[40] Intus & foris &c. *Siphri num.* VII. 1. *unxitque*, intus & foris. R. Joſia dicit; menſuræ liquidorum unctæ fuerunt intus & foris, & menſuræ aridorum unctæ fuerunt intus & non foris. R. Jonathan dicit; menſuræ liquidorum unctæ fuerunt intus, & non unctæ fuerunt foris, & aridorum menſuræ non fuerunt unctæ neque intus neque foris. *Peſicktha ibid. unxitque*; intus & foris. R. Joſias dixit tres menſuræ unctæ fuerunt intus & foris, nempe crateres libaminum. Et menſuræ olei, & phiale unde fierent adſperſiones; & menſuræ aridorum ſolum intus unctæ ſunt.

[41] Decibant &c. *Codex Menachoth ibid.* Omnes menſuræ in Sanctuario erant accumulatæ, Pontificis maximi menſura excepta, nam cumulus ejus in iſta continebatur. Menſurarum in liquidis cumuli ſunt ſancti, in aridis vero profani ſunt. R. Akiba dicit; menſuræ in liquidis ſanctæ ſunt; idcirco cumuli earum ſancti ſunt; in aridis autem profanæ ſunt, idcirco cumuli eorum profani ſunt. R. Joſe dicit, non propterea, ſed liquida fiunt turbida, at non arida. *Toſaptha Menachoth ibid.* Menſurarum omnes cumuli ex liquidis in liquidis ſancti ſunt, & in aridis profani; cur in liquidis ſancti ſunt? quia intus ungebantur? Cur in aridis profani erant? quia intus non ungebantur. *Coronidis loco hic afferam, quæ Maimonides de olei hujus utilitate habet* More Nevochim *part.* III. *cap.* 45. Oleum unctionis duas habet utilitates, ſuaveolentiam nempe illius, quod ungebatur, & ejuſdem dignitatem & ſanctitatem; quod nempe ad præſtantiorem uſum ſeparatum fuerit ab aliis ſuæ ſpeciei, ſive fuerit homo, ſive veſtimentum, ſive aliud quoddam inſtrumentum. Omnia hæc iterum referebantur ad reverentiam Sanctuarii, quæ cauſa eſt reverentiæ, vel timoris Dei; quia affectus hominis ad ſingularem devotionem moventur, quando in Sanctuarium ingreditur, cordaque dum emolliuntur, & flectuntur. Sapientia autem iſta divina ad emollienda, & flectenda hominum corda, quando ingrediuntur in Sanctuarium, huc facit, ut tanto majori alacritate recipiant præcepta Dei, eumque timeant, ſicut nobis in lege declaratur, cum dicitur. *Deut.* XIV. 23. *Et comedes in conſpectu Domini Dei in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti, tui, vini & olei, & primogenita, de armentis, & ovibus tuis, ut diſcas timere Dominum Deum tuum omni tempore*. Sic itaque patet tibi, quiſnam actionum prædictarum omnium finis fuerit. Cauſa autem prohibitionis, ne tale oleum, vel talis ſuffitus ab aliis conficiatur, eſt manifeſta, videlicet, ut nullibi, quam illic odor ille habeatur, & ita tanto majori affectione homines illum proſequantur; item ne illi, qui tali oleo forte inungerentur, exiſtimarent ſe præſtantiores factos, atque ita multa mala magnæque diſſenſiones orirentur.



פרק שני

א. הקטורת נעשית בכל שנה ושנה ועשייתו מצות עשה שנא׳ ואתה קח לך סמים וגו׳ ונתפרשו בתורה ארבעה מסממניה והן נטף ושחלת וחלבנה ולבונת ושאר סממנ׳ הלכ׳ למשה מסיני

ב. אחד עשר סממנים נאמרו לו למשה בסיני והם שעושין אותן במשקל מכוון ומוסיפין עמהן בלא משקל מלח סדומית וכפת הירדן ועשב אחד שמעלה עשן ולא היו יודעים אותו אלא אנשים יודעים והוא היה הלכה בידם איש מפי איש

ג. וזהו משקל אחד עשר סמניה נטף ושחלת וחלבנה ולבונה מכל אחד משקל

CAPUT SECUNDUM.

I. [1] SUffimentum efficiebatur quotannis: namque id effici jubendo ſancitum eſt; ſcriptum eſt enim: *Sume tibi aromata*, &c. (*Exod.* 30. 34.) Atque a Lege quidem quatuor omnino declarantur ejus aromata, ſtacte, onyche, galbanum, & thus: reliqua vero ejus aromata explicata Moyſi fuerunt in monte Sinai.

II. Moyſi igitur aromata fuerunt in monte Sinai nominata [2] undecim, quæ ad ſuffimentum adhibebantur [3] juſto pondere, & his addebatur ſine pondere ſal ſodomeus, & de Jordane ſuccinum, & genus quoddam herbæ copioſum fumum exhalantis. Hanc enim [4] nemo noverat præter certos quoſdam homines, qui rationem ejus accipiebant alii ab aliis.

III. Atque horum undecim aromatum [5] hoc erat pondus adhibendum. Ex unoquoque iſtorum ſtacte, onyche, galbano, &

שבעים

שבעים מנה והמנה מאה דינרי׳ ומר וקציע׳ ושבולת נרד וכרכום מכל אח׳ ששה עשר מנה קושט שנים עשר מנה קנמון תשע מנין קלופה שלש מנים משקל הכל שלש מאות וששי׳ ושמנ׳ מנה שחוקין הכל הדק ומוסיפי׳ לה רובע הקב מלח סדומית וכפת הירדן ומעלה עשן כל שהוא ומקטיר ממנה בכל יום על מזבח הזהב מנה שלש מאות וששים וחמשה יום כנגד ימות החמה והשלש מנים הנשארות שוחק אותם ערב יום הכפורים דקה מן הדקה עד שמוציא ממנה מלא חפניו להקטיר ביום הכפורי׳ והשאר הוא מות׳ הקטורת שאמרנו בשקלים

ד. נטף האמור בתור׳ הוא עצי הקטף שיוצא׳ מהן הצרי והשחלת היא הציפורן שנותנין אותה בני האדם במוגמרות והחלבנה כמו דבש שחור וריחו קשה והוא שרף אילנות בערי יון וזהו שמו׳ הסמני׳ בלשון ערבי עוד בלסאן ואצפאר טיב ומיעה ולכאן ומסך וקציע׳ וסנבל אלנטורין וזעפרן וקושט ועוד וקסר סליכה וענבר

ה. כיצד מפטמין את הקטרת מבי׳ תשע׳ קבין בורית כרשינ׳ ושף בה את הצפורן ואחר כך שורה את הציפורן באחד ועשרי׳ קב של יין חזק ביותר ואח״כ שוחק כל אחד מן הסמני׳ בפני עצמו הידק וכשהוא שוחק אומר הידק היטב הידק היטב כל זמן ששוחק ומערב הכל

ו. וכל מעשיה בקד׳ בתוך העזר׳ ומשל׳ הקדש והמפטם את הקטרת מן החולין והמצנע בכלי החולין פסולה

ז. פעמי׳ בשנ׳ היו מחזירין אותה למכתשת בימות החמה היו מפזרים אותה כדי שלא

thure pondus 70. minarum. Jam * mina centum erat denariorum pondo. De myrrha, caſia, ſpica nardi, croco, ſedecim minæ pondo de ſingulis: de coſto duodecim minæ pondo: cinnamomi pondo minæ novem: de aromatico illo cortice trium minarum pondo, ex quibus una conjunctis iſta fit ponderum ſumma, minæ 368. Hæc omnia, [6] quam tenuiſſime poterant, terebantur: addebatur inde ſalis ſodomei, & de Jordane ſuccini * quadrans cabi, & parum illius herbæ fumum exhalantis; tum ex eo mina pondo ſingulis diebus adolebatur in aureo altari: erant igitur [7] trecentæ ſexaginta quinque minæ pro numero dierum, quibus ſol converſionem annuam conficit: reliquæ [8] tres minæ cum eſſent tenuiſſimæ, vigilia ſolemnitatis Expiationum elidebantur etiam multo tenuius. Atque ex eo ſic comminuto ſumebat ſummus Pontifex plenos pugillos ſuos, quos ſolemnitate Expiationum adoleret: [9] reliquum erat ſuffimenti reſiduum illud, de quo in tractatu de Siclis diximus.

IV. Quæ a Lege nominatur [10] ſtacte, hoc eſt lignum illud balſaminum, ex quo præſtans quædam exiſtit reſina: * [11] onyx eſt ea, quam in odoribus homines ut plurimum adhibent: [12] galbanum habet colorem atri mellis ſimilem, odorem gravem: eſt autem certarum, quæ in Græcia naſcuntur, arborum reſina. Atque hæc aromata ſic appellantur Arabice עוד בלסאן ואצפר טיב ומיעה ולכאן ומסך וקציעה וסנבל אלנטורין וזעפרן וקושט ועוד וקסר סליכה וענבר.

V. Apparandi ſuffimenti erat iſta ratio. [13] Saponis Karſinenſis adhibebantur cabi novem, quibus onyx perfricta diluebatur in viginti uno cabis vini [14] capparini, vel veteris albi, ejuſque generoſiſſimi. [15] Exin aromatum unumquodque ſeparatim elidendo multo maxime comminuebat aliquis. Is per totum elidendi ſpatium: *Bene, bene frange*, ſibi ipſe dicebat, tum omnia inter ſe commiſcebat ac confundebat.

VI. Suffimentum [16] de ſacris ſumendum erat, & in ſacris efficiendum intra atrium. Si quis illud aut ſumſerit de profanis, aut in vaſis profanis condiverit, vitioſum erat.

VII. Reponebatur in mortarium [17] bis in anno: diſpergebatur æſtivo tempore in

תתעפש

III. *Mina centum erat denariorum pondo*. Bene res haberet, ſi ſubjiceret Scriptor noſter quo tandem denario minam expendit atque æſtimavit. quod quia neglexit, definitionem attulit indefinitam. Ego vero hoc habeo de mina Hebraica dicere, eam fuiſſe ducentorum & quadraginta denariorum Romanorum, atque adeo totidem drachmarum Atticarum: quia enim drachma Attica pretii pronderiſque fuit ejuſdem atque denarius Romanus. Eſt ejus rei bene ſubducta ratio ab exquiſiti viro judicii, & doctrinæ prope ſingularis, illo, qui conſcripſit eam, quæ extat ad calcem Bibliorum in folio elegantiſſimis typis excuſorum Pariſiis ab Ant. Vitre, ann. 1662. Chronologiam ſacram, perfectiſſimam, atque omnes numeros in ſe habentem, eidemque adjecit miram quandam appendicem, in qua cum multis & variis de rebus, tum vero de nummis, ponderibus & menſuris antiquorum, præſertim vero Hebræorum ita diſputat, eademque inter ſe ita comparat, nihil ut in eo genere deſideretur.

Quadrans cabi. De cabi capacitate dictum eſt cap. ſuperiori art. 17.

IV. *Onyx eſt ea*. Hæc Hebraice dicitur שחלת, Chaldaice טפרא, & in Miſna צפורן. Vide Buxtorfii Lexicon Talmudicum in themate צפר.

תתעפש ובימות הגשמים צוברין אותה כדי שלא יפוג ריחה

ח. נתן לתוכ׳ דבש כל שהוא פסלה חסר אחד מסממניה חייב מית׳ שהרי נעשי׳ קטר׳ זרה פטמה מעט מעט כמתכונת׳ כשרה אפילו פיטם פרס בשחרי׳ ופרס בין הערבים

ט. העושה קטורת מאחד עשר סממנין אלו לפי משקולות אלו כדי להריח בה אעְפְ שלא הריח חייב כרת על עשייתה אם עשה מזיד ובשוגג מביא חטאת קבוע אעְפְ שלא עשה המשקל כולו אלא חציו או שלישו הואיל ועשה לפי משקלות אלו חייב כרת שנא׳ במתכונתה לא תעשו לכם איש אשר יעשה כמוה להריח בה ונכרת מעמיו

י. עשה להתלמד בה או למוסר׳ לציבור פטור פטו׳ הריח בה ולא עשא׳ אינו חיי׳ כרת אלא דינו כדין כל הנהנה מן ההקדש לא הייבה תורה כרת אלא לעוש׳ במתכונתה להריח בה

יא. מזבח הזהב שבהיכל׳ עליו מקטירין הקטר׳ בכל יום ואין מקריבין עליו דבר אחר ואם הקטיר עליו קטורת אחר שאינה כזו או שהקטיר עליו קטרת כזו שהתנדב אותה יחיד או רבי׳ או הקריב עליו קרבן או הסיך נסך לוקה שנאמ׳ לא תעלו עליו קטר׳ זרה ועולה ומנחה וכו׳

יב. בעת שמוליכין את הארון ממקום למקום אין מוליכין אותו לא על הבהמ׳ ולא על העגלו׳ אלא מצוה לנוטלו על הכתף ולפי ששכח דוד ונשאו על העגלה נפרץ פרץ בעוז׳ אלא מצוה לנשאו על הכתף שנ׳ כי עבודת הקד׳ עליהם בכתף ישאו

יג. כשנושאין אותו על הכתף נושאין פנים כנגד פנים ואחוריהם לחוץ ופניהם

mucesceret: hieme contra coacervabatur ne ejus evanesceret odor.

VIII. Si quis in suffimento condiendo quamvis parum [18] mellis adhibuisset, vitiosum id esset: si quis ex imperatis aromatibus omisisset unum, is esset addictus morti, quoniam suffimentum fecerit alienum. Si quis autem secutus rationem præscriptam suffimentum minutatim composuisset, id quidem esset idoneum, etiamsi aliam mane portionem, vesperi confecisset aliam.

IX. Si privatus homo adhibendo præscripta pondera ex his aromatum generibus composuerit suffimentum, idque ad fruendum ejus [19] odorem, is etiamsi non sit odoratus, tamen propter compositionem ipsam pœnæ כרת *Keret* erat addictus si contumaciter fecerit, & addiceretur stato sacrificio pro peccato si fecerit imprudens. Quod si non [20] perfecerit totum, sed dimidiam, vel tertiam tantum partem, si quidem commemorata adhibuit pondera, nihilominus pœnæ כרת *Keret* addiceretur, quia scriptum est: *Talem compositionem non facietis in usus vestros . . . . . . homo quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* [*Exod.*30.37.*&* 38.)

X. [21] Sin eo fecerit, ut faciendi rationem addisceret, vel ut illud Ecclesiæ donaret, impune foret. Jam si quis ejus odore usus esset, idque ipse non fecisset, ejus quidem pœna non erat כרת *Keret*: sed ea erat pœna, quæ sequebatur, * si quis sacris abusus fuerit: neque enim a Lege pœnæ כרת *Keret* addicitur, nisi qui fecerit talem compositionem ad fruendum ejus odorem.

XI. Quod erat intra templum altare aureum, in eo [22] singulis diebus suffimentum adolebatur, nec quidquam in eo sacrificabatur aliud. Si quis suffimentum [23] huic dissimile altari in isto adolevisset, vel simile quidem; sed quod vel unus, vel multi simul consociati largiti fuissent: si fecisset in eo [14] sacrificium; si libamen fudisset, verberibus coerceretur ex isto Legis edicto: *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, & victimam*, &c. (*Exod.*30.9.)

XII. Arca fœderis cum transferretur in locum alium ex alio [25] nec jumentis, nec curribus deportanda fuit, sed hominum erat imponenda humeris. Quod cum [26] oblitus rex David arcam curru vehi sineret, extemplo morte multatus est Oza. Jus est enim arcam ferri humeris hominum, quod scriptum est: *Quia Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris.* [*Num.*7.9.]

XIII. Qui portabant arcam humeris, corum oportebat alter alterius os spectaret

לפנים

X. *Si quis sacris abusus*. Qua de re copiose disputabitur tract. postremo hujus Libri.

לפנים ונזהרים שלא ישמטו הבדים מן הטבעות שהמסיר אחד מן הבדים מן הטבעות לוקה שנאמ׳ בטבעות הארון יהיו הבדים לא יסורו ממנו:

ita, ut ambo terga foras, ora verterent intus ad arcam. Quorum ſumma cautio erat, ne [27] vectes ex arcæ evaderent annulis. Nam ſi quis ex annulis auferret vectium unum, is verberibus multaretur ex hoc Legis dicto: *Qui ſemper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* (*Exod.* 25.15.)

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM.

[1] Suffimentum &c. *Breves erimus in hoc capite, cum plurima de ſuffitu dixerimus in Tomo ſecundo* Theſauri in notis *in caput quintum partis primæ* Relandi Antiquitatum Sacrarum.

[2] Undecim &c. *Gemara Kerithuth fol.* 78. 2. R. Jochanan inquit; undecim aromata Moſi ſunt dicta in Sinai. Quærit Raf Huna, unde id probas? Ex Exod. XXX. קח לך סמים, hæc ſunt duo, his adde balſamum, Onychen, & Ghalbanum, habes quinque, hæc prope *ſequuntur* alia quinque, & habes decem, & thus purum eſt una *ſpecies*, ecce *ergo* undecim. *R. Salomo in comment. in l. c. Exod.* Hinc didicerunt Rabbini undecim aromata dicta eſſe Moſi in Sinai; ad minimum aromata *ſunt* duæ *ſpecies*, Balſamum, Onyx, & Galbanum *ſunt* tres. Habes *jam* quinque. Aromata (*ſecunda vice ubi exſtat*) *denotat* totidem, quot adfuerunt; habes decem, & thus, habes ergo undecim. *Abarbanel in Peruſch Hatthora* fol. רז׳ col. 3. Et animadverte in primo hoc verſu (*Exod.* xxx. 32.) binis vicibus commemorari vocabulum סמים, *ſeu* Aromata (*nempe in numero multitudinis*) & ſecundum *ſententiam* interpretum prius סמים denotat ſpecies reſinæ, & ad minimum duas; *ſpecies* aromatum, ac ſi *expreſſe* dixiſſet duas ſpecies *aromaticorum* ſuccorum. Et Balſamum & Onyx; & Galbanum ſunt tres. Ecce itaque quinque &c. Secunda quoque vice in *Sacra Scriptura* סמים ponitur, & dicunt *interpretes*, quod ejus ſenſus ſit, *cape tibi* alia aromata pro numero præcedentium. Atque priorum fuerunt quinque, habes ergo *poſtremis quinque additis*, in univerſum decem. *Annumerato* thure puro, ſunt in genere undecim *ſpecies aromatum*, excepto ſale *Sodomitico*. Atque hæ *ſpecies* in conditura ſuffitus commemorantur.

[3] Juſto pondere &c. *R. Salomo ad Exod.* XXX. 34. Illa quatuor aromata, quorum mentio hic fit, erunt ejuſdem ponderis, pondus illius erit ſicut pondus hujus, & nos edocti ſumus, quod ſit reſina, Onyx, galbanum, & thus. Pondus vero cujuslibet horum aromatum eſt 70. Librarum, & vocabulum בר idem mihi eſſe videtur, quod eſt יחיד ſolum cum ſolo erit, hoc eſt ſicut illud. *Alii exponunt* de ſingulis ſeorſim in pulverem redigendis, & ponderandis. *Kimchi.* בר בבר idem eſt ac ſi dixiſſet בבר בבר (cum ſolo cum ſolo) & ſervilia duo Beth ſimilia ſunt duobus Caph ſervilibus, ſed in hoc ſignificatu unum Beth ſufficit, quaſi dicat hoc in pondere hujus, & illud in pondere illius; vel quaſi dicat; unumquodque ſeorſim; vel quaſi dicat, contundatur ſingulum ſeorſim; ſunt tamen qui exponunt pondus in pondere, ſeu æqualis ponderis erit, ut *Targum Onkelos*. *Ben Melech in Michlal Jophi*: בר בבר ac ſi dixiſſet בכר בכר, & duo Beth poſita ſint loco duorum Caph ſimilitudinis, verum tamen ut ad ſenſum abſolvendum ſufficiat unicum Beth, ac ſi dixiſſet, hujus pondus erit ſecundum illius, & illius ſecundum hujus, quaſi dixiſſet, unumquodque erit ſecundum pondus ſuum, aut unumquodque erit ſeorſim ſolum cum ſolo, ſingulæ ſpecies erunt ſingulæ, ac ſi diceretur, quod unumquodque ſeorſim contundere debeant. Et ſunt quidam, qui explicant pondus in pondere, & ita interpretatur *Onkelos*. Vult dicere, unumquodque ſeorſim ponderari debere, propter momentum *lancis*. Aut unius pondus debet alteri reſpondere, quo pondus eorum ſit æquale, & tum reſpicit (ſc. phraſis בר בבר יהיה) illas ſpecies, quæ in lege nominantur, nempe balſamum, Onyx, galbanum, & thus; & ſic Magiſtri noſtri f. m. dicunt Balſami, Onychis, galbani, thuris, uniuſcujuſque ſpeciei pondus 70. librarum fuiſſe. *Abarbanel ibid.* Et de omnibus hiſce ſpeciebus dicit *Deus* unumquodque ſeorſim eſto. Sunt quidam qui explicant, omnium pondus æquale eſſe debere, verum hoc eſt inconveniens, quoniam in traditione confectionis ſuffitus ex quibuſdam ſpeciebus ſedecim pondo requirit, ex quibuſdam ſeptuaginta, ex quibuſdam novem; quare conveniens magis eſt explicatio *R. Abraham ben Ezræ*, quod unumquodque ſeparatim contundi, & poſtea miſceri omnia debeant. Et hoc propterea, quoniam omnia hæc aromata non poterant contundi eadem opera. Et quippe quædam ſpecies, que levi negotio contunditur, v. g. balſamum, alius autem ſpeciei contuſio eſt difficilis, v. g. ſpicæ Nardi. Et propterea dicit ſcriptura ושחקת ממנה הדק, non autem dicit & contundes illas, *nempe ſimul*, minutim, quoniam contuſio non erit æqualis in omnibus, & dicit ועשית אותה קטרת ad indicandum, quod neceſſe ſit illas adolere, quoniam non ſunt edulia, propter eorum amaritiem, verum tantum ſuffiuntur, & in fumum adſcendunt.

[4] Nemo noverat &c. *Toſaphta Joma* II. 8. Familia Abtines callebat artem præparandi ſuffitus in elevando fumo, & noluit docere; miſerunt Sapientes, & accerſiverunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui præparabant æque ac ipſi, ſed erant imperiti in faciendo adſcendere fumum. Ille familiæ Abtines adſcendebat inſtar columnæ uſque ad laqueare, & deinde ſe diffundebat, & verſus terram deſcendebat, ſed ille Alexandrinorum ſtatim ſe diffundebat; & quando ſapientes hoc cognoverunt, dixerunt; non creavit Deus mundum niſi propter honorem ſuum, ſicuti ſcriptum eſt *Prover.* XVI. 5. *univerſa propter ſeipſum operatus eſt Dominus*. Accerſiverunt eos ſapientes, & non venerunt, donec eis duplicarunt mercedem, duodecim minas accipiebant ſingulis diebus, poſtea viginti quatuor acceperunt; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit, viginti quatuor prius accipiebant, deinde octo & quadraginta. Dixerunt illis ſapientes, quid vidiſtis ne doceretis? eis reſponderunt; ſciebat domus patris noſtri domum Sanctuarii eſſe diruendam, & noluerunt docere, ne facerent hujuſmodi ſuffitum coram Idololatria eo modo, quo fit coram Deo; quamobrem eos in laudem memorabant, quod nulla unquam ex eorum mulieribus prodierit aromatibus condita; neque hoc tantum, ſed etiam cum ſibi uxorem ex alio loco ſibi deſpondebant, prius paciſcebantur, ne unquam aromata ſecum ferret, ne Iſrael diceret, eas uti aromatibus ſuffitus, ad obſervandum, quod dictum eſt; *& eritis inculpabiles apud Dominum & apud Iſrael*. Dixit R. Akiba; mihi ita narravit Simeon filius Lega; ego & puerulus ex ejus nepotibus legebamus herbas in agro; eum vidi ridentem & flentem; ei dixi; cur fleviſti? mihi reſpondit propter honorem domus patris mei, quæ tranſmigravit; ei dixi, cur riſiſti? quia tandem Deus lætificaturus eſt filios ſuos; ei dixi, quid vidiſti? reſpondit, herbam fumum adſcendere facientem contra me; cum rogavi, ut mihi oſtenderet; & is *dixit*, juramento adſtricti ſumus, ut nulli eam oſtendamus. Dixit R. Jochanan filius Nuri; aliquando iter faciebam, offendi ſenem, & mihi narravit, quod eſſet de domo Abtines; primo (*inquit*) quando erant in domo patris mei arcana ejus ſcripta ab uno alteri tradebantur; nunc en tibi hoc volumen; & monearis in eo, quod ſit volumen, in quo agitur de aromatibus; & quando veni, & hoc narravi coram R. Akiba, mihi dixit, ex hoc tempore in poſterum in eorum ignominiam loqui non licet; & hoc eſt, quod dicit filius Azai; *& non eſt oblivio coram Domino Deo*, & nemo poteſt attingere in id, quod præparatum eſt proximo ſuo. *Vide Gemaram Hieroſ. Sekalim fol.* 49. 1. *&*

Gemar. Babyl. Joma fol. 38. 1. *& notas nostras* ad l. c. Tosaphta Joma.

5 Hoc erat &c. *Gemara Kerithuth fol.* 6. 1. Ita tradiderunt Doctores nostri; in confecturam aromaticam ingrediebantur resina, Onyx, galbanum, & thus, fuitque pondus uniuscujuslibet horum aromatum 70. librarum, ut & myrrha, & casia, spica nardi, & crocus; cujuslibet horum pondus fuit 16. librarum, costus 12. cortex odoratus 3. & cinnamomum 9. Adhibebantur quoque Saponis Karsinensis 9. cabi, vini Capparini mensuræ tres, tres cabi (si non habuerit vinum Capparinum, afferat vinum album, aut vetus) Salis Sodomitici quarta pars cabi, & modicum herbæ fumigantis.

6 Quam tenuissime &c. *Aben Ezra ad Exod.* xxx. יעשית ממולח. Sensus ממולח est sal Sodomiticum, & sunt qui dicunt valde contusum, aut explicari debet ex sensu Phraseos, quæ occurrit (Jerem. XVII. 6.) *de terra salsuginosa*. *R. Salomo ben Melech in Michlal Jophi fol.* 24. 2. Et illud interpretatur Targum, *mixtum*, ac si dixisset, quod aromata debeant esse contusa, & simul bene mixta. Verum & sic potest reddi, quod interpretatio ממולח sit desumta a significatione salis, quoniam sal Sodomiticum additum fuit suffitui, quemadmodum illud commemoratur in systemate confectionis suffitus, quod quarta pars Kabi salis Sodomitici addatur. *Abarbanel in Perusch Hatthora fol.* 207. 4. Et cum dicit *Scriptura* ממולח טהור קדש, Targumista illud vertit per *mixtum*. Sed convenientius est *dicere*, quod velit Scriptura explicare dispositionem hanc suffitus, quod illum in formam minutissimi pulveris redigant, ac si esset sal contusum, & in lingua vernacula id גרא״ניא *grania* vocant; & sic convenit ut fiat suffitus, ut quando super prunas spargitur, confestim fumus adscendat, sive sit parum, sive sit multum. De oleo autem unctionis non eodem modo dicitur ממולח, quoniam illud in modum conditura unguenti, non autem in formam pulveris præparatur; Dicit autem *Scriptura*, *purum*, *sanctum sit*, ad monendum, ut eo ipso, quoniam illud valde contundent, donec fuerit minutissimum; caveant ne quidquam immundi illud attingat, sed ut semper in sanctitate sua permaneat, & illud quod in cribro remanet, denuo contundatur, donec fuerit minutissimum. Et illud vocatur in verbis Doctorum nostrorum f. m. *Tenue ex tenui*.

7 Trecentæ &c. *Gemar. Babyl. Kerithuth fol.* 78. 1. Tradiderunt Doctores nostri. Suffitus componebatur ad quantitatem 368. pondo; 365. libræ pro numero dierum anni solaris; 3. libræ remanebant; ex quibus Sacerdos summus capiebat plenitudinem pugilli in die expiationis.

8 Tres minæ &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 12. דקה cur dictum est? Cum jam dictum sit Exod. XXX. 36. *Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis*; si ita est; cur dictum est דקה? ut sit minutum de minuto. Quomodo faciebat? Separabat tres minas in vespera diei expiationum, & reponebat in mortarium, ut posset implere pugillum suum ad observandum minutum de minuto. *Pesiktha ibid.* דקה. Nonne dictum est, *Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis*? Ut sit minutum de minuto. Quomodo faciebat? Separabat tres minas a vespera diei expiationum, & reponebat in mortarium, ut impleret pugillum suum, ad observandum minutum de minuto. *Kerithuth ibid.* Dicebat Aba Jose filius Jochanan, tria pondo reliqua ex quibus Sacerdos sumit sibi plenitudinem pugilli sui in die expiationis, indit vesperi diei expiationis mortario, & bene illa tundit, ut fiant minutissima.

9 Reliquum erat &c. *Kerithuth ibid.* Et reliquum dabatur opificibus. *Misna Sekalim* IV. 5. Quid fit cum residuo suffitus? Separant ab ipso mercedem operariorum; aut illud residuum plane profanum faciunt propter mercedem operariorum (*Exemplar aliud* propter nummos ipsorum) & dant illis operariis in mercedem ipsorum. Et deinde ex novis siclis novum suffitum parant. Et si novi sicli nondum exhibiti fuerint, & non numerati tempore consueto, sumtum *pro suffitu* faciunt ex siclis veteribus anni præcedentis. *Maimonides Sekalim* IV. 12. Eodemque modo faciunt cum reliquiis suffitus; adveniente novilunio Mensis Nisan profanant illas in mercedem opificum *suffitus*, & pretium mercedis reddunt ad æstivationem Altaris, & opifices reliquias thuris accipiunt pro mercede sua; tum rursus emunt thus ab illis ex oblatione sua, ut ita oblatio fiat ex nummis oblationis novæ, sin vero illis non est oblatio nova, suffitum adolent ex oblatione veteri. *Vide Gemar. Babyl. Schebuth fol.* 10. 2. *Et Tosephoth. ibid.*

10 Stacte &c. *R. Salomon Jarchi ad Exod.* XXX. נטף est resina, & propterea, quod nihil aliud est nisi succus, qui distillat ex arboribus Balsami, inde appellatur נטף gutta, & in lingua barbara *gumma*, & hæc resina ipsis appellatur Theriaca. *R. Salomo ben Melech in Michlal Jophi*. Dicunt quod נטף sit Zeri resina, sic appellata, quod stillet ex arboribus Ketaph seu incisis. Quemadmodum dixerunt Rabini f. m. Zeri nihil aliud esse quam succum e ligno inciso, qui vulgo vocatur balsamum.

Onyx &c. *R. Salomo ibid.* שחלת est radix aromatis lævis, & splendet instar ungulæ, & dialecto Misnæ vocatur צפורן ungula, & hoc est, quod *Onkelos* vertit ושופרא & ungula. *Vide cl. Bochart. Hieroz. part. II. lib. V. cap.* 20.

12 Galbanum &c. *Gemara Kerithuth fol.* 6. 2. R. Chana filius Basna, inquit, nomine Simeonis Chasida; omne jejunium in quo non sunt ex defectoribus Israelis, illud non est jejunium. Nam ecce galbanum malum odorem spirat, Scriptura tamen illud inter aromata suffitus numerat. *Raschi ibid.* חלבנה est aroma, cujus odor est malus, & vocatur illud galbanum; a Scriptura annumeratur aromatibus suffitus, quo nos doceat, ne nobis vile videatur, nos associare in conventibus nostrorum jejuniorum precumque nostrarum cum defectoribus ex Israele, quoniam & illi una nobiscum reputantur. *Kimchi de galbano*. Aroma est, cujus odor malus, estque succus arboris, qui invenitur in urbibus Græciæ similis melli nigro, & Arabice nominatur *Miah. Vide Abarban.* l. c.

13 Saponis &c. *Kerithuth fol.* 78. 1. Sapo Carschinæ, quia cum eo fricant Onychen, quo pulchra reddatur. *Raschi ad Kerithuth l. c.* Charschina *propterea vocatur*, quod ex loco isto apportatur; secundum autem aliam interpretationem, est herba, quæ vocatur *Irba Schenotia*, ex qua Borith conficitur, quod Saponem vocant, ex magni cujusdam Doctoris sententia. *Idem ad Malach.* III. 2. Borith est herba quæ removet maculam, barbare autem vocatur *Irba Schenetra*. *Idem ad Jerem.* II. 22. Et sunt qui Borith barbare *Sabon* appellant. *Et Kimchi ibid.* Et sunt qui herbam esse explicant, qua ad lavandum utuntur.

14 Capparini &c. *Kerithuth ibid.* Ut & vinum in quo humectant onychen, ut robustior evadat. Sed ecce vino præstat urina. *Resp.* Verum illam in Sanctuarium non inferunt. Et auxiliatur sibi R. Joseph filius R. Chaninæ illo quod scriptum est; קדש היא קדש תהיה לכם Ergo & omne ejus opus non nisi in sanctitate perficiatur. *Raschi ad Kerithuth* l. c. Vinum Kapparis est quod venit ex loco cujus nomen est Kapparis. In quodam autem volumine alia redditur nominis ratio, nempe quod vinum Kapparis præparent ex Kappare, fructu cujusdam arboris ejusdem nominis, e. g. *Hatzelaph* & *Capparis* (*sunt nomina* arborum) quod a præceptore meo didici.

15 Exin aromatum &c. *Abarbanel Perusch Hatthora fol.* 207. 4. Et inquiunt, quod tempore contusionis dicat (*is qui tundit*) bene comminuere, optime, quoniam hæc vox bene convenit aromatibus. Et ratio hujus est, quod qui illa tundit; secundum proportionem vocis, quam audit, intendat etiam auscultare clangorem pistilli in mortario, secundum proportionem vocis pulsantis instrumentum musicum. Et tum fiet contusio suffitus in dispositione, & proportione analogiæ vocis pulsantis instrumentum musicum, & miscentur hac ratione aromata in mortario æqualiter. Ut & æqualiter subvertuntur, & comminuuntur, seque pulchre roborant. Quod non fiet hoc modo, cum absque proportione, & æqualitate contunduntur, nam tum pars ex illis erit tenuis, pars vero erit crassa. Scriptura autem dicit ושחקת ממנה הדק.

16 De Sacris &c. *Maimonides Sekalim* IV. 1. Quid fit cum oblatione conclavis? Sumunt inde sacrificia &c. suffitum cum mercede illorum, qui suffitum parant.

17 Bis in anno &c. *Kerithuth fol.* 78. 2. Tradunt Doctores nostri. Reducunt suffitum ad mortarium binis vicibus in anno, diebus æstivis illum dispergunt,

ne

ne mucorem contrhat, solibus hybernis illum confundunt, ne languescat ejus odor, cumque illum tundit, inquit, comminuere bene, bene comminuere &c.

[18] Mellis &c. *Gemara Kerithuth* ibidem. ואם נתן בה רבש פסלה si suffitui indit mel, reddit illum illegitimum.

Odorem &c. *Abarbanel l. c.* Et inquit Scriptura; הקטרת אשר תעשה במתכנתה לא תעשו ad monendum, ne in ista proportione cognita, quam commemorat in negotio suffitus illius, unice dicati necessitati Excelsi illius, i. e. *Dei* quisquam faciat illi similem, neque parum neque multum ex illa proportione ut inde caperent odorem in suam acquiescentiam. Tantummodo hæc proportio ipsis semper sit res sancta ad ministerium Sanctuarii, sancta quippe est Domino. Et quilibet privatus, qui fecerit suffitum huic similem, utique exscindetur ex populis suis. Idque hanc ob causam, quod rem Deo sacram profanam fecit, ea profane utens. Et certe qualem quantitatem singulis vicibus adolere debeant, non in lege exponitur præter illam quam adolere debeant in die expiationis, quæ est plenitudo pugilli Sacerdotis magni. Attamen unus ab altero accepit, quod quantitas, quam singulis diebus adolent, sit pondus duodecim & dimidii siclorum. *Bartenora ad Kerithuth* I. 1. Undecim aromata suffitus sunt. Si quis ex illis omnibus sumit secundum pondus a Sapientibus definitum, & illa miscet eo modo, ut illi qui miscent suffitum, quem adolent in Sanctuario, is excisione reus est, & id quidem si fecerit ad odorem inde capiendum. *Vide Gemaram Kerithuth* l. c.

[20] perfecerit totum &c. *Tosaphta Macchoth* III. 2. Si quis conficiat suffitum juxta suam compositionem, reus est, sive totum, sive dimidium composuerit, at si operam det, ut addiscat, aut alii tradat, aut diminuat aliquod de aromatibus, non est reus, nisi tantum prævaricationis causa. *Gemara Kerithuth l. c.* At vice versa ratio suffimenti colligi debuisset ex oleo. Ut sicut si quis conficiat oleum ad dimidias partes, liber est, ita etiam eadem sit ratio suffimenti, quod si quis illud conficeret ad dimidias partes, liber esset. Ergo dixit Raba; suffimenti ratione, si quis illud ita conficiat ad dimidias partes, reus est, olei autem ratione, si quis illud ita conficiat, liber est. Dixit tibi Raba; de oleo scribitur v. 33. *Et juxta compositionem ejus non facietis aliud.* Si sit *quale hoc est* prohibetur, sed si sit dimidia pars ejus, approbanda esse videtur. De suffimento scribitur v. 37. *Et suffimentum, quod facies* (*sic Hebræus*) scilicet si sit totus actus faciendi. At fieri posset, ut suffiat partem, vel dimidium mane, dimidium inter duas vesperas.

[21] Sin eo fecerit &c. *Gemara Kerithuth* l. c. De suffimento dicitur Exod. XXX. 37. *Non facietis vobis.* Sc. si sit *vobis*, sed si quis conficiat illuc, ut tradat cœtui, liber est.

[22] Singulis diebus &c. *Codex Menachoth* IV. 4. Si non adolevissent mane, adolebant vesperi. Dixit R. Simeon, omnia offerebantur vesperi, nam non initiabant altare aureum nisi per suffimentum aromatum. *Maimonides Tamid.* III. 1. Præceptum est jubens, ut in aureo altari intra templum sito, suffimentum singulis diebus bis incendatur, mane vesperique. Videmus enim in lege scriptum; Exod. XXX. 7. *Et adolebit incensum super eo Aaron* &c. Idem hoc incendebatur ad vesperam, si mane non esset incensum, ut etiam contumaciter non esset incensum. Nec vero aureum altare initiabatur nisi suffimento vespertino.

[23] Huic dissimile &c. *Siphra ad Levit.* VI. 10. *Et adolebit ea super altare holocausti.* Non autem super altare interius. At licet argumentari; Altare exterius dignum fuit adspersione sanguinum, & altare interius dignum fuit adspersione sanguinum. Sicuti in altari exteriori, ubi in cornibus adspergebatur sanguis, ibi incendebantur ejus adipes, pariter in altari interiori, ubi in cornibus adspergebatur sanguis, ibi quoque ejus adipes erant incendendi. Quomodo ego explicabo Exod. XXX. 9. *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam?* Pro sanctitatibus, quarum adspersione sanguinum non fuit dignum; at pro Sanctitatibus, quarum adspersione sanguinum fuit dignum; quoniam fuit dignum adspersione sanguinum, putandum erit dignum etiam adipum illarum adolitione. Ideo dictum est; *& adolebit ea super altare holocausti*, non super altare interius.

[24] Sacrificium &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 3. *Vitulum pro peccato offeret & arietem in holocaustum*, Crederem, quod ubi adspergebatur sanguis juvenci, ibi quoque adspargeretur sanguis arietis. Dixit R. Jose; quomodo explicabo textum; *Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam?* Quodnam est holocaustum, quod necessario a textu excluditur? Hoc est aries holocausti. Idcirco dictum est; *Vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum.*

[25] Nec jumentis &c. *Siphri ad Num.* VII. 9. *Filiis autem Caath non dedit &c.* R. Nathan dicit; Hinc orta est ignorantia in Davide, qui non fecit deportari Arcam a Levitis, sed curru; sicuti dictum est 2. *Reg.* VI. 3. *Et imposuerunt Arcam Dei super plaustrum novum &c. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei. Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam.* Dixit Achitophel Davidi; nonne addiscere debebas a Mose tuo præceptore, non deportasse Arcam Levitas nisi humeris? Sicuti dictum est; *Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves, quia in Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris.* Ecce David jubet deportandam humeris, sicuti dictum est 1. *Paral.* XV. 11. *Vocavitque David Sadoc & Abiathar Sacerdotes, & Levitas Uriel, Asajam, Joel, Semejam, Eliel, & Aminadab; & dixit ad eos; Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est; Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus &c. Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent Arcam Domini Dei Israel. Et tulerunt filii Levi Arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus &c. Et hoc erat eorum ministerium, ut venirent in domum Domini juxta eorum institutum per Aharon eorum patrem, uti præceperat Deus Israel*; & ubi præceperat? *Filiis autem Caath non dedit &c. R. Levi ben Gerson. ad Num.* VII. 9. Datur hoc in loco Cahathitis præceptum portandi Arcam in humeris propter sanctitatem Arcæ & reliquarum rerum sanctarum quas ferebant.

[26] Oblitus &c. *Pesiktha ad Num.* VII. 9. *Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves, quia in sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris.* Dicit R. Nathan; secundum hoc lapsus est Oza propter ignorantiam Davidis. *Et imposuerunt Arcam Dei super plaustrum.* Et scriptum est. *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam &c.* Et postquam cognovit David, quid scriptum est? *Vocavitque David Sadoc & Abiathar Sacerdotes &c. Et dixit ad eos; Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini &c. Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sicut & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. Levi ben Gerson ibid.* Et in hoc erravit David cum ad se adduci curaret Arcam, quod in curru eam devexerit, fuitque hoc causa rupturæ, quam Deus fecit in Uza, unde postmodum eam in humeris per Levitas adduxit; qua de causa dicitur. *Vocavitque David Sadoc & Abiathar Sacerdotes & Levitas, Uriam, Asajam, Joel, Semejam, Eliel, & Aminadab. Et dixit ad eos; Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est; Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus. Abarbanel ibid.* In actione hac concurrerunt quatuor prævaricationes magnæ. 1. Quia ex præscripto Legis gestatio Arcæ Levitis solis injuncta erat, ut illi humero portarent Arcam, ut supra vidimus, ideo grave peccatum fuit commissum in eo, quod nunc Arcam imposuerint plaustro novo. In *Bammidbar Rabba* quoque scribunt, hac in re peccatum fuisse *a Davide* atque eo nomine Architophelem increpuisse Davidem, dicendo ei; Discere debebas a Mose præceptore tuo, Levitas nonnisi humero debere gestare Arcam. Id quod verum est. Nam quamvis Philistæi id quoque fecerint, illi nullam Legis & præceptorum habuerunt notitiam, ut qui alieni erant & extranei: quod vero Israelitæ Philistæorum exemplum hac in

*Iſ*e sunt sequuti, & Legem Domini deseruerunt, Arcam, non uti præceptum erat, adducendo, peccatum fuit gravissimum. 2. Quia ne quidem Levitis permissum fuit Arcam attingere, neque etiam ipsimet corpore suo eam gestarunt, & contigerunt, sed portarunt eam vectibus; Unde prævaricatio fuit, si Levitæ Arcam ipsam contigissent, nedum reliqui Israelitæ. 3. Prævaricatio fuit Uzæ propria, qui non fuit Levita, neque facultatem habuit tangendi Arcam Dei, sicut dicitur Num. XVII. 13. *Quicunque accedit ad tabernaculum Dei, moritur* 4. Ex sententia Rabbinorum nostrorum peccavit ὀλιγοπιστίᾳ existimans Arcam prolapsuram in terram, & sic apud seipsum diminuit sanctitatem Arcæ, quasi per se non posset subsistere sine bajulo, unde Deus B. ei dixit; *Bajulos suos bajulavit Arca, se ipsam quanto magis?* Quia itaque Deo non confidit, neque credidit providentiam ejus Arcæ adesse, ideo morte multatus fuit. Hoc docet, quod legimus 1. Chron. XV. 2. *Tunc dixit David; illicitum est, ut a quocunque portetur Arca Dei, nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandam eam &c.* Et v. 11. *Vocavitque David Sadoc & Abiathar Sacerdotes & Levitas, Uriel &c. Et dixit ad eos; Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est. Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus;* i. e. quia vos Levitæ a principio non adfuistis, vectibus ex præscripto Legis eam portantes, ideo rupturam fecit Deus in nobis; quia non requisivimus & consuluimus, neque more & modo consueto eam adduximus. *Kimchi tamen Davidem tuendum suscepit* 2. *Reg.* VI. 3. Non peccavit in hoc *David*, si plaustro translata fuit Arca, quamvis scriptum sit humeris portandam fuisse. Dictum est enim eo tempore, quo in deserto jussit Deus; propterea quod tabernaculum plaustro portaretur, jussit portari Arcam humeris, ad demonstrandum majorem esse sanctitatem Arcæ præ sanctitate tabernaculi. At eo tempore, quo non erat ibi tabernaculum, putavit non peccaturum, si plaustro portaretur, cum jam ex campo a Philistæis curru translata esset &c. *Idem ad* 1. *Paral.* XV. 2. Non peccavit in hoc, quod plaustro translata fuerit, quamvis scriptum sit, humeris fuisse deportandam; Dictum est enim eo tempore, quo Deus in deserto ita jussit, quod tabernaculum plaustris deportaretur, jussit humeris Arcam deportari ad demonstrandum majorem esse Arcæ sanctitatem, præ tabernaculi sanctitate; At quo tempore ibi non erat tabernaculum, putavit non peccaturum, si curru deportaretur; cum jam curru ex agro Philistæorum fuisset deportata &c. *Disceptatur inter Judæos utrum Sacerdotibus an Levitis cura portandæ Arcæ mandata esset. Gemara in cap.* VII. *Sota.* Tradunt Magistri; quomodo Judæi Jordanem pertransivere? Semper alioqui Arca incedebat post duo signa; illo autem die agmen ducebat. L. S. E. *Jos.* III. *Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem.* Semper alias Levitæ Arcam portabant, sed eo die Sacerdotes eam gestabant. Q. S. E. v. 13 *Et cum posuerint vestigia pedum suorum Sacerdotes, qui portant Arcam Domini Dei universæ terræ, &c.* Vetus est traditio, cujus autor R. Josue fertur. Tribus vicibus portarunt Sacerdotes Arcam, *semel* cum Jordanem pertransirent; 2. illa die, cum Jerichuntem circumirent, & *denique* tum cum illam in locum suum deferrent. *Kimchi ad Jos.* III. 3. Hucusque Levitæ ferebant Arcam, nunc ferunt eam Sacerdotes ad majorem ejus sanctificationem propter miraculum quod hac vice coram ea factum est. Rabbini nostri scribunt (*in Sota cap.* VII.) in tribus locis legi, Sacerdotes gestasse Arcam; 1. in transitu Jordanis *Jos.* III. deinde cum circumiverunt urbem Jericho *Jos.* VI. 3. quando retulerunt eam in locum suum, quod fuit cum David fugeret coram Absalom, sicut dicitur 2. *Reg.* XV. 29. *Reportaverunt ergo Sadoc & Abiathar Arcam Dei in Jerusalem* &c. ubique sc. ad tanto magis eam sanctificandam. Præter hos tres invenimus adhuc quartum locum, exstructo videlicet templo, quando Sacerdotes eam intulerunt ex civitate Davidis in Sanctum Sanctorum 3. *Reg.* VIII. Fortassis quia tum intulerunt in locum suum, in quo perpetuo manserat, ideo hoc præterito, nonnisi tria numerarunt illa loca. In *Sepher hachinuch fol.* 141. *col.* 1. *R. Mose ben Maimon scribit.* Etiamsi hoc præceptum in specie datum sit Levitis, tamen id pro eo duntaxat tempore fuit, sc. in deserto ob paucitatem & raritatem Sacerdotum in diebus illis, sicut patet ex libro *Josuæ*, & ex libro *Samuelis*. *De hoc scribit R. Mose ben Nachman*. Quod *Maimonides* ait, translatum esse hoc præceptum ad Sacerdotes, non est verum. Absit ut dicamus ullum præceptum in Lege mutatum esse, & aliquando Levitas ineptos factos esse ad ferendam Arcam. *Optime!* Etenim Levitæ portabant Arcam tempore Davidis, sicut dicitur 1. Paral. XV. 26. *Cumque audivisset Deus Levitas, qui portabant Arcam fœderis Domini.* Item v. 27. *Et universi Levitæ, qui portabant Arcam.* Verum dicendum, quod secundum legem tam Levitæ quam Sacerdotes omnes apti fuerint ad ferendam Arcam, quia omnes vocantur Levitæ, sicut dicitur *Jos.* III. 3. והכהנים הלויים; & 1. *Paral.* XV. 14. 15. *Sanctificati sunt ergo Sacerdotes & Levitæ ut portarent Arcam Domini Dei Israel &c. sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini humeris suis in vectibus.* Ad quod in libro *Siphri* scribitur. Ubi præcepit hoc Moses? Quando dixit; *Filiis autem Caath &c. Num.* VII. 9. Nam omnes vocantur filii Caath. Præterea scribit *Nachmanides*, quod *Maimonides* ait, *id clare patere ex libro Josuæ, & Samuelis*; id illic non reperitur, sed contrarium. *Et clamare cœperunt; Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam. Jos.* III. 3. Verum res ita habet, ut diximus, totam Tribum Levi legitimam fuisse ad portandam Arcam. Confirmatur id etiam ex *Gemara Sota*. *Quomodo transiverunt Israelitæ Jordanem?* Singulis aliis diebus Levitæ portabant Arcam sed illo die ferebant eam Sacerdotes; q. d. Quo die transiverunt Jordanem ferebant Sacerdotes soli. Sic enim scriptum est. *Et ait ad Sacerdotes ferte Arcam fœderis, & præcedite populum. Jos.* III. 6. ut sc. miraculum (de quo v. 5.) illis fiat per Sacerdotes, qui sunt sanctitas sanctitatum in illa tribu. Et fortassis dum *Maimonides* scripsit, *clare id quod dicit patere ex libro Josuæ*, ad hunc ipsum locum respexit. Sed hæc ejus expositio prorsus non est necessaria, sicut ostendimus. Non est etiam, quod scrupulum tibi moveat id quod 3. Reg. VIII. 6. dicitur. *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum.* Nam quia Levitis fas non erat ingredi in Sanctum Sanctorum, ideo intulerunt eam Sacerdotes soli. Itaque juxta *Nachmanidem* fundamentum hoc tenendum, totam tribum idoneam fuisse ad ferendam Arcam, sicuti scriptum est. *Dixitque Levitis &c. portate Arcam sanctitatis in domum, quam ædificavit Salomon filius Davidis rex Israelis, ne sit vobis onus in humero &c.* Sensus est; ne opus habeatis porro eam humeris deferre ex uno loco in alium; nequaquam autem, quod si forte necessitas requirat Arcam ferre, Levitæ id non potuerint, aut non debuerint facere. Et hoc manifestum, & notum est omnibus.

27 Vectes &c. *Gemara ad cap.* VII. *Joma*. Dixit R. Acha; Siquis removerit pectorale ab Ephodo, aut vectes ab Arca, plagis quadraginta vapulabit. *Abarbenel ad Exod.* XXV. Sacerdotes immittebant humeros suos sub vectes illos, & hoc modo portabant Arcam, ut non opus haberent manibus suis eam contingere. Ac proinde Arca ab ipsis sic gestata fuit super humeros ipsorum, quia vectes fuerunt in annulis, qui erant in pedibus Arcæ, & Sacerdotes illis vectibus humeros suos submittentes, Arcam elevabant sursum. Et quia annuli erant propter vectes, & vectes ideo ne Arcam ipsam tangerent, ideo necesse fuit præcipere ne vectes ex annulis unquam recederent. *R. Salomo ad Gemar. Joma fol.*72. 1. Vectes in capitibus seu extremitatibus crassos fuisse, ut vi caput unum intrudendum fuerit in annulum; in medietate vero fuisse tenuiores, ac proinde non ita arcte intra cavitatem annulorum, quia hinc & illinc moveri potuerint; propter crassitiem autem capitum extremorum non potuisse excidere vel exsilire. R. *Moses bar Nachman*; שמו *ponent* vult dicere ut aptent eos, ut egrediantur ex annulis, quo iis portare possent Arcam. Nam annuli ampli erant, unde

vectes

vectes in illis pro lubitu magis vel minus prominebant, nunquam prorsus ex eis avellebantur. *Chaskuni*. Quatuor vectes fuerunt; duo fixi & immobiles erant, & de his dicitur; *Nec unquam extrahetur ab eis*. De duobus alteris dicitur hic. *Et ponent vectes ejus* (*sic Hebræus*). Vel *aliter*. Non fuerunt illic nisi vectes duo, sed in illis erant incisuræ duæ, vel fossulæ quibus indebant annulos, ne Arca vel adscendendo vel descendendo decideret. *Vel*. *Ponent vectes* super humeros portantium.



פרק שלישי

א. זרע לוי כולו מובדל לעבודת המקדש שנאמר בעת ההיא הבדיל ה' את שבט לוי ומצות עשה להיות הלוים פנויין ומוכנין לעבודת המקדש בין רצו בין שלא רצו שנ' ועבד הלוי הוא את עבודת אהל מועד ובן לוי שקב' עליו כל מצות לויה חוץ מדבר אח' אין מקבלין אותו עד שיקבל את כולן

ב. עבודה שלהן היא שיהיו שומרין את המקדש ויהיו מהן שוערי' לפתוח שערי המקדש ולהגיף דלתותיו ויהיו מהן משוררין לשורר על הקרבן בכל יום שנ' ושרת בשם ה' אלהיו ככל אחיו הלוי' אי זהו שירו' שהוא בשם ה' הוי אומר זו שירה ומתי אומ' שירה על כל עולו' הציבור החובה ועל שלמי עצר' בעת ניסוך היין אבל עולת נדבה שמקרי' הציבור לקיץ למזבח וכן הנסכי' הבאין בפני עצמן אין אומרין עליהן שירה

ג. לוי האונן מותר לעבוד ולשורר ואין פוחתי' משני' עשר לוים עומדי' על הדוכן בכל יום לומר שירה על הקרבן ומוסיפין עד לעולם ואין אומרין שירה אלא בפה בלא כלי שעיקר השירה שהיא עבודתה בפה ואחרי' היו עומדים שם מנגנין בכלי שיר מהן לוים ומהן ישראלי' מיוחסין המשיאין לכהונה שאי' עולה על הדוכן אלא מיוחס ואין אלו המשוררים על פי הכלים עולין השנים עשר

ד. ובמה הם מנגנין בנבלים וחלילים וכינורות וחצוצרות והצלצל ואין פוחתין משני נבלי' ולא מוסיפין על ששה ואין פוחתין משני חלילי' ולא מוסיפי' על שני'

CAPUT TERTIUM.

I. OMnino Levi satu editi ministerio sancto erant omnes [1] addicti ac consecrati, qua de re sic loquuntur literæ sacræ: *Eo tempore separavit tribum Levi*. [*Deut*. 10. 8.] Ac jubendo sancitum est, ut Levitæ, [2] velint, nolint, vacui sint & parati ad Sanctuarii ministerium: ait enim Lex, *Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus*. [*Num*. 18. 23.] Et si quis e Levi posteris volens & lubens se muneribus & officiis Leviticis addiceret omnibus præter unum, non cooptabatur usque dum se se prorsus omnibus addictum vellet.

II. Hæc igitur erant eorum officia atque munera, ut Sanctuarium [3] custodirent, ut partim eorum [4] janitores essent, qui Sanctuarii portas aperirent ac clauderent, partim cantores, qui quotidie canerent ad rem divinam. Est enim in Lege, [5] *Ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ*. [*Deut*. 18. 7.] Ecquod igitur est in nomine Domini ministerium? Cantus videlicet carminis. Canebant igitur ad omnia [6] universæ Ecclesiæ holocausta debita: itemque ad feriarum pacifica sacrificia, in quo tempore fieret vini libatio. Nam voluntate cum Ecclesia donaret * holocausta æstiva quædam, & cum libamenta separatim fierent, carmen non canebant.

III. Levitam, qui [7] lugeret munus efficere fas erat, & ad rem divinam canere. Jam singulis quidem diebus in suggesto non consistebant pauciores, quam [8] duodecim Levitæ, qui carmen ad rem divinam concinerent, sed his sine fine poterant adjungi. Hi quidem carmen non canebant [9] nisi voce: etenim præcipuus est in ministerio sancto vocum cantus; verum astabant ibidem alii [10] qui fidibus canerent. Horum erant alii Levitæ, [11] alii genere clari Israelitæ, qui sacerdotibus collocarent filias. Nam in suggestum ascendebat nemo, nisi claro genere natus. Jam qui fidibus canebant, his non poterat duodecim illorum voce canentium absolvi numerus.

IV. Quibus igitur fidibus utebantur? Nabliis, tibiis, cytharis, tubis, & cymbalis. [12] Nablia nec pauciora duobus adhibebantur, nec plura sex: neque pauciores duabus, neque plures duodecim tibiæ: tu-

עשר

II. *Holocausta æstiva*. De his explicabitur cap. 7. art. 13.

עשר ואין פוחתין משני חצוצרו׳ ולא מוסיפי׳ על עשרי׳ ומאה ואי׳ פוחתי׳ מתשע׳ כינורו׳ ומוסיפי׳ עד לעולם והצלצ׳ אח׳ בלבד

ה. בימי המועדי׳ כולם ובראשי חדשי׳ היו הכהני׳ תוקעים בחצוצרות בשעת הקרבן והלוי׳ אומרי׳ שירה שנ׳ וביום שמחתכם ובמועדיכם ובראשי הדשיכ׳ ותקעת׳ בחצוצרות החצוצר׳ היתה נעשית מן העשת של כסף עשה אות׳ מן הגרוטאו׳ של כסף כשר׳ משא׳ מיני מתכו׳ פסולה והחלילי׳ שהיו מנגנין בהן היה אבוב שלהן של קנה מפני שקולו ערב ולא היה מחלק אלא באבוב יחידי מפני שהו׳ מחלק יפה

ו. בשני׳ עשר יום בשנ׳ החליל מכה לפני המזבח בשחיט׳ פסח ראשון ובשחיטת פסח שני וביו״ט הראשון של פסח וביו״ט הראשון של עצרת ובשמונ׳ ימי החג וחליל זה דוחה שבת מפני שהוא חליל של קרבן וחליל של קרבן עכו׳ הוא ודוחה את השב׳

ז. אין בן לוי נכנס לעזר׳ לעבודתו עד שילמדוהו חמש שני׳ תחלה שנ׳ זאת אשר ללוי׳ מבן חמש ועשרי׳ שנה וכתוב אחר אומ׳ מבן ל׳ שנה הא כיצד חמש לתלמוד ואינו נכנ׳ לעבור עד שיגדי׳ ויהיה איש שנ׳ איש איש על עבודתו

ח. זה שנ׳ בתור׳ בלוי׳ ומבן חמשי׳ שנה ישוב מצבא העבודה אינו אלא בזמן שהיו נושאי׳ המקדש ממקום למקום ואינה מצוה נוהגת לדורות אבל לדורות אין הלוי נפסל

bæ non pauciores duabus, nec plures quam centum & viginti: cytharæ non pauciores, quam novem; ſed augebantur ad infinitum: cymbalum adhibebatur duntaxat unum.

V. Cunctis diebus [13] ſolemnibus & calendis ad rem divinam ſacerdotes tubis clangebant, & canebant Levitæ carmen, quod a Lege dicitur: *Si quando habebitis epulum & dies feſtos, & calendas canetis tubis*. (*Num.* 10. 10.) Tuba fiebat [14] ex argenti maſſa; verum ſi quis eam ex argenti ſcrutis effeciſſet, tamen eſſet idonea: ex alio metalli genere, vitioſa. Atque illæ, quibus canebant, [15] tibiæ, fiſtulæ erant e calamo, quippe cujus ſonus dulcis eſt. Jam modos unica duntaxat tibia diſtinguebat; eſt enim ea diſtinguendi ratio quam præclariſſima.

VI. Omnino [16] duodenis in anno diebus ad aram tibiis canebant: ad immolationem Paſchatis primi, ad immolationem Paſchatis ſecundi, ad primam feriam ſolemnitatis Paſchalis, ad primam feriam * ſolemnitatis hebdomadarum, & per octo dies ſolemnes ſcenopegiorum. Atque hæc quidem adhibebatur tibia [17] contra legem de ſabbato: pertinebat enim ad ſacrificium; quicquid autem ad ſacrificium pertinebat, pro ſacrificio ipſo putabatur: ſacrificium autem de ſabbato * legem elevat.

VII. Nemo Levita munus ſuum effecturus admittebatur in atrium, [19] quin prius eſſet quinquennio miniſterium edoctus: habemus enim in Lege: *Hæc eſt lex Levitarum a viginti quinque annis*, &c. (*Num.* 8. 24.) Atqui alio loco a Lege dicitur: *A trigeſimo anno*, &c. (*Ibid.* 4. *v.* 3.) Quo igitur pacto Lex ſibi concilietur? Nempe quinquennium iſtud in addiſcenda miniſterii ratione ponebatur. Etenim miniſterium inire non poterat, quin jam vir grandis eſſet quippe cum ſcriptum ſit: *Virum, virum ſecundum officium ſuum*, &c. (*Ibid. v.* 49.)

VIII. Quod autem de Levitis in Lege dicitur: *Cumque* [19] *quinquageſimum annum ætatis impleverint, ſervire ceſſabunt*, (*Num.* 8. 25.) præceptum in id tempus erat, quo Sanctuarium, ſeu tabernaculum deportaretur ex uno loco in alium; non item in ea

בשנים

VI. *Solemnitatis hebdomadarum*. Prorſus omnes ſolemnitates, quæ literis ſacris decernuntur in unum duntaxat diem, hoc captivitatis tempore biduo celebrantur a Judæis: immo vero & earum magna pars etiam ſtante templo biduo agebantur. Quod quamobrem ſit quondam ita factum, fiatque etiam hodie, copioſe diſputatur tract de Conſecratione Calendarum. cap. 5. quem nos tractatum Latinum factum annos abhinc octo in lucem protulimus. Porro ſolemnitas hebdomadarum ſeu Pentecoſte in Paraphraſi Chaldaica Num. 28. 26. עצרתא appellatur, atque ita fere in Talmude Rabbinorumque ſcriptis. Namque in textu ſacro ultima feria Paſchatis, atque ſolemnitatis Tabernaculorum proprie appellatur eo nomine, quippe quod deductum ab עצר *claudere*, eſt quaſi clauſula dictarum modo ſolemnitatum. Quanquam ſunt qui putent & Pentecoſten idcirco עצרתא uſurpari, quia dies ille quinquageſimus ſit veluti clauſula præſcriptarum ſeptem illarum hebdomadarum a poſtero die Paſchatis ad Pentecoſten intercedentium. Ego vero ſic exiſtimo verbum iſtud quod in literis ſacris, ut ante dictum, proprie eſt ſolemnitatum Paſchatis & Tabernaculorum clauſula, at generatim quælibet feria, apud Paraphraſten Chaldaicum, Talmudiſtas, ceteroſque Scriptores Hebræos ab hac communi feriarum ſignificatione receſſiſſe, in eaque permanſiſſe, quæ alias חג השבועות feſtum Hebdomadarum nuncupatur: quod idem factum in voce: חג ſuper tract. notavimus, atque etiam ex hoc ipſo textus loco cognoſcere licet.

Legem elevat. Hoc illud eſt, quod Matth. 12. 3. Phariſæis reſpondet Chriſtus: *Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt*.

בשנים ולא במומין אלא בקול שיתקלקל קולו מרוב הזקנה יפסל לעבודתו במקדש ויראה לי שאינו נפסל אלא לומר שירה אבל יהיה מן השוערים

ט. שמואל הרואה ודוד המלך חלקו הלוים לאר בעה ועשרים משמרות ועובד משמר בכל שבת וכל אנשי משמר מחלק אותם ראש המשמר לבתי אבות וכל יום מימי השבת עובדי׳ בו אנשים ידועים וראשי האבות מחלקין אלו העובדים ביום שלהן איש איש על עבודתו וכל הלוים מוזהרין על עבודת המזבח שנ׳ אל כלי הקודש ואל המזבח לא יקרבו ולא ימותו לא יקרבו לעבוד׳ אבל ליגע מותרין

י. וכשה שהלוים מוזהרין שלא לעבוד עבודת הכהני׳ כך הכהני׳ מוזהרין שלא לעבור עבודת הלוים שנאמ׳ גם הם גם אתם וכן הלוים עצמם מוזהרין שלא יעשה אחד מלאכת חבירו שלא יסייע המשורר לשוער ולא השוער למשורר שנ׳ איש איש על עבודתו ועל משאו

יא. לוים שעבדו עבודת הכהני׳ או שסייע לוי במלאכה שאינה מלאכתו חייבין מיתה בידי שמים שנאמר ולא ימותו אבל כהן שעבד עבודת לוי אינו במיתה אלא בלא תעשה:

quæ post insecuta sunt tempora. Nam postea Levitam neque anni, neque corporis vitium ministerio faciebant inhabilem: vox erat una, quæ cum in Levita confecta senio foret, hominem suis Sanctuarii muneribus faceret inhabilem. Ac mihi quidem sic videtur, omnino carmini canendo deinceps hunc haud idoneum esse, verum idoneum fuisse, qui poneretur etiam in numero janitorum.

IX. Samuel vates, itemque rex David omnes omnino Levitas distribuit in curias viginti quatuor. Earum unaquæque plenam hebdomadam ministrabat: tum vero princeps cujusque curiæ cunctos curiales suos distinguebat in familias. Jam singulis hebdomadæ diebus ministrabant certi quidam, atque hisce diariis ministris suum cuique munus assignabant familiarum principes. Omnibus autem Levitis [21] erat interdictum, ne altaris obirent munera; hoc enim sibi vult Legis illud: *Ita duntaxat, ut ad vasa Sanctuarii & altare non accedant, ne & illi moriantur*, [*Num.* 18. 3.] videlicet altaris effecturi munera: nam idem hos attingere fas erat.

X. [22] Atque ut Levitis interdictum erat, ne sacerdotum munia capesserent, sic etiam sacerdotibus interdictum fuit, ne fungerentur Levitarum muneribus. Nimirum hoc illud est, quod a Lege dicitur: *Ne & illi moriantur, & vos pereatis simul*. [*Ib.*18.3.] Quin etiam sancitum erat ne Levitæ ipsi [23] alter alterius efficeret opus, non navaret operam janitori cantor, nec cantori janitor; ait enim Lex: *Unumquemque juxta officium & onera sua*. [*Num.* 4. 49.]

XI. Ac si munia sacerdotum essent executi Levitæ, vel si quis horum Levitam in alio opere atque suo adjuvisset, morte multaretur divinitus: hoc enim significat Legis illud: *Ne & illi moriantur*. [*Num.* 18. 3.] Sacerdos autem, qui Levitæ munere fungeretur, omnino morte non multaretur; verum * contra legem vetantem fecisset.

XI. *Contra legem vetantem fecisset*. Quisquis autem legem vetantem violarat, ejus erat pœna ut verberum ictibus undequadraginta multaretur.

NOTÆ IN CAPUT TERTIUM.

1 Addicti &c. *Abarbenel ad Num.* III. 6. Deus S. B. præcepit Mosi, ut propterea quod Aharon & duo filii ejus duntaxat erant Sacerdotes Domino, nec poterant servire & portare omnia vasa tabernaculi, adduceret tribum Levi, & stare faceret eos coram Domino, ut universi approprarentur servitio tabernaculi juxta mandatum Aharonis. *Et ecce facies eos stare tanquam ministros coram Domino, exsequentes mandatum ejus*. Nam stare idem valet quod ministrare; quemadmodum ait Deut. XVII. 12. *Qui eo tempore ministrat Domino*. Et ministratio vocatur statio, quia Dominus sedet, & minister ejus juxta eum stat, ut ei ministret. Sic nimirum ait Isai. VI. 2. *Seraphim stabant super illud*.

2 Velint nolint &c. *Siphri ad Num.* XVIII. 23. *Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus*. Ego crederem, quod si vellent, ministrarent, si nollent, non ministrarent; ideo dictum est; *Filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus*; vel inviti ministrabunt. *Pesiktha ibid. Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus*; crederem, sponte; ideo dictum est; *filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus*; vel inviti ministrabunt.

3 Custodirent &c. *Siphri ad Num.* XVIII. 2. *Tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii*. Sacerdotes intus, & foris Levitæ. Aut dicam; utrique intus; ideo dictum est; *præstoque sint, & ministrent tibi*. Cur autem dictum est; *Tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii?* Sacerdotes intus & foris Levitæ. *Pesiktha ibid. Tu autem*

tem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii; Sacerdotes intus, & foris Levitæ.

4 Janitores &c. *Kimchi ad* 1. *Paral.* XXV. 1. *Igitur David & magistratus exercitus segregaverunt &c.* Explicatur, quod segregati sint filii Asaph, & Heman, & Idithum, ut essent ex principibus, & alii essent janitores, & alii Thesaurarii super thesauris domus Dei, uti dictum est.

5 *Ministrabit* &c. *Siphri ibid. Ita duntaxat ut ad vasa Sanctuarii*. Hæc est arca. Et pariter dictum est. *Alii nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquam involvantur*. R. Nathan inquit; hinc ex lege significatur cantus. At deinde explicatum fuit ab Esdra. R. Chananja filius fratris R. Jehosuæ dicit; Id non est necesse; quia jam dictum est *Exod.* XIX. 19. *Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei*. Hinc ex lege significatur cantus. *Kimchi ad* 1. *Sam.* II. 18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini*. Quodnam erat hoc ministerium? Incumbebat ad doctrinam legis, & ad Dei notitiam, & ad discendum ministerium Levitarum, sc. cantum oretenus, & instrumentis.

6 Universæ Ecclesiæ &c. *Maimonides de Sacrificiis Jugibus &c.* VI. 8. Omnino carmen nunquan canebatur, nisi super Ecclesiæ universæ holocausta, & victimas ejus pacificas lege præscriptas; verum enimvero super holocausta voluntaria, quæ sacrificabantur ex eo, quod in conclavi oblationis supererat, cum essent Ecclesiæ, carmen tamen nullum canebatur. Et super ea, quæ separatim per se sacrificabantur libamina, itidem carmen nullum canebatur. *Raschi* ad 2. *Paral.* XXIX. 30. *Levitis ut laudarent Dominum*; instrumentis musicis. Non scriptum est in lege, quod sacrificium obligetur ad cantum; sed Dei præceptum est, quod mandavit per Prophetas suos, ut super sacrificia caneretur; Et Rabbini nostri docent in *Erachin*; Unde probatur, quod Levitæ obligentur ad cantum? Ex eo quod scriptum est; עבורה עבורה. Quodnam est עבורה quod alio עבורה opus habeat? dicitur, quod sit cantus &c.

7 Qui lugeret &c. *Siphra ad Levit.* X. 19. R. Jacob dicit; Crederem; quod etiam Levitis vetitus esset cantus luctus causa; ideo dicit *mihi*, mihi vetitum est causa luctus, non autem luctus causa Levitis interdictus est cantus. *Pesiktha in* l. c. Sacerdoti vetitum est in luctu; non autem Levitis in luctu interdictus est cantus.

8 Duodecim &c. *Codex Erachin* II. 6. Non diminuunt de duodecim Levitis in suggestu stantibus. Parvulus non intrat ad ministerium, nisi dum Levitæ cantent. *Tosaphta Erachin* II. 1. Non stabant in suggestu pauciores quam duodecim Levitæ, sed semper addi poterant &c. sicuti scriptum est 1. Paralip. XXV. 9. *Ipsi, & filiis ejus, & fratribus ejus duodecim*; quando dicit principem, docemur, quod ipse quoque in numero comprehenderetur.

9 Nisi voce &c. *Codex Erachin* ibid. Non recitabant cum nablio, neque cum cythara sed ore tenus, ut melodiæ dulcedinem adderent. *Tosaphta Erachin ibid.* Parvulus non intrat in ministerium, nisi dum Levitæ cantent, neque cum nablio, neque cythara, sed ore tenus canebant.

10 Qui fidibus &c. *Codex Erachin ibid.* R. Eliezer Jacobi filius dicit, non intrant computum, neque in suggestu consistunt, sed in terra consistunt, capitibus Levitarum pedibus impositis, & vocantur Levitarum vexatores. *Tosaphta Erachin ibid.* R. Eliezer filius Jacobi dicit, vexatores Levitarum, filii ex nobilibus Hierosolymæ, stabant in atrio mulierum, capitibus Levitarum pedibus impositis, ut melodiæ dulcedinem adderent, sicuti dictum est; *Esdræ III.* 9. *Stetitque Josue & filii ejus, Cedmiel & filii ejus, & filii Juda* &c.

11 Alii genere &c. *Codex Erachin ibid.* Et servi Sacerdotum erant; ita R. Meyr; R. Jose dicit, ancillæ familiæ Pegarim, & Zyppariæ, atque Ammum matrimonia inierunt cum Sacerdotibus. R. Chanania filius Antigoni dicit; Levitæ. *Tosaphta Erachin* I. 11. Hi *instrumentis musicis* canebant coram altari, servi Sacerdotum, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit; erant servi Levitarum. R. Jose dicit; familia Betapegarim, & Zippariæ, & Mahamon inibat matrimonia cum Sacerdotio. R. Chanainia filius Antigoni dicit; mihi constat fuisse Levitas.

12 Nablia nec pauciora &c. *Codex Erachin ibid.* Duobus nabliis nihil diminuendum, nec sex addendum; duabus tibiis nihil diminuendum, nec duodecim quicquam addendum. *Et paulo post*. Non diminuendum est de tubis, at semper iis addendum. Non diminuendum de novem cytharis, at semper addendum; tintinnabulum vero erat unicum. *Tosaphta Erachin cap.* II. 1 Non erant cytharæ pauciores novem, sed semper augeri poterant, non eranr pauciores in suggestu, quam duodecim Levitæ, sed poterant addi contra novem cytharas, duo nablia, & tubam &c.

13 *Solemnibus, & calendis &c. Siphri ad n.* X. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas*; hæc sunt Sabbatha. R. Nathant dicit hæc sunt Sacrificia jugia, ומועדיכם, hæ sunt tres solennitates, ובראשי חדשיכם juxta sensum literalem; *canetis tubis*; de cœtu textus loquitur; tu dicis, quod de cœtu textus agat; aut ego dicam, quod textus agat tam de cœtu, quam de privato; dixisti? De quanam re agit textus? de re ad cœtum pertinente. R. Simeon filius Azai dicit; de cœtu textus agit, aut ego dicam, quod tam de cœtu, quam de privato agat; ideo dictum est על עלותיכם ועל זבחי שלמיכם; sicuti holocausta sunt sanctitas sanctitatum, etiam pacifica quæ sint sanctitas sanctitatum: aut dicam; sicuti holocausta possunt esse tam cœtus quam privati, ita etiam pacifica tam cœtus, quam privati; ideo dictum est על עלותיכם ועל זבחי שלמיכם; quemadmodum holocausta cœtus, ita etiam pacifica cœtus; *ut sint vobis in recordationem Dei vestri*, cur dictum est? Quia dicit, *canetis tubis*; ego putabam sacrificium esse legitimum, super quo tubis cecinissent, sin minus illegitimum; ideo dictum est; *ut sint vobis in recordationem*; in recordationem præceptæ fuerunt, non autem ut facerent legitimum sacrificium. *Pesiktha ibid. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas*; hæc sunt Sabbatha; ומועדיכם hæ sunt solennitates, & *calendas* juxta sensum literalem; R. Nathan dicit, hæc sunt sacrificia jugia; *canetis tubis super holocaustis vestris, & sacrificiis pacificis vestris* (sic Hebræus) *ut sint vobis in recordationem coram Deo vestro*; in recordationem datæ sunt, non autem datæ sunt ad faciendum sacrificium legitimum; super quo si non cecinissent, non fit illegitimum.

14 Ex argenti massa &c. *Tosaphta Menachoth* IX. 20. 21. Tuba non erat legitima nisi ex argento, si ex scrutis effecisset, legitima erat, si ex ceteris metallorum generibus, erat illegitima; deprehenditur quod erat in Candelabro illegitimum, in tuba fuisse legitimum, & quod erat in tuba legitimum, fuisse in Candelabro illegitimum. Si ex stamno, plumbo, lamina ferrea, & metallo fecisset, R. reprobat; & R. Jose filius R. Jehudæ probat; ex ligno, osse, vitro omnes conveniunt fuisse illegitimam.

15 Tibiæ &c. *Codex Erachin* l. c. Sed non ænea fistula, verum e calamis confecta sonabat, quia sonus illius est suavior. Et hac unica fistula finem imponebant, quia ita præstabat. *Tosaphta Erachin* I. 11. Non canebat duobus tibiis sed una tantum; non distinguebat, seu destinebat nisi tibia e calamis confecta, quia ita præstabat. *Et cap.* II. 3. Tibia quæ erat in Sanctuario e calamis confecta jam inde a Mosis temporibus obducta aliquando fuit auro, & ejus sonus non erat tam suavis ut prius, ablato iterum tegmine, sonum pristinum recuperavit. *Gemara Erachin fol.* 10. 2. Tradunt Magistri tibiam fuisse in Sanctuario lævem, tenuem, atque ex arundine confectam, jam inde a Mosis tempore conservatam. Præceperat Rex ut auro obduceretur, sed tum sonus ejus tam suavis *ut antea* non extitit, ablato iterum tegmine *aureo*, sonum *pristinum* suavem recuperabat.

16 Duodenis &c. *Codex Erachin* l. c. Duodecim annis temporibus tibia sonabat coram altari, quum Pascha primum mactabatur, & secundum, die primo festi Paschatis, & secundo Pentecostes, & octo diebus festi Tabernaculorum. *Gemara Hieros. Succa. fol.* 55. 1. Duodenis diebus in anno tibia canebatur coram altari, nimirum die, quo mactabatur Pascha primum, die quo mactabatur Pascha secundum, die item primo hebdomadis Paschalis, die Pentecostes, octo denique diebus festi Tabernaculorum. *Raschi in glossa ad Erach.* l. c. Tempore oblationis Musica ista obtinebat, in illis enim duodecim diebus Levitæ alta voce canebant τὸ Hallel, concinentibus tibiis. Reliquis vero anni diebus instrumenta Musices ordinariæ erant Nablia, Cymbala cytharæque; cantica vero singu-

ſingulis hebdomadæ diebus uſitata ea erant, quæ deſcribuntur *Gem. Roſch haſchana* fol. 31.

[17] Contra legem &c. *Toſaphta Erachin* I. 10. Tibia non pellebat Sabbathum; R. Joſe filius R. Jehudæ dicit; pellebat.

[18] Quinquennio &c. *Toſaphta Sekalim* III. 27. Levita non admittebatur in atrium munere ſuo functurus, niſi eſſet quinquennio miniſterium edoctus, ſicuti dictum eſt; *Num.* VIII. 24. *Hæc eſt lex Levitarum a vigintiquinque annis* &c. Et alibi ibid. IV. 3. *a trigeſimo anno* &c. Si dictum eſt a viginti quinque annis, cur dictum eſt a trigeſimo? Si dictum eſt a trigeſimo anno, cur dictum eſt a viginti quinque annis? niſi quod a vigeſimo quinto anno uſque ad trigeſimum addiſcendo miniſterio ſuo operam dabat; hinc in poſterum miniſterio appropinquabant; hinc dixerunt, qui non videt bonum ſignum ſui ſtudii quinquennio, non amplius videt. R. Joſe dicit triennio, ſicuti dictum eſt Dan. I. 5. *Ut erudirentur* (ſic Hebræus) *tribus annis*.

[19] *Quinquageſimum* &c. *Siphri ad Num.* VIII. 24. *Hæc eſt lex Levitarum*; annis fiebant illegitimi, at labe non fiebant illegitimi; quia erat argumentandi locus. Si quando non oberant anni, labes oberant, hoc loco ubi anni reprobabant, non erit æquum, ut labes reprobent? *Hæc eſt lex Levitarum*; *Levitas* anni reprobabant, at labes Levitas non reprobabant. *Cumque quinquageſimum annum* &c. Alter textus dicit; *a viginti quinque annis* &c. Et alter dicit *a trigeſimo anno* &c. Et hoc loco dicit, *cumque quinquageſimum annum impleverint & ultra*; quomodo conciliantur textus? anno vigeſimo quinto docebantur, & anno trigeſimo ad miniſterium admittebantur; ego putabam hic comprehendi quodlibet miniſterium; ideo dictum eſt; *ſervire ceſſabunt*; *eruntque miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis*; docemur quod intrabat ad claudendos portas, & ad miniſterium filiorum Ghereſom. R. Jehuda dicit, cum dixerit lex, *a viginti quinque annis*; pariterque dixerit, *ſervire ceſſabunt*; ego putabam, quod qui miniſtrat anno trigeſimo, non miniſtret in anno vigeſimo quinto, ita ut Sacerdos anno vigeſimo quinto non miniſtraret; ideo dictum eſt; *ſervire ceſſabunt*, *eruntque miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis*; anni excludebant Levitas, at anni non excludebant Sacerdotes; & erat argumentandi locus in contrarium; ſi ubi labes non reprobant, anni reprobant, ubi labes excludunt, non erit æquum ut anni excludant? ideo dictum eſt; *eruntque miniſtri fratrum ſuorum*; anni reprobabant Levitas, at anni non excludebant Sacerdotes; etenim priuſquam Levitæ in terram ingrederentur, Levitæ erant idonei a trigeſimo uſque ad quinquageſimum annum, & Sacerdotes, poſtquam eis creviſſent duo pili, ſemper. Verum poſtquam in terram ingreſſi ſunt, Levitæ voce tantum excludebantur. *Peſikchta in l. c. Num. Hæc eſt Lex Levitarum*. Anni reprobabant Levitas, labes vero Levitas non reprobabant. R. Nathan dixit; Alter textus dicit, *a viginti quinque annis* &c. alter dicit; a *trigeſimo anno*. Quomodo conciliantur hi duo textus? anno vigeſimo quinto diſciplinæ operam dabat; anno trigeſimo miniſterio; hinc dixerunt, quivis diſcipulus, qui non videt quinquennio ſignum benedictionis, non amplius videt. *Cumque quinquageſimum annum ætatis impleverint*, *ſervire ceſſabunt*; *neque amplius miniſtrabit propter virium infirmitatem*; *eruntque miniſtri fratrum ſuorum*; docemur quod iterum intrabant ad claudendas portas; traditio. Priuſquam ingreſſi ſunt in terram, Levitæ erant idonei a trigeſimo ad quinquageſimum annum, & Sacerdotes ab ætate qua produxerint duos pilos, & ſemper; verum poſtquam in terram ingreſſi ſunt, non fiebant illegitimi Levitæ niſi propter vocem tantum cantus cauſa. *Gemara Cholin fol.* 24. 1. Quod licitum eſt in Sacerdotibus, illicitum eſt in Levitis. Tradunt Doctores. Sacerdotes ob labem non ſunt idonei, ob annos ſunt idonei. Levitæ ob labem ſunt idonei, ob annos non idonei. Ex illo quod dicitur, *cumque quinquageſimum annum ætatis impleverint*, *ſervire ceſſabunt*; diſcimus quod anni Levitas illegitimos faciant. Forſan & Sacerdotes redduntur non idonei per annos? Et nonne hoc æquum eſt? Nam ſi Levitæ, quos labes non reddit illegitimos, redduntur annis illegitimi, nonne multo magis Sacerdotes ſiunt annis illegitimi, qui propter labem reprobantur? At dicit textus. *Hæc eſt lex Levitarum*, non hæc eſt lex Sacerdotum. Tradunt Doctores; Sacerdos a quo primum pubeſcit, uſque dum conſenuerit, eſt idoneus; at annis non fit illegitimus. Levita ab anno ſuo trigeſimo ad quinquageſimum eſt idoneus; at anni eum faciunt illegitimum. Quomodo hoc de Levitis intelligendum? Nempe pro tempore, quo Arca erat in eremo; At in Schilunte, & Templo non fiebant illegitimi niſi ob aliquem defectum vocis.

[20] In curias &c. *Toſaphta Taanith* III. 2. Octo cuſtodias Sacerdotum conſtituit Moſes, & octo Levitarum; quando venit David: Et Samuel Propheta 24. ſtatuerunt claſſes Sacerdotum, totidemque Levitarum; ſicuti dictum eſt, 1. *Paral.* IX. 22. *quos conſtituerunt David & Samuel videns in fide ſua. Hæ ſunt cuſtodiæ Sacerdotum, & Levitarum*.

[21] Erat interdictum &c. *Siphri ad num. XVIII.* 3. *Ita duntaxat ut ad vaſa Sanctuarii, & ad altare non accedant*; hæc eſt præmonitio; *ne & illi moriantur*; hæc eſt pœna; *Peſiktha in* l. c. *Ita duntaxat ut ad vaſa Sanctuarii, & ad altare non accedant*; hæc eſt præmonitio; *ne & illi moriantur*; hæc eſt pœna.

[22] Atque ut Levitis &c. *Siphri ibid.* Non probo niſi pro Levitis, qui præmonentur, & puniuntur pro miniſterio Sacerdotum; Sacerdotes pro miniſterio Levitarum unde probantur? Ex eo quod dictum eſt, גם הם גם אתם. *Peſiktha ibidem.* גם הם גם אתם; ad docendum, quod Levitæ puniantur propter miniſterium Sacerdotum, & Sacerdotes propter miniſteſterium Levitarum.

[23] Alter alterius &c. *Siphri Ibid.* Ex uno miniſterio ad alterum unde probatur? Ex eo quod dictum eſt גם. אתם & jam R. Jehoſua filius Chananja volebat operam præſtare R. Jochanan filio Gudgodæ; & dixit; recede; jam enim morte dignus es; quia ego ſum de janitoribus, & tu de cantoribus. Rabbi dicit; id non eſt neceſſe; quia jam dictum eſt *Num.* IV. 18. *Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum*, *ſed hoc facite eis*, *ut vivant*. Non probo niſi pro filiis Caath, pro filiis Ghereſon, & pro filiis Merari unde probatur? Ex eo quod dictum eſt; צו את אהרן ואת. בניו Levitæ puniuntur & præmonetur ob miniſterium Sacerdotum, Sacerdotes ob Levitarum miniſterium unde probantur? Ex eo quod dictum eſt; num. 1. 51. *Cumque proficiſcendum fuerit*, *deponent Levitæ Tabernaculum*. Ex uno ad alterum miniſterium unde probatur? Ex eo quod dictum eſt Num. III. 38. *Caſtrametabuntur ante tabernaculum fœderis*, *id eſt ad orientalem plagam*; quid dicendum erat גם הם גם אתם? quia venit Kore, & munus ambivit contra Aaron; ex eo omnes præmonentur; *Peſiktha ibidem* גם הם ad comprehendendum eum, qui mutaverit de uno in alterum miniſterium. Et jam R. Jehoſua filius Chananja volebat operam præſtare Jochanan filio Gudgodæ; ei dixit; recede; ne moriaris; etenim ego ſum de janitoribus, tu vero de cantoribus.

פרק רביעי

א. הכהנים הובדלו מכלל הלוים לעבודת הקרבנות שנאמ׳ ויבדל אהרן להקדישו קדש קדשים ומצות עשה היא להבדיל הכהני׳ ולקדשם ולהכינ׳ לקרבן שנ׳ וקדשתו כי את לחם אלהיך הו׳ מקריב

ב. וצריך כל ארם מישראל לנהוג בהן כבוד הרב ולהקדי׳ אותם לכל דבר שבקדוש לפתוח בתור׳ ראשון ולברך ראשון וליטול מנה יפה ראשון

ג. משה רבינו חלק הכהנים לשמנה משמרות ארבעה מאלעזר וארבעה מאיתמ׳ וכן היו עד שמואל נביא ובימי שמואל חלקם הוא ודוד המלך לד׳ ועשרים משמר ועל כל משמר ומשמר ראש אחד ממונ׳ ועולין לירושלם לעבוד׳ משמ׳ לכל שבת ומיו׳ השב׳ ליום השבת הן מתחלפין משמר יוצא והאחר שהוא אחריו נכנס עד שיגמרו וחוזרין חלילה

ד. ומצות עשה להיות כל המשמרות שוים ברגלים וכל שיבא מן הכהנים ברגל ורצה לעבוד עובד וחולק עמהם ואין אומרים לו לך עד שיגיע משמרך שנאמר וכי יבא הלוי מאחד שעריך

ה. בד״א בקרבנות הרגלים ובחלוק לחם הפני׳ ובחלוק שתי הלחם של עצרת אבל נדרי׳ ונדבות ותמידין אין אותן אלא משמר שזמנו קבוע ואפי׳ ברגל שנ׳ חלק כחלק יאכלו לבד ממכריו על האבו׳ כלומ׳ חלק

CAPUT QUARTUM.

I. Levitis e cunctis sacerdotes sunt ad sacrificia facienda delecti: scriptum est enim: *Separatusque est Aaron, ut ministraret in Sancto Sanctorum*, &c. (1. *Par.* 23.13.) Etenim jubendo sancitum est, uti sacerdotes [1] secernantur, ac dedicando reddantur idonei, qui faciant sacrificia: est enim in Lege: *Et sacrabis eum, quia panem Dei tui offert*. (*Lev.* 11.8.)

II. His igitur oportet omnes Israelitæ plurimum habeant honoris, & cunctis in rebus sanctis primas deferant. * Hi primi lectionem Legis incipient, primi gratiarum actionem habebunt, porro primi portionem rerum optimam auferent.

III. Moyses noster ille magister sacerdotes in [2] octo distribuit curias: earum erant quatuor de stirpe Eleazaris, & de stirpe Ithamaris item quatuor. Quæ quidem partitio mansit ad Samuelem prophetam: is enim suo tempore simul cum rege Davide distribuit eos in curias viginti quatuor, quarum suus cuique præerat Antistes. Ex his igitur [3] Hierosolymam operatum ascendebat singulis [4] hebdomadis una curia: vices mutabantur [5] singulis sabbatis: abibat una curia, & succedebat ei proxime sequens usque dum ministrassent omnes, atque ad eundem ordinem perpetuo redibant.

IV. Ac jubendo sancitum est, ut ad dies solemnes sint [6] æqua conditione curiæ omnes; ut quicunque peregre venerit sacerdos ad solemnitatem altari ministratum, cum ea, quæ ex ordine operatur, curia ministret pariter, pariterque sacra participet, nec quis ei dixerit: Abi dum curiæ tuæ statum ministrandi tempus appetierit, ait enim Lex: *Si exierit Levites ex una urbium tuarum* &c. [*Deut.* 18.6.]

V. Verum enim notandum est hæc edicta duntaxat esse de sacrificiis dierum solemnium, de partitione panum propositionis, & duorum illorum * panum Pentecoste offerendorum. Nam [7] votiva sacrificia, voluntaria, & jugia nec solemnibus quidem diebus quisquam fecerit præter curiam ex ordine ministrantem, quod in Lege dicatur: *Partem ciborum eandem accipiet, quam*

בחלק

II. *Hi primi lectionem legis incipient*. Veterum esse Judæorum consuetudinem, ut in singulis Synagogis singulis sabbatis populo publice de volumine prælegatur aliquid e Lege atque e Prophetis, vel ex eo cognoscere licet, quod Actib. Apost. 13. v. 14. & 15. scriptum videmus: *Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi Synagogam die sabbatorum sederunt. Post lectionem autem Legis & Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite*. Hanc consuetudinem ab usque Moysi temporibus ductam Judæi volunt, sicut videre est apud Majemonidem tract. de Precibus cap. 12. art. 1. & 2. Ac sabbato mane quidem destinatam Legis sectionem populo prælegunt viri ad minimum septem; solemnitate Expiationum viri sex: ceteris autem diebus festis viri quinque, quorum sua cuique portio distribuitur ita, ut primam prælegat sacerdos, alteram Levita, tertiam Israelita; atque Israelitarum deinceps hic servetur ordo, ut quo corum quisque virtute præstantior habetur, eo prior sit ad prælegendum: sed hac de re tota pluribus agitur eo Tract. quem paulo ante laudavimus cap. 12. Docet igitur Scriptor noster sacerdotibus ut in prælectione Legis, sic & in cunctis sacris, primas esse defrendas.

V. *Panum Pentecostes*. Vide quæ superiori capite ad art. 6. diximus de hujus solemnitatis nomine Rabbinico, quod idem hic loci usurpatum.

כחלק יאכלו בקרבנות הציבור ואינן חלק כחלק בשאר הדברי׳ שכבר חלקו אותם האבי׳ וקבעום כל משמ׳ ומשמר בשבתו

ו. וכן עבודת לחם הפני׳ במשמר שזמנו קבוע אבל עבוד׳ שתי הלחם בכל המשמרו׳ ומנין שאינו מדבר אלא ברגלים שנאמ׳ מאחד שעריך מכל ישראל בשע׳ שכל ישראל באין בשער אחד ומנין שאינו מדבר אלא בכהנים שנ׳ חלק כחלק יאכלו ואין שם מתנות במקדש להאכל אלא לכהנים בלבד

ז. וכן כהן שהיה לו קרבן הרי זה בא למקדש ומקריבו בכל יום שירצה שנ׳ ובא בכל אות נפשו ושרת ואפי׳ חטאתו ואשמו הוא מקריב ומכפר על ידי עצמו והעור של קרבנו שלו ואם רצה ליתן את קרבנו לכל כהן שירצ׳ להקריבו נותן ועור הקרבן ועבודתו לאותו הכהן בלבד שנתן לו

ח. היה הכהן בעל הקרבן בעל מום נותן קרבנו לאנשי משמר והעו׳ שלהם היה זקן או חולה שיכול לעבו׳ על ידי הדחק נותן קרבנו לכל כהן שירצ׳ והעור והעבודה לאנשי משמר ואם אינו יכול לעבוד כלל הרי הקרבן נאכל לאנשי משמ׳

ט. היה טמא בקרבנו׳ הציבור וכל׳ הכהני׳ טמאים נותנו לבעלי מומין טהורין שבאותו משמר ועורו ועבודתו לאנשי משמר הטמאים

י. היה הקרבן של כהן גדול והיה אונן נותנו לכל כהן שירצה ועורו ועבודתו לאנשי משמר כיון שכהן גדול האונן ראוי

& ceteri, *excepto eo quod in urbe ex paterna ei successione debetur*. (*Deut.* 18. 8.) Hæc enim est ejus loci sententia, portionem accipient æqualem; nempe de sacrificiis publicis, non item de rebus ceteris, [8] quas patres jam distribuerunt tum, cum sacerdotum curiis suam cuique hebdomadam descripserunt.

VI. Quin etiam operatio illa ipsa efficiendorum [9] panum propositionis ad solam curiam ex ordine ministrantem pertinebat: sed operatio efficiendorum duorum panum ad Pentecosten offerendorum ex æquo pertinebat ad omnes curias. Atque de diebus solemnibus solis hic mentionem fieri hic Legis versus significat: *Ex una urbium tuarum ex omni Israel*: (*Deut*. 18. 6.) ea enim est ejus sententia cum [10] omnis Israel in unam & eandem urbem convenerit. Quod autem [11] de solis sacerdotibus mentio fit, inde patet, quia Lex ait: *Partem ciborum eandem comedet*: [*Ibid*. v. 8.] namque dona Sanctuarii nisi sacerdotes comedat nemo.

VII. Item qui deberet hostiam [12] sacerdos, is quocunque voluerit die in Sanctuarium veniret, & sacrificium faceret ipse suum: est enim in Lege: *Et voluerit venire desiderans locum quem elegerit Dominus.. .. ministrabit*, &c. [*Deut*. 18. v. 6. & 7.] Et quidem etiam hostiam pro peccato, & hostias pro delicto pro se ipse immolabat, atque se ipse expiabat: tum hostiæ corium capiebat ipse, carnem ipse comedebat. Quin etiam sacerdos suam cuivis alii sacerdoti daret immolandam hostiam, cujus itidem pellis & administratio soli sacerdoti maneret ei, cui data fuisset.

VIII. Cum vero sacerdos ille, qui præbebat hostiam, [13] corporis vitio erat affectus, tum eam ministranti dabat curiæ, cujus etiam erat hostiæ corium. Idem si foret [14] ætate confectus, si morbo affectus sic, ut difficulter quidem; sed tamen rem divinam facere posset, victimam scilicet cuilibet dederit sacerdoti: verum administratio & corinm victimæ ad curiam ministrantem pertinebat: sin omnino rem divinam facere non posset, curiæ ministrantis erat tota victima.

IX. Idem si sacrificiis Ecclesiæ esset immundus, & integri sacerdotes ceteri essent itidem immundi, victimam dederit his e curia ministrante sacerdotibus, qui corporis vitio laborantes mundi erant. Attamen administratio victimæ, coriumque erat immundorum e curia ministrante sacerdotum.

X. Si præberet ad sacrificium hostiam summus sacerdos, isque lugens esset, eam cuivis sacerdotum dederit: hostiæ vero corium & administratio ad sacerdotes curiæ ministrantis pertinebat. Summus enim sa-

לעבודה כמו שיתבאר הרי זה עושה שליח לקרבנו

יא. כל ראש משמר ומשמר מחלק משמרו לבתי אבו' עד שיהיה כל בית אב ואנשיו עובד ביו' אחד מימו' השב' והאח' ביום של אחריו והאח' ביום של אחריו ולכל בית אב ואב ראש אח' ממונ' עליו

יב. וממני' כהן גדול הוא ראש לכל הכהני' ומושחין אותו בשמן המשח' ומלבישין אותו בגדי כהונ' גדולה שנ' והכהן הגדול מאחיו אשר יוצק וגו' ואם אין שם שמן המשח' מרבי' אותו בבגדי כהונ' גדולה בלבד שנ' אשר יוצק על ראשו שמן המשח' ומלא את ידו ללבוש את הבגדי' כשם שמתרב' בשמן המשח' כך מתרב' בבגדי'

יג. כיצד מרבי' אותו בבגדי' לובש שמנ' בגדי' ופושטן וחזר ולובשן למחר ז' ימים יום אחר יום שנ' שבעת ימים ילבשם הכהן תחתיו מבניו וכשם שריבוי בגדי' שבעה כך משיחה בשמן שבעה יום אחר יום ואם עבד קודם שיתרבה בבגדים כל שבעה או קודם שימשח כל שבעה עבודתו כשר' הואיל ונתרב' או נמשח פעם אחת נעשה כהן גדול לכל דבר

יד. אין בין כהן משוח בשמן המשחה למרוב' בגדי' אלא פר שמביא כהן המשיח אם שגג באח' מן המצו' שחייב עליהן חטאת שנאמ' אם הכהן המשיח יחטא וגו' אבל לשאר הדברי' שוי' הם

טו. אין מעמידין כהן גדול אלא בית דין של אחד ושבעי' ואין מושחין אותו אלא ביום שנאמ' ביום המשח אותו וכן אם נתרב' בבגדי' בלבד אין מרבין אותו אלא ביום ואין ממנין שני כהני' גדולי' כאחת

טז. וממנין כהן אח' יהיה לכהן גדול כמו המשנה למלך והו' הנקרא סגן והוא הנקר'

cerdos [15] etiam lugens rei divinæ faciendæ erat idoneus, ut inferius demonſtrabitur: qua de cauſa & immolandæ hoſtiæ ſuæ vicarium dare poterat.

XI. Ex curiarum principibus ſuam quiſque curiam [16] in familias diſtribuerat ita, ut [17] ſingulis hebdomadæ diebus ſingulæ familiæ totæ deinceps rem divinam facerent. Et familiarum ſuum quæque Antiſtitem habebat.

XII. Cunctis autem ſacerdotibus præfectus erat ſummus ſacerdos. Is inaugurabatur [18] unctione olei ſacri, & veſtimento ſacerdotii magni, ut ſcriptum videmus: *Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum*, &c. (*Levit.* 21. 10.) Quod ſi nullum adeſſet oleum unctionis, inaugurabatur ſolo ſacerdotii magni [19] veſtimento induendo. Nam quod a Lege dicitur: *Super cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus*, (*Ibid.*) id hoc ſibi vult quomodo ſacerdos augetur & inauguratur unctionis oleo, ſic augeri & inaugurari ſacerdotem veſtibus illis induendis.

XIII. Veſtimentis igitur cum inaugurabatur primum induebat illa veſtium [20] octo genera: quas deinde depoſitas rurſus induebat die craſtino, [21] idque ſeptem deinceps diebus itidem factitabat: ait enim Lex: *Septem diebus utetur illa, qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus.* (*Exod.* 29. 30.) Et tanquam per ſeptem dies continuos inaugurabatur veſtimentis, ita ſeptem deinceps diebus inaugurabatur oleo unctionis. Qui ſi rem divinam faceret [22] ante, quam per ſeptem dies continuos ita veſtitus aut unctus eſſet, tamen hæc illius adminiſtratio fuiſſet idonea: ut enim erat aut hiſce veſtimentis ſemel [23] auctus, aut unctus oleo, ſummus erat ſacerdos ad omnia factus.

XIV. [24] Inter ſummum ſacerdotem oleo unctionis inauguratum, & ſolis auctum veſtibus hoc unum intererat, quod ille ſi quid imprudens commiſiſſet quod ſtato ſacrificio pro peccato expiaretur, juvencum immolaret; habemus enim in Lege, [25] *Si Sacerdos qui unctus eſt peccaverit*, &c. (*Lev.* 4. 3.) Ceterum erant ad omnia pares.

XV. Summum ſacerdotem creabat unus [26] ille Senatus, qui unius & ſeptuaginta erat hominum. Summus ſacerdos non inaugurabatur olei unctione niſi [27] interdiu, quia in Lege eſt: *In die unctionis ſuæ.* (*Lev.* 6. 20.) Qui ſi veſtibus ſolum augeretur, itidem non inaugurabatur niſi de die: & Summi ſacerdotes [28] duo ſimul non fiebant.

XVI. Conſtituebatur autem ſacerdos, qui dignitate proximus eſſet a Summo ſacerdote, ſic tanquam in adminiſtratione re-

ממונה

ממונה ויהיה עומד לימין כהן גדול תמיד והיה כבוד הוא לו וכל הכהני' מתחרת יה הסגן

יז. ועוד ממנין קתיקולין להיו' לסגן כמו הסגן לכ"ג ואין פוחתין משנים וממני' אמרכלין אין פחו' משבעה ומפתחו' העזר' בידם רצה האח' לפתוח אינו יכול עד שיכנסו כל האמרכלין ויפתחו

יח. וממנים גזברין מתחת ידי האמרכולי' ואין פוחתין משלש' גזברין והגזברי' הן שגובין כל ההקדשו' ופודין את הנפדה מהן ומוציאין אותן בדברי' הראויין להן להוציאן

יט. כהן הגדול המשוח קודם למרובה בגדים ומרובה בגדים העומד לשרות קוד' למשוח שעבר מחמרת קרי והעובר מחמרת קרי קוד' לעובר מחמת מום והעובר מחמת מום קוד' לכהן משוח מלחמ' ומשוח מלחמ' קודם לסגן וסגן קודם לקתיקול וקתיקולי' קוד' לאמרכל' ואמרכל' קודם לגזבר וגזב' קודם לראש משמר וראש המשמר קוד' לראש בית אב וראש בית אב קודם לכהן הדיוט משאר הכהנים נמצאו הכהנים תמיד שמנ' מעלו' זו למעלה מזו

כ. כשימות המלך או כהן גדול או אחד משאר הממונים מעמידין תחתיו בנו או הראוי ליורשו וכל הקודם לנחלה קוד' לשררות המת והוא שיהיה ממלא מקומו בחכמה או ביראה אעפ' שאינו כמותו בחכמה שנאמר במלך הוא ובניו בקרב ישרא שהמלכו' ירושה והוא הדין לכל

gni eſt ſecundus a rege. Is vicarius appellabatur, idem etiam dicebatur Antiſtes. Is igitur [30] ad dextram ſummi ſacerdotis ſemper adſtabat, quod huic tribuebatur honoris cauſa: teliqui deinde ſacerdotes erant ad manum vicarii.

XVII. Præterea autem creabantur [31] ſubvicarii, qui vicario eſſent idem, quod ipſe pontifici: hi erant ad minimum duo. Porro præfecti creabantur non pauciores, [32] quam ſeptem, quibus committebantur claves atrii, cujus aperiendi poteſtatem omnino nullus eorum ſeparatim habebat: ſed opus erat, ut convenirent, & ſimul atrium reſerarent omnes.

XVIII. Et qui parerent hiſce præfectis creabantur [33] quæſtores non pauciores tribus. Horum munus erat, ut quæcunque numini devota fuiſſent ac conſtituta exigerent aut ipſa, aut, ſi pretio redimerentur, eorum pretium, quod deinde rebus idoneis impenderetur.

XIX. Unctionis oleo inauguratus pontifex dignitate [34] anteibat ei, qui veſtimentis ſolis induendis eſſet inauguratus. Rurſus hic rerum divinarum adminiſtrationi præfectus in perpetuum anteibat illi, qui oleo ſacro unctus ſemel duntaxat Deo operatus ſit eo, quod Summo ſacerdoti fluxio ſeminis accidiſſet. Hic qui ſemel erat Deo operatus eo, quod Summum ſacerdotem fluxio ſeminis temeraſſet præſtabat ei, qui ſummi ſacerdotis, quoniam is vitio corporis erat affectus, munus effecit. Et qui propter vitium corporis, quod eſſet in ſummo ſacerdote, munus ejus eſt executus, * is inuncto in belli munia ſacerdoti præſtabat. Præſtabat unctus in belli munia ſacerdos vicario ſummi ſacerdotis: vicarius autem præſtantior erat ſubvicario: ſubvicarius præfecto: præfectus quæſtore: quæſtor curiæ principe: curiæ princeps antecedebat familiæ antiſtiti: denique antecedebat familiæ antiſtes cuivis reliquorum privatorum ſacerdotum. Itaque inter ſacerdotes ſemper erant octo dignitatis gradus.

XX. Cum rex, cum [35] Summus ſacerdos, cum reliquorum præfectorum aliquis mortuus eſſet, ſubſtituebatur in ejus locum vel filius, vel is ad quem lege redibat hæreditas: ad quem igitur potiori jure veniebant bona mortui, idem hic & [36] ad honores ejus erat potior, ſi tamen haud minori, quam erat ille, inſtructus eſſet ſapientia, aut ſi ſapientia foret inferior, Deum certe non minus, quam metuerat ille, metueret. Quod enim Lex de rege dicit: *Regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſrael*, (*Deut.* 17. 20.) id quidem hoc [37] indicat, regnum pro hæreditate legitima tradi: atque apud

שררה

XIX. *Is inuncto in belli munia ſacerdoti*. De hoc ſacerdote explicatum eſt cap. 1. hujus Tract. ad rat. 7.

שררה שבקרב ישראל׳ שהזוכ׳ לה זוכה ועצמו ולזרעו

כא. משוח מלחמ׳ אין בנו מתמנ׳ תחתיו לעולם אלא הרי הוא כשאר הכהני׳ אם נמשח למלחמה נמשח ואם לא נמשח לא נמשח וכשכהן משוח מלחמה משמש במקד׳ משמש בד׳ כלי׳ כשאר כהנים מעלין משררה לשררה גדולה ממנה ואין מורידין אותו לשררה שהיא למטה ממנה שמעלין בקודש ולא מורידין ואין מורידין לעולם משרר׳ שבקרב ישראל אלא אם סרח

כב. וכהן גדול שעבר עבירה שחייב עליה מלקות מלקי׳ אותו בבית דין של שבעים ואחד כשאר מחוייבי מלקות וחוזר לגדולתו :

Israelitas omnis dignitatis est eadem ratio, ut qui dignitatem adeptus sit, hic illam sibi & posteris suis sit adeptus.

XXI. Atenim sacerdotis in belli munia uncti filius non [38] succedebat in locum patris unquam: sed erat ejusdem conditionis atque reliqui sacerdotes. Itaque poterat ad belli munia ungi, vel non ungi. Item sacerdos unctus ad belli munia cum ministraret in Sanctuario quatuor omnino vestium generibus sic, ut ceteri sacerdotes, indutus erat. Erat ascensus ab uno honorum gradu ad altiorem: sed descensus ad gradum inferiorem non erat. Hæc est enim Sanctorum ratio, ut augeantur quidem, nunquam minuantur. Etenim apud Israelitas imperium abrogatur nemini, nisi quis scelus aliquod admiserit.

XXII. Enimvero Summus sacerdos si quid commisisset ejusmodi, ut [39] verberibus addiceretur, is itidem, ut homines ceteri verberibus addicti, verberaretur apud consessum unius & septuaginta judicum: tum dignitatem pristinam recuperabat.

NOTÆ IN CAPUT QUARTUM.

[1] Secernantur &c. *Maimonides More Nevochim part.* III. cap. 45. Ad magnificentiam insuper domus augustiorem reddendam, magnificavit dignitatem ministrantium in ea, separatosque esse voluit Sacerdotes & Levitas ab aliis. Præcepit item Sacerdotibus honoris causa, ut vestibus pulchris & pretiosis induti sint, sicut dicitur; *Exod.* XXVIII. 2. *Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem &c.* Et ne ad ministerium admittatur, qui defectum aliquem habet corporis, quinimo qui deformes sunt, ad sacerdotium inepti fuerunt, sicut in *Gemara* hoc præceptum explicatur, quia non dijudicat vulgus homines secundum veram ipsorum formam, sed secundum membrorum perfectionem, vestiumque pretiositatem, vel ornatum. Omnium itaque istorum finis est, ut in debito honore & reverentia habeatur domus apud quosvis.

[2] In octo &c. *Siphri* ad *Num.* VII. 6. *Itaque cum suscepisset Moyses plaustra, & boves.* Moses suscepit, & juxta sententiam suam divisit. *Duo plaustra & quatuor boves dedit filiis Gerson; quatuor alia plaustra & octo boves dedit filiis Merari.* Quia sedecim erant *filii* Eleazaris, Ithamaris vero sex; sicuti dictum est 1. *Paral.* XXIV. 4. *Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sedecim, & filiis Ithamar principes per familias & domos suas octo. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus &c. Descripsitque eos Semejas filius Nathanael scriba Levites, coram rege, & principibus, & Sadoc Sacerdote, & Abimelch filio Abiathar. Gemara Hierosol. Taanith fol.* 67. 4. Octo classes sacerdotales constituit Moses quatuor ex Eleazaridis, atque Ithamaridis quatuor. Id quod obtinuit usque dum David & Samuel propheta adjicerent eis octo alias, quatuor ex Eleazaridis, & ex Ithamaridis itidem quatuor. Conati vero illi etiam octo & alias simili modo, ut numerus 24. classium ita compleretur, adjicere. Sed Eleazaridas quot sufficerent, repererunt, non vero Ithamaridas. Atque hoc innuit illud, quod scriptum est 1. *Paral.* XXIV. 4. *Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Raschi ad* 1. *Paral.* XXIV. *Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar principes per familias sedecim. A principio quando tabernaculum* erat in Schilo, erant solummodo sexdecim classes, octo ex Eleazaridis, & octo ex Ithamaridis, uti explicatur in *Taanith*; Et quando vidit David, quod multo plures essent principes Eleazaridarum, divisit singulas classes Eleazaridarum in duas, & constituit sexdecim classes, & filios Ithamaridarum constituit quo antea erant statu, in octo classes &c. *Kimchi ibid.* A principio octo erant classes Eleazaridarum, & octo Ithamaridarum. Quod videns David plures esse principes, ex filiis Eleazaris, accepit unum ex filiis Ithamar, & unum ex filiis Eleazaris, & addidit octo classes, & constituit quatuor & viginti classes, sexdecim ex Eleazaridis, & octo ex Ithamaridis &c. *Et paulo post*. Dissentiunt Rabbini nostri; alii dicunt Mosen statuisse octo classes quatuor ex Eleazaridis & quatuor ex Ithamaridis; venit Samuel, & auxit usque ad sexdecim, octo ex Eleazaridis, & octo ex Ithamaridis; venit David & auxit usque ad quatuor & viginti. Et alii dicunt Mosen constituisse sexdecim classes, octo ex Eleazaridis, & octo ex Ithamaridis; venerunt Samuel & David, & ordinarunt quatuor & viginti; sicuti dictum est 1. *Paral.* IX. 22. *Quos constituerunt David & Samuel videns in fide sua. Post captivitatem etiam Babylonicam Sacerdotes in quatuor & viginti classes distributi sunt. Tosaphta Taanith* II. 2. 5. Quatuor custodiæ adscenderunt ex captivitate Jedajah, Harim, Pashur, & Immer; steterunt Prophetæ in Hierosolyma, & in quatuor & viginti classes distribuerunt, & eas miscuerunt, & in urnam conjecerunt; venit Jedajah, & eduxit quinque, & ipse, ecce sex. Venit Harim, & extraxit quinque, & ipse, ecce sex. Venit Pashur, & accepit quinque, & ipse, ecce sex. Venit Immer, & accepit quinque, & ipse, ecce sex. Atque ita pacti sunt cum eis Prophetæ, quod Jehojaribus etiamsi ex captivitate adscenderet, nullam earum excluderet, sed iis adjungeretur. *Gemara Erachin fol.* 12. 2. & 13. 1. Quatuor classes e captivitate ascenderunt, Jedajah, & Harim, Pashur, & Immer; steterunt prophetæ, qui inter eos fuerunt, & distribuerunt classes in viginti quatuor. Miscebant eas & ponebant in urna; venit Jedajah & eduxit partem suam, & partem sociorum suorum, sex; venit Harim, & eduxit partem suam, & partem sociorum suorum, sex. Atque ita Pashur & Immer. Constituerunt deinde Prophetæ, qui inter eos fuerunt, quod etiamsi Jehojarib princeps classium e captivitate adscenderet, non pelleret Jedajah e loco suo, sed Jedajah esset principale, & Jehojarib acceso-

cessorium. *Gemara Hierosol. Taanith fol.* 68. 1. Quatuor Ephemeriæ Sacerdotum adscenderunt e Babylone, Jedajah, Harim, Pashur, & Immer; *Ezr.* II. 36. &c. obligarunt eos Prophetæ, qui tunc temporis inter eos versabantur, ne vel ipse Jehojarib si adscenderet e captivitate, Ephemeriam se præcedentem expelleret, sed ut is sit potius isti appendix. Prostant isti Prophetæ sortesque viginti quatuor in urnam conjiciunt. Accedit Jedajah, extrahitque quinque, atque ipse erat sextus; Accedit Harim, extrahitque quinque, atque ipse erat sextus. Accedit Pashur, extrahitque quinque, atque ipse erat sextus. Accedit Immer, extrahitque quinque, atque ipse erat sextus. Pactum est inter eos Jehojaribum, si adscenderet e captivitate, non exclusurum Ephemeriam præcedentem, sed ei pro appendice fore. *Vide Gemar. Babyl. Taanith*, & *Tosaphot Taanith*. *Hinc illustratur* Luc. I. 5.

[3] Hierosolymam &c. *Misna Taanith* IV. 2. Cum tempus aderat cuilibet classi adscendendi Hierosolymam, illuc concesserunt Sacerdotes & Levitæ. *Tosaphta Taanith* III. 3. Quando tempus advenerat custodiæ, Sacerdotes & Levitæ adscendebant Hierosolymam.

[4] Hebdomadis &c. *Maimonides ad* II. 6. *Taanith*. Jam diximus in fine tractatus *Succa*, quod viginti quatuor custodiæ Sacerdotales erant, quarum una custodia singulis serviebat hebdomadis. Quælibet autem custodia dividebatur in septem partes, quæ vocabantur בתי אבות *domus patrum*, & quælibet domus patrum illius custodiæ suo die serviebat in septimana.

[5] Singulis Sabbathis &c. *Tosaphta Taanith* II. 6. Custodia, quæ ingrediebatur Sabbatho, ingrediebatur semper Sabbatho, post Sabbathum, ingrediebatur semper post Sabbathum. *Midras Coheleth fol.* 82. 4. Traditio R. Chajæ. Scriptum est Levit. XXIII. 15. *Septem hebdomadas plenas*. Quando autem sunt ita? Quando Josua, & Shecanjah non intercurrunt. *Ubi Glossa*. Cum incidunt calendæ mensis Nisan Sabbatho, incidit & Pascha Sabbatho; & tum incipiant numerare ab exitu Sabbathi, eruntque septimanæ completæ secundum dies creationis. Exemplum sumit a Josua & Shecanjah. Nam viginti quatuor Ephemeriæ erant, quæ vices alternarunt, unoquoque Sabbatho, inter quas Josua erat nona, & Shecanjah decima. Septimana mensis Nisan prima Jehojaribi, erat Ephemeria prima, septimana secunda Jedajah. Septimana Paschali omnes Ephemeriæ ministrarunt simul. Sex septimanis ad Sabbathum illud, quod præcessit Pentecosten, ministrarunt sex Ephemeriæ Harim, Seorim, Malchijah, Maijamin, Hakkos, Abiah. Sabbatho, cui succedit Pentecoste, ingreditur Josua, at non ministrat nisi post Pentecosten. Ecce Josua & Shecanjah non sunt inter Pascha & Pentecosten; si enim Josua foret inter Pascha & Pentecosten, non essent septimanæ completæ sicut dies creationis.

[6] Æqua conditione &c. *Siphri ad Deut.* XVIII. 9. *Ministrabit in nomine Domini Dei sui* &c. Hinc tu dicis; omnes custodiæ sunt æquales in sacrificiis festorum, & in partitione panum facierum; dictum est enim; *partem ciborum eandem accipiet, quam & ceteri*; portionem cibi juxta portionem ministerii; & portionem ministerii juxta portionem cibi. *Pesiktha ad l. c. Partem ciborum eandem accipiet quam & ceteri*. Hinc dixerunt; omnes custodiæ sunt æquales in sacrificiis festorum, & in partitione panum facierum; participat de cibo, & participat de ministerio. *Misna Succa* VI. 7. Tribus diversis vicibus in anno omnes classes æqualiter se habebant respectu dictorum *sacrificiorum* in festis majoribus *oblatorum*, ac partitionis panum propositionis. *Gemara in l. c.* Ablegmina festorum Deo cedunt. (*Quomodo ergo Misna ea Sacerdotibus tribuit?*) Resp. R. Chisda. אמר hic non notat ablegmina, *sed venit ab* אמורי *dixit, & hoc vult dicere Misna, eos æquales fuisse in partitione Sacrificiorum* supradictorum in festis majoribus. Porro tradunt Magistri. Qui probatur, quod omnes classes æquales esse debeant in sacrificiis festalibus supradictis? Ex eo, quod scriptum est *Deut.* l. c. *Et voluerit venire desiderans locum, quem elegerit Dominus; ministrabit. Quæ inter se partirentur Sacerdotes in his tribus majoribus festis, explicat Raschi in* l. c. *Gemara*. In partitione sacrificiorum dictorum in festo majori; quæ *Sacerdotibus* inter se partiri convenit, veluti sunt pectus & crus sacrificiorum salutarium celebritatis oblatorum a particularibus, nec non pelles ex holocaustis comparitionis, sacrificia addititia totius cœtus, hircique pro peccatis.

[7] Votiva Sacrificia &c. *Misna Succa ibid.* Custodia cujus tempus determinatum est, offerebat sacrificia jugia, vota & oblationes spontaneas; reliqua vero sacrificia cœtus offerebat omnia. *Tosaphta Succa* II. 14. Sacrificia jugia & vota, & sacrificia voluntaria, & primogenita, & addititia Sabbathi, sacrificia pro peccato cœtus, & ejus holocausta, & holocausta votiva privati immolabat & comedebat custodia, cujus est tempus determinatum. *Gemara Succa l. c. etiam reliqua oblationes cœtus*; Quasnam hic includit? Juvencum illum quem offert cœtus pro peccato commisso ex ignorantia, necnon hircos pro peccato Idololatriæ. *Et quando addit*. Eandem quoque ceteras *oblationes* omnes obtulisse; quasnam his inquit? Æstivos fructus altaris. *Raschi ad l. c. Deut.* Ad docendum quod Sacerdotes ad festum venientes offerebant, & ministrabant in sacrificiis, quæ causa festi afferebantur, veluti in addititiis festi, quamvis non essent ex sua custodia.

[8] Quas patres &c. *Siphri ibid.* ממכריו על האבות Quid distribuerunt patres huic & illi? ut ego in mea, & tu in tua hebdomada ministres. *Pesiktha ibed.* לבד ממכריו על האבות; *quod acquisierunt patres*. Quid distribuerunt patres filiis? ut tu in tua, & ego in mea hebdomada ministrem. *Raschi ibid. Partem ciborum eandem accipiet, quam & ceteri*; Ad docendum; quod partem accipiant ex pellibus, & ex carne hircorum oblatorum pro peccato; crederem etiam ex iis, quæ non festi causa offeruntur, veluti sunt sacrificia jugia, & addititia Sabbathi, & vota, & oblationes spontaneæ; Ideo dictum est; לבד ממכריו על האבות; exceptis iis, quæ acquisierunt patres diebus Davidis, & Samuelis, qui statuerunt classes &c.

[9] Panum propositionis &c. *Tosaphta Succa ibid.* Duos panes offerebant, & comedebant omnes custodiæ, quia afferebantur ex debito diei solemnis. Panis facierum offerebatur a custodia, cujus erat tempus determinatum, & comedebatur ab omnibus custodiis; Quomodo fiebat? Præbebatur dimidium placentæ singulis custodiis, & ipsæ inter se dividebant. R. Jehuda dicit; qui dividebat panem facierum, egrediebatur, & consistebat super pavimento Ulam, dividebat, & deponebat; & singuli accedentes suam partem accipiebant. At Sacerdotibus labe affectis foris afferebatur, quia non poterant ingredi inter Ulam & altare.

[10] Omnis Israel &c. *Siphri ibid. Et voluerit venire desiderans locum, quem elegerit Dominus &c.* Crederem omni tempore. Dictum est; *Ex una urbium tuarum*. Quonam tempore Israel ingreditur in urbem unam? in tribus festis.

[11] De solis Sacerdotibus &c. *Siphri ibid. Si exierit Levites*. Crederem quod de Levita certo Scriptura loquatur; dictum est. *Ex una urbium tuarum*; non qui acceperunt urbes suas in loco uno; excluduntur Levitæ qui acceperunt urbes suas in loco uno; *ministrabit*; qui dignus sit ministrare; excluduntur Levitæ, qui non sunt digni ministrare. *Pesiktha ibid. Si exierit Levites*; crederem simpliciter *de Levita loqui*; dictum est; *ex una urbium tuarum; ex omni Israel*; excluduntur Levitæ qui acceperunt urbes suas in loco uno; *ministrabit*; qui dignus sit ministrare; excluduntur Levitæ, qui non sunt digni ministrare. *Raschi ibid. Si exierit Levites*. Crederem, quod de Levita certo Scriptura loquatur; ideo dictum est; *ministrabit*; excluduntur Levitæ, qui non sunt digni ministrare.

[12] Sacerdos &c. *Tosaphta Menachoth cap. ultimo* 12. Sacerdos poterat venire ad offerendum suas sanctitates vel eo tempore, quo sua custodia non ministrabat. Earum pelles & ministerium ad eum pertinebant. *Raschi ibid. Et voluerit venire desiderans locum, quem elegerit Dominus; ministrabit*; ad docendum, quod Sacerdos possit venire ad offerendum sacrificia sua votiva, & spontanea, quamvis sua classis *eo tempore* non ministret. *In Siphra ad Levit.* I. 10. *legimus, Sacerdotem potuisse offerre suum holocaustum ex debito, vel extra hebdomadam suum; si fuisset voluntarium, offerendum fuisse a Sacerdotibus*.

qui

qui ea hebdomada miniſtrabant. Quo tempore (*inquit*) afferebatur holocauſtum ex debito, imponebat illi manus ſuas, & de ſuo afferebat libamina; & ſi eſſet Sacerdos, miniſterium & pellis ad eum pertinebat; ſi vero eſſet ſpontaneum, non imponebat illi manus, neque afferebat libamina de ſuo, ſed ex facultatibus cœtus; ſi vero fuerit Sacerdos, miniſterium & pellis pertinebat ad viros cuſtodiæ.

13 Corporis vitio &c. *Toſaphta Menachoth* ibid. Si corporis vitio affectus eſſet, tradet viris cuſtodiæ, & earum pelles, & caro ad eum pertinebunt.

14 Ætate confectus &c. *Toſaphta Menachoth ibid.* Si ſenex erat, aut infirmus, tradet cuilibet Sacerdoti, & earum pellis & caro ad eum pertinebit.

15 Etiam lugens &c. *Toſaphta Sevachim* XI. 3. Summus Sacerdos offerebat etiam lugens ſacrificium in primo die, ſed non edebat; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit toto eo die. R. Simeon dicit perficiebat ſacrificium, quod immolare inceperat, & abibat; At Sacerdos vulgaris, qui dum offerret ſacrificium ei moreretur aliquis *propinquus*, deſerebat ſacrificium, quod offerebat, & abibat; idcirco ſi adſperſiſſet ſanguinem, aut ſuffimentum incendiſſet, quodlibet miniſterium, quod miniſtraſſet erat illegitimum.

16 In familias &c. *Hieroſol. Taanith ſol.* 68. 1. Proſtant capita exphemeriarum, & ſe partiuntur in domos Patrum.

17 Ut ſingulis &c. *Non ita diſtributas legimus Toſaphta Taanith* II. 2. - 5. In qualibet cuſtodia eſſe poterant quatuor, quinque, ſex, ſeptem, octo, novem *domus patrum*; in qua cuſtodia erant quatuor, tres offerebant ſacrificia duobus diebus, & una uno die. In qua cuſtodia deprehendebantur quinque, tres offerebant duobus diebus, & duæ uno die. In qua cuſtodia erant ſex, quinque offerebant quinque diebus, & una duobus. In qua cuſtodia erant ſeptem, ſingulæ ſingulis diebus offerebant. In qua cuſtodia erant octo, ſex offerebant ſex diebus, & duæ uno die offerebant. In qua cuſtodia erant novem, quinque offerebant quinque diebus, & quatuor duobus diebus offerebant. *Hieroſ. Taanith* 68. Proſtiterunt capita claſſium, ac ſe partita ſunt in domos patrum. Erantque in cuſtodia una domus patrum forſan quinque, ſex, ſeptem, octo, novem. Ex claſſe, in qua erant quinque domus patrum, tres miniſtrabant tribus diebus, & duæ miniſtrabant quatuor diebus. Si ſex, quinque miniſtrabant quinque diebus, & una duobus. Si ſeptem, unaquæque miniſtrabat die ſuo. Si octo, ſex miniſtrabant ſex diebus, & duæ die uno. Si novem, quinque miniſtrabant quinque diebus, & quatuor duobus diebus.

18 Unctione olei &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 10. *Super cujus caput fuſum eſt unctionis oleum*. Quid hinc docemur? Quia dictum eſt; *Septem diebus utetur illa, qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in Sanctuario. Exod.* XXIX. 30. Etenim poteram putare non agi niſi de eo, qui per ſeptiduum unctus eſſet, & per ſeptiduum veſtibus auctus eſſet; quis per ſeptiduum unctus eſſet, & uno die veſtitus, aut per ſeptiduum veſtitus, & uno die unctus unde probatur? ex eo quod dicit; *ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum*; vel una tantum hora? *cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus*; vel unica hora.

19 Veſtimento &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 32. *Expiabit autem Sacerdos qui unctus fuerit*. Hic eſt Sacerdos unctus oleo unctionis. Auctus veſtibus unde probatur? Explicatur, quod vaſculum olei unctionis abſconditum fuerit una cum Arca, temporibus Joſiæ regis, & ex eo tempore Sacerdotes magni vocabantur veſtibus aucti. *Peſiktha ad Levit.* VI. 22. והכהן המשיח. Hic eſt unctus oleo unctionis tempore primæ domus; at auctus veſtibus erat in domo ſecunda, ubi deerat oleum unctionis, quod abſconditum fuit cum arca, uti dixerunt in *Horajoth*. Et Sacerdotes domus ſecundæ vocabantur aucti veſtibus. *Gloſſa ad tit. Macoth.* c III. Sacerdos magnus alius fuit oleo unctionis, ſicuti ſunt omnes Sacerdotes magni, qui vixerunt ante tempora Joſiæ. Et alius Sacerdos magnus fuit inſignis veſtitu. Hique ſunt, qui miniſtrarunt a tempore Joſiæ & deinceps. Quoniam abſconderunt oleum unctionis, uti dictum eſt (in *Horajoth* III.] & amplius non uncti ſunt Sacerdotes, neque dijudicari poterat Sacerdos magnus niſi ex pluralitate veſtium; miniſtrans enim octo veſtibus erat indutus. *Et gloſſa ad tit. Megillah*. Veſtitu inſignes ſunt Pontifices, qui in templo ſecundo miniſtrarunt, & etiam in primo ante mortem Joſiæ, quoniam abſconditus eſt lechytus olei unctionis.

20 Octo genera &c. *Peſiktha ad Levit.* VI. 22. Quatuor veſtes addebat Sacerdos magnus præ Sacerdotibus vulgaribus; pectorale, Ephod, Pallium, & Laminam. *Peſiktha ad Levit.* XVI. 32. Octo veſtes induebat; Sacerdos vero vulgaris quatuor tantum miniſtrabat, nempe tunica, femoralibus, tiara, & balteo. Addebat his Sacerdos magnus Pectorale, Ephod, Pallium, & Laminam. Et hinc dixerunt; auctus veſtibus unde probatur? Ex eo quod dictum eſt; *Cujus manus Sacerdotio conſecratæ ſunt. Miſna Joma* VIII. Sacerdos magnus in octo veſtibus miniſtravit; gregarius quatuor, in tunica, & femoralibus, & tiara, & balteo. Sacerdos magnus his addidit Pectorale, & Ephod, & Pallium, & Laminam.

21 Idque ſeptem &c. *Schilte Haggebborim* XXXIX. Eligebatur Sacerdos magnus, & erat princeps omnium Sacerdotum, & ungebatur oleo ſacræ unctionis, & induebat veſtes ſummi Sacerdotii; at ſi deerat oleum ſacræ unctionis, uti contigit a tempore regis Joſiæ & in poſterum, cum abſcondita fuit arca uti diximus, veſtium pluralitate diſtinguebatur, & octo veſtes induebat, & exuebat, quas depoſitas iterum ſeptem diebus continuis induebat; atque ita fiebat in oleo unctionis ſacræ, ſeptem diebus continuis ungebatur, quando non deerat oleum.

22 Antequam &c. *Toſaphta Sekalim* III. 26. Sacerdos magnus non ingrediebatur in atrium ad miniſtrandum, ſi non per ſeptiduum unctus, & veſtibus auctus fuiſſet; ſi vero miniſtraſſet, ejus miniſterium eſt legitimum.

23 Semel auctus &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 10. Poteram putare non agi niſi de eo, qui per ſeptiduum unctus eſſet, & per ſeptiduum veſtibus auctus eſſet; qui per ſeptiduum unctus eſſet, & uno die veſtitus, aut per ſeptiduum veſtitus, & uno die unctus, unde probatur? Et eo quod dictum eſt; *Super cujus caput fuſum eſt unctionis oleum*. Vel una tantum hora: unde probatur? Ex eo quod dictum eſt; *Cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus*; vel unica hora. *PeſiKtha ibid. Super cujus caput fuſum eſt unctionis oleum*; vel uno die, vel una hora; *& cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt*; quamvis auctus vel uno die, vel una hora.

24 Inter ſummum &c. *Miſna Megillah* I. 9. Non eſt differentia inter Sacerdotem unctum oleo unctionis, & multiplicatum veſtibus, niſi quod ad juvencum, qui offerebatur pro omnibus præceptis. *Miſna Horajoth* III. 4. Quiſnam eſt unctus? Qui oleo unctionis unctus eſt, non qui veſtibus multis indutus eſt. Sacerdos unctus non differt ab eo, qui multis veſtibus indutus eſt, niſi quod juvencum attinet, qui offertur pro omnibus præceptis. *Toſaphta Horajoth* II. 3. Quiſnam eſt unctus? Hic eſt unctus oleo ſacræ unctionis. Sacerdos unctus oleo ſacræ unctionis non differt ab eo, qui multis veſtibus indutus eſt; niſi quod multis veſtibus indutus debebat adducere juvencum; verba R. Meyr; & ſapientes dicunt, non neceſſe erat, ut juvencum adduceret.

25 *Si Sacerdos qui unctus eſt* &c. *Siphra ad* l. c. *Si Sacerdos qui unctus eſt, peccaverit* &c. quid dicendum erat? Verum ego conjicere poteram pro peccatis præcedentibus. Verum id probatur argumento. Si Princeps, qui afferebat ſacrificium propter ignorantiam actionis, non afferebat pro peccatis præcedentibus, unctus, qui non afferebat ſacrificium propter errorem actionis, non erit æquum, quod non afferat pro peccatis præcedentibus? Non valet argumentum; quod ſi dixiſti de Principe, is non afferebat ſacrificium pro peccato (*ſc. patrato in principatu*) poſt quam principatu ſpoliatus eſſet, dices de uncto, qui adducebat ſuum ſacrificium pro peccato, poſtquam Sacerdotio exutus eſſet? Igitur quoniam afferebat ſacrificium pro ſuo peccato poſtquam ſe Sacerdotio abdicaſſet, ita dicerem, quod afferre deberet etiam pro peccatis præcedentibus; idcirco dicit; *Sacerdos qui unctus eſt peccaverit*; quando peccaverit, poſtquam unctus fuerit, non quando erat *Sacerdos* vulgaris. R. Simeon dicit. Si ei innotuerit peccatum, antequam in ſummum Sacerdotem eligeretur, & deinde eligitur, ſacrificium offerre debet; at ſi ei

pecca-

peccatum innotuerit, postquam electus est, liber est; *qui unctus est peccaverit*; crederem quod præceptum esset, ut peccare deberet; ideo dicit; *quando peccaverit*; si peccaverit. *Delinquere faciens populum*; Ecce unctus similis cœtui; quemadmodum cœtus non affert sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti, cum errore actionis; ita unctus non afferebat sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis; Hoc erui poterat argumento; Cœtus educitur e genere, & unctus pariter educitur e genere; Quemadmodum cœtus non afferebat nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis, ita unctus non debet afferre nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis. Verum hoc modo a pari argumentari potes. Princeps educitur e genere, & unctus educitur e genere; Quemadmodum Princeps afferebat propter unum errorem actionis, etiam unctus debet afferre propter errorem actionis. Sed videamus cui sit similius; si erit cœtui simile, a cœtu deducemus, si Principi, a Principe deducemus. Cœtus afferebat juvencum, & non afferebat sacrificium pro delicto dubio; & sacrificium uncti est juvencus, & non afferebat sacrificium pro delicto dubio; quemadmodum cœtus non adducebat nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis, etiam Sacerdos unctus debet afferre tantum propter ignorantiam præcepti cum errore actionis. Verum a pari poteris hoc alio modo argumentari. Princeps afferebat capram pro peccato Idololatriæ, & adducebat sacrificium pro delicto certo; & unctus afferebat capram pro peccato Idololatriæ, & afferebat sacrificium pro delicto certo; quemadmodum Princeps afferebat sacrificium pro errore actionis, ita etiam unctus afferet sacrificium pro solo errore actionis; ideo dicit; *delinquere faciens populum*; assimilatur unctus cœtui; quemadmodum cœtus non afferebat pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis, ita etiam unctus non afferet sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis. Dicam igitur; Quemadmodum si cœtus doceret, & alii ejus dicto facerent, tenetur sacrificio; ita dicam, quod etiam Sacerdos unctus, si doceret, & alii ejus dicto facerent, teneatur sacrificio; ideo dicit, *peccaverit*; quia peccaverit, debet afferre sacrificium, non vero propterea quod alii peccarent. *Offeret pro peccato suo*; docemur, quod afferret sacrificium pro peccato suo postquam *Sacerdotio* spoliatus erat. Ego contra argumentabar; Si Princeps, qui afferebat sacrificium propter solum errorem actionis, non afferebat sacrificium, post quam *principatu* depulsus esset; Sacerdos unctus, qui non afferebat *sacrificium* propter errorem actionis, non erit æquum, quod non afferat post amissum Sacerdotium? ideo dicit, *offeret pro peccato suo*; docemur quod afferre debet sacrificium pro peccato suo, post amissum Sacerdotium. Crederem, quod si una cum cœtu peccaret, afferre deberet pro se uno juvencum; Contra argumentari potest. Princeps educitur e genere cœtus, & unctus educitur e genere cœtus; quemadmodum Princeps si solus peccat, pro se uno affert, si cum cœtu peccat, una cum cœtu expiatur, ita etiam unctus, si peccet solus, solus afferet sacrificium, & si peccet cum cœtu, una cum cœtu expiabitur. Non probat; quod si dixisti in Principe, qui cum cœtu expiabatur in die expiationum, dices de Sacerdote uncto, qui cum cœtu non expiatur in die expiationum? Quoniam una cum cœtu in die expiationum non expiabatur, afferet juvencum pro se uno. Ideo dicit; *qui peccaverit*; Quomodo est igitur? Si solus peccat, pro se uno sacrificium affert, si una cum cœtu peccat, cum cœtu expiatur. *Gemara Horajoth fol.* 11. Tradiderunt Rabini: Per משיח *unctum Levit.* VI. 15. Nequis putet forte intelligendum esse regem, ideo notanter dicendum erat; *Sacerdos ibid.* Si dictum fuisset כהן omissa voce *unctus*, nequis putaret forte intelligendum esse sacerdotem inauguratum per vestes; ideo notanter dicendum erat, *unctus*. Si dictum fuisset משיח, omisso ה *Emphatico*, nequis putaret, forte intelligendum esse unctum belli; ideo notanter dicendum erat; והכהן המשיח; *Et Sacerdos ille unctus*. Scilicet qui non est unctus juxta ipsum, vel pro ipso, aut sit ejus Vicarius. Quo sensu id intelligitur? Sicut dixit Raba: Per הירך *femoris illius Gen.* XXXII. 32. Cum He Emphatico notati, intelligitur duorum femorum dexterrimum; adeoque non sinistrum: ita hic etiam per המשיח *unctum illum* cum He Emphatico notatum, intelligitur unctorum dexterrimus, h. e. summus sacerdos. Dixit Mar: Per unctum *Levit.* VI. 15. nequis putet forte intelligendum esse regem: Rex juvencum ne affert? Imo vero hircum ipse affert: Necesse esse putas ne me dicere? propter errorem facti affert hircum, propter actum latendi rei affert juvencum, significare nobis voluit. Nihil interest inter Sacerdotem unctum oleo unctionis, & eum qui per vestes inauguratur &c. Quod hic in Misna traditur, non est juxta sententiam R. Meir. Nam sic R. Meir: ecce traditio est; Inauguratus per vestes juvencum affert qui venit propter omnia præcepta; ut sentit R. Meir. Non autem assensi sunt ei omnes sapientes. Quæ ratio R. Meir? Quia traditio est: Per unctum *Levit.* VI. 15. nihil aliud intelligerem nisi eum qui unctus est oleo unctionis. De eo qui inauguratur per vestes unde probatur? Quia notanter dicitur *Levit.* VI. 15. הכהן המשיח *Sacerdos ille unctus* &c. *Paulo post fol.* 12. 2. Tradiderunt Rabini *Levit.* XXI. 10. *Et summus ille Sacerdos ex fratribus ipsius*; per hunc intelligitur summus Sacerdos. *Ibid. super cujus capite unctum est oleum unctionis*; per hunc intelligitur unctus belli. *Ibid. Et implevit manum ipsius ad induendum vestes*. Per hunc intelligitur inauguratus per vestes. De omnibus illis dicitur *Ibid. Caput suum non denudabit, & vestes suas non dissuet v.* 11. *Et juxta ullas animas defuncti non veniet*. Ne quis putet, forte erunt omnes illi propius accedere facientes lugentes; ideo notanter dicendum erat v. 12. *Quia corona olei unctionis Dei ipsius, super ipso*. Sc. *super ipso*, non autem super socio, vel collega ipsius. Postquam autem divisit eum Scriptura, nequis putet, forte non erit jussus de ducenda in uxorem virgine; ideo notanter dicendum erat v. 13. *Et ipse*. Secundum Tannæos. *Et ipse uxorem in virginitate ipsius ducet*. *Ibid.* Postquam divisit Scriptura, inclusit; ut sentit R. Ismael. R. Akiba dixit. Nullus mihi alius intelligeretur, nisi qui transiit propter casum nocturnum seminis sui emissi. De eo qui propter vitia, seu maculas, unde idem probatur? Quia notanter dicendum erat: *Et ipse*.

26 Ille senatus &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Neque eligebatur summus Sacerdos, nisi a senatu septuaginta virali. *Verum electum Pontificem maximum a fratribus suis Sacerdotibus contendit Abarbanel ad Exod.* XXX. 23. Verum (*inquit*) quandoquidem summum Sacerdotium non adipiscebatur summus Sacerdos jure hæreditatis paternæ, quæ natu grandiori filio deberetur, ut regnum; sed præficiebatur a fratribus suis Sacerdotibus, qui esset summus Sacerdos, quod ad eam dignitatem aptior per se, magisque idoneus esset.

27 Interdiu &c. *Siphra ad Levit.* VI. 20. *In die unctionis suæ*. Non ungebatur summus Sacerdos nisi interdiu. *Pesiktha ibid. In die unctionis suæ*. Hinc dixerunt; non ungunt Sacerdotem magnum, nisi interdiu. *Abarbanel ibid.* Unctio fieri debuit de die; non autem de nocte; quomodo legimus inunctos fuisse omnes tum Sacerdotes, tum Reges; interdiu non autem noctu. Causamque hujus rei manifestam esse, signum boni ominis; nempe quo id regnum, eaque dignitas para esset, ac lucida sine tenebris, & auxietate. Quo sensu dixit David 2. *Reg.* XXIII. 4. *Sicut lux auroræ* &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Nec ungebatur nisi interdiu sicuti dictum est *Levit.* VI. 20. *In die unctionis suæ*; pariterque multiplicatus vestibus, non induebat nisi interdiu.

28 Duo &c. *Siphra ibid.* אותו ad docendum, quod non ungantur simul duo Sacerdotes magni. *Pesiktha ibid.* אותו ad docendum, quod non ungunt simul duos Sacerdotes magnos.

29 Is Vicarius &c. *A Rabbini vocatur* סגן. *Babyloniorum vox est. Berosus Histor.* l. 2. Primum (*inquit*) itaque dixerunt Ogygisan Sagan, i. e. illustrem sacrorum Pontificem, Noam. *Elia in Tisbi*. Secundus a Sacerdote magno dicitur סגן. *In Targum*; Et Sophoniam סגן præfectum Sacerdotum; *Jerem.* 52. 24. Et *Num.* 19. 3. Et tradetis eam Eleazaro סגן antistiti Sacerdotum. *Et Jerem.* 29. 26. Constitutus סגן præfectus Sacerdotum. *Et in secundo Targum Esth* 1. 2. Duæ sellæ aureæ, quarum una fuit pro Sacerdote summo, altera לסגן pro antistite Sacerdotum.

30 Ad dextram &c. *Hieroſ. Joma* 41. 1. In quinque rebus miniſtrabat Sagan Sacerdoti ſummo. Primo, dicebat Sagan *ad Sacerdotem ſummum*. Domine mi Sacerdos magne attolle dextram tuam: Secundo ſtabat ad ipſius dextram, & princeps domus patrum a ſiniſtra ejus. Tertio, ventilabat, agitabat cum ſudariis. Quarto, tenebat manum ejus, & adſcendere fecit eum (*adjuvit eum in adſcendendo per gradus*.) Quinto non poterat Sacerdos magnus præfici, ut eſſet Sacerdos magnus, niſi prius fuiſſet Sagan.

31 Sub Vicarii &c. *Vocantur* קתילוקין. *Gloſſa ad Hieroſ. Sekalim cap.* 5. *vocatur* ממונה על האוצרות. *In Tanchuma fol.* 78. 1. Similis eſt res iſta Regi, שהיו לו שני קתוליקין, qui habuit duos Catholicos. *In veteribus Gloſſis verb. Juris* κατολικιανοὶ Catholiciani, Rationales, rationum præfecti. *In Bemidb. rab. fol.* 271. 1. קרח היה קלולקוס לביתו של פרעה להיו בידו מפתחות האוצרות שלו Korach fuit catholicus domus Pharaonis, erantque in manu ejus claves theſaurorum ipſius. *Maimonides ad Codic. Sekalim*. V. 2. Sed erat præterea alia dignitas ſupra Emarcalin, qua præditi erant ii, qui dicebantur קתילוקין Catholociani, quam dignitatem poſſidere non poterant pauciores quam duo homines; quo modo erat, ut Sagan dignitate Pontificis maximi minor eſſet, & Catholociani minores dignitate τοῦ Sagan, & Emarcalin dignitate Catholocianorum minores, & quæſtores dignitate Emarcalin minores.

32 Quam ſeptem &c. *Toſaphta Sekal. ibid.* Septem Emarcalin quid faciebant? Habebant ſeptem claves atrii, ſi quis eorum aperire voluiſſet, non poterat, niſi omnes ingrederentur; quando omnes congregati erant, omnes ingrediebantur; Emarcalin ingrediebantur omnes, Emarcalin aperiebant, & quæſtores egrediebantur, & ingrediebantur, & juxta gradum honoris ingrediebantur, & egrediebantur. Dicit R. Jehuda; cur nomine Amarcol vocabatur? quia cuſtodiebat omnia.

33 Quæſtores &c. *Miſna Sekal.* V. 2. Non pauciores, quam tres theſaurarios conſtituunt, & non pauciores, quam tres camerarios. Non committunt præfecturam in Eccleſia ſupra pecuniam paucioribus, quam duobus, excepto Ben Achiæ, qui curat ægrotos, & Elieſere, qui præeſt velis; quia hos ipſa Eccleſia conſtituit. *Toſaphta Sekal. ibid.* Tres quæſtores quid faciebant? redimebant pretia rerum votarum, & anathemata ſacra, & ſanctitates, & decimam ſecundum; & omne negotium Sanctum ab ipſis peragebatur.

34 Anteibat &c. *Toſaphta Horajoth* II. 11. Unctus oleo Sacro præferebatur ei, qui veſtibus auctus erat; Auctus veſtibus præferebatur uncto in bellum, unctus in bellum præferebatur Sagan, Sagan præferebatur principi cuſtodiæ, princeps cuſtodiæ præferebatur præfecto domus paternæ, præfectus domus paternæ præferebatur Emarcol, Emarcol præferebatur quæſtori, quæſtor præferebatur Sacerdoti vulgari, Sacerdos vulgaris præferebatur Levitæ, Levita Iſraelitæ, Iſraelita Notho, Nothus Nethinæo, Nethinæus proſelyto, proſelytus ſervo libertate donato. *Babyl. Horajoth* 78. 2. Sacerdos unctus oleo ſacro præfertur ei, qui veſtibus inſignitus eſt, veſtibus inſignitus præfertur ei, qui unctus oleo ob ſeminis pollutionem a functione ſemotus eſſet; Hic præfertur ei, qui ſemotus eſſet a functione ob membrorum aliquem defectum; Hic præfertur Sagan, Sagan præfertur Sacerdoti in bellum uncto; unctus in bellum præfertur Emarcol, Emarcol præfertur quæſtori, quæſtor præfertur principi cuſtodiæ (*At in Hieroſol. legitur*; Sacerdos in bellum unctus præfertur principi cuſtodiæ, princeps cuſtodiæ præfertur præfecto domus paternæ, præfectus domus paternæ præfertur Emarcol, Emarcol præfertur quæſtori) princeps cuſtodiæ præfertur præfecto domus paternæ, præfectus domus paternæ præfertur Sacerdoti vulgari, Sacerdos vulgaris Levitæ, Levita Iſraelitæ, Iſraelita Notho, Nothus Nethinæo, Nethinæus proſelyto, proſelytus libertino.

35 Summus Sacerdos &c. *Siphra ad Levit. VI.* 22. מבניו יעשה אותה; ad docendum quod filius omnes antecellat; crederem, etiamſi non impleret locum patris (*i. e. ſi non imitaretur patrem*.) Ideo dictum eſt אשר ימלא את ידו, quo tempore implet locum patris, præfertur omnibus, ſi vero non impleverit locum patris alius loco ejus miniſtrat. *Siphra iterum ad Levit.* X. 6. Rabban Simeon filius Gamalielis dixit nomine R. Eleazaris filii Azariæ. Ecce dictum eſt *Num.* III. 4. *Mortui ſunt enim Nadab & Abiu cum offerrent ignem alienum in conſpectu Domini in deſerto Sinai abſque liberis*. Si habuiſſent liberos, illi præferendi erant Eleazaro & Ithamari, quia qui præfertur in hæreditate, præfertur etiam in dignitate. *Siphra iterum ad Levit. XVI.* 32. *Ut Sacerdotio fungatur pro patre ſuo*. Ad docendum, quod filius omnes homines antecellit. Crederem, etiamſi non impleret locum Patri ſui. Ideo dictum eſt; אשר ימלא את ידו; quo tempore implet locum patris, præfertur omnibus, ſi vero non impleverit locum patris, venit alius, & ejus loco miniſtat. *Peſikta ad Levit.* VI. 22. מבניו יעשה אותה; ad docendum, quod filius omnibus præferatur, quo tempore impleverit locum patris ſui; dictum eſt enim, אשר ימלא את ידו לכהן תחת אביו; ſi vero non impleverit locum patris ſui; venit alius & loco ejus miniſtrat. *Peſiktha iterum ad Levit.* VI. 22. לכהן; תחת אביו ad docendum, quod filius præferatur omnibus; תחת אביו; quo tempore impleverit locum patris. *Gemara Hieroſ. Joma* I. In primo templo ſummi Sacerdotes miniſtrabant, filio ſemper patri ſuccedente, & illi fuerunt octodecim numero. *Raſchi ad Exod.* XXIX. 30. *Qui pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus*; ad docendum, quod ſi Pontifex maximus habuerit filium, qui impleat locum ſuum, ejus loco præficitur ſummus Sacerdos. *Idem ad Levit.* XVI. 32. לכהן תחת אביו. Ad docendum, quod ſi filius impleat ejus locum omnibus præferatur. *Idem I. Paral.* XXIV. 1. Nadab & Abihu mortui ſunt ſine filiis, ideoque Eleazar & Ithamar Sacerdotio functi ſunt; nam *ait ille*, ſi Nadab & Abihu reliquiſſent filios, hi habuiſſent ſummum Sacerdotium, potiuſquam Eleazar & Ithamar. Ita cum Jozedek & Ezra eſſent filii Serajæ ſummi Pontificis, ſolus Jozedek ei ſucceſſit, non Ezra, quia Jozedek erat primogenitus.

36 Ad honores &c. *Toſaphta Sekalim* II. 19. Poterant *his dignitatibus* præfici Sacerdotes & Levitæ. Si cui eſſet filius & frater, filius præferebatur, ſi frater, & fratris filius, frater præferebatur, qui præferebatur in hæreditate præferebatur etiam in muneribus honorum, ea tamen lege, ut mores & inſtituta majorum ſuorum ſequeretur.

37 Hoc indicat &c. *Siphra ad Deut.* XVII. 20. *Ut longo tempore regnet ipſe & filii ejus*; ſi moriatur, ejus filius conſtituatur ejus loco. Non probo niſi pro hoc tantum; unde probatur pro omnibus præfectis Iſraelis, quod eorum vice ſui filii præficiantur? Ex eo quod dictum eſt בקרב ישראל; qui בקרב ישראל, ejus filius ſuo loco præficitur. *Peſikta ibid. Ut longo tempore regnet ipſe & filii ejus*; ſi moriatur, ejus loco filius præficiatur. בקרב כל ישראל. Hinc dixerunt. Non ungunt regem filium regis. Et ubi fuerit bellum, ungunt regem filium regis. Unxerunt Salomonem filium Davidis propter contentionem Adoniæ, & Joas propter Athaliam, & Joachaz propter Joakim, qui biennio erat illo natu major; quia regnum eſt hæreditarium, quo tempore eſt pax in Iſrael; dictum eſt enim; בקרב ישראל. At ſi fuerit bellum, tenentur ungere, uti diximus. Et unde probatur, quod præfectorum Iſraelis filii eorum loco præficiantur? Ex eo quod dictum eſt; *ipſe & filii ejus* בקרב ישראל, qui בקרב ישראל filii eorum loco conſtituuntur. *Raſchi ad Deut.* l. c. *Ipſe & filii ejus*; oſtendit, quod ſi filius ejus ſit idoneus ad regnandum, omnibus præferatur.

38 Non ſuccedebat &c. *Siphra ad Levit.* VI. 22. *unctus*, non probo niſi pro uncto oleo unctionis, multiplicatus veſtibus unde probatur? Ex eo quod dictum eſt; *& Sacerdos*; crederem includendum etiam Sacerdotem unctum in bellum; dictum eſt התחתיו; מבניו filius illius, qui ejus loco miniſtrat, affert decimam partem Ephæ; excluditur unctus in bellum, cujus filius ejus loco non miniſtrat. Et unde probatur, quod ejus filius ejus loco non miniſtrat? Ex eo quod dictum eſt; *Septem diebus utetur illa, qui Pontifex fuerit conſtitutus de filiis ejus, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in Sanctuario. Exod.* XXIX. 30. Qui ingreditur in tabernaculum conventus ad miniſtrandum in Sanctuario, ejus filius loco ejus miniſtrat, excluditur unctus in bellum, qui non ingreditur in tabernaculum conventus ad miniſtrandum in Sanctuario *Peſikta ibid.* Unde probatur, quod afferat decimam partem Ephæ?

Ex

Ex eo quod dictum est תחתיו מבניו; cujus filius ejus loco ministrat, affert decimam partem Ephæ, excluditur unctus in bellum, cujus filius ejus loco non ministrat; dictum enim est. *Septem diebus utetur illa, qui Pontifex fuerit constitutus de filiis ejus, & qui ingredietur in tabernaculum testimonii, ut ministret in Sanctuario*; excluditur unctus in bellum, qui non ingreditur in tabernaculum conventus ad ministrandum in Sanctuario. *Gemara Sota cap.* VII. 5. In hisce *vestibus* consuluntur de oraculo Urim & Thummim. Quum supervenit R. Demai; dixit vestibus quibuscum Pontifex summus Sacerdotio fungitur; iisdem etiam Sacerdos castrensis ministerium peragit. Q. D. Exod. XXIX. 29. *Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum*. Regerit R. Adda bar Ahabha; at dicent alii; forte sic possibile erit; ut Sacerdotis castrensis filius itidem loco ejus servitia sancta præstet, quemadmodum filius summi Sacerdotis in locum patris sui defuncti aliquando succedit. Resp. Scriptura rem decidit verbis statim sequentibus. *Septem diebus utetur illa, qui Pontifex fuerit constitutus de filiis ejus*. At vero si res ita habet, dignus utique videtur *Sacerdos Castrensis ut ingrediatur in Sanctum Sanctorum*, cum scriptum sit de die expiationis Levit. XVI. 32. *Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit, & cujus manus initiatæ sunt. Quæ impletio manuum mediantibus vestibus facta censenda est, secundum illa loci jam adducti. Vestem autem sanctam qua utetur Aaron, habebunt filii ejus* &c. R. Nachman pronuntiat; cujus unctio pro fundamento habet ministerium tentorii, eum etiam tentorii rebus præesse, & Sanctum Sanctorum ingredi; cum hoc vero, qui unctione sua ad bellica negotia expedienda destinatus est, rem aliter se habere; eum non nisi in bellum se conferre. Regerunt alii. Sacerdos castrensis non octo vestibus indutus ministrat instar summi Pontificis, neque tamen etiam quatuor solum idiotæ exemplo. Respondit Abbai; ἀνόμαλον illum reputandum esse, & plane singularem in reliquis Sacerdotibus personam; non pro Pontifice maximo haberi eum posse vitandæ invidiæ causa, neque pro vulgari Sacerdote etiam; eo quod quidem ad dignitates superiores in Sanctuario evehatur, non vero ab illis iterum deturbetur. In mentem revocat R. Adda bar Ahabha illum Doctorem Misnic. non metuendam esse Pontifici Max. hujus invidiam; cum ipse octo vestibus non ministret, traditione ita ferente. Hæc illa sunt, quæ discrimen faciunt inter Pontificem summum & gregarium Sacerdotem, juvencus Sacerdotis uncti, juvencus ob errorem Pontificis Max. & juvencus diei expiationis, nec non decima pars Ephæ *in dies a Pontifice offerenda*. Deinde etiam nec vestes scindebat *in luctu* nec caput suum denudabat; sed hic P. M. vestes discindebat inferne, cum Sacerdos gregarius superne id faceret. Præterea proper propinquos suos defunctos se minime polluebat; tenebatur itidem præcepto affirmativo de ducenda virgine, & contra interdicto de non ducenda vidua; morte etiam sua homicidam ex urbibus refugii liberabat, offerebat porro in luctu, neque etiam dividebat sacrificia; portionem præterea primus accipiebat; primus etiam partem suam offerebat, octuplici amictu vestitus serviebat, liber deinde erat ab immunditie sancti & sanctitatum; denique neque ministeria diei expiationis per alium præstari juste poterant nisi per ipsum. Quæ omnia vestibus auctum Sacerdotem æque concernunt, excepto unico juvenco pro peccato ex errore commisso. Conveniunt itidem omnia illa in unctum, qui remotus est, excepto tamen juvenco die expiationis offerendo, & quotidiana Pontificis Maximi oblatione decimæ partis Ephæ. Neutiquam vero illa omnia in Sacerdotem castrensem conveniunt, si non quinque illa in textu citato memorata. Ne crines alat, ne rumpat vestes *in luctu*, neque cognatorum causa se polluat; item quod de virgine ducenda, & non ducenda vidua præceptum exstat; quodque morte sua homicidas in pristinas sedes reducat secundum mentem R. Jehudæ. Cui tamen Sapientes alii contradicunt, asserentes eum non restituere homicidas hac moti ratione; quod ipsi a parte æqualis nulla exoriri possit inimicitia, a parte inferioris licet locum habeat. *Et paucis interjectis*. Id quod etiam genuinæ traditioni consonum sit, quæ sic se habet: Vestibus, quibuscum ministerio fungitur summus Pontifex, in illis de Urim & Thummim unctus belli consulitur.

39 Verberibus &c. *Commentum hoc Rabbinicum tam ridiculum est, ut confutatione non opus sit. Eadem plane fabulantur de vapulatione Regum. Vide* Frischmuthi *dissertationem de Rege eligendo & deponendo*.



פרק חמישי

CAPUT QUINTUM.

א. כהן גדול צריך שיהיה גדול מכל אחיו הכהני' בנוי בכח בעושר בחכמה ובמראה אין לו ממון כל הכהני' נותנין לו משלהן כל אחד לפי עשרו עד שיעשיר יותר מעשיר שבכולן

I. Summus sacerdos oportebat fratres suos [1] superaret omnes decore, viribus, divitiis, sapientia, specie. Cui si nulla res esset, cuncti sacerdotes ei largiebantur pro sua quisque facultate, ut vel opulentissimum eorum opibus superaret.

ב. ואין אחד מכל אלו מעכב אלא כך זה למצוות אבל אם נתרב' מכל מקום נתרב'

II. Neque tamen horum quidquam impediebat, quominus quisquam fieret summus sacerdos. Omnino his eum ornari rebus * præclarum erat; sed cujuscunque loci sacerdos hac dignitate amplificaretur, ratum & fixum erat.

ג. וחייב כהן גדול לנהוג כבוד בעצמו ולא יקל בעצמו עם שאר העם ולא יראו אותו ערום לא בבית המרחץ ולא בבית

III. Jam Summus sacerdos necesse erat sibi ipse [2] honorem haberet, neu sese levem præberet velut unus de multis, neu quisquam conspiceret eum * in balneo nudum, aut in latrina, neu porro tum, cum tonderetur. Nam quod dicitur: *Sacerdos*

II. *Præclarum erat*. Hebr. למצות de quo verbo vide quæ diximus Tract. superiori cap. 7. art. 2.

III. *In balneo nudum*. Hoc verecundiæ ornamento Judæis gentes bene moratæ nihil concesserunt: „ Tullius enim Offic. lib. 1. hæc nobis scripta reliquit. Scenicorum quidem mos tantam habet vere„ re disciplina verecundiam, ut in scenam sine sub„ ligaculo prodeat nemo. Verentur enim ne si quo „ casu evenerit, ut corporis partes quædam aperian„ tur, aspiciantur non decore. Nostro quidem more „ cum parentibus puberes filii, cum soceris generi „ non lavantur.

הכסא ולא כשמסתפר שנאמ׳ הכהן הגדו׳ מאחיו מלמד שנוהגין בו גדולה יתיר׳ רצה הו׳ שירחצו אחרי׳ עמו הרשו׳ בידו

ד. לא יכנס לבית המשתה ולא לסעוד׳ של רבים אפי׳ הן של מצוה אבל הולך הוא אם רצה לבית האבל וכשהוא הולך אינו הולך בערבוביא עם שאר הכהני׳ אלא מסבבי׳ אותו הכהנים וחולקין לו כבוד והסגן ממצעו בינו לבין העם והסגן ומשוח שעב׳ מימינו וראש בית אב והאבלי׳ וכל העם משמאלו ואו׳ לאבלי׳ תנוחמו והן מכבדין אותו כפי כוחן

ה. מת לו מת אינו יוצא אחריו ואינו יוצא מפתח ביתו או מן המקדש וכל העם באים לנחמו לביתו והוא עומד בשור׳ וסגן מימינו וראש בית אב וכל העם משמאלו ואומרי׳ לו אנו כפרתך והוא אומ׳ להם תתברכו מן השמים

ו. וכ שמברי׳ אותו כל העם מסובין על האר והו׳ מיסב על הספסל ואינו קורע על מתו כשאר הכהני׳ שנא׳ ובגדיו לא יפרום ואם קרע לוק׳ אבל קורע הוא מלמטה כנגד רגליו ואינו מרבה פרע לעולם שנא׳ את ראשו לא יפרע ואפילו בעת שלא יכנס למקדש אלא מספר מערב שבת לערב שבת ואינו מספר בתער אלא בזוג ראש שערה זו בעיקר זו עד שיראה כאילו הוא צמח כאחת שנא׳ ראשם לא יגלחו ופרע לא ישלחו כסום יכסמו את ראשיהם

maximus inter fratres suos. [*Lev*. 21. 10.] id hoc sibi vult cunctis adversus eum singularem quandam adhibendam esse reverentiam. Qui si vellet ut alii secum lavarent, licebat.

IV. Idem nec commessationem, nec convivium publicum quamvis sacrum inibat: * 3 ad lugentes autem, si vellet, adiret. Quo cum iret, non se confundebat cum reliquis sacerdotibus: sed hi eum honoris causa stipabant: vicarius ejus medius inter eum & comitantem populum intercedebat. Apud lugentem 4 vicarius & inunctus sacerdos, qui aliquando pro summo sacerdote sacris operatus erat, ejus ad dextram, & ad sinistram antistes familiæ sacerdotalis rem divinam tunc ipsum administrantis, lugentes, & reliqua plebs erat. Tum lugentibus ita dicebat: *Solatium habeatis*, & hi tribuebant ei honorem quantum in ipsis erat.

V. Si 5 quis ipsi mortuus esset nec veniebat in funus, nec e domo sua, vel e Sanctuario prodibat; verum omnes ad eum consolandum adibant: tum ipse consistebat ordine & loco suo; vicarius ad dextram ejus erat, & antistes familiæ sacra administrantis atque universa plebs ad sinistram. Astantes igitur ei dicebant: *Nos tua simus* 6 *expiatio*, quibus ille: *Propitium vobis cœlum esse jubeo*.

VI. * Cum præberetur ei cibus, 7 accubabat humi plebs omnis, ipse solus in subsellio accumbebat. * 8 Vestes suas non ita, ut ceteri sacerdotes, super mortuo suo lacerabat, quod a Lege dicitur: *Vestimenta sua non scindet*. (*Lev*. 21. 10.) Quæ si lacerasset, verberibus multaretur. At enim ut vestimentorum inferiora exadversum pedes dilaceraret, permissum erat. Nunquam multam nutriebat comam, quoniam a Lege dicitur: *Caput suum non discooperiet*; (*Ibid*.) sed eam tondebat singulis sabbati vigiliis. Jam ad tondendum utebatur non novacula, sed forfice. Jam 9 unius pili extremum sic erat in radice alterius repositum, ut simul una crevisse viderentur. Huc enim spectat vatis illud: *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes tondebunt capita sua*. (*Ezech*. 4. 20.)

ז. ובית

IV. *Ad lugentes autem*. Secundum illud quod præcipitur Ecclesiastæ cap. 7. v. 2. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*.

VI. *Cum præberetur ei cibus*, &c. Ut hoc intelligatur sciendum est more & instituto Judæorum lugentes statim a sepultura suorum obvoluto capite reverti domum, in ea se sordidatos continere septem dies totos, ibi discalceatos aut humi sedere, aut stare in pedes: vitari post humationem propinquorum primum cibum de suo capere: illum vero præberi ab iis, qui consolandi gratia lugentes adeunt: consolatores ipsos etiam cum ad lugentes venerint exutis calceis humi se collocare. At pontifici propter honoris amplitudinem concessum fuisse, ut cum ejus consolatores de more considerent humi, ipse sederet in subsellio. His de rebus disputatur Tractatu illo Talmudico, qui מועד קטן inscribitur capite ואלו מגלחין. Et lib. 14. nostri Scriptoris tractatu de Lugentibus: itemque libro ארבע טורים parte altera tract. de Lugentibus.

Vestes suas non ita, &c. Atque haud scio an præceptum hoc de non scindendis vestibus super mortuo pertineat etiam alio. Sanctus quidem Leo primus ejus nominis Pontifex Romanus non dubitat, quin vestimentorum scissio prorsus in omnem occasionem summo sacerdoti interdicatur. Itaque sermone 6. de Passione Domini in hæc verba prorumpit. Caiphas ad „ exaggerandam auditi sermonis invidiam, scidit ve„ stimenta sua, & nesciens quid hæc significaret in„ sania, sacerdotali se honore privavit, oblitus præ„ cepti illius, quod legitur de principe sacerdotum, „ *De capite suo cidarim non deponet*, & *vestimenta* „ *sua non disrumpet*.

ז. ובית יהיה לו מוכן במקדש והוא הנקרא לשכת כהן גדול ותפארתו וכבודו שיהיה יושב במקדש כל היום ולא יצא אלה לביתו בלבד בלילה או שע׳ או שתים ביו׳ ויהיה ביתו בירושלם ואינו זז משם

ח. כהן גדול דן ודנין אותו ומעידין עליו ,אין דנין אותו דיני נפשות אלא בבית דין הגדול בלבד שנאמר כל הדבר הגדול יביאו אליך

ט. היה יודע עדות אינו חייב להעיד ואפילו בבית דין הגדול שזה אינו כבוד לו שילך ויעיד ואם היתה עדות למלך ישראל הרי זה הולך בבית דין הגדול ומעיד לו

י. וכבר ביארנו בספר קדוש׳ שהוא אסור באלמנת ומצווה על הבתולה ואינו נושא שתי נשים ואם נשא שתים אינו יכול לעבוד ביום הצום עד שיגרש לאחת וחולץ וחולצים לאשתו ומייבמין את אשתו ואם גירש אשה מותר׳ להנשא לשאר העם

יא. בזמן שכהן גדו׳ נכנס להיכל להשתחו שלש׳ אוחזין בו אחד בימינו ואח׳ בשמאלו ואחד באבני׳ טובו׳ שבאפוד מאחוריו ויכנס להיכל וישתחוה וכיון שישמע הסגן קול רגליו של כהן גדול שהוא יוצא מגביה לו את הפרוכת ואחר שיצא יכנסו אחיו הכהני׳ וישתחוו ויצאו

יב. בכל יום שירצ׳ להקטיר הקטורת מקטיר ונוטל חלק בראש בקדשי המקד׳ כולן כיצד כשירצה אומר זו החטא׳ שלי וזה האשם שלי ואינו עובד בפייס אלא כל עת שירצה להקרי׳ מקרי׳ כל מה שירצ׳ והרי הוא בקדשי הגבול כשאר הכהני׳

יג. בזמן שרוצה כהן גדול להקריב היה

עולה

VII. Porro [10] domus erat ei parata in Sanctuario: hoc enim illud eſt, quod conclave ſummi ſacerdotis appellabatur. Atque honeſtum & decorum erat eum in Sanctuario ſedere die tota, ex quo nuſquam abibat, niſi in domum ſuam, idque noctu tantum, aut ad ſummum horam unam aut alteram interdiu. Habebat igitur domum Hieroſolymæ, unde nuſquam diſcedebat.

VIII. Summus ſacerdos * & [11] judicabat ipſe, & judicabatur: item dicebatur de illo teſtimonium: atque ejus de capite judicabat unus ille Senatus maximus, quia ſcriptum videmus: *Quidquid autem majus fuerit referent ad te*. (*Exod.* 18. 22.)

IX. Si [11] teſtimonium haberet, id ne maximo quidem Senatui debebat afferre, quippe quod teſtimonium afferre decorum ei non erat. Quod ſi teſtimonium ad regem Iſraelitam pertineret, utique ipſe ad Senatum maximum veniebat teſtimonium dicturus.

X. Jam id libro de Sanctitate demonſtratum a nobis eſt ſummo ſacerdoti * ne [12] viduam mulierem matrimonio ſibi conjungeret interdictum eſſe, & eſſe præſcriptum, ut in matrimonium duceret [13] virginem; non licuiſſe uxores ut duceret [14] duas: ſin duxiſſet duas, non potuiſſe * die jejunii ſacris operari, dum earum alteri nuntium miſiſſet. [15] Calceum a glore ſua exui ipſum, & viciſſim ab ejus uxore fratres exui: & ſi quam repudiaret uxorem, eam cuivis e populo nubere.

XI. Summus ſacerdos cum iniret templum numen adoraturus, [16] tres eum miniſtri apprehendebant. Eorum unius dexteram, alter ſiniſtram ejus, tertius tenebat eas, quæ in amiculo humerali gemmæ inerant, atque templum introibat, adorabat. Ut vicarius ex audito pedum motu ſummum ſacerdotem e templo redeuntem intelligebat, velum ei tollebat. Qui e templo cum exiſſet, fratres ejus ſacerdotes introibant, adorabant, exibant.

XII. Suffitum quo die cunque libuiſſet [17] adolebat, & de cunctis [18] Sanctuarii ſacris portionem princeps auferre potis erat. [19] Hoc igitur, ajebat, pro peccato ſacrificium meum erit: hæc hoſtia pro delicto erit mea; * nec ut ſacris operaretur ſortiendum ei erat: ſed cum placitum erat quam vellet rem divinam faciebat. [20] Ad reliqua vero totius Iſraeliticæ regionis ſacra par erat ejus & reliquorum ſacerdotum conditio.

XIII. Cum igitur ſacris operaretur ſum-

VIII. *Judicabat ipſe, & judicabatur*. At Reges, ut diſerte traditur capite 2. Tractatus Talmudici, qui סנהדרין inſcribitur fol. 18. ſancitum erat, ne aut judicarent ipſi, nec judicarentur, nec dicerent ipſi teſtimonium, neque porro de ipſis diceretur.

X. *Ne viduam mulierem*, &c. Sic & in Eccleſia a ſacris ordinibus arcetur qui in matrimonium duxit aliam, quam virginem, ut videre licet can. *69*. Concilii Carthaginenſis quarti, & Concilii Agathenſis can. 1.

Die jejunii. Sic paſſim vocatur ſolemnitas Expiationum.

XII. *Nec ut ſacris operaretur ſortiendum ei erat*. Ceteris enim ſacerdotibus, ut alio loco dicetur, niſi ſortito ſacris operari non licebat.

עולה בכבש והסגן מימינו הגיע למחצית הכבש אחז הסגן בימינו והעלהו והושי' לו הכהן שהוא מוליך את ראש העול' האברי' שבידו וסומך עליהן וזורקן לאש

יד. וכך היו מושיטי' לו שאר האיברי' כל אחד ואחד נותן האיברים שבידו לראשו' והראשון נותן לכהן גדו' והוא סומך וזורק לאש ואם רצה לסמו' בלבד ויהיה אח' זורק לאש עושה ואין שם סמיכה על האיברי' אלא לכהן גדול בלבד מפני כבודו אבל כל הסמיכות על בעלי חיים הם

יה. כשיגדי' הכהן ויעשה איש הרי הוא כשר לעבודה אבל אחיו הכהנים לא היו מניחין אותו לעבוד במקדש עד שיהיה בן עשרים שנה ואינו נכנס לעזר' לעמד תחילה אלא בשעה שהלוים אומרין שירה

יו. אין הכהן עובד תחילה וכן כהן גדול אינו עובד תחילה עד שיביא עשירית האיפה משלו ועובדה בידו שנ' זה קרבן אהרן ובניו אשר יקריבו לה' ביום המשח אותו ואם עבד קודם שיביא עשירית האיפה וכן כהן גדול שעבד בכהנה גדולה קודם שיביא עשירית האיפה עבודתו כשרה

יז. כהן שלא עבד עדיין מימיו שמינוהו כהן גדול הרי זה מביא עשירית האיפה ועובד' בידו בתחילה כשאר חינוך כל כהן הדיוט ואח"כ מקריב עשירית האיפה שניית שהיא חינוך כהן גדול ואח"כ מקריב עשירית האיפה שלישית שהיא חביתי כהן גדול שמקריב בכל יום וכמו שיתבאר ומעשה שלשתן שוה הוא:

mus ſacerdos [21] ad altare per collem aſcendebat, & incedebat ad dextram ejus vicarius. Ut medium collem attigiſſet ſummus ſacerdos, ejus dextram apprehendebat vicarius, atque illum porro producebat ad uſque faſtigium: tum ei porrigebat ſacerdos is, qui jugis ſacrificii caput ad altare deferebat, quæ haberet in manu victimæ membra. Quæ poſtquam ipſis manus impoſuiſſet, in ignem projiciebat.

XIV. Reliqua deinde ejus ſacrificii membra eidem ita porrigebant. Sacerdotum unuſquiſque quæcunque manu geſtaret victimæ membra dabat ſacerdoti, qui primas obtinebat, & hic ea tradebat ſummo pontifici: is illa projiciebat in ignem poſtquam manus illis impoſuerat. Qui ſi voluiſſet, manus tantum imponeret, & aliis in ignem projicienda daret. Jam victimæ membris imponere manus ſummo ſacerdoti uni honoris cauſa tributum erat. Nam in ſolis animatis omnino locum habet manuum impoſitio.

XV. Sacerdos, ubi creviſſet ad ſtaturam viri, idoneus erat, qui rem divinam faceret: ſed eum [22] non ſinebant fratres ejus ſacerdotes uſque dum viginti natus eſſet annos. Ac prima vice ſacris operaturus non inibat atrium, niſi dum carmen ad aram Levitæ concinerent.

XVI. Neque ſacerdotum quiſquam, neque ſummus pontifex ad primum ſacrificium faciendum accedebat, niſi prius de ſuo obtuliſſet [23] decimam ephi partem ſimilaginis, eamque ſua manu ſacrificaſſet: ait enim Lex: *Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debeant Domino de die unctionis ſuæ.* (*Lev.* 6. 20.) Attamen ſi ſacerdos ante, quam præſcriptam illam offerret decimam ephi partem ſimilaginis, ſacrificium feciſſet: item ſi ſummus ſacerdos ſacris operaretur uti pontifex, idque ante, quam obtuliſſet decimam ephi partem ſimilaginis, nihilominus tamen idoneum fuiſſet ejus ſacrificium.

XVII. [24] Si pontifex maximus crearetur ſacerdos, qui nunquam eſſet ſacris operatus, is ab initio obtuliſſet unam ephi decimam, & ſua manu ſacrificaſſet, ſic tanquam ſolebat quivis ſacerdotum ſacris initiandus: poſt obtuliſſet & alteram ephi decimam veluti pontifex initiandus: deinde etiam tertiam ephi decimam ſacrificaſſet. Hæc enim in cruſtula impendebatur ea, quæ ſingulis diebus a pontifice maximo offerebantur, ut inferius demonſtrabitur. Atqui horum ſacrificandorum munerum una & eadem erat ratio.

NOTÆ IN CAPUT QUINTUM.

1 Superaret &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 10. *Sacerdos maximus inter fratres ſuos*. Ut ſit maximus inter fratres ſuos forma, opibus, robore, ſapientia, & ſpecie; ſi opibus careret, unde probatur ditandum de bonis fratrum ſuorum? Ex eo quod dictum eſt; *maximus inter fratres ſuos*; quod ſit maximus de bonis fratrum ſuorum. Dixerunt ſapientes loquentes de Pinehas viro de Bata, quod ei contigerit, ut crearetur ſummus Sacerdos, & iveruut ad eum præfecti & quæſtores, & eum cælantem lapides invenerunt; & ei locum mummis aureis impleverunt. Dixit R. Chananja filius Gamalielis; Num erat lapidum inciſor? Erat noſter gener; at eum, terram arantem invenerunt, quemadmodum legitur de Eliſæo, de quo dicitur 3. *Reg.* XIX. *Et is arabat in duodecim jugis boum, & ipſe in duodecim jugis boum unus erat. Peſiktha ibid. Sacerdos maximus*; hic eſt Sacerdos magnus unctus oleo unctionis. *Maximus inter fratres ſuos*; ut ſit maximus inter fratres ſuos decore, honore, opibus, & ſapientia. Alia explicatio; *inter fratres ſuos*; ſi deſint opes, ut ditetur ex bonis fratrum ſuorum; uti narratur de Pinehas &c. *Toſaphta Joma* I. 6. Præceptum Sacerdotis ſummi erat, ut eſſet maximus inter fratres ſuos, decore, viribus, opibus, ſapientia, & ſpecie, & ſi ipſi deſint opes, unde probatur ditandum de bonis fratrum ſuorum? Ex eo quod dicitur; *Et Sacerdos maximus inter fratres ſuos*; quod fratres eum ditare debeant. Dixerunt Sapientes de quodam Pinehas filio Chabtæ, cui contigit, ut crearetur ſummus Sacerdos, iverunt ad eum quæſtores, & præfecti, & eum invenerunt cœlantem *lapide*, & ei locum cœlaturarum nummis aureis impleverunt. Dixit R. Chananja filius R. Gamalielis, non erat ſculptor; nonne erat noſter gener? Sed eum arantem invenerunt, ut reperimus ſcriptum de Eliſæo 3. *Reg.* XIX. *Et is arabat in duodecim jugis boum, & ipſe in duodecim jugis boum unus erat.*

2 Honorem &c. *Toſapha Sanhedrin* IV. 3. Nemini licebat eum conſpicere nudum, neque in balneo, neque tum cum tonderetur, ſicuti ſcriptum eſt; *Sacerdos maximus inter fratres ſuos, cujus ſuper caput fuſum eſt unctionis oleum*. Quod omnes ejus fratres illi uti maximo *honorem & reverentiam habeant*; verum ſi ei liberet, quod alii ſecum lavarentur, licebat. R. Jehuda dicit, ſi vellet contemni, ei non auſcultabant; ſicut ſcriptum eſt; ſint ergo ſancti; vel inviti.

3 Ad lugentes &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 12. *Nec egredietur de ſanctis*. Cum iis non egredietur, ſed poſt eos poteſt egredi. Verum illis tectis, ipſe detectus ſit, & illis retectis, ipſe tegatur; & egredietur cum eis uſque ad portam urbis; verba R. Meyr; R. Jehuda dicit; nec egredietur de ſanctis; nullo modo. *Peſiktha ibid. Nec egredietur de ſanctis*. De ſanctitate ſua non egredietur; quomodo? illis tectis, ipſe detectus ſit; & egredietur cum eis uſque ad portam urbis; verba R. Meyr. *Miſna Sanhedrin* II. 1. Quid ſi quem propinquorum morte amiſerit non incedit poſt feretrum, niſi ita ut iſtis tectis ipſe detectus ſit; iſtis retectis tegatur.

4 Vicarius & inunctus &c. *Toſaphta Sanhedrin* IV 3. Conſiſtebat etiam in ordine, ad conſolandum alios, & Sagan, & Sacerdos magnus, qui de ſummo Sacerdotio amotus eſſet, ad ejus dextram, & lugens ad ſiniſtram.

5 Si quis ipſi &c. *Miſna Sanhedrin ibid.* Quum ipſe conſolationem accipit ab aliis, omnis populus dicit; *nos tibi piamento*. Is ipſis reſpondet; *Benedicti ſitis cœlitus*. *Toſaphta Sanhedrin ibid.* Conſiſtebat in ordine, ut conſolationem acciperet, Sagan ei aderat ad dextram, & præfectus domus paternæ ad ſiniſtram; & omnis populus dicebat; *nos ſumus expiatio tua*. Et eis reſpondebat; *Benedicti ſitis cœlitus*.

6 Expiatio &c. *Aruch in voce* כר. Ubicunque dixerit quiſpiam; *ſim ego expiatio ejus*; perinde ac ſi dixerit; *ſim ipſe in ejus locum ſuppoſitus, ut iniquitates ejus portem*. Quod idem valet, ac ſi dixiſſet: *Ego ipſe, quo ille veniam conſequatur, illius in me peccata ſuſcipio*. *Raſchi ad II. Sanhedrin*. *Nos expiatio tua ſimus*. h. e. *inquit*. Simus nos in locum tuum ſuppoſiti, ut quod in te recidere merito poſſet, illud omne in nos recidat.

7 Accubabat &c. *Miſna Sanhedrin ibid.* Quando ipſi epulum lugubre præfertur, toto populo humi accubante, ipſe ſedet in ſolio. *Vide ibid.* Toſaphta Sanhedrin.

8 Veſtes ſuas &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 10. Si dixiſſet, *caput non diſcooperiet, & veſtimenta non ſcindet*, crederem, quod non diſcooperiat, neque ſcindat *veſtes* mulieris adulterii ſuſpectæ; ideo dicit, *caput ſuum*. R. Meyr dicit, *caput ſuum non diſcooperiet, & veſtimenta non ſcindet* pro ſuo mortuo, juxta conſuetudinem hominum, qui ſe diſcooperiunt, & ſe lacerant pro ſuis mortuis, non ſcindet, non lacerabit juxta conſuetudinem aliorum, qui lacerant. Quomodo? Sacerdos magnus lacerat inferius, & idiota ſuperius. *Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino*. Dicit R. Akiba, unde probatur ne quidem ad quartarium ſanguinis, qui ſit ex duobus mortuis? Ex eo quod dicit ועל נפשות מת; ſc. duæ animæ, & unus mortuus. *Non ingredietur, non contaminabitur*; tenetur pœna, cum ingredietur, & cum polluitur; ego non probo niſi pro Sacerdote magno, qui tenetur pœna ob præceptum, ne ingrediatur, & ne polluatur; unde probatur, quod Sacerdos etiam vulgaris teneatur pœna ob præceptum, ne ingrediatur, & ne polluatur? Ex eo quod dicit; *non contaminabitur, non contaminabitur*; argumento a pari; ſicuti *non contaminabitur*, dictum in Sacerdote magno reus eſt ob præceptum ne ingrediatur, & ne polluatur; ita *non contaminabitur* dictum in Sacerdote vulgari, reus eſt ob præceptum, ne ingrediatur, & ne polluatur. *Super patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur*; verum ei licet contaminari pro mortuo præcepti. *Peſiktha ibid. Caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet*; eo modo quo homines diſcooperiunt & & lacerant pro ſuis mortuis; quomodo? Sacerdos magnus lacerat inferius, & idiota ſuperius. ועל כל נפשת; deeſt ו ad docendum, quod vel quartarius ſanguinis, qui ex duobus mortuis prodierit, polluat in tentorio; *non ingredietur*, tenetur tam ingreſſu, quam pollutione; *ſuper patre quoque ſuo, & matre non contaminabitur*; verum contaminabitur ſuper mortuo præcepti. *Toſaphta Horajoth* II. 1. Hæc ſunt diſcrimina, quæ intercedunt inter Sacerdotem ſummum & Sacerdotem vulgarem; juvencus, qui offerebatur pro omnibus præceptis & juvencus diei expiationum, & decima pars Ephæ; non nutriebat comam; non lacerabat veſtes, ſed lacerabat inferius, at idiota lacerabat ſuperius, non polluebatur pro propinquis, & jubebatur nubere Virgini, & monebatur pro vidua, & reducebat homicidam, & offerebat Sacrificia vel lugens primo die, at non edebat; primus offerebat partem, primus partem accipiebat; & omne miniſterium diei expiationum non erat legitimum niſi per ipſum; neque tenebatur immunditie Sanctuarii, & rerum Sanctarum; & hæc omnia obſervabantur *in Sacerdote magno* veſtibus aucto, qui miniſtraſſet in Sacrificiis, excepto juvenco, qui adducebatur pro omnibus præceptis; verum hæc omnia non obſervabantur in uncto in bellum, exceptis quinque rebus, quæ a textu in Paraſcha commemorantur; non nutriebat comam, non lacerabat veſtes, non polluebatur pro ſuis propinquis, & jubebatur nubere virgini, & monebatur pro vidua, & reducebat homicidam; verba R. Jehudæ; & Sapientes dicunt, reducebat homicidam. *Toſaphta Macoth*. III. 14. Summus Sacerdos, qui diſcooperiſſet caput, qui laceraſſet veſtes, qui ſe polluiſſet ſuper quolibet de ſuis propinquis, pœna tenetur.

9 Unius pili &c. *Nedarim fol.* 51. 1. Quid eſt Ezech. XLIV. 20. כסום יכסמו את ראשיהם. Traditum eſt eſſe tonſuram לולײנית (κωχλιώδην). Quid eſt לולײנית? Raſura ſingularis, & pulcherrima. Quomodo ſe habet? Caput pili unius pertingit ad radicem pili alterius, & hæc raſura Sacerdotis magni.

10 Domus erat &c. *Maimonides ad Middoth* V. 1. Et in Gemara ad titulum *Joma* exponitur, quod ſuper hac porta erat balneum in quo Pontifex maxi-

mus

mus die expiationis se lavabat lotione prima; eo autem confluebat aqua e fonte quodam Etam, de hac lotione dixerunt in Codice *Joma* eum in loco profano situm esse, sicuti ibidem exposuimus. Porro quoque expositum est, quod Pontifici maximo erat conclave aliquod prope huic loco super atrii porta; Et quantum e *Gemara* liquet, conclave hoc ligneum erat, nam ad septentrionem, ubi est conclave pontificis maximi, erat quoque conclave Parhedrin in principio *Joma* memoratum. Illud vero conclave, quod ad meridiem erat super porta aquæ, est conclave domus Abtines, in quo Pontificem magnum ad jusjurandum adigebant pridie ante magnum expiationis diem.

[11] Judicabatur &c. *Rabbinicum commentum. Contrarium enim a Scriptura asseritur* Deut. XVIII. 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris &c. veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. *Plerique commentatores, vel heterodoxi* Fagius, Munsterus, Grotius &c. *ut prætercam Catholicos* Menochium, Tirinum, Bonfrerium &c. *& Hebræi ipsi* Josephus *lib.* 2.*contra* Apionem, *&* Philo *lib.* de Principe constituendo *hunc judicem ipsum fuisse summum Pontificem esse contendunt*. Quis enim audeat affirmare supremum Judicem ab aliis judicatum fuisse?

[11] Testimonium &c. *Misna Sanhedrin* I. 1. Sacerdos magnus ---- testimonium dicit, deque ipso dicitur. *Maimonides* in h. l. Hoc non intelligendum est de quolibet testimonio, sed tantum de testimonio, quod sigillatim ad Regem pertinet, magnitudinis, & dignitatis gratia.

[12] Viduam &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 14. *Viduam*. Quid necesse erat dicere & *repudiatam*? Quia si dixisset *viduam*, & non dixisset *repudiatam*, ego dicerem, vidua, quæ licita est Sacerdoti vulgari, est vetita Sacerdoti summo, repudiata, quæ vetita est Sacerdoti vulgari, non erit vetita Sacerdoti summo? Si ita dixisset, ego dicerem, vidua quæ licita est Sacerdoti vulgari, ejus proles est profana, repudiata, quæ vetita est Sacerdoti vulgari, proles, quæ ex ipsa nascetur, erit notha; ideo dicit; ולא יחלל וגרושה. Aut si dixisset *repudiatam*, & non dixisset *viduam*, ego dicerem, repudiatæ quæ vetita Sacerdoti vulgari, proles est profana, viduæ, quæ licita est Sacerdoti vulgari, proles esset legitima; ideo dicit אלמנה ולא יחלל גרושה ולא יחלל, viduam ad aggravandum, repudiatam ad allevandum; *& sordidam*; quænam est sordida? quæ nascitur ex profanis. *Atque meretricem*. Quid necesse erat dicere? quia poteram existimare mihi non esse argumentum nisi pro summo Sacerdote, quod proles, quæ nascitur ab iis, quæ sibi interdictæ sunt, sit profana; unde probatur pro Sacerdote vulgari, quod proles, quæ nascitur ab iis, quæ sibi sunt interdictæ, sit profana? ex eo quod dicit, *meretricem*, *meretricem*; a pari. Quemadmodum meretrix commemorata in summo Sacerdote facit prolem earum, quæ sibi interdictæ sunt, profanam, etiam meretrix commemorata in Sacerdote vulgari reddit prolem earum, quæ sibi sunt interdictæ, profanam. *Non accipiet*; has non accipiet; *& non contaminabit*; At proles, quæ nascitur e muliere menstruata non est profana. At licet argumentari. Si quis cum his concumbat, excidii non est reus, tamen earum proles est profana; Mulieris menstruatæ, cum qua si quis concumbat, excidii reus est, proles non erit profana? *Has non accipiet*, *& non contaminabit*; at proles mulieris menstruatæ non est profana. *Pesiktha ibidem*. *Viduam* &c. propterea quod licita est sacerdoti vulgari, necesse erat ut scriptura diceret, quod esset vetita Sacerdoti summo, ad te docendum, quod ejus proles non est notha, sed profana. Venit vidua ad aggravandum, quod etiamsi sit licita Sacerdoti vulgari, ejus proles ex Sacerdote magno est profana; Et venit repudiata ad allevandum, quod etiamsi vetita sit Sacerdoti vulgari, ejus proles ex Sacerdote summo non est notha sed profana juxta legem Sacerdotis vulgaris; וחללה, *proles* quæ nascitur ex profanis; *meretricem*, a pari, quemadmodum meretrix dicta in Sacerdote summo facit prolem earum, quæ sibi interdictæ sunt, profanam, ita etiam in Sacerdote vulgari. *Misna Sanhedrin* II. 1. Ipsi enim (*sc. Pontifici*) viduæ matrimonio interdictum est. *Misna Jevamoth* VI. 4. Pontifex maximus non ducet viduam, sive ea fuerit vidua ex desponsationibus, sive vidua fuerit ex consecrationibus; *Si vero desponderit viduæ, & postea electus fuerit Sacerdos magnus, ei licita est*. *Siphra ibid.* יקח אשה cur dictum est? Unde probatur, quod si desponderit viduæ, antequam electus fuerit summus Sacerdos, ei liceat cum ea concumbere? ex eo quod dicit יקח אשה. Narratur historia de Jehosua filio Gamlæ, qui despondit Marthæ filiæ Baithos, & Rex deinde eum elegit Sacerdotem summum, cum ea concubuit. *Pesiktha ibid.* יקח אשה. si viduæ desponderit, & postea electus sit Pontifex maximus, eam ducere potest. Narratur historia de Jehosua &c. *Misna Jevamoth ibid.* Si desponderit viduæ, & interim electus fuerit Pontifex maximus, ducat eam. Factum est, ut Jehosua filius Gamlæ dederit sponsalia Marthæ filiæ Baithos, & Rex eum elegerit Pontificem maximum, & duxerit eam.

[13] Virginem &c. *Siphra ibid. Puellam*; docemur, quod præceptum est, ut ducat *puellam*; *de populo suo*, ad includendam filiam proselyti Ammonitæ, quod sit licita Sacerdoti *Pesiktha ibid. Puellam de populo suo*; ad docendum, quod præceptum est, ut ducat puellam; *de populo suo*; ad includendam filiam proselyti Ammonitæ, quod sit licita Sacerdoti. *Misna Jebamoth* ibid. Neque ducet הבוגרת *puellam*. R. Eliezer, & R. Simeon permittunt puellam ducere. *Maimonides in h. c.* Scriptum est Levit. XXI. 14. והוא אשה בבתוליה יקח, dixerunt sapientes, quod hæc verba excludunt בוגרת, cujus virginitas consummata est; vocatur autem בוגרת virgo quando habuerit sex menses post signa adolescentiæ; signa vero adolescentiæ sive virginitatis sunt duo pili post annum duodecimum, nam si creverint duo pili intra tempus duodecim annorum, non sunt signa adolescentiæ. Sic etiam, quandiu nondum illi duo pili fuerint etiam post duodecim annos, minorennis est usque ad viginti annos exactos, quemadmodum exponetur in hoc tractatu.

[14] Duas &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 32. Unde probatur, quod ei substitueretur alius Sacerdos, si contigisset, ut pollueretur, pariterque desponsaretur alia uxor, hac lege, si casus accidisset in uxore sua? ex eo quod ibid. v. 6. *Et oraverit pro se & pro domo sua*; verba R. Jehudæ. R. Jose dicit; Si ita foret, non esset rei finis. *Misna Joma* I. 1. R. Jehuda dicit, substituunt etiam aliam uxorem, si uxor ejus moriatur; quia dicitur; *Et expiabit pro se, & pro domo sua*; i. e. uxore sua. Dixerunt ei; si sic, non erit rei finis.

[15] Calceum &c. *Siphra*; Crederem, etiamsi dixisset ducere fratriam, ei liceret eam ducere; ideo dicit; ducet אשה *mulierem*, non fratriam. *Pesiktha ibid.* ducet אשה mulierem, non fratriam. *Misna Sanhedrin* II. 1. Sacerdos magnus ----- calceo se exuit, aliique id faciunt ob uxorem ejus; alii hujus uxorem ducunt jure leviratus, ipse non item. *Tosaphta Sanhedrin. cap.* IV. 1. Nec calceum exuebat, nec ejus fratres suæ uxori calceum exuebant, nec fratriam ducebat; at ejus fratres suam uxorem ducere poterant.

[16] Tres cum ministri &c. *Misna Tamid* VII. 1. Tempore illo, quo ingrediebatur Sacerdos magnus ad incurvandum se, tres apprehendebant illum, unus ad dextram, alter ad sinistram, tertius ad lapides pretiosos, & postquam audisset præfectus strepitum pedum Sacerdotis magni, quando egrediebatur, elevabat ipsi velum, ingrediebatur & incurvans se exibat, ingrediebantur fratres ejus Sacerdotes, & incurvantes se exibant.

[17] Adolebat &c. *Babyl. Joma*. 17. 2. Quomodo primus offerebat? dicebat, holocaustum hoc ego offeram, oblationem hanc ego offeram. Quomodo primus, partem capiebat? dicebat; Sacrificium hoc pro peccatis ego edam, sacrificium hoc pro delictis ego edam; capiebat partem ex duabus placentis, & quatuor aut quinque panes propositionis.

[18] Sanctuarii &c. *Siphri ad Num.* XVIII. 20. Quatuor & viginti dona concessa sunt Sacerdotibus; duodecim in Sanctuario, & duodecim in provincia. Quænam sunt duodecim Sanctuarii? Sacrificium pro peccato, & sacrificium pro delicto, & sacrificia pacifica cœtus, & pellis holocausti, & residuum logi olei leprosi

prosi, & reliquiæ manipuli, & duo panes, & panis facierum, & reliquiæ munerum, & ablatio sacrificii Eucharistici, & ablatio pectoris & cruris, & armus, & aries Nazyræi. *Maimonides Bicurim* I. 9. Dona illa octo, quorum usus in Sanctuario tantum conceditur, sunt Sancta Sanctorum, illaque a nemine nisi masculis Sacerdotes inter poterant comedi, ut suo loco explicatum dabimus; & de his dictum est; *omnis masculus inter Sacerdotes comedet* &c. Levit. VI. 22. Quinque illa, Hierosolymis tantum licita, leviora sancta sunt, permissaque maribus & fœminis, de quibus exstat; *Tibi dedi & filiis tuis, & filiabus tuis, jure perpetuo &c. Nu.*XVIII. 11. Etiamsi autem ita res habeat, illa tamen solis maribus Sacerdotibus tradebantur, quoniam ad viros custodiæ pertinebant, sicut de primogenito pinguedo & sanguis offerebatur, nec alius quam vir ea offerebat. Sic quoque pelles de Sanctis Sanctorum, ager possessionis, anathemata, & rapina proselyti, tantum a viris custodiæ, ut patebit accipiebantur &c.

[19] Hoc igitur &c. *Tosaphta Joma* I. 5. Quomodo intelligitur summum Sacerdotem accipere portionem in principio? dicebat, hoc sacrificium pro peccato est meum, hoc sacrificium pro delicto est meum; una ex duabus placentis; quatuor aut quinque placentæ panis facierum. Rabbi inquit, ego dico eum capere dimidium, sicuti scriptum est Levit. II. 10. *reliqua pars similæ erit pro Aaron, & filiis suis.* Statuitur in pari gradu Aaron cum filiis suis. In quo casu hæc dicta sunt? pro sanctitatibus sanctuarii, sed pro sanctitatibus provinciæ æqualiter summus Sacerdos cum Sacerdote idiota partiebatur.

[20] Ad reliqua vero &c. *Siphri ibid.* Duodecim *dona* provinciæ sunt primitiæ, & ablatio ex decima, & placenta, & primitiva, primitiæ lanæ detonsæ, & dona, primogenitum hominis, & primogenitum animantis mundi, & primogenitum asini, & anathemata, & ager possessionis, & rapina proselyti &c. *Vide ibid.* Maimonidem.

[21] Ad altare &c. *Misna Tamid ibid.* Quando Sacerdos magnus volebat adolere, adscendebat per ponticulum, erat autem præfectus Sacerdotum ad dextram ejus, ubi venerat ad medium ponticulum, apprehendebat præfectus Sacerdotum dextram ejus, & adscendere faciebat eum; tum primus præsentabat ipsi caput & pedem, imponensque manus, aspergebat, porrigebat secundus primo duas manus, qui præsentabat eas Sacerdoti magno, demittebatur, & abibat, hoc modo reliqua membra ipsi porrigebat, quæ impositis manibus aspergebat, quando volebat, imponebat tantum manus, & alii aspergebant. Quando circumibat altare, unde incipiebat? a cornu australi ad orientale, ab orientali ad septentrionale, a septentrionali ad occidentale, ab occidentali ad australe &c.

[22] Non sinebant &c. *Pesiktha ad Levit.* XXI. 17. *Loquere ad Aaron.* Dixit R. Eliezer fil. R. Jose. Puer est illegitimus ad ministerium; quamvis sit perfectus. A quonam tempore legitimus est ad ministerium? Quando ei nascantur duo pili: At fratres ejus Sacerdotes non sinunt eum accedere ad ministerium, donec sit 20. annorum; quia dictum est *homo de semine tuo*, non vero omne semen tuum, donec sit conveniens ad ministrandum. *Tosaphta Sevachim* XI. 6. Vir participabat, quamvis esset maculatus, puer non participabat, quamvis esset perfectus. Quandonam puer erat idoneus ut participaret de sanctitatibus Sanctuarii? Quando ei nascebantur duo pili, sed non sinebant eum accedere ad ministrandum, donec esset barbatus. Rabbi dicit; ego dico, donec sit 20. annorum & amplius, ut præficiatur operi domus Domini. *Tosaphta Chagiga* I. 5. Puer quando sit barbatus idoneus est, ut eligatur legatus cœtus, & ministret coram Altari, & benedicat; verum non participat de sanctitatibus sanctuarii, nisi ei fuerint duo pili. Rabbi dicit usque ad vigesimum annum, sicuti scriptum est *Esdræ* III. 8. *Et constituerunt Levitas a viginti annis & supra, ut urgerent opus Domini. Gemara Babyl. Chulin* c. 1. Functioni idoneus est, postquam excreverunt ei pili bini, sed fratres Sacerdotes eum in vices non accersunt ante ætatem 20. annorum.

[23] Decimam Ephi &c. *Siphra ad Levit.* VI. 20. *Hæc est oblatio Aaronis, & filiorum ejus*; crederem, quod Aaron, & filii una simul afferrent hoc sacrificium; ideo dicit; *& filiorum ejus*, quam offerre debent. Aaron afferebat seorsim, & filii ejus seorsim; *filiorum ejus*; hi sunt Sacerdotes idiotæ; at ego dicam de filiis ejus, cum forent summi Sacerdotes; quando dicit; *Sacerdos unctus de filiis ejus*; eo loci loquitur de summo Sacerdote; quomodo explicabo filios ejus? hi sunt Sacerdotes vulgares. Quum primum Sacerdos ministrare incipiebat, afferebat decimam partem Ephæ, & sua manu offerebat sive esset summus Sacerdos, sive Sacerdos vulgaris; si ministrarent, priusquam attulisset decimam partem Ephæ, ejus ministerium est illegitimum. *Pesiktha ibidem. Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus*; Aaron affert seorsim, & filii ejus afferunt seorsim; hi sunt Sacerdotes idiotæ; quum primum filius accedebat ad ministrandum, afferebat decimam partem Ephæ, & manu sua offerebat, sive esset Sacerdos summus, sive Sacerdos idiota; sin minus decimam partem Ephæ attulissent, eorum ministerium est illegitimum. *Tosaphta Sekalim* III. 26. Sacerdos idiota non introibat in atrium ad ministrandum, nisi quum attulisset decimam partem Ephæ de suis bonis, & offerre sua manu debebat, tamen si non attulisset, neque manu sua obtulisset, eorum ministerium est legitimum.

[24] Si Pontifex &c. *Siphra ibid. In die unctionis suæ*; a die unctionis afferebat decimam partem Ephæ in sempiternum; aut dicam in die unctionis suæ, in die unctionis suæ afferebat decimam partem Ephæ, & deinde cessaret dictum est *in sacrificio sempiterno*; quomodo igitur explicabitur *in die unctionis suæ?* in die unctionis suæ afferebat decimam partem Ephæ, & in posterum decimam partem Ephæ, unam ex decem partibus trium satorum, quæ erant septem quartarii ex paulo amplius. *Similæ*; sicuti simila alio loco dicta erat triticea, etiam simila hic commemorata triticea; מנחה; erat simile reliquis muneribus pro thure; תמיד, etiam in immunditie, תמיד etiam in Sabbatho. Si diceret dimidium mane, & dimidium vesperi; crederem ei afferendas esse duas decimas mane, & dimidiam decimam vesperi, quando dicit *medium ejus mane, & medium ejus vesperi*, intelligitur afferendum illi esse dimidium ejus integrum mane, & dimidium ejus integrum vesperi. Quid faciebat? Afferebat decimam integram, & dividebat; dimidium mane, & dimidium vesperi offerebat; si dimidia pars, *quæ* vesperi *offerenda erat*; immundata esset, crederem afferendum illi esse dimidium decimæ de domo sua pro vesperi; ideo dicit, *& medium ejus vespere*, ex integro. Quid faciebat? afferebat decimam integram, dimidium offerebat, & dimidium corrumpebatur. Si Sacerdos mane obtulisset, & alium loco ejus ad summum Sacerdotium eligerent, crederem huic esse afferendum dimidium decimæ e domo sua; ideo dicit, *medium ejus mane, & medium ejus vespere*, ex integro debebat vesperi afferre. Quomodo faciebat? afferebat decimam integram, eamque dividebat, dimidium offerebat, & dimidium corrumpebatur; hinc deprehenditur, quod duo dimidia offerebantur, & duo dimidia corrumpebantur. *Pesiktha ibidem. In die unctionis suæ*, in die quo ungitur afferet decimam partem Ephæ similæ; *in munere sempiterno*, ad docendum, quod quando inceperit, non cessabit, sed a die unctionis suæ usque in sempiternum afferet singulis diebus &c. Decima pars Ephæ est una ex decem partibus trium satorum, quæ erant septem quartarii & amplius. *Similæ* ex tritico, תמיד vel in Sabbatho; *medium ejus mane, & medium, ejus vesperi*. Si immundetur dimidium inter duas vesperas, aut pereat, afferat decimam a domo sua, & dimidium offeratur, & dimidium corrumpatur. Atque ita si Sacerdos attulerit dimidium decimæ, & moriatur, & loco ejus alium Sacerdotem elegerint, hic afferet decimam integram, & dimidium offerat, & dimidium disperdatur; deprehenduntur duo dimidia oblata, & duo dimidia corrupta.

פרק ששי

א. אי איפשר שיהיה קרבנו של אדם
קרב והוא אינו עומד על גביו וקרבנות
הציבור הן קרבן של כל ישר' ואי איפש
שיהיו ישראל כולן עומדין בעזרה בשעת
קרבן לפיכך תקנו נביאי' הראשוני' שיבררו
מישר' כשרי' ויראי חטא ויהיו שלוחי כל
ישראל לעמוד על הקרבנו' והם הנאמרי'
אנשי מעמד וחלקו אותם ארבע' ועשרי'
מעמדו' במניין משמרו' כהונ' ולויה ועל כל
מעמד ומעמד אחד מהן ממונ' על כולם
והוא נקרא ראש המעמד

ב. בכל שבת ושבת מתקבצין אנשי מעמד
של אות' שבת מי שהיה מהן בירושלי או
קרוב לה נכנסין למקד' עם משמר כהונ'
של אות' שבת והרחקי' שבאותו מעמד כיון
שהגי' מעמד שלהן הן מתקבצי' לבית הכנסת
שבמקומן

ג. ומה הן עושין אלו המקבצין בין
בירושלם בין בבתי כנסיו' מתענין בשני בשב
שלהן בשלישי וברביעי ובחמישי אבל בערב'
שבת לא היו מתענין מפני כבוד שב' ובאח'
בשב' אינם מתעני' כדי שלא יצאו מעונג'
שבת לצו'

ד. ובכל יום ויו' משב' שהיא מעמדן
מתפללי' ד' תפילו' שחרי' ומנח' ונעילה ועוד
מוסיפין תפלה אחרת בין שחרית ומנח'
והיא יתירה להן ונושאין כפיהן הכהנים
במעמד שלשה פעמי' בכל יום בשחרית
ובתפילה זו היתרה ובנעילה וקורין בספר
תורה שלש אנשי' שתי פעמי' בכל יום
בשחרית ובתפילה השנייה שמוסיפין אבל
במנחה לא היו קוראין בספר תורה אלא
על פה כקוראין את שמע ולא היו מתקבצין
לתפילה מנחה בערב שבת מפני שהן טרודין
לשבת

ה. וקיבוצן לכל תפילה מארבע תפילו'

CAPUT SEXTUM.

I. NUllius omnino ſacrificium fieri potuit, quin huic ipſe intereſſet. Cum igitur Eccleſiæ ſacrificia cunctorum forent [1] Iſraelitarum, nec fieri poſſet, ut omnino omnes Iſraelitæ in atrio aſſiſterent divinis, a priſcis inſtitutum vatibus erat, ut ex Iſraelitica gente tota viri deligerentur idonei, plurimum a peccato abhorrentes, qui gentis univerſæ legati divinis aſſiſterent. Hi nimirum illi ſunt, qui *Viri ſtationis* appellantur. Atque ut ſacerdotes & Levitas in curias, item iſtos in ſtationes deſcripſerant quatuor & viginti. Earum ex unaquaque unus erat præfectus omnibus. Is vocabatur ſtationis [2] Antiſtes.

II. Singulis igitur ſabbatis conveniebant omnes illi viri ſtationis, qui per hebdomadam erant officio functuri: & ex his qui erant Hieroſolymæ, aut propius aberant, introibant in Sanctuarium una cum ſacerdotum curia & Levitarum, qui per eandem hebdomadam ſacra erant adminiſtraturi: & qui procul eſſent diſſiti, ubi ſuæ ſtationis appetiſſet tempus, in ejus, quem incolebant, loci ſynagogam coibant.

III. Quid igitur faciebant homines illi vel Hieroſolymæ, vel in ſynagogis longe diſſitis? [4] Primum jejunabant ſuæ hebdomadæ die ſecundo, itemque tertio, quarto, ac quinto. Nam vigilia ſabbati propter honorem ſabbato habendum non jejunabant, neque porro die primo hebdomadæ, ne de ſummis ſabbati deliciis protinus in jejunium tranſirent.

IV. Porro quovis ejus hebdomadæ, qua rebus divinis aſſiſtebant, die quatuor ad Deum precationes fundebant, matutinam, veſpertinam, ac clauſulam: atque inter matutinam & veſpertinam addebant aliam quandam, quæ ſane quidem illis erat peculiaris. Tum ſacerdotes [5] ter in die manus tollentes populo benedicebant, ad precem matutinam, item ad præcipuam illam precationem, atque ad clauſulam. Præterea bis in die tres homines de libro [6] prælegebant aliquid e Lege, ſcilicet ad precem matutinam & ad eam, quam diximus addi precationem. Nam ad precem veſpertinam aliquid e Lege recitabatur non de libro, ſed memoriter, ut fere recitatur illa ſectio: *Audi Iſrael*, &c. (*Deut.* 6. 4.) Jam vigilia ſabbati non conveniebant ad veſpertinam precem, quippe cum eſſent admodum occupati in apparatu rerum, quæ ad ſabbatum rite agendum requiruntur.

V. Horum igitur hominum tum ipſa convocatio ad unamquamque earum, quas

אלו

אלו ועמידתן שם לתפילה ולתחינה
ולבקשה ולקרו' בתור' נקרא מעמד

ו. ובמ' היו קוראין במעש' בראשי' ביום הראשון קוראין בראשית ויהי רקיע בשני יהי רקיע ויקוו בשלישי יקוו ויהי מאורו' ברביעי יהי מאורו' וישרצו בחמשי ישרצו ותוצ' הארץ בששי ותוצ' הארץ ויכולו

ז. פרש' גדולה קורין אות' בשני וקטנה קורא אות' אח' ושתי פרשיו' שקורי' שחרית הם שחוזרים וקורין אותם בתפלה השנית בספר וחוזרין וקורין אות' במנחה על פה

ח. שמנת ימי חנוכ' לא היו אנשי מעמ' עושי' מעמד בשחרי' וכל יום שיש בו קרבן מוסף לא היה בו מעמד לא בתפילה שנייה שלה' ולא במנח' אלא בשחרי' ובנעילה בלבד וכל יום שהיה בו קרבן העצי' לא היה בו מעמד בנעילה אלא בשחרית ובתפילה שנייה ובמנחה

י. ומהו קרבן העצי' זמן קבוע היה למשפחו' משפחו' לצאת ליערי' להבי' עצי' למערכ ויום שיגיע לבני משפחה זו להביא העצים היו מקריבי' עולו' נדבה וזהו קרבן העצי והיה להם כמו יו"ט ואסורי' בו בהספד ובתענית ובעשיית מלאכ'

יא. ודבר זה מנהג אפילו יחיד שהתנדב עצי' או נזרי' למערכ' אסו' באותו היו' בהספד ובתעני' ובעשיי' מלאכ' ודבר זה מנהג

יב. אנשי מעמד אסורי' מלספ' ומלכב' כל שבת שלהן ובחמישי מותרין מפני כבוד השבת ומפני מה אסרו עליהן לספר ולכבס כדי שלא יכנסו למעמדם כשהן מנוולין אלא יספרו ויכבסו מקודם:

commemoravi, precationum; tum etiam ad precandum, orandum, & obtestandum Deum, legendamque Legem commoratio, *Statio* vocabatur.

VI. [8] Legebant igitur e Genesi primo hebdomadæ die usque ad *Fiat firmamentum*: altero usque ad *Congregentur aquæ*: tertio ad *Fiant luminaria*: quarto ad *Producant aquæ*: quinto ad *Producat terra*: sexto ad *Perfecti sunt cœli*.

VII. Atque Legis sectionem illam majorem [9] homines duo legebant: parvam perlegebat unus & idem. Et [10] quæ mane legebantur sectiones duæ, eædem rursus ad secundam precationem legebantur de libro, & ad vesperam memoriter.

VIII. [11] Per octo dies solemnes dedicationis templi viri stationis stationem non agebant ad precem matutinam. Et quocunque die sacrificium fiebat extraordinarium, eo stationem neque ad secundam precationem agebant, neque ad vespertinam, sed duntaxat ad matutinam & ad clausulam. Jam quo die fiebat sacrificium illud lignorum, nulla statio ad clausulam erat: sed ad matutinam, secundam, & vespertinam precationem.

IX. Ac * de sacrificio lignorum, erant [12] multæ Israelitarum familiæ, quarum suum cuique finitum erat tempus, quo pergerent in sylvas lignum ad usum altaris cæsum apportatura. Ac singulæ istæ familiæ, cum venisset dies sibi præstituta, offerebant holocausta voluntaria: nimirum hoc illud est, quod sacrificium lignorum dicitur. Namque habebant diem illam festam & solemnem, & his eadem die [13] lamentari vetitum erat, jejunare, aut ullum opus efficere; quanquam totum hoc moris erat & instituti.

X. Etenim & privatus homo, [14] qui ligna integra vel dissecta certum in diem altari vovisset, eodem ei lamentari, jejunare, opus facere interdictum erat, more videlicet ac consuetudine.

XI. Viris stationis interdictum erat [15] neve barbam & capillum tonderent, neve lavarent per totam hanc, qua ministrabant, hebdomadam. Rursus enim ut die quinto ejusdem hebdomadæ id facerent, propter honorem sabbato habendum, concessum erat. Quod autem interdictum esset, ne hoc idem reliqua hebdomada sua facerent, id causæ fuit, ut in stationem ingrederentur non inculti & horridi, sed jam tonsi & lauti.

IX. *De sacrificio lignorum*. Hoc sacrificium lignorum Hebraice קרבן העצים statis diebus faciendum commemoratur Nehemiæ 10. v. 34. *Sortes ergo misimus super oblatione lignorum* על קרבן העצים *Sacerdotes, Levitæ, & populus, ut inferrentur in domum Dei nostri, in domum patrum nostrorum temporibus præstitutis*. Et rursus ibid. cap. 13. v. 31. *Et in oblatione lignorum* ולקרבן העפים *in temporibus constitutis*. Flavius porro Josephus lib. 2. de Bello Judaico cap. 17. obiter meminit de solemnitate sacrificii lignorum. „ Deinceps vero, inquit, adveniente ea festivitate, quæ Xylophorias dicitur, in qua mos est „ grandem lignorum materiam convehere ad templum, quatenus nunquam ignis deficiat esca (semper enim inextinguibilis perseverat) &c.

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

[1] Israelitarum &c. *Siphri ad Num.* XXVIII. 2. תשמרו; ut his intersint Sacerdotes, Levitæ, & Israelitæ. *Misna Taanith* IV. 2. Atque hæ sunt *stationes*, quippe cum dicatur *Num.* XXVIII. 2. *Præcipe filiis Israel dicens*; *oblationem meam & panes*, *& incensum odoris suavissimi offerte*. Jam vero quomodo fieri poterat oblatio cujusdam viri ipso non præsente? Hac de causa constituerunt Prophetæ priores Samuel & David XXIV. custodias. Unicuique autem custodiæ adjuncta erat Hierosolymis statio, constans ex Sacerdotibus, Levitis, & Israelitis. *Tosaphta Taanith* III. 2. Steterunt Prophetæ Hierosolymis, ibique constituerunt 24. stationes Israelitarum contra 24. custodias Sacerdotum, & Levitarum; sicuti scriptum est. *Præcipe filiis Israel dicens*, *oblationem meam*, *& panes* &c. Fieri non potest, ut intelligatur de toto Israele; sed docemur, quod legatus sit idem ac is, a quo legatur. *Gemara Taanith*. fol. 17. 2. Unde hæc verba probantur? Nomine R. Ase dixit R. Jacob filius Achæ. Nisi stationes peragerentur, non subsisterent cœlum & terra; eo enim spectat quod dicitur Gen. XV. 8. *At ille ait*; *Domine Deus unde scire possum*, *quod possessurus sim eam*? Porro dixit Abraham; Rex mundi, forsan Israelitæ adversum te peccaturi sunt, & tu facis eos similes generationi diluvii, & generationi dispersæ. Respondit *Dominus*; minime. Institit *hinc Abraham* dicens; Summe arbiter mundi, da mihi notam, unde sciam me possessurum illam. Respondit ei *Dominus*. Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram triennem &c. Porro Abraham sic inquit. Rex mundi, maneat hoc, *quod mihi dedisti præceptum de offerendo sacrificio*, omni tempore, quo domus Sancta durat, verum cum illa amplius non sit, quid de iis futurum est? Cui *Dominus* respondit. Jamdudum descripsi illis ordinem oblationum. Itaque tempore, quo illi *statuta hæc mea de oblationibus* recitant coram me, celebror ego ab eis, quasi offerrent mihi easdem, & condono eis omnes iniquitates eorum.

[2] Antistes &c. *Tamid* V. Caput stationis subsistere jubebat immundos in porta orientali.

[3] Singulis igitur &c. *Misna Taanith ibid.* Cum tempus aderat *cuilibet societati destinatum* adscendendi Hierosolymas, illuc concesserunt Sacerdotes ac Levitæ, Israelitæ vero, qui ejusdem custodiæ socii erant, in urbes suas conveniebant, recitabantque creationis historiam. *Tosaphta Taanith ibid.* Quando advenerat tempus custodiæ, Sacerdotes & Levitæ proficiscebantur Hierosolymam, & Israelitæ ejus custodiæ socii, qui non poterant proficisci Hierosolymam, congregabantur in suis civitatibus, & legebant in Genesi in creatione prima, & tota illa hebdomada feriebantur. R. Simeon filius Eleasaris dicit; Sacerdotes, & Levitæ, & instrumenta cantus, & populus poterant impedire sacrificia.

[4] Primum jejunabant &c. *Misna Taanith*. Viri stationis quatuor dies in hebdomade jejunabant, a die scilicet secundo usque ad quintum; sed vesperam Sabbathi in jejunio non agebant, ob honorem Sabbathi neque primum hebdomadis diem, ne post requiem deliciasque confestim molesto labore jejunioque se fatigarent, & in iis mortem obirent. *Gemara Taanith ibid.* Tradiderunt porro doctores, viri custodiæ orabant pro oblatione fratrum suorum, ut accepta grataque *Deo foret*, virique stationis in synagoga congregabantur, manentesque ibi, quatuor jejuniorum dies celebrabant, nimirum secundum, tertium, quartum hebdomadis diem. In secundo quidem *orabant* pro in mari navigantibus, in tertio pro iter facientibus per loca deserta, in quarto ne angina tenellos adfligeret, in quinto pro gravidis & lactantibus fœminis, pro gravidis ne abortum facerent, pro lactantibus, ut sufficerent lactando infantibus suis. Verum in vespera Sabbathi non jejunabant, idque ob honorem Sabbathi, ne dum in ipso Sabbatho &c.

[5] Ter in die &c. *Misna Taanith ibidem* IV. Tribus distinctis anni temporibus in jejuniis stationibus, & in die expiationum quater in die manus tollunt Sacerdotes nempe in precatione matutina, superaddita, promeridiana, & ea quæ fit tempore obserationis portarum.

[6] Prælegebant &c. *Gemara Taanith fol.* 28. 1. Quæsitum fuit inter magistros, *quomodo intelligendum sit*, quod dicitur in matutina oratione, & in superaddita legunt historiam creationis ex libro, sed in Michna recitant eam memoriter ad instar *sectiunculæ* Deut. VI. *Audi*. Sunt qui dicant ita intelligendum esse textum hunc Misnicum, quod in matutina oratione legant historiam creationis ex libro legis, in superaddita vero & Michna eam memoriter recitent, ut *Audi*. Veni & adverte quod clare legitur in Baraitha. Sub matutina oratione & superaddita ingrediuntur Synagogam, recitantque ad modum toto anno usitatum, sed in Mincha unus eam memoriter recitat. R. Jose ait; quomodo potuit unus legere verba legis ex memoria, idque in totius cœtus præsentia. Verum hæc *est Misnæ* sententia, omnes Synagogam intrasse, & recitasse historiam dictam memoriter, prout sectionem *Audi*.

[7] Vigilia Sabbathi &c. *Misna Taanith ibid.* Pridie Sabbathi in Mihna non conveniebant in Synagoga, idque propter reverentiam Sabbati.

[8] Legebant igitur &c. *Misna Taanith ibid. Legebant igitur* die primo *sectionem* Genes. I. 1. in principio cum sectione sequenti quæ incipit; *fiat firmamentum*. In die secundo *repetebant sectionem*; *fiat firmamentum*; addebantque proximam; *congregentur aquæ*, adjuncta sequenti *fiant luminaria*. In quarto *iterum recitabant hanc fiant luminaria addentes proximam*; *producant aquæ*; quinto *denuo legebant producant aquæ cum proxima sectione producat terra*; in sexto *iterarunt producat terra*, adnexa hac *perfecti sunt cœli*.

[9] Homines duo &c. *Misna Taanith ibid.* Si sectio prolixa esset duo illam recitabant, sin vero brevis, unus.

[10] Quæ mane &c. *Misna Taanith ibid. Atque talis quidem ordo servabatur* in matutina oratione, & in superaddita, verum sub pomeridianum orandi tempus, Synagogam intrabant, memoriterque recitabant prout legunt sectionem Deut. VI. *Audi*.

[11] Per octo dies &c. *Misna Taanith ibid.* In quocunque die Hallel dicitur, stationis vices non obeunt sub matutinum tempus, nec in die, quo oblatio superaddita fit, *eadem stationis vices peraguntur* sub obserationis valvarum tempus, nec denique ubi oblatio lignorum datur, *stationis partes peraguntur* sub pomeridianum orandi tempus. Verba R. Akibæ. Cui se opposuit filius Azari, dicens. Ita quidem R. Jehosua docuit, nimirum, in quo die oblatio superaddita fieret, *non peragi stationis vices* sub pomeridianum tempus, nec ubi oblatio lignorum daretur, *fieri stationes* sub occlusionis valvarum horam. Mutavit itaque R. Akiba sententiam suam, subscribens filio Asai. *Tosaphta Taanith* III. 4. Primo die Nisan non recitabatur oratio vespertina, & clausula, quia in eo die fiebat sacrificium additìtium, & oblatio lignorum; Sectio major a duobus legebatur, si parva, ab uno, tempore matutino, & tempore sacrificii additìtii; verba R. Meyr. Et sapientes dicunt, quo die immolabatur sacrificium additìtium, in eo legitur sectio sacrificii additìtii; & quo die non immolabatur sacrificium additìtium, in eo non legebatur sectio sacrificii additìtii. Mane & in tempore sacrificii additìtii intrabant Synagogas, & legebant, & vesperi memoriter recitabant. R. Jehuda dicit; privatus non debet recitare memoriter, nisi ingrediatur Synagogas, & recitatur, prout recitatur *sectio* Audi.

[12] Multæ Israelitarum &c. *Misna Taanith ibid.* Tempus ligna *offerendi* Sacerdotibus populoque *observandum*, novem *omnino erat intervallorum*. Primo namque die Nisan, posteri Arach qui ex tribu Jehuda *sua offerebant ligna*. Vigesimo die Tammus posteri David, qui ex tribu Jehuda. Septimo ejusdem posteri Jonadab, qui ex Rechab. Decimo ejusdem, posteri Senaa, qui ex tribu Benjamin. Quinto decimo ejusdem posteri Satthu, qui ex tribu Jehuda, cumque his Sacerdotes & Levitæ, ac omnes qui de tribu sua incerti erant, cumque his posteri Gobne, *qui cognominati sunt* ex pistillo, posterique familiæ, *quæ*

quæ cognomen traxit ex contusione ficorum abscissorum, *ligna sua offerebant*. Vigesimo ejusdem mensis, posteri Paschat-Moab, qui ex tribu Jehuda. Vigesimo Elul posteri Adin, qui ex tribu Jehuda. Primo Tebeth posteri Parosch iterum suam lignorum oblationem peregerunt. Primus dies mensis Tebeth stationis vices non recipiebat, eo quod Hallel in ipso caneretur, oblatioque superaddita, ac lignorum perageretur. *Tosaphta Taanith* ibid. Quid judicarunt, ut numerarent tempora lignorum Sacerdotum, & populi? Etenim quando adscenderunt de captivitate, non invenerunt ligna in conclavi; & hi surrexerunt, & ligna de suis bonis obtulerunt, & Ecclesiæ tradiderunt, pariterque cum his Prophetæ obtulerunt, quod etiamsi conclave plenum esset lignorum, & ligna essent cœtus, & alia ligna de suis bonis offerrent, non erat offerendum Sacrificium nisi de his prius, sicuti scriptum est; *Nehem.* 4. 34. *Sortes ergo misimus super oblationem lignorum*; pariterque *Esdræ* VII. 10. dictum est. *Esdras enim paravit cor suum. Et nonnullis interjectis*. Quinam erant filii Gobne Eli, & filii Kozee Kezioth? Quia quo tempore Reges Græcorum in viis statuerunt custode, ut nemo Hierosolymam proficisceretur, quo modo constituerat Jeroboamus. Quicunque timebat Deum, & erat pietate præditus illo seculo, accepit primitiva, canistris imposita massis ficuum aridorum contegebat, & canistrum, & mortarium & pistillum humeris imponebat, & adscendebat; quando pervenit ad custodes, ei dixerunt, quo vadis? respondebat veni ad conficiendum aliquantulum massæ cum his ficubus hoc mortario, & hoc pistillo, quæ humeris fero. Quando prætererat custodes, ea ornabat, & faciebat adscendere Hierosolymam. Et quinam erant filii Salme Hannetophate? Quia quo tempore Reges Græcorum in viis statuerunt custodes, ne Hierosolymam proficiscerentur, quo modo constituit Jeroboamus filius Nebat, quicunque illo seculo timebat Deum, & erat pietate præditus, adferebat duo segmenta ligni, quæ ad modum scalarum adaptata humeris suis imposuit, & processit, quando ad illos custodes pervenit, ei dixerunt, quo vadis? respondit, ad capiendos duos columbos ex illo columbario, quod est coram me, hac scala humeris meis imposita; quando præteriit custodes, dissolvit scalam, & adduxit Hierosolymam; & quoniam vitam suam propter religionem & præcepta periculo exposuerunt, ideo de iis bonum nomen scriptum est ac memoria bona in hoc seculo; de iis dictum est; Prover. X. 7. *Memoria justi cum laudibus*; & de Jeroboamo filio Nebat, ejusque sociis; *& nomem impiorum putrescet. Gemara Taanith ibid.* Traditum a Sapientibus est, cur appellati fuerunt posteri Gobne ex pistillo, & cur posteri familiæ ex contusione ficorum abscissorum nomen trahentis ita dicti fuerint? Dixerunt namque, aliquando decrevisse Regem quendam Gentilem adversus Israelitas statutum, ne adferrent ligna ad struem altaris, neve primitiva Hierosolymas adferrent; & vias custodibus obsepserunt, pariter ac Jeroboamus filius Nebat fecit, ne Israelitæ ad festum celebrandum adscenderent. Verum quid fecerunt pii homines istius generationis, ac peccatum detestantes? Sumserunt nempe canistra primitivis frugum referta, quæ abscissis ficis contegerunt, eaque una cum pistillo humeris gestarunt. Cumque ad custodes perventum esset, illi quidem quorsum tenderent, hos interrogarunt, quibus ita respondebant. *Nos Hierosolymitas tendimus* massas ficorum orbiculatas confecturi pistillo, quod humeris gestamus, in mortario, quod eodem jam præmissum est. Hinc custodes prætergressi, corbes suas coronarunt, Hierosolymasque attulerunt. *Vide Megillath Taanith* cap. V.

[13] Lamentari &c. *Tosaphta Taanith. ibid.* His diebus prohibentur funera, & jejunia, tam diruta quam stante domo. R. Jose dicit, post excidium domus, permittuntur, quia ipsis sunt luctus, & mœstitia. Dixit R. Eleasar filius Zadoch; ego eram de filiis Benjamin, & contigit, ut dies nonus mensis Abh in Sabbathum incideret, post Sabbathum transtulimus; & jejunabamus, at jejunium non perficiebamus.

[14] Qui ligna &c. *Megillath Taanith ibid.* In diem decimum quintum mensis Abh incidit tempus lignorum sacerdotum, quo abstinendum a luctu. Quandoquidem eo tempore, quo captivitas prima, sive captivi prima vice ex *Babel* adscenderunt, non adduxerunt oblationem lignorum; dixerunt Sapientes, in posterum quando rursus adscendent captivi, etiam opus habebunt eam adducere; ideo ordinarunt illis Sapientes diem decimum quintum mensis Abh, ut eo adducerent oblationem lignorum. Et quicunque adduxit oblationem ad Sanctuarium, licet ligna duntaxat adduxerit, liber erat a luctu istius diei; ergo multo minus erat lugendum, quando adferebant sacrificia pro peccato, & pro reatu, vota, spontanea, primogenita, & decimas, confessiones, & Eucharistica.

[15] Neque barbam &c. *Misna Taanith* II. 7. Viris ministerii hebdomadalis, & viris stationis vetitum est se radere, ac lavare, sed in quinto licitum est in honorem Sabbathi. *Tosaphta Taanith* II. 9. Viris custodiæ, & viris stationis vetitum erat se radere, & lavare tam diruta quam stante domo. R. Jose dicit post excidium domus, licet, quia ipsis est mœstitia.



פרק שביעי

א. חמשה עשר ממונין היו במקדש וכן ממנין לעולם על כל דבר מחמשה עשר דברי׳ אלו ממונה אחד ואלו הן א על הזמני׳ ב על נעילת שערים ג על השומרים ד על המשוררי׳ ה על הצלצל עם שאר כלי שיר ו על הפייסו׳ ז על הקני׳ ח על החותמות ט על הנסכים י על החולים יא על המים יב על מעשה לחם הפני׳ יג על מעשה הקטרת יד על מעשה הפרוכו׳ טו על מעשה בגדי כהונה

ב. כל אחד ואחד ממונים אלו תחת ידו אנשים הרבה כדי להכין המלאכה שהוא ממונה עליה זה שעל הזמנים הוא ואנשיו כיון שיגיע עת הקרב׳ מכריז הוא

CAPUT SEPTIMUM.

I. [1] ERant in Sanctuario præfecti quindecim. Etenim [2] quindecim rerum istarum suum cuique præfectum semper esse necesse erat: descriptioni temporum: claudendis portis: custodiis agendis: cantoribus: cymbalo, ceterisque fidibus: sortibus: pullorum nidis: sigillis: libationibus: ægrotis: aquis: propositionis panibus efficiendis: suffimento componendo: texendi velis: vestimentis sacerdotalibus apparandis.

II. Atque horum cuique præfectorum multi erant homines subjecti, qui hoc, cui ille præfectus erat, opus efficerent. Is igitur, qui temporibus describendis præerat, una cum suis observabat tempora, utque sacrificiorum venerat hora, vel ipse, vel ejus permissu aliquis e subditis [3] magna vo-

אי

או אח׳ מאנשיו ברשותו ואומ׳ עמדו כהני׳ לעבוד׳ ולוים לדוכן וישראל׳ למעמד וכיון שישמע קולו יבא כל אחד למלאכתו

ג. זה שעל נעילת שערי׳ על פיו נועלין ועל פיו פותחין ואין התוקעין תוקעין בכל׳ יום לפתיחת השערי׳ אלא ברשותו זו בכל׳ יום תוקעין במקדש שלש תקיעות לפתיחת השערי׳ תקיע׳ תרועה ותקיעה

ד. זה שעל השומרי׳ הוא איש הר הבית שמסבב על הלוי׳ בכל לילה וכל׳ מי שישן על משמרו מלק׳ במקלו ושורף את כסותו

ה. זה שעל המשוררי׳ הו׳ בורר בכל יום המשוררי׳ שעומדי׳ על׳ הדוכן לומ׳ שירה בפה ועל׳ פיו תוקעין על׳ הקרבנו׳ אין פוחתין במקדש מאחד ועשרי׳ תקיעה בכל יום שלש לפתיחת שערים ותשע לתמיד של שחר ותשע לתמיד של בין הערבי׳ ויום שיש בו קרבן מוסף מוסיפין תשע על קרבן מוסף ואם חל׳ ראש חדש או י״ט להיות בשבת או שחל ר״ה להיות בשבת שיש שם שלש׳ מוספין אין תוקעי׳ לכל׳ מוסף ומוסף בפני עצמו אלא תוקעין תשע בלבד לכל׳ המוספין

ו. בערב שבת מוסיפין שם שלש לבטל את העם מן המלאכ׳ ושלש להבדיל בין קודש לחול׳ וברגל׳ מוסיפי׳ שלש לפתיח׳ שער התחתון והו׳ שער עזרת נשים ושלש לפתיחת שער העליון והוא שער נקנור ולמה נקרא שער עליון לפי שהוא למעלה מעזרת נשי׳ וכן תוקעין שלש למלוי המי׳ שמנסכין בחג ואין תוקעין שלש למלוי המי׳ בשב׳ ותוקעין שלש על גבי המזבח בשעת שמנסכי׳ המי׳ וכל׳ התוקעין שתוקעין על׳

ce pronuntiabat, AD SACRIFICIA SACERDOTES, AD SUGGESTUM LEVITÆ, ET AD STATIONEM ISRAELITÆ: cujus ut eſſet audita vox ſuum quiſque munus aggrediebatur.

III. Qui portis claudendis præerat, is & claudi portas jubebat, aperique: nec harum ad aperturam clangebant buccinatores ullo die, niſi ejus permiſſu. Etenim quotidie 4 cum aperirentur templi portæ, buccina terni edebantur ſonitus, æquabilis, infractus, æquabilis.

IV. Qui præpoſitus erat cuſtodiis, hic vir ille montis ædis erat: is nocte tota Levitas excubias agentes luſtrabat; quorum ſi reperiret aliquem in ſtatione ſua dormientem baculo tundebat, & veſtes ejus adurebat.

V. Qui præſidebat cantoribus, quotidie Levitas deligebat, qui carmen in ſuggeſtu voce canerent. Item ejus juſſu ſacrificiis faciendis clangebatur. Etenim nullo prorſus die clangores in Sanctuario pauciores audiebantur, quam 5 viginti unus. Nam edebantur ad apertionem portarum tres: novem ad ſacrificium juge matutinum, & ad veſpertinum totidem. Et quo die hoſtia immolabatur extraordinaria, ad hujus immolationem etiam clangores edebantur novem: ſin autem calendæ vel dies feſtus incideret in ſabbatum: item ſi in ſabbatum incideret principium anni, cum hoſtiæ extraordinariæ eſſent tres immolandæ, non ſeorſim ad harum unamquamque clangebatur, ſed ad omnes ſimul novem omnino clangores edebantur.

VI. Præterea autem 6 vigilia ſabbati clangores addebantur ſex, quorum edebantur tres ut avocaretur ab opere plebs, & totidem quibus ſecerneretur tempus ſanctum a profano. Addebantur etiam & 7 tres die feſto porta cum aperiretur inferior, hæc atrii mulierum porta fuit. Tantundem cum aperiretur porta ſuperior, quæ porta Nicanoris erat, quæ, quoniam erat ſupra atrium mulierum, porta ſuperior dicebatur. Itemque edebantur tres ad hauſtum ejus * aquæ, quæ ad ſolemnitatem Tabernaculorum libabatur, non item ad eam quæ in ſabbatum hauriebatur. Edebantur & tres ad aram cum libaretur aqua. Atque cuncti qui ad ſacrificia clangebant, erant ſubditi ei, qui præſidebat cantoribus: nec vero

הקרבנות

VI. *Aquæ, quæ ad ſolemnitatem Tabernaculorum libabatur*. Solemnitate Tabernaculorum, quæ eadem feſtum ſcenopegiæ dicitur, traditur in Talmude tract. סוכה cap. 5. aquam eſſe libatam in altari. Ac R. Levi quidem Gerſonis filius Commentariis in 2. Sam. 23. 16. diſerte docet, quoniam eo potiſſimum anni tempore pluvia maxime opus erat, idcirco ſacrificium eſſe factum, quod eſſet unius & ejuſdem, atque res impetranda, generis. Hauriebatur illa libationis aqua, ſicut ibidem narratur e fonte Siloe Hebraice שילוח propius ab Hieroſolymis ſcaturiente: jam aqua illa, quemadmodum eodem loco exponitur, hauriebatur & transferabatur in templum ad libationem magna ſane cum pompa: tum vero apud atrium mulierum conſtituto quodam loco gaudium agitabatur tam eximium, ut ſcriptores Talmudici negent quemquam unquam ſolidum vidiſſe gaudium, qui hoc non viderit. Nimirum huc ſpectare videtur illud quod Eſaias cap. 12. v. 3. cecinit, *Haurietis aquas in gaudio*. Chriſtus quidem apud Joannem cap. 7. v. 37. ad dictum ſcenopegiæ feſtum oblata hujus celebritatis occaſione, *Clamat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat*.

הקרבנות מתחת יד זה שעל המשוררים וברשותו וכל אלו התקיעות בחצוצרות

ז. זה של הצלצל הוא המעמיד כל המשוררי׳ על פי כלי שיר שסועדין עם הלוים כמו שבארנו

ח. זה שעל הפייסו׳ הוא מפייס בין הכהני׳ בכל יום עד שיהיה כל איש ואיש עוש׳ מלאכתו שזכה בה בפייס וארבע פעמים היו מפייסין בכל יום ובהלכות תמידין אבאר כיצד היו מפייסין

ט. הממונה שעל הקינים הוא שפוסקין עמו שימכרו הקינים לקרבנם כך וכך בסלע וכל מי שהוא חייב תורים או שני בני יונה יביא דמיהם למקדש וזה הממונה נותן הקינים לבעלי הקרבנות ועושה חשבון עם הגזברין ונותנין לו משלשים יום לשלשי׳ יום פוסקי׳ עמו השער ואם הוזלו הקיני׳ מספק בשער הזול ואם הוקרו מספק כמו שפסקו עמו שיד הקדש על העליונ׳ וכן קן שנמצא פסול או שהופסל קודם שיקרב נותן אחר תחתיו

י. זה שעל החותמות הוא שמקבל דמי הנסכים ממחוייבי׳ נסכים ונותן להן חותמו׳ וזה שעל הנסכי׳ הוא שמכר הנסכי׳

יא. כיצד ד׳ חותמות היו במקדש האחד כתוב עליו עגל והשני כתוב עליו זכר והשלישי כתוב עליו גדי והרביעי כתו׳ עליו חוט׳

יב. כל מי שיביא קרבנותיו למקדש נותן דמי הנסכי׳ לזה הממונה על החותמות ונותן לו החותמות כמנין הקרבנות שלו ואם היה מצורע עשיר נותן לו חות׳ אח׳ שכתוב עליו חוטא והלך בחותמות שבידו לזה הממונה על הנותן לו נסכים ונותן לו נסכי׳ כמנין החותמות וכמו שכתוב בהן ולערב באי׳ זה אצל זה מוציא את החותמו׳ ומקבל כנגדן מעות אם הותירו המעות הותירו למקדש ואם פחתו המעות ישלם זה של החותמות מביתו מי שאבד חותמו ממתינין לו עד הערב אם מצאו במעות יותר כדי חותם שטען נותנים לו ואם לאו אין נותנים לו ושם כל היום

clangebant, nisi ejus permissu. Sed isti, quos modo commemoravi, clangores omnes edebantur buccina.

VII. Qui præsidebat cymbalo, is omnia fidium genera assignabat his cantoribus, qui Levitas, ut supra demonstratum est, cantu fidium sublevabant.

VIII. Qui sortibus præsidebat, ab eo quotidie [8] fiebat sortitio de sacerdotibus, ut horum quisque id, quod sorte sibi obtigisset, munus efficeret: fiebat igitur quater in die sortitio, de cujus ratione in tractatu de jugibus Sacrificiis explicabo.

IX. Qui præfectus erat pullis, cum eo paciscebatur, ut tot pro siclo pullos in sacrificia venderet: si quis igitur aut duos turtures, aut columbæ pullos pro sacrificio debuisset, hic illorum pretium afferret in Sanctuarium: tum his, qui ista faciebant sacrificia, hominibus pullos suppeditabat præfectus ille, cui posthac quæstores relatis rationibus pecuniam solvebant. Jam de pretio pullorum tricesimo quoque die pactio fiebat. Quod si pactionem consecuta fuisset vilitas, eos pro viliori daret pretio: contra si fuisset consecuta caritas, eos pro pacto pretio venderet: semper enim ærarii sacri conditio superior est. Idem etiam si pulli reperirentur vitiosi, vel si vitio afficerentur ante, quam essent immolati, pro his teneretur dare alios.

X. Qui præfectus erat sigillis, is accipiebat libationum pretia ab his qui libationes facere deberent, quibus ipse suas dabat tesseras: libamina vero tradebat ille, qui præfectus ipsis erat.

XI. Erant igitur in Sanctuario [9] sigilla quatuor, quorum in uno inscriptum erat, VITULUS: in altero, MAS: in tertio, HÆDUS, & in quarto, PECCATOR.

XII. Omnes igitur qui sacrificia in Sanctuarium afferebant, libationum pretia [10] dabant ei, qui sigillis erat præfectus, qui tesserulas singulis pro ratione sacrificiorum dabat. Ac homini quidem leproso, & eidem diviti tesserulam dabat, quia verbum istud erat inscriptum PECCATOR. Porro suas quisque tesserulas portabat præfecto libaminum, qui pro numero & inscriptione tesserularum cuique libamina præbebat: vesperi conveniebant hi duo præfecti: reddebat hic tesserulas, solvebat ille pecunias. Si quid pecuniæ superesset, manebat ærario sacro: sin pecunia deficeret, hic qui sigillis præerat reliquum de suo solvebat: [11] si quis suam amisisset tesserulam, exspectabat ad vesperum. Nam si tantum argenti superasset, quantum erat acceptæ tesserulæ pretium, redderetur illi: sin minus, nihil reddebatur. Erat etiam in unaquaque tesserula adscriptum diei nomen propter frau-

כתוב

כתוב על החותם מפני הרמאי' שלא ישהא החותם אצלו עד שיוקרו הנסכים

יג. משלשים יום לשלשים יום פוסקין שער היין והסולת עם הממונה על הנסכ' אם הוקרו נסכים מספק להן כמו שפסקו עמו ואם הוזלו מספק להם כשער הזול' והשכר שמשתכר ההקד' בשערי' אלו הוא הנקר' מות' נסכי' ולוקחין בו עולו' לקיץ המזבח ואין מקיצין את המזב' בעולת עוף שאין בקרבנות הציבור עוף

יד. הכהנים מפני שהן עומדי' על הרצפה תמיד ואוכלין בשר הרבה ואין עליהם בגדים בשעת העבוד' אלא חלוק אחד הם חולין במעיהן לפיכ' מעמידין ממונה אחד שיהיה מבקר אותן ומרפ' כל תחלואיהן ועוסק בהן תמיד הוא ואנשיו שתחת ידו

יה. וכן ממנין אח' להיות חופר בורו' ושיחין ומתקן הבורות של רבי' כדי שיהיו המי' מצויין בירושלם לכל אחד מיושביה ולכל עולי הרגלים ואחד ממונ' על אומני לחם הפנים והוא מתקן כל מלאכתו ואחד ממונ' על אומני הקטר' והוא מתקן מלאכתו

יו. זה שעל הפרוכת ממונ' על כל אורגי הפרוכת והרוקמים בהן שיהיו מוכנות להיכל ולשערים ושתי פרוכות היו עושין בכל שנה להבדיל בין הקדש ובין קדש הקדשי' וחוטי הפרוכ' כפולין ששה ששה וד' מינין היו בה שש ותכלת וארגמן ותולע' שני וכל אח' מהן כפול ששה הרי ד' ועשרי' חוטין וטפח היה עביה ועל שנים ושבעים נירין הית' נארגת ארכה מ' אמה ורחב עשרים אמה

יז. ושלש עשרה פרוכות היו במקדש שבע על ז שערי העזרה ואחת על פתח האולם

dulentos homines, ut ne tesserulæ retinerentur ab his usque dum libamina cariori venderentur pretio.

XIII. [12] Tricesimo quoque die pactio de vini & similæ pretio fiebat cum eo qui libaminibus præesset. Ac si pactionem esset consecuta libaminum caritas, nihilominus ea pro constituto pretio suppeditaret. Sin autem consecuta vilitas esset, pretio daret ea viliori. Quod igitur ærario lucri fiebat e variis istis pretiis, id *Reliquiæ libaminum* appellabatur: impendebatur autem in ea holocausta, quibus altare donabatur ab universa Ecclesia [13] æstivo tempore. Atque inter hæc altaris æstiva munera, quibus donabatur altare, non erat unquam [14] holocaustum ex ave, quia enim in sacrificiis publicis avi locus non erat.

XIV. Sacerdotes, quoniam * in [15] pavimento semper insistebant, carnis edebant multum, & cum sacris operarentur una omnino tunica tegebantur, sæpe dolore viscerum laborabant. Qua de causa præfectus erat, qui sacerdotes viseret, ægrotantes curaret, atque ad horum conservationem se totum applicaret, & omnes, qui ei parebant, homines.

XV. Præterea autem præfectus erat, qui cum novos puteos, cisternasque fodiendas, tum veteres, si corrumperentur publici putei, reficiendos curaret, quo cunctis Hierosolymæ incolis, & universis etiam ad solemnitates eo venientibus copiosa suppeteret aqua. Quidam cunctis [16] panum propositionis artificibus præfectus erat, qui quidem artificium panis ejus totum ordinabat ipse. Porro quidam cunctis [17] suffimenti artificibus præfectus erat, qui item ejus artificium ordinabat & instituebat ipse.

XVI. Quem autem diximus velis texendis præpositum, is cunctis [18] textoribus & acupictoribus velorum præfectus erat. Huic id erat curæ, ut ab istis templi portarumque vela pararentur ad tempus. Jam vela quotannis [19] efficiebant duo, quæ Sanctum a Sancto Sanctorum distinguerent. Atque in his velis erant [20] sexies conduplicata fila cujusque generis. Nam singula stamina continebant filorum genera quatuor, xylinum, hyacinthinum, purpuram, & coccum bis tinctum. Itaque singula stamina filis e viginti quatuor constabant. Horum igitur crassitudo velorum palmaris erat. Jam staminibus e septuaginta texebantur. Erat autem cujusque longitudo quadraginta cubitorum, & viginti cubitorum latitudo.

XVII. Atque in templo secundo vela adhibebantur [21] tredecim: septena in septem atrii portis: unum in janua vestibuli: unum

האולם

XIV. *In pavimento*, &c. Pedibus videlicet nudis: nihil enim inter pedes sacerdotis sacra facientis, & templi pavimentum intercedebat. Vide Tract. 3. c. 5. a. 17.

האולם ואחד על פתח ההיכל ושתים לדביר בינו ובין הקדש ושתים כנגדן בעלייה

יח. פרוכת שנטמאת בולד הטומאה מטבילין אותה בפנים ומכניסין אותה מיד לפי שאינה צריכה הערב שמש ושנטמאת באב הטומאה מטבילין אותה מבחוץ ושוטחין אותה בחיל מפני שהיא צריכת הערב שמש ואם היתה חדשה שוטחין אותה ע״ג האצטבה כדי שיראו העם את מלאכתן שהיא נאה

יט. וכל הכלי׳ שהיו במקדש היו להם שניי׳ ושלישי׳ שאם יטמאו הראשוני׳ יביאו השני׳ תחתיהן

כ. זה הממונה על מעשה בגדי כהונה עוסק בהכנת בגדי כהנים הדיוטים ובגדי כהן גדו׳ ובארינתן ומתחת ידו נעשה הכל ולשכה היתה לו במקדש :

ad templi januam: duo ad adytum templi a Sancto dividendum, & itidem duo e regione ipſis in cœnaculo.

XVIII. [22] Si quod velum eſſet * immunditie ex alia orta temeratum id intra templum ipſum ablutum illico ſuo loco reſtituebatur: neque enim ad tollendam hanc ejus immunditiem opus erat, ut ſolis exſpectaretur occubitus: ſin autem immunditie principe fuiſſet inquinatum, extra Sanctuarium ablutum in ſpatio illo intermurali extendebatur: nam ad hanc immunditiem tollendam ſolis occaſus requirebatur. [23] Quod ſi novum eſſet, extendebatur in ſcamno, quo populus præclarum ejus opus cerneret.

XIX. Quæcunque erant in Sanctuario [24] vaſa, omnia dupla vel etiam tripla erant, ut ſi prima polluerentur, eorum loco adhiberentur ſecunda.

XX. Qui ſacerdotalium veſtium apparatui præpoſitus erat, is ſacerdotum privatorum juxta, atque ſummi ſacerdotis veſtes curabat apparandas & texendas: ac quicquid ad rem iſtam ſpectabat, id omne fiebat hujus præfecti cura & juſſu. Atque etiam proprium erat huic in Sanctuario [25] conclave.

XVIII. *Immunditie ex alia orta*. Immunditiæ cunctæ bipartito dividuntur: quædam earum *principes* ſeu *primariæ* vocantur: quædam contra dicuntur *ex alia ortæ*.

NOTÆ IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] Erant in Sanctuario &c. *De his præfectis ſatis ſuperque diximus in Tomo ſecundo* Theſauri *in notis ad caput tertium partis ſecundæ* Relandi Antiquitatum Sacrarum.

[2] Quindecim &c. *Miſna Sekalim* V. Hi præfecti fuerunt in Sanctuario; Johannes filius Pinchas ſigillorum fuit *cuſtos*. Achias libaminum. Petachias ille eſt Mardochai; quare autem vocatur Petachias? Quia ille res aperiebat, & ipſas explicabat, 70. deinde linguarum callens erat. Ben Achia *præfectus* fuit ſuper ægrotos. Nechonias curam habuit fontium & canalium. Gebhina præco erat. Ben Gebher conſtitutus erat ad portas claudendas. Ben Bavi flagellationi præerat. Ben Arſa cymbalo. Hogrus ben Levi cantoribus. Familia Garmu piſturæ panum propoſitionum. Familia Abthines præparationi ſuffitus. Eleaſar *curam habuit* veli, & Pinchas veſtimentorum. *Toſaphta Sekalim* II. 16. Hi erant præfecti in Sanctuario; Jochanan filius Gudgodæ claudendis portis præfectus erat; Filius Totephet clavibus; filius Diffai palmæ; Filius Arzæ pulpito; Benjamin furnis; Samuel ſartaginibus; filius Maklith ſali; filius Pelach lignis.

[3] Magna voce &c. *Maimonides ad* III. 8. *Tamid*. *Gabini præconis*; is ante ortum auroræ clamabat; *Conferte vos Sacerdotes ad miniſteria veſtra, & Levitæ ad ſuggeſtum veſtrum*. Hoc jam oſtenſum eſt capite primo, ubi dixit, *clamor viri*, uti in *Gemara* ad tractatum *Joma* exponitur.

[4] Cum aperirentur &c. *Miſna Succa* V. 5. Quolibet die fiebant in templo buccinationes viginti & una, tres ad aperiendum portas. *Toſaphta Succa cap. ultimo* 7. R. Jehuda dicit; non erant buccinationes pauciores ſeptem, nec plures decem; tres ad aperiendum portas; qui dicebat, quod aperirentur, non dicebat, quod clauderentur, & qui dicebat, quod clauderentur, non dicebat, quod aperirentur; tres coram Altari &c.

[5] Viginti unus &c. *Miſna Succa ibid.* Non diminuebant de viginti & una buccinatione in templo, nec addebant ultra quadraginta & octo. Quolibet die fiebant in templo buccinationes viginti & una, tres ad aperiendum portas, & novem pro ſacrificio jugi matutino, & novem pro ſacrificio jugi veſpertino. Sed in ſacrificiis addititiis addebant inſuper novem. *Miſna Erubin* I. 3. Non diminuendum eſt a viginti & una buccinatione in templo, nec quadraginta octo addendum.

[6] Vigilia Sabbathi &c. *Miſna Succa ibid.* Veſperi Sabbathi addebant inſuper ſex, tres ad arcendum populum ab opere, & tres ad ſeparandum inter ſanctum & profanum. *Toſaphta Succa ibid.* Quomodo ad arcendum populum ab opere? Miniſter Synagogæ ſumta tuba adſcendebat in tectum altiſſimum civitatis; quando ſumebat ad revocandum illos, qui proximi erant urbi; deſerebant opus, qui proximi erant termino congregabantur, & veniebant intra terminum, non ingrediebantur extemplo, ſed exſpectabant, donec omnes convenirent, & omnes eodem tempore ingrediebantur; a quonam tempore ingrediebatur? tantum ut poſſet vas aqua implere, aſſare piſcem, & accendere lucernam. Quomodo tres ad ſeparandum inter ſanctum & profanum? Servus Synagogæ ſumta tuba, abſcendebat tectum altiſſimum civitatis; quando ſumebat ad vocandum; e furnulo removebatur decoctum; reponebatur cucuma ut calefieret, & accendebatur lucerna; quando clamare ceſſaverat, vel cucuma, quam in manibus habebat, non poterat tegi ut calefieret, ſed humi reponebatur, vel lucerna, quam in manibus habebat, non poterat in candelabro collocari, ſed humi deponebatur; miniſter Synagogæ deponebat tubam in tecto, & deſcendebat, & abibat. Dixit R. Joſe; ſi poſtea volebat lucernam accendere, ei licebat; ei reſponderunt, tu non loqueris æqualiter pro omnibus. Sed locus erat in ſummitate tecti, ubi miniſter Synagogæ tubam reponebat. *Gemara Babyl. Schabb. fol.* 35. 2. Sex tubæ ſonitus edebantur in veſpera Sabbathi.

Quum primus audiebatur, cohibent omnes, qui ru-
ri laborabant a ſarriendo, arando, omnibuſque ope-
ribus ruralibus, neque interim illis, qui propiores
erant urbi, aut vico, prius intrare licuit, quam il-
li, qui longius aberant, adventaſſent, ut ſimul om-
nes ingredi poſſent; interim adhuc tabernæ apertæ
ſunt, valvæque earum demiſſæ. Quum vero ſecun-
dus auditur ſonitus, valvæ jam elevantur, tabernæ-
que clauduntur, ſed tamen adhuc panes calidi in
fornace hærent, ollæque ſuper foco expoſitæ ma-
nent. Aſt cum tertius auditur ſonitus, tum ollas
auferunt ab igne, eaſque tegunt, lucernas denique
Sabbathinas accendunt. Poſt hæc tanta intercedit
mora, quanta ad piſciculum aſſandum, aut maſſam
in fornace conjungendam requiritur, tum poſteriores
tres tubæ ſonitus, rectum ſc. fractum, & iterum re-
ctum edunt, ac tandem quieſcunt.

7 Et tres &c. *Miſna Succa ibid.* Veſperi Sabbathi
in medio feſti Tabernaculorum erant quadraginta &
octo, tres ad aperiendum portas, tres ad portam ſu-
periorem, & tres ad portam inferiorem, & tres ad
implendum aquam, & tres ſuper Altare, novem pro
ſacrificio jugi matutino, & novem pro ſacrificio ju-
gi veſpertino, & novem pro ſacrificiis addititiis,
tres ad arcendum populum ab opere, & tres ad ſe-
parandum inter ſanctum & profanum.

8 Fiebat ſortitio &c. *Miſna Joma* II. 2. Quatuor
ſortes erant ibi, & hæc fuit (*nempe ſors de Altari*
decinerando) ſors prima. Secunda ſors erat, qui ma-
ctaret &c. Tertia ſors erat. Novi ad ſuffitum ve-
niant, & ſortes projiciant; quarta; novi & veteres,
quis portabit membra a gradibus ad Altare. *Toſa-*
phta Joma I. 13. Dicebat illis præfectus; ſortimini,
quis ſit mactaturus &c.

9 Sigilla quatuor &c. *Miſna Sekalim* V. 3. Qua-
tuor ſpecies ſigillorum erant in Sanctuario, & illis
inſcriptum erat; VITULUS. MASCULUS. HIRCUS.
PECCATOR. Ben Aſai inquit, quinque fuerunt, &
Syriace illis inſcriptum erat; *Vitulus. Maſculus. Hir-*
cus. Peccator pauper. Et peccator dives. Vitulus offe-
rebatur cum libaminibus gregis, cum majorum tum
minorum, exceptis illis, quæ arietibus *adhibentur*.
Maſculo adhibebantur libamina arietum ſolum. Pec-
catum offerebatur cum tribus leproſorum animalibus.
Toſaphta Sekalim II. 20. Quatuor ſigilla erant in
Sanctuario; Peccator, afferebat ſecum logum; Pecca-
tor pauper juxta verba Ben Aſai, ſecum logam affe
rebat.

10 Dabant ei &c. *Miſna Sekalim ibid.* Qui ſibi
libamina comparare vult, adit Johannem præfectum
ſigillorum, & ipſi pecunias numerat, ſumit deinde
ab ipſo ſigillum, & illud fert ad Achiam præfectum
libaminum, porrigit ipſi ſigillum, & ab ipſo libami-
na ſumit. Sub veſperam conveniunt hi *duo præfecti*.
Achias profert ſua ſigilla, & loco ipſorum pecuniam
ſumit. Si aliquid in illis redundat, confertur id ad
Sancta. Si vero deficit, id reſtituit Johannes ex do-
mo ſua, quia manus Sancti ſuperior eſt.

11 Si quis ſuam &c. *Miſna Sekalim ibid.* Si quis
ſigillum ſuum perdit, exſpectant uſque ad veſperam,
ſi aliquid reperiant, quod eſt ut ſigillum ejus, dant
ipſi *quod opus habet*. Si vero nihil *repertum ſit*, etiam
nihil dant. Nomen deinde diei illis *ſigillis* inſcriptum
eſt propter deceptores.

12 Trigeſimo &c. *Miſna Sekalim* IV. 9. Semel
in menſe pretia conclavis determinant. Si aliquis in
ſe recepit reſpectu ſimilæ proſpicere, menſura qua-
druplici; & accidit ut (*pro eodem pretio*) ad tripli-
cem veniat, tamen quadruplicem menſuram dare te-
netur. Si vero tres menſuras promiſerit, & deinde
pretium ad quatuor menſuras adſcendebat, quatuor
etiam menſuras exhibere tenetur. Quia manus rei
Sanctæ ſuperior eſt. Si ſimila vermibus corrumpe-
tur, corrumpitur ipſi, ſi vinum aceſceret, aceſcit
ipſi. Neque pecuniæ ipſi traduntur, donec Altare
ornaverit. *Toſaphta Sekalim* II. 13. Trigeſimo quo-
que die æſtimabatur conclave; qui vendidiſſet vina,
olea, & ſimilam, ſi dicat, date mihi meos nummos
de pecunia, quæ erogatur in mea provincia, ei non
auſcultant, ſi effundantur, ipſi effunduntur; ſi poteſt
de domo ſua afferre, afferat; quia hæc non inſervie-
bant niſi iis, quibus deerant. Trigeſimo quoque die
fiebat ſeparatio conclavis; qui vendidiſſet vina, olea,
& ſimilam, ſi pænituerit intra triginta dies, ei non
auſcultant; ſed adibat quæſtorem, & quæſtor cum
mittebat ad nummularium, ſi vellet, dicebat, da
mihi ſtatim minus, in eo locum non habebat uſura,
non eo quod agatur de Sancto; verum etiam qui
aliquid ſocio vendat ea lege, ut ſolvat ab eo tempo-
re ad menſem duodecimum; ſi voluerit, licet ei di-
cere, da mihi minus confeſtim, nec in eo eſt uſu-
ræ locus. Trigeſimo quoque die aperiebatur concla-
ve; qui vendidiſſet vina, olea, & ſimilam, ſi dixiſ-
ſet, date mihi de nummis, qui erogantur in mea
provincia, ei non auſcultabant, ſed adibat quæſto-
rem; & quæſtor ei dabat de pecunia, quæ in manus
incidebat juxta computum; ſi volebat, ducebat ad
nummularium, & quæſtor ab eo accipiebat ex iis
nummis, quæ in ejus provincia erogabantur juxta
pretium omnium nummorum, qui Hieroſolymis ero-
gabantur.

13 Æſtivo &c. *Miſna Sekalim* IV. 4. Quid autem
faciunt cum reſidua ciſtarum pecunia? Illa conficiunt
laminas aureas ad Sanctum Sanctorum obducendum.
R. Iſmael dicit, reliquum fructuum impenditur ad
æſtivandum Altare; reſiduum vero pecuniæ ciſtarum
ad vaſa cultus comparanda. R. Akiba dicit; reſi-
duum pecuniæ ciſtarum ad æſtivandum Altare, &
reſiduum libaminum ad vaſa cultus. R. Chanina Sa-
cerdotum vicarius dicit; reſidua libaminum ad æſti-
vandum Altare, & reſiduum ciſtarum pecuniæ ad
vaſa cultus. *Toſaphta Sekalim* II. 9. Quænam eſt
æſtas Altaris? Quando ex *reſiduis* emuntur holocau-
ſta, & cum his providetur æſtas Altaris. *Maimoni-*
des in l. c. Miſnæ. קיץ Eſt tempus brumale, ſic
Sach. XIV. 8. בקיץ ובחורף. Et fructus æſtatis vo-
cantur ficus & vuæ, quas ſol diſtendit, & ſic-
cat, quaſque homines comedunt pro bellariis.
Propterea ſacrificia, quæ ſacrificabantur in Altari ex-
tra debitum, vocabantur קיץ המזבח æſtas Altaris,
& erant omnia holocauſta ſpontanea, & de bonis
Eccleſiæ.

14 Holocauſtum ex ave &c. *Maimonides Sekal.* IV.
9. Reliquias oblationis Conclavis, & reliquias con-
clavis impendunt coemendis maſculis, quos omnes
in holocauſta offerunt, quia conſtitutio Synhedrii de
omnibus reliquiis hæc eſt, ut illas impendant ad ſa-
crificia holocauſta ex pecude, non vero holocauſta
ex avibus, quia in oblationibus cœtus non eſt avis;
& hæc holocauſta, quæ veniunt ex reliquiis ſiclo-
rum, vocantur *æſtivatio Altaris*.

15 In pavimento &c. *Gloſſa in Sekalim* V. Am-
bularunt Sacerdotes diſcalceati in pavimento, & uſi
ſunt aqua, & non amicti ſunt niſi veſte una. Atque
ex hac conſuetudine elanguit vigor eorum, atque in-
firmata ſunt eorum viſcera.

16 Panum propoſitionis &c. *Familiæ Garmu cura*
demandata erat. Gemara Hieroſ. ad cap. III. 11. Fa-
milia Garmu callebat artem conficiendi panem pro-
poſitionis, & ſubigendi, & noluit docere. Miſerunt
& adduxerunt artifices ab Alexandria, & callebant
artem conficiendi, ſed ſubigendi artem non calle-
bant. Familia Garmu accendebat intrinſecus, & ſu-
bigebat extrinſecus, & mucidus non fiebat, & iſti
accendebant intrinſecus, & ſubigebant intrinſecus,
& mucidus fiebat. *Toſaphta Joma* II. 6. Familia
Garmu callebat artem conficiendi panem propoſitio-
nis, & noluit docere; miſerunt Sapientes, & addu-
xerunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui coquebant
ad eorum ſimilitudinem, ſed non callebant artem
æque ac illi, eos e furno educendi; illi accendebant
ignem extrinſecus, & coquebant intrinſecus. Alexan-
drini non ita faciebant; & alii dicunt, hunc panem
ab his ſubactum muceſcere &c.

17 Suffimenti &c. *Toſaphta Joma ibidem*. Fami-
lia Abtines callebat artem præparandi ſuffitus, in fa-
ciendo adſcendere fumum & noluit docere; miſerunt
ſapientes, & accerſiverunt artifices ab Alexandria
Ægypti; qui præparabant æque ac ipſi, ſed erant im-
periti in faciendo adſcendere fumum; ille (*fumus*)
familiæ Abtines adſcendebat inſtar columnæ uſque ad
laqueare, & deinde ſe diffundebat, & verſus terram
deſcendebat &c. *Gemara Babyl. Joma* ad III. 11. Do-
cent Doctores eos, qui erant ex familia Abtines
fuiſſe expertos in opere ſuffitus, ſed noluiſſe docere.
Quapropter miſerunt ſapientes, & adduci curarunt
artifices ex Alexandria Ægyptiorum qui æque ac illi
ſciebant præparare ſuffitum, ſed neſciebant efficere,
ut fumus recta adſcenderet æque ac illi; iſtorum ſuf-
fitus faciebat columnam, & adſcendebat inſtar ba-
culi

culi recti, horum autem diffundebat se hinc inde &c.

[18] Textoribus, & acupictoribus &c. *Tosaphta Sekal.* III. 16. Alia glossa, uno loco dictum est; *opere polymitario*; & in altero dictum est; *opus artificis*. R. Nehemia dicit; opus artificis ex utraque parte; opus polymitorium ex una tantum parte; at quod educebatur ex loco interiori; unum in duo complicabatur, & duo in quatuor, & collocabatur in loco superiori contra inferiorem, sicuti dictum est; *quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuaria dividantur*.

[19] Efficiebant duo &c. *Tosaphta Sekalim ibid.* R. Chanina filius Antigoni dicit; duo vela ibi erant, unum extensum, & alterum complicatum; si extensum fuisset pollutum, complicatum extendebant; Vigilia diei expiationum vetus extrahebant, & introducebant novum. *Misna Sekalim* VIII. 5. Duo singulis annis conficiuntur.

[20] Sexies &c. *Misna Sekalim ibid.* R. Simeon filius Gamalielis dicit nomine R. Simeonis fil. Vicarii Sacerdotum. Veli crassitudo est palmus, & contextum est ex 72. filis, quorum unumquodque habet 24. filamenta. In longitudine habebat 40. cubitos, in latitudine vero decem. *Tosaphta Sekalim ibid.* Longitudo veli erat 40. cubitorum, & latitudo 20. Et contextum erat ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso retorto. Alterum erat, cujus longitudo erat 20. cubitorum, & 10. latitudo, & contextum erat ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso retorto, opere polymatario, & erat extensum super porta templi extrinsecus. R. Jehuda dicit; quod extrahebatur ex loco interiori; complicabatur in duo, & duo in quatuor, & extrinsecus super porta extendebatur. Ei dixerunt; quod sanctitati gravi inservierat, potestne sanctitati levi inservire?


[21] Tredecim &c. *I. Karo* בר"פ. R. Zira dixit, Rab dixisse; tredecim vela erant sub templo secundo, sc. septem pro septem portis, unum ad portam templi, unum ad ostium Ulam, bina pro atrio, duo e regione ipsorum in cœnaculo.

[22] Si quod velum &c. *Misna Sekalim ibid.* Si quod velum immundum redditum est per filium immunditiei, ipsum intra abluunt, & statim iterum infe- runt, si vero immundum est per patrem immunditiei, ipsum extra lavant, & deinde expandunt in antemurali, quia requiritur occasus solis.

[23] Quod si novum &c. *Misna Sekalim ibid.* Si novum est ipsum expandunt in tecto porticus, ut populus videat texturam ejus, quam pulchra sit.

[24] Vasa &c. *Misna Chagiga* III. 8. Quomodo removent propter puritatem atrii? immergebant vasa, quæ erant in templo, & dicebant illis, cavete ne tangatis mensam, & lucernam, easque pollutis. Omnia vasa quæ erant in templo, habebant secundaria, & tertiana, ut si pollutæ essent prima, adducerentur secunda in loco eorum. Omnia vasa quæ erant in templo, opus habebant immersione, excepto altari aureo, & altari æneo, quia sunt instar soli; verba R. Elieseris. Verum sapientes dicunt, quia cooperta erant.

[25] Conclave &c. *Middoth* I. 4. In oriente erat porta Nicanoris, quæ duo habebat conclavia, unum a dextra, alterum a sinistra; unum erat conclave Pinchasi vestiarii &c.



פרק שמיני

CAPUT OCTAVUM.

א. בגדי כהונה שלש מינים בגדי כהן הדיוט ובגדי זהב ובגדי לבן בגדי כהן הדיוט הם ארבעה כלים כתנת ומכנסים

I. [1] Sacerdotalium vestium erant tria genera: unum sacerdotis privati vestimenta: alterum genus erat vestimenta aurea: tertium vestimenta candida.



ומגבעות ואבנט וארבעתן של פשתן לבני וחוטן כפול ששה והאבנט לבדו רקום בצמר

Jam vestimenta [2] privati sacerdotis constabant rebus e quatuor, tunica, femoralibus, tiara, balteo. Quæ omnia erant [3] ex albo lino, eaque ex filo sexies conduplicato contexta erant: solus balteus erat [4] lana acupictus.

ב. בגדי זהב הן בגדי כהן גדול והם

II. Aurea vero vestimenta magni sacer-

שמנה כלים הארבע של כל כהן ומעיל ואפוד וחושן וציץ ואבנטו של כהן גדול מעשה רוקם הוא ואינו דומה במעשיו לאבנט כהן הדיוט ומצנפת האמורה באהרן היא המגבעת האמורה בבניו אלא שכ"ג צונף בה כמי שלופף על השבר ובניו צונפין בה ככובע ולפיכך נקראת מגבעת

dotis erant: hæc conſtabant [5] e rebus octo. Continebant enim quatuor illa cujuſvis ſacerdotis veſtimenta: præterea autem pallium, amiculum humerale, rationale, bracteam. Ac balteus ſummi Sacerdotis item acupictus erat, atque opus ejus [6] artificioſum imitabatur balteum privati ſacerdotis. Et quam Lex tribuit Aaroni [7] cidarim prorſus eſt eadem, quæ præſcribitur liberis ejus, tiara: ſed hac eadem ſummus ille ſacerdos ſic, ut vulnus ſolet, obligabatur, & ejus liberi tegebantur veluti galea: qua de cauſa his tiara nominatur.



ג. בגדי לבן הם ארבעה כלים שמשמש בהן כהן גדול ביום הכפורים כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת וארבעתן לבנים וחוטן כפול ששה ומן חפשתן לבדו הם ושתי כתנו' אחרות היו לו לכהן גדול ביום הכפורים אחת לובשה בשחרית ואחת בין הערבים ושתיהם בשלשים מנה משל הקדש ואם רצה להוסיף מוסיף משלו ומקדיש התוספת ואח' כך עוש' בה הכתנות

III. Candida veſtimenta fuerant illa quatuor, quibus ad ſolemnitatem [8] Expiationum ſummus ſacerdos ſacris operaturus induebatur, tunica videlicet, ſemoralia, [9] balteus, atque cidaris. Hæc quatuor erant alba: eorum fila ſexies conduplicata, totaque ſolo e lino contexta. [10] Præterea duæ ſummo ſacerdoti erant tunicæ in diem Expiationum, quarum tunicarum unam mane, alteram veſperi induebat. [11] Hæ coemebantur ambæ minis triginta de pecunia ſacra: ſed enim ut huic pretio de ſuo quid adderet ipſi in manu erat: nempe conſecrabat additamentum illud, tum parabat tunicas.

ד. בגדי כהונה מצוותן שיהיו חדשים נאים ומשולשלים כדרך בגדי הגדולים שנאמר לכבוד ולתפארת היו מטושטשין או מקורעין או ארוכין יתר על מדתו או קצרים פחו' ממדתו או שסלקן באבנט ועבד עבודתו פסולה היו משוחקין או שהיו ארוכין וסלקן באבנט עד שנעשו כמידתו ועבד עבודתו כשרה

IV. Veſtes Sacerdotales novas eſſe neceſſe erat, elegantes, laxas, velut optimatium veſtimenta ſunt: habemus enim in Lege; *Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem*. (*Exod.* 28. 2.) [12] Quæ ſi ſordidæ fuiſſent adhibitæ, vel laceratæ, [13] ſi longiores juſto vel breviores, ſi denique inter ſacrificandum [14] balteo nimis eſſent a terra ſublatæ, ſacrum id quidem irritum fuiſſet. Si quis autem operatus veſtes adhiberet [15] vetuſtas, aut oblongas balteo ad juſtam menſuram retraxiſſet, rite feciſſet.

ה. כל

ה. כל בגד מבגדי כהונה שנעשו צואי׳ אין מלבנין אותן ואין מכבסין אותן אלא מניחן לפתילות ולובש חדשי׳ ובגדי כהן גדול שבלו גונזין אותן ובגדי לבן שעוב׳ בהם ביום הצו׳ אינו עובד בהם פעם שנייה לעולם אלא נגנזין במקום שיפשוט אותם שנא׳ והניחם שם והם אסורין בהנאה

ו. מכנסי כהנים הדיוטים שבלו ואבנטיהם היו עושין מהן פתילות ומדליקין בהן במקדש בשמחת בית השואבה וכותנות כהנים הדיוטים שבלו היו עושין מהן פתילות למנורה תמיד

ז. כל בגדי הכהנים אינן באים אלא משל ציבור ויחיד שהתנדב בגד מבגדי כהונה מוסרו לציבור ומותר וכן כל כלי השרת ועצי המערכה שמסרן יחיד לציבור הרי הן כשרין אף כל קרבנות הציבור שהתנדב אותן יחיד משלו כשרים ובלבד שימסרם לציבור

ח. בגדי כהני׳ הדיוטים היו עושין מהן מחלצות רבות וששה ותשעים חלון היו במקדש להניח בהן הבגדים ארבעה חלונות לכל משמר ושם כל משמר כתוב על׳ חלונותיו וכולן סתומות וכשיכנסו אנשי משמר לעבודה בשבת שלהן פותחין חלונותיהן כל ימי שבתן ונוטלין הכלי׳ וכשיצאו מחזירי׳ הבגדים לחלונותיהם וסותמן

ט. ולמה עשו ארבעה חלונות לכל משמ׳ לפי שלא יהיו הכלים מעורבין אלא כל המכנסים בחלון אחד יכתוב עליו מכנסים וכן באבנטים בחלון אחד וכתוב עליו אבנט וכן המצנפו׳ כולן בחלון אחד והכתנות כולן בחלון אחד

י. כהן גדול מניח בגדי זהב בלשכה שלו בלילה או בעת שיצא מן המקדש

יא. בגדי כהונה מותר ליהנות בהן

V. Nullum e veſtimentis ſacerdotalibus [16] ſordidum cum eſſet aut dealbaretur, aut lavaretur: ſed hoc in ellychniorum uſum relicto novum ſubſtitueretur. Summi vero ſacerdotis veſtimenta cum eſſent trita, recondebantur. * Hic die illo jejunii cum veſtibus illis candidis operatus, [17] iis deinceps non operabatur unquam: ſed quo loco eas exuiſſet, in eo recondebantur, veluti ſcriptum eſt; *Relictiſque ibi*. (*Lev.* 16. 23.) neque porro poterant ullum ad uſum adhiberi.

VI. [18] Ex attritis ſacerdotum privatorum femoralibus & balteis ellychnia fiebant ea, quæ * ad lætitiam illam & hilaritatem domus hauriendi accendebantur in Sanctuario. Atque [19] ex tritis horum tunicis uſque fiebant ellychnia candelabri.

VII. Veſtes ſacerdotales non emebantur [20] niſi pecunia Eccleſiæ. Ac ſi quam earum [21] privatus homo voviſſet, idem hic eam primum Eccleſiæ traderet, tum poſtea adhiberi licebat. Itemque ſi vas aliquod ad ſacrum miniſterium, lignave in altaris uſum homo privatus Eccleſiæ tradiderit, poſtmodum ad ſacrorum uſum fuerat idoneum. Quin etiam ſacrificia publica ſi privatus homo voverit de ſuo ſe facturum eſſe, ſatis erant idonea; ſi tamen ea prius, quam fierent Eccleſiæ, tradidiſſet.

VIII. Ex veſtibus privatorum ſacerdotum fiebant ſyntheſes bene multæ. Atque erant [22] in Sanctuario, ubi veſtes illæ reponerentur, ſex & nonaginta arcæ, quatuor videlicet pro unaquaque curia. Ita ſuis cujuſque curiæ arcis proprium erat nomen inſcriptum: jam arcæ illæ erant omnes occluſæ. Et cuique curiæ cum intraſſet templum ſacris ſua hebdomada operatum, propriæ reſerabantur per totam hebdomadam arcæ, ex quibus veſtimenta neceſſaria depromeret: quæ cum abiiſſet, repoſitis veſtimentis arcæ rurſus occludebantur.

IX. Quod autem arcæ quatuor unicuique curiæ tribuerentur, hæc cauſa fuit atque ratio, ne ſacerdotalium varia inter ſe ornamentorum genera [23] confunderentur, ſed femoralia conderentur omnia in una ſeorſim arca, qua inſcriptum erat FEMORALIA, baltei ſeorſim in alia arca, in qua ſic inſcriptum erat BALTEI: item tiaræ arca reponerentur in alia; in alia tunicæ.

X. Summus autem ſacerdos noctu, & cum ex Sanctuario excedebat veſtes aureas in ſuo conclavi deponebat.

XI. Omnino veſtes ſacerdotales erant

לפיכך

V. *Hic die illo jejunii*. Sic vocari paſſim ſolemnitatem Expiationum, qua ſolus ſummus ſacerdos rem divinam faciebat, jam ſupra notavimus.

VI. *Ad lætitiam illam & hilaritatem domus hauriendi*. De ſingulari illo gaudio, quod poſt hauſtam libationis aquam, atque in templum translatam agitabatur in mulierum atrio conſtituto quodam loco diſſeruimus cap. ſuper art. 6. Supereſt igitur, ut nunc de conſtituto illo quodam loco explicemus. Is dictus eſt *domus hauriendi* בית השואבה. Nempe exiſtimarunt, quoniam locus ille tantam haberet celebritatem ab aqua in libationem hauſta, & inde nomen illi imponendum eſſe.

לפיכך לובשם ביום עבודתו ואפילו שלא

בשעת עבודה חוץ מן האבנט מפני שהוא

שעטנז

יב. אסור לכהן הדיוט ללובשו אלא בשעת

עבודה אין הכהנים לובשי׳ לעבודה אלא

צמר ופשתים בלבד

יג. וכל מקום שנא׳ בתורה שש או בד הוא הפשתי׳ והוא הבוץ ותכלת האמור׳ בכל מקום הוא הצמר הצבוע כעצם שמים שהו׳ פתוח מן הכוחל הארגמן הוא הצמר הצבוע ארום ותולעת השני הוא הצמר הצבוע בתולעת

יד. כל מקום שנאמר בתורה שש או שש משזר צריך שיהי׳ החוט כפול ששה ומקום שנא׳ בד אם היה חוט אחד לבדו כשר ומצוה מן המובח׳ שיהיה כפול ששה ומקו׳ שנא׳ בו משזר בלבד צריך שיהיה חוטין כפול שמנה

טו. כל מקום שנאמר בתורה מעשה רוקם הוא שתהיה הנעשת באריג נראית מצד אחד בפני האריג בלבד ומעשה חושב הוא שתהיה הצורה נראי׳ משני צדדין פנים ואחור

טז. וכיצד מעשה הבגדים הכותנות בין של כהן גדול בין של כהן הדיוט משבצות היתה שהיא בתים בתים באריגת׳ כמו בית הכוסות כדרך שעושין האורגין בבגדים הקשים ובית יד שלה נארג בפני עצמו ומחברין אותו עם גוף הכתונת בתפירה

יז. אורך הכתונת עד למעלה מן העקב ואורך בי׳ יד שלה עד פס ידו ורוחבו ברוחב היד

יח. המכנסי׳ בין של כהן גדול בין של

concessæ ſacerdotibus [24] etiam in ſuum uſum. Itaque quo die ſacris operabatur eorum aliquis, his licebat eum eſse veſtibus veſtitum extra ſacrificandi tempus. Excipe tamen balteum, quo ſacerdotem eſſe veſtitum extra tempus ſacrificandi fas non erat: ratio fuit quod balteus * conſtaret e lino lana commiſto.

XII. [26] Privato igitur ſacerdoti ne extra horam ſacrificandi balteum indueret, interdictum erat. Atqui ad rem divinam faciendam privati quidem ſacerdotes nihil induebant aliud, quam e lana veſtes, & e lino.

XIII. Ubicunque illa commemorantur a Lege genera, [27] quæ שש atque בד appellantur, linum ſignificatur, idque byſſinum: atque illud, quod a Lege [28] תכלת dicitur, lana eſt [29] medicata fuco inſtar cœli: [30] purpura eſt lana colore rubro tincta: & [31] coccineum bis coctum lana eſt cocco infecta.

XIV. Ubi deſcribendis veſtibus Lex adhibet [32] vel ſolum vocabulum שש, vel conjunctum [33] שש משזר filum earum neceſſe erat ſexies eſse conduplicatum: ubi vero vocabulum בד uſurpatur, ſi ſimplex eſſet earum filum, tamen idoneæ fuerint: melius erat autem conduplicari ſexies. Nam ubi vox iſta משזר ſola reperitur, oportebat filum conduplicari octies.

XV. Quidquid a Lege [34] *opus plumarii* dicitur, huic erant intextæ variæ figuræ ſic, ut ex una tantum parte cernerentur, in conſpectu videlicet textoris. [35] Quod autem *opus artificis* nuncupatur, in eo ſic erant intextæ figuræ, ut ex utraque parte apparerent ante, poneque.

XVI. Veſtium igitur illarum erat artificium ejuſmodi: tunicæ quidem ſive privati, ſive ſummi ſacerdotis erant [36] teſſellatæ: nempe erant totæ contextæ ac diſtinctæ quaſi teſsellis, * qualis eſt forma reticuli, quales ſolent in craſſioribus intexi veſtimentis. Atque tunicarum [37] manicæ texebantur ſeorſim: tum deinde cum ipſis conſuebantur.

XVII. De longitudine tunicarum, erant illæ [38] talares, quarum manicæ pertinebant ad volam manus, & pro latitudine manus patebant.

XVIII. [39] Femoralia ſeu privati ſeu ſum-

כהן

XI. *Conſtaret e lino lana commiſto*. Cujuſmodi veſtibus veſtiri Judæos plane vetitum eſt Lev. 19. v. 19. *Et veſtis diverſarum ſpecierum non aſcendet ſuper te*.

XVI. *Qualis eſt forma reticuli*. In animalibus ruminantibus ſtomachi ſunt quatuor. Eorum primus eſt *magnus ventriculus*: alter *reticulum*: tertius *omaſum*: qnartus *abomaſum*; ſic enim a medicis vocantur. Horum ille, qui reticulum vocatur, totus eſt quaſi teſſellis diſtinctus, ſeu mavis, ſic tanquam rete grandi macula contextum, vernacule *un rets a grandes mailles*: ex quo factum ut a medicis reticulum appellaretur. Id Hebræis בית הכוסות dicitur, quod ad verbum eſt *domus poculorum*. Nempe membranæ, ex quibus tam artificioſe efficiuntur illæ, quas ante diximus, ſeu teſſellæ, ſeu maculæ, exurgunt in altum adeo, ut cavitates ſatis depreſſas habeant, ac veluti pocula quædam angularia exprimant. Nomen hoc cum paſſim in Talmude uſurpatur, tum vero occurrit tract. סוכה fol. 34. pag. a. quo loco in Commentariis hoc ſcriptum legimus, vernacule vocatur פנצה *panſa*, minus proprie quidem: nam quod dicitur Gallice *la panſe*, id ſignificat non reticulum, quod reſpondet Hebraico vocabulo בית הכוסות; ſed magnum ventriculum. Atque de hoc nomine ſatis ſuperque dictum eſt.

כהן הדיוט הם ממתנים עד ירכים שהוא למעלה מן הטבור קרוב מן הלב עד סוף הירך שהוא הארכוב׳ ושנצים יש להם ואין להם לא בית הנקב ולא בית הערוה אלא מוקפין כמין כיס

יט. המצנפת של כהן גדול או הדיוט ארכה ששה עשר אמות והאבנט רוחבו כמו שלש אצבעות וארכו שנים ושלשים אמה מקיפו ומחזירו כרך על גבי כרך ובגדי כהונה כולן אין עושין אותן מעשה מחט אלא מעשה אורג שנאמר מעשה אורג:

mi ſacerdotis pendebant a lumbis ad ſemora: nempe ſupra umbilicum proxime a corde incipientia continuabantur ad extremum femur, id eſt, ad genu. Et his ligamenta inerant: [40] atqui ad nates parteſque pudendas apta non erant, ſed quidam veluti ſacculus erat homini circundatus.

XIX. Cidaris illa [41] tam ſummi, quam privati ſacerdotis ſex & decem erat longa cubitos. [42] Balteus in latitudinem quaſi tres digitos patebat, & longitudine duorum & triginta cubitorum erat. Hujus igitur plurimis orbibus circumplicatus erat ſacerdos. Jam veſtes ſacerdotum [43] non erant acu factæ; ſed textæ, quoniam in Lege eſt: *Opere textili*. (*Exod.* 39. 37.)

NOTÆ IN CAPUT OCTAVUM.

[1] Sacerdotalium &c. *Schilte Haggibborim cap.* XLIV. Veſtium Sacerdotalium erant tria genera; nempe veſtes Sacerdotii vulgaris, & veſtes aureæ, & veſtes albæ. Veſtes Sacerdotis vulgaris erant quatuor, tunica, femoralia, tiara, & balteus; veſtes aureæ erant ſummi Sacerdotis, & erant octo, quatuor Sacerdotis vulgaris, & pallium, amiculum humerale, rationale, & bractea. Veſtes albæ erant quatuor, quibus miniſtrabat ſummus Sacerdos in die expiationum, nempe tunica, femoralia, balteus, & cidaris. *R. Levi Barſelonita præc.* 99. Habitus Sacerdotis vulgaris uniformis eſt. Veſtes Sacerdotis magni duum ſunt generum, aureæ, & albæ. Sed & quatuor ſunt ornamenta Sacerdotis idiotæ, quorum nomina, tunica, femoralia, tiara, & balteus. Tunica eſt inſtar indusii magni Iſmaelitarum. Femoralium figura eſt ubique nota quorum quædam magna ſunt a lumbis ad genua pertingentia. Tiara eſt ornamentum, quod galeæ inſtar paratum, capiti imponitur. Abneth eſt ſpecies cinguli, quo ſe Sacerdotes cingunt; hoc tamen diſcrimine, quod aliquoties eo ſe circumdent, quod nos cingulo uſitato non ſolemus facere. Hæc quatuor ornamenta linea alba ſunt, & filo ſexies contorto contexta, niſi quod Abneth ex opere phrygionico tantum conſtat laneo. Atque his Sacerdos vulgaris ſemper ſacra peragit, quæ inducere illi licet interdiu, ſive ſacris vacet, ſive non; excepto balteo, qui ex lana & lino commixtus illicitus eſt, excepta hora miniſterii. Magnus autem Sacerdos octo habet ornamenta, quorum nomina, tunica, femoralia, balteus, quæ tria etiam competunt vulgari Sacerdoti. Sed cidarim habet Sacerdos loco tiararum Sacerdotis vulgaris, quorum utrumque capitis tegumentum eſt; ita tamen ut cidaris ſit inſtar veſtis oblongæ qua mulieres capita ſua obnubunt, quo Sacerdos ſe involvit. Migbaoth autem ſeu tiaræ accedunt ad formam galeæ; ecce hæc quatuor ſunt Sacerdotis magni veſtes, quæ quatuor & lineæ ſunt & albæ tantum, & ſexies iterato filo, opere phrygionico factæ. Sunt poſtea & alia quatuor ornamenta, nempe pectorale, Ephod ſeu amiculum, pallium, lamina. His omnibus Sacerdos adminiſtrat cultum extrinſecus. Intrinſecus vero cum eſt ante propitiatorium, non peragit ſacra unquam, niſi veſtibus indutus lineis, in quibus cum ſemel die expiationum miniſtraverit, eo habitu poſtea nunquam amplius ſacra facit; ſicut dicitur Levit. XVI. 23. *Relictiſque ibi*.

[2] Privati &c. *Peſiktha ad Levit.* VI. 10. Cur dictum eſt ילבש על בשרו? ad includendum, ut veſtiat tiaram & cingulum ad decinerandum; quia Sacerdos vulgaris miniſtrat quatuor veſtibus, tunica, femoralibus, tiara, & cingulo. *Peſiktha iterum ad Levit.* XVI. 32. Sacerdos vulgaris miniſtrat quatuor veſtibus, tunica, & femoralibus, & tiara, & cingulo.

[3] Ex albo lino &c. *Gemara ad cap.* XI. *Sevachim*. Omnes veſtes de quibus dicitur בד, neceſſe eſt ut ſint ex byſſo, novæ, retortæ, ut ſint ex ſextuplici filo. *Gemara ad Joma cap.* VIII. Docent Doctores noſtri; res de quibus dicitur שש, de illis intelligendum eſſe, ut ſint ex ſeptuplici lino.

[4] Lana &c. *Toſaphta Celaim* IV. 18. Veſtes Sacerdotum & veſtes ſummi Sacerdotis non tenentur Heterogeneorum lege. *Codex Celaim* IX. Neque Sacerdotes alia re veſtiuntur ut ſacris operentur in Sanctuario quam lana & lino. *Schilte Haggibborim ibid.* Quamvis veſtes albæ diei expiationum lino tantum conſtabant, tamen pars octo veſtium ſummi Sacerdotis, & pars quatuor veſtium Sacerdotis vulgaris conſtabat lana & lino, veluti rationale, amiculum, humerale, & balteus in octo veſtibus ſummi Sacerdotis & balteus Sacerdotis vulgaris, & quamvis lege prohibeantur Iſraelitæ uti lana & lino omni tempore, tamen Sacerdotibus tempore miniſterii tantum uti licet lana & lino.

[5] E rebus octo &c. *Peſiktha ad Levit.* VI. 10. *Veſtietur*. Ad includendum tiaram & balteum, quia non miniſtratur in Sanctuario ſine quatuor veſtibus. Dictum eſt hic *veſtietur*, & dictum eſt illic, nempe Levit. XVI. 24. *Lavabit carnem ſuam in loco ſancto, indueturque veſtibus ſuis*. Sicuti ibi induet omnes veſtes, etiam hic omnes veſtes induet, omnes veſtes quæ ſunt idoneæ Sacerdoti vulgari; Sacerdos enim magnus octo veſtibus miniſtrat, nempe quatuor, quæ commemoratæ ſunt, hiſque addit pectorale, Ephod, pallium & laminam. *Peſiktha iterum ad Levit.* XVI. 32. Ex eo tempore ſummi Sacerdotes vocati ſunt aucti veſtibus; propterea quod octo veſtes induunt; Sacerdos vero vulgaris quatuor tantum miniſtrat, nempe tunica, femoralibus tiara, & balteo; Sacerdos magnus his addebat pectorale, Ephod, pallium, & laminam. *Codex Joma* VII. 5. Sacerdos magnus octo veſtibus miniſtravit, gregarius quatuor, tunica, & femoralibus, & tiara, & balteo; Sacerdos magnus his addidit pectorale, & Ephod, & pallium, & laminam. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 40. *Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis*; quatuor veſtes & non amplius, nempe tunicam, balteum, & tiaras, quæ ſunt מצנפת, & femoralia, quæ deſcribuntur infra in Paraſcha. *Veſtieſque his omnibus Aaron, his*, quæ commemorantur in Aharone, nempe Ephod, pallium, tunica teſſelata, cidaris, & balteus, & lamina, & femoralia, quæ infra in executione deſcribuntur. *Et paulo poſt. Et fœminalia linea*; ecce octo veſtes Sacerdoti ſummo, & quotuor Sacerdoti vulgari. *Schilte Haggibborim ibid.* Veſtes aureæ erant Sacerdotis ſummi, octoque erant, nempe quatuor Sacerdotis vulgaris, & pallium, & Ephod, & pectorale, & lamina.

[6] Artificioſum &c. *Jarchi ad hæc verba Exod.* XXVIII. כמעשהו Qualis eſt textura ſuccintorii, ſcilicet opus artificioſiſſimum ex quinque ſpeciebus, talis etiam eſt textura cinguli, opus artificioſiſſimum & ex quinque ſpeciebus. *Diſſimile erat cingulo Sacerdotis vulgaris*. *Siphra ad Levit.* VI. 10. *Veſtietur*. Ad includendum tiaram, & balteum, verba R. Jehudæ; R. Doſa dicit,

cit, ad includendas veſtes Sacerdotis Summi, ut ſint legitimæ Sacerdoti vulgari. Rabi dicit; duæ oppoſitiones ſunt in hac explicatione. Balteuſne ſummi Sacerdotis erat idem ac balteus Sacerdotis vulgaris?

7 Cidarim &c. *Nachmanides in Leg. Paraſcha Tezave*. Quando de tota Sacerdotum turba quæſtio eſt, tunc dicit Scriptura מגבעות, ſed & id ipum eſt מצנפת, ni quod ea totum caput obnubant, atque ita ſpiras, & volucra inducant, ut referat ſpeciem מגבעת i. e. galeæ, ſecundum paraphraſin *Onkeloſi*. Ita מגבעת diceretur, quaſi מקבעת, uti diximus de tranſmutatione literarum ג & ק. Sed quoniam מגבעת eſt inſtar מצנפת, ideo Sapientes indifferenter ponunt מצנפת tam de toto Sacerdotum ordine, quam de ſummo Pontifice. In libro Sacerdotum, & in Codice *Joma* legimus. *Summus Sacerdos ſacra facit in octo veſtibus, & ceteri Sacerdotes in quatuor, in tunica brachis, Mitzenephet, & balteo. Jarchius ad Exod.* XXVIII. 4. מצנפת eſt inſtar fornicis, *ſive* cuculli galeæ, quem vocant *happe*, ſiquidem in alio loco vocatur מגבעות, & vertitur a *Chaldæo* galea. *A S. Hieronymo in Epiſtola ad Fabiolam ita deſcribitur*. Quartum genus veſtimenti, rotundum pileolum, quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur in capite. Hoc Græci & noſtri τιάραν, nonnulli galerum vocant, Hebræi Mitznephet. Non habet acumen in ſummo, nec totum uſque ad comam caput tegit; ſed tertiam partem a fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia extrinſecus appareant.

8 Expiationum &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 4. *Tunica linea veſtietur*; בד, ut *veſtes* ſint novæ; בד, ut ſint duplices בד, ne cum his alias veſtes induat; dicerem, quod cum his non induat alias veſtes lineas, at cum his poſſit induere veſtes laneas; ideo dicit בד; dicerem quod cum his non induat veſtes lineas, at poſſit induere cum his veſtes profanas; ideo dicit בד; quid neceſſe erat dicere quater בד? ad excludendas quatuor veſtes, de quibus dictum eſt *coram Domino*; Dictum eſt enim in Pectorali; *Ex.* XXVIII. 19. *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali judicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum*. Crederem quod cum hoc ingrederetur in templum interius; ideo dicit בד, non autem cum pectorali. Dictum eſt enim in Ephod; ibid. verſ. 12. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper utrumque humerum ob recordationem*; crederem quod cum hoc in templum interius ingrederetur; ideo dicit בד, non cum Ephod. Dictum eſt enim in Pallio; ibid. v. 35 *Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterii, ut audiatur ſonitus, quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini*; Crederem quod cum hoc in templum interius ingrederetur; ideo dicit בד, non cum pallio. Dictum eſt enim in Frontali; Ibid. v. 38. *Erit autem lamina ſemper in fronte ejus, ut placatus ſit eis Dominus*; crederem, quod cum hoc in templum interius imgrederetur; ideo dicit בד, non cum frontali. *Peſiktha ibid. Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti*; quater *nominatur* בד; בד ut *veſtes* ſint ex byſſo; בד, ut ſint duplices, בד, ut ſint novæ; בד, ne alias veſtes cum his induat. Gloſſa alia; quater בד ad excludendas quatuor veſtes, de quibus dictum eſt *coram Domino*; quæ ſunt pectorale, Ephod, & pallium, & frontale. De pectorali dictum eſt; *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali judicii ſuper pectus ſuum coram Domino*; crederem quod cum hoc in templum interius ingrederetur; ideo dictum eſt בד; non cum pectorali. De Ephod ſcriptum eſt. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino* &c. Crederem, quod cum hoc in templum interius ingrederetur; ideo dictum eſt בד non autem cum Ephod. De pallio dictum eſt; *Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterii, ut audiatur ſonitus, quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini*; Crederem quod cum hoc in templum interius ingrederetur; ideo dictum eſt בד, non autem cum pallio. De Frontali dictum eſt; *Erit autem lamina ſemper in fronte ejus, ut placatus ſit eis Dominus*; Crederem quod cum hoc in templum interius ingrederetur; ideo dictum eſt בד, non autem cum frontali. *Gemaræ ad cap.* III. *Joma*. Docet Doctor Huna filius Doctoris Ilai; Scriptura dicit *linum, linum, linum, linum*, quia eſt optimum linum. *Hinc Jarchius. Linum, linum* quater ſcribitur in veſtitu veſtium matutinarum, ut doceremur linum, linum, optimum eſſe ex omni genere lini. *Toſephoth l. c.* בד בד בד בד; mihi videtur ſemel poſitum eſſe linum propter ſeipſum, ut prima voce lini ſignificaretur, quod debeat eſſe veſtis ex lino. Alteram vocem lini eſſe ad oſtendendum, eum non debere veſtiri veſtibus aureis, ut ceteris diebus anni. Tertiam vocem lini docere, tunc præſtantius eſſe linum, quam ceteris diebus. Quartam vocem lini indicare hora matutina linum pretioſius fuiſſe, quam hora veſpertina. Dici etiam poteſt; tertium & quartum linum ita exponi debere, ut ſignificaretur fuiſſe omnium generum linorum pretioſiſſimum. *Sacerdos etiam, qui immolabat vaccam rufam, veſtibus albis utebatur. Siphri ad num.* XXIX. זאת חוקת התורה. R. Elieſer dicit; dictum eſt hic חוקת & dictum eſt alibi, ſc. *Levit.* XVI. 34. חוקת, ſicuti חוקת ibi dictum erat cum veſtibus albis, ita חוקת hoc loci dictum oſtendit eſſe cum veſtibus albis. Interrogarunt diſcipuli Rabban Jochanan filium Zaccai, quibuſnam veſtibus immolaretur vacca rufa; reſpondit veſtibus aureis immolari. Dixerunt; nonne nos docuiſti, præceptor veſtibus albis immolari? Reſpondit; ſi oblitus ſum, quod mei oculi viderunt, & meæ manus miniſtrarunt, quanto magis oblviſci poſſum quod didici? Hoc vero qua de re? Ut experiretur acumen diſcipulorum; nonnulli dicunt, hunc fuiſſe Hillelem ſeniorem; at illi dicere non licebat; quod meæ manus miniſtrarunt. *Peſiktha ibid.* זאת חוקה התורה. Interrogarunt diſcipuli Rabban Jochanan filium Zaccai; quibuſnam veſtibus immolaretur vacca rufa? Reſpondit, veſtibus aureis. Dixerunt; nonne nos docuiſti, magiſter noſter veſtibus albis immolari? Reſpondit illis, filii mei, ſi oblitus ſum, quod viderunt oculi mei, & manus meæ miniſtrarunt, quanto magis quod didici? Hoc vero quare? ut diſcipulos experiretur. R. Eliezer dicit; dictum eſt hic חוקת, & dictum eſt illic, ſc. *Levit.* XVI. 34. חוקת; *eritque vobis hoc legitimum ſempiternum*; ſicuti ibi veſtibus albis, etiam hic veſtibus albis. *Toſaphta de vacca rufa* III. 9. 10. Præceptum erat, *ut immolaretur* quatuor veſtibus albis Sacerdotis vulgaris, ſi veſtibus aureis immolaſſet, & veſtibus profanis erat illegitima. Interrogarunt quondam diſcipuli Rabban Jochanan filium Zaccai; quibuſnam veſtibus immolaretur vacca rufa. Reſpondit, veſtibus aureis: Dixerunt; ei nonne nos docuiſti, veſtibus albis immolari? Reſpondit; recte dixiſtis; ſi oblitus ſum, quod meæ manus miniſtrarunt, & oculi mei viderunt, quanto magis, quod meæ aures audierunt? Non hæc ignorabat, ſed curabat, ut per experimentum ſui diſcipuli optime erudirentur. Nonnulli dicunt hunc fuiſſet Hillelem ſeniorem; qui hæc non ignorabat, ſed curabat, ut per experimentum diſcipuli optime monerentur.

9 *Balteus* &c. *Gemara Hieroſol.* ad VII. 4. *Joma*. Traditur, quæſtionem non eſſe inter Doctores noſtros, & R. Eleaſarem nomine R. Simeonis ſuper balteo Pontificis maximi die expiationis, quia eſt ex byſſo, & balteo ceterorum dierum anni, qui mixtæ eſt materiæ. *Barſelonius præcept.* 99. Quatuor iſtæ ſunt ex lino albo tantum. *Raſchi ad Ezechiel.* XLIV. 17. *portas atrii interioris*; in adytum in die expiationum; *neque adſcendet ſuper eos quicquam laneum*. תכלת quod erat in pallio & balteo, non veſtietur in die expiationum, in miniſterio interiori. *Kimchi ibid. Cumque ingredientur portas atrii interioris*; Si dicatur de atrio interiori juxta ſenſum literalem; ejus explicatio erit, quod ſit porta atrii Sacerdotum, & altare, & ex eo ad portam Ulam; hoc omne erat atrium; ſi ita eſt; hoc innovatur in futurum; quia veſtibus quibus miniſtrabant Sacerdotes, inerat lana, uti ſcriptum eſt in lege Moſis, quia התכלת erat lana colore hyacinthino tincta, ſi vero dicatur, quod hoc reſpiciat miniſterium ſummi Sacerdotis in die Expiationum in adyto, qui miniſtrabat veſtibus lineis, quomodo oraculum appellat atrium? quod erat domus. Et quomodo dicit; *cumque ingredientur* numero plurali? Cum hoc miniſterium non fieret niſi per Sacerdotem magnum, qui ſolus illuc ingrediebatur, & uno tantum die Expiationum. *Raſchi iterum ad Levit.* XVI. 4. *Tunica linea*. Demonſtratur,

quod

quod interius non ministrabat octo vestibus, quibus exterius ministrabat, quibus aurum intextum erat, quia accusator non potest fieri advocatus, sed quatuor, uti Sacerdos vulgaris; & omnes erat lineæ.

[10] Præterea duæ &c. *Misna Joma* III. 7. Mane induebatur Pelusiacis vestibus, quæ duodecim minas, & vesperi Indicis, quæ octoginta drachmas valebant; verba R. Meyr; at Sapientes dicunt, mane induebatur vestibus, quæ octodecim, & vesperi vestibus, quæ duodecim minas valebant.

[11] Hæ coemebantur &c. *Siphra ibid. Hæc enim vestimenta sunt Sancta*; ut sint de pecunia sacra; Hinc non probo nisi de his, unde probatur ad includendas alias vestes summi Sacerdotii, & vestes suorum fratrum Sacerdotum? ex eo quod dicit; *hæc enim vestimenta sunt sancta*; principii constitutio, pro omnibus vestibus *Sacerdotalibus* ut ex pecunia sacra comparandæ essent. *Pesiktha ibid. Hæc enim vestimenta sunt sancta*; principii constitutio pro omnibus vestibus, ut ex pecunia sacra comparentur. *Misna Joma ibid.* Tota hæc triginta minarum summa universo populo irrogata erat, & ipse si quicquam addere cupiebat, addebat. *Tosaphta Joma* I. 22. Omnes sexaginta (*Hic mendum est*; Misna *enim*, *utraque* Gemara Babyl. & Hierosol. Maimonides, *ceterique Doctores triginta tantum dicunt*) minas accipiebat e sacro; si volebat addere, addebat de suo.

[12] Quæ si sordidæ &c. *Tosaphta Menachoth* I. 9. Si vestes laceratas induisset &c. & ministrasset, ministerium ejus est illegitimum.

[13] Si longiores &c. *Gemara ad c.* II. *Sevachim*. Docent Doctores nostri, si *vestes* fuerint trahentes (*i. e. ut præ longitudine in terram traherentur*) breves, aut veteres, & si quis in iis ministerio fungeretur, ministerium legitimum fuisse. *Quæ sententia Maimonidi contraria est. Jarchius ibid.* Et quamvis scriptum sit מדו בד ad indicandum vestem debere esse secundum mensuram ejus, præceptum tamen illud datum est absolute, sed non ad impediendum ne aliter fieret. *Siphra ad Levit.* VI. 10. ולבש הכהן מדו בד, vestem suam, quæ sit juxta ejus mensuram; בד, ut *vestes* sint lineæ, בד, ut sint novæ, בד, ut sint duplices, בד, ne cum his alias vestes induat; crederem, quod cum his vestes lineas non induat, sed cum his vestes laneas induat, ideo dicit בד; dicerem, quod cum his non indueret vestes Sacras, sed induere posset vestes profanas; ideo dicit; *& fœminalibus lineis*; Quid discis ex eo quod dicitur, *vestietur*? ad includendum cidarim & balteum; verba R. Jehudæ. R. Dosa dicit, ad includendas vestes summi Sacerdotis, ut Sacerdoti idiotæ sint legitimæ. Rabbi dicit; duæ oppositiones sunt in hac explicatione. Quid? Balteus summi Sacerdotis erat idem ac balteus Sacerdotis idiotæ? Præterea; vestes ne, quæ sanctitati gravi inservierant, sanctitati levi poterunt inservire? Cur igitur dicit *vestietur*? etiamsi veteres fuerint. R. Simeon dicit; cum dicat, *lineis*; Ego putabam intelligi quatuor vestes, de quibus loquitur textus; ולבש מדו בד את בגדי הבד בגדי הקודש; cur igitur dicit מדו בד; ut sint juxta mensuram suam.

[14] Balteo nimis &c. *Gemara ad cap.* II. *Sevachim*. Tradunt breviores tunicas legitimas esse. Dixit Rame filius Chama, nulla est quæstio, si modo brevior sit ab balteum, modo per se non sit nimis brevis.

[15] Vetustas &c. *Tosaphta Menachoth ibid.* Si vestes detritæ, & veteres essent, & in his ministrasset, [illegible]s ministerium est legitimum.

[16] Sordidum &c. *Gemara ad c.* IX. *Sevachim*. Docent doctores nostri; si vestes sacræ inquinentur, non lavant eas nec nitro nec sapone, sed lavant eas aqua. Dixit Abai; sic est dicendum; si inquinentur ita ut aqua purgari possint, lavant eas nitro & smegmate; sed si ita inquinentur, ut ad purgationem opus habeant nitro & smegmate, tunc ne quidem lavant eas. Sunt enim qui dicant eas omnino non lavari; quia nulla est paupertas in loco divitiarum.

[17] Deinceps &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 23. *Relictisque ibi.* Docemur, fuisse abscondendas, neque fuisse legitimas pro die futuro expiationis. R. Jose dicit; legitimæ erant Sacerdoti idiotæ; si ita est, cur dictum est *relictisque ibi*? ne his anno futuro utatur. *Pesiktha ibid. Relictisque ibi*; ad docendum, quod abscondendæ essent, neque legitimæ essent pro die venturo expiationis. *Gemara ad cap.* III. *Joma*; *Relictisque ibi*; hinc discimus eas debuisse abscondi. R.

Dosa dicit aptæ sunt, ut gestarentur a Sacerdote idiota. Sed Scriptura dicit; *relictisque ibi*; ut in iis non ministraret alio die expiationis.

[18] Ex attritis &c. *Codex Succa* V. 3. Ex detritis braccis Sacerdotum, eorumque cingulis discindebant *Filamenta*, & accendebant *lucernas*.

[19] Ex tritis &c. *Gemara Schabb. fol.* 21. 1. Vestes Sacerdotales vetustate tritas discindunt, atque ex his conficiunt ellychnia pro Sanctuario. Quid? num ex iis *vestibus*, quæ mixtæ materiæ sunt? Non sed ex byssinis *tantum*. *R. Joseph Karo in Keseph Misna ad h. l.* Maimonidis. Non attendit Rabbinus noster, nisi ad tunicas Sacerdotales, exclusis balteis, nam ex his non fiunt ellychnia ad lampadem æternam, quia lanam *lino* intermixtam habent, quibus adeoque lampadem perpetuam accendere nefas est. De braccis autem tradunt, eas ad accendendas lampades in gaudio domus haustionis fuisse adhibitas. Itaque ad ellychnia lampadis perpetuæ *ex vestibus* Sacerdotalibus nil superest preter tunicas & tiaras; sed & ratio reddenda est, quare Rabbinus noster omittat tiaras? Forte ut *ostendat* id quod dictum sit de tunicis, etiam de tiaris intelligi debere. Vel etiam dici potest. Eo quod tiaræ ex lino admodum tenui constent, hinc eas, ceu ad ellychnia ineptas, ab illo omitti.

[19] Candelabri &c. *Ex detritis braccis Pontificis maximi accensas fuisse lucernas candelabri legimus in* Gemara Succa *fol.* 55. 2. Traditio fert; quod ex detritis braccis Sacerdotis summi accensæ fuerint lampades in interiori parte *S. Ædis ardentes*. Ex detritis vero braccis Sacerdotum gregariorum lampades in exterioribus partibus *constitutas* accensas fuisse. Hinc docemur tantum tunicam, balteum & tiaram, quibus utebatur Sacerdos summus in die expiationis, fuisse absconditos, non vero braccas.

[20] *Nisi pecunia* &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 4. *Hæc enim vestimenta sunt Sancta*; principii constitutio pro omnibus vestibus *Sacerdotalibus*, ut ex pecunia Sacra essent comparandæ. *Pesiktha ibid. Hæc enim vestimenta sunt sancta*; principii constitutio, ut omnes vestes ex pecunia sacra comparentur. *Tosaphta Sekalim* II. 6. Altare aureum, vasa sacra, vestes Sacerdotum, & vestes summi Sacerdotis &c. comparabantur ex residuis conclavis. *Maimonides Sekalim* IV. 2. Vestes Sacerdotales, sive essent vestes Pontificis magni, sive essent reliquæ vestes Sacerdotum, quibus in sacrario operarentur, ex oblatione conclavis *veniebant* omnes.

[21] Privatus homo &c. *Tosaphta Joma* I. 23. Si fœmina confecerit tunicam filio suo, est legitima, dummodo eam tradat Ecclesiæ; Vestes Sacerdotis magni, & vestes Sacerdotis idiotæ comparabantur de pecunia, quæ separabatur de conclavi. *Hieros. Sekal.* cap. IV. Si quædam fœmina confecerit tunicam filio suo, oportet ut eam tradat toti cœtui.

[22] In Sanctuario &c. *Tosaphta Succa cap. ult.* 16. Viginti quatuor annuli ibi erant pro viginti quatuor classibus Sacerdotii, pariterque ibi erant quatuor & viginti capsæ pro quatuor & viginti classibus. *Maimonides ad c.* V. 8 *Succa*. Fuerunt ibi XXIV. capsæ, ubi quoque vestes Sacerdotales erant, una capsa pro quavis classe, omnesque clausæ erant, sed quum classis nova accederet, illius capsa aperiebatur, excepta solius classis Bilgæ, de qua statuerunt Sapientes, ut in perpetuum distribueret in meridie, annulusque ipsius maneret fixus, capsaque clausa instar classis recedentis, neque ei permiserunt ullum signum, quod doceret, quando ministerii vices eam tetigissent. *Schilte Haggibborim cap.* 24. Erant ibi pariter 24. capsæ, ubi reponebantur vestes Sacerdotales; singulæ capsæ pro singulis custodiis, & omnes erant clausæ; & quando classis ingrediebatur ad ministrandum, aperiebat suam capsam, excepta classe Bilgæ &c.

[23] Confunderentur &c. *Sepher Shebat Jehudæ fol.* 43. 2. Hic quoque domus erat Sacerdoti, cujus munus erat vestire Sacerdotes in tempus ministerii. Dedit unicuique quatuor vestium species juxta legis præscriptum. Et porrigebat ille eas ex *Arcis* seu Repositoriis domus hujus ita ad vestiendum attinentis. Et in unoquoque Repositorio, quod erat ad parietes domus hujus, id est supra quamlibet scribebatur nomen vestis, ne forte error aut confusio fieret in porrigendo accipiendoque. *Misna Tamid* V. 3. Tradebant

bant se ministris, qui exuebant illis vestes suas, non relinquebant super eas, nisi femoralia tantum; arcæ autem erant illic, quibus inscriptum erat *usus vestium*. *Maimonides in h. l.* Capsis in quibus erant braccæ, inscriptum erat *braccæ*, in quibus erat pileus, iis inscriptum erat *pileus*, & sic de ceteris. *Schilte Haggibborim ibid.* Capsis, ubi erant femoralia, inscriptum erat *femoralia*, ubi erat tiara, inscriptum erat *tiara*, atque ita de tunica, & balteo. Et quamvis non explicet hic doctor locum arcarum, in quibus reponebantur vestes Sacerdotales; credendum est cum magnifico & admirando R. Mose Kazez, quod fuerint in conclavi Secespitarum, ubi erat locus pro arcis Secespitarum; si ita est, necesse est ut essent quinque capsæ pro singulis custodiis; eritque omnium numerus 120. Arcarum.

24 Etiam in suum &c. *Gemara ad c. I. Tamid*. Audi vetitum esse abire in provinciam vestibus Sacerdotalibus; sed in templo licet *ut iis uterentur* sive tempore ministerii, sive non tempore ministerii. *Gemara ad c.* VII. *Joma*. Lex non data est angelis ministerii, quoniam Sacerdotes cincti erant ut angeli, ita ut exuere debuerint vestes sacras simulac perfecissent ministerium; nec eas super se retinere audebant, ne tempore quidem ictus oculi. *Tosaphta Celaim* IV. 19. Siquis egrediatur Hierosolyma vestibus summi Sacerdotis, tenetur pœna, at in Sanctuario sive induat ad ministrandum, sive non, absolvitur, quia conveniunt sacro ministerio. *Kimchi ad Ezech.* XLII. 14. *Cum autem ingressi fuerint*. Cum ingressi fuerint in eorum conclavia, quæ erant in atrio Sacerdotum; dicit, quod egredientes de ministerio suo in atrium Sacerdotum ibi reponant vestes Sacerdotales, quibus ministrarunt; *ne egrediantur his vestibus in atrium exterius*, quod erat atrium Israelitarum, quod erat exterius atrio Sacerdotum. *Idem ibid.* XLIV. 19. *Cumque egredientur atrium exterius*. Et posthæc dicit; *Atrium exterius ad populum*. Quodnam est hoc atrium exterius ad populum? Designatur locus, ubi stabat populus, nempe atrium Israelitarum. *Exuent se vestimentis suis*. Hoc est, quod superius est dictum. *Et ibi reponent vestimenta sua*.

25 Balteum &c. *Gemara Erachin fol.* 3. 2. Licitum eo (*i. e. balteo*) esse uti tempore ministerii, neutiquam vero extra tempus ministerii.

26 Privato &c. *Maimonides* X. 32. *Kelaim*. Sacerdotes si qui se vestiebant vestibus Sacerdotalibus extra tempus ministerii, etiamsi id fieret in templo, verberibus erant plectendi, idque cinguli gratia, quod ex heterogeneis erat. Neque permittebant extra tempus ministerii, quod nempe præcepto nitebatur affirmativo sicut & fimbriæ.

27 שש atque בר &c. *Aben Ezra ad Exod.* XXV. שש est idem quod בר, species quædam lini, quod nascitur in Ægypto tantum, tenue est & album, & non tingitur. *Gemara Babylonica ad c.* II. *Sevachim*. Dixit R. Joseph verbis R. Chaninæ, בר est quod seorsim surgit ex terra. *Quod Jarchius ita exponit*; Culmus unus ex quolibet trunco, nec duo culmi surgunt ex trunco uno. *Glossa ad c.* IX. *Kelaim*. בר est id quod habet ex quolibet grano seminis unicum culmum, nec surgunt duo culmi ex grano uno.

28 תכלת &c. *Siphri ad Num.* XV. 38. Quod תכלת similis est mari, & mare firmamento &c. *Aben Ezra ad Exod.* XXV. Dixit Japhet esse colorem similem nigro, quia perficit omnes colores, & quia omnes in nigrum convertuntur, hic vero nunquam in alium converti poterit arte humana &c. Sed ego assentior doctoribus nostris f. m. qui statuunt fuisse viridem, & quidem in lana. *Jarchius in h. l.* תכלת est lana sanguine Chilzon infecta, coloris viridis. *Abarbanel ad h. l.* תכלת est sericum infectum colore qui mari similis est. *Kimchius*. Hic est color, quem vernacule vocant Azur ultramarinum. *Gemara ad c.* IV. *Menachoth*. R. Meyr dixit; quid differt color תכלת a reliquis colorum speciebus? Quod תכלת sit similis mari, & mare firmamento, & firmamentum throno gloriæ, uti dicitur Exod. XXIV. 10. *Et sub pedibus ejus quasi opus lapidis Saphirini, & quasi cœlum cum serenum est*.

29 Medicata &c. *Sanguine Chilzon tincta fuit*. *Jarchius ad Exod.* XXV. תכלת est lana tincta sanguine Chilzon. *Kimchius in Lexico*. תכלת est color factus sanguine Chilzon, additis medicaminibus notis. *Gemara Menachoth fol.* 44. Doctores nostri docent; Chilzon habet corpus simile mari, nascitur similis pisci, & adscendit unus singulis septuaginta annis, & sanguine ejus tingunt תכלת, ideo sanguis ejus pretiosus est. *Vide Targum* Jonathanis *ad cap.* XXXIII. 19. *Deut. Et Gemar.* Megilla fol. 6. 1. & Bereschit Rabba *sect.* 91.

30 Purpura &c. *Contradicit h. l. more suo Abrahamus filius Davidis Maimonidi*. Ego vero dico; ארגמן mihi videtur textum ex duabus, aut tribus speciebus colorum, ideoque vocatur ארגמן. *Aben Ezra ad Exod.* XXV. *cum* Maimonide *sentit*. ארגמן colore rubro est. *Abarbanel ibid.* Color ruber. *Jarchius ibid.* ארגמן lana tincta est certo aliquo colore, qui dicitur Argaman. Idem sentiunt Kimchius, Pomarius, & alii.

31 Coccineum &c. *Josephus Antiquit.* III. c. 8. Καὶ ὁ φοῖνιξ δ' ἂν εἴη τεκμήριον τοῦ πυρός. Puniceus autem color signum est ignis. *Philo de Vita Mosis* κόκκινον πυρὶ coccinum igni simile dicit. *Et S. Hieronymus*; coccus igni & ætheri similis est. *Abarbanel Parascha Thruma*; ותולעת שני est sericum sua natura elegantissimum, non habet alium colorem. *Aben Ezra ad Exod.* XXV. 4. Rubrum est, sed non ut color Argaman. Ideoque multi dicunt tholaath scani esse sericum.

32 Vel solum &c. *Gemara ad c.* VII. *Joma*. Docent Doctores nostri, res de quibus dicitur שש, de illis intelligendum esse fila sexdupla esse. *Et Gemara ad c.* II. *Sevachim*. Omnes vestes de quibus dicitur בר, necesse est ut sint ex bysso novæ, retortæ ut sint ex sextuplici filo. *Abarbanel in Leg. Gen.* c. XXV. שש est linum Ægyptiacum, quod est pretiosissimum inter species lini. Linum vero retortum est sex filis in unum vocatur שש, aut שש משזר; sin ex unico tantum filo, dicitur בר, cum בר referatur ad singulare, quemadmodum שש משזר ad sex. Nomen autem ipsius materiæ vocatur הפשתים, aut בוץ.

משזר &c. *Gemara a c.* VII. *Joma*. Docent Doctores nostri; in rebus de quibus dicitur שש, oportet ut fila sena retorta reperiantur; משזר octona. *Schilte Haggibborim c.* XLIV. Ubicunque dicitur שש, intelligendum est fila sexdupla esse, & ubi dicitur משזר, octona.

34 Opus plumarii &c. *Gemara ad c.* VIII. *Joma*. רוקם est opus quod fit acu, ideoque figuram unam (*i. e ab uno latere*) tantum habet; חושב autem est opus textoris, ideoque duas habet figuras. *Jarchius ad Exod.* XXVI. 1. Cherubini figuram habent per texturam, non arte Phrygionum, quia hoc opus est acus, sed per texturam & quidem ab utraque parte, figuram sc. ab hoc latere, & figuram ab illo latere, veluti Leonem ab hac parte, & aquilam ab illa parte, ut texi solent cingula serica, quæ vocant barbare *etu peutsche*. *Aben Ezra ibid.* Opus חושב, tradunt Sapientes nostri ab utraque parte habere figuram, sed רוקם ab una tantum, quod quidem ex sensu literali elicitur. *Schilte Haggiborim ibid.* Ubicumque dicitur in Lege *opus plumarii*, intelligendum est figuras, quæ texebantur; conspectas fuisse ab una tantum parte in superficie texturæ; ubi vero dicitur opus artificis, figuram ab utraque parte fuisse visam. Verum *Jarchius ad Exod.* XXVI. 31. scribit non tantum חשב, sed etiam רקם habuisse picturas ab utraque parte, cum hac tamen differentia, ut si in Roken eadem figura ab utraque conspiceretur, in חשב vero in una parte, e.g. leo in una, in altera aquila videretur. Antea (inquit) jam exposuimus esse telam duarum parietum. Sed illius figuræ quæ a duobus lateribus apparent, sibi non sunt similes. *Sic ad vers.* 1. c. XXVI. *ubi de Cherubinis statuit fuisse*, Leonem ab hoc latere, & aquilam ab altero latere. Rokem ab utroque latere easdem habuisse figuras docet ad v. 36. Rokem est, cujus figuræ acu adipictæ sunt, & qualem figuram habet ab uno latere, talem etiam habet ab altero.

35 Quod autem &c. *Aben Ezra ad Exod.* XXXVI. 1. *contra omnium sententiam* &c. Opus חשב (*inquit*) non est opus רוקם, nec textoris, sed tantum factum est eodem modo, quo fieri solent vestes sericeæ, ubi quis talem figuram efficit in aliqua tabula, prout ipsi cogitatio venit in mentem.

36 Tessellatæ &c. *Jarchius ad Exod.* XXVIII. 4. Taschbetz est opus Mischbezoth ad pulchritudinem. Et משבצות illæ sunt quasi fossæ, quæ factæ sunt in annulis aureis, quibus insiguntur lapides pretiosi, & mar-

margaritæ, uti dictum est de lapidibus Ephodi (*Exod.* XXVIII. 11.) inclusi fundis aureis, quas barbare vocant gastens. *Kimchius* ad vocem והבּיסים *hæc observat*. Quasi cum צ scriptum esset; quemadmodum & tunicam tessellatam facies ex bysso. Et hoc quidem est vestimentum operis Taschbetz. *Schilte Haggibborim ibid.* Tunica, juxta *Maimonidem*, tam summi Sacerdotis, quam Sacerdotis idiotæ erat tessellata, nempe variis tessellis in textura distincta, nempe intus, uti solent textores facere in vestimentis crassioribus. Verum *R. Abraham* filius *Ezra*, non ita sentit, qui scribit in sectione Vestium Sacerdotalium; dicit textus, prius de tunica Aaronis כתנת תשבץ; hæc una tessellata erat, non ita vero tunica suorum filiorum; & tessellis distincta erat propter honorem Aaronis; atque ita loquitur in executione Levit. VIII. 7. *Vestivit Pontificem* הכתנת cum ה emphatico, & erat tessellata; at de suis filiis dicit; ibid v. 13. *Vestivit tunicis*, uti dicit in præcepto; *& filiis Aaron facies tunicas*; & ecce his textibus nititur *Aben Ezra*; etenim de tunica tessellata scriptum est singulari numero, & in tunicis filiorum Aaron nunquam fit mentio תשבץ; quæ res digna est consideratione. *Ab aliis hujusmodi vestes vocantur* scutulatæ, *quæ apud veteres in usu fuerunt*. *Plinius lib.* VIII. *cap.* 48. Istriæ (*inquit*) ac Liburnicæ lanam pilo propiorem, quam lanæ, & ideo pexis vestibus alienam, & quam sola ars scutulata textu commendat in Lusitania. *Et paulo post*. Scutulis dividere Gallia instituit. *Juvenalis Sat.* II.

- - - - Scutulata & galbina rasa.

Cod. Theod. leg. XI. *de scenicis*. Uti sane iisdem scutulatis, & variis coloris sericis auroque sine gemmis, collo brachiis, cingulo non vetamus. *Scutulatam vestem* Saulis *fuisse censet* Ralbag *ad* 2. *Reg.* I. 9. Sensus, ut mihi videtur, horum verborum hic est; vestimentum, quo vestitus fuit, fuisse scutulis consitum, ad dandum ipsi robur, ne gladius tam facile penetraret, ut eum confoderet. Ideo dixit Saul, quod scutulata vestis impediverit, quo minus hasta, in quam se conjecit, penetraret. Atque hanc ob causam non potuit se ipsum confodere.

37 Manicæ &c. *Gemara ad c.* VII. *Joma*. Vestimenta quæ integra in tela texuntur, ita ut si tantillum sit residui; quid est illud residuum? Rasch Lakisch dicit esse opus acus. Sed objicitur; vestes Sacerdotum non fiunt opere acus, sed opere textoris, uti dicitur מעשה ארג, *opus textoris*. Dixit Abai, eo opus non esse, nisi de manica intelligatur, quemadmodum traditur; manica vestium Sacerdotum seorsim texitur, & vesti annectitur pertingitque usque ad volam manus.

38 Talare &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Tunicæ manica seorsim texebatur, cum qua deinde consuebatur, ejusque longitudo erat talaris, & manicæ longitudo pertingebat usque ad volam manus Sacerdotis, ejusque latitudo ad manus latitudinem.

39 Femoralia &c. *Gemara ad c.* II. *Niddah*. Cui rei sunt similia femoralia Sacerdotum? Erant instar feminalium Pharisæorum usque ad ilia, inferne usque femina, sed non habebant nec locum ani, nec locum pudendorum. *Schilte Haggibborim ibid.* Legitur in *Baraitha* cap. II. *Niddah*. Cui rei similia erant femoralia? Erant instar feminalium Pharisæorum, superne usque ad ilia, inferne usque ad genua, nempe superne supra umbilicum prope cor, & *inferne* usque ad extremum femur idest genu. *R. Levi Barselonita præcepto* 99. Feminalium figura ubique nota est, quorum quædam magna sunt a lumbis ad femina, ut dicitur *ad femina* quæ dicuntur *Genov*.

40 Atqui ad nates &c. *Jarchius ad c.* II. *Niddah*. Mos erat ut foramina facerent in feminalibus e regione verendorum ad emittendam urinam foras; eodem modo fieri solebat e regione ani, qua re facta foramen ligabant, & claudebant ligulis. *Schilte Haggibborim ibid. negat foramina habuisse*. Nec foramina habebant a parte aversa, nec adversa, sed quidam veluti sacculus erat *Sacerdoti* circumdatus; & femoralia Sacerdotis summi, & Sacerdotis idiotæ erant similia.

41 Tam summi &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Cidaris Aaronis, memorata in lege juxta *Maimonidem*, erat pileus, qui memoratur de suis filiis; verum summus Sacerdos se ea obtegebat, sic ut vulnus solet; & ejus liberi tegebantur veluti galea; qua de causa pileus vocabatur; & *tiara* tam summi Sacerdotis, quam Sacerdotis idiotæ erat longa sexdecim cubitos. *Raschi* idem sentit, qui scribit in suo commentario in Legem. Tiara erat similis illi cidari involutæ, quæ vocatur *Cusia*; & alibi vocatur a lege מגבעות, & a Chaldæo galeæ. Et *R. Abraham filius David* scribit. Ego dico, quod opus hujus erat ab altera dissimile; Cydaris erat valde longa, & multas spiras & volucra inducebat, uti sunt Turcarum spiræ; sed opus pileorum erat simile nostris pileis, superne erant acuminati & angusti. Et *Aben Ezra* quoque juxta sensum literalem scribit. Non erant pilei similes Cidari; quia pilei erant similes his, quibus homines caput tegunt in nostris regionibus, & sunt eminentes; & Cidaris erat tela tenuis, longa, circa caput tantum involuta, similis erat illi tiaræ, qua caput tegunt fœminæ in his regionibus. At in terra Israelis, in Hispania, in Africa, in Ægypto Babylonia, Bagdad, *sive Seleucia*, tiara utuntur viri, non vero fœminæ &c. & post paucas lineas scribit; & ecce, quod deprehenditur, quod tiara unus Aaron, & pileis ejus filii uterentur. Et *R. Moses filius Nachman* scribit; atque ita scribit *Raschi* tiaram fuisse pileo similem, quia alibi vocatur מגבעות, & in *Targum* קובע; at hoc est falsum, quia dixerunt Sapientes tiaram fuisse longam sexdecim cubitos & erat veluti quoddam sudarium ad obtegendum caput, & caput circumibat, atque iterum circumibat; & una spira erat super alteram. Et tiara summi Sacerdotis nullibi vocatur מגבעות (sed מצנפת) Tantum de Sacerdote idiota dicitur מגבעות; hæc quoque erat tiara, eaque tantum totum caput obligabatur; ejusque spiræ instar pilei eminebant, & ab *Onkeloso* vocatur קובע, cum eadem sit vox מגבעות ac מקבעות, transmutatione literarum ג & ק. מעבנות erat similis מצנפת; ideoque nostri Sapientes tam pro summo Sacerdote, quam pro Sacerdote idiota mentionem faciunt מצנפת in *Siphra*, & in codice *Joma* legitur, Sacerdos summus ministrasse octo vestibus & idiota quatuor nempe tunica, femoralibus, tiara, & balteo. Ex his constat, quod cum nostro Præceptore conveniant.

42 Balteus &c. *Gemara Hierof. ad c.* VII. *Joma*. Dixit R. Levi; *balteus* erat XXXII. ulnarum, & utrinque oblique dependebat. *Barselonita præcepto* 99. Balteus erat instar cinguli, quo homines se solent cingere sed multoties corpus ambit, quo modo non solemus agere cum nostris cingulis. *Schilte Haggiborim.* Balteus summi Sacerdotis erat similis balteo Sacerdotis idiotæ, & erat ex opere Phrygiano, latus erat tres digitos, & 32. cubitos longus; plurimis orbibus *Sacerdotem* ambiebat.

43 Non erant acu &c. *Jarchius ad Exod.* XXXVIII. 32. Opus textoris non autem acu factum. *Gemara ad c.* VII. *Joma*. Vestes Sacerdotales non fiunt opere acus, sed opere textoris. *Schilte Haggibborim ibid.* Vestes Sacerdotales non fiebant acu, sed opere textoris.

פרק תשיעי

א. כיצד מעשה הציץ עוש' טס של זהב רחב שתי אצבעו' ומקיף מאוזן לאוזן וכות' עליו שני שיטין קדש לה' קדש מלמטה לה' מלמעלה ואם כתבו בשיטה אחת כשר ופעמים כתבוהו בשיטה אחת והאותיות בולטות בפניו

CAPUT NONUM.

I. BRacteæ opus erat ejuſmodi: fiebat ex auro [1] lamina, quæ duos lata tranſverſos digitos per frontem ſacerdotis ducebatur [2] ab aure una ad alteram. Atque in ea 3 duabus lineis ſcriptum erat, SANCTUS DOMINO: *Sanctus* in inferiori linea ſcribebatur, & in ſuperiori *Domino*. Quod ſi fuiſſet totum in una linea ſcriptum, nihilominus probum eſſet. Et vero nonnunquam inſcribebatur totum in una & eadem linea. Literæ 4 prominebant ab antica parte laminæ.



ב. חופר את האותיות מאחוריו והוא מרובק על השעוה עד שבולט והוא נקו' בשתי קצותיו ופתיל תכלת למטה ממנו נכנס מנקב לנקב כדי שיהיה נקשר בפתיל כנגד העורף

ג. המעיל כולו תכלת וחוטיו כפולין שני עשר ופיו ארוג בתחילת אריגתו ואין לו בית יד אלא נחלק לשתי כנפי' מסוף הגרון עד למטה כדרך כל המעילי' ואינו מחובר אלא כנגד כל הגרון בלבד והקורא פי המעי' לוקה שנא' לא יקרע והוא הדין

II. Incidebantur 5 a parte poſtica literæ, tum vero bractea ceræ applicabatur uſque adeo, dum foras exuberarent inciſiones. Erat ad extrema duo bractea [6] perforata: ac dependebat ab ea funiculus hyacinthinus per utrumque foramen deductus, quo vinciebatur ad cervicem.

III. 7 Pallium erat totum hyacinthinum: erant ejus ſtamina conduplicata duodecies: primo texebatur limbus ejus: nullas habebat [8] manicas; ſed ab extremo collo ad partes infimas ſic, ut cuncta pallia ſolent, velut in 9 duas alas diſpertiebatur, collum ſolum arcebat totum. Si quis pallii [10] limbum laceraſſet, verberibus multaretur, quoniam in Lege eſt; *Ne . . . . . . rumpatur*. (*Exod.* 28. 32.) Atque eadem erat

לכל

לכל בגדי כהונ' שהקורע דרך השחתה לוק'

ד. ומביא תכלת וארגמן ותולעת שני כל מין משלשתן שזור שמנה לפי שנאמר בשוליו משזר נמצאו חוטי השולים ארבעה ועשרים ועושה אותן כמין רמונים שלא פתחו פיהן ותולה אותן במעיל ומביא ע״ב זוגים ובהם שנים ושבעים ענבולים הכל זהב ותולה בו ששה ושלשים בשולי כנף זה ול״ו בשולי כנף זה והזוג עם הענבול התלוי בין שניהם כאחת נקרא פעמון עד שיהיו שוליו משני צדדיו פעמון ורמון פעמון ורמון

ה. הזהב שבארינ' האפוד והחושן האמו' בתור' ככה הוא מעשהו לוקח חוט אחד זהב טהו' ונתנו עם ו' חוטין של תכלת וכופל השבעה חוטין כאחת וכן הוא עושה חוט זהב עם ששה של ארגמן וחוט אחד עם ששה של תולעת וחוט אחד עם ששה של פשתים נמצאו ארבע חוטין זהב ונמצאו כל החוטין כ״ח שנ' וירקעו את פחי הזהב וגו' לעשו' בתוך התכלת ובתוך הארגמן ובתוך תולע' השני ובתוך השש מלמד שחוט הזהב כפול בתוכן

ו. כיצד מעש' החשן אורג בגד מעשה חוש' מן הזהב והתכל' והארגמן ותולע' השני והשש על כ״ח חוטין כמו שבארנו ארכו אמה ורחבו זרת וכופלו לשני' נמצ' זרת על זרת מרובע וקובע בו ארבעה טורים של אבן המפורשי' בתור' כל אבן מהן מרובע ומשוקע בבי' של זהב שמקיפו מלמט' ומד' רוחותיו

ז. ומפתח על האבני' שמות השבטים כתולדותם ונמצא כותב על האודם ראובן ועל ישפה בנימין וכותב בתחילה למעלה מראובן אברה' יצחק ויעקב וכותב למט' מבנימין שבטי יה כדי שיהיו כל האותיות מצויו' שם

omnium ſacerdotalium veſtium ratio, quas ſi quis corrumpendi cauſa laceraret, verberaretur.

IV. Jam ad pallii limbum [11] fila hyacinthi, purpuræ, & cocci dibaphi adhibebantur, quorum ex unoquoque genere fila erant octies conduplicata. Namque in deſcribendo ejus limbo * hoc verbum משזר a Lege uſurpatur. Ex his igitur quatuor & viginti filis fiebant quædam quaſi [12] mala punica, quorum necdum eſſet apertum os, quæ erant appenſa pallio. Adhibebantur etiam duæ & ſeptuaginta [13] campanellæ malleolis prædité, eæque erant ex auro omnes. Harum triginta ſex limbo appendebantur ex una ala pallii, & ex altera totidem. Atque campanella cum malleo ex ipſa appenſo illud eſt, quod tintinnabulum a Lege dicitur. Pallium igitur ex utroque latere ſic erat ad limbum diſtinctum & ornatum, ut primum eſſet tintinnabulum, tum ſequeretur malum punicum, & ſic deinceps.

V. Quod autem aurum humerali amiculo & rationali Lex ait intextum, id ſic aptum erat: unum auri filum admodum puri conjungebatur [14] ſex filis hyacinthinis, quæ deinde ſimul una complicabantur: rurſus unum auri puri filum ſenis adjungebatur purpureis: item unum ejuſmodi filum adjungebatur ſex filis coccineis dibaphis: itemque ſenis byſſinis. [15] Erant igitur auri fila quatuor, & omnino omnia fila duodetriginta. Quod enim a Lege dicitur: [16] *Extenderuntque bracteas*, &c. . . . . . *ut texerent in medio hyacinthi*, & *in medio purpuræ*, & *in medio vermiculi cocci*, & *in medio byſſi*, (*Exod.* 39. 3.) plane declarat hiſce mediis implicatum fuiſſe filum ex auro.

VI. Rationalis erat iſta ratio: pannus artificioſe texebatur ex [17] ſtaminibus aureis, hyacinthinis, purpureis, coccineis dibaphis, atque byſſinis ſic, ut ſingula ſtamina conſtarent, quemadmodum ſupra poſui, e filis duodetriginta. Cum autem eſſet panni [18] longitudo cubitalis, & ſemicubitalis latitudo, duplicabatur ita, ut quaquaverſus omnino ſemicubitum pateret: tum quatuor in eo diſponebantur gemmarum ordines earum, quæ a Lege dicuntur. Earum erat unaquæque quadrata, atque [19] in auri pala infixa ſic, ut pala obtegeretur pars inferior gemmæ, & latera quatuor.

VII. Incidebantur in gemmas nomina tribuum [20] ex ordine naſcendi: *Ruben* igitur in pyropo, *Benjamin* in jaſpide inciſus erat. Supra Ruben autem inſcriptum erat *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, & infra Benjamin exaratum erat, Tribus Dei, ſcilicet ut in rationali literæ reperirentur omnes.

ח. ועיש'

VI. *Hoc verbum* משזר *a Lege uſurpatur*. Quod ubi fit fila fuiſſe conduplicanda octies capitis ſuperioris articulo 14. dictum eſt.

ח. ועוש׳ על ארבע זויות של חושן ארבע טבעות זהב ונותן בשתי הטבעות של מעלה שהחושן נתלה בהן שתי עבותות הזהב והם הנקראים שרשו׳ ונותן בשתי טבעות שלמט׳ שהן כנגד הדדי׳ שני פתילי תכלת

ט. האפוד רוחבו כרוחב גבו של אדם מכתף לכתף ואורכו מכנגד אצילי הידים מאחוריו עד הרגלים ויש לו כמי שתי ידות יוצאות ממנו באריג לכאן ולכאן שחוגרי׳ אותו בהם והם הנקראין חשב האפוד והכל ארוג זהב תכלת וארגמן ותולע׳ שני ושש על שמונ׳ ועשרי׳ חוטין כמעשה החושן ותופר עליו שתי כתיפו׳ כדי שיהיו על כתיפות הכהן וקובע על כל כתף וכתף אבן שוהם מרובע מושקע בבי׳ של זהב ומפתח על שתי האבנים שמו׳ השבטי׳ ששה על׳ אבן זו וששה על אבן זו כתולדותם וכותבי׳ שם יוסף יהוסף ונמצאו כ״ה אות באבן זו׳ וכה׳ אות באבן זו וכך היו כתובין והאבן

VIII. [21] In rationali quatuor ex auro annuli inerant, hique in quatuor ejus angulis, quorum in duos superiores, ex quibus rationale pendebat, indebantur duo vincula ex auro contorta; hæ nimirum illæ sunt, quæ a Lege [22] catenæ nominantur. Nam [23] inferiores erant annuli e regione mammis: per hos erant trajecti funes duo hyacinthini.

IX. [24] Amiculum humerale tam erat [25] latum, quam hominis dorsum: patebat ab una scapula ad alteram: ad longitudinem vero quod attinet, incipiebat in dorso e regione axillis, atque pertinebat [26] ad pedes. Erant ei fasciæ [27] attextæ duæ, [28] utrinque scilicet una, quibus vinciebatur: id enim est, quod amiculi [29] cingulum appellatur. Hoc igitur totum erat contextum [30] ex aureis, hyacinthinis, purpureis, coccineis dibaphis, & byssinis staminibus, quorum singula e filis duodetriginta constabant itidem, ut in ipso rationali: porro [31] super hoc humeralia duo [32] consuebantur sic, ut in sacerdotis humeris reponerentur. In [33] utroque humerali quadratus inerat sardonyx aureæ palæ impositus: hisce gemmis duabus incidebantur etiam tribuum [34] nomina ex ordine nascendi, sex in una, & in altera tantundem: pro Josephi nomine Jehoseph exarabatur, ut in unaquaque gemma literæ essent exaratæ viginti quinque. Sic igitur exarabantur nomina.

שמעון	Simeon	ראובן	Ruben
יהודה	Juda	לוי	Levi
זבולן	Zabulon	יששכר	Issachar
דן	Dan	נפתלי	Nephtali
אשר	Asser	גד	Gad
בנימן	Benjamin	יהוסף	Joseph

שכתו׳ בה ראובן על כתיפו הימנית והאבן שכתוב בה שמעון על כתיפו השמאלית ועושה בכל כתף שתי טבעו׳ אחת מלמעלה בראש הכתף ואחרת מלמט׳ לכתף למעלה מן החשב ונותן שתי עבותות זהב בשתי טבעו׳ של מעלה והם הנקראי׳ שרשרות

י. ואח״כ מכניס קצות העבותות של חושן בטבעות של מעלה בכתיפות האפוד ומכניס שני פתילי התכלת שבשולי החושן בשתי הטבעו׳ של מעלה מחש׳ האפוד ומורידין את השרשרות שבטבעות כתיפות האפוד עד טבעו׳ החושן העליונות כדי שידבקו זה בזה ולא יזח החושן מעל האפוד

Atque sacerdotis erat in humero dextero ea gemma, qua *Ruben* erat inscriptum, & qua *Simeon* in lævo. [35] Fiebant etiam in utroque humerali [36] annuli duo: unus in humeralis superiori parte, & alter parte in inferiori supra cingulum amiculi. Binis superioribus annulis annectebantur duo illa ex auro vincula, quæ catenæ vocantur.

X. [37] Tum extrema vinculorum, quæ in rationali inerant innectebantur etiam his annulis superioribus sutorum super amiculo humeralium. Et qui in ora rationalis inerant hyacinthini duo funiculi, hi illis innectebantur humeralium annulis, qui supra cingulum erant amiculi. Atque catenæ illæ ad annulos humeralium annexæ demittebantur usque ad rationalis superioris annulos, ut una conjungerentur, nec rationale dimoveretur ab amiculo. Nam si

וכל

וכל המזיח חושן מעל האפוד ומפרק חיבורן דרך קילקול לוקה:

יא. נמצא כשלובש האפוד עם החושן יהי' החוש' על לבו בשוה והאפוד מאחריו וחשב האפוד קשור על לבו תחת החושן ושתי כתיפות האפוד על שתי כתיפיו ושתי עבותות זהב יורדות מעל כתיפיו מכאן ומכאן מכתפות האפוד עד טבעות החושן ושני חוטי תכלת מרוכסין מתחת אצילי ידיו משתי טבעות החושן התחתונות עד שתי כתפות האפוד התחתונות שהם למעלה מן החשב:

quis ab amiculo rationale [38] dimovens vinculum eorum solveret animo vitiandi, verberibus multaretur.

XI. Cum igitur amiculum induisset pontifex & rationale, hoc omnino super [39] ipso corde positum erat, illud a tergo: cingulum amiculi erat super corde sub rationali colligatum: humeralia erant in humeris, e quibus dependebant illa ex auro vincula duo; vinculum, inquam, ex utroque latere dependebat ab amiculi humeralibus ad rationalis annulos: porro hyacinthini duo funiculi subter axillis erant ab rationalis inferioribus annulis alligati ad humeralium annulos inferiores, qui supra cingulum erant amiculi.

NOTÆ IN CAPUT NONUM.

[1] Lamina &c. *Gemara Succa fol.* 5. 1. Quidni ergo eam discimus ex mensura coronæ *Pontificis maximi*, de qua traditur quod fuerit instar laminæ aureæ duorum digitorum latitudinis pertingens ab aure ad aurem? *Gemara Schabb. fol.* 63. 2. Exstat Traditio Bractea *Pontificis Summi* lamina quædam erat aurea lata duos digitos, & pertingens ab una aure ad alteram. *Raschi ad Exod.* XXVIII. 36. ציץ; erat veluti lamina aurea lata duos digitos, cingens frontem ab aure ad aurem. *R. Bechai fol.* 107. 2. Fecit bracteam ex auro latam duos digitos, & pertingentem ab aure ad aurem. *Schilte Haggibborim ibid. Facies & laminam de auro*. Quodnam erat opus laminæ? Fiebat lamina aurea lata duos digitos, & pertingebat ab una aure ad aliam.

[2] Ab aure &c. *Jonathan habet*; מן צירעה לצירעה יתמטי a temporibus ad tempora perveniet.

[3] Duabus lineis &c. *Gemara Succa ibid.* Cui inscriptum erat duabus lineis; in superiori quidem ליהוה in inferiori autem קדש. R. Eliefer filius Jose autem dixit; Ego vidi hanc laminam Romæ, cui verba hæc inscripta erant unica tantum linea. *Gemara Schabb. ibid.* Habebatque inscriptas lineas duas, quarum superior continebat *Jod He*, inferior קדש & literam *Lamed*. At R. Eliefer filius Jose testatus est se vidisse Romæ illam bracteam, eique una continua linea קדש ליהוה fuisse insculptum. *Abarbenel Parascha Tetzave*. Si unica linea fuerunt, scripta erant sic קדש ליהוה; At si duabus lineis, vox קדש infimam lineam faciebat, & ליהוה superiorem, quod nomen illud elatum sit supra reliquas res omnes. *R. Bechai ibid.* Et inscripsit ei hæc duo verba קדש inferne, & ליהוה superne. *Schilte Haggibborim ibid.* Illique inscriptum erat קדש ליהוה, inferne קדש, & superne ליהוה. Et explicat R. Abraham filius David *Lamed* inferne in fine primæ lineæ, & vocat inferne, quia est in fine, *Adonai* superne, significat in principio secundæ lineæ, & scribit fuisse superne, quia propinquior erat legenti; ideoque *Adonai* in principio lineæ erat, & hoc ordine legebatur קדש ליהוה. At si una tantum linea scripsisset, legitimum erat. Et aliquando una tantum linea scribebant juxta R. Elieserem, qui dicit. *Ego eam vidi Romæ, illique inscriptum erat una tantum linea* קדש ליהוה.

[4] Prominebant &c. *Abarbanel l. c. In qua sculpes opere cælatoris*. Hoc interpretantur literas protuberasse, non eodem modo, quo nomina erant insculpta Ephodi humeralibus, & Pectorali, ibi enim literæ erant profundæ; uti dicitur Exod. XXVIII. 11. תפתח את שני האבנים. At in corona literæ erant protuberantes. *R. Bechai ibid.* Erantque literæ protuberantes.

[5] A parte postica &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Et literæ prominebant, uti legitur in Gemara de *Divortiis*. c. I. Scriptura laminæ non erat profunda, sed prominens instar monetæ aureæ, ubi figura prominet; Excavabat literas a parte postica, dum applicabatur ceræ, donec *literæ* protuberarent; i. e. lamina applicabatur ceræ in ejus superficie; quia cera est mollis, & quando literæ a parte postica incidebantur, propter ceræ mollitiem, lamina a parte antica protuberabat juxta formam literarum; quod fieri non potuisset, si corpori solido lamina fuisset imposita. R. Abraham filius David contradicit, & inquit; non cavabat, sed cudebat formam literarum a porte postica, usque dum a parte antica protuberarent.

[6] Perforata &c. *Jarchius ad Exod.* XXVIII. ad hæc verba על פתיל תכלת. ita commentatur. Et in alio loco Exod. XXXIX. 30. dicit ויתנו עליו פתיל תכלת. Iterum scriptum est hic והיה על המצנפת; & mox והיה על מצח אהרן. Et in mactatione Sanctorum (Gemar. Babyl. c. II. *Sevachim*) legimus; capilli ejus conspiciebantur inter tiaram & laminam, ubi erant phylacteria. Discimus itaque tiaram fuisse superne in vertice capitis, neque profunde depressam, ut totum caput tegeret usque ad frontem. Laminam autem *fuisse inferius*. Quantum autem ad vittas inditæ erant foraminibus, unde dependebant ex duabus extremitatibus *laminæ*, & e medio ejus, ut essent sex in tribus istis locis. Vitta erat superne, una *exterius propendens*, & altera interius e regione ejus; omnes tres vittæ suis extremitatibus stringebantur in occipitio. Reperiebatur igitur vitta inter longitudinem, *i. e. in medio* laminæ, cujus extremitates cingebant totum cerebellum; vitta media, cujus extremitas revincta erat cum extremitatibus duarum reliquarum, recurrebat per latitudinem capitis superne, atque sic facta erat instar cassidis. Ideoque de media vitta intelligi debet, id quod dicitur; *Et erit super tiaram*. Media vitta eam *tiaram* sustinet ne cadat. Et lamina pendet e regione frontis ejus. Atque sic totus textus in eo consistit, ut doceremur, vittam esse supra laminam, & laminam supra vittam, & vittam supra tiaram superne. *Schilte Haggibborim ibid.* Et lamina perforata erat in duabus extremitatibus; & funiculus hyacinthinus in parte ejus inferiori ex uno ad alterum foramen deducebatur, ut hoc funiculo in occipitio *lamina* vinciri posset. At R. Abraham filius David addit, fuisse præterea foramen in medio, in quod introducebatur funiculus hyacinthinus, supra tiaram deductus, & vinciebatur funiculo, qui erat in cervice, qui stringebatur in occipitio. Idem sentit Raschi f. m. Verum R. Moses filius Nachman scribit juxta sententiam Maimonidis, quem vide suo loco.

[7] Pallium &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Pallium erat totum hyacinthinum, atque ejus fila erant conduplicata duodecies; primo texebatur limbus ejus; nullas habebat manicas; sed ab extremitate colli usque ad partes inferiores in duas alas dividebatur, ut cuncta pallia solent; atque hoc modo scribit R. Mose filius Nachman, ita ut nullius sit momenti oppositio R. Abraham filii Davidis; collum solum arcebat totum.

[8] Manicas &c. *Abarbanel in Leg. sect. Tezave*.

Si

Si res ita ſe habet, *Meil* erat inſtar pallii clauſi in utroque latere, fortaſſis habebat duo foramina in lateribus, per quæ Sacerdos manus exerebat. *Joſephus Ant.* III. c. 8. *Ἔςι δ' ὁ χιτὼν οὗτος, οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων ὥς τε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παρὰ πλευρὰν. Φάρσος δ' ἓν ἐπιμήκες ὑφασμένον. σχιςὸν ἔχει βρογχωτῆρα πλάγιον ἀλλὰ κατὰ μῆκος ἐῤῥωγότα πρός τε τὸ ςέρνον καὶ μέσον τὸ μετάφρενον, πέζα δ' αὐτῷ προσέῤῥαπται, ὑπὲρ τοῦ μὲν διελέγχεσθαι τῆς τομῆς τὴν δυσπρέπειαν. ὁμοίως καὶ ὅθεν αἱ χεῖρες διείργονται σχιςόν ἐςιν.* Hæc tunica non fit ex duobus ſegmentis, ut ſuras habeat in humeris ac lateribus ſed unicum eſt veſtimentum in longum contextum. Capitium habet apertum non tranſverſum, ſed in longum deſcendens a tergo, & ante uſque ad medium pectus, cui annexus eſt limbus ne appareret deformitas ſciſſuræ. Sic etiam apertum eſt, qua manus exeruntur.

9 Duas alas &c. *Abarbanel ibid.* Duas alas, alam in interiori, & alam in poſteriori parte.

10 Pallii limbum &c. *Abarbanel ibid.* Dat rationem, cum dicat; *ne ---- rumpatur*; vult dicere, ne rumpatur pallium, neceſſe enim eſt ut pallium ſit firmum, quandoquidem geſtare debet Ephod & Pectorale, multo magis requiritur firmitas in ejus limbo, quia totum pondus ex eo dependet. *Schilte Haggibborim ibid.* Qui rumperet pallii limbum, quadraginta plagis vapulabat, ſicuti dictum eſt; *ne ---- rumpatur*. Atque eadem erat lex pro omnibus veſtibus Sacerdotalibus, ut qui eas laceraret eo conſilio ut rumperet, quadraginta plagis vapularet.

11 Fila hyacinthi &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Fila hiacynthi purpuræ, & cocci dibaphi adhibebantur, quorum ex unoquoque genere fila octies conduplicata erant; quia dictum eſt in limbo מַשְׁזָר, deprehendebatur fila limbi fuiſſe quatuor & viginti.

12 Mala punica &c. *Gemara ad c. IX. Sevachim.* Sumunt hyacinthum, purpuram, & coccinum retorta, & faciunt ſpeciem malogranatorum, quorum ora nondum ſunt aperta. *Schilte Haggibborim ibid.* Ex his fiebant quædam quaſi malogranata, quorum ora nondum ſunt aperta, quæ pallio appendebantur. *Joſephus ibid.* *Κατὰ πέζαν δ' αὐτῷ προσεῤῥαμμένον θύσανοι ῥοῶν τρόπον ἐκ βαφῆς μεμιμημένοι ἀπήρτην τέ καὶ κώδωνες χρύσεοι κατὰ πολλὴν ἐπιτήδευσιν τῆς εὐπρεπείας, ὥς τε μέσον ἀπολαμβάνεσθαι δυοῖν κωδώνοιν ῥοΐσκον κ' ῥοῶν κωδώνοιν.* Circa infimam oram ejus dependebant fimbriæ in modum malorum punicorum diverſis coloribus cum aureis tintinnabulis, magno ſtudio & ornatu adaptatæ, ita ut inter duo tintinnabula malum punicum, & inter duo mala punica tintinnabulum medium penderet.

13 Campanellæ &c. *Gemara ad c. X. Sevachim.* Adfert ſeptuaginta duo tintinnabula, quibus inſunt ſeptuaginta duo plectra, & appendunt utrique lateri (i. e. plagulæ pallii) triginta ſex. *Schilte Haggibborim ibidem.* Et adhibebantur duæ & ſeptuaginta Campanellæ malleolis præditæ, omneſque erant ex auro, quarum triginta ſex limbo ex uno latere, & triginta ſex limbo ex altero latere appendebantur; ita ut eſſent in limbis duorum laterum campanella, & malogranatum, & campanella & malogranatum. In Codice Sevachim legunt noſtri Sapientes in Baraitha. Pallium erat totum hyacinthinum; ſicuti dictum eſt Exod. XXXIX. 20. *totam hyacinthinam*. Sumebant hyacinthum, purpuram, & coccinum retorta, & faciunt quædam quaſi malogranata, quorum ora nondum ſint aperta, quæ ſimilia erant globulis, qui a pueris capitibus imponuntur, & *pallio* appendebantur; & ſumebat duas & ſeptuaginta campanellas, quarum triginta ſex uni plagulæ, & triginta ſex alteri plagulæ ſuſpendebantur. R. Doſſa dicit nomine R. Jehudæ; triginta ſex; octodecim pro ſingulis lateribus. Dicit R. Natani filius Saſon, quemadmodum hic oritur controverſia, ita etiam oritur in Codice Negaim; legitur in Miſna. R. Doſſa filius Archinas dicit; triginta ſex erant; Akabia filius Malhallel dicit; erant duæ & ſeptuaginta. Et R. Moſe filius Nachman contradicit Raſchio circa campanellas, & ſcribit. Ego pariter neſcio, cur hic Doctor ſtatuat ſeorſim campanellas, campanellam inter duo malogranata; etenim ſi malogranatum nihil inſerviebat, uniuſque ornatus gratia efficiebatur, cur fiebant malogranata vacua? fiant quaſi mala aurea. Præterea, debebant textus explicare, qua re ſuſpendendæ eſſent campanellæ; an fierent annuli, quibus ſuſpenderentur; verum in iis includebantur; etenim vacua erant malogranata, atque efformabantur veluti quædam parva malogranata, quorum ora nondum erant aperta, in quibus abſconditæ erant campanellæ, & in iis eſſe videbantur. At ego miror, quare Moſe filius Nachman Raſchio circa campanellas contradicat. Etenim id quod is dicit, oportuiſſe textum explicare qua re campanellæ ſuſpenderentur, jam explicatum eſt, pallii limbis ſuſpenſas fuiſſe. Conſtat enim his temporibus affigi parvum annulum ſummitati campanellæ, quo recte loco in quolibet ſuſpendi poteſt. Parva quoque malogranata, quorum ora nondum aperta erant venuſtiora parvis malis propter formam floris, quæ in ſummitate inerat; neque erant vacua, uti dicit, ſed multis granis referta erant, utpote nondum erant matura. Præterea campanellæ eo conſilio factæ erant, ut earum ſonitus audiretur; ſi vero includeretur campanella, etiamſi tenui tela tegeretur, non amplius ejus ſonitus auditus eſſet; quæ res vel pueris, qui primis literis ſtudeant, nota eſt. Quod opponebatur conſilio, cujus gratia campanellæ factæ erant. Et pariter in eo quod dicit; nullius uſus fuiſſe mologranata. Nonne conſtat omne, quod percutit campanellam extrinſecus præſertim ſi fuerit corpus ſolidum, ſicuti erant hæc parva malogranata, quorum ora non erant aperta, majorem, quam ipſe malleolus facere ſolebat, ſonitum emittere? præſertim cum percutiatur campanella aliquando a malogranato ab una parte, & aliquando a malogranato ab altera parte; idcirco verba Raſchi ſunt recta, & vera, præſertim cum nullo modo textus adverſetur, & ceteri commentatores una cum præceptore noſtro, ſc. R. Aben Ezra, Chiskuni excepto R. Bechai, illi faveant; *Exod.* XXVIII. 33. *Ut audiatur ſonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium.* Vox Aaronis ingredientis in Sanctuarium octo veſtibus induti audiebatur, ut accepta eſſet ejus oratio; aut *ut audiatur ſonitus*; ſonitus pallii campanellarum motu.

14 Sex filis &c. *Gemara ad c. VII. Joma.* Docent Doctores noſtri, in rebus de quibus dicitur שֵׁשׁ, oportet ut fila ſena retorta reperiantur; מָשְׁזָר octona. Pallium filo duodeno conſtat, velum viginti quatuor. Pectorale & Ephod viginti octo. Unde autem diſcimus ſena fila fuiſſe retorta? Quia ſcriptura dicit Exod. XXVIII. *facient ---- tunicam* שֵׁשׁ, *& tiaram* שֵׁשׁ, *& ornamenta pileorum* שֵׁשׁ, & feminalia *linea* מָשְׁזָר. Quinque loca in Scriptura reperiuntur, unus propter veſtimentum ipſum, quod deberet eſſe ex lino, unus ut eſſent fila ſena, unus ut eſſent retorta; unus propter cetera veſtimenta, de quibus שֵׁשׁ non exprimitur, & unus ad impediendum. Unde diſcimus octona retorta? Ex eo quod ſcriptum eſt *Exod.* XXXIX. 22. *Deorſum vero ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta.* Quomodo fuerint retorta docemur ex velo. Sed quid ibi obſervamus? Viginti quatuor ſcilicet conſtitiſſe filis, igitur & hic viginti quatuor reperiri debent, quia quodlibet filum octo filis conſtabat. Sed diſcamus ex pectorali & Ephod. Quid? Si ibi reperiuntur viginti octo fila, totidem & hic reperiri deberent. Oportet judicari de re in qua non eſt aurum, ut exciperentur pectorale & Ephod, quæ conſtant ex auro. Multo magis judicandum eſt de veſtimento ex alio veſtimento, ad excipiendum velum tentorii. Sed judicandum eſt ex balteo, ex veſte, & ex re de qua non dicitur aurum, ſecundum aliam veſtem, & rem, de qua etiam non dicitur aurum. Non autem judicamus de re in qua non eſt aurum ſecundum rem in qua non eſt aurum. R. Mare dicit, legimus; *facies illud.* At *facies illud*, de hoc quidem ſcriptum eſt non de alio. R. Aſche dicit, ſcriptum eſt; *& facies*, ut omnia opera ſimilia eſſent ſibi. Sed quomodo faciemus? Sumamus ter decem, habebis triginta. Sumamus hic novem, & ſemel, decem. Scriptura dicit, *& facies*, ut omnia opera eſſent ſimilia. Pallium duodeno filo conſtitiſſe unde probatur? Quia ſcriptum eſt; *Et facies pallium Ephodi totum hyacinthinum* (ita Hebræus.) Diſcimus hyacinthinum ex hyacinthino veli. Sed quid ibi reperies? Dicam ibi ſex fuiſſe, ideo & hic ſex fuiſſe. Igitur id diſcemus ex fimbriis, & malogranatis. Quid ibi erat? octo *ſc. fila*, etiam hic ſunt octo. Judicamus veſtes ex veſte, non autem veſtes de ornamento veſtium. Multo magis judicamus rem ipſam,

sam, *i. e. in qua est ornamentum*, non autem rem aliquam in genere. Et hoc est quod diximus de reliquis rebus, in quibus nulla reperitur byssus. Quantum ad vela quod constiterint viginti quatuor filis, quater sc. senis, nemo est, qui dubitet. *Schilte Haggibborim ibid.* Et ecce quod Pectorale & humerale constabant quinque speciebus, & velum quatuor, & malogranata pallii tribus speciebus. Quomodo? De superhumerali dictum est *Exod.* XXVIII. 6. *Facient autem superhumerale de auro, hyacinto, & purpura, utroque bis tincto, & bysso retorta.* De Pectorali scriptum est *ibid. v.* 15. *Rationale quoque judicii ---- ex auro hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta.* Et de velo scriptum est; *Exod.* XXVI. 31. *Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta.* De malogranato scriptum est Exod. XXVIII. 33. *Deorsum autem ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto;* non dicitur byssus, quia malogranata tribus tantum speciebus retortis constabant; & commentantur nostri Doctores, in Codice *diei expiationis*. Ubicunque exprimitur שש, filum sexies duplicabatur; quando vero משזר, octies duplicabatur, sc. משזר sine lino, uti in malogranato pallii. Pallium igitur constabat duodecim, velum viginti quatuor, superhumerale, & Pectorale viginti octo; & hujus rei declaratio hæc est, quod in velo, quod quatuor speciebus constabat dicitur שש, & omnes species sex filis constabant, ecce vigintiquatuor. In malogranatis, in quibus erant tres species, non dicitur שש, omnis species octo *filis* constabat; quia *a pari* explicatur vox משזר ex velo; sicuti משזר quod dicitur de velo, in quo erant quatuor species, viginti quatuor fila designat, ita etiam משזר, quod dicitur de malogranato, quod tribus speciebus constabat, vigintiquatuor *fila* denotat. Pallium duodecim, quia explicatur vox hyacinthi ex hyacintho in velo commemorato; sicuti *hyacinthus* veli sex filis hyacintinis constabat; ita etiam in pallio; atque in eo exprimitur כליל, unde derivatur explicatio flocci, nec datur floccus; qui non duplicetur, ecce duodecim constabat.

[15] Erant igitur &c. *Gemara Joma ibid.* Sed unde probabimus Pectorale & Ephodum viginti octo constitisse? quia scriptum est Exod. XXVIII. 15. *Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis ex auro hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta.* Quater sena faciunt viginti quatuor, & quatuor fila aurea, facient viginti octo. Sed dicam ego: sunt etiam sex fila aurea. Ad hæc respondet R. Acha filius Jacobi. Scriptura dicit Exod. XXXIX. 3. *Et extenuavit in fila*, filum ex filis binis; ecce erunt quatuor fila aurea. R. Asse dicit; Scriptura dicit; *ut texerent in medio hyachinthi, & in medio purpuræ.* Quomodo hoc fiet? Sumamus quatuor fila, quæ ex binis constant, habebimus octo fila. Sumamus duo, quæ binis constant, & duo, quæ unico tantum constant. Sed legimus, *facies*, ut omnia opera sibi essent similia. *Schilte Haggibborim ibid.* In Pectorali, & superhumerali, quæ præter cæteras quinta specie, nempe auro constabant, erant fila viginti octo ex quatuor speciebus, quarum quæque sex filis constabant, summa erit viginti quatuor. De auro, quod erat quinta species, dici non potest, quod constaret sex filis, quia de illo scriptum est Exod. XXXIX. 3. *inciditque bracteas aureas*; Et *Raschi* in codice diei Expiationum explicat funiculos duobus filis constantes, & quando incidebat, fiebant quatuor; Pectorale igitur & superhumerale octo & viginti filis constabant.

[16] *Extenderuntque* &c. *Chaldæus habet*; ורדידו ית טסי דדהבא וקציצו חוטין. Extendebant, *vel ducebant* laminas, *aut bracteas* auri, & scindebant filamenta. *Jarchius ad Exod.* XXVIII. 5. Extendebant aurum instar bractearum tenuium, & ex his scindebant fila menta, & nebant filamentum aureum cum byssino.

[17] Ex staminibus &c. *Raschi ad Exod.* XXVIII. 8. Quinque istæ species, *sc. hyacinthinum, purpura, coccinum, byssinum & aurum*, singulæ torquentur seorsim in filum unum. Extendunt enim bracteas aureas instar laminæ tenuis, & scindunt ex iis fila quædam, nentque filum auri cum sex filis hyacinthini, & filum auri cum sex filis purpuræ, & sic agunt cum coccino, cum bysso, ut singula species constaret sex filis, filumque auri miscent cum singula specie, denique torquent omnia ista fila in unum, atque sic reperiuntur viginti octo fila in unum torta. *Et mox.* Atque sic exponitur in Codice *Joma*, doceturque ex hoc loco Scripturæ Exod. XXXIX. 3. Inciditque bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine.

[18] Longitudo cubitalis &c. *Raschi ad Exod.* XXVIII. 16. *Mensuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine*, & duplicatur, & fertur a parte anteriori, contra cor suum, uti dictum est. *Portabitque Aaron ---- super pectus suum*; Appenditur humeralibus Ephodi, quæ assurgunt ab tergo *Sacerdotis* ad ejus humeros, & paulum ad partem anteriorem descendunt, hisque appenditur rationale in catenis, & annulis, uti suo loco dicetur. *Schilte Haggibborim Cap.* XLVI. Rationale quoque judicii facies &c. Hujusmodi erat opus Pectoralis. Ex opere artificis texebatur pannus ex auro, hyacintho, purpura, & coccino diphabo, & bysso, & filum viginti quatuor filamentis constabat; ejus longitudo erat cubitalis, & latitudo semicubitalis, nempe trium palmorum, & duplicabatur; deprehendebatur, quaquaversum esse semicubitalis; atque in eo disponebantur quatuor ordines gemmarum in lege descriptarum; Earum unaquæque erat quadrata, atque in auri pala infixa sic, ut pala quaquaversus obtegeretur pars inferior gemmæ.

[19] Auri pala &c. *Raschi ibid.* v. 17. ומלאת בו. Quia lapides implebant fossas fundarum, idcirco vocabulo impletionis appellantur.

[20] Ex ordine nascendi &c. *Gemara ad c.* VII. *Sota.* Quid Jos. VIII. 33. notat illud וחחצי? R. Chanan censet *id notare*, quod quo ordine XII. *tribus* fuerunt divisæ, eodem etiam ordine divisæ fuerunt in lapidibus Ephodi. Objiciam; *exstat traditio*; duos lapides pretiosos Pontificem habuisse super humeros, unum in dextero, & alterum in sinistro, ac nomina XII. tribuum in iis fuisse expressa, sena sc. in unoquoque lapide. Q. S. E. Exod. XXVIII. 10. *Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero juxta ordinem nativitatis eorum.* Nempe in posteriore habita est ratio ætatis, in primo vero neutiquam, quippe Judas antepositus est. Erant *in universum* quinquaginta literæ; sc. XXV. in hoc & totidem in isto lapide. R. Chanina Gamalielis filius docuit, non quemadmodum *nomina* XII. *tribuum* recensentur sub initium libri Numerorum, ita & recensita fuere in gemmis Ephodi, sed illum in modum, prout in Exodo enumerantur. Nimirum filii Leæ suo ordine, Rachelis autem filiorum alter principium, & alter finem, & nati ex ancillis medium locum occupabant. Enim vero *his admissis* quomodo tuebor illud, juxta ordinem nativitatis eorum? *Dicendum his innui* XII. *Patriarchas vocatos fuisse* nominibus, quibus eos pater appellaverat, non vero quibus eos Moses insignivit. Sc. Ruben; non Rubeni, Simeon non Simeoni, Dan non Dani, Gad non Gadi. Hæc est objectio adversus Chaninæ sententiam, & adeo objectio *insolubilis*. Interea loci quid *secundum hanc responsionem* est וחחצי. Docetur dimidiam partem, quæ in monte Garizim consistebat, majorem fuisse dimidia parte, quæ montem Ebal occupaverat, quippe Levitica tribus in imo erat, pauciores numero fuere; sic enim dixit; Etsi Levitica tribus in imo erat, Josephi enim soboles iis aderat. Hinc S. E. Jos. XVII. 14. *Locutique sunt filii Joseph ad Josue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis, & funiculi unius &c. Ad quos Josua ait; si populus multus es, adscende in sylvam.* Nimirum hoc illis ait; ite & abscondite vos in sylvis, ne fascinet vos oculus malignus. Responderunt illi; in semine Josephi, oculo maligno nulla vis est; Q. S. XLIX. 22. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectu. Quo in loco* R. Abhu monet non legendum esse עלי עין, sed עולי עין. Idem etiam ex mente R. Jose F. R. Ch. inde confirmatur: Q. S. E. XLVIII. 16. וידגו לרוב בקרב הארץ; quemadmodum qui in mari sunt, ab aqua occultantur, nec oculus iis noxam infert, sic & semini Josephi oculus nocere non potest. *Schilte Haggibborim ibid.* Autor est R. Mose *Maimonides* f. m. quia jussu divino nomina tribuum Israeliticarum secundum ordinem nativitatis ipsarum, gemmis, *quibus uterque humerus Pontificis ornabatur* insculpenda erant, Pyropo insculptum fuisse nomen Rubenis, Jaspidi Benjaminis nomen: Additque in principio

Rubenis nomini ſupraſcriptum fuiſſe, *Abraham*, *Iſaac*, *& Jacob*, Benjaminis vero nomini fuiſſe ſubditum *Tribus Domini*, ut hac ratione omnes Alphabeti literæ ibidem deprehenderentur. At quantum ad lapides Pectoralis attinet, penes quos nulla in nominum deſcriptione, generationum obſervandarum mentio injicitur, laudatus Magiſter mentem ſuam penſiculate non aperuit, prout fecerat circa lapides Humeralis, quin, nec in his ipſis nomina tribuum ſecundum nativitatis ordinem recenſuit, cum τὸν Naphtali præmittat Dani. Porro nec Judæ nomen primo loco in dextero humero expreſſit contra opinionem Doctoris Gemarici, cujus ſententia in Gemara Sota prima aſſeritur, ſed Rubenis nomen ſubſtituit. Denique quod aſſeruerat in principio Rubenis ſupraſcriptum fuiſſe, *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*, Benjaminis vero nomini fuiſſe ſubditum, *Tribus Domini*, circa hæc non aperit mentem, num iſta ipſis lapidibus Ephodi, an vero auro, cui inſerti erant, fuerint inſculpta. Proinde *ſi vitio non vertitur* Maimonidi noſtro, quod opinionem ſuam diſſimulavit, quodque tam primi Doctoris Gemarici in Sota, quam R. Chaninæ filii Gamalielis ibidem autoritatem deſeruit, itemque quod non expreſſit, num gemmis, an vero auro inſculptum fuerit *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob* &c. Hanc ob cauſam, haud mirum cuiquam videri debet, ſi nec nos inhæremus iis, quæ in Sota Doctores diſputant. Magis enim eſt, ut fidem habeamus S. Jonathani Uſielidi, & autori Paraphraſis Hieroſolymitanæ, aliiſque Scripturæ interpretibus, qui divina ſua luce oculos noſtros illuminarunt. *Ceterum* Jonathan Uſielides, vult ordini primo Gemmarum Pectoralis inſculptum fuiſſe, *Ruben*, *Simeon*, *Levi*. Ordini ſecundo *Jehuda*, *Dan*, *Naphtali*. Ordini tertio *Gad*, *Aſcher*, *Iſſaſchar*. Ordini quarto *Zebulon*, *Joſeph*, *Benjamin*. At vero Targum Hieroſolymitanum in ordine primo locat nomina, Ruben, Simeon, Levi; in ſecundo, Jehuda, Iſſaſchar, Zebulon; in tertio, Dan, Naphtali, Gad; in quarto Aſcher, Joſeph, Benjamin. Ex his patet, aliter præceptum de obſervando ordine generationum accepiſſe Jonathanem, aliter autorem Hieroſolymitanæ Paraphraſis. Nam ſecundum Jonathanem illa verba ſignificant nude, habendam eſſe partus rationem, qui ita ſe habet, ut primo *Lea*, deinde *Bilha*, tum *Silpa*, dehinc rurſus *Lea*, denique *Rachel*, pepererint. At autor Hieroſolymitanæ Paraphraſis ſic verba interpretatur, ut cuique matri ſuos liberos aſſignet; nimirum ſex Leæ, Bilhæ duos, Silpæ duos, & Racheli duos. Atque etſi uterque recenſet nomina tribuum, prout pectorali (in quo generationis ordinem obſervari nulla lex juſſit) inſcripta fuiſſe exiſtimavit, mihi tamen videtur Jonathanis ſeries convenire lapidibus Ephodi, quippe hac ratione erunt in quoque lapide literæ XXV. ſupponendo nomen Benjaminis plene ſcriptum fuiſſe ex ſententia R. Nachmanis filii Iſaac, rejiciendo vero opinionem R. Iſaac, qui nomini Joſephi literam He inſertam eſſe arbitratur. Quæ literarum in utraque gemma numeralis paritas non emergit ex Paraphraſis Hieroſolymitanæ ſerie. At enim hæc ad lapides Pectoralis quadrat, nam ſive R. Salomonis Jarchi, qui Pyropum Rubeni, Topazium Simeoni, & ſic deinceps aſſignat, opinionem quis amplectatur, ſive Jonathanem Uſielidem audiendum eſſe exiſtimet, nunquam Dani obtinget Cyanus. Atqui quando in lib. Joſuæ XIX. 47. legitur; ויקראו ללשם דן כשם דן אביהם. Ipſe Raſchi adnotat, nomen Danis *in pectorali* gemmæ לשם ſive Cyano, fuiſſe inſculptum. Verumenim vero, ſi cuique gemmæ inſcriptæ erant literæ ſex, ita ut in omnibus ſervaretur numerus literarum vocis בנימין, quam plene ſcriptam fuiſſe contendimus, ex mente celeberrimorum Doctorum Bechai, & Chaskuni, hæc nominum, hæc literarum in ſingulis gemmis obtinebat expreſſio. Pyropo inſculptum erat ראובן cum litera א, Topazio שמעון cum litera 'ב, Smaragdo לוי cum literis רה"ם, Chryſopraſo יהודה & litera 'י, Sapphiro יששכר addita litera 'צ; Adamanti זבולן cum 'ח, Cyano דן & inſuper ק' יע"ק Achati נפתלי præteréaque 'ב Amethyſto גד cum voce שבטי Beryllo Thalaſſio אשר & literæ יש"ר Sardio יוסף itemque ר"ן Jaſpidi בנימין plene. Atque univerſæ hæ literæ in numeris conficiunt LXXII. reſpectumque habent ad totidem literas ſacratiſſimi divini nominis, quod in Pectorali latebat. *Abarbanel vero vult hæc nomina juxta vexilla tribuum Iſraelis fuiſſe diſpoſita*, *Num.* II. *comment. ad Leg. Paraſcha Thezave*. Ecce in Ephodo erat mandatum, ut nomina duodecim tribuum in duobus lapidibus ſculperentur, quia Deus voluit ut nomina tribuum eſſent in duobus lapidibus humeralium Sacerdotis, ut in elevatione manuum pro eis oraret, vota conciperet, ideoque ſex nomina eorum erant in unoquoque humero, non autem erant quatuor ordinibus diſpoſita. Sed quia in Pectorali locus erat ordinibus juſſit Deus, ut lapides diſponerentur quatuor ordinibus ſecundum quatuor vexilla, quibus diſtinguebantur tribus in deſerto; erant enim in unoquoque vexillo tres tribus, quemadmodum conſtat ſectione *Bemidbar Sinai*. Sic in Pectorali erant tres lapides in ſingulo ordine pro tribus iſtis tribubus. Eo etiam propendent Sapientes noſtri f. m. in ſuis expoſitionibus. Ideo ego exiſtimo nomina tribuum non fuiſſe diſpoſita in Pectorali, quemadmodum nati erant (*ſecundum ætatem filiorum Jacob*) ſed quemadmodum vexilla diſpoſita erant. Erant autem in primo *Jehuda*, *Iſchaſchar*, & *Zabulon*, prout erant in vexillo orientali. In ſecundo ordine erant *Ruben*, *Schimeon*, & *Gad*, ut erant in vexillo occidentali. In tertio ordine erant Ephraim, Menaſſeh, & Benjamin, ut in vexillo meridionali. Et in quarto ordine erant Dan, Aſcher, & Naphtali, ut in vexilo ſeptentrionali. Et quia non ſcribuntur, nec diſponuntur in Pectorali ſecundum ordinem nativitatis ſed ſecundum ordinem vexillorum, ideo in Pectorali non dicitur juxta ordinem nativitatis eorum, quemadmodum dicitur in Ephodo. *Hoc ordine ſcripta erant juxta mentem* Abarbanelis *nomina tribuum*.

זבולן	יששכר	יהודה
גד	שמעון	ראובן
בנימין	מנשה	אפרים
נפתלי	אשר	דן

[21] In rationali &c. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 6. Et duæ catenæ aureæ figebantur in duos annulos rationalis in duabus extremitatibus latitudinis ſuperioris, una ad dextram, & altera ad ſiniſtram, & duo capita catenæ dexteræ infigebantur in funda dextera, pariterque duo capita catenæ ſiniſtræ figebantur in funda, quæ erat in humero ſiniſtro; deprehendebatur rationale appenſum fuiſſe fundis Ephodi ſuper cor ad partem anteriorem; præterea duo annuli in duabus extremitatibus rationalis in parte inferiori, & contra illos duo annuli in duobus humeralibus Ephodi inferne in extremitate inferiori connectebantur cum cingulo &c.

[22] Catenæ &c. *Raſchi ibid.* v. 22. שרשות, a voce, qua ſignificantur radices arborum, ut eo modo quo arbores in terra a radicibus retinentur, ſic & pectorale per has retineretur, quibus Ephodo appendebatur; & hæ ſunt duæ illæ catenæ ſupra commemoratæ, ubi de fundis actum eſt. *Et paulo poſt* v. 24. ונתת את שתי עבותות הזהב; hæ ſunt illæ catenæ ſupra deſcriptæ, neque explicatus eſt locus, ubi in rationali infigerentur, nunc tibi explicatur, quod in annulos infiguntur, quia in illa ſectione præcipiuntur, non iterantur. *Hæ catenæ* vocantur עבלות, *quod varie a variis explicatur*. *Raſchi ibid.* נבלות ſunt מגבלות, de quo ſupra dictum eſt, quæ figebantur in annulis, qui erant in extremitate rationalis, & omne גבול extremum deſignat, barbare אשומייל. *Abarbanel vult ita vocatas*, *quod terminarent ſpatium inter fundas aureas & annulos Ephodi*. Et dixit (*inquit*) facies eas מגבלות ad judicandum, quod terminent diſtantiam, quæ eſt inter annulos Ephodi. *Bartenora* מגבלות *deducit a* גבל *fune*. Poteſt etiam מגבלות explicari de catenis, quod non conſtiterint ex pluribus articulis ad formam catenarum ferrearum, quibus vinciuntur captivi, ſed plexæ erant ex filis aureis, ut denſæ eſſent inſtar funium. *Et illud* מעשה עבות *explicatur ab Raſchio* קליעה opus implexum, confectum

ctum ex funiculis, non vero ex foraminibus, ſeu annulis.

[23] Inferiores &c. *Raſchi ibid.* Et illi erant in extremitate rationalis, & indebatur funiculus hyacinthinus in hos annulos, & annulos rationalis, & alligabant cum ipſo funiculo, ad dextram & ſiniſtram, ne pars inferior rationalis huc illuc commoveretur, & ſuper ventrem collideretur, & ſic deprehenditur ſuper pallio optime conſtitiſſe.

[24] Amiculum &c. *Raſchi l. c.* Non' audivi nec inveni in traditionibus explicationem formæ ejus. Sed animus mihi dicit, quod ipſi Sacerdoti accinctum fuerit a tergore ad latitudinem tergoris viri, inſtar ſuccinctorii שנרצי״נם, prout principes fœminæ cingi ſolent, quando equitant. Talis eſt forma inferioris partis, ut dictum eſt 2. *Reg.* VI. 14. *Porro David erat accinctus Ephod lineo*. Unde docemur Ephodum ſuccinctorium fuiſſe. Non poteſt tamen dici quod nihil habuerit præter ſuccinctorium tantum, cum dicatur *Levit.* VIII. 7. *Et deſuper humerale impoſuit*; quod adſtringens cingulo aptavit rationali, quod interpretatur Onkelos *cingulo Ephodi*. Unde docemur חשב eſſe cingulum. Ephodum autem eſſe nomen ornamenti *ſive veſtis pretioſæ*. Non autem poteſt dici, quod propter duo humeralia ſua dicatur Ephod, quoniam dicitur, *duo humeralia Ephodi*. Unde diſcimus Ephodum eſſe nomen ſpeciale, & *humeralia* eſſe nomen ſpeciale, & *cingulum* eſſe nomen ſpeciale. Ideoque dico, quod propter ſuccinctorium, quæ eſt pars inferior, dicatur *amiculum*, quoniam eo amicitur & ornatur, prout dicitur *Levit.* VIII. 7. *& amiciet ſe eo* (ſic Hebræus.) Sed חשב eſt cingulum, alias הימנך (*Chaldaice* cingulum ejus.) Humeralia autem ei ſunt annexa. Iterum mihi dicit animus, quod ſit ſpecies veſtimenti, de quo Jonathan, quando hæc verba 2. Reg. VI. 14 *Porro David erat accinctus Ephod lineo*, interpretatur pallio byſſino, & ſic interpretatur pallia in hiſtoria Thamaris ſororis Abſalonis 2. *Reg.* XIII. 18. hujuſmodi enim filiæ regis virgines veſtibus utebantur.

[25] Erat latum &c. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 6. Ephod erat ſimile ſuccinctorio mulierum equitantium, & præcingebat (*Sacerdotem*) a tergo contra cor ſuum infra axillas, latum juxta latitudinem tergoris viri, & amplius. *Idem ibid. cap. ultimo.* Ephod erat ſimile ſaccinctorio mulierum equitantium, & præcingebat illum a tergo contra cor ſuum infra axillas, ad latitudinem tergoris viri, & amplius. *Abarbanel Paraſcha Tezave.* Pendebat Ephod a tergo Sacerdotis. Latitudo ejus erat ut latitudo tergoris Sacerdotis ab humero ad humerum.

[26] Ad pedes &c. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 6. Et pertingebat ad talos. *Idem ibid. cap. ultimo.* Et pertingebat ad talos. *Quod merito affirmari non poteſt. Si talare fuiſſet, Pontifici impedimento fuiſſet ad operandum, neque pallii color conſpectus fuiſſet, neque Tintinnabulorum ſonitus audiri potuiſſet. Melius idcirco Abarbanel ibid.* Pendebat ab humeris uſque ad anum. *Et Kimchi ad* 1. *Paral.* XV. 27. *De Davidis Ephodo loquens.* Erat (*inquit*) ut Ephod Aaronis quaſi duo panni, quorum alter anterior, alter poſterior erat, uſque ad lumbos demiſſi, & cingulum quo cingebatur ex ipſo contextum erat. *Erat ſimile* Gallicæ pallæ, *de qua* Martialis.

Dimidiaſque nates Gallica palla tegit.

[27] Attextæ &c. *Raſchi ibid. ad hæc verba* ממנו יהיה. Cum ipſo textum erit, non autem ſeparatim texetur, ut poſtea adnecteretur. *Abarbanel ibid.* Cum ipſo textum erit, non autem ſeparatim texetur, & poſtea annectatur Ephodo, quemadmodum humeralia. ſed ex eo ipſo erunt; i. e. textum erit cingulum cum ipſo Ephodo.

[28] Utrinque &c. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 6. Et cingulum connectebatur ad extremitates ejus latitudinis opere textoris, & producebatur hinc inde, ut ambiret & præcingeret. *Idem ibid. cap. ult.* Et cingulum cum eo connectebatur ad extremitates ejus latitudinis, non acu ſed opere textoris, & hinc inde producebatur, ut ambiret & præcingeret.

[29] Cingulum &c. *Abarbanel ibid.* Et hoc eſt opus ipſum Ephodi, & ex eo egrediebatur *cingulum* ex utroque latere inſtar duarum corrigiarum.

[30] Ex aureis &c. *Raſchi ad illud* כמעשהו. Qualis eſt textura ſuccinctorii, ſc. opus artificioſiſſimum, ex quinque ſpeciebus, talis eſt etiam textura cinguli, opus artificioſiſſimum, & ex quinque ſpeciebus. *Schilte Haggibborim ibid.* Et totum erat contextum ex auro, hyacintho, purpura, coccino diphabo, & byſſo, quæ viginti filis conſtabant, juxta opus Pectoralis.

[31] Super hoc &c. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 6. Et humeralia cum cingulo connectebantur, unum ad dextram, & alterum ad ſiniſtram a tergo Sacerdotis, ad duas extremitates ſuccinctorii, & quando attollebantur, conſiſtebant ſuper duos ejus humeros, & erant veluti duæ corrigiæ factæ ex eadem ſpecie qua Ephod, ita longæ, ut attolli poſſent e regione colli hinc inde, & duplicabantur ad partem anteriorem paulo infra ejus humeros. *Idem ibid. cap. ult.* Et humeralia cingulo annectebantur, unum ad dextram, & alterum ad ſiniſtram, ita remota aliud ab alio, ut ſepararent humeros a dorſo Sacerdotis ad duas extremitates latitudinis ſuccinctorii, & quando attollebantur, conſiſtebant ſuper duos ejus humeros, & erant veluti duæ corrigiæ factæ ex eadem ſpecie qua Ephod, ita longæ ut attolli poſſent e regione colli hinc inde; Et duplicabantur parum ad partem anteriorem paulo infra humeros. *Schilte Haggibborim ibid.* Eique conſuebantur duo humeralia ut eſſent ſupra humeros Sacerdotis.

[32] Conſuebantur &c. *Raſchi ibid.* וחובר; Ephod cum his duobus humeralibus Ephodi; & connectentur acu infra cingulum, neque cum eo texentur, ſed ſeorſim texentur, & poſtea connectentur. *Abarbanel ibid.* Vult dicere, quod fecerint Ephodo duo humeralia, & quod ea fecerint ſeorſum, ita ut ab eo ſeparata fuerint, poſtea autem quod aſſuerint extremitatibus Ephodi, ut eſſent ſupra humeros Sacerdotis; Ideoque dicitur; *duo humeralia juncta erunt illi ad duas extremitates ejus.*

[33] In utroque &c. *Raſchi ibid.* Et lapides Sardonychis in iis inſigebantur, alter in humerali dextro, & alter in humerali ſiniſtro, & fundæ in eorum ſummitate indebantur. *Idem ibid. cap. ult.* Et lapides Sardonychis in iis figebantur, alter in humerali dextro, & alter in humerali ſiniſtro, & fundæ in eorum ſummitate indebantur ad partem anteriorem humerorum Sacerdotis.

[34] Nomina &c. *Gemara Hieroſ. ad c. VII. Sota.* Filii Leæ ab uno latere, & filii Rachelis ab altero, & filii Ancillarum in medio. *Et paucis interjectis.* Quemadmodum diſponuntur hic, ita etiam diſponuntur in lapidibus Ephodi, ut eſſent vigintiquinque *literæ* in unoquoque latere. Sed nonne repeiuntur tantum quadraginta novem? R. Johannes dicit; *Benjamin* replebit. R. Jehuda filius Zebida dicit, *Joſephus* implebit, per nomen *Joſeph*. At non reperiuntur niſi XXIII. ab hac parte, & XXVII. ab illa parte. Dixit R. Johannes, *Benjamin* nomen diviſum erat, בן ab una parte, & ימין ab altera parte. Dixit R. Zebida, ſane nonne ſcriptum eſt ſex nomina eorum? Non ſed e ſex nominibus eorum. Ex nominibus eorum, non autem integra nomina eorum. Priora ſcripta erant in dextero *humero* Summi Pontificis, & in ſiniſtro legentis. Et poſteriora ſcripta erant in ſiniſtro S. Pontificis, & in dextero legentis. Priora non erant ſcripta Ordine, quia Jehuda regno potitus eſt; ſed poſteriora ordine ſcripta erant. *Schilte Haggibborim ibid.* In utroque humerali ſtatuebatur quadratus Sardonyx aurea pala incluſus; & duabus gemmis incidebantur nomina tribuum, ſex in uno, ſex in altero lapide juxta ordinem nativitatis &c. Et pro Joſeph ſcribebatur Jehoſeph, ut in una gemma vigintiquinque literæ, & in altera totidem deprehenderentur. Atque hac ratione ſcribebant. Gemma, cui inſcriptum Rehuben, erat in humero dextero, & ea, cui inſcriptum erat Simeon, in ſiniſtro, i. e. ſuper lapide dextero, Rehuben, Levi, Iſſaſchar, Naphtali, Gad, Jehoſeph; & ſuper lapide ſiniſtro, Simehon, Jehuda, Zabulon, Dan, Aſcher, Benjamin.

[35] Fiebant etiam &c. *Raſchi ibid.* Et duo vincula aurea figebantur in duobus annulis rationalis in duabus extremitatibus latitudinis ſuperioris, unum ad dextram, & alterum ad ſiniſtram, & duo capita catenæ dextræ figebantur in funda dextra, pariterque duo capita catenæ ſiniſtræ figebantur in funda, quæ erat in humerali ſiniſtro, deprehenditur appenſum

fuisse rationale fundis Ephodi super cor suum ad partem anteriorem; & præterea duo annuli in duabus extremitatibus rationalis in parte inferiori, & contra illos duo annuli in duobus humeralibus Ephodi inferne in extremitate inferiori connectebantur cum cingulo; annuli rationalis ad latus annulorum Ephodi incubabant alius super alio, & alligabantur funiculo hyacinthino, qui fixus erat in annulis, Ephodi, & rationalis, ut pars inferior rationis connecteretur cum cingulo Ephodi, ne huc illuc commoveretur. *Idem ibid. cap. ult.* Et capita duorum vinculorum aureorum figebantur in duabus extremitatibus latitudinis superioris, unum ad dextram, & alterum ad sinistram, & duo capita catenæ dextræ figebantur in funda dextra, pariterque capita catenæ sinistræ figebantur in funda, quæ erat in humerali sinistro, deprehenditur rationale fuisse appensum fundis Ephodi super cor suum ad partem anteriorem, & præterea duo annnuli in duabus extremitatibus rationalis in parte inferiori, & contra illos duo annuli in duobus humeralibus Ephodi inferne in extremitate inferiori connectabantur cum cingulo, & annuli rationalis ad latus annulorum Ephodi incubabant alius super alio, & alligabantur funiculo hyacinthino, qui fixus erat in annulis Ephodi, & rationalis, ut pars inferior rationalis connecteretur cum cingulo Ephodi, ne huc illuc commoveretur.

[36] Annuli duo &c. *Schilte Haggibborim ibid.* In utroque humerali duo annuli fiebant, unus supra, & alius infra humerale supra cingulum, & annulis superioribus annectebantur duo funiculi, qui catenæ appellantur. *Nescio unde deduxerint* Maimonides *&* autor Schilte Haggibborim *hos quatuor annulos*, cum duo tantum sufficere possint.

[37] Tum extrema &c. *Raschi ad Exod.* XXVIII. 25. תתן על שתי המשבצות; hæ sunt illæ supra descriptæ inter sectionem rationalis & sectionem Ephodi, neque explicatus est neque earum usus neque locus, nunc explicatur quod iis infigerentur capita vinculorum, quæ infixa erant in annulis rationalis ad dextram & sinistram ad collum, duo capita catenæ dextræ figebantur in funda dextra, pariterque in sinistra duo capita catenæ sinistræ; ונתת, fundas in humeralibus Ephod, unam in hoc, & alteram in altero; deprehenditur, humeralia retinuisse rationale ne caderet, illisque fuisse suspensum. Ne ora inferior rationalis huc illuc commoveretur, & super ventrem collideretur, atque ut optime connecterentur, duo præterea necessarii erant annuli ad ejus partem inferiorem, ut infra explicabitur. אל מול פניו Ephodi; ne indantur fundæ in latere humeralium, quod erat e regione pallii, sed in latere Superiori, quod erat contra partem exteriorem, & vocatur מול פניו Ephodi, quia latus, quod non videtur, non vocatur פניו: על שני קצות החשן; hi sunt duo ejus anguli inferiores ad dextram & sinistram. על שפתו אשר אל עבר האפוד ביתה Ecce tibi duo signa, unum, quod inderentur in duas extremitates partis ejus inferioris, quæ erat e regione Ephodi, quia pars superior non erat e regione Ephodi, proterea quod esset prope collum, & Ephod ponebatur ad lumbos; & præterea datur signum, quod non infigerentur in latere rationalis, quod erat contra partem exteriorem, sed in latere, quod erat contra partem interiorem; dictum est enim ביתה; & hoc erat ad latus Ephodi; quia cingulum Ephodi percingebatur Sacerdoti, & complicabatur succinctorium ad partem anteriorem Sacerdotis super ejus lumbos, & extremitatem ventris hinc inde usque ad eam partem, quæ erat contra extremitates rationalis, ejusque extremitates incubabant super duo humeralia Ephodi inferne ubi indebantur fundæ in summitate humeralium Ephodi; superiores perveniebant ad ejus humeros e regione colli, & complicabantur, & descendebant ad partem ejus anteriorem; & præcipitur, ut annuli indantur ad duas ejus extremitates, ut annectatur Ephodo; & ideo dictum est; למעתע מחברתו, prope locum, ubi connectebatur cum Ephodo paulo supra cingulum, ubi connectebatur e regione succinctorii, paulo in summitate, ubi erigebantur humeralia; dictum est enim ממעל לחשב האפוד; & illi erant contra extremitatem rationalis; & indebatur funiculus hyacinthinus in illos annulos, & annulos rationalis, & alligabantur cum ipso funiculo a dextram & sinistram, ne pars inferior rationalis huc illuc dimoveretur, & super ventrem collideretur, sic deprehenditur optime super pallio constitisse. *Schilte Haggibborim ibid.* Deinde indebantur duo funiculi hyacinthini, qui erant in ima parte rationalis, in duos annulos, qui erant supra cingulum Ephodi, & demittebantur catenæ, quæ erant in annulis humeralium, usque ad annulos superiores rationalis, ut una conjungerentur, ne ab Ephodo rationale dimoveretur.

[38] Dimovens &c. *Gemara ad c.* VII. *Joma*. Dixit R. Acha, siquis removerit Pectorale ab Ephodo, aut vectes ab Arca, plagis 40. vapulabit. *Schilte Haggibborim ibid.* Si quis ab humerali removerit pectorale, & eorum connexionem separaverit, ut dissolveretur 40. plagis vapulabat.

[39] Ipso corde &c. *Abarbanel ibid.* Vult dicere; factum fuisse cingulum Ephodi; erat autem instar baltei, qui egrediebatur ex eo ab utroque latere, & cinxit se eo ad cor suum. *Schilte Haggibborim ibid.* Deprehendebatur, quod quando indueret humerale cum Pectorali, pectorale plane super ipso corde positum esset, & humerale a tergo; cingulum humeralis sub Pectorali colligatum, & duo femoralia amiculi super duobus humeris; & duo funiculi aurei, qui descendebant super humeros hinc inde ab humeralibus amiculi usque ad annulos Pectoralis; & duo funiculi hyacinthini subter axillis ducebantur a duobus annulis inferioribus Pectoralis usque ad duos annulos humeralium amiculi, qui erant supra cingulum.



פרק עשירי

א. כיצד סדר לבישת הבגדים לובש המכנסים תחילה וחוגר את המכנסים למעלה מטיבורו מעל מותניו ואחר כך לובש הכתונת ואח״כ חוגר את האבנט כנגד אצילי ידיו ומקיפו כרך על כרך עד שנומר וקוש'

ב. ועל האבנט מפורש בקבלה ולא יחגרו ביזע במקום שמזיע וכן קיבל יונתן

CAPUT DECIMUM.

I. Quis igitur in hisce vestibus induendis ordo servabatur? [1] Primo femoralia induebantur, quæ præligabantur super umbilicum juxta, atque lumbos: deinde tunica: tum sacerdos ad hanc corporis partem, quæ est contra axillas, balteo sane prælongo circumplicatus erat semel & iterum adeo, dum balteus ille deficeret, qui ad extremum connectebatur in nodum.

II. Nam balteo explicando tradiderunt illud Ezechielis; [2] *Et non accingentur in sudore*, [*Ezech.* 44. 18.] id sibi velle, ne balteus applicetur ad hanc corporis partem,

בן עזיאל מפי הנביאים ותרגם על לבביהון יסרון ואחֿכ צונף במצנפרת כמין כובע

ג. כֿה אחר שחוגר באבנט לובש המעיל ועל המעיל האפוד והחושן וחוגר בחשב האפוד על המעיל מתחרת החושן ולפיכך נקר׳ חשב האפוד שחוגרו באפוד ואחֿכ צונף במצנפרת וקושר הציץ למעלה מן המצנפת ושערו היה נראה בין ציץ למצנפ׳ ושם היה מניח תפילין בין ציץ למצנפת

ד. מצו׳ עשה לעשות בגדים אלו ולהיות הכהן עובד בהן שנאמ׳ ועשית בגדי קודש ואת בניו תקריב והלבשתם כותנות וכהן גדול ששימש בפחות משמנה בגדים אלו או כהן הדיוט ששימש בפחות מארבע בגדים אלו הוא הנקרא מחוסר בגדים ועבידתו פסולה וחייב מיתה בידי שמים כזר ששימש שנאמר וחגרת אותם אבנט והיתה להן כהונה בזמן שבגדיהם עליהן כהונתן עליהם אין בגדיהן עליהן אין כהונתם עליהן אלא הרי הם כזרי׳ ונאמר והזר הקרב יומת

ה. כשם שמחוסר בגדים חייב מיתה ופוסל העבודה כך היתר בגדי׳ כגון שלבש שתי כתונות או שני אבנטי׳ או כהן הדיוט

ex qua fere sudor existat. Quod idem cum a vatibus accepisset Jonathan Euzielis filius in Chaldaica Paraphrasi sua sic interpretatus est. * *Super cordibus suis ligabunt*. Inde caput sacerdotis velabatur cidari, quæ galeam imitaretur.

III. Summus sacerdos postquam erat balteo circumplicatus [3] pallio vestiebatur, insuper humerale ei amiculum induebatur, & rationale: tum artificioso quodam cingulo subter rationali ad pallium alligabatur amiculum humerale, quod idem quia ad pallium alligabatur, ideo & amiculum pallii dicebatur: inde cidari redimiebatur: ad hanc annectebatur bractea: [4] inter bracteam & cidarim pilus e capite videbatur, atque eodem loci inter bracteam & cidarim * phylacteria pontifex applicabat.

IV. Etenim jubendo sancitum est, ut istæ vestes fierent, & sacerdos sacris operatus ut his indueretur: legitur enim; *Faciesque vestem sanctam . . . . Filios quoque applicabis & indues tunicis lineis*. [Exod. 28. v. 2. & 29. v. 8.] Si summus sacerdos cum [5] paucioribus, quam octo vestimentis istis, aut [6] privatus sacerdos cum paucioribus quatuor operaretur sacris, appellaretur indigens vestium, cujus quidem sacrificium omnino profanum erat: neque hoc tantum, sed hic item, ut homo alienus, qui rem divinam faceret, meruisset, ut divina vis eum morte multaret; quippe scriptum legitur; *Cingesque balteo . . . . . eruntque sacerdotes*, [*Exod.* 29. 9.] cujus sententia est ea, ut sint sacerdotio præditi cum his [7] sint vestiti vestibus: cum non sint, & sacerdotio quoque exuantur, & alienorum habeantur instar hominum. Porro scriptum est: *Quisquis externorum accesserit, occidetur*. [*Num.* 1. 51.]

V. Atque ut vestium indigens & mortem merebatur, & sacrificium faciebat profanum, sic & is qui vestibus [8] abundabat: ut si quis tunicas induisset duas, duosque balteos, si sacerdos privatus summi pontificis

שלבש

II. *Super cordibus*. Id est, in costis & circa mammas. Etenim hanc interpretationem confirmat quod summum sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, Dominum nostrum Jesum Christum Apoc. 1. v. 13. Joannes raptus in extasim vidit *vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea*.

III. *Phylacteria*. Ea sunt membranaceæ schedulæ duæ, quæ inscriptæ certis Legis divinæ capitibus thecis ex atrato corio includuntur. Insertis autem oblongis ex aluta ligulis Judæi diebus profestis id temporis, quo matutinas Deo preces fundunt, ad frontem alligant earum unam, & alteram ad lacertum lævi brachii e regione cordis. Putant enim Lege sancitum, ut his vel t fasciis caput obligent manusque, ea mente, ut intelligant quomodo pueri ad voluntatem parentum sese totos accommodent, ita sibi fingendum esse corpus & animum ad nutum Dei, cunctasque suas actiones ac cogitationes ad Legis præceptionem esse dirigendas. Etenim scriptum videmus Exod. 13. 16. *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi frontalia inter oculos tuos*. Et magis etiam aperte Deut. 6. v. 8. *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, & erunt quasi frontalia inter oculos tuos*. Frontalia ista textus Hebr. טוטפות nuncupat, quam vocem hujus rei solius ita propriam, ut alias nusquam & nunquam occurrat, Paraphrastes Chaldaicus expressit תפלין quod passim interpretantur *oratoria*, in quo verbo latina consuetudo de via deflexit, eoque deducta est ut monumenta ad preces pertinentia significet. Atqui hoc vocabulo Chaldaico cuncti tum Talmudistæ, tum reliqui scriptores Hebræi utentes ad frontale simul & manuale significanda libros totos referserunt. Eadem hæc monumenta Matthæus Evangelista cap. 23. v. 5. phylacteria nominat utpote quæ legis observandæ memoriam usque custodiant. Quocirca & ego hoc ea nomine appellavi: libenter enim Evangelii verbo utor. Atque ut Judæorum quisque maxime est pietatis studiosus, aut haberi cupit, ita hæc religionis insignia maxime laxa ad preces adhibet: Quod cum videret Christus a Pharisæis fieri veræ virtutis expertibus, jure eorum ostentationem his verbis increpat: *Dilatant enim phylacteria sua*.

שלבש בגדי כהן גדול ועבד הרי זה מחלל העבודה וחייב מיתה בידי שמים

ו. נאמר בבגדי כהונ׳ עלי בשרו ולבשם מלמד שלא יהי׳ דבר חוצץ בין בשרו לבגדי׳ אפי׳ נימא אחת או עפר או כינה מתה אם היתה בין בשר לבגד הרי זו הציצה ועבודתו פסולה לפיכך אין הכהן יכול לעבוד בתפילין של יד שהרי חוצצ׳ אבל של ראש אינה חוצצת ואם רצה להניח בשעת העבודה מניח

ז. וצריך להזהר בשע׳ שלובש שלא יהיה אבק בין בגדו לבשרו ולא כינה אעפ״ שהיא בחיים ושלא תכנס רוח בשעת העבודה בין בשרו לבגדו עד שיתרחק הבגד מעליו ולא יכניס ידו תחת חלוקו לתוך ולא יצא שערו מן הבג׳ ולא יהי׳ בבגד נימ׳ מדולדלת ואם היה שם אחד מכל אלו עבודתו כשרה

ח. כרך על בשרו בגד שלא במקו׳ בגדי׳ כגון שכרכו על אצבעו או על עקבו אם היה בו שלש אצבעות על שלש אצבעות הרי זה חוצץ ופוסל פחות מכאן אינו הוצץ ואם היה צלצול קטן הואיל והו׳ חשו׳ בגד בפני עצמו הרי זה פוסל ואעפ״ שאין בו שלש על שלש

ט. כהן שלקה באצבעו מות׳ לכרוך עליה גמי בשבת או בגד שאי׳ בו שלש על שלש ועובד ואם נתכוון להוציא דם אסור והוא שלא יחוץ הגמי או הבגד בין בשרו לכלי בשעת העבודה

י. עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנ׳ בגדי׳ ואעפ״ שלא היו נשאלין בהן ומפני מה לא היו שאלין בהן מפני שלא היתה שם רוח הקד׳ וכל כהן שאינו מדב׳ ברוח הקדש ואין שכינה שורה עליו אין נשאלין בו

vestes indueret, is cum sacrificium fecisset profanum, tum etiam meruisset, ut a numine cœlesti morte coerceretur.

VI. De vestimentis sacerdotalibus scriptum videmus; *Femoralia linea* [9] *erunt super carnem ejus*, [*Lev. 16. 4.*] rursusque: *Et induet se illis*: [*Ibid.*] id enim declarat oportere, ut inter corpus sacerdotis & vestes nihil quidquam intermedium esset interjectum. Nam si pilus unus, si quid terræ, unus si pediculus emortuus inter sacerdotis carnem & vestes interesset, ea res quidem sacrificium faciebat profanum. Quamobrem sacerdoti cum manualibus [10] phylacteriis rem divinam facere non licebat, quippe quæ inter corpus & vestes interposita sint, non item phylacteria quæ ad caput alligantur. Quæ si sacerdos vellet inter sacrificandum induere, facere licebat.

VII. Porro sacerdoti cavendum, ne dum indueret vestimenta, inter hæc & corpus ejus quidquam pulveris intercederet, neu pediculus etiam vivus, neu sacrificando ventus inter corpus & vestimenta penetraret adeo, ut vestis ab homine procul amoveretur: porro ne manus sibi in sinum insereret subter indusium, neu pilus extra vestem excederet, neu pilus e veste dependeret: quanquam horum aliquid si usu venisset, nihil obstaret, quo minus sacrificium rite factum esset.

VIII. Sacerdos cum esset [11] panniculo obligatus ibi, ubi vestibus sacris non erat locus, exempli gratia in digitorum aliquo, aut in * talo, si panniculus in latitudinem juxta atque longitudinem pateret digitos tres, is quidem sacrificium reddebat profanum: secus autem si minor isto foret. Cingulus autem quamvis parvus, quoniam per se indumentum est, sacrificium profanum reddebat, tamen etsi tres digitos in quadrum non pateret.

IX. Rursus licebat, ut sacerdos [12] etiam sabbato digitum vulneratum seu junco seu panniculo minus, quam tres digitos quoquoversus patenti obligaret, & sic sacris operaretur: idem exprimendi sanguinis causa facere non licebat. Porro juncus ille atque panniculus oportebat, ut ad tempus sacrificii inter corpus sacerdotis & vestes sacras non esset intermedium.

X. Atque ut vestium pontificiarum [13] octonarius ille numerus [14] compleretur, in secundo quoque templo facta sunt *Urim* & *Tummim*, etsi non consulebantur: non [15] consulebantur enim quod in eo templo divinus Spiritus non præsens aderat: atqui sacerdos nisi instinctu divino afflatuque oracula fundat, nisi numine [16] divino quasi obsideatur atque occupetur, neutiquam consulebatur.

יא ובוצר

VIII. *Talo*. Sacerdos enim dum in Sanctuario sacra administrabat, nudo pede erat, ut alio loco demonstrabitur.



יא. וכיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחורי הכהן ואומר השואל אעלה או לא אעלה ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך כמי שמתפלל בינו לבין עצמו ומיד רוח הקד' לובש את הכהן ומבי' בחושן ורואה בו במרא' הנבוא' עלה או לא תעלה באותיו' שבולטו' מן החושן כנגד פניו והכהן משיבו ואו' לו עלה או לא תעלה

XI. Jam hæc fuit conſulendi ratio. [17] Stabat ſacerdos ac convertebat os ad arcam fœderis: poſt eum conſultor erat, cujus erat os converſum ad tergum ſacerdotis. Conſultor igitur rogando ita dicebat, *aſcendam, an non aſcendam?* Nec vero voce rogabat [18] elata, nec contra ſecum animo cogitabat duntaxat; ſed velut is, qui ſegregatus ab hominibus Deo preces fundit ſolus, ſummiſſa voce utebatur. Continuo ſacerdos [19] divino Spiritu inflatus in rationale inſpiciebat: in hoc enim literæ quædam [20] tumentes eminebant in conſpectum ſacerdotis: is per viſum propheticum ex his cernebat *aſcende*, aut contra *non aſcendas*, dabatque conſulenti reſponſum, atque dicebat *aſcende*, aut *non aſcendas*.

יב. אין שואלין על שני דברי' כאחד ואם שואל משיבין על הראשו' בלב' ואין נשאלין בהן להדיוט אלא או למלך או לבית דין או למי שצורך הציבור בו שנא' ולפני אלעזר הכהן יעמוד וגו' הוא זה המלך וכל בני ישר' והוא משוח מלחמה או מי שצורך הציבור בשאלתו וכל העדה אלו בית דין הגדול

XII. Nam ſimul [21] de rebus duabus conſultandum non erat: ſi conſultum eſſet, primæ tantum conſultationi reſpondebatur. Nec vero conſulebatur homini privato, [22] ſed regi, ſed conſilio publico, ſed ei, qui publicæ rei curam ſuſtinebat, quippe quod a Lege dicitur: *Pro hoc ſi quid agendum erit Eleaſar ſacerdos conſulet Dominum*, &c. (*Num.* 27. 21.) quo loco *pro hoc* regem deſignat: quod autem ſequitur: *Et omnes filii Iſrael*, (*Ibid.*) ſignificat & * unctum in militiam ſacerdotem, & eum, cujus conſultatio pertinet ad neceſſitatem publicam: additur; *Et cetera multitudo*, (*Ibid.*) id eſt, conſilium magnum.

יג. זה שאתה מוצא בדברי נביאים שהכהנים היו חוגרין אפוד בד לא היו כהני' גדולי' שאין האפוד של כהן גדול אפוד בד

XIII. Quod autem in vaticinationibus reperias amictos [23] ſacerdotes amiculo lineo, non ſummi ſacerdotes fuere. Nam [24] ſummi ſacerdotis amiculum e lino non erat. Quin etiam ejuſmodi amiculo Levi-

אף

XII. *Unctum in militiam ſacerdotem*. Hic eſt idem atque Sacerdos fecialis, de quo ſupra pluribus actum eſt.

אף הלוים היו חוגרין אותו שהרי שמואל הנבי׳ לוי הי׳ ונאמ׳ בו נער חגור אפוד בד אלא אפוד זה היו חוגרין אותו בני הנביאים ומי שהוא ראוי שתשרה עליו רוח הקדש להודיע כי הגיע זה למעלת כהן גדול שמדבר ע׳ פי האפוד והחושן ברוח הקדש:

tæ quoque velabantur: [25] Samuel enim vates erat Levita: atque de illo ſcriptum legitur; *Puer accinctus ephod lineo*: (1. *Sam.* 2. 18.) amiculo videlicet iſto velabantur [26] & vatum filii, & quicunque idoneus erat, quem Spiritus Sanctus invaderet atque obſideret, quo palam fieret hominem illum aſſecutum eſſe gradum ſummi ſacerdotis, qui per amiculum & rationale fundit oracula afflatu divino.

NOTÆ IN CAPUT DECIMUM.

[1] Primo femoralia &c. *Siphra ad Levit.* VI. 10. *Et fœminalibus lineis veſtiet ſuper carnem ſuam*; ne ſit Emplaſtrum ſuper carnem ſuam; & quando ulterius dicitur; *fœminalibus lineis ſuper carnem ſuam*; nequid antecedat fœminalia. *Peſiktha ibid. Et fœminalibus lineis ſuper carnem ſuam*; nequid fœminalia antecedat. *Peſiktha iterum ad Num.* XX. 28. *Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium ejus*; eo modo, quo induuntur veſtes Sacerdotales. Nequid femoralia antecedat, & poſt femoralia, tunica mitra, & balteus. *Aben Ezra ad Exod.* XXVIII. 4. Commemorat primo rationale, quod erat ſupra Ephod, quod erat ſupra pallium, & poſthæc tunicam, & balteum, quo illum præcinxit, & cidarim in ejus capite; pariterque quando Aaron aquis lavabat, induebat femoralia linea, neque nunc commemorare neceſſe eſt, neque tempore executionis, quia quivis homo ſolet induere femoralia; & ecce Moſes induit illum tunica, & deinde ejus capiti cidarim impoſuit, & ſuper cidarim laminam coronæ Sanctitatis, neque commemoratur in hoc textu, ubi numerantur veſtes Sacerdotii, lamina coronæ Sanctitatis; quia non erat veſtis; & veteres ſæpe commemorant octo veſtes Sacerdotii, neque Urim & Thummim in veſtibus, neque lapides, neque arcula numerantur; Et poſthæc illum præcinxit balteo, & deinde pallio eum induit, & poſtremo Ephod; eoque illum præcinxit, quia cingulum erat ex Ephod, ideo cingulum vocatur Ephod. *Schiltc Haggibborim ibid.* Qui erat ordo has veſtes induendi? Primum induebat femoralia, quæ ſuper umbilicum cingebantur ſupra lumbos; deinde tunica veſtiebatur; Poſthæc cingulo eam corporis partem, quæ eſt contra axillas, præcingebat ſemel atque iterum, donec colligare deſineret.

[2] *Et non accingentur* &c. *Jarchius ad hæc verba*. Lex vetuit ne Sacerdotes veſtes laneas geſtarent, quia lana ſudorem excitat in corpore, unde caro ſudore inquinatur &c. Diſcimus ex traditione exotica. Non cingentur in loco ubi ſudant; non ſupra axillas, nec infra lumbos, quia ibi eſt locus ſudoris, barbare *en la ſueur*. *Kimchius Prophetæ verba ita explicat*. Doctores noſtri f. m. hoc exponunt, *non accingentur in ſudore* ſecundum traditionem, quando cingunt, non cingunt ſe infra lumbos, nec ſupra axillas, ſed circa axillas. *Chaldæus* לא יחגרו ביזע ita interpretatur, non cingent ad lumbos, ſed ad cor ſuum cingent. *Schilte Haggibborim ibid.* Et de cingulo dicitur, in codic. *Sevachim* c. I. Legitur in additamentis, quando cingebant, non cingebant ſe nec infra lumbos, nec ſupra axillas, ſed contra axillas, ſicuti dicitur *Ezech.* XLIV. 18. *Et non accingentur in ſudore*; Dicit Abajè in loco, ubi ſudatur. Deinde velabatur tiara, quæ erat inſtar pilei.

[3] Pallio &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Summus Sacerdos poſtquam balteo ſe præcinxerat, pallio veſtiebatur, & ſuper pallio humerale & Pectorale induebat; cingebat cingulo humeralis ad pallium ſubter Pectorali; ideoque vocabatur cingulum humeralis, quia cum humerali præcingebat.

[4] Inter bracteam &c. *Gemara Babyl. Sevachim fol.* 19. Sed quid manus differt *a capite*? quia ſcriptum eſt, ילבש על בשרו. *Levit.* VI. *Et Exod.* XXIX. Ne quid ſeparet veſtes a carne. Sed de capite etiam dictum eſt; ושמת המצנפת על ראשו. Docent capillos Pontificis M. conſpici inter laminam & cidarim. *Schilte Haggibborim ibid.* Inde cidari redimiebatur, cui bractea annectebatur. Præſtabit, ut legatis R. Moſe filium Nachman in loco ſuo de his, quæ ab eo Raſchio opponuntur, & intelligetis verba noſtri Præceptoris, quod dicat; Et religabat *bracteam* ſuper cidari; Ejuſque capillus conſpiciebatur inter bracteam & cidarim; ibique inter bracteam & cidarim phylacteria applicabantur.

[5] Paucioribus &c. *Toſaphta Menachoth* I. 7. Indigens veſtibus; Ut Sacerdos magnus miniſtret octo veſtibus, & idiota quatuor, ſi Sacerdos magnus quatuor *veſtibus* miniſtraſſet, & idiota octo, miniſterium eſt illegitimum. Si miniſterium, quod requirit veſtes aureas, veſtibus albis miniſtraſſet, & quod requirit veſtes albas, veſtibus aureis miniſtraſſet, miniſterium eſt illegitimum.

[6] Privatus &c. *Siphra ad Levit.* I. 7. *Et ſubjicient in altari ignem filii Aaron Sacerdotis*; quid dicendum erat *Sacerdotis*? cum dicatur de Aharone, jam mihi conſtabat Aharonem eſſe Sacerdotem; Cur igitur dictum eſt *Sacerdotis*? ut ſit in ſuo Sacerdotio; docemur, ſi ſummus Sacerdos miniſtraſſet veſtibus Sacerdotis vulgaris, ejus miniſterium eſſe illegitimum; Et unde probatur, ſi Sacerdos vulgaris veſtibus ſummi Sacerdotis miniſtraſſet, miniſterium ejus eſſe illegitimum? Ex eo quod dictum *eſt Sacerdotes*, ut ſint, uti poſtulat eorum Sacerdotium; Si igitur ſummus miniſtraſſet veſtibus Sacerdotis vulgaris, & Sacerdos vulgaris miniſtraſſet veſtibus ſummi Sacerdotis, eorum miniſterium erat illegitimum. *Siphra iterum ad Levit.* VI. 10. Quid diſcis ex eo quod dictum eſt *veſtietur*? ad includendum cidarim & balteum; verba R. Jehudæ. R. Doſa dicit; ad includendum veſtes ſummi Pontificis, quod eſſent legitimæ Sacerdoti vulgari. Rabi dicit; Duæ oppoſitiones ſunt in hac explicatione; Balteuſne ſummi Sacerdotis erat idem ac cingulum Sacerdotis vulgaris? Præterea; veſteſne, quæ inſervierant ſanctitati gravi, inſervient ſanctitati levi? *Peſiktha ad Levit.* I. 7. *Sacerdotis*; in ſuo Sacerdotio; ad docendum, ſi ſummus Sacerdos miniſtraſſet veſtibus Sacerdotis vulgaris, ejus miniſterium eſſe illegitimum. *Raſchi ad Levit.* I. 5. *Filii Aaron Sacerdotes*; Quando ſunt in ſuo Sacerdotio; Si Sacerdos vulgaris miniſtraverit octo veſtibus, miniſterium ejus eſt illegitimum.

[7] Sint veſtiti &c. *Gemara Sevachim fol.* 17. Quandiu veſtibus ſuis veſtiti ſunt, Sacerdotes reputantur, quandiu vero veſtibus carent, pro Sacerdotibus non habentur. *R. Bechai in Pentateuchum*. Quando veſtibus induebantur, Sacerdotes fiebant; quandiu autem veſtibus *ſacris* non veſtiebantur, non erat in illis ſacerdotium; imo erant ſicut alienigenæ, de quibus ſcriptum eſt *Num.* XVIII. 7. *Quiſquis extraneorum acceſſerit, occidetur*.

[8] Abundabat &c. *Toſaphta Menachoth ibid.* Si induiſſet duas tunicas, aut duo femoralia, aut duos balteos, aut veſtes eſſent laceratæ, aut earum aliqua deficeret - - - - - miniſterium ejus illegitimum eſt. *Gemara Sevachim fol.* 18. Si quis induat duo femoralia, aut duos balteos, aut ſi deficiat veſtis, aut ſi plures habeat, & miniſtret, miniſterium ejus illegitimum eſt.

[9] *Erunt ſuper carnem* &c. *Siphra ad Levit.* VI. 10. מכנסי בד ילבש על בשרו, ne ſit unguentum ſuper carnem ſuam; & quando alibi dicit מכנסי בד יהיו על בשרו, ut nihil induat ante femoralia *Toſaphta Menachoth*; ſi emplaſtra carni ſuæ impoſuiſſet ſub ſuis veſtibus, & miniſtraſſet, miniſterium ejus illegitimum eſt.

10 Phy-

[10] Phylacteriis &c. *Maimonides ad* II. 2. *Sevachim*. Dicendum mihi hic est, quod Sacerdoti prohibitum est manus induere phylacteria, quia dividunt inter vestimentum & corpus ipsius, nam scriptum est *Levit.* XV. 17. יהיו על בשרו ne sit ergo quicquam inter vestimenta & carnem illius. *Vide hic Bartenoram, & Babyl. Sevachim fol.* 19.

[11] Panniculo &c. *Gemara Sevachim fol.* 18. 2. Si unica *ex vestibus* defuerit, redundaverit, aut detur emplastrum super vulnus sub vestibus, *ministerium ejus* illegitimum est. *Et fol. sequenti* 1. Alibi legimus; Sacerdos qui digitum percussit, junco eum involuit in Sanctuario, sed non in provincia. Si vero id fecerit ut sanguinem educeret, ubique illicitum fuerit. Dixit R. Jehuda filius R. Chajæ; hoc non traditur nisi de junco, sed parvulum ligamentum est vestis superflua. R. Johannes dicit; vestis superflua non dici potest nisi in loco vestium, sed quod non est in loco vestium, non habetur pro veste superflua.

[12] Etiam Sabbathi &c. *Misna Erubhin c.* X. 13. Restituunt *super vulnus* emplastrum in Sanctuario, sed non in urbe. *Et Mox*. Sacerdos, si in digito læsus est, circumvoluit circa eum juncum in Sanctuario, sed non in urbe. Si ad eliciendum sanguinem, utrobique prohibitum est. *Vide hic Maimonidem, & Bartenoram.*

[13] Octonarius &c. *Aben Ezra ad Exod.* XXVIII. 4. *negat Urim & Thummim inter vestes numerata fuisse*. Neque in hoc versu (*inquit*) memoratur, ubi numerantur vestes Sacerdotii, lamina coronæ sanctitatis, quia non erat vestis; & veteres multis in locis commemorarunt octo vestes Sacerdotii, neque Urim & Thummim sunt vestes, neque lapides &c.

[14] Compleretur &c. *Tosephot Joma c.* 1. Urim & Thummim erant *in Templo secundo*; alias Pontifex maximus vestibus caruisset, sed per illa non respondebatur ad interrogata. *Gemara ad Cap.* IX. *Sota*. Commentatio. Simulac Prophetæ priores fato functi sunt, oraculum pectorale desiit. Quinam sunt illi Prophetæ priores? R. Huna notari vult Samuelem, Davidem, & Salomonem. R. Nachman ait, Davidis ætate, Oraculum pectorale aliquando futura prædixisse, aliquando non prædixisse. Zadok enim illud consuluerat, responsumque retulit. Abiathari vero nihil responsum, prout S. E. (2. *Sam.* XV. 24.) *Et remotus est Abiathar*. Obiecit Raba S. F. (*locum* 2. *Chron.* XXVI. 5.) *Et fuit intentus quærendo Deo, diebus Zachariæ, informantis in rebus pertinentibus ad videndum Deum*. Verisimile enim fit, hæc de oraculo pectorali exponenda esse. Minime vero gentium, sed simpliciter de Prophetia. Quod insuper evincam ex eo. Ex quo devastatum est primum templum sublata sunt suburbia, & cessavit oraculum pectorale, desiitque esse Rex e domo David. Si vero quis contrarium evincere conetur ex illo (*Nehem.* VII. 65. *Edixit iis Katirsatha, ut non comederent de Sacrosanctis, donec existeret Sacerdos cum oraculo pectorali*. (*Respondebis hunc modum loquendi*) esse similem illi, quo homo socio suo dicit. Quando mortui resurgent, & Messias Davidis filius aderit (*tum hæc evenient*.) Bene igitur monet R. Nachman, Prophetas priores hic dici, ad excludendos tantum Haggæum, Zachariam, & Malachiam, qui posteriores nuncupantur. Nam, ut habet traditio; Prophetis posterioribus, Haggæo, Zacharia, & Malachia mortuis, recessit Spiritus Sanctus a Judæis.

[15] Non consulebantur &c. *Per aliquod tempus sub templo secundo consulta fuisse Urim & Thummim affirmat R. Asarias in Meor Enajim c.* 50. *fol.* 157. *col.* 2. Quod tempore templi secundi, *h. e. aliquo tempore in principio ejus Urim & Thummim responderint* consulentibus ea, *sicut prius*; prout etiam ignis Sacer aliquandiu sub eo duravit, donec paulatim propter peccata ipsorum res istæ sanctæ diminuerentur. *Et cap.* 51. *fol.* 164. col. 1. Effloruit hæresis Sadducæorum, sicuti tradunt Rabbini nostri. Et huc quoque pertinent ea quæ de miraculis quibusdam scribunt cessantibus sub domo secunda post mortem Simeonis Justi *in Joma cap.* 4. Ut proinde possimus dicere, quod etiam Rabbini nostri, quando de illorum defectu sub templo secundo loquuntur, non simpliciter, sed secundum quid illud intellexerint. Et nisi obstaret, quod in Gemara Hierosolymitana *Cod. Kidusin* scribunt, ad; *Esdræ* II. 63. עד עמוד הכהן לאורים ולתומים. *Num ergo fuerunt Urim & Thummim sub templo secundo?* Dicerem quod ab initio ejus exstructi, dum adhuc Spiritus Dei miraculose se exeruit in populo nostro, ut exemplis Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ Prophetarum liquet, fecerint sine dubio Urim & Thummim, secundum omnia requisita eorum, quod item illa consulta, responsa ediderint, sicut temporibus prioribus. Hic enim est sensus ejus, quod dicitur, עד עמוד הכהן לאורים ולתומים; & quod Rabbinorum nostrorum de defectu illorum loquentium mens non fuerit, nisi de certo tempore. Quæ consentiunt cum iis, quæ scribit *Josephus* Antiquit. Judaic. lib. III. cap. 5.

[16] Divino &c. *Gemara Joma in fine c.* VII. Per nullum Sacerdotem consulunt ea, qui non loquitur per Spiritum Sanctum, & super quo præsentia divina non habitat. Nam ecce de Zadoko legimus, quod interrogaverit, & responsum acceperit, de Abiathare, quod non acceperit. *R. Levi Gen Gerson*. Quia totum hoc inserviebat ad excitandam prophetiam, idcirco non consulebantur Urim & Thummim nisi per Sacerdotem, super quo Spirirus S. habitat.

[17] Stabat Sacerdos &c. *Pesiktha ad num.* XXVII. 21. Tradiderunt nostri magistri quomodo interrogant? Consulens convertit faciem suam versus interrogatum, & interrogatus versus Divinitatem. Consulens dicit; *persequar post agmen istud? Et interrogatus respondit; sic dicit Dominus; adscende & prosperare. Gemara Babyl. Joma*. Consulens convertit faciem versus interrogatum, & interrogatus versus Divinitatem. Qui rogat, dicit; *Persequar post agmen istud?* Et rogatus dicit; *sic dicit Dominus; adscende, & prosperare*. R. Jehuda dicit, non est opus dicere; *sic dicit Dominus*; sed; *ascende, & prosperare*. *Abarbanel ad l. c. num.* Cum legamus, Deum sæpius ad Josuam prophetico more loquutum, nuspiam, quod Josua Urim & Thummim interrogaverit, dicendum verborum horum hanc esse expositionem, quo nunc & in præsentia jubeatur Josua stare coram Eleazaro, non demum post mortem Mosis, post impositas sc. ei a Mose manus. Tunc autem stare debuit coram Eleazaro in eum finem, ut totus Israel sciret, Josuam esse Ductorem populi, & præsidem Synhedrii constitutum, eo quod de jure nemo posset interrogare per Urim & Thummim nisi Rex, vel præses Synhedrii. Itaque ut jus hoc adeat, & de facto princeps populi agnoscatur, & recipiatur, statim coram Eleazaro Sacerdote stare debuit, & eum interrogare. Sic confirmatus obligabatur postea, juxta os Josuæ, & prophetiæ ejus exire, & introire, Eleazar ipse, & totus Israel; eo quod obventuræ ei essent divinitus prophetiæ, ut non opus haberet interrogare Urim, & Thummim. *R. Levi ben Gerson ab Josua consulta fuisse Urim & Thummim scribit Jos.* I. Sciendum est, horum verborum sensum non esse, quasi nunquam interrogassent per Urim & Thummim vivente Josua; testatur enim Scriptura, quod ejus tempore interrogarint de judicio Urim, *num.* XXVII. sed indicatur hic tantum s quod post mortem ejus ipsis interrogandum fuerit; qui, adscendere debeat in principio, primum agmen ducere Dux illorum esse? &c. *R. Aaron Aben Chajim, Fessanus Arabs in lib. Les Aharon* ad *Judic.* I. 1. *Vult extraordinario modo ab Josua Urim & Thummim consulta fuisse*. Quamvis (*inquit*) fateamur, Josuam bella sua omnia juxta præscriptum τῶν Urim gessisse, quæ interrogavit, ut apparet *num.* XXVII. 21. *Et stabit coram Eleazaro Sacerdote, & interrogabit eum de judicio Urim* (*sic Hebræus*) attamen magna est differentia inter modum interrogandi, quo ipse usus est, & quo Israelitæ post ipsius mortem de quo *Judic. c.* I. 1. Nam vivente Josua Israelitæ nunquam consuluerunt Urim; sed Josua ipse stabat coram Eleazaro, & interrogabat rem quam volebat pro seipso, ut sc. ipse sciret, quid faciendum esset; ipsi quoque soli factum fuit responsum; & secundum responsum illud acceptum ipse ducebat & gubernabat populum; ita ut omnes ipsorum profectiones, & castrametationes fuerint juxta præscriptum solius Josuæ. Hoc nempe sibi vult Scriptura, dum ait. *Et coram Eleazaro stabit, & interrogabit eum de judicio Urim*; & statim subjungens. *Ad verbum ejus egredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo*; quibus innuit, quod ipse debeat esse interrogans solus, & postea rem oraculo acceptam referre ad Israelem, & ipsis indicare, quid facere debeant. Unde vides, quod modus ejus interrogandi non fuerit secundum ordi-

ordinarium modum interrogandi. Hinc dicunt magistri nostri in *Siphra* ad num. XXVII. 21 ושאל לו & *interrogabit* לו, an fortassis solus, & seorsim interrogabit, quia dicitur ושאל לו, *& interrogabit sibi*, vel quomodo? loquendo labiis suis; & Sacerdos summus respondebit ipsi ad interrogata ejus. Horum verborum hæc est explicatio; viderunt pronomen relativum לו non posse referri ad Eleazarum duas ob causas; primo quia si Eleazar intelligeretur, dicendum fuisset, ושאל ממנו; *& quæret ex eo*; *secundo quia verba* hæc; & *stabit coram Eleazaro Sacerdote*; forent superflua; suffecisset enim, si dixisset. Et Eleazarum Sacerdotem interrogabit &c. Hanc ob causam statuerunt pronomen hoc relativum non referri ad interrogatum, sed ad Josuam interrogantem. Neque etiam possumus dicere, quod לו hic idem valeat, quod להועלתו propter *utilitatem suam*, *in suum usum*; interrogatio enim non fiebat nisi propter utilitatem totius Israelis. Itaque concluserunt, cum hic non intelligatur interrogans, & interrogatus, mentem horum verborum esse; interrogationem debere eo modo fieri, ut ipsi *Josuæ interroganti* soli nota sit, non alii &c. *Et paulo post*. Expositio loci *num.* XXVII. 21. *Et coram Eleazaro Sacerdote stabit*, solus sc. ad accipiendam responsionem, non tamen necesse habebit quærere ex ipso, se שאל לו לעצמו, quæret pro seipso, seu apud semetipsum; hac tamen cum conditione, ut id fiat בחתוך שפתיו distincta motitatione labiorum, & sermone in consulendis Urim usitato; & juxta os seu præscriptum ejus deinde exibant & introibant, non ex præscripto Urim (*sc. immediate, quia ipsi ea non consulebant*, *sed Josua*, *& Josua deinde ipsis edixit*, *quid faciendum esset*). Hinc dicitur h. l. *Judic.* I. 1. *Et fuit post mortem Josuæ*, significans aliquid novi esse factum post mortem Josuæ, quod non fuerit factum ante mortem ejus quod *Israelitæ ipsi* interrogarint, & consuluerint Dominum, quod ante mortem ejus non fecerunt. Vivente enim Josua ipsi non interrogarunt, sed Josua solus.

[18] Elata &c. *Siphri ad num.* XXVII. 21. ושאל לו; an intelligere debeo illum debere ipsum privatim interrogare? ideo dicit במשפט האורים *per judicium Urim*. Ego crederem elata voce; ideo dicit ושאל לו; quomodo? Stabat igitur, & loquebatur suis labiis, & Sacerdos respondebat ejus postulatis. *Pesiktha ibid.* Non interrogant voce elata; dictum enim est; ושאל לו במשפט האורים. Neque meditando in corde suo; dictum enim est ושאל לו; quemadmodum dictum est de Anna 1. *Reg.* I. 13. *Porro Anna loquebatur in corde suo*, tacitumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur &c. *Babyl. Joma ibid.* Non rogat voce *magna & excelsa*, quia dicitur ושאל לו, sed sicut Anna loquebatur in oratione sua, quia dicitur; *Porro Anna loquebatur in corde suo*. *In lib. Jalkut fol.* 248. 1. Quomodo interrogant per Urim & Thummim? Consulens faciem suam dirigit versus interrogatum, & hic faciem suam versus Divinitatem, quod dicitur *num.* XXVII. 21. ושאל לו. An intelligere debeo, illum debere ipsum privatim interrogare? Nequaquam, quia additur במשפט האורים. An voce elata? Nequaquam; dicitur ושאל לו. Quomodo? stando scilicet & loquendo labiis suis, & Sacerdos respondebat ei ad petitiones ejus. Itaque interrogandus est voce, sicut dicitur ושאל לו, sc. non meditando in corde suo, sicut dicitur לפני יי; sed eo modo, quo olim Anna loquuta est in precatione sua, de qua dicitur. *Porro Anna loquebatur in corde suo*.

[19] Divino spiritu &c. *Gemara ad cap.* VII. *Joma*. Omnis Sacerdos, qui non loquitur per Spiritum Sanctum, & super quem Deus non habitat sua præsentia, censetur ineptus ad interrogationes; nam ecce interrogavit Zadok & responsum ei est, Abiathar etiam interrogavit, sed ei non est responsum, prout dicitur 2. *Sam.* XV. 24. *Et adscendit Abiathar, donec finiret totus populus* &c. Sic Hebræus. R. *Levi ben Gerson*. Ecce autem Urim & Thummim excitabant Prophetiam, siquidem Sacerdos idoneus ad eam fuerit; dum ea contemplatus est, ideo dicitur *Exod.* XXVIII. 30. *Et gestabit Aaron judicium filiorum Israel in pectore suo*; quia videlicet nomina in Pectorali scripta causabantur, ut Sacerdos, cogitationibus suis totus occuparetur de Israelitis, *quorum nomina ibi conspiciebat*. Urim & Thummim causa fuerunt ut pertingeret ad eum Prophetia de eo quod cogitatione sua versabat. Hinc portabat Aaron mediantibus Urim & Thummim judicium filiorum Israel super cor suum, ut Scriptura loquitur. *R. Bechai ad Deut.* XXXIII. 8. Urim & Thummim fuit e gradibus Spiritus S. Etenim Sacerdos Pectorali, in quo erant Urim & Thummim, induebatur simul Spiritu Sancto. *Kimchi Judic.* XX. Edebant responsum necessarium auxilio Spiritus Sancti, qui fuit in Sacerdote, per quem interrogabant.

[20] Tumentes eminebant. *Jalkut ibid.* Quomodo faciebant? R. Jochanan dixit; prominebant literæ. Resch Lakisch dixit; conjungebantur, & confluebant. Atqui Tzade non aderat. Propterea R. Samuel filius R. Isaac dixit. Adscripta etiam erant nomina אברהם, יצחק, יעקב (*& sic in nomine* יצחק *aderat Tzade*.) Atqui sic nondum aderat Teth! Raf Acha filius Jacobi dixit; scriptum etiam illic erat insuper שבטי ישורון. Communior tamen sententia est non literarum protuberantia, sed luce quadam extraordinaria, in literis responsa fuisse indicata. *In Zoar in Exod. fol.* 105. c. 4. Tradunt Sapientes; quando literæ illæ, quæ ibi sunt occultæ lucent, tum literæ aliæ, in quibus sculpta sunt nomina tribuum, lucent, vel obscurantur. *Nachmanides in Leg. fol.* 70. *col.* 3. Urim & Thummim fuerunt nomina sancta, quorum virtute literæ lucem emittebant e lapidibus Pectoralis in oculos Sacerdotis interrogantis de judicio illorum. e. g. cum interrogabant מי יעלה לנו אל הכנעני בתחלה להרחם. *Quis adscendet nobis primus contra Chananæum ad pugnandum?* Tum Sacerdos animo suo indebat ad nomina, quæ vocabantur Urim, & luxerunt in oculis suis literæ nominis יהודה *Jehudah*; deinde eluxit porro *Jod* ex לוי; Ajin ex שמעון; Lamed iterum ex לוי. He ex אברהם cujus nomen ibi etiam scriptum erat ex sententia Rabbinorum nostrorum, vel ex nomine יהודה. Literis vero istis sic elucentibus, nondum scivit ordinem, & collocationem illarum, nam ex literis istis יהודה יעלה aliæ quoque confici possent voces, veluti הוי הד עליה, vel הי על יהודה, & aliæ plures. Ideo fuerunt illic alia nomina sancta; quæ vocabantur Thummim, quorum virtute animus Sacerdotis perficiebatur, ut sciret sensum literarum illarum, quæ emicuerunt in oculos suos. Cum enim mente sua intentus fuit in nomina Urim, & per illa lux ei affulsit, statim animo suo convertebat ad nomina Thummim dum adhuc literæ illæ lucerent; & in mentem illi venit *per Spiritus S. sc. illuminationem* illas ita conjungendas, יהודה יעלה *Jehudah adscendet*. Et hic fuit gradus aliquis Spiritus Sancti inferior Prophetia, superior autem filia vocis, qua utebantur sub templo secundo, postquam & Prophetia, & Urim & Thummim desiissent. *Abarbanel ibid.* Rectius autem est in oculis meis, ut dicatur, literas omnes non simul confuse luxisse, ita ut dubius manserit Sacerdos de dispositione & combinatione illarum, sed rem ita gestam fuisse; cum e. g. interrogatio fuit. *Quis e nobis adscendet primo?* Sacerdos intuebatur nomina tribuum sculpta in lapidibus Pectoralis, & videbat lucere nomen יהודה *Jehudah*. Hoc ergo animo suo concepit, & dixit, *Jehudah*. Deinde cum rursum intueretur, non amplius lucebat nomen Jehuda, quia illud jam perfecerat significationem suam, sed de novo vidit lucere *Jod* ex Levi, vel ex alio aliquo nomine, nec ullam aliam cum ea, *unde dixit apud se*; ecce habemus *Jehudah*, & literam *Jod*, & simul cessavit lucere Jod. Itaque iterum intuitus, vidit lucere literam Ajin, ex nomine שמעון Simeonis in oculos suos quam in mente sua conjunxit cum Jod, & cessavit ejus lux; mox denuo intuitus literas conspexit lucere *Lamed* ex nomine Zabulon, quam conjunxit apud se cum Jod, & Ajin, quæ jam ante luxerant, & hoc facto etiam cessavit lucere Lamed. Ulterius inspiciens, ecce vidit lucere He ante se ex nomine יהודה *Jehudah*, & quidem solum, conjunxitque illud cum reliquis literis, quas jam collegerat, & sic perfectum fuit responsum, יהודה יעלה *Jehudah adscendet*. Et hoc modo necesse fuit ordinatum, & intelligibile prodire responsum. Totum autem negotium perficiebatur per lucem literarum in oculos Sacerdotis effulgentem. Atque hinc etiam vocabatur Urim h. e. luces. Thummim autem dicebantur respectu veritatis, & certitudinis.

[21] De rebus duabus &c. *Gemara Babyl. Joma ibid.* Non rogant de duobus simul, & si rogant, non reddunt responsum nisi ad unum, & non nisi ad primum, quia dicitur 1. *Reg.* XXIII. 11. *Si tradent me viri Ceilæ, in manus ejus? Et si descendet Saul &c.*

&c. Et dicit Dominus; Descendet. Ecce dixisti, non responsum reddunt, nisi ad primum; David rogavit extra ordinem; & ordine ei respondebant. Et postquam intellexit, quod extra ordinem rogasset, ordine denuo rogavit, quia dicitur. *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus; tradent.* Et si necesse sit propter *angustias temporis* de duobus simul rogare, ad utrumque responsum reddunt, quia dicitur 1. *Reg.* XXX. 8. *Et consuluit David Dominum, dicens; Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos an non? Dixitque ei Dominus; persequere; absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam. Gemara Hierosol. ad c.* VII. *Joma.* Non interrogabantur duæ quæstiones simul, quod si vero id factum fuit, est qui dicat, responsum fuisse tantum ad priorem, non ad posteriorem; alius dicit responsum fuisse ad secundam, non ad primam, alius iterum dicit neque ad priorem, neque ad posteriorem responsum fuisse. Qui dicit *responsum fuisse ad priorem, non ad posteriorem,* colligit id ex eo, quod de Davide legitur 1. *Reg.* XXIII. 10. 11. *Et ait David; Domine Deus Israel* &c. *Si tradent me viri Ceilæ in manum ejus, & descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo.* David hic interrogavit, ita ut oportebat, debuisset dicere. *An descendet Saul, & si descendat, an tradent me viri Ceilæ in manum ejus? (ideo hoc ordine ei responsum datum fuit, ad id quod natura prius est.)* Qui dicit, *responsum datum fuisse ad quæstionem secundam, non ad primam,* probat id ex eo, quod dicitur v. 12. *Dixitque David; Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus; tradent.* Qui dicit neque ad primam neque ad secundam responsum fuisse, *ex eo quod legitur* 1. *Reg.* XXX. 8. *Et consuluit David Dominum, dicens; Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos an non?* Hic David duo interrogavit, & responsum datum fuit ei triplex? *Dixitque ei Dominus; persequere, absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.*

[22] Sed regi &c. *Pesiktha ad Num.* XXVII. 19. Dixit R. Abhu quod dicit Scriptura. *Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote* &c. *Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum,* במשפט האורים; *vocantur* Urim, quia verba eorum illustrant in ore ejus. *Ad verbum ejus egredietur, & egredietur* הוא *ipse,* hic est Rex; *& omnes filii Israel cum eo;* hic est unctus in bellum; *& cetera multitudo,* hoc est Synhedrium. *Gemara Babyl. Joma.* Dicit R. Abhu; quod dicit Scriptura; *Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote* &c. *Pro hoc, siquid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum* במשפט האורים. &c. הוא *ipse,* hic est Rex; *& omnes filii Israel cum eo;* hic est unctus in bellum; *& cetera multitudo;* hoc est Synhedrium. *Abarbanel ad Exod.* XXVIII. & Deut. XXXIII. Requiritur, ut interrogatio sit consilium, quod spectet negotium publicum totius populi, non de re particulari, & privata alicujus, uti exponitur in agendis in die expiationum. *R. Levi ben Gerson.* Quia cogitatio Sacerdotis summi non occupatur nisi circa Israelitas in genere, ideo non consulebantur a quoquam nisi in rebus communibus & publicis. *Disquirunt Rabbini, cur Saul cum consuluerit Urim & Thummim, responsum non acceperit, uti narratur* 1. *Reg.* XXVIII. 6. *R. Salomon.* Quia (*inquit*) civitatem Nob percussit acie gladii, ideo non exauditus est. *R. Levi ben Gerson.* Magis autem mirum est, quod non respondit ei Deus per Urim, quæ solebant interroganti responsum dare, nisi singulare aliquod peccatum obstiterit, sicuti invenimus de Saule, quando interrogavit Dominum, quod ei non responderit propter peccatum, quo filius ipsius, super habita adjuratione paterna (1. *Reg.* XIV. 24.) de melle gustavit v. 27. Præterea non videtur ibi fuisse Sacerdos aliquis Spiritus Sancti capax, qui interrogaretur, sive consuleretur per Urim, eo quod Saul internecioni dedisset Nobem urbem Sacerdotum, in qua fuerunt Sacerdotes præstantissimi, & quicunque erepti fuerunt, essent cum Davide, atque hac de causa nullum illi responsum datum; vel utraque causa concurrit. *Kimchi.* Quomodo quod hic dicitur 1. *Reg.* XXVIII. 6. *consuluitque Dominum;* convenit cum eo, quod dicitur 1. *Paral.* X. 14. *Et non consuluit Dominum?* (sic Hebræus.) *Respondet.* Quia postea consuluit Pythonissam, perinde fuit ac si non consuluisset Dominum; *secundo,* quomodo dicatur Deum consuluisse per Urim, cum non penes ipsum fuerint, sed penes Abjatharem, qui erat cum Davide? *Respondet.* Fieri potest, ut eo miserit quosdam ad interrogandum de eventu belli istius. *R. Samuel Laniado in Kelijakar fol.* 251. col. 4. Cujus cor perfectum est cum Deo suo, oculos elevat ad illum, & sperat in Deo, is, licet eum Deus non exaudiat, obfirmat cor suum, & in spe sua perseverat, neque vel ad dextram, vel ad sinistram declinat, sed unice ad Deum. Ita vero non fecit Saul, sed interrogavit Deum remisse & negligenter, dicendo. Si Deus ipsum non exaudiat, se Pyrhonem consulturum. Hoc est quod dicitur וישאל שאול ביהוה, non vero וידרש שאול מיהוה, quod significasset illum a Deo solo, & unice consilium requirere. Dum vero dicitur, וישאל, docet quod interrogaverit Deum claudicando in utrumque latus. Et hinc dicitur in libro 1. *Paralip.* X. 13. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas &c. & non consuluit Dominum;* perinde scilicet, ac siquis peteret a socio suo Rubene mutuo florenum, eo denegante abiret ad Simeonem, abhoc detrectante ad Levi &c. Qui autem in Deo confidit uno, non recedit ab eo, ad consulendum alium, sicut dicitur; Deut. IV. 29. *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum,* si tamen toto corde quæsieris. *Item Thren.* III. 25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Et hoc est quod de Saule dicitur 1. *Paral.* X. 14. ולא דרש בה'. *Et non requisivit Dominum, propter quod occidit eum.* Nam etsi eum interrogabat, fuit illud factum petitione vulgari fortuita, & perfunctoria, non ex toto corde.

[23] Sacerdotes &c. *Kimchi ad* 1. *Reg.* XXII. 18. *Vestitos Ephod lineo;* juxta ejus Paraphrasin, digni erant, qui induerent Ephod lineum. Sic videtur explicandum, quod occiderit plures quam 85. viros; at octoginta quinque qui essent digni, qui vestirentur Ephod lineo, quia cum essent insignes in ministerio Dei, digni erant, qui hac veste induerentur. Pariter David eam induit, quo die transtulit Arcam, eoque die, quo, diruta urbe Nobe, Gabaon translatum est tabernaculum. *Idem ad* 2. *Reg.* VI. 14. *Erat accinctus Ephod lineo.* Præcinctus erat Ephod lineo; Videtur, quod hæc vestis ad decus induebatur; uti dictum est 1. *Reg.* XXII. 18. *Octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo;* neque erat ex vestibus Sacerdotalibus, ideoque cuivis licebat induere; quamvis non esset Sacerdos; *Et* 1. *Paral.* XV. 27. scribitur: מכורבל במעיל בוץ; *erat indutus stola byssina;* Et pallium erat Ephod; & juxta paraphrasin Jonathanis alia lingua Ephod lineum interpretatur כרוט דבוץ amiculum byssinum, & paraphrastice reddit; Ita virgines filiæ regis se obtegebant המעילים *palliis (Chaldaice)* כרושין *amiculis; Ralbag ad* 1. *Reg.* XXII. 18. *Vestitos Ephod lineo;* sc. quod essent illustriores, & digni qui hanc vestem induerent, quia qui erant honoratiores hanc vestem induebant, multo magis, qui peculiari cultu ministrabant Deo, uti dictum est suo loco de Ephod Samuelis.

[24] Summi Sacerdotis &c. *Kimchi ad* 2. *Reg.* VI. 14. *ubi agitur de Ephod lineo Davidis.* At Ephod & pallium in lege descripta, erant inter se diversa, neque hoc illi simile erat uti demonstratum est in lege. *Raschi ad* 2. *Reg.* XIII. 18. מעילים, Jonathan interpretatur כרושין; & hoc pallium ex lino conficiebatur, quia sic dictum est; *Ecce induta erat talari tunica;* Non erat huic simile pallium descriptum in lege; & hoc erat vestimentum inter illos notum; & Jonathan interpretatur כרושין, uti pariter Ephod lineum interpretatur כרוט דבוץ. *Schilte Haggibborim ibid.* Quod legitur in Prophetis, quod Sacerdotes Ephod lineo induerentur, hi non erant summi Sacerdotes, quia Ephod summi Sacerdotis non erat lineum.

[25] Samuel enim &c. *Raschi ad* 1. *Reg.* II. 18. *Puer accinctus Ephod lineo;* amiculo byssino; significatione pallii; quia Jonathan interpretatur, quod virgines induerent מעילין *(Chaldaice)* כרושין. *Kimchi ibid. Accinctus Ephod lineo.* Targum Jonathan, amiculo byssino; atque paraphrastice reddit; quod ita Virgines filiæ regis induerent מעילין *(Chaldaice)* כרושין. *Et paulo post.* Et Ephod lineum sibi præcingebant qui ministrabant Deo; eoque se induebant pre cæteris hominibus, eoque se præcingebant cum

Sacerdos magnus, tum Levitæ & Iſraelitæ; uti ſcriptum eſt de Sacerdotibus 1. *Reg.* XXII. 18. *Et trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo*. Pariter de Samuele, qui erat Levita; *Ibid.* II. 18. *Accinctus Ephod lineo*. Et ſic David, quando miniſtrabat Deo coram Arca erat præcinctus Ephod lineo; uti ſcriptum eſt 2. *Reg.* VI. 14. *Accinctus Ephod lineo*. *Ralbag ibid.* Et ecce a ſua pueritia accinctus erat Ephod lineo, quia ſeparatus erat, ut Deo miniſtraret, uti hoc ſenſu ſcribitur de Sacerdotibus Nobe civitatis Sacerdotalis, quod ibi eſſent octoginta quinque viri veſtiti Ephod lineo. *Abarbanel ad* 1. *Reg.* II. *fol.* 42. Meminit Scriptura Samuelem, quod eſſet de tribu Levi, cinctum fuiſſe Ephod lineo. Hæc erat veſtis ex lino facta ad ſimilitudinem amiculi Pontificii, fuit tamen figura ejus alia, & veſtiti eo erant omnes in univerſum Sacerdotes. *Legimus etiam Davidem Ephod lineo præcinctum fuiſſe*. *Kimchi ad* 1. *Reg.* XXI. 9. *Eſt involutus pallio poſt Ephod*. Neque hoc erat Ephod rationalis, ſed Ephod lineum; & hoc erat veſtimentum, quo induebantur Sacerdotes, & ſervi Dei, uti dictum eſt 1. *Reg.* XXII. 18. *Octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo*. Et pariter ſcriptum eſt 2. *Reg.* VI. 14. *Porro David erat accinctus Ephod lineo*. *Raſchi ibid. Ephod lineo*; pallio byſſino; barbare פורצי״נט; & Jonathan interpretatur כרדוט, ſic paraphraſtice reddit מעילים Thamar Sororis Abſalomi כרדוטין. *Kimchi iterum ad* 1. *Paral.* XV. 27. מכרבל במעיל בוץ indutus ſtola byſſina; & ſic Aſſiriace (Dan. III. 21.) פטשיהון וכרבלתהון; Et pallium byſſinum hic commemoratum eſt Ephod lineum, de quo dicitur in libro Samuelis. Et Ephod lineum Jonathan interpretatur כרדוט דבוץ *pallium byſſinum*; quod ita paraphraſtice reddit; Virgines filiæ regis veſtiebantur כרדוטין *Hebraice* מעילים. *Raſchi iterum ad hunc locum*. ודוד מכרבל; ſicuti in Daniele III. 21. בכרבלתהון; erat ſimile criſtæ galli. (*Aruch ſcribit* fuiſſe veſtimentum rubrum inſtar criſtæ galli) *& univerſi Levitæ*. Pariter veſtiti erant pallio byſſino. *Et paulo poſt*. Et Ephod lineum Davidis erat uti Ephod Aharonis, quaſi duo panni, quorum, alter anterior, & alter poſterior, uſque ad lumbos demiſſi, & cingulum, quo cingebatur, ex ipſo contextum erat. כרדוט, *de quo toties fit mentio in* Paraphraſi Chaldaica, *videtur eſſe Græcum* χειριδωτὸς *Tunica* χειρῖδας *habens*; *i. e. manicas*; tunica *manicata*, *Chirodota*. *A. Gellius lib.* 7. *c.* 12. Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & uſque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo noſtri *Chirodotes* appellaverunt, fœminiſque ſolis veſtem longe, lateque diffuſam decoram exiſtimaverunt.

[26] Et vatum filii &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Verum hujuſmodi Ephod induebant Prophetæ, atque ii qui digni erant, ſuper quibus quieſceret Spiritus Sanctus, ad demonſtrandum quod hic perveniſſet ad gradum ſummi Sacerdotis, qui Spiritu Sancto per Ephod & pectorale loquebatur.





ר׳ משה בן מאימון

הלכות ביאת המקדש

יש בכללן חמש עשרה מצות שתי מצות עשה ושלש עשרה מצות לא תעשה וזהו פרטן:

א. שלא יכנס כהן שכור למקדש:
ב. שלא יכנס בו כהן פרוע ראש:
ג. שלא יכנ׳ בו כהן קרוע בגרי׳:
ד. שלא יכנס כהן בכל עת להיכל:
ה. שלא יצא כהן מן המקדש בשעת העבודה:

ו. לשלח טמאים מן המקדש:
ז. שלא יכנס טמא למקדש:
ח. שלא יכנס טמא להר הבית:
ט. שלא ישמש טמא:
י. שלא ישמש טבול יום:
יא. לקדש העובד ידיו ורגליו:
יב. שלא יכנס בעל מום להיכל ולמזבח:
יג. שלא יעבו׳ בעל מום:
יד. שלא יעבוד בעל מום עובר:
טו. שלא יעבוד זר:

וביאור מצות אלו בפרקים אלו:

R. MOSE BEN MAIMON

CONSTITUTIONES DE INGRESSU SANCTUARII.

Quæ comprehendunt quindecim præcepta, duo præcepta affirmativa, & tredecim præcepta negativa, quæ speciatim hæc sunt.

I. Ne Sacerdos ebrius ingrediatur in Sanctuarium.
II. Ne Sacerdos capillatus in illud ingrediatur.
III. Ne Sacerdos illuc ingrediatur laceratis vestibus.
IV. Ne Sacerdos qualibet hora ingrediatur in Templum.
V. Ne Sacerdos egrediatur de Sanctuario tempore ministerii.
VI. Ut ablegentur immundi de Sanctuario.
VII. Ne immundus ingrediatur in Sanctuarium.
VIII. Ne immundus ingrediatur in montem domus.
IX. Ne immundus ministret.
X. Ne lotus diei ministret.
XI. Ut ministrans sanctificet manus & pedes.
XII. Ne labe affectus ingrediatur in templum, & altare.
XIII. Ne labe affectus ministret.
XIV. Ne labe temporali affectus ministret.
XV. Ne extraneus ministret.

Et explicatio horum præceptorum his capitibus continetur.

NUNC PRIMUM CUM BLASII UGOLINI *Perpetuis notis philologicis.*

פרק ראשון

א. כל כהן הכשר לעבודה אם שתה יין אסור לו להכנס מן המזבח ולפנים אם נכנס ועבד עבודתו פסולה וחייב מית׳ בידי שמים שנא׳ ולא תמותו והוא ששתה רביעי׳ יין חי בבת אחת מיין שעברו עליו ארבעים יום אבל אם שתה פחו׳ מרביעית

CAPUT PRIMUM.

I. Omnis Sacerdos, quamvis alioquin ad rem divinam faciendam satis idoneus, si vinum [1] potasset, interdictum erat, [2] in templum ne penetraret interius, quam erat altare positum: qui si procederet ulterius, atque sacris operaretur, cum * sacrificium ejus profanum fuisset, tum etiam meruisset, ut divina vis eum morte multaret. Nimirum huc spectat id quod scriptum legitur: *Ne moriamini*. (*Lev.* 10. *v.* 9.) Sic se res habebat, sacerdos si simul & semel [3] quartarium vini hausisset mera-

יין

יין או שתה רביעית והפסיק בה או מזגה במים או ששתה יין מגתו בתוך ארבעים יום אפילו יתר מרביעית פטור ואינו מחלל עבודה שתה יתר מרבעית מן היין אף ע״פ שהיה מזוג ואף על פי שהפסיק ושתה מעט מעט חייב מיתה ופוסל העבודה

ב. היה שכור משאר משקין המשכרין אסו׳ להכנס למקדש ואם נכנס ועבד והו׳ שכור משאר משקין המשכרי׳ אפי׳ מן החלב או מן הדבלה הרי זה לוקה ועבודתו כשרה שאין חייבין מיתה אלא על היין בשעת העבודה ואין מחלל עבודה אלא שכור מן היין

ג. וכשם שאסור לכהן להכנס למקדש מפני השכרות כך אסור לכל אדם בין כהן בין ישראל להורות כשהוא שתוי אפי׳ אכל תמרי׳ או שתה חלב ונשתבשה דעתו מעט אל יורה שנאמר ולהורות את בני ישראל ואם הורה בדבר שהוא מפורש בתורה עד שידעוהו אצדוקי׳ מותר כגון שהורה שהשרץ טמא והצפרדע טהור והדם אסור וכיוצ׳ בזה

ד. ומות׳ לשכור ללמד תור׳ ואפי׳ הלכות ומדרשו׳ והוא שלא יורה ואם היה חכם קבוע להורא׳ לא ילמד שלימודו הוראה היא

ה. שתה כדי רביעי׳ בלבד והיה בה מים כל שהו׳ או ישן מעט או הלך כדי מיל כבר עבר היין ומותר לעבוד אבל אם שתה

ci, & ejusdem quadraginta dies nati. Nam si potasset 4 minus quartario, aut inter potandum quartarium aliquid intermissionis faceret: si vinum aqua commisceret, impune ferret, nec sacrificium faceret profanum: nec si bibisset plus quartario vini recentis e torculari, quod videlicet quadraginta dies necdum haberet. Nam si bibisset plus quartario vini vetustioris licet aqua permisti, itemque si faciens intermissiones plus hoc paulatim sorbilasset, mortem meruisset, & sacrificium faceret profanum.

II. Etenim [5] aliis liquorum, in quibus inebriandi vis inest, generibus obrutum sacerdotem in templum introire vetitum erat. Qui si introisset in templum confectus liquoribus aliis, quibus insit inebriandi vis, immo lacte, ficuve, idemque operaretur, multaretur verberibus: at sacrificium tamen ejus bonum fuisset. Neque enim merebatur mortem, nisi qui vinum bibisset sacrificii tempore: nec vero profanum faciebat sacrificium, nisi ebrius a vino.

III. Sicut igitur in templum ne sacerdos intraret ebrius, item quivis seu sacerdos, seu Israelita * ne potus [6] ad tradenda vitæ præcepta aggrediatur, interdictum est, neu si vim dactylorum comedit tantam, tantumve potavit lactis, ut animus nonnihil perturbatus sit: sic enim a Lege dicitur, [7] *Doceatisque filios Israel*. (*Lev.* 10. *v.* 11.) Rursus homini poto licet quid ejusmodi tradere, quod a Lege explicatum est tam aperte, ut ne * Saducæi quidem essent ejus nescii, velut reptile immundum, mundam esse ranam, vetitum sanguinem, & horum similia.

IV. Nam homini ebrio, & hoc quoque licet, [8] doctrinam Legis docere, conclusionesque, explanationesque, siquidem de vitæ modo nihil præcipiat: Sapiens enim is, cujus munus est usque de officiis præcipere, omnino hic vinosus nihil ne doceat quidem, quippe cujus docere præcipere est.

V. Ponamus igitur sacerdotem [9] potasse quartarium vini tantum, hic si quid aquæ admistum vino fuisset, item si aliquantisper a potatione dormisset, si vel unum milliare spatiaretur, satis jam, satis crapulam exhalasset, adeoque sacrificium uti

יותר

III. *Ne potus*. Lev. cap. 10. v. 9. interdicitur Sacerdotibus ne vinum bibant tum, cum sint tabernaculum intraturi. Et ibid. v. 10. & 11. hæc illi præcepto subjicitur ratio. *Ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum. Doceatisque filios Israel omnia legitima mea*. Ex quo concluditur cujuscunque sit officium de vita moribusque præcepta tradere, huic itidem, ac sacerdoti interdictum esse ne ebrius officii munus obeat. *Saducæi*. Hanc sectam sequentibus apud Matt. 22. v. 29. ita respondet Christus interrogatus: *Erratis, nescientes scripturas; neque virtutem Dei*. Etenim homines isti heterodoxi *resurrectionem esse* negabant, negabant *esse angelum*, negabant *esse spiritum*; neque porro quidquam credebant, nisi quod a Moyse aperte dilucideque fuerat in Lege expositum. Habuit hæresis ista parentem quendam nomine Sadoc: is paulo post Alexandrum Magnum extitit. Fuerat enim auditor Antigoni Sochæi, qui audierat Simeonem Justum, quem eundem volunt esse Jadduam summum pontificem eum, qui Alexandrum Magnum excepit. Ac postrema ista depromsi cum ex Pirke Abot, & multis ac variis scriptoribus Hebræis, qui Pirke Abot commentariis illustrarunt suis, tum ex libro, qui Salselet Hakkabala inscribitur. Cumque vidissem fontes Hebræos, tamen non neglexi consectari rivos, opera Serrarii, Drusii, Scaligerique de tribus celeberrimis Judæorum Sectis.

יותר מרביעית אפי' מזוג שינה מעט או הדרך מוסיפין בשכרתו אלא ישהה לפי השכרו' עד שלא ישאר בשכרותו שום דבר שבעולם

ו. אנשי משמ' מותרין לשתו' יין בלילו' אבל לא בימי שבתן ואפי' שאר בתי אבות של משמ' שאי' עבודתן היום שמא תכבד העבוד על אנשי בית אב של יום ויצטרכו לאחרי' מאנשי משמרן לסייען ואנשי בי' אב של אותו היום אסורין לשתו' בין ביום בין בלילה שמא ישתה בלילה וישכי' לעבודתו ועדין לא סר יינו מעליו

ז. כל כהן שיודע מאי זה משמר הוא ומאי זה בית אב הוא ויודע שבתי אבותיו קבועי' בעבודת היום אסו' לו לשתו' יין כל הותו היום היה יודע מאי זה משמר הוא ואינו' בית אב שלו אסור לו לשתות כל אותה שבת שמשמרתו עובדין בו לא היה מכיר משמרתו ולא בית אבותיו הדין נותן שאסור לשתות יין לעולם אבל תקנתו קלקלתו והרי הוא מותר לשתו' תמיד שאינו יכול לעבוד עד שיקבע בבית אב שלו ובמשמרתו

ח. כהן שגדל שערו אסור לו להכנס מן המזבח ולפנים ואם נכנס ועבד חייב מית' בידי שמים כשכור שעבד שנאמ' ויין לא ישתו כל כהן וראשם לא יגלחו ופרע לא ישלחו מה שתויי יין במיתה אף מגודלי פרע במיתה עבודה אע״פ שהיא במיתה עבודתו כשרה

ט. ואין פרועי הראש מחללין עבודה אע״פ שהיא במיתה עבודתו כשרה

י. כשם שאין הכהנים מוהרין על היין

faceret licuisset. Verum enim si quis plus quartario vini licet aqua permisti potasset, huic modicus somnus, deambulatio modica ebrietatem etiam adaugeret: is igitur pro ratione ebrietatis expectaret usque adeo, dum ex ea nihil quidquam superesset.

VI. Nam Sacerdotum curias omnino sua quamque hebdomada vino licebat [10] uti noctu, non item interdiu: cumque diebus singulis singulæ tantum e curia familiæ operarentur, tamen & reliquæ interdiu abstinerent temeto oportebat: fieri enim poterat, ut quæ familia vicem suam exercebat sacris adeo oneraretur, ut ope reliquorum e curia sacerdotum indigeret. Jam quæ familia vices suas obibat, hæc interdictum erat, ne temeto uteretur [11] dieque noctuque, ne forte veniret usu, ut cum noctu potasset, tum ad rem divinam faciendam necdum discussa crapula bene mane aggrederetur.

VII. Atque omnis sacerdos [12] qui nosset qua e curia, quaque esset e familia sacerdotum, quo die cunque sciret familiam suam in re divina facienda occupatam esse, eo die toto interdictum erat, ne uteretur temeto. Jam si quis curiam suam nosset, [13] non nosset familiam, hunc oportebat abstinere vino totam illam hebdomadam, qua sciebat curiam suam operari. [14] Si nec curiam suam nosset, nec familiam, omnino æquum fuisset, ut ei interdictum vino esset in perpetuum: verum enim hic ex suo sibi malo remedium inveniebat. Etenim vinum ille bibebat usque, quippe quem rem divinam facere non licebat dum certæ familiæ, certæ foret curiæ.

VIII. Porro & * [15] promissa coma sacerdos interdictum erat, ne in templo altare præteriret: qui si progressus ulterius [16] sacrificium etiam fecisset, meruisset, ut divina vis eum morte multaret itidem, ut sacerdos si sacrificium fecisset temulentus. Nam quod dicitur: *Et vinum non bibet omnis sacerdos: Caput autem suum non radent, neque comam nutrient*, (*Ezech.* 44. *v.* 20. & 21.) hujus ea vis est, ut capillati sacerdotes juxta, atque poti sacra facientes morte multentur.

IX. Ac comantium quidem sacerdotum sacrificium [17] neutiquam profanum fuisset, ut hi operati morte punirentur cœlitus.

X. Ut igitur sacerdotes id tempus solum vino oportebat abstinere, quo veniendum

אלא

VIII. *Promissa coma.* Similiter ethnici Græci Romanique cum philosophi, tum cuncti viri boni turpe ducebant comam alere. Persio quidem Stoicorum discipuli dicuntur,

- - - - *Detonsa juventus.*

Et Jun. Juvenalis Satyra secunda vers. 14. & 15. suæ ætatis homines eos, qui cum essent indocti philosophos simulabant, ita cavillatur,

Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
Atque supercilio brevior coma.

Rursus eadem Sat. versu 96. ferio suorum libidinem notat, virisque indignabundus exprobrat quod veluti mulierculæ comam nutriant bene longam, & ornent,

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Etenim hac de re Apostolus Epist. 1. ad Corinthios cap. 11. vers. 14. ita scripsit: *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi.*

אלא בשעת ביאה למקדש כך אין אסורין לגדל פרע אלא בשעת ביא׳ למקדש ב״א בכהן הדיוט אבל כהן גדול אסור לגדל פרע ולקרוע בגדיו לעולם שהרי תמיד הוא במקדש ולכך נאמר בו את ראשו לא יפרע ובגדיו לא יפרום

יא. כמה הוא גידול פרע שלשים יום כנזיר שנאמ׳ בו גדל פרע שער ראשו ואין נזירות פחותה משלשים יום לפיכך כהן הדיוט העובד מגלח משלשים יום לשלשים יום

יב. ואנשי משמר אסורי׳ לספר ולכבס בשבתן כדי שלא יעלו למשמרתן כשהן מנוולין אלא מגלחין ורוחצין ומכבסין קודם שיעלו

יג. מי ששלמה משמרתו בתוך הרגל מותר לגלח ברגל אבל אם שלמה בערב הרגל אינו מגלח אלא בערב הרגל

יד. דין קרועי בגדים ודין פרועי ראש אחד הוא שנא׳ ראשיכם לא תפרעו ובגדיכם לא תפרומו ולא תמותו הא אם עבד והוא קרוע בגדים חייב מיתה בידי שמים אע״פ שעבודתו כשרה ולא חללה

יה. יראה לי שכל כהן הכשר לעבודה אם נכנס מן המזבח ולפני׳ והו׳ שתוי יין או שכור משאר המשכרין או פרוע ראש או קרוע בגדי׳ כדרך שקורעין על המתים אע״פ שלא עבד עבודה הרי זה לוקה הואיל והוא ראוי לעבודה ונכנס בשעת העבוד׳ מנוול כבה והרי הוא מוזהר שלא יכנס

in templum erat, item & tum demum coma esse promissa vetitum fuerat. Ista videlicet erat ratio privati sacerdotis: [18] summum enim sacerdotem coma prolixa nunquam, nunquam veste licebat esse scissa. Etenim is commorabatur in Sanctuario semper: qua de causa præscriptum ei fuit: *Caput suum non * discooperiet, vestimenta non rescindet*. (*Lev.* 21. *v.* 10.)

XI. Evadit autem promissa coma diebus [19] triginta, * qualis erat coma Nazaræi, de quo quidem a Lege dicitur: *Crescente cæsarie capitis ejus*. (*Num.* 6. 5.) Atqui Nazareatus nunquam paucioribus triginta diebus conficiebatur. Quocirca privatus sacerdos, qui sacra administrabat, tricesimo quoque die tonderetur oportebat.

XII. Namque curiæ sacerdotum ne [20] sordidatæ venirent ad vices suas exercendas, vetitum erat sua quamque hebdomada tota capillos tondere, vestimentaque lavare. Itaque se se tondebant, corpus lavabant & vestes ante, quam obirent tempus sui muneris.

XIII. Si qua curia munere defuncta fuisset ad mediam solemnitatem, omnino concessum erat, uti quilibet ex ea sacerdos vel solemni tempore caput tonderet. Nam si curia defuncta munere fuisset ad vesperam solemnitatis, nisi vespera solemnitatis ex hac curia capillos tonderet nemo.

XIV. Etenim de sacerdotibus qui comam nutrirent, quique vestes discidissent judicium erat idem, quippe cum sacerdotibus a Lege dicitur: *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini*: (*Lev.* 10. 6.) unde sequitur sacerdotem, qui pannis obsitus fuisset, meruisse, ut divina vis eum morte multaret: quanquam & hujus sacerdotis operatio putabatur non profana, sed idonea.

XV. Ac mihi quidem [21] ita videtur omnem sacerdotem alioquin ad rem divinam faciendam idoneum, si in Sanctuario altare præterisset ebrius a vino, ceterisque liquoribus, quibus inebriandi vis inest, si comans, si vestitus vestibus ita discissis, uti solent vestes lugubres, eum verberibus multandum fuisse, tamen etsi non fecisset: id adeo, quoniam ad faciendum idoneus in templum ad sacrificandi tempus intrasset ita sordidatus, quod ne faceret a Lege monitus erat.

יו. ודין

X. *Non discooperiet*. Nempe cum est coma brevis operitur illa quidem pileo, aut alio id genus tegumento: cum vero fit coma prolixior nuda & discooperta dependet.

XI. *Qualis erat coma Nazaræi*. Ad præceptionem Nazaræorum apposite Beatus Theodoretus Quæst. in „ Num. Votorum erant species permultæ. Quidam „ enim victimam pollicebantur: quidam pecunias: „ alii seipsos devovebant: alii *certorum dierum numero* se vinum non bibituros nec caput rasuros. Hu- „ jus generis erant de quibus divus Jacobus divino „ Paulo dicebat Act. 21. 29. *Sunt quidam votum habentes in seipsis, hos assume, & sanctificare cum eis, & impende in illos*, hoc est, præbe tu victimas, quæ secundum Legem offerri solent pro illis, *ut tollas suspicionem*. De istis Lex statuit: & „ jubet eos, qui talem promissionem emiserint etiam „ ab aceto, uva, & acinis abstinere cunctis diebus „ voti sui (votum autem appellat promissionem) & „ non radere caput donec compleantur dies, quos „ voverit Domino.

יו. ודין הנכנס ככה מן המזבח ולפנים ודין היוצא משם אחד הוא כיצד כגון ששתה רביעית יין בין האולם ולמזבח או קרע בגדיו שם ויצא לוק׳ וכן אם עבד ביציאתו חייב מית׳

XVI. Idem vero erat sacerdotem sic affectum introeundo atque exeundo altare templi præterisse. Nam si quartarium vini potasset, vestesque discidisset inter altare templi atque vestibulum, tum egrederetur, coerceretur verberibus. Qui si exeundo e templo sacrum fecisset, mortem meruisset.

יז. וכן אסור לכל אדם בין כהן בין ישראל להכנס למקד כולו מתחילת עזרת ישראל ולפנים כשהוא שתוי יין או שכור או פרוע ראש דרך נוול או קרוע בגדי׳ אף על פי שאינו באזהרה שאין זה כבוד ומורה לבית הגדול והקדוש שיכנס בו מנוול אבל ישר׳ שגדל שערו עד שנעשה מחלפת ולא היה דרך נוול הרי זה מותר להכנס לעזרת ישראל:

XVII. Porro cuivis [22] interdictum erat sacerdoti juxta, atque Israelitæ, ne vino usus, vel quacunque ratione temulentus, neu inculte atque horride capillatus, aut pannis obsitus omnino in templum veniret, ne intra primum quidem illud atrium Israelitarum. Id enim Lege sancitum non erat: verum gloria & reverentia hujus magnificæ ac sanctæ domus non patiebatur in eam quenquam intrare sordidatum. Atqui hominem Israelitam, cui coma existebat prolixa quidem, sed quasi calamistro ad ornatum intorta, in qua ratione nihil inculti, nihil horridi, hunc in atrium Israelitarum introire licebat.

NOTÆ IN CAPUT PRIMUM.

[1] Potasset &c. *Siphra ad Levit.* X. 9. *Vinum &* ושכר *& siceram non bibetis*, crederem omne id quod exprimitur e torculari; ideo dicit ושכר.

[2] In templum &c. *Siphra ibid. Tu & filii tui*. An credam etiam illegitimos? ideo dicit אתך; excludam illegitimos, & non excludam labe affectos? ideo dictum est, *tu & filii tui*; quemadmodum tu idoneus, etiam filii tui idonei; excluduntur illegitimi, & labe affecti; *quando intrabitis*; non probo nisi pro ingressu, unde probatur etiam pro egressu? Ex eo quod dictum est; *tu & filii tui*; Et unde probatur ad æquiparandum altare tentorio conventus? ex eo quod dictum est; *tu & filii tui*. Et unde probatur, quod non sit reus mortis, nisi tempore ministerii? Ex eo quod dictum est; *tu & filii tui*. Rabbi dicit; dictum est hic בבואכם, & dictum est illic בבואם, quemadmodum ש׳ בבואם in tabernaculum testimonii illic commemoratum æquiparat ingressum egressui, & altare tabernaculo conventus; & non tenetur morte, nisi tempore ministerii, etiam ש׳ בבואכם in tabernaculum testimonii, hic dictum æquiparat ingressum egressui, & Altare tabernaculo conventus; neque reus est mortis nisi tempore ministerii. *In tabernaculum testimonii*; non probo nisi pro tabernaculo testimonii; unde probatur ad includendum Schilo, & domum seculorum? Ex eo quod dictum est; *quia præceptum sempiternum est*. *Ne moriamini*; ex negatione potest abs te deduci affirmatio. *Pesiktha ibid. Tu & filii tui*; quemadmodum tu legitimus, etiam filii tui legitimi; excluduntur illegitimi, & labe affecti, qui ad ministrandum non sunt idonei. *Quando intrabitis in tabernaculum testimonii*; *in tempore ministerii in tabernaculum conventus*; non probo nisi pro tabernaculo conventus, unde probatur ad includendum Schilo, & domum seculorum? Ex eo quod dicit; *quia præceptum sempiternum est*; *ne moriamini*; ex negatione potest abs te deduci affirmatio. *Bemidbar Rabba fol.* 244. 3. Dicit R. Jose. In quinque circumstantiis spatium inter Pronaon & Altare est æquale ipsi templo. Nam illuc non accedit quisquam capite nudus, vino ebrius, & manibus, aut pedibus illotus, & sicut se subtrahent ab ipso templo tempore thymiamatis, sic etiam se subtrahunt a spatio, quod est inter pronaon & Altare tempore thymiamatis. *R. Levi Barzelonita præcept.* 158. Dicunt magistri nostri; omnem Sacerdotem ad obeundum cultum, legitimum, si vinum biberit, prohiberi ne ab altari & ulterius ingrediatur, si vero ingressus sacra fecerit, cultum ejus censeri profanum, ipsum autem fieri reum mortis θανάτου.

* Sacrificium &c. *Tosaphta Kerithuth* I. 17. Qui bibisset vinum, facit illegitimum Sacrificium, & reus est mortis; quinam est, qui dicitur bibisse vinum? qui biberit quartarium vini, qui sit quadraginta dierum aut amplius; si bibisset vini ex torculari quartatium, vel amplius, liber est.

[3] Quartarium &c. *Siphra ibid.* Non probo nisi de eo, quod possit inebriare, nempe quartarium, & quod habeat quadraginta dies; si ita est; cur dictum est *vinum*? Quod de illo in qualibet quantitate præmonendi sunt, atque etiam in momento, quo ex torculari exprimitur, sunt præmonendi. *Pesiktha ibid. Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis*; quantulumcunque; crederem ex torculari; ideo dictum est ושכר; non dixi nisi ea quantitate ut inebriare possit. Et quantum erit ut possit inebriare? Quartarius quadraginta dierum, idoneus, qui libari possit super altare. Si ita est, cur dictum est *vinum, vinum?* ad præmonendum de eo quantulumcunque, & ad præmonendum de eo ex torculari. Rabini nostri dixerunt in fine *Pesachim*; (*a*) Quartarius legis est duorum digitorum super duos digitos in altitudine duorum digitorum, & dimidii digiti, & quintæ partis digiti, & hic est quartarius. Logus est ovum cum dimidio (*mendum huc irrepsit, nam logus est sex ovorum, ut ex traditione & contextu patebit*.) Unde probatur? Ex lavacro, scriptum est enim; ורחץ במים את כל בשרו, aquis, quæ totam carnem suam capiant. Et quantæ sunt? (*b*) cubitus super cubitum in altitudine trium cubitorum, quæ sunt quadraginta Sata; constat, quod vas, quod contineat quadraginta sata, erit cubiti super cubitum in altitudine trium cubitorum juxta hominis staturam. Et (*c*) quando dividatur in medium, comprehendet viginti sata, & totum erit cubiti super dimidio cubito (*in altitudine trium cubitorum*.) Et si præterea dividatur, comprehendet decem (pro עשרים legendum עשר) sata; & erit vas dimidii cubiti super dimidium cubitum (*in altitudine trium cubitorum*.) Hæc decem sata sunt sexaginta Chabi; & si detrahantur ex ejus altitudine duo cubiti, & remaneat cubitus in altitudine, vas continebit viginti Chabos, qui sunt tertia pars sexaginta Chaborum; & si insuper detrahatur ex ejus altitudine dimidius cubitus, continebit decem Chabos; cum statuatur ad dimidium cubitum super dimidium cubitum in altitudine dimidii cubiti, comprehen-

det decem Chabos, qui ſunt quadraginta logi. (*d*) Si vero vas ſit quarta pars dimidii cubiti ſuper dimidium cubitum, quod erit palmi & dimidii ſuper palmum & dimidium quia cubitus conſtat ſex palmis, tunc continebit quartam partem quadraginta logorum, qui ſunt decem logi, qui ſunt ſexaginta ova; & ſi detrahatur ex ejus altitudine ex dimidio cubito, ut ſtatuatur ad altitudinem palmi & dimidii, comprehendet quinque logos, qui ſunt triginta ova; (*e*) & palmus cum dimidio conſtat ſex digitis, quia palmus eſt quatuor digitorum magnorum, *nempe pollicum*. Et quando capiatur quarta pars ſex ſuper ſex, quæ erit trium digitorum ſuper tres digitos; continebitur in hoc vaſe quarta pars triginta ovorum, quæ ſunt ſeptem ova cum dimidio, & quando detrahatur ex ejus altitudine, & ſtatuatur ad tres, comprehendet quatuor ova, minus quarta parte ovi. Et ſi præterea ex longitudine vaſis detrahatur ejus tertia pars, nempe digitus, continebit duo ova cum dimidio, quia detrahitur ovum & quarta pars ovi. (*f*) Et ſi inſuper ex ejus latitudine, quæ eſt trium digitorum, detrahatur ejus tertia pars, nempe digitus, ut ſtatuatur ad duos digitos in altitudine trium, continebit vas ovum & duas tertias partes ovi [*non* ושני חלקי.] Quia ſunt duo ova cum dimidio, ſi dimidium detrahatur, reliqua erunt duo ova. Si ex uno detrahatur tertia pars ovi, reliquum erit ovum, & duæ tertiæ partes ovi. (*g*) Et ſi detrahatur ex altitudine trium digitorum decima pars(*i.e; tres decimæ partes trium digitorum*) & ab ovo & duabus tertiis partibus ovi decima pars detrahatur, reliqui erunt duo digiti ſuper duos digitos in altitudine duorum digitorum, & dimidii digiti & quintæ partis digiti magni, *nempe pollicis*. (*h*) Quomodo? Dividantur tres digiti in decem partes (*i. e. dividatur quiſque digitus in decem partes*) quæ ſunt triginta partes, detrahantur (*deeſt in textu* טול מהם) ex his tres decimæ partes, reliquæ erunt ſeptem & viginti partes digiti (male digiti ſed trium digitorum.) Et ex ſeptem & viginti, fiant ex viginti partibus tres digiti, & ex duabus digitus, & ex duabus quinta pars digiti magni (*depravatiſſimus eſt hic locus pro* עשרה מן העשרים שלש אצבעות ומן השני עשרה מן אצבע ומן הב׳ חומש אצבע *legendum eſt* העשרים אצבעים ומן חמש חצי אצבע ומן הב׳ חומש אצבע i. e. fiant ex viginti duo diginti, & ex quinque dimidium digiti, & ex duabus quinta pars digiti, *ut patebit inferius ex demonſtratione*) quia remanent ſeptem & viginti partes. (*i*) Sic fiat in ovo & in duabus tertiis partibus ovi. Quomodo? Dividatur ovum in triginta partes, & duæ tertiæ partes in viginti, ecce quinquaginta partes, detrahatur ex his decima pars, nempe quinque partes, reliquæ erunt quinque & quadraginta partes, triginta partes ſunt ovum, & quindecim partes dimidium; ** digitus cum dimidio; ecce ovum cum dimidio; & continebitur vaſe, quod ſit duorum digitorum ſuper duos digitos in altitudine duorum digitorum & dimidii digiti, & quintæ partis digiti; & hic erit quartarius legis pro ſanctificatione, & ſeparatione, & Nazyræo, & ſummo Sacerdote. (*k*) Sed res in compendium redigatur; cubitus ſupra cubitum in altitudine trium cubitorum, quadraginta ſata; dimidium (*l*) cubiti ſuper dimidium cubiti in altitudine dimidii cubiti, decem Chabi, quadraginta logi; (*m*) ſex digiti ſuper ſex digitos in altitudine ſex digitorum, triginta ova; (*n*) tres ſuper tres in altitudine trium, quatuor (*male in textu* ז׳ *ſc. ſeptem*) ova minus quarta parte; (*o*) detrahatur tertia pars, nempe digitus, reliqua erunt duo ova cum dimidio; (*p*) ſi detrahatur tertia pars, reliquum erit ovum & duæ tertiæ partes ovi; & ſunt duo digiti ſuper duos digitos in altitudine trium digitorum, & ſunt ovum, & duæ tertiæ partes ovi. Computentur ovo triginta partes, & viginti duabus tertiis partibus, ecce quinquaginta; (*q*) detrahatur decima pars, reliquum erit ovum cum dimidio; & a tribus digitis, qui conſtant triginta partibus; (*r*) detrahantur tres decimæ partes, remanebunt duo ſuper duos in altitudine duorum & dimidii, & quintæ partis.

Cubiti	Sata	Chabi	Logi	Ova	Partes
					1.
				1.	30.
			1.	6.	180.
		1.	4.	24.	720.
	1.	6.	24.	144.	4320.
3.	40.	240.	960.	5760.	172800.

(*a*) *Quartarius legis* &c. Vide Fig. I. Sit vas $\alpha\beta$ inſtar parallelepipedi quartarius legis, & habeat baſim $\beta\epsilon$ quadratam efformatam a latere duorum digitorum $\epsilon\mu$ in ſuum æquale $\mu\beta$. Manifeſtum eſt quod hæc baſis erit 4. digitorum quadratorum, cum duo ſuper duo, aut duo in duo faciunt 4. Multiplicetur hæc baſis in altitudinem $\beta\delta$ quæ etiam ſit duorum digitorum, & erit productum 8. digitorum cubicorum, æquivalentium ſoliditati cubi $\delta\epsilon$. Verum ut habeatur totum ſolidum $\gamma\epsilon$, addenda eſt cubo $\delta\epsilon$ etiam portio $\gamma\nu$ efformata a baſi $\beta\epsilon$ in altitudinem $\delta\gamma$ dimidii digiti plus $\frac{1}{5}$ digiti, quæ omnino æquivalet $\frac{7}{10}$ digiti, multiplicabitur baſis 4. in hanc altitudinem $\frac{7}{10}$ & productum $\frac{28}{10}$. Erit tota ſolidas, quæ addita cubo 8. dabit integrum parallelipipedum $\gamma\epsilon$ digitorum cubicorum 10 $\frac{8}{10}$; ita conſtabit, quod capacitas quartarii legis erit *duorum digitorum ſuper duos digitos in altitudine duorum digitorum, & dimidii digiti, & quintæ partis digiti*.

(*b*) *Cubitus ſuper cubitum in altitudine trium cubitorum*. Impoſſibile eſſet recte concipere artificium hujus computi, ſi aliqua non adhiberetur figura, qua facile demonſtretur. Ratio, quæ facillima viſa eſt, electa eſt; ideoque obſerventur figuræ II. III. IV. & quæ conſequuntur. In ſecunda exhibetur parallelepipedum efformatum *a cubito ſuper cubitum in altitudine trium cubitorum*; cum FH baſis quadrata unius cubiti HG. in cubito GF multiplicata in altitudinem perpenidicularem FB trium cubitorum, dabit parallelepipedum BH efformatum ex tribus cubitis cubicis qui ſunt quadraginta Sata.

(*c*) *Et quando dividatur*. Si cum plano IM per medium dividatur ab alto ad imum hoc parallelepipedum quadraginta Satorum, ejus dimidium IH erit viginti Satorum, & habebit baſim cubiti ſuper dimidium cubitum aut erit totum ſolidum IM *cubiti ſuper dimidium cubitum*; quia duo dimidii cubiti cubici ſtant ſuper dimidio cubito cubico; hinc fit, ut dictum ſolidum ſit trium dimidiorum cubitorum cubicorum. Pariter ſi cum plano OP per medium dividatur parallelepipedum IH, habebitur aliud parallelepipedum IP, quod eſt quarta pars totius ſolidi BH quadraginta Satorum, ideoque portio IP æquivalebit decem ſatis, quæ ſunt ſexaginta Chabi. Hoc parallelepipedum IP. habebit baſim dimidii cubiti in dimidium cubitum, & ejus altitudo erit trium cubitorum, ita ut ſi detrahantur ex ejus altitudine IL duo cubiti, reliquus fuerit cubitus SL altitudo parallelepipedi SP, tertia ſc. pars totius IP & conſequenter viginti Chaborum. Si præterea ſubtrahatur ab altitudine SL ejus dimidium SY, YP erit cubus efformatus ab latere dimidii cubiti, & continebit decem chabos, qui ſunt quadraginta logi.

(*d*) *Si vero vas ſit* &c. Educatur a figura II cubus YP, & dividatur in figura III a duobus planis *ab cd* in quatuor portiones æquales, cum conſtet, quod cum quodque latus hujus cubi ſit dimidii cubiti, aut trium palmorum, cum cubitus conſtet ſex palmis, quodlibet latus baſis, in quam cadunt perpendiculariret duo plana, quæ ſe interſecant ad angulos rectos, dividetur in duas partes æquales, quarum quælibet uti fP erit $\frac{3}{2}$ palmi, aut palmi & dimidii. Ergo quarta pars cubi YP ita diviſi erit parvum

vum parallelipepedum *cb* efformatum a basi *fb* palmi & dimidii in palmum & dimidium, & in altitudinem dimidii cubiti, aut trium palmorum, & continebit decem logos, qui sunt sexaginta ova. Pariter si de ejus altitudine *fc* trium palmorum, ut in fig. IV. dimidium detrahatur, reliquus erit palmus cum dimidio, & habebitur cubus *bd*, qui continebit dimidium parallelepipedi *af* & comprehendet quinque logos, aut triginta ova.

(*e*) *Et palmus & dimidius constat sex digitis*. Cum palmus constet quatuor digitis, altitudo aut latus hujus parvi cubi, quod constat palmo & dimidio, erit sex digitorum. Verum cum quarta pars hujus parvi cubi eo modo divisi, quo divisus est cubus figuræ III. sit parvum parallelepipedum *hi*, ideo efformatum erit a quadrato trium digitorum, quod est dimidium lateris cubi in altitudinem *he* sex digitorum, quæ est latus integrum cubi, idcirco continebit mensuram $7\frac{1}{2}$ ovorum.

In figura V. conspicitur hoc parvum parallelepipedum $7\frac{1}{2}$ ovorum designatum *hi*, a cujus altitudine sex digitorum si dimidium detrahatur, remanebit minimus cubus *Km*, cujus altitudo ad singula latera erit trium digitorum, & continebit mensuram $3\frac{3}{4}$ ovi, sive quatuor ovorum minus $\frac{1}{4}$. Cum igitur ejus longitudo *mn* sit trium digitorum, si detrahatur digitus, duoque tantum digiti remaneant, servata eadem altitudine, habebitur minimum parallelepipedum, quod conspicitur in fig. VI. æquale duabus tertiis partibus cubi *Km* fig. V. ideoque continebit mensuram $2\frac{1}{2}$ ovorum.

Cum hujusmodi divisionibus ac diminutionibus perventum sit ad figuram tam parvam, ut in ea clare designari non possint, quæ declaranda sunt; ideo convenit amplificare, figuram VI. quæ est parvum parallelepipedum *ol*, & collocare in figura magis conspicua ut phantasiæ commodo, & adjumento esse possit, servatis tamen proportionibus, quibus solidum est ad alterum, & quævis pars divisa a lavacro, aut proposito parallelepipedo fig. II. est ad ipsum lavacrum; dum hujusmodi proportiones, aut similes relationes deducentur potius a mensura, & quantitate rationali laterum omologorum partium divisarum, quam a figuris sensibilibus.


(*f*) *Et si insuper detrahatur ex ejus latitudine*. Cum in fig. VII. amplificatum sit parvum parallelepipedum fig. VI. erit ejus longitudo *lp* duorum digitorum, ejus latitudo *pr* trium digitorum, pariterque trium digitorum ejus altitudo *pq*, & si abscindatur ab ejus latitudine *rp* per planum *us* quantitas digiti, remanebit parallelepipedum *up* latum duos digitos, longum duos digitos, & altum tres digitos, & hoc vas continebit mensuram ovi & $\frac{2}{3}$ non vero *ovum & duas partes* ovi, ut in textu, quod eruitur etiam ex probatione, quam affert autor sui computi, & ab illis verbis; *reliquum erit ovum, & duæ tertiæ partes ovi*.

(*g*) *Et si detrahatur ab altitudine trium digitorum decima pars*, nempe tres decimæ partes, i. e. si detrahatur ab altitudine *pq* portio *qy* $\frac{3}{10}$ totius tertii digiti *qx*, vas, sive parallelepipedum *yz* erit quartarius propositus, dum ejus capacitatem metietur productum duorum digitorum in duos digitos, in altitudinem duorum digitorum & dimidii digiti, & quintæ partis digiti, sc. productum *lp* in *ps* & hujus in altitudinem *py* efformatam a *px* $=$ 2. digitis plus *xy* $= \frac{1}{2}$ digito plus $\frac{1}{5}$ digiti, quod facit $\frac{7}{10}$ digiti.

(*h*) *Quomodo?* Autor hoc loci illustrat, quod antea indicavit dicens; *detrahatur decima pars*. *Dividantur tres digiti in decem partes*; i. e. dividatur quisque digitus in decem partes, quæ sunt triginta partes; & hæc erit altitudo *pq*. Detrahantur $\frac{3}{10}$ partes; i. e. detrahantur tres decimæ partes, & remanebit altitudo *py* 27. partium. Et ex septem & viginti partibus, ex viginti efformentur duo digiti, ex septem reliquis, ex quinque dimidius digitus, & ex duabus reliquis quinta pars digiti.

(*i*) *Sic fiat in ovo & in duabus tertiis partibus ovi*. Cum supra demonstratum sit, quod id quod continetur in parallelipipedo *up* sit mensura ovi & $\frac{2}{3}$ partium ovi, ut inveniatur quanta sit hæc mensura in quartario *yz* deficiente a parallelipepedo sola portione altitudinis *yq* $=$ ad $\frac{3}{10}$ digiti; dividatur ovum in triginta partes; ergo $\frac{2}{3}$ partes ovi erunt viginti harum partium, & totum, sc. ovum & duæ tertiæ partes erunt 50. harum partium. *Detrahatur ex his decima pars*, nempe detrahantur quinque partes decimales; *reliquæ erunt quinque & quadraginta, ex quibus triginta erunt ovum*, & quindecim partes $\frac{1}{2}$ ovi. *Ecco ovum cum dimidio, quod continebitur in vase, quod erit duorum digitorum super duos* &c. Consequentia recte convenit, sed methodus ab autore occultata, hæc est. Cum contineat parallelepipedum *up* mensuram ovi & $\frac{2}{3}$ quæ sunt $\frac{5}{3}$ ovi, cum sit vas $8 + \frac{28}{10}$ digitorum cubicorum, cum totum parallelepipedum *up* sit duodecim hujusmodi digitorum, fiet regula aurea uti $120 : 108 :: \frac{5}{3} : 1\frac{1}{2}$. *Ecce ovum & dimidium, quod continetur a vase duorum digitorum super duos digitos in altitudine duorum digitorum & dimidii & quintæ partis digiti, & hic est quartarius legis pro Sanctificatione* &c.

** *Digitus cum dimidio*. Hoc loci autor his paucis verbis designat quandam proportionem partium, & relationem hujusmodi, ut declaranda & illustranda videatur. Scribit enim, quod quindecim partes ex quinque & quadraginta ovi & dimidii sint digitus & dimidius. Hoc patet evidenter, quando consideretur, quod, quamvis trium digitorum altitudo divisa sit in 30. partes, & ovum & dimidium ab illa comprehensum in 50. tamen quod ab eo indicatur, & infertur, sit in omnimoda proportione. Etenim cum detrahendæ sint a tribus digitis $\frac{3}{10}$ digiti, ut habeatur quartarii mensura; si a 30. partibus, in quas divisi sunt tres digiti, detrahantur tres partes, hæ tres partes sunt in eadem proportione cum dictis 30. partibus, uti quinque partes ovi & dimidii ad 50. ideoque in eadem proportione erunt etiam residua 27. & 45. exprimentia relationem altitudinis trium digitorum cum contento ovi & dimidii. Si quisque digitus est 10. partium, & quodque ovum 30. partium, si fiat relatio partium ovi cum digitis, dicendum erit triginta partes ovi respondere tribus digitis, & consequenter etiam quidecim partes ovi, i. e. dimidium ovum respondere digito & dimidio, sicut autor scribit. *Satis illustratus emendatusque est antiquissimus & celeberrimus locus* de mensuris Hebræorum.



(*k*) *Sed res in compendium redigatur; cubitus ----* 40. *Sata*. Hæc eſt II. Figura.

(*l*) *Dimidium cubiti ſuper dimidium ----* 40. *Logi*. Hæc eſt III. Figura.

(*m*) *Sex digiti ſuper ſex digitos ----* 30. *Ova*; Hic eſt parvus cubus Fig. IV.

(*n*) *Tres ſuper tres -------- Quatuor ova minus quarta parte ovi*. Hic eſt parvus cubus V. Figuræ.

(*o*) *Detrahatur tertia pars digiti; reliqua erunt duo ova cum dimidio*. Hoc eſt minimum parallelepipedum VI. Figuræ.

(*p*) *Si Detrahatur tertia pars*, i. e. tertia pars latitudinis, *remanebit ----* Vide parallelepipedum *up* VII. Fig.

(*q*) *Detrahatur decima pars;* i. e. detrahantur quinque partes decimales.

(*r*) *Detrahantur tres decimæ partes*; i. e. $\frac{3}{10}$ partes digiti.

[4] Minus quartario &c. *Siphra ibid.* R. Elieſer dicit. *Vinum* ושכר *non bibetis*, non debes bibere eo modo quo inebriare poteſt, ſi igitur aqua commiſceret in qualibet quantitate, morte non tenebatur. *Peſiktha ibid. non bibetis*. Non bibet eo modo, quo poteſt inebriare; verum ſi diminuerit, aut aqua in qualibet quantitate commiſcuerit, liber eſt, Verba R. Elieſeris. *Toſaphta Kerituth*. I. 17. Si bibiſſet minus quartario quatuor aut quinque annorum, reus eſt, ſive temperaſſet, ſive dimidium bibiſſet. R. Elieſer dicit, ſi totum una vice bibiſſet, reus eſt, ſi temperaſſet, & bibiſſet dimidium liber eſt. *R. Levi ibid.* Si biberit quartam partem logi, quæ continet ovum cum dimidio, ſi merum illud biberit una vice, ſi plus biberit quam quartam partem vini, & ſi mixtum illud fuerit, & per interſtitium paulatim biberit, ipſe mortis reus eſt, cultus vero ejus illegitimus.

[5] Aliis liquorum &c. *Siphra ibid.* R. Jehuda dicit; *Vinum non bibetis*; non probo niſi pro vino, unde probo ad includendum ea omnia, quæ inebriare poſſunt? Ex eo quod dicit ושכר, ſi ita eſt, cur peculiariter diſtinguit vinum? Pro vino erat reus mortis, pro reliquis rebus, quæ inebriabant, erat tantum præmonitio. *Peſiktha ibid.* R. Jehuda dicit; *non bibetis*; non probo niſi pro vino; unde probatur ad includenda ea omnia, quæ inebriare poſſunt e. g. ſiceram, & mel, & lac? Ex eo quod dicitur ושכר; Verum pro vino reus eſt mortis, pro reliquis rebus eſt tantum præmonitio. *Toſaphta Kerithuth ibid.* R. Jehuda dicit pro vino eſt pœna mortis, pro reliquis liquoribus, qui inebriare poſſunt, eſt præmonitio; ideoque ſi ediſſet ficus Ceilæ, aut bibiſſet lac, & mel, quadraginta plagis vapulat, & violat præceptum negativum; & ſi eſſet Sacerdos, prohiberetur miniſterio, & morte teneretur; ſi vero eſſet ſapiens aut diſcipulus ſapiens prohiberetur docere, aut dare decreta; R. Joſe filius R. Jehudæ dicit, ſi eſſet ſapiens, licet docere. *R. Levi ibid.* Si ebrius fuerit ex alio potu inebriante non licet ei ingredi Sanctuarium; ſi tamen ingreſſus fuerit, cultumque adminiſtraverit ebrius, ex reliquis inebriantibus, imo etiam ex lacte, aut palatha, plagas accipit, ſalvo tamen cultu ejus, quia non in mortis reatum incurritur niſi propter vinum tempore miniſterii, nec irritus redditur cultus niſi ab eo, qui vino inebriatus eſt. *Et mox*. Qui vero violato hoc præcepto vino madidus progreſſus fuerit, inde ab atrio ad Altare, & ulterius, reus eſt flagellationis. Si cultum adminiſtrarit, mortem mereretur θανατον. Si poſtquam de ceteris inebriantibus biberit, ſacra peragat, in plagarum tantum pœnam incurrit, mortis non item.

[6] Ad tradenda &c. *Siphra ibid.* Crederem, quod Iſraelitæ rei eſſent mortis docendi cauſa; ideo dictum eſt; *tu & filii tui - - - - ne moriamini*; *tu & filii tui* ſub pœna mortis, non vero Iſraelitæ ſub pœna mortis docendi gratia. Crederem, quod Iſraelitæ docendi cauſa non eſſent rei mortis, verum Aaron, & filii ejus docendi gratia rei eſſent mortis. Contra argumentari licet. Si Iſraelitæ, qui præmonentur ne ingrediantur in tentorium conventus, ſive biberint, ſive non biberint, docendi cauſa, non ſunt rei mortis; Aaron & ejus filii, qui præmonentur ne ingrediantur in tentorium conventus, ſi biberint, non erit æquum, ne docendi cauſa ſint rei mortis? Excluduntur ab ipſo textu Iſraelitæ, & Aaron & filii ab argumento a minori ad majus. *Quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras*; ad includendum effuſiones, mixtiones, agitationes, appropinquationes, pugillos, adolitiones, ungue ſectiones, acceptiones, & ad-

& adspersiones, unde probatur, quod ii, qui vinum biberint, fecerint reprobum sacrificium? Ex eo quod dicitur; *Et ut habeatis scientiam inter sanctum & profanum*; & unde probatur pro indigente expiationis, & pro eo, qui non laverit manus & pedes? Ex eo quod dicitur; *quia præceptum sempiternum est*; præceptum sempiternum a pari. *Et ut habeatis scientiam discernendi inter Sanctum & profanum*; hæ sunt æstimationes *sacræ*; *inter pollutum & mundum*; hæ sunt puritates, & pollutiones. *Doceatisque filios Israel*, hæc sunt documenta; *omnia legitima*; hæ sunt expositiones allegoricæ; *quæ locutus est Dominus*; hæ sunt constitutiones, *sive ritus*; *per manum Moysi*; hic est textus, crederem etiam explicationem; ideo dicit; *doceatisque*. *Pesiktha ib. Quia præceptum sempiternum est in generationes vestras*; præceptum sempiternum, ad includendum effusiones, commixtiones, agitationes, appropinquationes, adolitiones, unguefectiones, & acceptiones præmonentur, ne bibant vinum. Cur dictum est de vini potatione prope mortem duorum filiorum Aaron? Alii dicunt ad comparandam mortem cum morte; & alii dicunt, quod vini potatio idcirco conjungitur. *Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum*; hinc dixerunt, quod qui potaverit quartarium, docere liceat; dictum est; *doceatisque filios Israel*, להורות, hæc sunt documenta; החוקים, hæ sunt expositiones allegoricæ, *seu mysticæ*; *quæ locutus est Dominus*; hæ sunt constitutiones, *sive ritus*; *per manum Moysi*, hic est textus; unde probatur etiam Targum? Ex eo quod dicit ולהורות; ad docendum quod omnia sint tradita Mosi in monte Sinai. *R. Levi ibid.* Interdictum est Sacerdoti ingredi Sanctuarium propter ebrietatem; ita unusquisque sive Sacerdos fuerit sive Israelita prohibetur docere, cum potus fuerit, etiam ex potu mellis dactylorum, aut lactis, & turbata fuerit mens ejus, ne docent juxta monitum Paraschæ; *vinum & omne quod inebriare potest, non bibatis*. *Licet tamen* docere, seu sententiam pronuntiare de re in Lege ita clare tradita, ut ne a Sadducæis quidem in dubium vocetur. Imo etiam in Hilcoth, & Medraschoth, non tamen eo fine ut demonstrationes faciat.

7 *Doceatisque* &c. *Raschi ad Levit. X. 10. discernendi*. Ut distinguant inter ministerium sanctum & profanum; ad docendum, quod si ministret, ministerium sit illegitimum. ולהורות ad docendum, quod ebrio sit vetitum docere; crederem, quod morte teneatur; ideo dictum est; *tu & filii tui ---- ne moriamini*. Sacerdotes in ministeriis suis rei sunt mortis, non tenentur morte Sapientes in docendo.

8 Doctrinam legis &c. *R. Levi ibid.* Prohibitio vero demonstrationis obstringit omni loco & tempore masculos, & fœminam, si quæ sit demonstrationis faciendis apta sapientem. Omnis autem præclare sapiens, cujus demonstrationibus alii innituntur, prohibetur docere discipulos suos si potus sit, quia talis institutio demonstrationi similis est, sicut diximus. Qui vero violato hoc præcepto, vino madidus progressus fuerit inde ab atrio ad Altare, & ulterius reus est flagellationis, si cultum administrarit, mortem meretur θεῖλακων. Si postquam de ceteris inebriantibus biberit, sacra peragat, in plagarum tantum pœnam incurrit mortis non item. Qui autem docuerit, aut demonstrationes fecerit potus, ex quocunque potu, tam vino, quam reliquis inebriantibus, sive Sacerdos fuerit, sive Israelita, transgreditur negativum.

9 Potasse &c. *R. Levi ibid. Si potaverit* quartam partem tantilla permixtam aqua, aut dormiverit nonnihil, aut etiam iter unius quasi milliaris fecerit, adeoque vinum transiverit, ministrare ei licet.

10 Uti noctu &c. *Misna Taanith* II. 7. Sacerdotibus custodiæ hebdomadalis licitum est vinum bibere nocturno tempore, diurno non item. *Gemara in h. l.* Docuerunt magistri. Quare dicitur, viris custodiæ fas est, vinum bibere noctibus, verum non diebus? Ne forte aggravaretur labor domus paternæ, & ingrederentur hi ipsis auxiliaturi. *Tosaphta Taanith* II. 8. Qua de causa licet viris custodiæ bibere vinum noctu, non autem interdiu? Quia si multi licaretur ministerium viris domus paternæ, illis committeretur.

11 Dieque, noctuque &c. *Misna Taanith ibid.* Viris autem domus paternæ idem interdictum est & nocte, & die. *Tosaphta Taanith ibid.* Viris autem domus paternæ neque noctu neque interdiu *licebat*, quia jugiter occupati erant in ministerio. *Gemara in l. c.* Et quare classi diurnæ vetitum est *bibere* vinum & nocte & die? Quoniam hi jugiter in ministerio suo occupati erant.

12 Qui nosset &c. *Tosaphta Taanith ibid.* Qui nosset suam curiam, & suam familiam, ipseque esset ex familiis certis, *seu fixis*, eo tantum die *vinum* vetitum erat.

Non nosset &c. *Tosaphta Taanith ibid.* Qui nosset suam curiam, non autem nosset familiam, ipseque esset ex familiis certis, *seu fixis*, tota illa hebdomada vinum illi interdictum erat.

14 Si nec curiam &c. *Tosaphta Taanith ibid.* Qui non nosset nec curiam nec familiam, ipseque esset ex familiis certis, *seu fixis*, integro mense vetitum illi *vinum* erat. Rabbi dicit; ego dicerem, illi in perpetuum *vinum* esse interdictum; verum ex suo malo remedium inveniebat.

15 Promissa coma &c. *Siphra ad Levit. X. 6. Capita vestra nolite nudare*; ne nutriatis comam; an dicam, id significare, se tiara nudare? Argumentandum est *a pari*, dictum est hic פריעה & dictum est num. VI. 5. פריעה; quemadmodum פריעה eo loci dictum denotat comæ nutritionem etiam פריעה hic commemoratum designat comæ nutritionem. *Pesiktha ibid. Capita vestra nolite nudare*; ne comam nutriatis. An forte dictum est, capita vestra nolite tiara nudare? Sed ecce argumentum. Dictum est hic פירוע, & dictum est nu. VI. 5. ערל פרע שער ראשו; quemadmodum illic פירוע denotat comæ nutritionem, etiam hic פירוע designat comæ nutritionem. *Siphri ad num. VI. 5. Crescente cæsarie capitis sui*; cur dictum est? quia dictum est Levit. XIII. 44. 45. *Quicumque ergo maculatus fuerit lepra ---- habebit vestimenta dissuta, caput* פורע *nudum* פורע significat comam promissam; tu dicis, quod פורע significet, comam promissum; at ego explicabo juxta sensum suum; tu hoc modo argumentaris. Dictum est hic פורע, & dictum est illic פורע quemadmodum פורע hoc loci dictum significat comam promissam, etiam פורע illic commemoratum denotat comam promissam. *R. Levi ibid.* Ne ingrediantur Sacerdotes Sanctuarium promissam alentes comam more lugentium, sicut dicitur; *Capita vestra nolite nudare*.

16 Sacrificium &c. *R. Levi ibid.* Præcepti hujus usus fuit stante templo, in Sacerdotibus masculis. Violator præcepti, qui Sanctuarium fuit cum capillitio promisso ingressus, id est, qui comam suam ultra trigesimum diem aluit, ibique sacra fecit, mortis θεῖλάτω erat reus, q. d. *Capita vestra nolite nudare ----- ne forte moriamini*. Continent verba legis in se notaricon, quasi diceret: Ecce si comam aluerint morientur.

17 Neutiquam profanum &c. *R. Levi ibid.* Cultus tamen administratio non censetur propterea profana. Qui vero illuc intraverit quidem, sacra autem non peregerit, in admonitione est, quia transgressus est negativum, vapulat, morte tamen non multatur, nisi etiam cultum peregerit.

18 Summum enim Sacerdotem &c. *R. Levi ibid.* Interdictum de alenda coma in Sacerdotibus vulgaribus non valere nisi tempore, quo Sanctuarium ingrediuntur. Omni reliquo tempore quo Sanctum non ingrediuntur, plane hoc præcepto de non nutriendis comis non teneri. Sacerdotem vero magnum, qui in Sanctuario semper occupatus est, interdicto hoc perpetuo teneri.


19 Triginta &c. *Raschi ad Levit.* XXI. 10. לא יפרע *Non nutriet comam super mortuo*. Quænam est hæc comæ nutritio? a trigesimo die & ultra. *Idem ad num.* VI. 5. Non vocatur פרע minus trigesimo die. *Kimchi ad Ezech.* XLIV. 20. *Neque comam nutrient*. Non nutrient comam a trigesimo die & ultra.

20 Sordidatæ &c. *Misna Taanith* II. 7. Viris ministerii hebdomadalis, & viris stationis vetitum est se radere ac lavare, sed in quinto die licitum est in honorem Sabbathi. *Tosaphta Taanith* II. 9. Viris custodiæ, & viris stationis vetitum erat se tondere ac lavare, tam stante, quam diruto templo. R. Jose dicit; post excidium domus mœstitiæ causa licitum est. *R. Levi ibid.* Ne ingrediantur Sacerdotes Sanctuarium laceratis, aut dissutis vestibus; q. d. *Levit.* X. 6. *Et vestimenta nolite scindere*. Repetitur autem hoc præceptum in Sacerdote magno, de quo dicitur *Levit.* XXI. 10. *Vestimenta non scindet*. Ubi repetitio

tio instituitur propter additamentum, quod illi accedit, non licere videlicet ei propter mortuum suum scindere vestes, etsi hora cultus non inest. Dicitur autem in *Siphra; caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet propter mortuum suum;* eo nempe modo, quo reliqui homines vel comam nutriunt, vel vestes discindunt. Quo vero discrimine? Sacerdos magnus discindit superne, idiota inferne. Reatum discissionis hujus contrahi, cum illa responderit discissioni eorum qui vestes propter mortuos lacerant. Verisimiliter autem illa spatio spithamæ definitur.

[21] Ita videtur &c. *R. Levi ibid.* Usitatum fuit hoc præceptum stante templo in masculis Sacerdotibus. Qui vero transgressus illud Sanctuarium inde ab Altari vestibus a fronte laceratis intraverit, cultumque peregerit, reus est mortis *θεηλάτου*: Si sacra non administraverit, ecce in admonitione est, proptereaque vapulat.

[22] Interdictum &c. *R. Levi ibid.* Non licet cuiquam, sive Sacerdos fuerit sive Israelita ingredi Sanctuarium, ab initio atrii Israelitarum & ultra, si vel potus fuerit, vel ebrius, aut turpiter, id est, præter decorum, nimis prolixam aluerit comam, aut laceratas habuerit vestes. Et quanquam nullam habeat hac de re admonitionem, prohibita tamen illa est non alio fine quam ad decus templi. Proinde conceditur Israelitæ eo intrare, etsi comam suam ultra triginta dies notriverit, quia hoc hominum *vulgi* judicio fœdum non est.



פרק שני

א. אין כהן גדול נכנס לקדש הקדשים אלא מיום הכפורי׳ לי״ה וכהן הדיוט נכנס לקדש לעבודה בכל יום

ב. והוזהרו כל הכהני׳ שלא יבנסו לקדש או לקדש הקדשים שלא בשעת עבודה שנאמ׳ ואל יבא בכל עת אל הקדש זה קדש הקדשים מבית לפרוכת להזהיר על כל הבית

ג. כהן שנכנס לקדש הקדשים בשאר ימות השנה בין כהן הדיוט בין כהן גדול או כהן גדול שנכנס לו ביום הכפורים שלא בשעת העבודה חייב מיתה בידי שמים שנאמר ולא ימות וכמה פעמים הוא נכנס לשם ביום הכפורים ד׳ כמו שיתבאר במקומו ואם נכנס חמישית חייב מיתה בידי שמי׳

ד. והנכנס לקדש חוץ לקדש הקדשי׳ שלא לעבודה או להשתחויה בין הדיוט בין גדול לוקה ואינו חייב מיתה שנא׳ אל פני הפרוכ׳ ולא ימות על קדש הקדשים במיתה ועל שאר הבי׳ בלאו ולוקה׳

ה. כהן שיצא מן המקדש בשע׳ העבוד׳

CAPUT SECUNDUM.

I. Summus sacerdos non intrabat in [1] Sanctum Sanctorum, nisi die solemni Expiationum vertente. Et privatus sacerdos ad rem divinam faciendam quotidie veniebat in Sanctum. *

II. Jam hoc [2] cunctis sacerdotibus interdictum erat, ne extra sacrificandi tempus intrarent nec in Sanctum, nec in Sanctum Sanctorum. Nam quod in Lege habemus; [3] *Ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium,* (*Lev.* 16. 2.) hoc videlicet illud est, quod Sanctum Sanctorum dicitur: quod autem additur: *Intra velum,* (*Ibid.*) id nimirum de toto templo præcipit.

III. Atqui in Sanctum Sanctorum reliquis anni diebus introisset sacerdos seu privatus, seu summus; immo vero & solemni Expiationum die si summus sacerdos intrasset [4] extra sacrificandi tempus, meruisset, ut divina vis eum morte multaret, siquidem superiori monitioni subjicitur: *Ut non moriatur.* (*Ibid.*) Summus enim sacerdos in adytum templi solemni Expiationum die [5] quater introibat, qua de re alio loco agetur. Qui si introisset quinquies, mortem meruisset.

IV. [6] Cum igitur in Sanctum, quod est cis Sanctum Sanctorum, nec sacrificaturus neque adoraturus introisset sacerdos cum privatus, tum summus, omnino verberaretur: mortem vero non meruisset. Nam quod in Lege est: *Intra velum . . . . ut non moriatur,* (*Ibidem.*) id significat introitum in Sanctum Sanctorum morte coerceri: in reliquum autem templum introitum vetando sanciri, atque * damnari verberibus.

V. Nam sacerdotem seu summum seu

בלבד

* In eandem sententiam loquitur Apostolus Epist. ad Hebræos cap. 9. v. 6. 7. Dividit enim Sacrarium in *tabernaculum primum, quod,* inquit, *dicitur Sancta,* & in *secundum tabernaculum, quod* inquit, *dicitur Sancta Sanctorum.* Tum ita pergit. *His vero ita compositis: in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus pontifex.* Et B. Theodor. „ Quæst. in Lev. Sicut enim, inquit, semel in an„ no pontifex ingrediens in Sancta Sanctorum sacri„ ficium istud peragebat: ita Dominus Christus ubi „ semel passionem salutarem pertulit, ascendit in „ cœlum æterna redemtione inventa, ut perhibet „ Apostolus.

IV. *Damnari verberibus.* Hæc enim erat vetitorum ratio, ut si quis contra faciendo aliquid effectum daret, is verberibus coerceretur.

בלבד חייב מיתה בין כהן גדול בין כהן הדיוט שנאמר ומפתח אהל מועד לא תצאו פן תמותו כלומ׳ לא תניחו עבוד׳ ותצאו מבוהלי׳ ודחופים מפני גזירה זו וכן זה שנאמר בכהן גדול ומן המקדש לא יצא אינו אלא בשעת העבודה בלבד שלא יניח עבודתו ויצא

ו. אם כן מפני מה נשנית אזהרה זו בכהן גדול שכהן הדיוט שהיה במקד׳ בעבודתו ושמע שמת לו מת שהוא חייב להתאבל עליו אעפ׳ שאינו יוצא מן המקד׳ אינו עוב׳ מפני שהוא אונן ואם עבר והוא אונן של תורה חלל עבודתו בין בקרבן יחיד בין בקרבן ציבור אבל כהן גדול עובד כשהוא אונן שנ׳ ומן המקדש לא יצא ולא יחלל כלו׳ ישב ויעבו׳ עבודה שהיה עוסק בה ואינה מתחללת

ז. ומנין שעבודת האונן פסולה מקל וחומר אם בעל מום שאוכל בקדשי׳ אם עבר חלל אונן שהי׳ אסו׳ בקדשי׳ שנ׳ לא אכלתי באוני ממנו דין הוא שיחלל

ח. ואעפ׳ שכהן גדול עובד אונן אסור לאכול בקדשים שנ׳ ואכלתי חטאת היום הייטב בעיני ה׳ וכן אינו חולק לאכול בערב אונן שעבר אינו לוקה ומותר ליגע בקדשים אעפ׳ שלא טבל שלא עשו מעלה אלא באכילה אבל בנגיע׳ הרי זה טהור כמו שיתבאר במקומו

privatum [7] e Sanctuario egressum tum denique mortem meruisse, cum rem divinam inchoatam reliquisset, licet e Lege cognoscere, quæ istud est interminata sacerdotibus: *Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis*: (*Lev.* 10.7.) cujus sententia est, vos ne committatis, ut rem divinam relinquatis inchoatam, atque e Sanctuario abeatis, erumpatis, idque ob causam prædictam. Et quod sacerdos magnus itidem monetur: *Nec egredietur de sanctis*, (*Lev.* 21. *v.* 12.), id quoque in solum sacrificandi tempus convenit, ne videlicet relinquenda re divina protinus evadat.

VI. Quid est igitur quod [8] sacerdos magnus hac de re denuo moneatur? Id est scilicet: sacerdoti privato in templo operanti, si quando afferretur nuntius de morte hominis ejus, quem ipse lugere jussus esset, si non e templo liceret erumpere, at sacrificium quidem certe huic, qui lugens evasisset, sacerdoti perficiendum non erat: talis enim sacerdos si sacrificium privatum publicumve faceret tum, cum ex Lege lugeret, id temeraret scilicet: non est ita de sacerdote magno, qui quantumvis lugens evasisset, nihilosecius sacrificium inchoatum efficiebat, quando scriptum legimus: *Nec egredietur de sanctis, ne polluat*. [*Ibid.*] Cui sanctioni hæc est subjecta vis, ut sacerdos magnus, qui lugens evaderet, sacrificium, quod cœperat, pergeret facere, & nihilo magis temeraret.

VII. Concluditur autem sacrificium a sacerdote lugente temerari comparatione minoris ad majus. Si vitio corporis affectus sacerdos, qui Legis permissu sacris vescebatur, nihilominus operatus sacrificium temerabat, multo magis sacrificium temeraret sacerdos lugens, cui interdictum erat, ne sacris vesceretur, si quidem scriptum videmus: *Non comedi ex eis in luctu meo*. [*Deut.* 26. *v.* 14.]

VIII. Sacerdoti magno si licebat operari tum, cum in luctum incidisset, [9] at certe ne sacris vesceretur interdictum erat. [10] Aaronem enim in luctu suo ita loquentem facit Lex: *Si comedissem hostiam pro peccato hodie an placuisset Domino?* (*Lev.* 10. *v.* 19.) Nec cum ceteris sacerdotibus partiebatur sacra, ut his sub vesperum vesceretur. Cum vero sacerdos in luctu fecisset, tamen verberibus non multaretur. Etenim sacerdotem in luctu [11] sacra contrectare licebat etiam ante quam corpus ejus rite lustratum esset. Nempe statuerunt rem esse notandam, sacerdos si lugendo vesceretur sacris: verum ad horum contrectationem tunc quoque sacerdotem satis esse purum: atque de hac quæstione tota alio loco disputabitur.

ט. אי

ט. אי זהו אונן זה שמת לו מת מן הקרובים שהוא חייב להתאבל עליהן ביום המיתה בלבד הוא הנקר' אונן דין תורה ולילה הוא אונן מדברי סופרים

י. ומת ששה ימים ואחר כך נקבר כל אותם הימים שאחר יום המיתה הוא אונן מדבריהם וכן יום הקבורה ואינו תופש לילו לפי' מי שמת לו מת לאחר יום המית' כל יום הקבורה אינו מקריב ואינו אוכל בקדשים מדבריהם וטובל ואוכל לערב ויום שמועה קרובה ויום ליקוט עצמו' הרי הוא כיום קבור' שאינו תופש לילו ואפי' מדבריהם לפיכך טובל ואוכל בקדשים לערב אבל יום המיתה כשם שאסור לאכול בו קדשים מן התור' כך אסור לאכול בלילו מדבריהם חוץ מן הפסח בלבד שהו' אוכל לערב כמו שיתבאר במקושו

יא. האבל אינו משלח קרבנותיו כל שבעה אפילו יין או עצים או לבונה וכן מצורע אינו משלח קרבנותיו כל זמן שאינו ראוי לביאה אל המחנה אינו ראוי לקרבה

יב. אבל המנודה יש בו ספק אם משלח אם אינו משלח לפי' אם הקריבו עליו נרצה טמא שרץ וכיוצ' בו והערל משלחין את קרבנותיהם ומקריבין עליהן חוץ מפסח שאין שוחטין אותו על טמא שרץ ואין שוחטין על הערל פסח כמו שיתבאר אבל טמא מת אין מקריבין עליו קרבן כלל עד שיטהר:

IX. Jam vocabulo [12] lugentis appellatur is, cui mortuus eſt aliquis e ſuis, quem eundem lugere juſsus ſit. Atque e Lege quidem die ipſo, quo tuorum aliquis mortem oppetiit, lugens dicaris: verum inſtituto ſapientum & inſequenti nocte.

X. Sin eveniat ut alicujus e tuis emortui retardetur ſepultura multorum ſpatio dierum, ſane his diebus a morte ad ſepulturam intercedentibus lugens ex inſtituto ſapientum fueris, quibus & dies ille quo mortuus humo mandatur totus includitur, excluditur nox inſequens. Itaque ſi quis mortuum ſuum ſepeliſset die altero a morte, & hoc altero die toto nec ſacrificium faceret, nec ſacris veſceretur, [13] ſapientum videlicet inſtitutis: idem vero luſtratus ſacris ſub veſperum veſcebatur. Jam quo die de morte alicujus e tuis nuntius affertur proximus, & quo die oſsa colliguntur, ejus ſint diei ſimiles, [14] quo mortuus ſepultura afficitur, cui diei nox inſequens non includitur ne ſapientum quidem inſtituto. Itaque his diebus rite luſtratus ſacris veſcereris ſub veſperum. Verum tunc ipſum quo tuorum aliquis extinguebatur tanquam ſacris veſci Lege prohibebare [15] de die, item & inſequente nocte ſapientum inſtituto. Excipiebatur [16] unus agnus paſchalis, quem ſane ſub veſperum comederes. Sed hac de re alio loco.

XI. Lugens igitur hebdomada tota omnino munus ad altare [17] mittebat nullum, nec vinum quidem, neque ligna, neque thus. Similiter homo leproſus nihil quidquam muneris ad altare mittebat. Nam quamdiu hominem intra caſtra venire non licebat, nec licebat eum ſacrificia facere. De homine autem ab Eccleſiæ communione ſejuncto dubium eſt, is utrum munus ad altare mittere poſset, necne. Quare ſacrificium ejus ſi factum eſset, bene fuiſset.

XII. Nam per ſerpentem animantem, aut rem conſimilem inquinatus homo, item & incircumciſus ſi ſacrificia ad altare miſiſſet, ſane pro illo fierent. Excipitur victima paſchalis, quæ pro homine a reptili animante polluto nequaquam mactabatur, neque porro pro præputiato homine, qua de re poſthac diſseretur: verum enim pro homine funere polluto nullum fiebat ſacrificium interea, dum purificabatur.

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM.

1 Sanctum Sanctorum &c. *Siphra ad Levit.* XVI. 2. *Et præcepit ei dicens; loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur in Sanctuarium.* Nos ignoramus, quidnam ei dixerit Deus in prima allocutione. R. Eleasar filius Azariæ dicit; cuinam hoc est simile? infirmo, apud quem ingreditur medicus, eique dicit, ne bibas *aquam* frigidam, neque in loco frigido jaceas. Venit alius medicus, eique dicit, ne bibas *aquam* frigidam, & in loco frigido ne jaceas, ne moriaris, sicuti talis mortuus est; hic secundus de alio præmonet; ideo dictum est; *locutusque est* &c. *post mortem duorum filiorum Aaron* &c. *Et præcepit ei dicens; loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur* &c. Et si venisset, moreretur, sicuti dictum est; *ut non moriatur;* Si igitur veniret, moriebatur, quemadmodum mortui erant ejus duo filii; ideo dicit post mortem duorum filiorum Aaron &c. *Et præcepit ei dicens; loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur* &c. Nomine R. Ismaelis dixerunt; duæ referuntur allocutiones una post alteram, una explicita, & altera inexplicita, doceat explicita pro inexplicita; sicuti in explicita, locutus est ad Moysen, ut loquatur ad Aaron, de ingressu in Sanctuarium, etiam in ea, quæ non est explicita, locutus est ad Moysen, ut loqueretur ad Aaron, de ingressu in Sanctuarium. Quænam fuit allocutio? ea fuit de sicera, & vino, sicuti dictum est Levit. X. 6. *Fratres vestri, & omnis domus Israel plangant incendium, quod Dominus suscitavit* &c. Dixit quoque Dominus ad Aaron; *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis. Fratrem tuum; ne ingrediatur;* non autem Moses *jubetur*, ne ingrediatur.

2 Cunctis Sacerdotibus &c. *Siphra ibid.* Aut dicam; Frater jubetur non ingredi, at filii non jubentur non ingredi. Dixit R. Eleasar; est argumentum in contrarium. Si qui jubetur ingredi, jubetur non ingredi *omni tempore*, qui non jubentur ingredi, non erit æquum, ut jubeantur non ingredi? *Sacerdotes* perfecti, *seu legitimi* contra probent, qui jubentur ingredi in tentorium conventus, & jubentur ingredi, quando non biberint vinum & siceram. At labe affecti, qui non jubentur ingredi, non jubentur ingredi quando biberint vinum & siceram; Etiam hic jussus jubetur; ideo dicit; *Loquere ad Aaron fratrem tuum;* neque dici necesse erat fratrem tuum nisi ad includendos filios. *Pesiktha ibid.* Alia glossa; *fratrem tuum*, ad comprehendendum filios; sicuti dictum est *Genes.* XIV. 14. *Quod cum audisset Abraham captum videlicet Lot fratrem suum;* Lot enim erat filius fratris sui. *R. Levi præcept.* 186. Ne quovis tempore Sacerdotes Sanctuarium ingrediantur, sed eo duntaxat, quo cultus ratio id exigit; q. d. *Locutusque est Dominus ad Moysen* &c. *Loquere ad Aaron fratrem tuum ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur.* Atque sic monetur Summus Pontifex, ne ingrediatur Sanctum Sanctorum, ne quidem die expiationum, nisi tempore cultus. Explicatio autem interdicti hujus est, ne ullus Sacerdos locum sibi congruum ingrediatur, nisi tempore congruo id est hora ministerii, ut ministri ad animum revocent magnificentiam loci, ejusque reverentia oculis eorum obversetur.

3 *Ne omni tempore* &c. *Siphra ibid. Ne omni tempore ingrediatur;* hic est dies expiationum; *Sanctuarium*, ad includendum reliquos anni dies. Dixit R. Eleasar; est argumentum; Si quo die jubetur ingredi, jubetur non ingredi; quo die non jubetur ingredi, non erit jubendus non ingredi? Israelitæ contra probent, qui jubentur venire in diebus solennibus, & jubentur non venire vacui. At in reliquis anni diebus non jubentur venire, neque jubentur non venire vacui; etiam hoc loci dicerem, quod quo die jubetur, jubeatur; ideo dicit *Sanctuarium*, ad comprehendendum reliquos anni dies. *Quod est intra velum*, ad monendum pro toto loco. Crederem quod pro toto loco mortis reus esset; ideo dicit; *coram propitiatorio, quo tegitur Arca, ut non moriatur.* Quomodo hoc intelligitur? *Coram propitiatorio* erat reus mortis, pro reliquo loco solum præmonebatur. *Coram propitiatorio, quo tegitur Arca;* quid dici necesse erat? Ego crederem quod Arcæ operculum esset; ideo dicit *propitiatorio;* Propitiatorium erat super Arca, neque Arcæ aliud operculum inerat. Crederem, quod Arcæ nullum esset operculum, verum aliquid esset, quod separaret inter propitiatorium & testimonium; ideo dicit; *quia in nube apparebo super oraculum, quo tegitur Arca, ut non moriatur;* (ita Hebræus.) Nihil igitur erat, quod separaret inter propitiatorium & testimonium.

4 Extra Sacrificandi &c. *Siphra ibid.* בזאת יבא אהרן אל הקדש. Quid dici necesse erat? quia dictum est; *Sanctuarium quod est contra velum coram propitiatorio, quo tegitur Arca;* Nam ego dicere possem; hinc ego non intelligo nisi illud Sanctuarium, in quo sit Arca, & propitiatorium, in illo, ubi non sit neque Arca, neque propitiatorium, unde probatur? ex eo quod dicit; *Sanctuarium*, ad æquiparandum Sanctuarium, ubi non sit Arca, & propitiatorium, Sanctuario, ubi sit Arca, & propitiatorium. Tu dicis, quod propterea dictum sit *Sanctuarium*, ad obligandum Sanctuarium, quod huic non sit simile, cum hoc juvenco; aut ego dicam, quod non dicat nisi ad obligandum juvencum, qui non sit huic similis, in hoc Sanctuario. Quinam est hic juvencus? Est juvencus, qui afferebatur pro omnibus præceptis. Et ecce argumentum; Si cum ejus juvenco qui afferebatur pro eo, in quo non erat notitia, ingrediebatur templum interius, cum juvenco, qui afferebatur pro eo, in quo erat notitia, non erit æquum ut ingrediatur in templum interius? ideo dicit בזאת יבא אהרן אל הקדש, ad excludendum juvencum, qui afferebatur pro omnibus præceptis, quod non ingrederetur cum illo in templum interius.

5 Quater &c. *R. Levi ibid.* Non ingrediendum esse Pontifici Sanctum Sanctorum excepto die expiationum, quo quater illud intrat, sed non amplius. Nam si quinquies ingrediatur; reus est mortis cœlitus illatæ.

6 Cum igitur &c. *Siphra ibid. Ut non moriatur;* hæc est mulcta; quia in nube apparebo super oraculum; hæc est præmonitio. Dixit R. Eleasar; ego crederem, quod mulcta & præmonitio dictæ essent ante mortem filiorum Aaron; ideo dictum est; *post mortem duorum filiorum Aaron;* crederem, quod ambæ dictæ essent post mortem filiorum Aaron; ideo dicit; *quia in nube apparebo super oraculum.* Quomodo hoc intelligitur? Præmonitio dicta fuit ante mortem filiorum Aaron, & mulcta post mortem filiorum Aaron. *Pesiktha ibid. Ne omni tempore ingrediatur;* hic est dies expiationum; מבית לפרוכת, hoc est templum interius; *ut non moriatur;* hæc est mulcta; *quia in nube apparebo super oraculum;* hæc est præmonitio. *R. Levi ibid.* Quod si vero extra necessitatem obeundi sacra vel summus Pontifex fuerit ingressus, vel Sacerdos vulgaris adorandi etiam causa, vapulat, neque tamen reus est illius, quod dicitur; *coram propitiatorio - - - - ut non moriatur.* Nam de Sancto Sanctorum mortis supplicium est intelligendum; reliquæ partes templi negativo tantum muniuntur. *Nachmanides* tamen negat, vapulare Sacerdotes, qui extra sacrificandi tempus, adorandi causa templum ingrediantur.

7 E Sanctuario egressum &c. *Siphra ad Levit.* X. 7. *Vos autem non egrediemini fores tabernaculi;* crederem tam in tempore ministerii, quam non in tempore ministerii Sacrificiorum; ideo dictum est *Levit.* XXI. 12. *Nec egredietur de Sanctis, ne polluat;* quandonam non egreditur, & non polluit? dicendum tibi est tempore sacrificii; פן תמותו; ex hac negatione tibi deducitur affirmatio. *Pesiktha ibid. Vos autem non egrediemini fores tabernaculi;* crederem vel tempore, quo non fit ministerium; ideo dictum est; *Nec egredietur de Sanctis, ne polluat;* quandonam polluit? quando egreditur tempore ministerii; non loquitur nisi de tempore ministerii; פן תמותו; ubicunque dicitur *cave ne, & non*, non est nisi præceptum negativum. Et ex negatione tibi deducitur affirmatio. *R. Levi præc.* 157. Ne egrediantur Sacerdotes e Sanctuario tempore cultus, q. d. *Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis.*

[8] Sacerdos magnus &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 12. Et unde probatur, quod si obtulisset sacrificia, ejus ministerium sit legitimum? Ex eo quod dicit; *ne polluat Sanctuarium Domini*. Si igitur Sacerdos vulgaris in luctu obtulisset sacrificium suum, est illegitimum; *quia oleum Sanctæ unctionis Dei sui super eum est*. Non probatur nisi de uncto unctionis oleo, de vestibus aucto unde probatur? ex eo quod dicit; *quia oleum Sanctæ unctionis Dei sui super eum est; ego Dominus*; ad docendum, quænam sit causa. *Pesiktha ibid. Ne polluat Sanctuarium Domini*; ad docendum, quod Sacerdos *vulgaris* lugens polluat; *quia oleum Sanctæ unctionis Dei super eum est*; ad comprehendendum Sacerdotem vestibus auctum; quia in domo secunda defuit oleum unctionis. *Ego Dominus*; ad demonstrandum, quænam sit causa. *Raschi ad Levit.* XXI. 12. Hinc Rabbini nostri dixerunt, quod Sacerdos magnus vel lugens possit ministrare, pariterque ex traditione, si ei moriatur pater & mater, non est necesse ut egrediatur ex Sanctuario, sed ministerium peraget; *Nec polluet sanctuarium*; non ita polluit, quia ipsi scriptura permittit; at Sacerdos vulgaris, si ministret, polluit.

[9] At certe &c. *Misna Horajoth* III. 5. Pontifex Maximus in luctu offerre potest, at non comedere. *Tosaphta Horajoth* I. Pontifex Maximus vel lugens offerebat sacrificia in primo die, at non comedebat. *Tosaphta Sevachim* XI. 3. Summus Sacerdos offerebat sacrificium lugens in primo die, & non edebat; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit; toto eo die. R. Simeon dicit; perficiebat sacrificium, quod offerre inceperat; & abibat. At Sacerdos idiota qui quum sacrificium offerret, ei aliquis *consanguineus* moreretur, deserebat sacrificium, quod offerre inceperat, & abibat; ideoque si sanguinem adspersisset, aut suffitum adolevisset, quodvis ministerium quod ministrasset, erat illegitimum.

[10] Aaronem enim &c. *Siphra ad Levit.* X. 16. *hircum*; hic est hircus Nachson; qui oblatus fuerat pro peccato; hoc est sacrificium pro peccato diei octavi. *Cum quæreret Moyses*; hic erat hircus Novilunii. Crederem, tres fuisse combustos; ideo dicit; *exustum reperit*; unus fuit combustus; neque tres fuere combusti; Quid dici necesse erat, דרוש דרש משה? duo requisivit; Eis dixit; cur hic combustus fuit? Cur illi comesti non sunt? Ego nescirem, quinam fuerit combustus; quum dicit; *& data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, ut rogetis pro ea*. Quinam est hircus, qui portat iniquitatem totius cœtus? Hic est hircus Novilunii; sicuti dictum est Num. XXVIII. 15. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis. Iratusque est contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron*; Discimus, quod iratus fuerit contra ejus filios, & iratus fuerit contra Aaron; docemur quod etiam contra Aaron fuerit indignatus; *qui remanserant ibi*; cum his Pinehas non aderat; *ait*; respondete meis verbis. *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto?* Num comesta fuit extra locum Sanctum? Nonne erat combusta? sicuti dictum est; *exustum reperit*; Si ita est, cur igitur dicit, *cur non comedistis?* &c. Eis dixit. Num extra cortinas eductum est? Quia sacrificium pro peccato, quod educitur extra cortinas, est illegitimum; Ego non probo nisi pro hoc tantum, unde probatur ad includendum Sanctitates Sanctitatum? ex eo quod dicit; *Sancta Sanctorum*; Unde probatur, quod comestio Sanctissimorum Israelitis esset expiationi? Ex eo quod dicit, *& data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini*. Quomodo? Sacerdotes comedebant, & domini expiabantur. *Præsertim cum de sanguine illius, non sit illatum intra Sancta*. Eis dixit; Num ejus sanguis intro illatus est? Quia sacrificium pro peccato, cujus sanguis intro infertur, est illegitimum. R. Jose Galilæus dicit, hinc probatur, quod sacrificium pro peccato, cujus in Sanctum interius sanguis infertur, sit illegitimum; Nec sacrificium pro peccato erat illegitimum, si non intro sanguis inferretur. *Intra Sancta*; Ego non probo nisi pro Adyto unde probatur pro toto templo? Ex eo quod dicit, *intra Sancta; Et comedere debueritis eam in Sanctuario*; Docemur, quod in loco interiori comedi debuerit; Unde docemur, quod etiam in loco interiori comburi debuerit? Ex eo quod dicit אבל תאכלו אותה בקודש. Crederem, etiamsi foris polluta fuerit, intus debuisset comburi; ideo dicit אותה; Quemadmodum hujus distincta & peculiaris est immunditi es in loco interiori, & combustio in loco interiori; excluditur illa *hostia*, quæ foris polluta fuerit, neque nisi foris comburenda fuit. וידבר *Aaron ad Mosen*; Non designat, *vel* exprimit דיבור nisi phrasin asperam & duram; atque ita dictum est Num. XXI. 5. וידבר *populus contra Deum & Moysen. Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino*. R. Nehemia dicit, pro luctu combusta fuit; atque ideo dicit אלה. Et cur dictum est כאלה? Poteram enim dicere; non fuisse interdictum in luctu, nisi pro filiis tantum; Unde probatur pro omnibus illis, qui explicantur in Parascha XXI. Levit. illisque esse adjungendos fratrem & sororem uterinos, & sororem nuptam? ex eo quod dicit אלה כאלה. R. Jacob dicit; crederem fuisse vetitum canticum in luctu Levitis; ideo dicit; אותי; mihi prohibitum est in luctu; Non autem cantus in luctu Levitis vetitus est. R. Jehuda, & R. Simeon dicunt; Quid? Num propter luctum combustum fuit *sacrificium*? Nonne propter immunditiem combustum fuit? Etenim, si ob luctum fuisset combustum; hæc tria omnia erant comburenda. Aliud argumentum; Nonne licebat vesperi comedere? Aliud argumentum. Nonne Pinheas erat cum his? Ideo dicit אלה. Nonne ego in his respicere debebam, qui imprudentes fecerunt, & excisi fuerunt? Cur dicit כאלה? Dixit, non solum si hos sepelissem, verum etiam si hos (nempe duos reliquos filios) cum illis sepelissem; non tantopere Sanctuarii Sanctitates contemsissem. *Pesiktha ibid. Hircum qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses*; ad docendum, quod tres hirci fuerant, i. e. hircus Nachson, & hircus pro peccato diei octavi, & hircus novilunii. *Exustum reperit*. Unus exustus est, non vero tres. דרוש דרש; Duo fuerunt postulata, quæ postulavit. Dixit illis. Cur hic non combustus fuit? & cur illi non sunt comesti? Quinam ex his combustus fuit? hircus novilunii; sicuti dictum est; *& data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis*; atque ita dictum est Num. XXVIII. 15. *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis. Iratusque contra Eleazar, & Ithamar*; ad docendum; quod etiam Aaron cum iis in indignatione comprehenderetur; *qui remanserant*, ad excludendum Pinheas; *ait*; Respondete meis verbis. *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto?* Dixit illis; Numquid egressa est extra vela? Verum erat in loco Sancto; quæ *Sancta Sanctorum* est; ut discamus, quod omnia Sancta, si foris educta fuerint, sint illegitima. *Et data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis*; ad docendum, quod Sacerdotes comedant, & Israel expietur; dictum enim est; *& rogetis pro ea in conspectu Domini. Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra Sancta*; ad docendum, quod omne sacrificium pro peccato, cujus sanguis intro infertur, sit illegitimum ad comedendum; *de sanguine illius*; donec inferatur totus sanguis; פנימה; hoc est adytum; Et unde probatur ad includendum templum? ex eo quod dictum est אל הקדש. *Et comedere debueritis in Sanctuario*. Omne quod intus polluitur, intus comburitur, quod foris, foris comburitur. וידבר Aaron Mosi. Significat דבור ubique phrasin duram & asperam; sicuti dictum est Num. XXI. 5. וידבר *populus contra Deum, & Moysen. Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino*; Possem credere non fuisse interdictum in luctu nisi pro filiis tantum, unde probatur ad comprehendendum omnes, qui commemorantur in Parascha Sacerdotum, hisque esse addendos, fratrem, & sororem uterinos, & sororem nuptam? Dictum est enim כאלה. Sacerdoti vetitum canticum est in luctu, non autem in luctu Levitis prohibitus est cantus. Dixit illi Aaron. *Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino*, ותקראנה אותי כאלה. Etiamsi sepelissem hos cum illis, non tantopere sanctitates Dei contemsissem.

[11] Sacra contrectare &c. *Misna Sevachim* XII. 1. Lugens tangit, sed non offert, nec capit partem ad comedendum in vespera.

[12] Lugentis &c. *Maimonides Ebel* I. 1. Est præceptum affirmativum lugendum esse pro suis consanguineis; sicuti dictum est *Levit. X.* 19. *Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino* &c. Neque luctus a lege jubetur, nisi die primo mortis, & sepulturæ; at in reliquis septem diebus non est præceptum legis;

legis; quamvis dictum ſit in lege *Geneſ.* L. 10. *ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt ſeptem dies*. Decreta deinde fuit lex, & innovati fuerunt ritus; & Moſes magiſter noſter præcepit Iſraeli ſeptem dies luctus, & ſeptem dies convivii. *Idem ad c.* II. *Sevachim*. Cæterum אונן vocatur is, qui aliquem conſanguineum ex præcepto luget, quod ex lege divina fiat ipſo die, atque tali lugenti interdictum eſt comedere ſancta, ſicuti ſcriptum eſt *Levit. X. 19. Bartenora ibid.* אונן, cujus propinquus mortuus eſt, quem lugere tenetur, atque is per totum iſtum diem, quo propinquus mortuus eſt, vocatur אונן *lugens*. *Idem ad* V. 11. *Cod. de decimis ſecundis*. Toto die mortis lugens dicitur de lege, & poſt ſepulturam etiam & nocte poſt diem mortis, dicitur lugens ſecundum Sapientes. Sic etiam die ſepulturæ, qui non fuit dies mortis, dicitur lugens juxta Sapientes.

13 Sapientum &c. *Peſiktha ad Levit.* X. 19. ואכלתי חטאת היום. Hodie mihi prohibetur, at nocte permittitur; atque ita dixit Rabi; Lugenti non prohibetur comedere de ſanctis niſi ex verbis Sapientum.

14 Quo die oſſa &c. *Maimonides Ebel* XII. 8. Qui colligit oſſa patris & matris, lugens erit toto die, & veſpera deſinit luctus.

15 De die &c. *Siphra ibid.* ואכלתי חטאת היום. Hodie mihi erat vetitum, & noctu licitum erat; at generationibus interdictum erit diu, noctuque; verba R. Jehudæ. Rabbi dicit; non vetitum eſt lugenti noctu comedere ſacra, niſi ex decreto ſapientum.

16 Unus agnus &c. *Siphri ad num.* IX. 6. *Ecce autem quidam immundi ſuper animæ hominis*. Quinam erant iſti? Erant qui ferebant feretrum Joſephi; verba R. Iſmael. R. Akiba dicit; erant Miſael & Elzaphan qui ſe polluerant pro Nadab & Abihu. R. Johak dicit; pro illis non erat opus; qui ſi ferebant feretrum Joſephi, potuerant ſe mundare. Ex quonam erant immundi? Se polluerant pro mortuo præcepti, ſicuti dictum eſt; *Qui non poterant facere Phaſe in die illo*. Non poterant facere in die illo, ſed facere potuiſſent inſequenti die; deprehenditur, quod hinc doceamur, eorum ſeptimum diem incidiſſe in vigiliam Paſcharis. *Siphra ibid.* Hinc tibi conſtabit, quod dixerunt, quod lugens poteſt lavare, & veſpera comedere Sacrificium Paſchale. *Peſiktha ibid.* Hinc tibi conſtat, quod dixerunt. Lugens ſe lavat & veſpera comedit ſuum Sacrificium Paſchale. *Maimonides de Sacrificio Paſchali* VI. 9. Qui lugebat ſuorum aliquem mortuum, is idoneus erat, qui veſperi victima Paſchali veſceretur. Luctus enim propagatur in noctem ille quidem, verum decreto noſtrorum duntaxat magiſtrorum, qui noluerunt ſuum hac de re decretum anteponi numinis edicto, cujus pœna erat exitium. Ergo victima Paſchalis mactabatur nomine lugentis; is deinde corpus abluebat, tum hoc Sacrificio Paſchali ſuo veſcebatur; namque abluendo corpore ſolvebat luctum, ut illo ne mens averteretur a re divina. Sic erat enim, ſi cuipiam aliquis e ſuis mortuus eſſet ad vigiliam Paſchæ poſt meridiem, illi victima Paſchalis non tunc temporis mactanda, ſed Paſcha ſecundum exſpectandum eſſet; quanquam & hujus nomine ſi tunc mactata victima Paſchalis, & ejus ſanguis inſperſus altari fuiſſet, is quoque corpus ablueret, & victima Paſchali veſperi veſceretur. Jam ſi quem e ſuis decima & tertia die menſis Niſan emortuum poſtridie ſepeliſſet aliquis, is ſcilicet Sapientum edicto lugens erat & ſepulturæ die, ſed diei non includebatur nox inſequens ne ſapientum edicto quidem; mactabatur igitur ejus nomine victima Paſchalis, inde corpus abluebat, ac veſperi veſcebatur non hac modo victima, ſed ceteris quoque ſacris. Jam & illa dies, ad quam de cujuſdam morte nuntius affertur, & ea, quam ad alicujus emortui leguntur oſſa, ſunt inſtar ejus diei, qua mortuus humatur; quare ſi cui decima & quarta die menſis Niſan de ſui cujuſdam morte nuncius afferretur, vel ſi ſui cujuſquam emortui oſſa leguntur, nihilo ſecius ei mactabatur victima Paſchalis, & abluto rite corpore, noctu quibuſvis ſacris veſci liceret.

17 Mittebat nullum &c. *Toſaphta Sevachim* XI. 1. Lugenti a primo die non licet afferre ſacrificia per ſeptiduum, ſive ſint voluntaria, ſive non ſint voluntaria, nec vinum, nec ligna, nec thus.



פרק שלישי

א. מצות עשה לשלח כל הטמאים מן המקדש שנאמר וישלחו מן המחנ׳ כל צרוע וכל זב וכל טמא לנפש

ב. זה המחנה האמו׳ כאן הוא מחנה שכינה שהוא מפתח עזרת ישראל ולפנים שומע אני שהמצורע והזב וטמא מת שלשתן המקום אחד ת״ל במצורע בדד ישב מחוץ למחנה מושבו זה מחנה ישר׳ שהוא מפתח ירושלם ולפנים מה מצורע שטומאתו חמורה חמו׳ שלוחו משלוח חבירו אף כל

CAPUT TERTIUM.

I. OMnino hoc jubente Lege ſancitum erat, ut templo homines inquinati [1] arcerentur omnes, quippe quia ſcriptum legimus: *Ut ejiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutuſque eſt ſuper mortuo.* [*Num.* 5. 2.]

II. [2] Caſtra enim, quæ hoc loco commemorantur * caſtra ſunt Dei: hoc vero illud erat ſpatium, quod intra limen atrii Iſraelitarum continebatur. Atque hinc ego & illud audirem [3] ternos illos homines, leproſum, ſeminis fluxione laborantem, & funere pollutum uno & eodem loco ducendos eſſe: verum id nos Lex dedocet, in qua de leproſo homine præceptum eſt: *Solus habitabit extra caſtra*, [*Lev.* 13. *v.* 46.] illa videlicet caſtra Iſraelitarum: nimirum hoc illud erat ſpatium, quod [4] Hieroſolymæ mœnia complexu ſuo coercebat ac conti-

II. *Caſtra ſunt Dei*. Dictum eſt Tr. 1. c. 7. a. xi. Judæos in deſerto peregrinantes habuiſſe caſtra terna, Iſraelitarum, Levitarum, & Dei: tum poſtea urbem Hieroſolymam ita fuiſſe diviſam ac deſcriptam, ut ejus ſpatium illud, quod ab porta urbis ad montem ædis intercedebat, reſponderet caſtris Iſraelitarum, quod ab porta montis ædis intercedebat ad portam atrii, caſtris reſponderet Levitarum; & quidquid erat ſpatii citra portam atrii, Dei caſtra repræſentaret; Id eſſe verum vel ex Apoſtolo cognoſcere licet, qui Epiſt. ad Hebræos c. 13. 11. 12. ita loquitur: *Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & JESUS ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum exſtra caſtra.*

שטומאתו חמור' חמור שלוחו משלו' חבירו לפי' משלחין את המצורע חוץ לשלש מחנות שהוא חוץ לירוש' מפני שהוא מטמ' בביאה מה שאין הזב מטמא'

ג. ומשלחין זבין וזבות נדות ויולדות חוץ לשני מחנות שהוא חוץ להר הבית מפני שהן מטמאין המשכב והמושב אפילו מתחת האבן מה שאין המת מטמא

ד. טמא מת אפי' המת עצמו מותר להכנס להר הבית שנאמר ויקח משה את עצמות יוסף עמו עמו במחנה הלויה

ה. החיל משלחין ממנו גוים וטמא מת ובועלי נידות אבל טבול יום נכנס לשם שכבר טבל

ו. עזרת הנשים משלחין ממנה טבול יום אבל לא מחוסר כיפורים שמחוסר כיפורים העריב שמשו ואסו' טבול יום במחנה לוים מדברי סופרים

ז. מעזרת ישראל ולפנים אפילו מחוסר כיפורי' לא יכנס לשם שעדיין לא טהר טהרה גמורה שנאמר וכפר עליה הכהן וטהרה מכלל שעדיין לא גמרה טהרתה

ח. הטמא המשולח מהר הבי' אם נכנס עובר בלא תעשה שנאמ' ויצא מחוץ למחנה זה מחנה שכינ' ולא יבא אל תוך המחנה זה מחנה לויה וכן מצורע שנכנס לירושלם לוקה אבל אם נכנס לשאר הערים המוקפות חומה אעפ שאינו רשאי לפי שנאמ' בדד ישב אינו לוקה

nebant. Sicut igitur homo leprosus, quoniam lues ejus fœdior erat, amandabatur præter reliquos homines temeratos, item ut quisque inquinatior erat, ita longius emittebatur. Ac leprosus homo quidem [5] extra terna castra emittebatur, id est, extra Hierosolymam: is enim omnia vel [6] obeundo temerabat, non item qui seminis fluxione laborabat.

III. Jam viri fœminæque [7] seminis fluxionem patientes, item & mulieres menstruales, & puerperæ extra castra [8] emittebantur duo, id est, extra montem ædis. Nam isti temerabant omnia, [9] quibus incumbebant, quibusque insidebant, imo & ea [10] quæ lapidi subjacebant illi, in quo ipsi quiescebant, quæ eadem homo mortuus non temerabat.

IV. Itaque funere pollutus atque etiam mortuus ipse [11] ut intra montem ædis intromitteretur licebat, quoniam in Lege est: [12] *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: secum*, [*Exod.* 13. *v.* 19.] id est, in castra Levitarum.

V. Ab spatio intermurali excludebantur ethnici, funesti, & qui cum menstrualibus mulieribus consuescebant: intromittebatur autem homo * temeratus in diem, si quidem jam fuit ablutus.

VI. Ab atrio mulierum excludebatur [13] homo temeratus in diem, non item * qui piaculo tantum indigebat: nimirum qui piaculo tantum indigebat jam solis expectaverat obitum. Atque homo temeratus in diem ne intra castra Levitarum intromitteretur [14] institutis sapientum interdictum erat.

VII. Jam in atrium Israelitarum [15] ne hic quidem, qui piaculo tantum indigebat, introibat; quippe qui nondum etiam plane purificatus erat: quod enim in Lege scriptum videmus: [16] *Expiabitque eam sacerdos, & sic mundabitur*, [*Lev.* 12. 8.] ex eo satis intelligitur ante oblatum piaculum ejus purificationem non esse prorsus effectam.

VIII. Pollutus igitur homo is, qui monte ædis excludebatur, si venisset eo loci legem prohibentem violasset: quod enim dicitur: [17] *Egredietur extra castra*, *Deut.* 23. *v.* 10.] id castra significat Numinis: additur enim: *Neque ingredietur intra castra*, [*Ibid.*] id videlicet spectat ad castra Levitarum. Item homo leprosus si veniret in urbem Hierosolymam, verberibus multaretur. Idem si in alia oppida [18] muris cincta introisset, etsi non licebat: scriptum est enim: *Solus habitabit*, [*Lev.* 13. *v.* 46.] verberibus tamen non coercebatur.

ט. נכנס

V. *Temeratus in diem*. De hoc dictum Tract. 1. c. 3. a. 17. & ambiguum ejus nomen a nobis in apposita nota diligenter explicatum.

VI. *Qui piaculo tantum indigebat*. Vide de isto quæ dicta sunt Tract. 1. cap. 7. art. 18.

ט. נכנס המצורע להר הבית לוקה שמני׳ אבל טמא מת או טבול יום שנכנס לעזר׳ נשים או מחוסר כיפורים שנכנס לעזרת ישראל אעפ׳ שאינו לוקה מכין אותו מכת מרדות

י. וכשם ששלוח טמאי׳ מן המקדש בעשה כך אם נכנסו עוברים בלא תעשה שנאמר ולא יטמאו את מחניה׳ זו מחנה שכינה

יא. ומניין שאינו עובר אלא אם כן נכנס אבל אם נגע בעזר׳ מאחוריה פטור שנא׳ ביולדת ואל המקדש לא תבא

יב. טמא שנכנס למקדש במזיד ענוש כרת שנאמ׳ ואם לא יכבס ובשרו לא ירחץ ונשא עונו בשוגג מביא קרבן עולה ויורד שנא׳ או נפש אשר תגע בכל דבר טמא ואין חייבין כרת או קרבן אלא מעזרת ישר׳ ולפנים או על תוספת העזרה שנתקדשה קדשה גמורה כמו שבארנו

יג. ואי זהו הטמא שחייב כרת על המקדש כל שנטמא בטומאות מן המות שהנזי׳ מגלח עליהן שכבר נתפרש בנזירות או שיגע באדם או בכלים שנטמאו באותן הטומאות שהנזיר מגלח עליהן שהרי הוא

IX. Quod si leprosus [19] intra montem ædis esset ingressus, verberum ictibus cæderetur octoginta: funestus enim, vel homo temeratus in diem si venisset intra atrium mulierum, si piaculo indigens in atrium Israelitarum introisset, omnino pœna verberum non teneretur: verum de [20] rebellione verberaretur tamen.

X. Homines igitur polluti ut a templo arcerentur jubendo sancitum fuit: qui si in illud intrassent, legem prohibentem violarent, scriptum est enim: [21] *Ne contaminent castra*, [*Num.* 5. 3.] id enim spectat ad castra Numinis.

XI. Sed hoc unde habetur legem illam prohibentem ab homine polluto non violari nisi in templum introisset, non item si idem hoc a parte postica attigisset? Quia enim puerperæ ita præcipitur: [22] *Nec ingredietur in Sanctuarium*. [*Lev.* 12. 4.]

XII. Cum igitur in templum homo pollutus contumaciter introiret, pœna erat כרת *Keret*. Dictum est enim: [23] *Quod si non laverit vestimenta sua, vel corpus, portabit iniquitatem suam*. (*Lev.* 17. *v.* 16.) Sin autem in templum intrasset imprudens, * sacrificium offerret gradatum: dictum est enim: *Anima* [24] *quæ tetigerit aliquid immundum*, &c. (*Lev.* 5. 2.) Etenim pœna ista כרת *Keret*, aut sacrificium sequitur solam ingressionem intra atrium Israelitarum, aut intra id quod isti fuit additum atrio, quodque perfectam habet dedicationem, sic, ut ante posuimus.

XIII. Quis igitur e contaminatis pœnæ כרת *Keret* erat obnoxius, propterea quod in Sacrarium introisset? Nempe quicunque esset eo genere rerum funestarum inquinatus, propter quod genus * [26] Nazaræus se se tondere jussus erat: qua de re in disputatione de Nazaræatu explicatum est. Et qui hominem vasaque attigisset ea, quæ polluta fuissent eo genere rerum immundarum, quarum causa Nazaræus capillum

שני

XII. *Sacrificium offerret gradatum*. Sæpe eandem ob rem sacrum piaculare fiebat aliud ab aliis. Etenim Lev. 5. præcipitur, ut si quis commissum sibi cognitum non testaretur, si quis rebus immundis se se contaminasset, si quis jurejurando se obstrinxisset, is hostiam pro delicto immolaret agnam vel capram, si facultates ejus sinerent: sin minus, duos turtures vel duos pullos columbæ: sin autem nec hoc quidem per facultates liceret, offerret pro peccato similæ partem *Ephi* decimam. Item Lev. 12. jubetur puerpera expletis purificationis diebus offerre agnum in holocaustum, & in hostiam pro peccato pullum columbæ, vel turturem siquidem res patitur: sin minus eadem jubetur tantum offerre par turturum, vel pullorum columbæ. Quod sacrificii genus, quoniam ex censu offerentis tum augebatur, tum minuebatur, passim vocatur קרבן עולה ויורד quod ad verbum est *sacrificium ascendens & descendens*, & recte, opinor, Latine *sacrificium gradatum* dixerim. Huic sacrificio sacrificium opponitur illud, de quo diximus Tract. proxime superiore cap. 1. art. 4. quod quia mutabatur nunquam, sed item a paupere, ut ab homine divite fiebat, חטאת קבועה nominatur, hoc est, *statum pro peccato sacrificium*.

XIII. *Nazaræus se se tondere jussus erat*. Voto Nazareatus obstrictis præcipitur Num. 6. ut per totum illud temporis spatium, in quod votum susceperant, nihil e vite ortum nec comederent, nec potarent, ut comam intonsam servarent, ut veluti Domino sacrati nulli prorsus funeri ne parentum quidem operam darent: Et si Nazaræorum aliquis funere se se polluisset, ut inquinamentum illud præscripto dierum numero tolleretur, sacrum piaculare fieret, tum Nazaræus ille die purificationis suæ caput tonderet, atque voti obligationem de integro solveret. Hoc postremum continetur versibus 9. 10. & 11. laudati capitis; sed a Vulgato Interprete est tam confuse redditum, quam quod maxime. Ex his igitur patet Nazaræos, quamquam erant itidem, ut ceteri cunctis immunditiarum generibus obnoxii, tamen solum ob tactum cadaveris humani jussos esse tondere comam, atque ab integro votum exequi. Hæc sane ad hujus loci intelligentiam sufficiunt: namque in notam adducere quæcunque hac de re disputantur a Scriptore nostro tractatu de Nazaræatu nimis longum foret.

שני לראשו' שנגע במת או שנטמא בשאר
אבורת הטומאורת של תורה שיתפרשו
במקומן

יד. כללו של דבר כל הטעון ביאת מים
מן התורה חייב כרת על ביארת המקדש
ואפילו אחר שטבל עד שיעריב שמשו אבל
המתטמא בטומאו' מן המורת שאין הנזיר
מגלח עליהם אעפ״ שהוא טמא טומאורת
שבעה הרי זה פטור על ביארת המקדש

יה. וכן הנוגע בכלי' שנגעו באדם שנגע
במת או שנגע באדם שנגע בכלים הנוגעים
במת אעפ״ שהו' טמא ראשון לענין תרומה
ולטמ' בשר קדשים הרי זה פטור על ביא'
המקדש שדברים אלו הלכה מפי הקבלה
ואעפ״ שהוא פטור מכין אותו מכת מרדות

יו. המכניס שרץ וכיוצא בו במקד' או
שהכניס אדם טמא למקדש הרי זה חייב
כררת שהרי טמא מקדש ה' אבל הזורק
כלים טמאי' למקר' אפילו היו כלים שנגעו
במת פטור מן הכררת אבל חייב מלקורת
שנאמר ואם לא יכבס וגו'

יז. מפי השמועה למדו על רחיצת גופו
ענוש כרת ועל כיבוס בגדיו לוק' ארבעים
יראה לי שאינו לוקה אלא על בגדים
שהן אב טומאה כגון בגדי' שנגע בהן
זה הטמא למרת שהן אב טומאה כמו
שיתבאר אבל בגד שהו' ראשון אם הכניסו
למקר' אינו לוקה עליו אבל מכין אותו
מכרת מרדורת

יח. וכן טמא שהכניס ידו למקד' מכין
אותו מכרת מרדורת וכן כל טמא באב
מאבורת הטומאורת של דבריהם או שאכל
אוכלין טמאים ושתה משקין טמאי' ונכנס
למקדש במזיד קוד' שיטבול מכין אותו
מרדורת

secare jubetur. Nam id quidem secundum est ab primo illo, quod contagione funeris contaminatum fuit. Similiter si quis pollueretur reliquis illis inquinamentis [27] primariis a Lege nuncupatis, quæ suo loco exponentur.

XIV. [28] Ad summam quisquis ex Lege mergendus in aquam erat, is si in Sacrarium venisset pœna כרת *Keret* tenebatur etiam post lavationem interea, dum sol occideret: verum enim qui fuisset inquinatus eo genere rerum funestarum, propter quod [29] Nazaræus tondendus non erat, licet in totam pollueretur hebdomadam, si in Sacrarium venisset, impune foret.

XV. Et qui vasa tetigisset ea, quæ attigissent hominem, qui contagione cadaveris contaminatus fuerat, itemque qui contigisset hominem, qui vasa attigisset, quæ contagione cadaveris contaminata fuerant, cum ad oblationem & ad sacrificia polluenda immundus haberetur primarius, tamen in Sacrarium si venisset, pœna teneretur nulla, quæ quidem statuta per manus itâ sunt tradita: cum vero pœna non teneretur, tamen de rebellione verberibus multaretur.

XVI. Si quis in templum intromisisset aut animantem serpentem, aut hujus simile quid, aut hominem inquinatum, pœna ejus erat כרת *Keret*, quippe qui templum Domini contaminasset. Si quis autem in templum vasa temerata projiceret; immo vero contagione contaminata cadaveris, is omnino pœna כרת *Keret* non plecteretur: verum enim verberibus coercetur, quia scriptum legimus: *Quod si non laverit vestimenta*, &c. (*Lev.*17.*v.*16.)

XVII. Atque hoc auditione acceperunt futurum esse, ut qui [30] lustrationem corporis omisisset, pœna כרת *Keret* afficeretur: & qui omisisset lavationem vestium, eum fuisse verberum ictibus cædendum undequadraginta. Ego vero sic existimo hominem verberibus condemnari de vestibus illotis, iis videlicet, quæ forent inquinamenti quoddam quasi caput: sic enim habebantur quæcunque vestimenta tetigisset is, qui contagione cadaveris contaminatus esset, quemadmodum alio loco disputabitur: verum enim pannum illum inquinatum, qui primus dicitur, si quis in templum intulisset, verberibus non damnari, quanquam & is de rebellione verberabatur.

XVIII. Et quivis homo temeratus si manum in templum porrigeret, de rebellione verberaretur, atque etiam omnes temerati aliquo capite inquinamentorum etiam horum, quæ sapientum constituit auctoritas: item qui cibis & potionibus immundis usi templum contumaciter ingrederentur ante, quam abluerentur, de rebellione verberarentur.

יט. טמא שנכנס למקדש דרך גגות פטור שנאמ' ואל המקדש לא תבא דרך ביאה חייבה תורה ואף על פי שהוא פטור מכרת מכין אותו מכת מרדות בין שנכנס למקד' דרך גגות בין שנכנס בו דרך פתחים

XIX. Homo temeratus ſi per tectum in templum penetraſſet, omnino pœna ſolveretur. Nam quod a Lege dicitur: *Nec ingredietur in Sanctuarium*, (*Lev.* 12. 4.) id indicat de ſolita demum ingreſſione temeratum hominem pœna teneri. Cum vero pœnæ כרת *Keret* non eſſet obnoxius, de rebellione tamen verberaretur, ſive in templum pervaſiſſet per turrim in aera evolantem, ſive per tegulas, ſive etiam per oſtium.

כ. כל מקום שחייבי' על זדונו כרת ועל שגגתו קרבן אם נמצאת שם טומא' בשב' מוציאין אות' ושאר המקומות כופין עליו כלי עד אחר שבת וכשהן מוציאין אין מוציאין אותה אלא בפשוטי כלי עץ שאין מקב' טומא' שלא לרבו' את הטומאה

XX. [31] Ad quem templi locum ſi quis inquinatus ſciens veniſſet, pœna foret כרת *Keret*, & ſi veniſſet imprudens, ſacrificium, in eo ſi quid immundum reperiretur ad diem ſabbatinum, confeſtim tollebatur. Nam ceteris in locis ſi quæ res immunda deprehenderetur, vaſe operiebatur ad exactum ſabbatum. Tum vero nullo alio tollebatur inſtrumento, quam ligneo, & eodem recto, quod contagione non contaminatur: id adeo, ne multiplicaretur inquinamentum.

כא. אחד טמא שנכנס למקדש טהור או טהור שנכנס למקדש שיש בו טומאה כגון שהיה מת תחת אהל במקד' ונכנס הוא תחת האהל הרי זה חייב כרת שהרי ביאתו וטומאה באין כאחת נכנס למקדש ונטמא שם אחר שנכנס אפילו טמא עצמו שם במזיד ימהר ויבהל ויצא בדרך קצרה

XXI. Idem erat hominem immundum in Sacrarium mundum introiſſe, atque mundum hominem ingreſſum eſſe Sanctuarium, in quo res immunda ineſset: ut ſi corpus exanimum in Sacrario ſitum eſset * ſub tentorio, tum aliquis ſub tentorium veniſset, hic pœna כרת *Keret* teneretur ideo, quia ſimul atque ingrederetur, pollueretur. Si quis autem poſtea, quam in templum veniſset, contaminaretur: immo etiamſi ſemetipſe ſciens in eo inquinaſset, is tantummodo feſtinanter erumperet via quam poſset breviſſima.

כב. ואסור לו לשהות או להשתחוות או לצאת בדרך ארוכה ואם שהה או שיצא בארוכה אף על פי שלא שהה או שהחזיר פניו להיכל והשתחוה אף על פי שלא שהה חייב כרת ואם היה שוגג מביא קרבן

XXII. Huic enim interdictum erat, ne diutius in eo [32] commoraretur, neve Deum adoraret, & ex templo denique ne via longa diſcederet. Qui ſi quid immoraretur; rurſuſque nihil omnino immoraretur; ſed aut via longa diſcederet, aut converſo ad adytum vultu Deum adoraſset, erat ejus pœna כרת *Keret*. Quod ſi feciſset imprudens, ſacrificium offerret.

כג. לא החזיר פניו אלא השתחוה דרך יציאתו כלפי חוץ אינו חייב אלא אם כן שהה כשיעור וכמה שיעור שהייתו כדי לקרות ויכרעו אפים ארצה על הרצפה וישתחוו והודו לה' כי טוב כי לעולם חסדו וזה שיעור השתחויה

XXIII. Si vultum ad penetrale non converteret, ſed in egreſsu ipſo partem ad exteriorem verſus Deum adoraſset, impune ferret, niſi forte in adoratione legitimi temporis ſpatium poſuiſset. Hoc vero eſt quo legere poſſis: *Et corruentes proni in terram ſuper pavimentum adoraverunt & laudaverunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* (2. *Paral.* 7. 3.) Hoc enim eſt legitimum adorationis ſpatium.

כד. ואי זו היא דרך ארוכה כל שאיפשר לו לצאת מן המקדש בדרך קצרה ממנה לא יצא בקצרה אף על פי שרץ ודחק

XXIV. Jam via longa dicebatur, ſi modo breviori potuiſses ex templo excedere. Si quis igitur via brevi diſcedens non modo non cucurriſset, ſed tota die pedeten-

עצמו

XXI. *Sub tentorio*, &c. Vide noſtram hac de re notam illam, quam Tractatu primo poſuimus ad articulum 14. capitis 7.

עצמו בכל כחו ונמצא שיעור זמן שהלך בו הארוכה פחות משיעור הזמן שמהלך כל אדם בקצרה הואיל ויצא בארוכה חייב יצא בקצר' והלך מעט ועמד ושהה מעט עד שנצטרף מכל' השהיו' כדי השתחויה במזיד אינו לוקה בשוגג אינו מביא קרבן מפני שהרב' ספק אבל' מכין אותו מכת מרדות:

tim progrederetur, impune fuisset: contra si quis via longa discedens percurrisset pro viribus atque properasset adeo, ut etiam breviore tempore via longa excessisset, quam via brevi solebant ceteri, tamen nihilominus pœna teneretur ideo, quia via longa excessisset. Quod si quis cum egrederetur via brevi prudens sciens postea quam parum ambulasset, consisteret: rursusque parum ambularet & consisteret sic, ut ex cunctis moris conficeretur id spatium, quod ad Deum adorandum satis esset, non ideo verberibus damnaretur: sin imprudens, non offerret sacrificium: verumtamen de rebellione verberaretur.

NOTÆ IN CAPUT TERTIUM.

[1] Arcerentur &c. *Siphri ad num. V. 5. Ut ejiciant de castris*; de castris Divinitatis; ego credere poteram de castris Levitarum; ideo dictum est; *ejicite de castris*; si non dixisset, mihi erat argumentum; si ejiciebantur immundi de castris Arcæ, quod est leve multo magis de castris Divinitatis, quod est grave; verum si ita dixissem, ex argumento multassem, ideo dictum est; *ut ejiciant de castris*; ut docearis; quod ex argumento non irrogatur pœna. Rabbi dicit; non opus est hoc argumento a minori ad majus; si ejiciuntur immundi de castris Arcæ quod est leve, multo magis de castris Divinitatis, quod est grave. *Et paucis interjectis. Ut ejiciant de castris* cur dictum est? Ego non probo nisi pro his; reliqui immundi unde probantur? R. Josia dicit; dixisti? argumento, a minori ad majus. Si ejiciebantur seminiflui, & leprosi immundi de castris Arcæ, quod est leve, multo magis de castris Divinitatis quod est grave. Si ita diceres ex argumento multasses; ideo dictum est, *ut ejiciant de castris*, ad te docendum, quod non irrogetur multa ex argumento. De quolibet homine scriptura loquitur, aut non loquitur nisi de Levitis Arcam portantibus; ideo dictum est; *tam masculum quam fœminam ejicite*; de quolibet homine Scriptura loquitur; tam majorennes, quam minorennes includuntur; an dicam, quod tam majorennes, quam minorennes comprehendantur, an sit intelligendum juxta rationem pœnæ. Quid invenimus in immundo Sanctuarii? Quod non puniantur nisi majorennes; sicuti dictum est num. XIX. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ*; Etiam hoc loco non agitur nisi de majorennibus, ideo dictum est, *tam masculum quam fœminam ejicite*, *tam* majorennes quam minorennes comprehenduntur. R. Jonathan dicit; *tam masculum quam fœminam ejicite*; cur dictum est? quia dictum est; *ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit*; ego non probo nisi pro his, pro reliquis immundis unde probatur? Dixisti? argumento a minori ad majus; si ejiciuntur immundi de castris Arcæ, quod est leve, multo magis de castris Divinitatis, quod est grave; si igitur ita dicis, multares ex argumento. Ideo dictum est; *tam masculum quam fœminam ejicite*; ut doceare, quod non irrogatur pœna ex argumento. *Tam masculum quam fœminam ejicite*; ego non probo nisi pro masculo, & fœmina; pro obstructis & androgynis unde probatur? Ex eo quod dicit *ejicite de castris*; ego non probo, nisi, pro iis, qui possunt ejici, de iis vero, qui ejici non possunt, unde probatur. Ex eo quod dictum est; תשלחום *de castris*. Ego non probo nisi pro hominibus, pro vasis unde probatur? Ex eo quod dicit; *de castris* תשלחום. R. Akiba dicit; *tam masculum quam fœminam ejicite*; tam homines quam vasa comprehenduntur. R. Ismael dicit; tu argumentaris. Homo polluitur plagis, & vestes polluuntur plagis; quemadmodum homo erat ejiciendus, etiam vestes erant ejiciendæ; minime; quod si dixisti de homine, qui polluit cubile & sedile, ideoque erat ejiciendus, dicesne idem de vestibus, quæ non polluunt stratum & sedile? Et ideo non erat necesse eas ejicere. Ecce lapis lepra affectus probabit, qui non polluebat cubile & sedile, & tamen erat ejiciendus. Noli mirari igitur de vestibus, quæ quamvis non polluerent stratum & sedile, tamen erant ejiciendæ. R. Jose Galilæus dicit; *tam masculum quam fœminam ejicite*; quemadmodum masculus & fœmina sunt distincti, & fieri possunt immundities principalis, ideo erant ejiciendi; ita etiam *quæcunque res*, quæ fieri posset immundities principalis, eadem lege tenebatur. *Pesiktha ibidem. Ut ejiciant de castris*; de castris Divinitatis; ad docendum, quod non irrogatur pœna ex argumento; quod si ejiciuntur immundi de castris Arcæ, quod est leve, multo magis, de castris Divinitatis; *Tam masculum quam fœminam ejicite*; tam majorennes, quam minorennes comprehenduntur. Verum scriptura non punit, nisi prius præmonuerit; dictum enim est num. XIX. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius*; de omni loco præcipitur, ut ejiciantur. Cur dictum est *tam masculum quam fœminam* תשלחו? ad comprehendendum secunda castra; אל מחוץ למחנה תשלחום; ad comprehendendum tertia castra; ad docendum, quod non multa irrogatur ex argumento. Si enim ex castris Arcæ ejiciuntur, multo magis ex castris Divinitatis; idcirco necesse erat commemorare trina castra; *ejicite de castris*; ad comprehendendum obstructos, & androgynos. Alia Glossa; *tam masculum quam fœminam ejicite*; quemadmodum masculus & fœmina, qui sunt distincti, & fieri possunt immundities principalis, ejiciendi sunt, etiam reliqua omnia, quæ fieri possunt immundities principalis.

[2] Castra enim &c. *Raschi ad num.* V. 2. Tria castra illic erant (*sc. in deserto*) cum castrametabantur. Spatium intra cortinas (*nempe Tabernaculi*) erant castra divinæ Majestatis; castrametatio Levitarum circumquaque, uti est expositum in sectione; *In deserto Sinai*, ea erant castra Levitarum; & inde usque ad finem castrorum vexillorum ad omnes quatuor plagas, erant castra Israelis.

[3] Ternos illos &c. *Siphri ibid.* Si ita est, cur dictum est *ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo?* Venit Scriptura ad assignanda illis sepimenta; *ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo*. Ego crederem, quod hi tres *homines* in eundem locum ejicerentur; ideo dictum est de Leproso Levit. XIII. 45. *Solus habitabit extra castra*. Leprosus erat in genere, & de genere eductus est, & de genere docet. Leprosi est gravior immundities, ejus ablegatio gravior est ablegatione sui socii; ita etiam cujus est gravior immundities, ejus ablegatio est gravior ablegatione sui socii; hinc Sapientes sepimenta enumerarunt. Quod seminifluus polluit, leprosus polluit; gravior est leprosus, quia polluit ingressu. Quod mortuo immundus polluit, seminifluus polluit; gravior est seminifluus, quia sub lapide pavimentali polluit. Quod de die lotus polluit, immundus mortuo polluit; gravior est immundus mortuo, quia hominem polluit. Quod reddit

reddit illegitimum is qui eget expiatione, reddit etiam illegitimum de die lotus, gravior est de die lotus quia therumam reprobat. *Pesiktha ibid. Omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo;* non emittentur in locum unum; de leproso dictum est *Levit.* XIII. 45. *Solus habitabit extra castra*. Quod seminifluus polluit, leprosus polluit; gravior est leprosus, quia ingressu polluit; quod mortuo immundus polluit; seminifluus polluit; gravior est seminifluus, quod sub lapide pavimentali polluit; quod de die lotus polluit, mortuo immundus polluit; gravior est mortuo immundus, quia hominem polluit; gravior est de die lotus, quam is, qui eget expiatione, quia de die lotus therumam reprobat. *Maimonides ad* I. 8. *Codicis Celim*. Jam exponendus erit locus in quo dicitur *num. V.* 2. *Ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo*. Hinc putare non nemo potuisset, quasi isti tres sc. leprosus, seminifluus, & pollutus anima in unum locum ablegandi forent, nisi lex de leprosis dixisset; solus habitabit extra castra. Et sicuti de leproso invenimus quod ipsius immundities gravior est immunditie seminiflui, quia is polluit introitu, sicuti superius jam exposuimus, propterea leproso destinatus est locus, & is longius ablegandus est; & hoc est quod autor Misnicus dicit; *inde audio quod omnes tres ad unum locum colligantur;* nempe quod leprosus habitet solus; *solus habitabit extra castra*, sed requirebatur ut leprosus sub generali regula includeretur, jam vero eximitur; hinc vult docere, sicut leprosi immundities gravior est, ita & missionem illius longinquiorem esse, quam reliquorum immundorum, quia emissio semper sequitur immunditiei gradum, idcirco leprosus extra tria castra ablegandus est, & extra Hierosolymam ire. *Vide hic Bartenoram*.

4 Hierosolyme &c. *Bammidbar Rabba sect.* 7. *fol.* 224. *col.* 3. *num.* V. 3. *Et non contaminabunt castra sua*. Castra majestatis divinæ, castra Levitarum, & castra Israelis. *Atque ita etiam Hierosolymis*. Nempe ab ostio Hierosolymorum usque ad ostium montis domus fuisse castra Israelis, ab ostio montis domus usque ad portam Nicanoris fuisse castra Levitarum; a portis denique Nicanoris & interius fuisse castra divinæ Majestatis. *Ibid.* col. 2. Ab ostio montis domus usque ad atrium fuisse castra Levitarum, & ab ostio atrii & interius castra Majestatis divinæ.

5 Extra terna castra &c. *Siphra ad Levit.* XIII. 46. *Solus habitabit*. Non probo nisi pro hoc uno tantum, unde probatur ad comprehendendum reliquos plaga affectos? Ex eo quod dicit; *immundus habitabit extra castra*. An dicam; quemadmodum hic est distinctus, cui sit plaga in capite, ita comprehendam tantum porrigines, quod plaga sit in capite; & unde probatur pro reliquis plaga affectis? Ex eo quod dicit; *immundus, solus habitabit;* Crederem, quod cum eo alii duo immundi habitare possent; ideo dicit; *solus habitabit*; non autem cum eo duo alii immundi. Extra castra; extra trina castra. *Pesiktha ibid. Solus habitabit;* solitarius habitabit. *Solus habitabit*; neque duo alii immundi cum eo habitabunt, *extra castra ejus habitatio*, (ita Hebræus) extra trina castra.

6 Obeundo &c. *Siphri ibidem*. Quod seminifluus polluit, leprosus polluit; gravior est leprosus, quia ingressu polluit. *Pesiktha ibid.* Quod seminifluus polluit, leprosus polluit, gravior est leprosus, quia ingressu polluit. *Misna Celim* I. 5. Leprosus superior est seminiflua, quia is polluit ingressu.

7 Seminis &c. *Misna Celim* I. 8. Mons templi sanctior est isto, quia in ipsum non adscendunt seminiflui, seminifluæ, menstruæ, nec puerperæ. *Ubi Maimonides*. Seminifluus autem, seminiflua, puerpera, & menstrua extra duo castra exeant e monte templi. *Et Bartenora*. Seminiflui autem, seminifluæ, menstruæ & puerperæ, e monte templi emittebantur, ubi erant castra Levitarum, sed Jerosolymæ commorari poterant. *Glossa ad Pesachim* 67. I. Cancelli profluviosorum sunt mons domus, vel atrium gentium, nam prohibetur iis intrare in castra Levitarum. Immundi enim non excluduntur, nisi ex atrio, exceptis solum profluvioso, & gonorrhæo, qui excluduntur etiam ex monte domus, & leproso, qui excluditur ex castris Israelis id est ex urbe.

8 Mittebantur duo &c. *Raschi ad nu.* V. 3. Leprosus emittebatur extra omnia *castra*, seminifluo licebat habitare in castris Israelis, & extra duo *castra* emittebatur.

9 Quibus incumbebant &c. *Siphra ad Levit.* XV. 4. *Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit*. Crederem, si vel jaceret super operculo putei, aut super valva; ideo dicit, *stratum*, non autem operculum putei, & valvam. Excludam hæc, & non excludam stoream e calamis, aut salicibus confectam; ideo dicit *stratum*, peculiare. Non probabo igitur nisi pro lecto, pulvillis, unde probatur pro sago, velo, interula, & pallio, & corbe quatuor caborum, & pera quinque caborum, & sacco coriaceo sati, & utre septem caborum? Ex eo quod dicit, *stratum*. Possem etiam includere mactram, & tabulam pistorum, & labrum magnum, in quo jacent mulieres menstruatæ: ideo dicit: *in quo dormierit*, *nempe* ea, quæ ad cubitum destinata sint, non vero ea, de quibus dicitur; sta, ut faciamus opus nostrum; an dicam excludendum esse sagum, velum, pallium, corbem quatuor caborum, & peram quinque caborum, saccum coriaceum sati, & utrem septem caborum? ideo dicit *stratum*. Quid vidisti, ut hæc includeres, & illa excluderes? Postquam includit textus, excludit; includo hæc quæ ad cubitum apta sunt, quum illorum sit usus, & opus, & excludo illa, quæ ad cubitum non sunt idonea quum illorum sit usus & opus. *In quo dormierit*, *immundum erit*. Crederem etiamsi sederet super lapide, aut super tigno; ideo dicit כלי, non vero lapidem, aut tignum; excludam hæc, & non excludam sedem ex limo, & terra, & lapidibus confectam; ideo dicit כלי, vas peculiare. Non probo nisi pro sede, sella, & cathedra, peculiari; unde probatur pro arca balneatorum, & pro capsa, quæ in latere aperta sit, & labro duorum logorum usque ad novem cabos, quod fissum esset, in quo non possit pes lavari? Ex eo quod dicit, כל כלי, includit. Qui vidisti ut hæc includeres, & illa excluderes? Postquam textus inclusit, excludit. Includo hæc, quæ sessioni destinata sunt, quum illorum sit usus & opus; & excludo illa, quæ ad sedendum non sunt apta, quum illorum sit usus & opus. Non probo nisi quo tempore cubat super strato, & sedet super sedili; unde probatur, si super sedili cubaret, aut super strato sederet, aut stans, aut his innixus? ex eo quod dicit, יטמא יטמא, includit. *Siphra ad Levit.* XV. 21. *Et in quo dormierit, vel sederit diebus separationis suæ, polluetur*; Crederem quod polluerit stratum, quod non esset aptum ad cubandum, & sedile, quod sessioni non esset destinatum; ideo dicit; *qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua. Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua*. Quemadmodum hic non polluit nisi stratum idoneum ad cubandum, & sedile aptum ad sedendum, etiam eo loco non polluit nisi stratum idoneum ad cubandum, & sedile aptum ad sedendum. Crederem, quod in polluendis *aliis*, non pollueret nisi stratum destinatum ad cubandum, & sedile aptum ad sedendum; at in contrahenda pollutione (*i. e. cum polluitur stratum & sedile*) pollueret omne *stratum & sedile;* quia multa sunt, quæ polluuntur, neque *alia* polluunt; ideo dicit עליו עליו. dictum est עליו, quum polluitur, & dictum est עליו, quum polluit; Quemadmodum עליו dictum in eo, quod polluit, non polluit nisi stratum destinatum ad cubandum, & sedile aptum ad sedendum, ita etiam עליו dictum in eo, quod polluitur, non immundat nisi stratum aptum ad cubandum, & sedile sessioni destinatum. *Siphra* XV. 26. Non probo, nisi pro ea, quæ ter videat, quod polluat stratum & sedile; unde probatur quæ bis videat, quod immundet stratum & sedile? ex eo quod dictum est ימי זובה כמשכב נידתה. Unde probatur, quod illa, quæ uno tantum die videat, quod polluat stratum, & cubile? ex eo quod dictum est; כל ימי זובה כמשכב נדתה. *Pesiktha ibid. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicunque sederit*; Crederem, quod pollueret stratum, quod non esset aptum ad cubandum, & sedile, quod non esset idoneum ad sedendum; ideo dictum est. *Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua*; Et pariter dictum est; *Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua*. Quemadmodum in duobus scripturæ locis, quæ infra commemorantur, non polluitur stratum, nisi quod sit aptum ad cubandum, &

sedile idoneum ad sedendum, etiam eo loci non polluitur nisi stratum aptum ad cubandum, & sedile idoneum ad sedendum. *Misna Celim* I. 5. Si denuo cum menstrua rem habuerit, stratum inferius polluit, ut superius. Si is denuo seminifluus factus sit, qui fluxum suum bis viderit, cubili & sedili polluit.

[10] Quæ lapidi &c. *Siphri* v. 5. Quod mortuo immundus polluit, seminifluus polluit; gravior est seminifluus, quia sub lapide pavimentali polluit. *Pesiktha ibid.* Quod mortuo immundus polluit, seminifluus polluit; gravior est seminifluus, quia sub lapide pavimentali polluit.

[11] Ut intra montem &c. *Pesachin fol.* 67. 1. Num profluviosi, & immundi per mortuum emittentur in locum unum? Textus dicit; *Ne contaminent castra Num.* V. 3. Ad assignandum castrum unum his, & alterum illis. *Misna Celim* I. 8. Antemurale sanctius est isto, quia nec gentilis, nec mortuo pollutus in ipsum intrat. *Ubi Maimonides*. Sed qui mortuo pollutus est, is extra castra divinæ majestatis ablegandus est, nempe intra montem Templi, quia immundities mortui non polluit lapide pavimentali, quod tamen seminifluus, seminiflua, menstrua, & puerpera faciunt, sicuti in *Tosaphta* expositum est; & non tantum is, qui mortuo pollutus est, sed & ipse mortuus, ex eo enim, quod Moses secum sumsit ossa Josephi in castris Levitarum, similitudine quadam colligitur, quod is, qui mortuo pollutus est, intrare possit antemurale atrii mulierum, quia omnia se habent secundum castra Israelitarum, sicuti præfati sumus. *Et Bartenora*. Qui vero mortuo pollutus est, imo ipse mortuus, in monte templi commorari poterat, sed a porta Nicanoris removebatur, & a loco interiori, ubi castra divinæ majestatis erant. *Raschi ibid.* Immundus anima poterat etiam habitare in *castris* Levitarum, neque emittebatur nisi ex castris Divinitatis.

[12] *Tulit quoque* &c. *Mechiltha ad h. l. Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum*; ad demonstrandum sapientiam & pietatem Mosis. Omnes enim Israelitæ in præda occupati erant, & Moses intentus erat in præcepto ossium Josephi. Et unde Moses novit, ubi esset sepulcrum Josephi? Dixerunt; Serach filia Aser, quæ ex illa generatione superfuerat ostendit Mosi sepulcrum Josephi, dixitque; in hoc loco fecerunt illi Ægyptii urnam æneam, & in Nilum immerserunt; acceptum lapillum illuc projecit, & exclamans dixit; Joseph, Joseph, advenit tempus juramenti, quo Deus juravit Abraham patri nostro liberaturum filios suos; da gloriam Domino Deo Israelis, ne moreris liberationem tuam, quia nos tui causa moramur; sin minus, nos tuo juramento soluti erimus. Confestim supernatavit arca Josephi, & tulit Moses. *Et nonnullis interjectis*. Joseph dignus fuit qui sepeliret patrem suum, qui erat præstantior fratribus suis; dictum est enim *Gen.* L. 7. *Adscendit itaque Joseph ad sepeliendum patrem suum* (sic Hebræus.) Et pariter scriptum est. *Quo adscendente ----- Habuit quoque in comitatu currus & equites*. Quis nobis est major Josepho? in quo solus Moses occupatus fuit, qui curavit ossa Josephi, quia in Israele nemo Mose erat præstantior; dictum est enim; *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum*. Quis nobis Mose major est? in quo Divinitas occupata fuit; dictum est enim *Deut.* xxxiv. 6. *Et sepelivit eum in valle*. Cum Jacobo adscenderunt servi Pharaonis, & senes ejus domus; cum Josepho Arca & Divinitas & Sacerdotes & Levitæ, & omnes Israelitæ, & septem nubes gloriæ. Et Arca Josephi incedebat cum Arca vitæ æternæ; Et si ultro citroque commeantes quærerent, quid significarent istæ duæ Arcæ; respondebant; Hæc est Arca mortui, & illa est Arca vitæ æternæ; & dicebant; qui positus est in Arca ista observavit quod est positum in illa Arca &c. *Gemara ad cap.* I. *Sota*. Commentatio. Quis Josepho illustrior, circa cujus cadaver nemo se occupavit præter Mosen? Tradiderunt Magistri: Veni & vide quantopere Moses magister noster præcepta adamarit. Omnes enim Israelitæ prædæ erant intenti, is autem præceptis vacabat. Q. S. E. *Prov.* X. 8. *Sapiens corde præcepta suscipit stultus cæditur labiis*. Unde vero noverat Moses præceptor noster, ubi Josephus erat sepultus? Fertur Serach filia Aser superfuisse adhuc ex illo ævo, eam igitur Moses accessit, & percontatus est. Nunquid tibi exploratum ubi Josephus sit conditus? Respondet illa; Sarcophagum ipsi fusilem pararunt Ægyptii, eumque flumini Nilo immerserunt, ut prosperarentur aquæ illius. Tum Moses abiens constitit juxta ripam Nili, inclamavitque; Josephe, Josephe; Adest tempus in quo liberaturum sese juravit Deus B. Israelitas. Prope est similiter (*tempus implendi*) juramentum, cujus religione Judæos obstrinxisti. Si ipse te conspiciendum præbes, bene est, sin minus, ecce soluti sumus jurejurando. Confestim supernatavit Sarcophagus Josephi. Nec est quod mireris, quomodo ferrum supernatarit. Ecce enim S. E. 2. *Reg.* VI. 5. *Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam; Exclamavit ille, & ait; Heu, heu, heu, domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam &c. & misit illuc, natavitque ferrum*. Annon hic a minori ad majus, ad majorem verisimilitudinem bene concludere licebit? Quod si enim Elisæi discipuli Eliæ (cum ipse Elias discipulus Mosis fuerit) in gratiam ferrum supernatavit; quanto magis id propter ipsum Mosen magistrum nostrum factum, credibile est? R. Nathan perhibet *Josephum* in Regum mausoleo fuisse conditum. Abiens igitur Moses constitit juxta Mausoleum Regum; & Josephe, inquit, adest tempus in quo juravit Deus B. liberandum Israelem, nec minus *tempus* adest *implendi* jurisjurandi quo Israelem obstrinxisti; Si ipsum te ostendis, bene est, sin minus, immunes sumus a jurata fide, quam dedimus. Eodem momento motitavit se sarcophagus Josephi, quem Moses acceptum secum avexit, universisque illis annis, quibus Israelitæ in deserto fuere, Arca Josephi & Arca Divina junctim incedebant. Atque sicubi ultro citroque commeantes quærerent, ad quid conducerent duæ istæ Arcæ? Tulere responsum. Altera demortui, altera Divinæ est Majestatis. Rogantibus porro, an fas sit, ut mortuus cum Divina Majestate junctim incedat? Responsum est. Iste implevit, quod in ista exaratum &c.

[13] Homo temeratus &c. *Misna Celim ibid.* Atrium mulierum sanctius est isto, quia ipsum non intrat is, qui de die lotus est, nec ob illius transgressionem quisquam sacrificio expiatorio tenetur. *Maimonides in h. l.* In *Tosaphta* jam expositum est, quod antemurale & atrium mulierum in Sanctuario excellentiorem habeant gradum; immundi vero qui in ipsum intrarint, liberi sunt a culpa, neque is, qui de die lotus, etsi non habuerit occasum solis, exeat ex antemurali, sicuti is, qui mortuo pollutus est, exire debet, quia is qui die lotus est, & occasum solis non habuit, jam in tribus rebus purificatus est. Sapientes vero dicunt, qui die lotus est, etsi occasum solis non habuerit, non est immundus, & ipse prohiberi debet ab atrio mulierum, at non is qui expiatione destitutus, quia is qui de die lotus est, & occasum solis non habuerit, comedere non possit de oblatione prima, qui vero destituitur expiatione, is comedet, uti præfati sumus. Et hæc omnia ita se habent ob fundamentum supra memoratum, nempe cujus immundities gravior est, illius etiam dimissio longinquior est. *Maimonides de Sacrificio Paschali* VI. 5. At enim homo temeratus in diem ne veniret in atrium mulierum sancitum erat, sapientum edicto scilicet, ut *tractatu de ratione adeundi templi* demonstravimus. Cum igitur dies ille præstitutus esset Sacrificio Paschali faciendo, jussum hoc, cujus erat pœna excidium, vetitum illud sapientum elevabat.

[14] Institutis sapientum &c. *Maimonides de Templo* VII. 17. Et hoc intermurali spatio sanctius est atrium mulierum. In id nec de die lavandus ingrediatur; id vero ex sapientum institutis interdictum est. Etenim homini de die lavando ut ingrediatur in castra Levitarum, e lege quidem licet. Atqui funestus in atrium ingressus non est adstrictus statæ hostiæ pro peccato. *Bartenora ad Celim* I. 8. Josaphath & illius judicii Domus decreverunt de eo, qui die lotus est, ne intraret in atrium mulierum, sicuti scriptum est, 2. Paral. XX. 5. *Et constitit Josaphat in cætu Jehudæ coram atrio novo*. Sed in *Gemara* quæritur, quod per atrium novum intelligatur id in quo aliquid innovatum fuit, respectu illius, qui die lotus est; quod is non intrabit castra Levitarum, non quod nequaquam introibit castra Levitarum, nisi respectu

atrii

atrii mulierum duntaxat. Et hoc de eo, qui die lotus est, decreverunt, & non de eo, qui expiatione careat, quia is, qui de die lotus est, prohibitus sit de oblatione prima comedere, de qua comedere potest is, qui expiatione caret; cujus vero immundities gravior est, illius quoque longinquior est dimissio.

15 Nec hic quidem &c. *Misna Celim ibid.* Atrium Israelitarum sanctius est isto, quia ipsum non intrat is qui expiatione destituitur, sed ob illius transgressionem est obligatio ad Sacrificium expiatorium. *Maimonides ibid.* Atrio mulierum sanctius est atrium Israelitarum, in quod non ingrediatur is, qui piaculi indiget, funestus autem si sit ingressus, pœna erat כרת.

16 *Expiabitque* &c. *Raschi ad Levit.* XII. 7. *Et mundabitur*. Regula generalis est quod hactenus vocetur immunda. *Aben Ezra ad Levit.* 12. 4. *Nec ingredietur in Sanctuarium*. Neque in atrium tentorii conventus, neque in atrium in domo Sanctuarii. *Idem ibid.* v. 8. *Orabitque pro ea Sacerdos*; hoc docet, si eam non expiaverit Sacerdos, non mundabitur.

17 *Egredietur* &c. *Siphri ad Deut. XXIII.* 10. *Egredietur extra castra*; hoc est præceptum affirmativum; *Et non revertetur in castra*; hoc est præceptum negativum. R. Simeon Thimni dicit; *egredietur extra castra*; hæc sunt castra Levitarum; *& non revertetur in castra*; hæc sunt castra Divinitatis. *Pesiktha ibid. Egredietur extra castra; & non revertetur in castra*; hoc est præceptum affirmativum, & negativum; R. Ismael dicit; *egredietur extra castra*; hæc sunt castra Levitarum; *& non revertetur in castra*; hæc sunt castra Divinitatis.

18 Muris cincta &c. *Misna Celim* I. 7. Urbes muro cinctæ sunt sanctiores ipsa *terra Israelis* quia ex ipsis demittunt leprosos. *Ubi Maimonides*. De Leproso dixit Deus; Levit. XII. 46. *Solus habitabit extra castra*; idcirco ex omni urbe exeat leprosus. *Et Bartenora. Urbes muro cinctæ* inde a tempore Josuæ filii Nun; nam de leproso scriptum *est Levit.* XIII. 46. *Solus habitabit extra castra*; extra castra Israelis. Postquam vero Josue subegisset terram sanctam, civitates quæ sui temporis muris cinctæ erant, inter castra Israelis recensebantur, ad leprosos illinc dimittendos.

19 Intra montem &c. *Maimonides ad c.* I. 8. *Celim. Sed in Tosaphta* dicitur; si leprosi intraverint muros urbis, quadraginta luant plagis; seminiflui, seminifluæ, puerperæ, & menstruæ, si intraverint montem templi luant octoginta. Dixerunt autem per murum intelligi muros Jerusalem; quicunque hic sit murus civitatis in terra Israelis, etsi ex ipsa eduxerimus leprosum, tamen non luet quadraginta plagas, si intraverit. Mihi vero hujusce Baraitæ sensus esse videtur, quod leprosus, qui intraverit montem templi, & seminifluus qui antemurale intraverit, luant octoginta, & hoc est quod docuimus ex fundamentis. *Licebat tamen Leproso ingredi in Synagogam. Misna Negaim* XIII. 12. Si Leprosus intraverit Synagogam, tum ei interstitium faciunt decem palmos altum, & quatuor cubitos latum, at is primus ingrediatur, & ultimus egrediatur.

20 De rebellione &c. *A R. Nathan in Aruch in voce* מרד *rebellionis verbera ita describuntur*. Verberatio juxta legem & eorum, qui transgressi sunt negativa præcepta, quæ fit juxta certum modum, & admonitionis causa, flagello constante triplici loro; sed qui affirmativa præcepta transgressus est, eum verberant usque ad mortem, non flagello triplici loro constante. Similiter quicunque peccaverat in verba Sapientum, eum verberant absque numero & modo, & vocant hoc מכות מרדות, *rebellionis verbera*, quia rebellis fuit contra verba legis, & contra verba Scribarum.

21 *Ne contaminent* &c. *Siphri ad num.* V. 3. *Ejicite de castris*; cur dictum est? quia dicit Scriptura; *ut ejiciant de castris*. Ego putabam, quod non possent tangere neque in Arca, neque in principibus, sed possent ibi seorsim locum comparare; ideo dictum est; *ejicite de castris, ne contaminent ea*; hinc dixerunt; tria erant castra; castra Israelis, & castra Levitarum, & castra Divinitatis; A porta Hierosolymæ usque ad montem domus erant castra Israelis, a porta montis domus usque ad atrium erant castra Levitarum, a porta atrii & interius erant castra Divinatis. *Pesiktha ibid. Ne contaminent castra* אני שוכן בתוכם hinc dixerunt; tria erant castra; castra Israelis, castra Levitarum, & castra Divinitatis; a porta Hierosolymæ usque ad montem domus, erant castra Israelis, a porta montis domus usque ad portam atrii & interius erant castra Divinitatis.

22 Nec ingredietur &c. *Siphra ad Levit.* XII. 4. *Omne sanctum non tanget*; crederem etiam decimam; ideo dicit; *nec ingredietur in Sanctuarium*; quemadmodum in Sanctuario est pœna mortis ita in reliquis omnibus Sanctitatibus, ubi sit pœna mortis; excluditur decima, ubi non est pœna mortis; aut dicam; quemadmodum, qui ingreditur in Sanctuarium immundus, reus est excisionis, ita etiam, qui sanctitatem edit immundus, reus est excisionis; excluditur theruma pro Sacerdote; ideo dicit; *omne Sanctum* ad includendas ipsas primitias; aut dicam; quemadmodum in sanctitate intelligitur simplex tactus ita etiam in Sanctuario simplex tactus intelligatur; unde probatur, vel si non tangat? Ex eo quod dicitur; *nec ingredietur in Sanctuarium*. *Pesiktha ibid. Omne Sanctum non tanget*; crederem vel decimam; ideo dictum est; *nec ingredietur in Sanctuarium*; quemadmodum Sanctuarium ubi est pœna mortis; ita etiam Sanctum, in quo sit pœna mortis; excluditur decima, in qua non est pœna mortis.

23 *Quod si non laverit* &c. *Siphra ad l. c. Quod si non laverit ---- portabit iniquitatem suam*; crederem, quod pro abluendis vestibus reus esset excisionis; ideo dicit, ובשרו לא ירחץ, *portabit iniquitatem suam*; quomodo igitur? pro abluendo corpore reus erat excisionis, & pro abluendis vestibus quadraginta plagis vapulabat. Unde probatur, quod non loquatur nisi de pollutione Sanctuarii, & rerum Sanctarum? præmonet, & mulctat propter immunditiem, & obligat ad Sacrificium propter immunditiem; quemadmodum Sacrificium, ad quod alibi obligat propter immunditiem, *affertur* propter pollutionem Sanctuarii, & rerum Sanctarum, etiam hic præmonitio & pœna commemoratur pro immunditie Sanctuarii & rerum Sanctarum. Alii dicunt; *portabit iniquitatem suam*; & *portabit iniquitatem suam*; a pari; quemadmodum delicti portatio eo loci dicta est pœna excidii, etiam hic pœna excidii. *Pesiktha ibid. Quod si non laverit vestimenta sua & corpus, portabit iniquitatem suam*. Hic textus loquitur de eo, qui ingreditur in Sanctuarium, aut comedit Sancta in immunditie; dicta est pœna, & præmonitio, & obligatur ad Sacrificium propter immunditiem; quemadmodum, eo loci obligatur ad Sacrificium propter pollutionem Sanctuarii, & rerum Sanctarum, etiam hic multatur & præmonetur propter immunditiem Sanctuarii, & rerum Sanctarum.

24 *Quæ tetigerit* &c. *Siphra ad h. l. Anima quæ tetigerit aliquid immundum*. Primi seniores dicebant; crederem, si tangeret homo id, quod tetigit immunditiem, quod teneretur; ideo dicit; *sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile*; quemadmodum hæc peculiaria sunt, quæ sunt patres immunditiei; excluditur illa res, quæ non est pater immunditiei. R. Akiba dicit; crederem; vel si tangeret cibos, aut liquores, aut vasa fictilia, quod teneretur; ideo dicit בהמה, quemadmodum animal est peculiare, quod est pater immunditiei, excluduntur, hæc quæ non sunt patres immunditiei. Aut dicam, quod res quæ deducitur ex una parte, deducenda sit ex omnibus partibus, quæ sunt in ea; *& dicam*; sicuti animal immundum est peculiare, quod distinguitur tactu & onere, & fit pater immunditiei, ad polluendum hominem, & vestes, ita etiam comprehendam illa, quæ sunt ei similia. Quænam ego comprehendam? parvam quantitatem aquæ expiatoriæ, & Ephippium, quæ distinguuntur tactu, & onere, & fiunt pater immunditiei, ad polluendum hominem, & vestes; quando dicitur בכל טמא, ad includendam majorem partem aquæ expiatoriæ; & stratum, quorum tactus est par oneri, & fiunt pater immunditiei ad polluendum hominem & vestes; & quando dicitur, בכל טמא ad comprehendendum eum, qui comburit vaccam rufam, & juvencos, & illum, qui emittit hircum, quod polluant onere; & quando dicitur; בכל דבר טמא, ad comprehendendum ramos, & opercula, & contignationes; verba R. Jehudæ. בנבלת; quid dici necesse erat טמאה? quia ego dicere poteram, non probo nisi pro

pro toto, pro quantitate olivæ unde probatur? Ex eo quod dicit בנבלת בהמה . טמאה. Quid dici necesse erat טמאה? Quia ego dicere poteram, non probo nisi pro ipso cadavere; pro ossibus, cornibus, pro pilis ipsi annexis unde probatur? Ex eo quod dicit טמאה. *Aut quodlibet aliud reptile*. Cur dictum est טמא? quia dicere paternam; non probo nisi pro ejus carne. Ejus sanguis, combinatio, & commixtio unde probatur? Ex eo quod dicit, ונעלם. טמא ממנו; & occulta ei fuerit immundities; aut dicam; & occultum ei fuerit Sanctuarium; ideo dicit, ונעלם ממנו והוא טמא propter ignorantiam immunditiei tenetur, neque tenetur propter ignorantiam Sanctuarii; verba R. Akibæ. R. Eleasar dicit; השרץ ונעלם ממנו: propter ignorantiam reptilis tenetur; non autem obligatur propter ignorantiam Sanctuarii. Et si tetigerit quicquam de immunditie hominis; אדם, hic est mortuo pollutus; טומאתו; ad comprehendendum seminifluos & seminifluas, menstruatas, & puerperas; non probo nisi pro diebus immunditiei gravis, pro diebus immunditiei levis unde probatur? ideo dicit; אשר יטמא לכל טומאתו; ad comprehendum illum, qui concumbit cum muliere menstruata; בה ad comprehendendum illum, qui deglutir cadaver avis mundæ. Commemoratæ sunt immundities leves, cur commemorantur graves? Si tantum leves & non graves commemoratæ essent; ego dicerem; pro levibus affertur Sacrificium adscendens & descendens; pro gravibus vero esset Sacrificium fixum; commemorandæ igitur erant graves; & si dictæ essent graves, & non leves, dixissem pro gravibus, tenetur, pro levibus liber est; ideo commemorat leves, & referendæ etiam erant graves. Et unde probatur, quod non loquatur nisi de immunditie Sanctuarii & rerum Sanctarum? præmonet & multat propter immunditiem, & obligat ad Sacrificium propter immunditiem; sicuti præmonitio, & pœna eo loco commemoratæ propter immunditiem, sunt propter immunditiem Sanctuarii & rerum Sanctarum, etiam Sacrificium ad quod hic obligat propter immunditiem, est propter immunditiem Sanctuarii & rerum Sanctarum. Et unde probatur, quod non tenetur, nisi fuerit notitia in principio, & notitia in fine, & inscitia in medio? Ex eo quod dicit; ונעלם ממנו ונעלם ממנו, bis; verba R. Akibæ. Rabbi dicit ונעלם ממנו; notum igitur erat; והוא ידע; ecce duæ notitiæ; *Pesiktha ibid. Anima quæ tetigerit aliquid immundum*. Primi seniores dicebant; possum etiam putare, quod si homo tangat id, quod tetigerit immunditiem, teneatur; ideo dictum est בנבלת חיה טמאה; sicuti hæc sunt peculiaria, quæ sunt patres pollutionis, excluditur illa res, quæ non sit pater pollutionis; R. Akiba dicit; crederem, si vel tangat cibos, & liquores, & vasa fictilia, quod teneatur; ideo dicit בבהמה; sicuti animal est peculiare, quod est pater immunditiei; excluduntur hæc, quæ non sunt pater immunditiei. Et quando dicit; בכל דבר טמא ad comprehendendum comburentem vaccam rufam, & juvencos, & emittentem hircum, quod polluant onere. בכל דבר טמא, ad comprehendendum ramos, & opercula, & tignum &c. בנבלת חיה טמאה, vel in quantitate olivæ. בנבלת בהמה טמאה, ad excludenda cornua, & pila, בנבלת שרץ טמא, ad comprehendendum ejus combinationem, & commixtionem; ונעלם ממנו; & ipsi ignota fuerit immundities, non vero ignotum fuerit Sanctuarium &c. uti explicatur in Misna *Jurejurandi*. *Et si tetigerit quidpiam de immunditia hominis*; hic est mortuus; טומאת אדם, hic est immundus mortuo; לכל טומאתו, ad comprehendendum seminifluos, seminifluas, menstruatas, & puerperas; אשר יטמא בה, ad comprehendendum, qui congreditur cum menstruata; בה ad comprehendendum illum, qui deglutit cadaver avis mundæ, quod polluat vestes in oesophogo. Et nude probatur, quod non loquatur nisi de immunditie Sanctuarii, & rerum Sanctarum? Ex eo quod scriptum est כי את מקדש יי טמא. Et pariter scriptum est *Levit.* VII. *Anima quæ comederit de carne Sacrificii pacificorum* (sit Hebræus) etiam tenetur Sacrificio, qui hic commemoratur, ob pollutionem Sanctuarii, & rerum Sanctarum. ונעלם ממנו. Rabbi dicit ממנו; notum igitur illi erat; והוא ידע; ecce duæ notitiæ. Non est reus, donec ei fuerit notitia in principio, & notitia in fine, & inscitia in medio. *Tosaphta de jurejurando cap.* I. Ne sit notitia in principio; sive fuerit notitia in principio, sive non fuerit notitia in fine, hirci festorum, & hirci noviluniorum expiabant; verba R. Mehir. R. Jehuda, & R. Simeon dissentiunt in hircis. Cui non fuerit notitia neque in principio neque in fine, & purum, qui immundum comedisset, hircis festorum expiabant; verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, hirci festorum expiabant, non autem hirci noviluniorum; & consentit R. Simeon, quod hircus, qui non esset oblatus in festo, offerendus esset in novilunio, si non esset oblatus in novilunio, esset offerendus in die expiationum, si non offerretur in die expiationum offerendus esset in primo festo, quia ab initio ea lege a cœtu sanctificati sunt, ut super Altare exterius offerrentur. R. Simeon dicit. Duo & triginta hirci singulis annis pro cœtu offerebantur, unus & triginta foris, i. e. in Altari exteriori, & comedebantur, & unus intus, & non edebatur, & hircus, qui emittebatur in desertum; duodecim in duodecim noviluniis, septem in Paschate, & octo in festo Tabernaculorum, duo in die expiationum, unus in principio novi anni, & duo in festo hebdomadarum; alter pro duobus panibus, & alter causa diei; at si primus expiaverat, secundus quid expiabat? immunditiem, quæ inter utrumque contigisset; & dicunt, quod Israelitæ singulis diebus duos hircos afferre deberent, at Deus rationem habuit facultatum Israelitarum. R. Simeon dicebat. Gravior est immundities Sanctuarii, & rerum Sanctarum, quam omnia peccata in lege descripta, quod omnia peccata in lege descripta uno tantum hirco expiabantur, & immundities Sanctuarii & rerum Sanctarum duobus & triginta hircis expiabantur. Omnia peccata in lege descripta semel in anno expiabantur; at immundities Sanctuarii & rerum Sanctarum singulis mensibus expiabantur; sicuti scriptum est *Ezech.* V. 11. *Idcirco vivo ego dicit Dominus Deus; nisi pro eo, quod sanctum meum violasti* &c. Videlicet graves sunt abominationes, & iniquitates, quas fecisti at immundities Sanctuarii & rerum Sanctarum reliquis omnibus est gravior. *Et mox*. Omnes, qui ex lege polluuntur, sive immunditia levi, sive gravi polluantur, rei sunt, si immundarint Sanctuarium, & ejus sanctitates, sicuti scriptum est בכל דבר טמא, ad includendum omnes illos, qui ex lege immundi sunt. *Et paucis interjectis*. או נפש ad comprehendendas omnes animas, animam quoque Principis, & *Sacerdotis* uncti. R. Jeremia dicit; Quid docetur in eodem subjecto? nempe dictum est *Levit.* V. 7. *Sin autem non potuerit offerre pecus &c.* & pariter dictum est *ibid.* II. *Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures &c.* Textus agit de illo, qui in pauperiem cadit; excluditur Princeps, & unctus, qui pauperes esse non possunt, quia eorum sanctitas est æterna. בכל טמא, quid dici necesse erat בכל דבר? R. Akiba dicit ad comprehendendam plagam, in quam non cadebat immundities nisi per verbum; Quia R. Akiba non argumentabatur per generale, & particulare, sed argumentabatur per inclusiones, & exclusiones; ita enim docebat R. Menachem Vir *dic etiam hoc*. R. Nathan dicit ad includendum vasa, in quæ immundities non descendebat nisi cogitatione. R. Simeon dicit, non argumentabatur per inclusiones & exclusiones sed a generali, particulari, & generali; או נפש אשר תגע בכל דבר טמא; ecce generale; או כי יגע בטומאת, בנבלת חיה טמאה, & particulare; אדם, est generale, generale particulare, & generale, non deducis nisi juxta particulare; quando vero dicis; juxta omnem impuritatem, qua pollui solet, redit ad generale; si de primo generali dixisti, non est nisi generale, particulare, & generale, non deducendum tibi est nisi juxta particulare; ad dicendum, quod sicuti particulare est explicitum de immunditie explicita in lege, excluditur grex camelorum, & grex ovium, & habitacula ferarum, & avium, qui cubarent immundi, qui in lege non explicantur. R. Nathan dicit, de immunditie corporum, non vero de immunditie Sanctitatum; excluditur qui comburit vaccam rufam, & juvencos, & qui deducebat hircum emissarium, quæ sunt immundities Sanctitatum. Non probo nisi pro animali, fera, & avibus mundis, pro animali, fera, & avibus immundis unde probatur? ex eo quod dicit בנבלת שרץ טמא; Dixit R. Josia; Num est in reptili immundum & mundum? Verum sicuti non distinxisti inter reptile immundum & mundum, ita etiam in animali & fera non distinguen-

ſtinguenda ſunt immunda & munda. Ego non probo niſi pro totis; in quantitate olivæ undeſprobatur? ex eo quod dicit בנבלת חיה טמאה; quid dici neceſſe erat טמאה? ad includendam quantitatem olivæ. *Vide c. 1. Schebuoth.*

[25] Ingreſſionem &c. *Miſna Schebuoth* II. Si quis pollutus fuerit, & noverit, ſed mox oblitus fuerit immunditiei, memor tamen eſſe rem ſanctam, aut oblitus fuerit eſſe rem ſanctam, memor tamen immunditiei, aut latuerit ipſum utrumque, & intrarit ſanctuarium, nec ſciverit, poſtquam vero egreſſus, cognoverit; ecce obligatur ad ſacrificium adſcendens, & deſcendens. Idem eſt, ſive quis intrat in atrium ipſum, ſive intrat in appendicem atrii.

[26] Nazaræus ſeſe tondere &c. *Miſna Nazir* VII. 2. Super his immunditiebus Naziræus tondetur; ſuper mortuo, ſuper tanto de mortuo, quantum eſt oliva, & ſuper tanto carnis cadaveris avulſæ, quantum eſt oliva; & ſuper plenitudine cochlearis de pulvere corporis putrefacti; ſuper ſpina dorſi, ſuper calvaria, ſuper membro de mortuo, ſuper membro de vivo, ſuper quo eſt caro ſicut conveniens; & ſuper dimidio cabo oſſium, & ſuper dimidio logo ſanguinis, ſuper tactu eorum, & ſuper onere eorum, ſuper tentorio eorum, ſuper oſſe, quod eſt ſicut granum hordei magnum, quod ad tactum ejus, atque onus ejus. Super iſtis Naziræus tondetur, & aſpergit ſe tertia, & ſeptima die, & deſtruit antecedentia, nec incipit numerare, niſi ex quo mundatus eſt, & adfert ſacrificia ſua. *Et mox.* Dixit R. Elieſer nomine R. Jehoſua, ſuper qualibet immunditie a mortuo, ob quam Naziræus tondetur, rei fiunt, ſi ingrediuntur Sanctuarium. *Item* ſuper quavis immunditie a mortuo, ob quam Naziræus non tondetur, ſuper ea, inquam, etiam non fiunt rei, etiamſi ingrediantur in Sanctuarium; licet (ſed male) R. Meyr dixerit non erit levior, quam ea quæ eſt a reptili. Dixit R. Akiba, judicavi coram Elieſere; quid? Nonne ſi os, quod eſt ſicut granum hordei, non immundet hominem in tentorio, & tamen Naziræus tondetur ob ejus tactum ejuſque lationem; nonne quod ad quartale ſanguinis, immundans hominem in tentorio, magis æquum eſt ut Naziræus tondeatur ob tactum ejus, ejuſque lationem? Reſpondit ipſi; quod hoc mi Akiba? Non concludimus hic a minori ad majus. Poſtquam ego veni & expoſui hæc verba coram R. Jehoſua, dixit mihi, optime locutus es; Sed ſic tradiderunt deciſionem. *Toſaphta Nazir* V. 3. 4. R. Elieſer dicit ab initio, Seniores diſſentiebant, alii dicebant quartale ſanguinis, & quartale oſſium, & alii dicebant, dimidium Cabi oſſium, & dimidium logi ſanguinis; Synhedrium, quod eos ſecutum eſt, dixit, quartale logi ſanguinis, & quartale Cabi oſſium pro theruma, & ſanctitatibus, dimidium cabi oſſium, & dimidium logi ſanguinis pro Naziræo, & Sanctuario. Dixit R. Elieſer Gardaskin profectus ſum, inveni R. Meyr, & R. Jehuda filium Betheræ ſuper hac lege diſputantes. R. Jehuda filius Betheræ dicit pro quartali logi ſanguinis Naziræus non tondetur, nec tenetur pœna pro immunditie Sanctuarii, & ejus ſanctitatum. Ei reſpondit R. Meyr; hoc non debet eſſe levius reptili; ſicuti pro reptili levi tenetur pœna pro ingreſſu Sanctuarii, pro quartali ſanguinis, quod eſt grave, non erit æquum, quod teneatur pœna pro ingreſſu Sanctuarii? tacuit. R. Jehuda filius Betheræ ei dixit; O Meyr ne contemnas peritum; ſentiſne cum Jehoſva filio Mamal? mihi reſpondit; maxime; erat enim vir inſigni eruditione præditus. Et ego illi dixi; hac eadem phraſi; ei dixit nomine R. Jehoſua; pro qualibet immunditie, pro qua tondetur Naziræus, tenetur pœna pro ingreſſu in Sanctuarium, & pro quacunque immunditie mortui, pro qua Naziræus non tondetur, non tenetur pœna pro ingreſſu Sanctuarii; & ego ejus verba probo. *Maimonides de ſacrificio Paſchali* VI. 2. Ita res erat, ſi quis humani cadaveris inquinamento contaminaretur eo, propter quod Naziræus comam tondebat, ſi quis autem pollueretur ceteris inquinamentorum e cadavere humano ortorum generibus, quorum cauſa Naziræo coma tondenda non erat, huic ad ſeptimum purificationis ſuæ diem abluto, & aqua luſtrali rite conſperſo victima Paſchalis mactaretur, & hac eadem poſt ſolis occaſum veſceretur.

[27] Hominem vaſaque &c. *Siphri ad Num.* XIX. 22. *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet*; cur dictum eſt? quia dictum eſt בחלל חרב; venit textus & docet de gladio, quod ſit immundus immunditie ſeptidui, & qui illum tetigerit, ſit immunditie ſeptidui immundus; ecce quod docemur de vaſis & homine; de vaſis & homine, & de vaſis unde probatur? ex eo quod dicit; *& lavabitis veſtimenta veſtra.* Num. XXXI. 24. Hinc docemur vaſa, hominem, & vaſa, vaſa & vaſa unde probantur? Dixiſti? argumento a minori ad majus; Si vaſa, quæ tangunt hominem, qui tangit vaſa, quæ tetigerunt mortuum ſunt immunda; vaſa quæ tangunt vaſa, & vaſa tetigerint mortuum, erit æquum ut ſint immunda. Vaſa quæ tangunt hominem unde probantur? Dixiſti? argumento a minori ad majus. Si vaſa quæ tangunt vaſa, ſunt immunda, vaſa quæ tangunt hominem, qui tetigit mortuum, erit æquum ut ſint immunda. Aut dicam; homo, qui recipit immunditiem ex mortuo, ſocium ſeptidui immunditie polluet. Dixiſti? *Argumentari licet* a minori ad majus. Si vaſa quæ non polluuntur ſtrato & ſedili, recipiunt immunditiem ex mortuo ad immundandum hominem immunditie ſeptidui, homo qui polluit ſtratum & ſedile, non erit æquum, ut recipiat immunditiem ex mortuo ad polluendum ſocium ſeptidui immunditie; ideo dictum eſt; *Anima, qui horum quippiam tetigerit, immunda erit uſque ad veſperam*; immunditie uſque ad veſperam polluitur, non autem recipit immunditiem ex mortuo ad polluendum ſocium ſeptidui immunditie. Aut dicam, quod motu polluat. Dixiſti? Eſt argumentum a minori ad majus. Si cadaver quod eſt leve, motu polluit, mortuus qui eſt gravis, non erit æquum ut motu polluat? ideo dictum eſt; *quæ horum quippiam tetigerit*, tactu, non vero motu polluit. *Miſna Oholoth* I. Duo immundi ſunt mortuo; unus eſt immundus immunditie ſeptem dierum, & alter immundus eſt immunditie veſpertina. Tres ſunt immundi mortuo, duo ſunt immundi immunditie ſeptem dierum, unus vero immundus eſt immunditie veſpertina. Quatuor immundi ſunt mortuo, tres immundi ſunt immunditie ſeptem dierum, & unus immundus eſt immunditie veſpertina. Quomodo duo? Si quis tetigerit mortuum, immundus eſt immunditie ſeptem dierum, & qui hunc tetigerit, is immundus eſt immunditie veſpertina. Quomodo tres? Si vaſa tetigerint mortuum, & hæc vaſa tetigerint vaſa alia, tum illa ambo immunditie ſeptidui polluta ſunt; tertius vero gradus, ſive homo ſit, ſive vas, immundus eſt immunditie veſpertina. Quomodo quatuor? Si vaſa tetigerint mortuum, & homo vaſa, & vaſa hominem, tum illa immunditie ſeptidui polluta ſunt. Quartus ſive is ſit in homine, ſive in vaſe, pollutus eſt immunditie veſpertina. Dixit Rab. Akiba; eſt mihi quintus; veru infixum in tentorio, tentorium, veru, & homo qui veru tetigit, & vaſa quæ hominem tetigerunt, polluta ſunt immunditie ſeptidui; quintus vero ſive in homine ſive in vaſis, immundus eſt immunditie veſpertina. Dixerunt ei, tentorium non cenſetur. Homo & vaſa polluuntur mortuo, in homine gravior eſt immundities, quam in vaſis, & contra, quia vaſa fieri poſſunt tertius gradus immunditiei, homo vero ſecundus; & gravior eſt in homine, quando enim is in medio eſt, tum eſt quartus, ſi non ſit in medio, tum tertius eſt.

[27] Primariis &c. *Maimonides in præfat. in Taaroth.* Impuritates itaque in lege memoratæ ſunt undecim, cujuſmodi ſunt reptilium, cadaveris, mortui, emiſſionis ſeminis, aquæ expiatoriæ, ſacrificii pro peccato, ſeminiflui, ſeminifluæ, menſtruoſæ, puerperæ, & lepræ impuritates.

[28] Ad ſummam &c. *Siphri ad Num.* XIX. 13. ולית אחטא; Rabbi dicit; qui non fuerit ſanguinibus expiatus; aut ego dicam fortaſſe, quod ſignificet, quod non ſit aquis adſperſus; quando vero dicit, מי נדה לא זורק עליו, ecce aquæ jam dictæ; cur igitur dictum eſt, יתחטא? non expiabitur ſanguinibus; ad comprehendendum expiationis indigentem. *Polluet tabernaculum Domini*; cur dictum eſt? quia dictum eſt, *ibid. v.* 20. *quia Sanctuarium Domini polluit.* Non probo niſi pro Sanctuario, tabernaculum unde probatur? ex eo quod dicit *polluet tabernaculum Domini.* ונכרתה. Cur alibi, Levit. XV. 31. multat morte, & hoc loco excidio? ad docendum, quod mors ſit excidium, & excidium mors. *Immundus erit*; ad comprehendendos reliquos immundos; verba R. Joſiæ. R. Jonathan dicit; non eſt hoc neceſſe, quia

jam

jam dictum est Levit. XV. 31. *Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod est inter eos.* Immundus mortuo erat in hoc genere, & textus eduxit a suo genere, & multat pœna mortis, & pro illo tenetur sacrificio; ego non probo nisi pro immundo ob mortuum, pro reliquis immundis unde probatur. Dixisti? Si immundus erat in genere, & textus e suo genere eduxit, & multat pœna mortis, & sacrificio tenetur, etiam reliqui immundi erit æquum, ut morte puniantur, & sacrificio teneantur; quid igitur dici necesse est; *immundus erit?* quia dictum est מי נדה לא זורק עליו. Ego non probo nisi quando nihil inspersum sit; si adspersum esset, & repetisset, unde probatur? ex eo quod dicit; *immundus erit*; si adspersisset, & repetisset, & non lavisset unde probatur? ex eo quod dicit, טומאתו בו. Si adspersiones factæ essent, & lavisset, & non occidisset illi sol, unde probatur? ex eo quod dicit, עוד טומאתו בו. *Pesiktha ibid.* יתחטא בו; sanguinibus, ad comprehendendum indigentem expiatione; *polluet tabernaculum Domini* &c. Et alibi, i. e. *Levit.* XV. 31. dictum est; *Et moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum;* ut doceare, quod excidium sit mors, & mors excidium; כי מי נדה לא זורק עליו טמא יהיה, ad comprehendendum, qui adsperserit, & non iteraverit. עוד טומאתו בו, ad comprehendendum qui adsperserit, & iteraverit, & laverit; non autem ei sol occiderit; hæc tria necessaria sunt.

29 Tondendus non erat &c. *Misna Nazir* VII. 3. At obtingentia & prominentia, & locus fragmenti & terra gentilium, & lapis sepulchralis, & parietes sepulchri, & quartale sanguinis, & tentorium quartæ cabi ossium, & vasa tangentia mortuum, & dies numerationis ejus, & dies consummationis ejus; hæc sunt super quibus Naziræus non tondetur, sed abluitur tertio & septimo die, nec destruit præcedentia, sed numerat statim, & non debetur ab eo Korban.

30 Lustrationem corporis &c. *Siphra ad Levit.* XVII. 16. *Quod si non laverit &c. portabit iniquitatem suam.* Crederem quod pro abluendis vestibus reus esset excisionis; ideo dicit ובשרו לא ירחץ portabit iniquitatem suam. Quomodo igitur? pro abluendo corpore reus erat excisionis, & pro abluendis vestibus quadraginta plagis vapulabat. *Siphri ad Num.* XIX. 12. *Si die tertio adspersus non fuerit;* cur dictum est? quia dixit ואיש אשר יטמא ולא יתחטא; pro pollutione Sanctuarii, & ejus Sanctitatum Scriptura excidio punit; aut non multat excidio, nisi propter adspersionem; ideo dicit; *Si die tertio adspersus non fuerit, septimo non poterit emundari;* ejus pœna est, quod non sit purus, non autem ejus pœna est excidium. *Et ibid.* v. 20. *Et quis hoc ritu non fuerit expiatus;* pro immunditie Sanctuarii, & Sanctitatum textus agit, & excidio multat; Aut dicam, quod non multet excidio nisi propter adspersionem; ideo dictum est; *Si die tertio adspersus non fuerit, septimo non poterit emundari*; ejus pœna est, quod non sit purus; non autem ejus pœna est excidium. *Pesiktha ibid. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit* &c. Propter pollutionem Sanctuarii reus est excidii, non autem propter prætermissam adspersionem tenetur excidio, quod sit immundus; neque tenetur excidio, nisi propter immunditiem Sanctuarii. *Iterum Siphri ad Num.* V. 3. R. Isaac dicit; dictum est Levit. XVII. 16. *Quod si non laverit vestimenta sua & corpus*, pro abluendo corpore textus multat excidio. Tu dicis pro abluendo corpore, quod textus multet excidio; Nonne ego dicam, quod excidio puniat pro abluendis vestibus? Dixisti? Si in immunditie mortui, quæ est gravis, non multat textus pro lavandis vestibus, qui comedit de cadavere, quod est leve, erit æquum, ut non multetur pro lavandis vestibus.

31 Ad quem templi locum &c. *Misna Erubhin* X. 15. Si reptile immundum fuit in Sanctuario, Sacerdos extraxit illud balteo suo, ut non commoraretur *ibi diutius* immundities; verba sunt R. Jochanan filii Brukæ. R. Jehuda dicit; per fasciculum ligni *removit*; ne multiplicaretur immundities. Unde extrahebant? e templo & e porticu, & ex loco inter porticum & altare; verba sunt R. Simeon filii Nanas. R. Akiba dicit; circa quencunque locum rei fiebant, propter contumaciam quidem excisionis, propter errorem vero peccati, ex illo extrahebant illud; in reliquis autem omnibus locis invertebant super illud ollam. R. Simeon dicit. Quencunque locum permiserunt tibi Sapientes, de tuo dederunt eum tibi, quandoquidem non licitum fecerunt tibi, nisi e constitutione Doctorum Sabbathica. *Misna Tamid* V. 5. Peschatar erat vas magnum, capacitatis dimidii Chomer, duas habebat catenas, unam qua trahebat, qui descendebat, alteram, qua tenebat, qui erat in superiori parte, ne circumvolvatur, & tribus usibus inserviebat, tegebant ea prunas, reptilia in Sabbatho, & removebant cum ea cinerem ab Altari. *Ubi Bartenora*. Si aliquod reptile in Sabbatho inveniretur in templo, id tegebant פסחתר ne Sacerdotes polluerentur, quia die Sabbathi illinc removere non poterant; nam hæc prohibitio Sabbathica vel in ipso templo decreta fuit. Et hoc intelligendum est si in atrio ipsum invenissent, at si in ipso templo, vel in Ulam invenissent, statim ipsum removebant, etsi id factum fuisset die Sabbathi.

32 Commoraretur &c. *Misna Schebuoth* II. 3. Siquis pollutus fuerit in atrio, sed ignota ipsi fuerit immundities, & meminerit Sanctuarii, aut ignotum fuerit ipsi, esse in Sanctuario, & memor fuerit immunditiei, aut ignotum fuerit ipsi utrumque, & incurvatus fuerit, aut commoratus tanto tempore, quantum incurvatio requirit, aut si egressus fuerit via longiori, reus erit, sin breviori, liber erit. Hoc est præceptum affirmativum de Sanctuario, quando super eo rei non fiant. *Et mox*. R. Eliefer dicit. Si fuerit immundum reptile, & oblitus quis fuerit; tum propter ignorantiam reptilis immundi reus erit; sed non reus erit propter ignorantiam Sanctuarii. R. Akiba dicit; si ignotum *alicui* fuerit templum, fueritque immundus; tum ob ignorantiam immunditiei reus erit; non vero reus erit ob ignorantiam Sanctuarii. R. Ismael dicit; *Et latuerit, latuerit*, bis *dicitur* ad reum faciendum tam propter ignorantiam immunditiei, quam propter ignorantiam Sanctuarii. *Tosaphta Schebuoth* I. 12. Si pollutus fuerit, & ignota ipsi fuerit immundities, & meminisset Sanctuarii & dein ignotum ipsi fuerit utrumque, & adorasset, & tandiu moratus esset, quandiu posset adorare, aut cum socio loqueretur, ut posset adorare, aut ingrederetur in illud spatium, quod esset additum atrio, & tandiu moraretur, ut posset adorare, pro singulis vicibus reus est; verba R. Ismaelis; quod R. Ismael dicebat; *Et latuerit, latuerit*, bis, ad eum obligandum propter ignorantiam immunditiei, & ignorantiam Sanctuarii. R. Eleasar, & R. Akiba dicunt, non tenetur pœna nisi tantum propter ignorantiam immunditiei.



פרק רביעי

א. טמא שעבד במקדש חלל עבודתו וחייב מיתה בידי שמים על עבודתו אע״פ שלא שהה לשם שנ׳ וינזרו מקדשי בני ישראל ולא יחללו את שם קדשי הרי ז

CAPUT QUARTUM.

I. SAcerdos immundus si in templo operaretur, profana fuisset operatio, [1] & meruisset, ut de operatione ista divina vis eum morte multaret, idque etiam tum, cum omnino moram in templo fecisset nullam. Nam quod in Lege est: *Ut*

אזהרה

אזהרה לעובד בטומאה ולהלן הוא אומר ומתו בו כי יחללוהו מה חלול האמור שם חייב מיתה בידי שמי' אף כאן מית' בידי שמים וכל לאו שחייבין עליו מיתה בידי שמי' לוקין עליו אף על פי שאם עבד בטומאה אינו חייב בב"ד אלא מלקות

ב. אחיו הכהנים לא היו מביאין אותו לבית דין אלא מוציאין אותו לחוץ ופוצעין את מוחו ואין ממחין עליהן בכך

ג. והיאך איפשר לו לעבוד ולא ישהה עד שלא יתחייב כרת אלא מיתה בידי שמים בלבד כגון שנטמא בעזרה ויצא בקצר' וביציאתו היה צינור בידו והפך בו אבר על האש במזבח וקרב שריפתו שכל קרוב עבודה הרי הוא כעבודה

ד. וכן טמא שטבל ועבד קודם שיעריב שמשו עבודתו פסולה וחייב מיתה בידי שמים שנ' ולא יחללו שם אלהיה' מפי השמועה למדו שזו אזהר' לטבול יום שעבד שעדיין טמא הוא שנאמר ובא השמש וטה' מכלל שעדיין לא טהר אבל מחוסר כפורים שעבד אע"פי שעבודתו פסולה וחלל הרי זה פטור

ה. ומנין שעבודתו פסולה שנא' וכפר עלי' הכהן וטהר' מכלל שעדיי' לא נגמרה טהרתה והוא הדין לכל מחוסרי כפורים

ו. כהן שעבד ואחר כך נודע שהיה טמא אם היא טומא' ידועה כל הקרבנות שהקרי' פסולין שהרי עבודתו חולי' ואם היא טומא' התהום הציץ מרצה וכל

caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, (*Lev.* 22. 2.) id admonet ne quis immundus sacris operetur: porro autem a Lege dicitur: [2] *Et moriantur in Sanctuario cum polluerint illud*. (*Ibid.* 22. 9.) Ut igitur hac, item & superiori illa profanatione sacerdos meruisset, ut divina vis eum morte multaret. Jam quoscunque rei vetitæ sontes divina vis morte, eosdem & judices [3] verberibus etiam multabant usque: ita res erat, etiamsi sacerdos immundus sacra fecerat, tamen a Senatu quidem verberibus duntaxat coercebatur.

II. Verum enim fratres sacerdotes hominem in jus non deducebant, sed ex templo foras protracto [3] cerebrum diminuebant, nec eos impediebat quisquam.

III. Qui vero fieri poterat, ut sacerdos in templo operaretur, nec ullam in eo moram faceret, adeoque non teneretur pœna כרת *Keret*, sed tantum, ut morte puniretur cœlitus? Nempe si quando pollueretur in atrio, atque inde brevissima via discedens manu fuscinam haberet, qua victimæ membrum aliquod igni superpositum verteret ita, ut cremationem ejus acceleraret. Nam rem divinam accelerare, facere est.

IV. Et qui [5] sacerdos inquinatus rite se lustraverat, solis autem occubitum non expectaverat, is si rem divinam faceret, profanaret, atque adeo mereretur, ut morte cœlitus afficeretur, siquidem a Lege dicitur: *Et non polluent nomen ejus*. (*Lev.* 21. *v.* 6.) Namque hoc auditione accepimus hanc admonitionem spectare ad sacerdotem de die lustratum, qui rem divinam faceret; is enim erat etiam impurus. Nimirum cum in Lege sit: *Et occubuerit sol tunc mundatus*, (*Lev.* 22. 7.) ex eo colligitur purum antea non esse. Nam sacerdos piaculi indigens si rem divinam faceret, etsi prava esset ejus operatio, atque profana, tamen impune fuisset.

V. Nam operationem ejus esse pravam ex eo colligitur, quod in Lege sit, [6] *Expiabitque eam sacerdos & mundabitur*. (*Lev.* 12. 7.) unde cognoscere licet antea piationem ejus effectam non esse: atque eadem erat ratio omnium qui piaculi indigebant.

VI. Sacerdos si postquam fecerat rem divinam inquinatus fuisse repeciretur, atque genus inquinamenti compertum ac cognitum esset, quæcunque fecisset sacrificia, prava fuissent: nimirum fuisset hujus operatio omnino profana: * immunditiem autem [7] profundi aurea illa summi pontificis [8] lamina piabat: quo immunditiæ genere

הקרבנות

VI. *Immunditiem autem profundi*. Immundities profundi seu abyssi vocatur ea, quæ sit prorsus incomperta. De hac ita Scriptor noster tract. de Nazaræatu cap. 6. art. 18. Quænam est immundities profundi? Quam nemo comperiat unquam.

הקרבנות שהקריב נרצו ואפילו נודע לו שהו' טמא קוד' שיזרקו הדם וזרק הרצה שהציץ מרצה על טומאת התהום אף על פי שהוא מזיד וכבר בארנו טומאת התהום בנזירות

ז. וכן הציץ מרצה על טומאת דברי' הקרבין שנא' והיה על מצח אהרן ונשא אהרן את עון הקדשים אבל אינו מרצה על טומאת הנאכלין ולא על טומאת האדם שנטומאה ידועה אלא אם כן היתה הטומאה הדחויה בציבור שהציץ מרצה עליה

ח. ואין הציץ מרצה אלא בזמן שהוא על מצחו שנאמר והיה על מצחו תמיד לרצון להם לפני ה'

ט. כל קרבן שאין קבוע לו זמן אינו דוחה לא את השבת ולא את הטומא' שאם לא יקרב היום יקרב למחר ולמחרת מחר וכל קרבן שקבוע לו זמן בין קרבן ציבור בין קרבן יחיד דוחה את השבת ודוחן את הטומא' ולא כל הטומאות הוא דוחה' אלא טומאת המת לבדה

י. כל קרבנו' ציבור קבוע זמנם לפיכך כולן דוחין את השבת ואת טומאת המת

יא. וכל קרבן מהן שקרב בטומאה אינו נאכל אלא מקטירין ממנו דברים הראוין להקטר' והשאר הראוי לאכילה נשרף כשאר קרשי' שנטמאו

יב. כיצד דוחה את הטומא' הגיע זמנו של אותו קרב' והיו רוב הקהל שמקריבי' אותו טמאי' למת או שהיו הקהל טהורי' והיו הכהני' המקריבין טמאי' למת או שהיו אלו ואלו טהורין והיו כלי השר' טמאי' למת

si quis contaminatus sacrificia fecisset, nihilominus ejus sacrificia litarentur. Quin etiam sacerdos si rescivisset se ejusmodi immunditie contaminatum esse, tum postea demum altare sanguine victimæ conspergeret, nihilominus ejus conspersio valuisset. Etenim sacerdotem immunditie profundi contaminatum, quamvis contumaciter operatum, expiabat illa ex auro lamina. Jam immunditiem profundi quid sit in disputatione de ratione Nazaræorum explicavimus.

VII. Et quidquid ex sacrificiis inquinatum igni consumebatur, item illa ex auro lamina fronti pontificis circundata expiabat: hæc est enim vis hujus verbi: *Imminens fronti pontificis*, [9] *portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt*. (*Exod*.28. *v*.38.) At si quid inquinatum ex sacrificio comedebatur, lamina non expiabat: [10] neque porro expiabat sacerdotem eum, qui contaminatus inquinamento explorato ac cognito rem divinam fecisset: nisi si inquinamenti rationem elevaret civium consortio, id illa ex auro lamina fronti pontificis circundata expiabat scilicet.

VIII. Neque vero lamina pontificis quidquam expiabat nisi cum erat ejus [11] applicata fronti, siquidem a Lege ita dicitur: *Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit ei Dominus*. (*Exod*.28.*v*.38.)

IX. Cuicunque sacrificio nullum erat [12] præfinitum tempus, hoc neque sabbatum, neque inquinamentum elevabat: id enim si non uno die fieret, fieret altero, fieret tertio: contra cuicunque sacrificio seu publico seu privato præfinitum tempus erat, id & * sabbati rationem elevabat & inquinamenti. Quod ipsum non omne rerum genus, sed unum funeris inquinamentum elevabat.

X. Sacrificiis autem publicis cunctis erat constitutum tempus, itaque cuncta sabbatum & inquinamentum funeris elevabant.

XI. Jam quodcunque fiebat [13] inquinate sacrificium, ex eo omnino comedebatur nihil; adolebatur id quod conveniebat: quod autem [14] ad vescendum erat aptum, id veluti cuncta sacrificia temerata igni consumebatur.

XII. Quænam igitur erat illa inquinamenti elevatio? Nempe si tempus [15] sacrificandi cum venisset, tum ea maximam partem civitas, quæ hostiam ad sacrificium præberet, funere polluta fuisset, aut fuisset casta civitas, sed qui sacrificium facerent sacerdotes funesti, aut hi & illi mundi fuissent, verum utensilia sacris administrandis apta hominis mortui corpore fune-

הרי

IX. *Sabbati rationem elevabat*. Hoc ipsum videmus Matt. 12. v. 5. a CHRISTO responsum Pharisæis, qui discipulos ejus arguebant sabbatum violasse spicis vellendis: *Non legistis in Lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?*

הרי זה יעשה בטומא׳ ויתעסקו בה הטמאי׳ והטהורי׳ כאחד ויכנסו כולן לעזר׳ אבל הטמאי׳ בטומאה אחרת כגון זבים וזבות ונידות וטמאי׳ שרץ ונבילה וכיוצא בהן לא יתעסקו ולא יכנסו לעזרה ואף על פי שנעשה בטומא׳ ואם עברו ועשו או נכנסו לעזר׳ חייבין כרת על הביאה ומיתה על העבוד׳ שלא נדחית אלא טומאת מת בלבד

יג. ופסח שבא בטומאה ודחקו טמאי׳ מת ונכנסו להיכל פטורין אף על פי שלא׳ הותרו אלא לעזרה הואיל ואין אני קורא בהם אל מחוץ למחנה תשלחום הרי אלו פטורין

יד. מקצת בית אב טמאים ומקצתם טהורי׳ אע״פ שרובן טמאי׳ מת לא יקריבו אלה הטהורים טמאי׳ מת מחזירין על משמרה אחרת אם היו רוב הכהנים הנמצאים שם בירושלם בזמן הקבוע טמאים יעשו בטומאה

יה. ומפני מה מחזירין על הטהורים מבית אב אחר מפני שהטומאה לא הותרה בציבור אלא באיסורה עומדת ודחוייה היא עתה מפני הדחק ואין דוחין כל דבר

יו. מניין שטומאה מת דחייה בציבור שנאמ׳ ויהי אנשים אשר היו טמאים לנפש אדם כך למדו מפי השמועה שאנשי׳ יחידים הם שידחו לפסח שני אם היו טמאים אבל ציבור שהיו טמאים מת אינן נדחין אלא הטומאה תדחה ויעשו פסח טומאה והוא הדין לכל קרבן שקבוע לו זמן כפסח שהוא דוחה את הטומאה

starentur, sacrificium utique cum inquinamento fiebat, ac puri & temerati promiscue operabantur, & simul omnes in atrium introibant. [16] Nam alio temerati inquinamento velut fluxione seminis laborantes viri & mulieres, menstruales, puerperæ, item serpentis animantis aut contagione morticinæ bestiæ, aut alia ejusmodi immunditia contaminati, [17] neque rei divinæ dabant operam, neque porro [18] ingrediebantur atrium, quamvis res divina cum inquinamento fieret. Qui si commisissent, ut rei divinæ dedissent operam, aut in atrium introissent, propter introitum pœna כרת *Keret* tenerentur, & propter operam rei divinæ datam morte multarentur. Nam præter inquinamentum funeris elevabatur nullum.

XIII. Homines funesti [19] si in templum irrumperent tum, cum paschale sacrificium inquinate fieret, nulla pœna fuisset. Omnino his introitus in atrium duntaxat erat permissus: verum enim quia tantum de ipsis scriptum legimus: *Extra castra emittetis eos*, (*Num.* 5. 3.) hoc illis impune erat.

XIV. Cum ejus familiæ, cui divina res erat administranda, sacerdotes partim fuissent puri, partim contaminati, & hi ipsi magna ex parte contagione hominis mortui, puri tantum facerent. Quæ si familia fuisset tota funere polluta, ad rem divinam faciendam alia familia adhiberetur. Sin universa curia funere polluta fuisset, iretur ad aliam. Nam si sacerdotum plerique, Hierosolymam stato tempore ingressi, fuissent inquinati, tum & inquinati facerent.

XV. Quod autem adhiberentur ex alia familia sacerdotes puri, hæc est causa & ratio, quia nullum inquinamentum ne in civitate quidem licitum evadebat: manebat enim interdictum usque; sed nonnunquam præ urgente necessitate negligebatur, nec quidquam ejusmodi negligebatur, nisi cum aliter fieri non posset: eamque ob rem opus erat, ut lamina illa fronti pontificis circundata hoc ipsum expiaret.

XVI. Quod autem inquinamentum funeris in universa civitate negligendum sit, inde habetur, quod scriptum videmus: [20] *Ecce autem quidam immundi super anima hominis*, &c. (*Num.* 9. 6.) Etenim hoc auditione accepimus homines singulos ob inquinamentum ad secundum pascha fuisse detrudendos; civitatem funere pollutam non ita: sed inquinamentum ejus esse negligendum, & suo tempore pascha inquinate faciendum: par erat ratio cujuscunque sacri, cui sic, tanquam paschæ tempus esset quoddam definitum: præ illo videlicet inquinamentum negligebatur.

יז. והרי הדבר מפורש בכתובים שנאמר שם כי רבת הקהל אשר לא התקדשו והלוים על שחיטת הפסחים לכל לא טהור להקדיש לה׳ כי מרבית העם רבת מאפרים וממנשה יששכר וזבולון לא הטהרו ומהו זה שנאמר כי אכלו את הפסח בלא ככתוב מפני שעיברו אותה השנה מפני הטומאה שנאמר ויועץ המלך ושריו וכל הקהל בירושלם לעשות הפסח בחדש השני כי לא יכלו לעשותו בעת ההיא כי הכהנים לא הת קדשו למדי וכבר בארנו בקידוש החדש שאין מעברין את השנה׳ לכתחילה מפנו הטומא׳

XVII. Verum totum hoc in [22] Agiographis plane explicatum est, in quibus scriptum videmus: *Eo quod multa turba sanctificata non esset: & idcirco immolarent Levitæ phase iis, qui non occurrerant sanctificari Domino: magna etiam pars populi de Ephraim & Manasse & Issachar & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat*: [2. *Paral.* 30. 17. 18.] additur autem: *Comedit phase non juxta quod scripuum est*, [*Ibid.*] eo videlicet anno ob inquinamentum intercalatum fuit, sicut scriptum videmus: *Inito ergo consilio Regis & principum & universi cœtus Jerusalem decreverunt ut facerent phase mense secundo. Non enim occurrerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possunt sufficere, sanctificati non fuerant*: [*Ibid. v.* 2. 3.] atqui nihil inquinamenti causa intercalari cum res sit in integro tractatu de Consecratione Kalendarum edisseruimus.

יח. ועוד אחרת היתה שם באותה השנה שעיבר חזקיה המלך את השנה ביום שלשי׳ של אדר שראוי להיות ראש חדש ניסן ועשה אותו החדש אדר שני ולא הודו לו חכמים שאין מעברין ביום זה כמו שבארנו בקידוש החדש ומפני דברי׳ אלו שעשה שלא כהלכה נאמר כי אכלו את הפסח בלא ככתוב ובקש רחמים על עצמו ועל החכמי׳ שהסכימו על מעשיו שנאמר ויתפלל חזקיה עליהם לאמר ה׳ הטוב יכפר בעד ונאמר וישמע ה׳ אל חזקיהו וירפא את העם הזה שנרצה קרבנם:

XVIII. Præterea autem & aliud quiddam annus ille peculiare habuit, ab Ezechia rege facta est [23] intercalatio [24] mensis Adar [25] tricesimo die ipso, quem diem Kalendas mensis Nisan esse conveniebat: verum Rex eum mensem alterum Adar constituit, & sapientes non fuerunt ejus adstipulatores. Nam isto quidem die quemadmodum tract. de Consecratione Kalendarum disseruimus, intercalare non licet: atque propter istas res, quas præter normam fecerat scriptum videmus: *Comedit phase non juxta quod scriptum est*. Itaque Dei misericordiam imploravit in se & in sapientes, qui facta ipsius comprobaverant, uti scriptum est: *Oravit pro eis Ezechias dicens, Dominus bonus propitiabitur*: tum vero subjicitur: *Quem exaudivit Dominus, & placatus est populo*, cujus sententia est sacrum eorum litatum esse.

NOTÆ IN CAPUT QUARTUM.

[1] Et meruisset &c. *Siphra ad Levit.* XXII. 3. *Homo*, non probo nisi pro homine, mulier unde probatur? ex eo quod dicit *de stirpe vestra*; unde probatur ad comprehendendum universum Israelem? ex eo quod dicit; *omnis homo. Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit.* Cur dictum est? quia dictum est Levit. VII. 20. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit.* At pacifica erant comprehensa in genere omnium Sanctitatum; Etenim ego dicerem, quod non tenerentur excidio propter immunditiem nisi tantum pro pacificis; unde probatur ad includendas omnes Sanctitates? ex eo quod dicit; *Dic ad eos & ad posteros eorum; omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt*; Aut ego non comprehendam nisi ea, quæ sunt similia pacificis; quemadmodum pacifica sunt peculiaria, quæ comeduntur duobus diebus, ita &c. Quæ uno die, unde probatur? ex eo quod dicit carnem, *cujus reliquiæ comeduntur*; ea vero, quorum reliquiæ non comeduntur, unde probantur? ex eo quod dicit זבח species sacrificiorum. Aves, & munera, quæ non sunt species sacrificiorum, usque dum includatur logus olei leprosi, unde probantur? ex eo quod dicit; *qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt*. Crederem; quod pro quolibet *sacrificio*, pro quo tenetur pœna propter abominandum, teneatur pœna propter immunditiem. Et est argumentum. Si abominandum, pro quo tenetur sacrificio stabili, & ob unam notitiam, nec permittitur a suo genere, non usurpatur nisi in re, quæ habeat permittentia, immundities, in qua sunt duæ notitiæ, & obligatur ad sacrificium adscendens, & descendens, & permittitur a suo genere, non erit æquum, quod non sit usurpanda nisi in re, quæ habeat permittentia? Unde probatur pugillus, & thus, & suffimentum, & munus Sacerdotis uncti, & munus libaminum? ex eo quod dicit, *ad ea quæ consecrata sunt*; ad comprehendenda omnia; Crederem, quod extemplo tenerentur; ideo dicit; *quæ obtulerunt*. R. Eleasar dicit; Estne tangens qui teneatur pœna? Si ita est, cur dictum est, *qui accesserit?* donec aptum sit ut offeratur. Quod habet permittentia, donec offerantur permittentia; quod non habet permittentia, donec in vase sanctificetur. *In quo est immunditia*; immunditia corporis; possem credere immunditiam carnis *sacrificii*; ideo dictum est, וטומאתו עליו וטומאתו עליו; *argumento* a pari; Sicuti immunditia sua illo loco, sc. *Levit.* VII. dicta

ƈta loquitur de immunditie corporis, non autem de immunditie carnis ſacrificii; etiam *immunditia ſua* hoc loco dicta de immunditie corporis loquitur non vero de immunditie carnis *ſacrificii*. Rabbi dicit; *in quo eſt immunditia*; de immunditie corporis loquitur, non vero loquitur de immunditia carnis. Alii dicunt; Non loquitur niſi de eo, ex quo ſeparatur immundities; excluditur caro, ex qua immundities non ſeparatur. *Et excindetur anima illa*; Crederem ex uno ad alium locum; ideo dicit, *coram Domino*, in quocunque loco ego ſum. *Peſiktha ibid. Omnis homo*; hi ſunt maſculi; *qui acceſſerit de ſtirpe veſtra*; ad comprehendendas mulieres; *ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit*; ut docearis excidium propter ſanctitates; alia gloſſa; אשר יקרב; quod aptum ſit ut offeratur; in quo ſunt permittentia, uſque dum offerantur permittentia; in quo non ſunt permittentia, uſque dum in vaſe ſanctificetur. *In quo eſt immunditia*; de immunditia corporis ſcriptura loquitur, non vero de immunditia carnis ſacrificii; *Et excindetur anima illa de conſpectu meo; ego Dominus*; ſic Hebræus &c.

2 *Et moriantur* &c. *Siphra ad h. l. Ut non ſubjaceant peccato*; crederem, quod de cadavere textus loqueretur; ideo dicit עליו, de ſanctitate loquitur, non autem de cadavere. *Et moriantur in Sanctuario*, non propter decimam; *cum polluerint illud*; excludit mundum, qui comederet de immundo. Si commemoratæ ſunt res leves, cur commemorantur graves? Quia ſi dictæ eſſent leves, & non graves, ego dixiſſem, leves prohibentur præcepto negativo, & graves tenentur ſacrificio ſtabili; ideo refert neceſſario etiam gravia; aut ſi gravia dicta eſſent, & levia prætermiſſa; ego dicerem, pro gravibus reus eſt, non vero pro levibus, a quibus abſolvitur; ideo neceſſe eſt referre gravia & levia.

3 Verberibus &c. *Toſaphta Sanhedrin* III. 15. Iſti ſunt, qui quadraginta plagis vapulabant, qui aliquod præceptum negativum violaſſent, qui præceptum negativum, quod cum alio affirmativo reparabatur, qui ipſum affirmativum non impleviſſent; & quamvis nonnulli peccatores rei eſſent mortis Θανάτου, & excidii, tamen quadraginta plagarum pœna tenebantur.

4 Cerebrum &c. *Miſna Sanhedrin* IX. 6. Si quis Sacerdos in impuritate ſua ſacra obierit, non fratres ejus Sacerdotes eum in judicium adducunt, ſed juvenes Sacerdotum extra atrium protracti cerebrum fuſtibus elidunt. *Maimonides Sanhedrin* XVIII. Similiter ſi Sacerdos in templo in immunditia miniſtraſſet, Sacerdotes eum ad Synhedrium non ducebant, ſed juvenes Sacerdotes eum educunt extra atrium, & contundunt ipſi cerebrum.

5 Sacerdos inquinatus &c. *Maimonides ad Sanhedrin* IX. 6. Si Sacerdos immundus comederit oblationem primam mundam, ſi is qui non eſt Sacerdos comederit oblationem primam, vel adminiſtraverit ſancta, & ſiquis ab immunditia ſua lotus, at non habuerit occaſum ſolis, adminiſtraverit ſancta, vel id fecerit is, qui veſtibus orbatus eſt, vel expiatione indigens, vel is qui non manus lavit nec pedes, vel vinum bibens, vel comam alens; nam de eo; qui immundus comederit oblationem primam, dicitur *Levit.* XXII. 9. ומתו בו כי יחללוהו. Et de re illibata dicitur *Levit.* XXII. 15. ולא יחללו את קדשי בני ישראל. Et quemadmodum Sacerdotis profanatio in oblationibus primis vetita eſt ſub pœna mortis, ſic etiam quæ de illibatis profertur, vetita eſt ſub pœna mortis. De pœna extranei qui comedit oblationem primam, ſcriptum eſt *Levit.* XXII. 9. ומתו בו כי יחללוהו, & deinde וכל זר לא יאכל קדש. De extraneo, qui adminiſtravit res ſanctas, clare dictum eſt; *Num.* XVIII. 17. והזר הקרב יומת. De immundo qui adminiſtravit, dictum eſt *Levit.* XXII. 2. וינזר ומקדשי בני ישראל ולא יחללו. Et hæc profanatio eſt inſtar illius de qua dictum eſt ומתו בו כי יחללוהו. Ceterum quod is, qui die quidem lotus, at non habuerit occaſum ſolis, ſit condemnatus ejuſdem mortis, traditione recepimus ex eo, quod dicitur *Levit.* XXI. 6. קדשים יהיו לאלהיהם ולא יחללו

6 *Expiabitque* &c. *Maimonides ibid.* De eo qui expiatione indiget ſcriptum eſt *Levit.* XII. 7. וכפר עליה הכהן וטהרה, unde probatur, quod antequam ſacrificium expiationis adduxerit, vocetur immundus, & jam expoſitum eſt quod immundus non miniſtrabit in ſanctis, & quod mortis pœnam incurrit, ſi miniſtraverit. *Idem ad c.* II. 1. *Sevachim*. Invenimus autem legem de iis qui expiatione deſtituti ſunt, dicere, quod purificatione careat, & propterea is ad miniſterium ſacrum ineptus eſt, eo quod ſcriptum eſt de puerpera quod expiatione careat; ita *Levit.* XII. 7. *expiabitque eam Sacerdos, & mundabitur*; hinc infertur quod antea immunda erat.

7 Profundi &c. *Maimonides ad c.* IX. 2. *Nazir*. Immundities abyſſi eſt occulta immundities de qua non conſtat ulli homini, nimirum, cui non eſt ſignum, neque demonſtratio, quod in hoc loco quis mortuus eſſet, & quod locus immundus eſſet, donec hic pollutus fuerit, ille autem neſciverit illud. Et hoc eſt quod dixerunt de immunditie abyſſi, de qua nemini conſtabit in fine etiam mundi. Præterea dixerunt non dictum eſt, *immundities abyſſi*, niſi de mortuo tantum, non de eo qui interfectus eſt quia certo jam innotuerat, quis eum interfecerat. Sic etiam ſepulchrum de cujus profunditate nemini conſtat, vocatur קבר התהום *ſepulchrum abyſſi*.

8 Lamina piabat &c. *Toſaphta Nazir* VI. 4. Omnia ſacrificia cœtus, & privati lamina expiabat pro immunditie ſanguinis, & immunditie corporis, excepto Naziræo, & qui offerebat ſacrificium Paſchale; expiabat enim pro immunditie ſanguinis, non autem expiabat pro immunditie corporis, & ſi pollutus eſſet immunditia abyſſi, lamina expiabat; quomodo? Si veniret ad mactandum ſuum ſacrificium Paſchale, eique dicerent; mortuus erat in illa domo, in quam ingreſſus es ſub illo lapide, ubi ſediſti, & innoteſcit tam ante quam poſt oblatum ſuum ſacrificium Paſchale, neceſſe eſt ut afferat ſecundum ſacrificium Paſchale; Verum ſi ei dicerent; ſepulchrum abyſſi fuit tecum in illa domo, quam intraſti, aut ſub illo lapide, ubi ſediſti, & innoteſcit ante oblatum ſacrificium Paſchale neceſſe eſt, ut celebret ſecundum Paſcha; poſt oblatum ſacrificium Paſchale, non opus eſt, ut celebret ſecundum Paſcha. Et pariter ſi iviſſet ad afferenda ſua ſacrificia, eique dicerent; mortuus erat tecum in illa domo, in quam es ingreſſus, aut ſub illo lapide, ubi ſediſti, & innoteſcit tam poſt, quam ante adducta ſua ſacrificia, adducendum ei erit ſacrificium immunditiei; verum ſi illi diceret; ſepulchrum abyſſi fuit tecum in illa domo, quam intraſti, aut ſub illo lapide, ubi ſediſti; & innoteſcit antequam adducat ſua ſacrificia, afferendum illi eſt ſacrificium immunditiei; ſi poſt adducta ſua ſacrificia, non eſt neceſſe, ut afferat ſacrificium immunditiei. *Miſna Peſachim* VII. 7. Si ſanguis Paſchatis conſperſus fuerit, & deinde innotuerit quod immundus erat, lamina expiat, at ſi corpus hominis pollutum fuerit, lamina non expiat. Quia dixerunt, ſi Naziræus ſit, & conficiat Paſcha, lamina expiat immunditiem ſanguinis, at non expiat lamina immunditiem corporis. Si pollutum fuerit immunditie abyſſi, lamina expiat. *Toſaphta Peſachim* VI. 8. Omnia ſacrificia cœtus & privati lamina expiabat pro immunditie ſanguinis, & pro immunditie corporis, excepto Naziræo, & qui offert ſacrificium Paſchale; lamina enim expiabat pro immunditie ſanguinis, non autem expiabat pro munditie corporis; & ſi pollutum eſſet immunditie abyſſi, expiabat; quomodo? Si iret ad mactandum ſuum ſacrificium Paſchale, eique diceretur; mortuus fuit tecum in illa domo, quam ingreſſus es, aut ſub lapide, ubi ſediſti; & innotuiſſet tam ante, quam poſt oblatum ſuum ſacrificium Paſchale; offerendum illi erat ſecundum ſacrificium Paſchale. Verum ſi dixiſſent; ſepulchrum abyſſi fuit tecum in domo, quam intraſti, aut ſub illo lapide, ubi ſediſti; & innotuerit ante oblatum ſacrificium Paſchale, offerendum illi erat ſecundum ſacrificium Paſchale; ſi vero obtulerit ſuum ſacrificium Paſchale, non eſt neceſſe, ut ſecundum celebret. Et pariter ſi Naziræus iret ad afferenda ſua ſacrificia, eique diceretur; mortuus fuit tecum in illa domo, in quam es ingreſſus, aut ſub illo lapide, ubi ſediſti, ſi innotuerit tam poſt, quam ante adducta ſua ſacrificia, afferendum illi eſt ſacrificium immunditiei; Verum ſi dixiſſent, ſepulchrum abyſſi fuit tecum in illa domo, quam intraſti, aut ſub illo lapide, ubi ſediſti, & innoteſcat antequam adduxerit ſua ſacrificia, offerendum illi eſt ſacrificium immunditiei; poſtquam attulerit ſua ſacrificia, non eſt neceſſe, ut adducat ſacrificium immunditiei.

9 *Portabitque* &c. *Siphra ad Levit.* I. 4. *Et acceptabilis erit*; *atque in expiationem ejus proficiens*. Cauſa expiantis; quodnam eſt expians? Eſt ſanguis, ſicuti ſcriptum eſt; *Levit.* XVII. 11. *Quia anima carnis in ſanguine eſt* -.... *&* *ſanguis pro animæ piaculo ſit*. Non probo niſi pro ſanguine mundo, pro immundo unde probatur? Ex eo quod dicitur *Exod.* XXVIII. 38. *Portabitque Aaron iniquitates eorum*, *quæ obtulerunt*. Quam iniquitatem expiabat? Si dixeris iniquitatem abominandi, jam dictum eſt *Levit.* XIX. 7. לא ירצה. Si de Sacrificio reſiduo, de eo quoque dictum eſt *ibid.* לא יחשב Quænam eſt igitur iniquitas, quam expiabat? Erat delictum immunditiæ, quæ licita erat ex immunditie cœtus.

[10] Neque porro &c. *Toſaphta Menachoth* I. 6. Mortuo pollutum, & eodem die lotum, & indigentem expiatione lamina non expiat; quia lamina non expiat immunditiem corporis, ſed lamina expiat immunditiem ſanguinis, & pugilli, & libaminis. *Raſchi ad Exod.* XXVIII. 38. *Iniquitates eorum quæ obtulerunt*. Ad acceptandum ſanguinem, & adipes, qui oblati eſſent in immunditie; uti legimus; quænam eſt illa iniquitas, quam portat? Si abominandum; jam dictum eſt; לא ירצה; ſi iniquitas reſidui, jam dictum eſt לא יחשב; neque dicendum eſt, quod expiet Sacerdotem, qui immundus offert; quia dictum eſt, עון הקדשים, non iniquitas offerentium &c.

[11] Applicata fronti &c. *Raſchi ad* Exod. XXVIII. 38. *Erit autem lamina ſemper in fronte ejus*. Non eſt dicendum, quod fuerit ſemper in ejus fronte, quia non erat in ejus fronte, niſi tempore miniſterii. *Et mox*. Si fuerit in ejus fronte expiat, ſin minus non expiat.

[12] Præfinitum tempus &c. *Mekiltha ad Exod.* XII. 6. *Immolabitque eum*, tam die profano, quam Sabbatho. Et quomodo explicabo; *qui polluerit illud*, *morte morietur Exod.* XXXI. 14.? pro reliquis omnibus operibus, excepta mactatione Paſchatis; an etiam pro mactatione Paſchatis? Et quomodo explicabo illud; *immolabitque eum*? reliquis omnibus diebus excepto Sabbatho; aut etiam in Sabbatho? ideo dictum eſt *num.* IX. 2. *Faciant filii Iſrael Phaſe in tempore ſuo*; vel in Sabbatho; verba R. Joſiæ; ei dixit R. Nathan; ex hoc nondum audivimus; Reſpondit illi R. Joſia; ecce dictum eſt *num.* XXVIII. 2. *Præcipe filiis Iſrael*, *&* *dices ad eos*, *oblationem meam*, *&* *panes* &c. ſi ad docendum, quod Sacrificium juge pellat Sabbathum; jam dictum eſt *Ibid. v.* 9. *Die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos*; cur dictum eſt במועדו *per tempora ſua?* ad æquiparandum, & argumentandum a pari; dictum eſt hic במועדו, *tempore ſuo*, & dictum eſt illic במועדו *tempore ſuo*; ſicuti hic pellit Sabbathum, ita illic pellit Sabbathum. *Siphri ad num.* IX. 9. *Faciant filii Iſrael Phaſe in tempore ſuo*; cur dictum eſt? quia dictum eſt *Exod.* XII. 6. *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael*. Ego crederem tam die profano, quam Sabbatho; & quomodo explicabo illud *Exod.* XXXI. 14. *Qui polluerit illud*, *morte morietur*? Pro reliquis omnibus operibus, excepta mactatione Paſchatis, an etiam pro mactatione Paſchatis? Et quomodo explicabo illud; *immolabitque eum*? reliquis diebus, excepto Sabbatho; aut etiam in Sabbatho; dictum enim eſt; *faciant*; verba R. Joſiæ. Dixit ei R. Jonathan; ex hoc nondum audivimus. Reſpondit ei R. Joſia; cur dictum eſt, *nu.* XXVIII. 2. *Præcipe filiis Iſrael*, *&* *dices ad eos*, *oblationem meam*, *&* *panes?* &c. Si ad docendum, quod Sacrificium juge pellat Sabbathum, jam non eſt neceſſe, quia jam dictum eſt; *Die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos*. Eccur dictum eſt במועדו *in tempore ſuo?* Superfluum enim eſt; verum ad argumentandum a pari. Dictum eſt hic במועדו *in tempore ſuo*, & dictum eſt illic במועדו in *tempore ſuo*; ſicut במועדו hoc loco dictum pellit Sabbathum, etiam במועדו illo, loco dictum pellit Sabbathum. *Quartadecima die menſis hujus*; cur dictum eſt? quia jam dictum eſt; *faciant*; quid dici neceſſe erat *in tempore ſuo?* At venit textus & docet de Paſchate primo, quod ſicuti pellit Sabbathum, ita etiam pellit immunditiem; priuſquam dixiſſet, argumentari licebat. Si Vacca rufa, quæ non pellit Sabbathum, pellit immunditiem; Paſcha primum, quod pellit Sabbathum, non erit æquum, ut pellat immunditiem? Secundum Paſcha contra probet, quod pellit Sabbathum, & non pellit immunditiem, probet pro primo Paſchate, quod quamvis pellat Sabbathum, non pellet immunditiem; ideo dictum eſt; *in tempore ſuo*; venit Scriptura, & nos docet, quod primum Paſcha, ſicuti pellit Sabbathum, ita etiam pellat immunditiem. *Peſiktha ibid.* *Faciant filii Iſrael Paſcha*; venit ad nos docendum, quod ſi veſpera Paſchatis inciderit in Sabbathum, mactatio Paſchatis, & adolitio membrorum pellat Sabbathum; de his dictum eſt; במועדו *in tempore ſuo*; & de Sacrificio jugi dictum eſt; במועדו; ſicuti illo loco pellit Sabbathum, etiam hoc loco pellit Sabbathum. *Quartadecima die menſis hujus*; quid dici neceſſe erat, במועדו *in tempore ſuo?* Ad docendum, quod ſicuti pellit Sabbathum; ita etiam pellat immunditiem *Siphri iterum ad num.* XXVIII. 2. *Offerte* במועדו *in tempore ſuo*; cur dictum eſt? quia jam dictum eſt; *immolabitque eum*. Ego crederem tam in die profano, quam in Sabbatho. Et quomodo explicabo; *qui polluerit illud morte morietur?* An reliquis omnibus operibus, excepta mactatione Paſchatis? Et quomodo explicabo, *immolabitque eum?* in reliquis omnibus diebus, excepto Sabbatho. An etiam in Sabbatho? Dictum eſt; *Faciant filii Iſrael Paſcha in tempore ſuo*; *in tempore ſuo*, vel in Sabbatho. Verba R. Joſiæ. Dixit illi R. Jonathan, ex hoc nondum audivimus. Reſpondit illi R. Joſia; jam dictum eſt; *Præcipe filiis Iſrael* &c. Cur dictum eſt; ſi ad docendum, quod Sacrificium juge pellat Sabbathum, jam non eſt neceſſe; quia jam dictum eſt; *Die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos*. Cur dictum eſt במועדו *in tempore ſuo?* Supervacaneum eſt, ut ab ipſo a pari argumentetur; dictum eſt hic במועדו *in tempore ſuo*, & dictum eſt illic במועדו *in tempore ſuo*; ſicuti במועדו illo loco dictum pellit Sabbathum, etiam במועדו hoc loco dictum pellit Sabbathum; *Peſiktha ibid.* *Offerte* במועדו *in tempore ſuo*. Supervacaneum eſt ad argumentandum a pari; dictum eſt hic במועדו; & dictum eſt illic in Paſchate במועדו, ad docendum quod pellat Sabbathum. *Toſaphta Peſachim* IV. 15. Aliquando contigit, ut dies quartadecima incideret in Sabbathum; rogarunt R. Hillelem ſeniorem, qua ratione adduci poſſent ad violandum Sabbathum. Eis reſpondit. Unum ne Sacrificium Paſchale ſingulis annis habemus, quod pellat Sabbathum? Pluſquam ter, centum Sacrificia Paſchalia ſingulis annis habemus, quæ pellunt Sabbathum. Contra convenerunt omnes, qui erant in atrio; illis dixit. Sacrificium juge, quod eſt Sacrificium cœtus pellit Sabbathum, etiam Sacrificium Paſchale quod eſt Sacrificium cœtus, pellet Sabbathum; novum argumentum; dictum eſt in Sacrificio jugi, *in tempore ſuo*, & dictum eſt in præcepto Sacrificii Paſchalis, *in tempore ſuo*; ſicuti Sacrificium juge, in quo dictum eſt *in tempore ſuo*, pellit Sabbathum, etiam Sacrificium Paſchale, in quo dictum eſt *in tempore ſuo*, pellit Sabbathum. Præterea argumentari poteſt a minori ad majus; ſi Sacrificium juge, in quo non eſt pœna excidii, pellit Sabbathum, Sacrificium Paſchale, in quo eſt pœna excidii, non pellet Sabbathum? Præter hæc traditionem accepi ex meis Doctoribus, quod Sacrificium Paſchale pellat Sabbathum, non ſolum primum Sacrificium Paſchale, & ſecundum; & Sacrificium Paſchale cœtus, verum Sacrificium Paſchale privati. *Hieroſol. Peſachim fol.* 33. I. Excidit aliquando traditio filiis Betheræ; nam cum incideret dies decimus quartus in Sabbathum, ignorarunt, num Paſcha pelleret Sabbathum, nec ne. Dixerunt autem; adeſt Babylonius quidam, Hillel nomine, qui miniſtravit Shemajæ & Abtalioni; novit is unum Paſcha pellat Sabbathum, nec ne. Miſerunt ergo, atque eum vocarunt; dixeruntque, num unquam in diebus tuis audiſti, cum dies decimus quartus incidit in Sabbathum, num Paſcha pellat Sabbathum nec ne? Reſpondit ille; Eſne nobis Paſcha tantum unum Sabbathum pellens annuatim? Annon plurima Paſchata pellunt Sabbathum annuatim? nempe Sacrificia jugia. Hæc probavit argumentis a pari; a minori ad majus &c. Aſt ab eo hoc non receperunt, uſque dum diceret; ſic & ſic eveniat mihi; hoc audivi a Shemaja atque Abtalione. Cum hoc illi audirent, profiterunt illico, atque illum ad præfecturam promoverunt &c.

[13] Inquinate Sacrificium &c. *Siphra ad Levit.* VII. 19. R. Jehoſua dicit; ſi de Sacrificio Paſchali, quod adducebatur cum immunditie, comederent ſeminiflui, & ſeminifluæ, aut menſtruatæ, aut puerperæ, crederem quod pœna tenerentur; ideo dicit; *qui fuerit mundus*, *veſcetur ex eo*; *Anima polluta*, *quæ ederit*

de

de carnibus &c. de ea, quæ pro puris mactabatur, rei erant propter immunditiem; de ea, quæ mactabatur pro immundis, non tenebatur propter immunditiem. *Pesiktha ibid.* Hinc dixit R. Jehosua. Si de Paschate, quod venit cum immunditie, comederint seminiflui, seminifluæ menstruatæ & puerperæ, non tenentur, si pro puris mactatum sit, tenentur propter immunditiem, sin minus, non tenentur propter immunditiem. *Tosaphta Pesachim* VI. Quandonam dixerunt, Sacrificium Paschale comeditur cum immunditie? Quum ab initio afferebatur cum immunditie, si cum puritate mactatum esset, & pollueretur cœtus, cum immunditie aspergebatur sanguis, caro vero non comedebatur cum immunditie, si cum puritate mactatum esset, & pollueretur sanguis, a cœtu aspergebatur sanguis cum immunditie, caro vero non comedebatur cum immunditie. *Maiminides de Sacrificio Paschali* VII. 8. Cum inquinate fuisset immolatus agnus Paschalis, item comedebatur inquinate, quippe quia sacrum hoc principio non ferebatur, nisi ut comederetur, nec eum continuo comedebat quivis homo. Omnino vescebantur eo cum funestati, quorum inquinamentum elevabatur, tum etiam quicunque itidem, ut illi contactu rerum immundarum erant contaminati; verum enim impuritate proprii corporis infecti, veluti seminis fluxione viri, mulieres profluvio sanguinis laborantes, porro menstruales, puerperæque, porro autem homines lepra afflictati, ut eum comederent, permissum non erat, quanquam si comedissent, impune ferebant. Sic enim accepimus in eo, quod comederetur ab puris hominibus, sacro, de impuritate pœnam esse scilicet, non item in eo, quod ederetur ab inquinatis, quare si funestati ex agni Paschalis extis aliquid edissent, impune ferebant. At enim tum demum impune comedebebatur agnus Paschalis, cum antequam Altari sanguis ejus inspergeretur, inquinabatur Ecclesia, cum vero post sanguinis adspersionem Ecclesia contaminabatur, agnus Paschalis comedendus non erat. Si post victimam Paschalem pure cæsam, ante inspersum Altari ejus sanguinem, pars major Ecclesiæ contaminaretur, inspergebatur Altari sanguis, victima non comedebatur, ne si forte post sanguinis adspersionem Ecclesia contaminaretur annum ad alium, nihilo secius victima vesceretur impure. Si sacra utensilia victimæ Paschali mactandæ adhibita vel animante serpente, vel alia id genus impuritate fuerint inquinata, quoniam non temerabant homines, qua de re disputabitur idoneo loco, quamvis eadem carnem victimæ temerarent, tamen eam homines puri duntaxat apparabant, & immundam licet comedebant; quippe satius erat immunda carne victimæ vesci puros homines, quod vetando sancitum est, quam inquinamento sui corporis infectos, quibus etiam pœna constituta est exitium, ut disputatione de sacris temeratis posuimus.

[14] Ad vescendum &c. *Poterant comedi ab impuris. Siphra ad Levit.* VII. 19. R. Jehosua dicit; si de Sacrificio Paschali, quod afferretur cum immunditia, comederent homines & mulieres seminifluæ, menstruatæ, & puerperæ, crederem, quod pœna tenerentur; ideo dictum est; *Quis fuerit mundus vescetur ex ea; Anima polluta quæ ederit de carnibus* &c. Pro illa, quæ mundis mactabatur, pœna tenebatur propter immunditiem, pro illa, quæ immundis mactabatur, non tenebatur, pœna propter immunditiem. *Pesiktha ibid.* Hinc dixit R. Jehosua. Si Pascha veniat cum immunditie, & de eo comedant seminiflui, & seminifluæ, menstruatæ, & puerperæ, non tenentur pœna, quod mactatur pro mundis, rei sunt, si vero non mactetur mundis, non sunt rei. *Misna Pesachim* IX. 4. Pascha si venerit cum immunditie, de eo non comedunt seminiflui, & seminifluæ; sin autem comederint, liberi sunt ab excisione. R. Eliezer absolvit etiam ad introitu templi.

[15] Maximam partem civitas &c. *Misna Pesachim* VII. 6. Si cœtus pollutus fuerit, aut maxima illius pars, aut Sacerdotes polluti fuerint, & cœtus purus, conficietur in immunditie. Si minima pars cœtus polluta fuerit, puri conficiunt Pascha primum, & impuri faciunt secundum. *Tosaphta Pesachim ibid.* Si cœtus, & Sacerdotes essent puri, & vasa sacra immunda, fiebat Pascha cum immunditie. Quandonam Sacrificium Paschale veniebat cum immunditie? quum major pars civitatis erat immunda; si dimidia pars erat pura & dimidia immunda, puri conficiebant primum, & impuri secundum; privatus destruebat æquilibrium Sacrificii Paschalis, ut fieret cum immunditie. R. Jehuda, & R. Eleasar filius Mathatiæ dicunt; privatus non decidebat de Sacrificio Paschali ut fieret cum immunditie, sicuti dictum est *Deut.* XVI. 5. *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum*. R. Simeon dicit; si dimidia pars eorum fuerit pura, & dimidia impura, puri seorsim faciunt, & impuri seorsim. Illi dixerunt, cœtus non dividebatur; verum aut omnes pure conficiebant, aut omnes in immunditie. *Maimonides ibid.* Ad primum Pascha si bene multi funere temerati fuissent homines, & iidem essent universæ pars minor Ecclesiæ, expectarent Pascha secundum itidem, & immundi reliqui. At si pars major Ecclesiæ, si Sacerdotes omnes, si omnia divino ministerio sacra utensilia funestata fuerint, non expectaretur Pascha secundum; sed cum puris simul immundi sacrum Paschale facerent, quod enin in lege scriptum videmus *num.* IX. 6. *Ecce autem quidam immundi super anima hominis* &c. Id hanc habet vim, ut homines singuli cum essent funestati Pascha secundum exspectarent, non item Ecclesia tota. Atque in solo funeris inquinamento huic præscriptioni locus erat, quemadmodum tractatu de ratione adeundi templi disseruimus. Si dimidia pars Ecclesiæ pura foret, dimidia funere temerata, omnino Pascha primum celebrarent omnes; verum enim puri pure sua sacra Paschalia separatim, & separatim sacra sua inquinati facerent, ac comederent inquinate. Si vero funestata pars Ecclesiæ partem alteram puram homine vel uno superaret, Sacrum Paschale promiscue facerent omnes inquinate. Si viros inter totidem inquinati funere, quot puri reperirentur, & mulieribus annumeratis, puri, quam funestati, plures essent; illi Pascha primum, hi nec primum, nec secundum celebrabant; non primum, quod pauciores cæteris essent, neque porro secundum, quia mulieribus celebratio secundi Paschatis omnino erat libera; nulla vero mulierum habita ratione, viri funestati dimidia pars inveniebatur Ecclesiæ, atqui Ecclesia dimidiata Pascha secundum celebrabat nunquam. Si seminis fluxione, lepris concubituque mulierum menstrualium essent inquinati Ecclesiæ plerique, pauci quidem funere polluti, pauci isti funestati Pascha primum non celebrabant ideo, quod essent Ecclesiæ pars minor; porro autem iidem non agebant Pascha secundum; quia nunquam homines pauci Pascha secundum agebant, nisi Pascha primum Ecclesia maximam partem celebrasset; hic igitur quoniam Ecclesiæ major pars Pascha primum non egerat, pauci quidam isti funestati Pascha secundum non celebrabant &c.

[16] Nam alio temerati &c. *Siphra ad Levit.* VII. 19. R. Eliezer dicit; si irrumperent seminiflui, & leprosus, & in atrium ingrederentur, crederem, quod pœna tenerentur; ideo dicit num. V. 2. *Ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo*. Quo tempore mortuo polluti rei sunt, etiam seminiflui & leprosus pœna tenentur; quo tempore mortuo polluti non sunt rei, neque seminiflui, neque leprosi pœna tenentur.

[17] Neque rei divinæ &c. *Tosaphta Pesachim* VIII. 7. Quando Sacrificium Paschale veniebat cum immunditie ---- seminiflui, & seminifluæ, menstruatæ & puerperæ non poterant mactare, & si mactassent, pœna tenebantur. R. Simeon dicit nomine R. Jehosuæ; si mactassent, liberi erant, quia textus dicit *Levit.* VII. 19. *qui fuerit mundus, vescetur ex ea; Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino* &c. pro illo, quod pro puris mactatum est, tenetur pœna propter immunditiem, pro illo, quod mactatur pro immundis, non tenetur pœna propter immunditiem.

[18] Ingrediebantur atrium &c. *Tosaphta Pesachim ibid.* Quando comedebatur sacrificium Paschale in immunditie - - - - seminiflui, & seminifluæ, menstruatæ, & puerperæ, non poterant ingredi in atrium; & si intrassent, pœna tenebantur. R. Eliezer dicit, si intrassent, liberi erant, quia textus dicit *Num.* V. 2. *ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo*; quo tempore mortuo pollutus pœna tenebatur, etiam seminiflui, & leprosi rei erant; quo tempore mortuo pollutus non erat reus, neque seminiflui pœna tenebantur.

[19] Si

[19] Si in templum &c. *Tosaphta Pesachim ibid.* Quum ederetur sacrificium Paschale in immunditia, mortuo pollutus poterat atrium intrare, & comedere. *Et paucis interjectis*. Quum sacrificium Paschale veniebat cum immunditia, mortuo pollutus ingrediebatur in atrium, & mactabat.

[20] *Ecce autem quidam* &c. *Siphri ad Num.* IX. 6. *Ecce autem quidam immundi super anima hominis*. Quinam erant? qui ferebant arcam Joseph; verba R. Ismaelis. R. Akiba dicit; erant Misael, & Elzaphan, qui se polluerunt propter Nadab & Abihu. R. Isaac dicit; non est necesse; si ferebant arcam Joseph, poterant emundari; & si erant Misael, & Elzaphan, poterant expiari, quinam erant igitur? se polluerant mortuo præcepti; sicuti scriptum est; *qui non poterant facere Phase in die illo*; non poterant facere in die illo, sed poterant facere postridie; deprehenditur, quod doceamur, quod eorum septimus dies inciderit in vesperam Paschatis. *Et nonnullis interjectis* &c. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens; Loquere filiis Israel; qui fuerit immundus super anima*; hoc fuit quod postulavit; *sive in via procul*; hoc fuit quod non postulavit; *Homo qui fuerit immundus super anima*; non probo nisi pro immundo super mortuo; pro reliquis immundis unde probatur? Ex eo quod dicit; *sive in via procul*; tu deducis principii constitutionem ex his duobus; non est similis mortuo pollutus illi, qui est in via procul; neque is qui fit in via procul similis est polluto propter mortuum; paritas, quæ inter illos intercedit, est, quod qui non fecit primum Pascha, faciat secundum; ita etiam quivis non fecerit primum Pascha, faciet secundum. *Pesiktha ibid. Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo*; inciderat eorum septimus dies in vesperam Paschatis, alii dicunt, portabant arcam Joseph; alii dicunt, erant ex Israelitis; omnes hi poterant mundari; at probabiliora sunt verba, quæ dicit textus, mortuo præcepti polluti erant &c.

[21] Homines singulos &c. *Siphri ibid. Siquis autem mundus est*; Crederem, quod tam privatus, quam cœtus faciat secundum Pascha; ideo dictum est; ויהי אנשים *Ecce autem quidam homines*; privatus facit Pascha secundum, non autem cœtus facit secundum Pascha. R. Nathan dicit, non est necesse; jam enim dictum est; והאיש; privatus facit Pascha secundum, non vero cœtus facit secundum Pascha. *Pesiktha ibid. Si quis autem mundus est*; privatus facit Pascha secundum, non autem cœtus facit secundum Pascha.

[22] In Agiographis &c. *Pesiktha ibid. homo*; homo remittitur ad Pascha secundum, non autem cœtus remittitur ad Pascha secundum; Et si referas factum Ezechiæ, Sapientes illi non assensi sunt; dictum enim est, 2. *Paralip.* XXX. 18. *Magna enim pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est; & oravit pro eis Ezechias, dicens; Dominus bonus propitiabitur. Tosaphta Pesachim* VIII. 3. Privatus faciebat secundum Pascha, cœtus vero non faciebat Pascha secundum. R. Jehuda dicit; cœtus quoque facit Pascha secundum. Dixit R. Jehuda, contigit ut Ezechia rex obligaret cœtum ad faciendum Pascha secundum; sicuti scriptum est 2. *Paralip.* XXX. 18. *Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, quæ sanctificata non fuerat &c.*

[23] Intercalatio mensis Adar &c. *Misna Pesachim* IV. 9. Sex res fecit Rex Chiskias, de tribus concesserunt illi, at de tribus non concesserunt illi &c. Sed de tribus non concesserunt illi, amputavit portas templi, & misit eas ad regem Assyriæ, at non concesserunt illi; occlusit aquas Gichon superioris; at non concesserunt illi, intercalavit Nisan, in Nisan, ut non concesserunt illi. *Tosaphta Pesachim ibid.* R. Simeon dicit, non quod obligarit cœtum ad faciendum secundum Pascha, sed quod intercalarit Nisan in Nisan; quia non fit intercalatio nisi in Adar, R. Simeon filius R. Jehudæ dicit nomine R. Simeonis; tum etiam, quod obligarit cœtum ad faciendum Pascha secundum. *Tosaphta Sanhedrin* II. 12. Non fit intercalatio propter immunditiem. R. Jehuda dicit; fit intercalatio propter immunditiem; contigit, ut Rex Ezechia intercalarit propter immunditiem; sicuti dictum est 2. *Paralip.* XXX. 18. *Magna etiam pars populi de Ephraim & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat &c.* R. Simeon dicit, si facienda erat intercalatio propter immunditiem, jam erat intercalatio; at intercalavit Nisan in Nisan, neque facienda est intercalatio, nisi in Adar. R. Simeon filius Jehudæ dicit nomine R. Simeonis; Præterea obligavit cœtum ad faciendum secundum Pascha.

[24] Mensis Adar &c. *Tosaphta Sanhedrin ibid.* Non fiebat intercalatio nisi pro majore parte mensis; & quanta est major pars mensis? sexdecim dies; R. Jose dicit; duæ tertiæ partes mensis. Non fiebat intercalatio ante principium anni, & si intercalassent, non est intercalatio; At necessitatis tempore statim post principium anni in posterum non fit intercalatio nisi in Adar. *Et post nonnulla*. Testatus est Chanina vir ex Ono coram Rabbam Gamaliel in Jabne, quod non intercalaretur annus nisi in Judæa, si vero in Galilæa intercalassent, recta erat intercalatio; & quod intercalaretur toto mense Adar; etenim ab initio dicebant; quod intercalari tantum liceret usque ad Purim; usque dum venerunt R. Jehosua, & R. Papias, & testati sunt; totum mensem Adar legitimum esse ad intercalandum.

[25] Tricesimo die &c. *Maimonides de consecratione Calendar.* IV. 14. Mensis Adar dies cum venerat tricesimus, necdum esset intercalatum, omnino intercalandum non erat; quippe cum possent illo die calendæ Nisan haberi. Mensis vero Nisan cum venerat, necdum intercalatum fuit, intercalari porro non erat integrum. Verumtamen hoc ipso die tricesimo mensis Adar si esset intercalatum, ratum habebatur. Ergo si postquam erat intercalatum, lunæ novæ nuncius afferretur, calendæ celebrabantur non Nisan, sed denuo mensis Adar. Sin autem calendæ consecratæ fuerant antequam intercalatum esset, deinceps non intercalabatur quoniam mense Nisan non erat intercalandi potestas.



פרק חמישי

א. מצות עשה לקדש כהן העובד ידיו ורגליו ואחר כך יעבוד שנאמ' ורחצו אהרן ובניו ממנו את ידיהם ואת רגליהם וכהן שעבד ולא קידש ידיו ורגליו שחרית חייב מיתה בידי שמים שנא' ירחצו מים ולא

CAPUT QUINTUM.

I. SAcerdos sacrificium facturus ut ante, quam operaretur, * manus lavaret & pedes [1] jubendo sancitum est, siquidem in Lege scriptum videmus: *Lavabunt ex eo Aaron & filii ejus manus suas ac pedes*. [*Exod.* 30. *v.* 19.] Qui si sacerdos non lotis primo diluculo manibus & pedibus fecisset, meruisset ut divina vis eum [2] morte multaret, quandoquidem a Lege dicitur: ימותו

I. *Manus lavaret*. Ad verbum *consecraret*, de qua loquendi consuetudine vide quæ diximus tract. I. cap. I. art. 6.

ימותו ועבודתו פסולה בין כהן גדול בין כהן הדיוט

ב. ומניין שעבודתו פסולה שנ׳ חוקת עולם לו ולזרעו ובבגדי כהונה הוא אומר חוקת עולם מה מחוסר בגדים מחלל עבודה כמו שבארנו אף מי שלא רחץ ידיו ורגליו מחלל עבודה

ג. אין הכהן צריך לקדש בין כל עבודה ועבודה אלא פעם אחרת מקדש בבקר ועובד והולך כל היום כולו וכל הלילה והוא שלא יצא מן המקדש ולא ישן ולא יטיל מים ולא יסיח דעתו ואם עשה אחד מארבעתן צריך לחזור ולקדש

ד. יצא מן המקדש וחזר ועבד ולא קדש אם לא הסיח דעתו עבודתו כשרה וזה הכלל היה במקדש אין אדם נכנס לעזרה לעבודה אעפ׳ שהוא טהור עד שהוא טובל

ה. וכל המסיך את רגליו טעון טבילה וכל המטיל מים טעון קידוש ידים ורגלי׳ יצא חוץ לחומת העזרה אם לשהות בחוץ יצא כשחוזר טעון קידוש ידים ורגלים בלבד ואם לא טבל ולא קידש ועבד הואיל ולא הסיח דעתו ולא הסיח רגליו ולא הטיל מים עבודתו כשרה הוציא ידיו חוץ לחומת העזרה אינו צריך לחזור ולקדש

ו. נטמאו ידיו מטבלן והם טהורות ואינו צריך לחזור ולקדש נטמא גופו באכילת אוכלין טמאין או שתיית משקין וטבל אעפ׳ שאינו צריך הערב שמש חוזר ומקדש אחר:

Lavabunt se aqua, & non morientur: [*Ibid. v.* 20,] porro autem operatio illoti sacerdotis tam summi, quam privati 3 profana fuisset.

II. Quod quidem 4 inde concluditur, quia hic loci scriptum est: *Legitimum sempiternum erit ipsi & semini ejus per successiones:* [*Ibid. v.* 21.] atqui de vestimentis sacerdotalibus itidem præcipitur: *Legitimum sempiternum erit Aaron & semini ejus post eum.* [*Exod.* 28. *v.* 43.] Ut igitur sacerdos si vestium indigens operatus esset, rem divinam, ut supra posui, profanasset, item & qui manibus & pedibus illotis operaretur, operatio profana fuisset.

III. Nam ut sacerdos inter unamquamque operationem lavaret, 5 opus non erat: mane semel lavabat & tota deinde die, totaque nocte operabatur, siquidem nec e templo exierat, neque somno se dederat, neque urinam fecerat, neque porro a re divina cogitationem averterat. Qui si quid horum fecisset, rursum lavaret oportuisset.

IV. 6 Sin e templo exisset atque redisset, & omissa lavatione operaretur, modo cogitationem a re divina non avocasset, operatio ejus bona fuisset. Nam hæc templi cautio generalis erat, 7 nemo quamvis mundus ingrediebatur atrium operaturus, quin prius corpus totum * in aquam immersisset.

V. Quisque post alvi dejectionem in aquam mergendo corpus totum ablueret oportebat: 8 post redditam urinam, manus & pedes lavaret. Et qui extra muros atrii excessisset moram facturus, reversus corpus totum in aquam immergebat: sin autem exisset statim rediturus, manus tantum & pedes lavaret oportebat: Quanquam si reversus in aquam corpus non mersisset, non lavisset manus & pedes, & operaretur, quando cogitationem a re divina non averterat, nec alvum dejecerat, neque urinam fecerat, bona erat ejus operatio. 9 Jam si manus tantum extra muros atrii porrexisset, nihil erat, quod rursus lavaret.

VI. Si cujus fuerant 10 temeratæ manus, immersæ in aquam * purificabantur, neque porro lavatione opus erat: si quis autem cibo & potu usus immundo corpus totum inquinasset, atque in aquam mergendo abluisset, postea etiam manus & pedes lavaret, ut occidentem solem expectare non

טבילה

IV. *In aquam immersisset.* Hac de re ita præceptum est Exod. 30. v. 19. & 20. *Lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt* &c. Templi vero cautio postmodum eo major erat, quod nec in ejus atrium quisquam ingrederetur sacris operaturus, quin prius corpus totum abluendum in aquam vivam immersisset. Ac similem purgandi ritum ab ethnicis etiam observatum esse cum sua ingrederentur delubra, cognoscere licet ex Ovidio, qui 1. Metamorph. ita canit,

Inde ubi libatos irroravere liquores
Vestibus & capiti, flectunt vestigia sacræ
Ad delubra Deæ.

An ista ceremonia hoc significatum voluit Deus, nisi per sacrum lavacrum in Ecclesiam novi fœderis ingressurum esse neminem?

VI. *Purificabantur, neque porro.* Aliud enim erat in aquam mergere manus, aliud vero eas consecrare seu lavare: nempe erat quædam peculiaris lavandi ratio, de qua differetur articulo 16. hujus ipsius capitis.

טבילה שכל טובל מקדש ידיו ורגליו ואח' כך עובד ואם לא קדש הואיל ולא הסיח דעתו לא חלל

ז. כהן גדול שלא טבל ידיו ורגליו בין בגדים לבגדים בין עבודה לעבודה ביום הכפורים ועבד עבודתו כשר' הואיל ואותן הטבילו' והקידושין אינן שוים באהרן ובניו ונאמר ורחצו אהרן ובניו ממנו דבר השוה בכל הכהנים מעכב שהוא קידוש ראשון

ה. קידש ידיו היום צריך לחזור ולקדש למחר אע״פי שלא ישן כל הלילה שהידים נפסלות בלילה קידש בלילה ותקטיר החלבין כל הלילה צריך לחזור ולקדש ביום לעבודת כל היום

ט. קידש ידיו ורגליו לתרומת הדשן אע״פ שהוא מקדש קודם שתעלה השמש אינו צריך לחזור ולקדש אחר שהיר היום שהרי בתחלת עבודה קדש

י. מצוה לקדש ממי הכיור ואם קידש מאחד כלי השרת הרי זה כשר אבל כלי החול אינן מקדשי' קדש בכלי שרת בחוץ או בכלי חול בפני' ועבד עבודתו פסולה ואין מקדשי' בתוך הכיור או בתוך כלי השרת אלא מהן שנ' ורחצו אהרן ובניו ממנו את ידיהם ואת רגליה' ואם' קדש בתוכו ועבד לא חלל

יא. הטביל ידיו ורגליו במי מקוה אפילו במעיין אין זה קידוש כלל עד שירחץ בכלי ובכל כלי הקדש מקדשי' בין שיש בהן רביעית בין שאין בהן רביעית

יב. כל המימות כשרים לקידוש בין מים חיים בין מי מקוה ובלבד שלא

deberet. Nam sic se res habebat, cujuscunque oportebat ablui corpus totum immersione, eundem oportebat etiam lavare manus & pedes ante, quam faceret: quanquam si non lavisset, dummodo animum a re divina non avertisset, nihil profani fecisset.

VII. Summus pontifex si die solemni Expiationum 11 inter vestium mutationes varias, variaque sacrificiorum genera, neque corpus totum in aquam immersisset, neque manus & pedes lavisset, & operaretur, recta tamen ejus operatio fuisset: neque enim baptismata & lavationes istæ in Aarone æque & ejus liberis observabantur. Atque scriptum est: *Lavabunt ex eo Aaron & filii ejus*, (*Exod.* 30. *v.* 19.) cujus verbi hæc est vis, quod in omnibus æque sacerdotibus locum habeat, id denique obstare, cujusmodi prima illa lavatio utique erat.

VIII. Sacerdos cum uno die manus lavisset, 12 postero quoque die lavaret oportebat, ut noctem totam insomnem duxisset: Namque manus * nocte profanæ fiebant. Et qui manus lavisset prima nocte, atque ea tota adipem adolevisset, eum mane rursum in sacra diurna lavare necesse erat.

IX. Ad tollendos cineres si manus lavisset, etsi sol necdum erat exortus, tamen nihil erat, quod postea, quam lucebat, denuo lavaret, quando principio operationis laverat.

X. Atque ut aqua e labro illo exiliente manus abluerentur, præceptum erat: verum tamen si quis 13 ex alio vase ad rem divinam apto lavisset, bene habuisset: de vasis autem profanis nequaquam consecrabantur. Jam si quis ex vase ad rem divinam administrandam parato manus lavisset extra Sanctuarium, aut intra Sanctuarium lavisset e vase profano, & faceret, operatio ejus profana fuisset: porro autem manus non abluebantur 14 intra labrum ipsum, aut intra vas aliud divino ministerio consecratum: scriptum est enim: *Lavabunt ex eo Aaron & filii ejus*, (*Ibid.*) non item in eo: quanquam si quis manus intra labrum abluisset, atque fecisset, nihil profanasset.

XI. Si quis autem manus & pedes in aquarum conceptaculum, immo etiam in fontem perennem immersisset, purificatio nulla fuerat: ex vase lavare necesse erat. Atqui ex omni vase sacro purificabantur seu in hoc aquæ quartarius, seu minus inesset.

XII. Ad istam vero consecrationem 15 quævis aqua apta erat, jugis, & conclusa, modo non esset hujus immutata species,

ישתנה

VIII. *Nocte profanæ fiebant*. Fuit ista & apud ethnicos opinio nocte contaminari omnia. Legimus ad initium lib. 4. *Æneidos*.
Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemque aurora polo dimoverat umbram.

„ In quos versus ita scripsit Serv. Honoratus. *Lustra-*
„ *bat*. Aut illustrabat, aut revera lustrabat, id est,
„ purgabat. Nam nox quodammodo polluit mun-
„ dum.

ישתנה מראיהן אלא יהיו במים הכשרים לטבילה טיט הנדוק שהפרה שוחה ושותה ממנו משלים למי כיור זה הכלל כל המשלים למי מקוה משלי׳ למי כיור

יג. כמה מים צריכין להיות בכיור אין פחו׳ מכדי לקדש ממנו ד׳ כהנים שנ׳ אהרן ובניו והיו אלעזר ואיתמר ופנחס עמהם הרי ארבעה

יד. מי כיור נפסלין בלילה כמו שבארנו וביצד היו עושין משקעין אותו במי מקוה או במעיין ולמחר מעלין אותו או ממלאין אותו בכל יום בבקר

יה. הים שעשה שלמה כמקוה היה שאמה של מים היתה עוברת בתוכו מעין עיטם לפיכך לא היו מימיו נפסלין בלילה כמי הכיור וממנו היו ממלאין הכיור

יו. כיצד מצות קידוש מניח ידו הימנית על גבי רגלו הימנית וידו השמאלית על גבי רגלו השמאלית ישוחה ומקדש וכל החוצץ בטבילה חוצץ בקידוש ידים ורגלים ואינו מקדש כשהוא יושב מפני שהוא בעבודה ואין עבודה אלא מעומד שנ׳ לעמוד לשרת

יז. וכל העובד והוא יושב חלל ועבודתו פסולה ואינו לוקה מפני שאזהר׳ שלו מכלל עשה היא וכן כל העוסק בעבודה מעבודת המקדש צריך שיהיה עומד על הרצפה ואם היה דבר חוצץ בינו ובין הקרקע כגון שעמד על גבי כלי׳ או בהמה או על רגלי חבירו פסל וכן אם היה דבר חוצץ בין ידו ובין הכלי שעובד בו פסל

יט. ואין עבוד׳ אלא בימי׳ ואם עבד בשמאל פסולה ואינו לוקה רגלו אחד על הכלי ורגלו אחד על הרצפה רואי׳ כל

ſed faciem haberet aquæ, qua ad luſtrandum corpus uti licet. Minutum illud luti genus, unde bos inclinata aquam fere ſorbet, requiſitam in labro menſuram aquæ complebat. In ſumma quidquid aquæ modum * conceptaculo præfinitum explebat, idem explebat & menſuram aquæ labro conſtitutam.

XIII. Quantum igitur aquæ in labro requirebatur? Non minus, quam unde [16] ſacerdotes quatuor manus & pedes conſecrarent: ſcriptum eſt enim: *Aaron & filii ejus*: (*Exod.* 30. *v.* 19.) hi autem erant Eleazar, & Itamar, & cum his fuerat etiam Phinees; en igitur numero quatuor.

XIV. Quæ labro continebatur aqua ea nocte, ſicut ante dictum eſt, profana fiebat: horum igitur alterutrum fiebat, aut ſingulis noctibus labrum vel in aquæ conceptaculo, vel in fonte ſubmergebatur, & poſtero die mane extrahebatur, aut hoc idem aqua ſingulis diebus primo diluculo complebatur.

XV. [17] Aſſimile conceptaculi [18] mare Salomonis erat: per hoc enim aquæ rivus e fonte Etham perfluebat: ergo in hoc aqua non item, ut in labro nocte temerabatur: immo vero labrum ex eo implebatur.

XVI. Jam hæc erat manuum [19] conſecrandarum ratio. Sacerdos ad pedem dextrum dextram manum applicabat, lævam ad pedem lævum, incurvuſque ea ſimul conſecrabat. Et quidquid luſtrando corpori obſtabat, obſtabat etiam conſecrationi manuum: non conſecrabat autem manus ſedens, quia & conſecratio iſta erat quoddam quaſi ſacrificium, quod utique ſtantem facere oportebat: ſcriptum eſt enim: *Ut ſtet & miniſtret*. (*Deut.* 18. *v.* 5.)

XVII. Nam ſi [20] quis ſedens rem divinam feciſset, utique profanaſset, ejuſque operatio tota nulla haberetur: verumtamen verberibus non multaretur, quippe ſacerdos hac de re jubendo monetur. Similiter qui in templo operabatur, [21] in ipſo pavimento ſtaret oportebat: ſi quid inter ſacerdotem & ſolum intereſſet, ut [22] ſi vaſis, jumento, pedibuſque alterius inſiſteret, operatio nulla fuiſset. Et ſi quid inter manum ejus & utenſile, quo ad operandum utebatur, intereſset, item operatio nulla fuiſset.

XVIII. Porro ſacerdotem manu [23] dextera operari oportebat: ſi ſiniſtra operatus eſset, operatio nulla fuiſset: verberibus autem non multaretur. [24] Si pedum unus in vaſe, alter in pavimento, ſi pedum unus

XII. *Conceptaculo præfinitum*. Lavacrum illud in quo luſtrandi ſeu purgandi cauſa ſe ſuaque mergunt Judæi מקוה nuncupant, quod ad verbum eſt *congregatio* ſeu *conceptaculum* videlicet aquarum. In eo, ut rebus luſtrandis ſit idoneum, cum præfinitus aquæ modus, tum multæ & variæ requiruntur conditiones de quibus & in Talmude, & in Majemonidæ noſtri Secunda Lege diſputatur Tractatu toto, qui מקואות inſcribitur.

שאילו ינטל הכלי או האבן יכול לעמוד על רגלו אחד עבודתו כשרה ואם לאו עבודתו פסולה קיבל בימין ושמאל מסייעתו עבודתו כשרה שהמסייע אין משגיחי' עליו

יט. נתנדדה אבן מאבני העזר' לא יעמוד עליה בשעת עבודה עד שתחובר בארץ ואם עבד עבודתו כשרה הואיל ובמקומה עומדת:

lapide in aliquo, alter in pavimento fixus eſset, videndum erat, ſi ſublato vaſe aut lapide ſacerdos etiam pede ſub uno ſtare poſset, bene operatio ſe haberet: ſin minus, operatio nulla fuiſset. Nam ſi dexteram aliquid apprehendentem læva ſublevaſset, operatio bene haberet: nempe ſublevatio pro nihilo ducebatur.

XIX. In atrii pavimento ſi lapis aliquis eſset a ceteris ſeparatus, in eo, donec cum ſolo copularetur, ſacerdos ſtare non debebat tum, cum rem divinam faciebat. Quanquam ſi in eo operatus eſset, operatio bene habuiſſet, ſi quidem lapis ille in loco ſuo manſiſset.

NOTÆ IN CAPUT QUINTUM.

1 Jubendo &c. R. *Levi præcept*. 106. Abluendas manus, & pedes omni tempore Sacerdoti, quo ingreditur Sanctuarium, & venit ab obeunda ſacra; atque hæc eſt conſecratio manuum, & pedum ſicut dicitur *Exod*. XXX. 20. *Lavabunt ---- quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii ---- ne forte moriantur*.

2 Morte multaret &c. *Toſaphta Joma* I. 19. Cum Sacerdos ſummus, tum Sacerdos idiota, qui non lotis ex labro manibus, & pedibus miniſtraſſent, rei erant mortis, ſicuti dictum eſt *Exod*. XXX. 20. *Quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii* &c. *Toſaphta Menachoth* I. 10. Cum Sacerdos ſummus, tum Sacerdos idiota, qui mane illotis manibus & pedibus miniſtraſſent; rei ſunt, mortis; ſicuti dictum eſt. *Exod. ibid. Lavabunt ---- quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii ---- ne forte moriantur*.

3 Profana &c. *Toſaphta Joma ibid*. Sacerdotes, qui non laviſſent, neque ſanctificaſſent manus & pedes, atque ita ſummus Sacerdos qui non laviſſet, nec ſanctificaſſet manus & pedes mane, eorum miniſterium eſt illegitimum. *Toſaphta Menachoth ibid*. Sacerdotes, qui non laviſſent, neque ſanctificaſſent manus & pedes, atque ita ſummus Sacerdos, qui non laviſſet, neque ſanctificaſſet manus & pedes mane, & miniſtraſſent, eorum miniſterium eſt illegitimum.

4 Inde concluditur &c. *Maimonides ad c*. II. 1. *Sevachim*. Qui vero Sacerdos non laverit manus nec pedes, is quoque ad miniſterium ineptus eſt; vide *Exod*. XXX. *ubi verſ*. 21. dicitur; *legitimum ſempiternum*; & *Exod*. XXVIII. 43. etiam de veſtimentis dicitur; *legitimum ſempiternum*. Propterea quemadmodum deſtitutus veſtibus eſt illegitimus, ita quoque is qui nec manus nec pedes lavit. *Bartenora ibid*. Quia de manuum pedumque lotione dictum eſt Exod. XXX. 21. *legitimum ſempiternum*; & de veſtimentis Sacerdotalibus dictum eſt; *legitimum ſempiternum*; quemadmodum ergo deſtitutus veſtibus illegitime fecit, ſic etiam illegitime fecit, ſi illotis manibus, pedibuſque miniſtraverit.

5 Opus non erat &c. *Toſaphta Joma ibid*. Sacerdotes qui non laviſſent, neque ſanctificaſſent manus & pedes [*nempe inter ſingulas operationes*] -------- & miniſtraſſent, eorum miniſterium eſt legitimum. *Toſaphta Menachoth ibid*. Sacerdotes qui non laviſſent, neque ſanctificaſſent manus eſt pedes ---- & miniſtraſſent, eorum miniſterium eſt legitimum.

6 Sin e templo exiſſet &c. *Toſaphta Joma ibid*. Sacerdos ſummus, qui e veſtibulo exiſſet, ut cum ſocio ſuo loqueretur, & receſſiſſet, lotione illi opus erat. Rogarunt Ben Zoma qua ratione hæc lotio probaretur; illis reſpondit; ſiquis de ſacro ingreditur in ſacrum in locum, in quo non eſt pœna excidii, lotio neceſſaria erat; qui ingreditur de profano in ſacrum, in locum, ubi eſt pœna excidii, non æquum eſt, ut ad lotionem obligetur? R. Jehuda dixit, non erat hæc lavatio neceſſaria, niſi quod aliquando contingere poſſet, ut ſecum haberet immunditiem; dum lavaret, recordabatur & abibat.

7 Nemo quamvis mundus &c. *Miſna Joma* III. 3. Nemo atrium intrabat ad miniſterium peragendum quamvis mundus, antequam laverit. *Bartenora ad h. l.* Non accipiendum hoc eſt proprie; nam non eſt neceſſe hoc dicere, ſed per conſequentiam a minori ad majus elici poteſt; quod ſi Pontifex maximus, qui mactabat de ſancto ad ſanctum, de miniſterio exteriori ad interius, & de miniſterio interiori ad exterius, debebat ſe immergere inter quodlibet miniſterium; ille qui veniebat e domicilio ſuo, quod eſt de profano in ſanctum, quanto magis immergere ſe debebat.

8 Poſt redditam &c. *Maimonides ibid*. Cæterum in tractatu *Joma* jam diximus, quod quiſquis urinam reddiderit, etſi corpus ſuum polluerit, ſe lavet, at non ſecunda vice.

9 Jam ſi manus &c. *Maimonides ibid*. Si autem manus ſuas quis extra atrii muros emiſerit, non tenetur eas denuo lavare; at ſi totum extra ipſum produxerit, denuo ſe lavet.

10 Temeratæ manus &c. *Maimonides ibid*. Verum ſi manus ſuas polluerit, lavet eas, & tum mundæ erunt, ſicuti in aliquot libri Taaroth locis expoſitum eſt; at ſecunda vice non tenetur manus pedeſque lavare.

11 Inter veſtium mutationes &c. *Toſaphta Joma* I. 18. Atque ita ſummus Sacerdos, qui non laviſſet, neque ſanctificaſſet & manus & pedes inter unum & alterum miniſterium, atque inter veſtes, & veſtes, miniſterium ejus legitimum eſt. *Toſaphta Menachoth* I. 11. Similiter ſummus Sacerdos, qui non laviſſet, neque ſanctificaſſet & manus & pedes inter unum & alterum miniſterium, inter veſtes & veſtes, & miniſtraſſet, miniſterium ejus legitimum eſt.

12 Poſtero quoque &c. *Toſaphta Joma ibid*. Si tota nocte offerret ſacrificia, tenetur *mane* ſanctificare manus & pedes; Rabbi dicit; ſin minus ſanctificaſſet manus & pedes, nocte profanus fiebat. R. Eleaſar filius R. Simeonis dicit; etiamſi, integro ſeptiduo operam daret ſacrificiis; noctu non fiebat profanus propter ſanctificationem manuum & pedum. *Toſaphta Menachoth ibid*. Si offerret tota nocte mane tenetur ſanctificare manus & pedes. Rabbi dicit, nocte non fiebat illegitimus propter ſanctificationem manuum & pedum. R. Eleaſar filius R. Simeonis dicit; vel ſi ab ſacrificando triduo abſtineret, nocte non fit profanus propter ſanctificationem manuum & pedum.

13 Ex alio vaſe &c. *Toſaphta Menachoth ibid*. Quomodo ſanctificabantur manus & pedes? vaſis ſacris intus, ſi vaſis ſacris foris, aut vaſis profanis intus ſanctificaſſet manus & pedes, aut euripi aquis laviſſet, miniſterium ejus illegitimum eſt.

14 Intra labrum &c. *Bartenora ad cap*. II. 1. *Sevachim*. At non lavet ſe e labro ipſo, ſed ex aqua effluente, ſicuti ſcriptum eſt *Exod*. XXX. 19. *lavabunt Aaron & filii ejus* ממנו *ex ipſo* ſc. labro, ſed non in ipſo. *Maimonides ibid*. Sed prohibitum eſt ipſa

labri

labri aqua se lavare, quia scriptum est Exod. XXX. 19. ממנו *ex ipso* sc. labro, & non בתוכו *in ipso*.

[15] Quævis aqua &c. *R. Levi ibid.* Commoda autem est quælibet aqua, sive ex fonte petatur, sive alveo, illicita vero redditur pernoctatione.

[16] Sacerdotes quatuor &c. *Maimonides ibid.* Sed in labro non plus aquæ continebatur quam quantum ad quatuor Sacerdotes lavandos satis erat, quemadmodum scriptum est *Exod. Et lavabunt Aaron & filii ejus ex ipso*; Aaronis vero filii erant Ithamar, & Eleazar, atque Pinchas.

[17] Assimile &c. *Misna Joma* III. 10. Filius Catini fecit duodecim Epistomia labro, cum antea duo tantum habuerat; fecit insuper machinam labro, ne aquæ ejus nocte polluerentur. *Bartenora h. l.* Rotam ad demittendum eam in puteum, ut aquæ conjunctæ essent, & non profanarentur, quia per noctem relictæ erant. *Idem ad Tamid* I. 4. Ben Catin, ita vocabatur Pontifex maximus qui מוכני fecerat pro labro, cujus ope aquam haurire poterant e puteo labri, quoties quis accederet ad se lavandum, ne aqua pernoctando inficeretur, nam quicquid in vase ministerii consecratum est, id pernoctando inficitur, & dum labrum demissum erat in puteo, non inficiebatur.

[18] Mare Salomonis &c. *Raschi ad 3. Reg.* VII. 23. *Decem cubitorum a labio usque ad labium*; in ejus medio; quia omnis latitudo vasis rotundi in ejus medio est. *Et resticula triginta cubitorum*. Hoc est quod dicitur; cujus sit peripheria trium palmorum, ejus latitudo erit unius palmi; cujus peripheria sit triginta, ejus latitudo erit decem, & ab ejus medio metiendum. *Altitudo ejus*; ejus profunditas; & 2. *Paral.* IV. 6. dictum est quod illud factum sit, ut in eo lavarentur Sacerdotes, ut in eo se lavarent. *Sculptura*. Sculpta est figura ovorum, interpretatur Jonathan. *Subter labium*; in tribus cubitis inferioribus, qui erant quadrati, uti legimus in *Gemara Erubbin*; tres inferiores quadrati, & duo superiores rotundi; neque dici potest, quod caperet duo millia batorum, qui sunt centum & quinquaginta lavacra purificationis nisi eo modo, quo explicatur a nostris Rabinis in *Erubbin*. Et superiores quadrati, & inferiores rotundi, non potest dici, quia scriptum est, עגול סביב משפתו Pariter dictum est in cælaturis, quod decem cubitis ambirent mare in circuitu; quod in loco quadraturæ quadraginta cubiti ambiverint, decem cubiti ad singula latera, at in loco rotunditatis non potest dici עשר באמה סביב. *Duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles*. Totum una simul fusum est, non vero illi conjunctæ sunt cælaturæ, post fusionem per clavos, aut per conjunctionem, quod barbare vocant סלדודה *saldadura*. *Quorum posteriora universa* Boum erant intrinsecus sub mari; Tres qui erant in aquilone convertebant posteriora sua contra illos qui erant in meridie, & qui in oriente contra illos qui erant in occidente. *Grossitudo autem luteris trium unciarum erat*; ejus fundum & latus; verum quod erat super os erat tenue expansum & attenuatum; *quasi labium calicis*, ubi faciunt & efformant florem, & lilium; *Duo millia batos*; sex millia sata; batus enim continet tria sata; dictum est enim *Ezech.* XLV. 11. *Ephi & batus æqualia & unius mensuræ erunt*. Deprehenduntur centum & quinquaginta lavacra; Quadragies centum *continent* centum lavacra, & vicies centum quinquaginta lavacra; atque etiam quando omne dividatur juxta mensuram, qua mensi sunt Sapientes; cubitus super cubitum in altitudine trium cubitorum pro lavacro, deprehendetur, quod tres cubiti quadrati *contineant* centum lavacra, & duo rotundi quinquaginta lavacra, quia quadratum est majus rotundo quarta parte. Et 2. *Paral.* IV. 5. *Capiebatque tria millia batos*; Rabbini nostri explicant in mensura aridorum, quia accumulatio est tertia pars in loco receptionis. *Kimchi ibid. Decem cubitorum*; cujus latitudo sit decem cubitorum, ejus peripheria erit triginta cubitorum; & cujus peripheria sit trium palmorum, ejus latitudo erit unius palmi. *Et sculptura*. Jonathan interpretatur *figuras Ovorum*. Et 2. *Paralip.* IV. 3. *Similitudo quoque boum*. Corpus erat rotundum instar ovorum, & eorum ora similia erant faciebus boum; & quod dictum est *subter labium*, non dicendum est *subter labium* simpliciter, sed *subter labium* procul a labio duos cubitos, quia quinque cubitorum erat altitudo maris, & duo cubiti superiores erant læves, quibus non inerant figuræ boum, & in his duobus cubitis mare erat rotundum, & infra hos duos cubitos mare erat quadratum in tribus *cubitis* inferioribus, & in his erant figuræ boum; ideoque dictum est; *circuibat illud decem cubitis ambiens mare*; explicatur; decem cubiti ad singula latera. Ecce mare in quadratura erat quadraginta cubitorum, in rotunditate superius triginta cubitorum, uti explicarunt Rabini nostri f. m. pariterque demonstratur ex literali explicatione textus. יצקים ביצקת. Boves fundebantur una cum fusione maris, non connectebantur postea &c. *Et mox. Et stabat super duodecim boves*. Hic quoque textus demonstrat mare inferius fuisse quadratum, cui assignantur quatuor latera e regione quadraturæ; & in singulis lateribus erant tres boves, quibus insistebat mare, & facies boum conversæ erant ad latera, & eorum posteriora quadrata. *Labiumque ejus*. Jonathan interpretatur; & labium ejus quasi opus labii calicis convolutum, comprehensum in lilio. *Duo millia batos capiebat*; & 2. *Paral.* IV. 5. *Capiebatque tria millia batos* (sic Hebræus.) Rabini nostri interpretantur duo millia ex viridi, & tria millia ex arido; & sic interpretatur Jonathan; Duo millia batorum in liquido complebat; Quia cujusque vasis, cujus profunditas respondet dimidiæ latitudini, accumulatio supra labium est tertia pars ejus, quod continet vas usque ad labium suum, ideoque mare capiebat duo millia ex viridi, quod implebatur usque ad labium, & tria millia ex arido cum accumulatione a labio ejus & supra. Neque hic dicitur, quare factum sit mare, at 2. Paral. IV. 6. dictum est. *Porro in mari Sacerdotes lavabantur*; explicatur, quod in eo Sacerdotes immunditiès suas abluerent. *Raschi iterum ad* 2. Paral. IV. 2. *Decem cubitis a labio usque ad labium*; decem super decem, in medio ejus; *Rotundum per circuitum*. *Et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus*; cujus peripheria sit trium palmorum, ejus latitudo erit unius palmi. *Quinque cubitos habebat altitudinis*. *Similitudo quoque boum erat subter illud*. Figuræ similes boum cum eo fundebantur, quibus insisteret, & cum eo connectebantur, uti dicitur in fine versus. הבקר יצוקים במוצקתו. *Et decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ quasi duobus versibus alvum maris circuibant*. Hic non explicatur quid circuirent; Verum 3. *Reg.* VII. 24. scriptum est. *Et sculptura subter labium circuibat* &c. Sculpturæ quomodo fiunt calicibus פומ"לים rotundis ornatus causa, & subter ejus labium consistebant in tribus cubitis inferioribus rotundis. Et dici non potest, quod caperet duo millia batorum, qui sunt centum, & quinquaginta lavacra, nisi eo modo quo explicatur in *Erubbin*; & superiores quadrati, & inferiores rotundi, non potest dici, quia scriptum est עגול סביב; Et quod dictum est de cælaturis, quod decem cubitis ad singula latera *circuirent*, in loco rotunditatis non potest dici עשר באמה סביב. *Duo ordines*; hæ sunt sculpturæ. יצקי במוצקתו. Totum una vice fundebatur, non ei annectebantur cælaturæ post fusionem per clavos aut per conjunctionem, quod vocant barbare סלדורא *saldadura*. *Posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari*; Posteriora boum respiciebant intrinsecus sub mari; qui erant in aquilone convertebant posteriora sua contra illos, qui erant in meridie, & qui in oriente contra illos, qui erant in occidente. *Porro vastitas ejus habebat mensuram palmi*; fundum & latus ejus, at quod erat prope os, erat tenue, expansum, & attenuatum. *Et labium illius erat quasi labium calicis*; ponunt & efformant in eo florem lilii. *Capiebatque tria millia batos*; at 3. *Reg.* VII. 26. Scriptum est; *duo millia batos capiebat*. Accumulatio est tertia pars; Batus enim continet tria sata; dictum est enim *Ezech.* XLV. 11. *Ephi & batus æqualia & unius mensuræ erunt*. Ecce tibi sex millia satorum; deprehenduntur centum & quinquaginta lavacra purificationis; pro quadragies centum satis centum lavacra deprehenduntur, & pro vicies centum satis reliquis quinquaginta lavacra; *Kimchi iterum in l. c. Paral. Decem cubitis a labio usque ad labium*; cujus latitudo sit decem, ejus peripheria erit triginta cubitorum; uti scriptum est; *Et funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus*; Etenim cujus peripheria sit trium palmorum, ejus latitudo erit unius palmi. *Et paulo post. Et decem cubitis quædam extrinsecus*

tælaturæ quaſi duobus verſibus alvum maris circuibant. Rabini noſtri f. m. interpretati ſunt, tres cubitos inferiores fuiſſe quadratos, & duos ſuperiores rotundos, quia altitudo maris erat quinque cubitorum; & de decem cubitis explicatur, quod boves eſſent in tribus cubitis inferioribus, ubi mare erat quadratum, ibique erant boves; & quod dictum eſt עשר באמות explicatur, quod eſſent decem cubiti ad ſingula latera, ecce mare erat quadratum quadraginta cubitorum, & rotundum ſuperius triginta cubitorum. *Et mox. Et ipſum mare ſuper duodecim boves impoſitum erat.* Hic quoque verſus demonſtrat mare inferius fuiſſe quadratum, quia ei numerantur quatuor latera, quaſi eſſet totum quadratum; & in ſingulis lateribus erant tres boves, quibus inſiſteret. *Capiebatque tria millia batos.* Et in libro *Regum; duo millia batos capiebat.* Rabini noſtri explicarunt; duo millia in viridi, & tria millia in arido; quia vas, quod continet rem aridam, ſi accumuletur, continebit tertiam partem magis, quam contineat *vas*, quod viridi impleatur, quia non poteſt accumulari, & accumulatio eſt tertia pars vaſis; Atque ita dixerunt in *Tractatu Celim* XV. Arca, capſa turris, alveare ſtramineum, alveare calamorum ----- quibus ſunt fundi, & quæ comprehendunt quadraginta ſata in humidis, quæ in aridis ſunt cori, hæc munda ſunt.

19 Conſecrandarum ratio &c. *Toſaphta Menachoth* I. 11. Quomodo ſanctificabantur manus & pedes? Imponebat manum ſuam dextram pedi dextro, & manum ſuam ſiniſtram pedi ſiniſtro, fricabat, & lavabat, atque iterum fricabat; & lavabat; R. Jehuda dicit, vel ſi duas manus, unam alteri impoſuiſſet; poterat ſanctificari; ei reſponderunt; fieri non poteſt. *R. Levi ibid.* Quomodo vero præceptum ſanctificationis peragitur? Imponit Sacerdos manum ſuam dextram pedi dextro, ſiniſtram vero pedi ſiniſtro; lavans autem ſtat, non ſedet; omnis autem cultus Sanctuarii ſtando peragitur; ſicut dicitur *Deut.* XVIII. 5. *ut ſtet & miniſtret.*

20 Si quis ſedens &c. *Siphri ad Deut.* XVIII. 5. Oſtendit ſcriptura, quod miniſterium non ſit legitimum, niſi ſtando; ſi autem ſedeat, & miniſtret, miniſterium ejus illegitimum eſt. *Peſiktha ibid. Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus de omnibus tribubus tuis, ut ſtet & miniſtret*; ad docendum, quod miniſterium non ſit legitimum niſi ſtando. *Toſaphta Menachoth* I. 13. Si ſederet ſuper pavimento illegitimum eſt, ſicuti ſcriptum eſt, *ibid. ut ſtet.*

21 In ipſo pavimento &c. *Toſaphta Menachoth ibid.* Si ſtaret ſuper lapide reprobum eſt; ſicuti dictum eſt *ibid. ſicut omnes fratres ejus Levitæ. Maimonides ibid.* Et quemadmodum nullum ſit interſtitium inter Sacerdotis manus & vaſa miniſterii, ita quoque inter pedes ſuos atque atrii ſolum nihil interſit, quod dividat utrumque. Dixerunt Sapientes; *ſolum conſecrat, & vaſa miniſterii conſecrant*; videlicet atrii ſolum conſecrat id quod in iſtum intraverit, ſicuti vaſa miniſterii conſecrant rem, quæ in iis eſt, atque inter ipſa & Sacerdotem nihil interjacere debet, ſic etiam inter atrii ſolum, & rem ſanctam nihil interjacere debet, ſive id ſit vas, ſive homo, ſive pecus.

22 *Si vaſis &c. Siphri ad Deut.* XVIII. 17. *Miniſtrabit in nomine Domini Dei ſui*; in pavimento. Hinc dixerunt; præputiatus, immundus, ſtans ſuper vaſis, aut beſtia, aut ſocio ſuo, miniſterium eſt illegitimum. *Peſiktha ibid. Sicut omnes fratres ejus*; ſuper pavimento; ſicut tradiderunt; præputiatus, immundus, ſtans ſuper vaſis, ſuper pede ſocii ſui, miniſterium ejus eſt illegitimum.

23 Manu dextera &c. *Siphra ad Levit.* IV. 6. אצבעו, dictum eſt hic אצבעו, & dictum eſt illic, *nempe in leproſo*, אצבעו; ſicuti אצבעו eo loco dictum dexterum, qui ſit manus aptiſſimus; etiam אצבעו hoc loco dictum dexterum, qui ſit manus aptiſſimus. *Siphra iterum ad Levit.* IV. 25. ולקח באצבעו, ut accipiat dextra; ונתן באצבעו, ut det, *vel aſpergat* dextra. Dicit R. Simeon; Dictane eſt in eo manus? Quoniam non eſt expreſſa manus, ſi ſiniſtra accepiſſet, *miniſterium* erit legitimum. *Peſiktha ad Levit.* IV. 6. *digitum ſuum in ſanguine*; ſicuti אצבעו illo loco dictum dexterum etiam qui ſit manus aptiſſimus. *Et ibid. v.* 25. ולקח הכהן מדם החטאת באצבעו, quod dextra accipiat. *Toſaphta Sevachim* I. 9. R. Simeon dicebat; ubicunque dicitur manus, neceſſe eſt, ut ſit dextra, & ubicunque non dicitur manus, non eſt neceſſe ut ſit dextra; quoties dicitur digitus, tenetur ad dextram; & quando non dicitur digitus, non tenetur ad dextram. R. Eleaſar filius R. Simeonis dicit, quoties dicitur dare manu, ſi mutaſſet, in dando eſt illegitimum, in accipiendo eſt legitimum; & quoties dicitur accipere manu, ſi mutaſſet, in accipiendo eſt illegitimum, in dando eſt legitimum.

24 Si pedum unus &c. *Toſaphta Menachoth* I. 5. R. Eleaſar dicit; vel ſi altero pede inſiſteret ſuper pavimento, & altero ſuper tabula; altero ſuper pavimento, & altero ſuper vaſis, ſi ablato vaſe ſtare poteſt, *miniſterium* eſt legitimum, ſin minus, eſt illegitimum.



פרק ששי

א. כל כהן שיש בו מום בין מום קבוע בין מום עובר לא יכנס למקדש מן המזבח ולפנים שנאמר אל הפרכת לא יבא ואל המזבח לא יגש ואם עבר ונכנס לוקה אף על פי שלא עבד ואם עבד במקדש פסל וחלל עבודה ולוקה אף על העבודה שנאמר אשר יהיה בו מום לא יקרב מפי השמועה למדו שאזהרה זו שלא יקרב לעבודה

ב. וכן בעל מום עובר שעבד פסל ולוקה שנאמר כל איש אשר בו מום לא יקרב

CAPUT SEXTUM.

I. IN cujuſcunque ſacerdotis corpore vitium inerat aliquod ſeu perpetuum, ſeu temporale, is [1] præter altare templi non procedebat: edictum eſt enim, [2] *Intra velum non ingrediatur.* (*Lev.* 21. *v.* 23.) Qui ſi pervaſiſſet ulterius, verberibus multaretur, tamen etſi non operatus eſſet. Sin autem in ſacrario operatus etiam eſſet, temerata, [3] profana fuiſſet operatio, ac de illa quoque verberibus multaretur, quia ſcriptum legitur: *Qui habuerit maculam non accedet.* (*Lev.* 21. *v.* 17.) Atqui hoc auditione acceperunt hic ejuſmodi ſacerdotem monitum eſſe ne accederet ad operandum ſacris.

II. Et affectus temporali vitio ſi feciſſet, [4] cum ſacrificium temeratum fuiſſet, tum verberibus ipſe multaretur, quoniam ſcriptum eſt: [5] *Nullus vir, in quo fuerit macu-*

מפי

מפי השמועה למדו שזו אזהר' לבעל מום עובר ואין בעלי מומין שעבדו במיתה אלא במלקות בלבד

ג. כל המומין כולן אחד שהיו בו מתחלת ברייתו ואחד שנולדו בו אחר כן בין עוברין בין שאינן עוברין הרי זה פסול עד שיעברו

ד. מום קבוע כגון שבר רגל או שבר יד מום עובר כגון גרב או ילפת והיא החזזית ולא המומין הכתובין בתורה בלבד הן שפסולין בכהנים אלא כל המומין הנראין בגוף שנאמר כל אשר בו מום מכל מקום ואלו הכתובי' בתורה דוגמא הן

ה. שלשה מיני מומין הם יש מומין שהן פוסלין הכהן מלעבוד והבהמה מליקרב ויש מומין שפוסלין האדם בלבד מלעבוד ויש מומין שאין פוסלי' אבל מפני מראית העין אמרו שכל כהן שיש בו אחד מהן אינו עובד

ו. כל מי שיש בו מום שפסל באדם ובבהמה ועבד בין בשוגג בין במזיד עבודתו פסולה ואם היה מזיד לוקה וכל מי שיש בו מום מן המומין המיוחדי' לאד' ועבד אע״פ שהוא לוקה לא חלל עבודתו ואם היה בו דבר מדברים שהם מפני מראית העין אינו לוקה ועבודתו כשרה

ז. אין פוסל באדם אלא מומין שבגלוי אבל מומין שבחלל הגוף כגון שניטל כולייתו של אדם או טחול שלו או שניקבו מעיו אף על פי שנעשה טרפה עבודתו כשרה שנאמר שבר רגל או שבר יד מה אלו בגלוי אף כל בגלוי

la, *accedet*. (*Lev.* 21. *v.* 18.) Atqui hoc item auditione acceperunt hic loci admoneri eum, in quo vitium inest temporale [5]. Etenim vitiosi cum aliquid Deo libassent, coercebantur [6] non morte, sed verberibus tantum.

III. Omnium igitur vitiorum [7] erat una ratio: sive enim ab ortu ipso homini inessent, sive post hac essent exorta, sive essent temporalia, sive non, homo temeratus erat interea, dum vitia [8] ex eo tollebantur.

IV. Vitii perpetui fit exemplum fractura pedibusque, manusque: vitii autem temporalis psora, scabies, quæ eadem & impetigo appellatur. Nec vero ea, quæ in Lege nominatim præscribuntur, [9] vitia sola sacerdotes temerabant. Nam quod dicitur; *Omnis qui habuerit maculam*, (*Lev.* 21. 20.) huic ea sententia subjicitur, in quacunque parte vitium fuerit: quæ autem a Lege nominatim dicuntur vitia, ea sunt exempli causa posita.

V. Omnino genera vitiorum sunt tria: eorum uno temerabatur sacerdos, quem hac de causa operari non licebat: altero hostia temerabatur, quam propterea immolari non conveniebat: tertium enim genus vitiorum nequaquam temerabat: verum ne horum aspectu homines offenderentur edixerant, ut sacerdos in quo vitium ejusmodi esset, sacris non operaretur.

VI. [10] Si quis igitur vitio affectus eo, quod hominem juxta atque pecudem temerabat, operaretur sciens, insciens, operatio sane profana fuisset; ac si fecisset contumaciter, verberibus multaretur. Si quis autem ex iis, quæ hominis propria sunt, vitiis aliquo temeratus operaretur, quamvis coerceretur verberibus, tamen profana non esset ejus operatio. Namque sacerdos si operaretur is, in quo esset aliquid eorum, quæ propter offensionem oculorum remota fuerant a sacris, nec verberibus multaretur, & operatio legitima esset.

VII. Vitiorum autem nullum temerabat nisi manifestum & apertum: quæ autem erant [11] intus in corpore, non ita: ut si cui ren sublatus, aut splen, aut viscera fuissent perforata, hic tametsi * lethaliter affectus erat, tamen si operatus esset, operatio ejus esset legitima. Est enim [12] in Lege: *Si fracto pede*, *si manu*, (*Lev.* 21. *v.* 19.) cujus sententia est, ut ista, sic & cetera vitia ante oculos posita esse oportere.

ח. הערל

VII. *Lethaliter affectus erat*. Est in textu טריפה, quod verbum principio quidem sonabat animantem a feris bestiis raptum, occisum, dilaniatum, cujusmodi animans Judæis Lege interdicitur: inde vero major huic verbo subjecta vis. Videas enim illud a cunctis fere Sciptoribus Hebræis usurpari, & pro animali quod morbo lethali affectum, porro unius anni spatium vivere non possit, adeoque Judæis nec ad sacrificium, nec ad vescendum sit aptum, & multo etiam latius pro quovis cibo, Lege vel sapientum institutis, interdicto. Vide Buxtorfii Lexicon Talmudicum in themate טרף

ח. הערל הרי הוא כבן נכר שנא׳ כל בן נכר ערל לב וערל בשר לפיכך ערל׳ שעבד חלל עבודתו ולוקה כזר שעבד אבל אינו חייב מיתה

ט. כהן שהיה נושא נשים בעביר׳ אינו עובד עד שידירוהו בית דין על דעת רבים כדי שלא יהיה לו הפרה שלא יוסיף לחטוא ועובד ויירד ומגרש וכן אם היה מטמא למתים עבודתו פסולה עד שיקבל עליו בנדר שלא יטמא ואם עבר ועבה קודם שידיר או שיקבל אעפ׳ שהוא נשוי בעבירה לא חלל עבודה

י. כהן שעבד ונבדק ונמצא חלל עבודתו כשרה לשעבר ואינו עובד להבא ואם עבד לא חלל שנאמר ברך ה׳ חילו ופועל ידיו תרצה אף חולין שבו תרצה

יא. בית דין הגדול היו יושבין בלשכת הגזי׳ ועיקר מעשיה׳ התדיר שהיו יושבין ודנין את הכהונה ובודקין הכהנים ביוחסין ובמומין כל כהן שנמצא פסול בייחסו לובש שחורים ומתעטף שחורים ויוצא מן העזרה וכל מי שנמצא שלם וכשר לובש לבנית ונכנס ומשמש עם אחיו הכהנים

יב. מי שנמצא כשר בייחוסו ונמצא בו מום יושב בלשכת העצים ומתלע עצים למערכ׳ וחולק בקרשים עם אנשי בית אב שלו ואוכל שנאמר לחם אלהיו מקרשי הקרשים ומן הקרשים יאכל:

VIII. Cuteus pro alienigena habebatur, quia ſcriptum eſt: [13] *Omnis alienigena incircunciſus corde, & incircunciſus carne*. (*Eze.* 44. 9.) Ergo homo [14] incircunciſus ſi eſſet operatus, & operatio ejus profana fuiſſet, & ipſe verberibus multaretur, ut ſi alienigena feciſset, mortem vero non meruiſſet.

IX. Qui ſacerdos [15] uxores nefarie duxiſſet, is non ante operaretur, quam hominem ſe porro non peccaturum vovere conſilium multitudinis conſenſu coegiſſet eo, ut votum irritum fieri non poſset: quo facto operaretur, tum poſtea repudium remitteret. [16] Et qui funeribus ſeſe contaminare ſolebat, is quoque profanus erat uſque dum apud conſilium in ſe recipiebat ſe deinceps non commiſſurum, ut ſe contaminet. Qui ſi nequiter operatus eſſet ante, quam voto obligaretur, aut promiſſum feciſset, cum ſcelerate fuiſset uxori jugatus, rem divinam non profanaſset tamen.

X. Sacerdos ſi poſtquam ſacris operatus eſset excuteretur, atque [17] profanus eſse reperiretur, præterita quidem operatio bene habuiſset, non operaretur autem in poſterum: quanquam & poſtea ſi fuiſset operatus nihil profanaſset. Nam quod dicitur: *Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius ſuſcipe*, (*Deut.* 33. *v.* 11.) hujus ea vis eſt, ut in profanis ejus quoque acquieſceret.

XI. Conſilium magnum in conclavi lapidis quadrati ſedebat: hujus ſenatores in eo potiſſimum erant occupati quotidie, ut conſidentes [18] cognoſcerent de ordine ſacerdotum, atque eorum genera & vitia perveſtigarent. Cujus in genere profani quid inveniebatur, is veſtes induebat atras, quibus obvolutus ex atrio diſcedebat. Quiſquis integer & purus inveniebatur albis ſe ſe induebat, atque ingreſsus cum fratribus ſuis ſacerdotibus ſacra obibat.

XII. Cujus genus purum, corpus autem vitio affectum exiſtebat, hic [19] in cella lignorum conſiſtens ligna diffindebat, quibus altaris focus extrueretur. Is enim cum ſuis curialibus [20] ſacra partiebatur, & his iiſdem veſcebatur. Nimirum id aperte Lex: *Veſcetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario*. (*Lev.* 21. 22.)

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

[1] Præter altare &c. *Toſaphta Succa cap. ult.* 14. Qui dividebat panem facierum, egrediebatur, & conſiſtebat ſuper pavimento veſtibuli, dividebat, & deponebat, & ſinguli venientes capiebant ſuam partem; & Sacerdotibus labe affectis foris ſua pars afferebatur, quia non poterant ingredi inter veſtibulum & Altare.

[2] *Intra velum* &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 23. Si dictum eſt *ad velum*, dici neceſſe erat *ad Altare*; cur dictum eſt *ad Altare?* quia ſi dixiſſet *ad velum*, & non dixiſſet ad Altare, ego dixiſſem, interdicitur velo, quod interius eſt; Altari, quod non eſt interius, non interdicetur; ideo dicit *ad Altare*; at ſi dixiſſet *ad Altare*, & non dixiſſet *ad velum*, ego dixiſſem, Altari, quod inſervit Sacrificio, interdicitur, velo, quod non inſervit Sacrificio, non interdicetur; ideo neceſſe eſt dici *ad Altare*, & neceſſe eſt dici *ad velum*. *Peſiktha ibid. Ita duntaxat ut intra velum*; hoc eſt adytum; *& ad Altare*, etiamſi ſit *Altare* exterius. Ter dicitur לא יגש non *accedet*; & bis לא יקרב *non offeret* contra quinque loca, a quorum ingreſſu labe affecti arcentur; uti tradiderunt in Miſna

na *Taaroth; Hæ ſunt decem Sanctitates* &c. Inter Ulam, & Altare ſanctior eſt locus, atrio Sacerdotum, quia eo non ingrediuntur ii, qui vitio ſunt affecti, & qui capite denudati ſunt; ecce quinque Sanctitates a quibus vitio affecti arcentur; & quinque ſuperius commemoratæ; ecce decem ſanctitates.

[3] Profana fuiſſet &c. *Siphra ibid.* V. 17. *Nec offeret panes Deo ſuo*; non probatur niſi pro Sacrificiis jugibus; quæ vocantur *panis*, ſicuti ſcriptum eſt *Num.* XXVIII. 2. *oblationem meam, & panes, & incenſum* &c. reliqua omnia Sacrificia unde probantur? Ex eo quod v. 21. dicitur, *panes*. Unde probatur ad comprehendendum etiam ſanguinem? Ex eo quod dicitur; להקריב *ad offerendum*, & pariter *Levit.* IX. 7. dictum eſt; *cujus ſanguinem obtulerunt ei filii ſui*. Unde probatur ad comprehendendum adipes Sacrificii pro peccato, & adipes Sacrificii pro delicto, & adipes Sacrificiorum Sanctiſſimorum, & adipes Sanctitatum levium? Ex eo quod dicit; *non accedet offerre*. Unde probantur pugillus & thus, & ſuffimentum, & munus Sacerdotum, & munus Sacerdotis uncti, & munus libaminum? Ex eo quod dicit; *non accedet offerre*. Unde probantur affuſiones, & mixtiones, & agitationes, & adductiones, & pugilli collectiones, & adolitiones, & avium ungue ſectiones, & acceptiones, & adſperſiones? Ex eo quod dicit; *non accedet offerre*. Crederem, quod pro his omnibus pœna tenerentur, ideo dicit *panes*, ſicut panis eſt peculiaris, qui venit nomine miniſterii *Sacrificiorum*, excluduntur hæc, quæ non veniunt nomine miniſterii *ſacrificiorum*. *Peſiktha ibid. Non offeret panes Deo ſuo*; hæc ſunt Sacrificia; dictum eſt enim; *oblationem meam, & panes, & incenſum* &c. Unde probatur ad comprehendenda reliqua Sacrificia? Ex eo quod dicitur להקריב *ad offerendum*; & pariter dictum eſt ויקריבו בני אהרן לחם. Sicuti panis eſt peculiaris ad miniſterium &c.

[4] Cum Sacrificium temeratum &c. *Siphra ibid.* Et unde probatur, quod ſi immolaſſet, Sacrificium ſit illegitimum? Ex eo quod dicitur; *& contaminare non debet Sanctuarium meum*; & unde probatur, quod ſi labe affectus immolaſſet, reus eſſet mortis? R. Jehuda dicit; dictum eſt hic חילול *profanatio*, & dictum eſt illic *nempe in Sabbatho* חליול *profanatio*; ſicuti הליול, quæ illic commemoratur, meretur mortem, etiam hoc loco meretur mortem. Et ſapientes dicunt; macula affectus non eſt reus mortis, ſed præmonetur.

[5] *Nullus* &c. *Peſiktha ibid.* לא יגש לא יגש, *non accedet, non accedet*; tribus vicibus, ad violandum in eo tria præcepta negativa, ſi acceſſerit; & duo præcepta negativa, ſi obtulerit; dictum eſt enim, לא יקרב לא יקרב *non offeret, non offeret*, bis.

[6] Non morte &c. *Toſaphta Sevachim* XII. 19. Labe affectus meretur mortem, verba Rabbi; & Sapientes dicunt; tantum in præcepto negativo. *Toſaphta Kerithuth* I. 4. Labe affectus tenetur morte, & Sapientes dicunt, ſub præcepto negativo.

[7] Erat una ratio &c. *Siphra ibid. qui habuerit maculam*; non probatur niſi pro illo, in quo fuerit macula poſt pæceptum, uti dictum eſt in gonorrhea, & in plagis *lepræ*, *ſi in eo fuerit macula* ante præceptum, unde probatur? Ex eo quod dicitur; *qui habuerit maculam*; non probo niſi pro eo, qui natus ſit perfectus, pro eo qui natus ſit macaculatus ex utero matris, unde probatur? Ex eo quod dicitur; *qui habuerit maculam. Et verſu* 21. *Omnis qui habuerit maculam*; quid dici neceſſe erat? quia dictum eſt; *de ſemine Aaron*; ego non probo niſi pro ſemine Aaron; pro ipſo Aaron unde probatur? Ex eo quod dicitur; *Omnis homo, qui habuerit maculam*; non probo niſi pro eo, in quo fuerit vitium ſtabile; pro eo in quo non fuerit vitium ſtabile, unde probatur? Ex eo quod dicitur; *Omnis, qui habuerit maculam. Peſiktha ibid. Qui habuerit maculam*, ſive ex utero matris, ſive poſtea maculatus factus ſit. *Et verſu* 21. *Omnis qui habuerit maculam ---- non accedet offerre*; ſive vitia ſint ſtabilia, ſive non ſint ſtabilia.

[8] Ex eo tollebantur &c. *Siphra ibid. Qui habuerit maculam*; excludit illum, in quo prætererit macula; atque hoc probatur argumento. Si animal, in quo ipſum reprobatur, & filius ejus, & diſcerptum, & extractum a latere, quando prætererit vitium, eſt legitimum; homo, in quo ipſe idoneus eſt, & ejus filius, & diſcerptus, & qui e latere extractus eſt, ſi vitium prætererit, erit legitimus; minime; ſi dixiſti de animali, in quo eſt legitimum nigrum, rubrum, candidiſſimum, procerum, humile, ſurdum, ſtultum, & ebrium, & ea, quibus inerunt plagæ puræ; hæc dices in homine, in quo hæc omnia excluduntur? Etiamſi in eo non fuerit macula, non erit legitimus, ideo dicit; מום בו, *macula in illo*, excludit illum, ex quo evanuerit macula. *Raſchi in* l. c. *Qui habuerit maculam*. Si ſtabile fuerit vitium, illegitimus eſt, ſi prætererit, eſt legitimus.

[9] Vitia ſola &c. *Siphra ibid.* Ego non probo niſi tantum pro his maculis; unde probatur ad includendas reliquas maculas? Ex eo quod dicitur, מום מום *macula, macula*, includit. Niger, ruber, valde albus, procerus, humilis, ſtultus, ebrius, & illi, qui habent plagas puras, unde probantur? Ex eo quod dicitur איש איש *homo homo*, includit. At contra argumentandum. Si in animali, in quo reprobatur mater & filius, & diſcerptum, & e latere extractum, ſit legitimum nigrum, rubrum, valde album, procerum, humile, ſurdum, ſtultum, ebrium, eaque, quæ habent plagas puras, in homine, in quo legitimus eſt ipſe, & filius, & diſcerptus, & extractus a latere, non erit legitimus niger, ruber, valde albus, procerus, humilis, ſurdus, ſtultus, & qui habent plagas puras? ideo dicit איש איש *homo homo* includit.

[10] Si quis igitur &c. *Maimonides c.* VII. 3. *Bechoroth*. Ceterum differentia, quæ eſt inter vitia, quibus homines & pecora, atque inter illa quibus tantum homines affici ſolent, & inter illa, quæ ob viſum oculi prohibita ſunt, hæc eſt, ſi quis affectus fuerit vitio, quo tam homines quam pecora afficiuntur, & cum his miniſtraverit, miniſterium illius profanatum eſt; qui vero vitio affectus, quod in homines duntaxat cadit, illius miniſterium non profanatum eſt, attamen vapulat, & qui ob oculi vitium reprobus factus eſt, non profanavit, neque vapulat, etſi cum eo miniſtraverit. *Bartenora ibid.* Sed notandum eſt, quod tria ſunt diſtincta jura in vitiis hominis, cujuſmodi ſunt vitia in homine & in pecore, & ſi Sacerdos iſtis vitiis miniſtraverit, vapulabit; ſed ob vitia, quæ reliqui habent homines, at non pecora, vapulabit, ſi cum his miniſtravit, & miniſterium ipſius non profanatum eſt; ſi cum vitiis oculi miniſtraverit, non vapulabit, & non opus eſt ut dicamus, quod miniſterium ipſius non eſt profanatum.

[11] Intus in corpore &c. *Siphra ibid.* אשר מום בו; excludit ipſum, & ejus filium, & diſcerptum, & e latere extractum. At erat argumentum in contrarium. Si animal, in quo ſit legitimum nigrum, rubrum, procerum, humile, ſurdum, & ſtultum, reprobat ipſum, & filium, & diſcerptum, & a latere extractum; homo, in quo excluditur niger, ruber, procerus, humilis, ſurdus, ſtultus, & ebrius, & qui plagas puras habet, non erit excludendus ipſe, & filius, & diſcerptus, & extractus a latere? ideo dicit; אשר מום בו, *qui habuerit maculam*, macula excludit ipſum, & ejus filium, & diſcerptum, & extractum a latere. *Miſna Bechoroth* VII. 7. Hæc in homine legitima, ſed in pecore illegitima ſunt, in ipſo, & filio ejus, diſcerptum, & quod e latere exſectum fuerit, quocum peccatum eſt, vel hominem occiderit.

[12] In lege &c. *Toſaphta Bechoroth* IV. 8. Qui intus maculam haberet, non eſt macula, quia Scriptura dicit. *Deut.* XV. 21. *Vel claudum fuerit vel cæcum*; ſicuti cœcum, & claudum ſunt maculæ apertæ, neque reparantur, ita quoque reliquæ omnes maculæ.

[13] Omnis alienigena &c. *Maimonides ad c.* II. 1. *Sevachim*. Præputiatus vid. *Jezechiel* XLIV. 7. ubi Propheta præputiatum comparavit cum extraneo, quod is ſine dubio illegitimus ſit. *Bartenora ibid.* Et præputiatus, ſi is miniſtravit illegitime fecit, ſicuti ſcriptum eſt *Jezechiel* XLIV. 7. ubi præputiatus aſſimilatur filiis extraneorum, nimirum, ſicuti extraneorum filii illegitimi ſunt ad miniſterium, ita quoque præputiati.

[14] Incircumciſus &c. *Toſaphta Sevachim* XII. 19. Hi ſunt, qui rei ſunt mortis &c. At incircumciſus, & lugens in primo die, & qui ſedens miniſtraret, præmonentur. *Toſaphta Kerithuth* I. 4. Hi ſunt, qui rei ſunt mortis &c. At incircumciſus, & lugens, & ſedens præmonentur.

[15] Uxo-

[15] Uxores nefarie &c. *Misna Bechoroth ibid.* Qui uxores duxerit cum peccato, is illegitimus est, donec voto se excluserit ab usu earum. *Maimonides in h. l.* Ratio autem, quare in uxoribus ducendis requiratur votum, cum tamen in impuritatibus sufficiat, siquis duntaxat in se receperit, hæc est, quod in conjuge cupido ad peccatum allicit, idcirco votum erat necessarium, dummodo secundum sententiam multorum, sc. quod votum non reddet irritum, nisi propter præceptum, sicuti in *Gemara* exponitur. Enimvero nos non timemus ne ad sapientem aliquem se conferat, dicatque, fac mihi votum secundum Sententiam multorum, nam res præcepti mihi contigit, cujus perficiendi gratia votum rescindi volo; Nam sapiens iste ei respondebit, quærendo, super qua re fecisti votum? Nam fundamentum nobis est, quod votum in specie nuncupandum sit. *Vide ibid. Bartenoram.*

[16] Et qui funeribus &c. *Misna Bechoroth ibid.* Qui mortuis pollutus est, is illegitimus est, donec in se receperit, quod se non polluet ob mortuos. *Ratio, quare a mortuis se abstinere debebant, affertur a* Maimonide More Nevochim *part.* 3. Quia pollutio a contactu mortui contracta, elui non potuit, nisi post elapsos septem dies, & per cinerem juvencæ; ac Sacerdotes semper in Sanctuarium ingredi necesse habebant, ut ibi offerrent. Idcirco prohibitum fuit Sacerdotibus, mortuis se polluere, nisi magna interveniente necessitate; cum difficile sit per naturam plane se cohibere ab accessu parentum, liberorum, vel fratrum in morte ipsorum. Et quia magna erat necessitas ut pontifex semper esset in Sanctuario, sicut dicitur, *Exod.* XXVIII. 38. והיה אל מצחו. Idcirco injunctum ipsi fuit, ut nullis, ne quidem propinquis, & amicis mortuis se contaminet. Nunquid enim vides, quod in hac prohibitione, non comprehendantur uxores filiorum Aaron, neque etiam filiæ Aaronis, propterea quod mulieribus non incumbat oblationes facere?

[17] Atque profanus esse &c. *Misna Therumoth* VIII. Si eidem dum adstat altari sacra reddens, innotescat se matre natum, quæ repudiata fuerat, vel quæ leviro calceum solverat; R. Eliéser existimat oblationes omnes quas altari reddidit, inutiles fieri. R. Josua utiles arbitratur. Si constet vitio affectum, cultus ejus inutiliter cedit. *Maimonides ad h. l.* Et dixit Deus de Sacerdotibus *Deut.* XXXIII. 11. *Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe;* & dixerunt, *de eo, qui de Sacerdotio est profanatus, opera manuum ejus acceptabis*, propterea profanati cultus est legitimus. *Bartenora ibid.* Quia dicitur *Deut.* XXXIII. 11. *Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe*; quod etiamsi de Sacerdote profanato dictum sit, tamen opera manuum ejus accepta esse vult.

[18] Cognoscerent &c. *Tosaphta Chagigah* II. 13. Eo loco, *i. e. in conclavi cæsi lapidis* sedebant, & perpendebant genealogias Sacerdotum, & Levitarum. Sacerdos in quo deprehenderetur vitium, vestes atras sibi induebat; ac atris se involvebat, & egressus abibat; *Sacerdos* vero, in quo vitium non inveniretur, vestes albas induebat, ac se albis involvebat, & ingressus ministrabat cum fratribus suis Sacerdotibus. Atque diem festum celebrabant, quod in semine Aaronis non inventum esset vitium, & afferebat de suo decimam partem Ephæ, & suis manibus offerebat, quamvis ejus custodia eo die non ministrasset; Cum summus Sacerdos, tum Sacerdos idiota, qui ministrassent, quamvis non obtulissent decimam partem Ephæ, eorum ministerium est legitimum. *Tosaphta Sanhedrin* VII. 5. Et in eo loco sedebant, & perscrutabantur genealogias Sacerdotii, & Levitarum. Sacerdos, in quo deprehenderetur vitium, vestes nigras induebat, & nigris vestibus se obvoluebat. *Sacerdos* vero, in quo vitium non inveniretur, vestes albas induebat, & intrabat ad ministrandum cum fratribus suis Sacerdotibus. Afferebat de suo decimam partem Ephæ, & suis manibus offerebat; quamvis *eo die* ejus custodia non ministraret. Cum summus Sacerdos, tum Sacerdos idiota, qui ministrassent ante oblatam decimam partem Ephæ, eorum ministerium est legitimum. *Middoth* V. 3. In Conclavi cæsi lapidis consessus magnus Israelis sedebat, ac etiam judicabat Sacerdotes; Sacerdos in quo inveniretur vitium, vestes atras sibi induebat, ac atris involuebat se, itaque egressus abibat; cui vero non inerat vitium, induebat sibi vestes albas, ac se albis involvebat; & ingressus ministrabat cum fratribus suis Sacerdotibus. Atque festum celebrabant diem, cum non inveniretur vitium in semine Aaronis Sacerdotis; hæc loquuti; laudibus efferatur Deus ille laudandus, quia non invenitur vitium in semine Sacerdotali Aaronis; & laudetur is, qui elegit Aaronem, ejusque filios; ut adstarent ad ministerium coram Deo in æde Sacrosancta. *Similiter Apocal.* III. 5. *legitur*. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro viventium.

[19] In cella lignorum &c. *Middoth* II. 5. Ad ortum æstivum erat conclave lignorum, quod ibi Sacerdotes labe affecti vermes in lignis perscrutarentur; omne autem lignum, in quo vermis inveniretur, rejiciendum erat ab altari.

[20] Sacra partiebatur &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 22. *Panem Dei sui de sanctitatibus sanctitatum, & de sanctitatibus comedet*; sic Hebræus. Si dictum est de sanctitatibus sanctitatum, cur dicendum erat & de sanctitatibus? Quia si dixisset de sanctitatibus sanctitatum, & non dixisset de sanctitatibus, ego dixissem de sanctitatibus sanctitatum, quæ licitæ sunt extraneo, comedet; at de sanctitatibus levibus non comedet; dicendum igitur quoque erat de sanctitatibus. Aut si dixisset de sanctitatibus, & non dixisset de sanctitatibus sanctitatum, ego dixissem de sanctitatibus levibus comedet, at de sanctitatibus sanctitatum non comedet; dicendum igitur erat de sanctitatibus sanctitatum, & dicendum quoque erat de sanctitatibus. *Vescetur*, etiam in partitionibus. At erat argumentum. Si eodem die lotus, & egens expiatione; qui insequenti die legitimi sunt ad ministrandum, non comedunt de partitionibus; vitio affectus, qui postero die non est legitimus ad ministrandum, non erit æquum, ne comedat de partitionibus? ideo dicitur, *vescetur*, etiam de partitionibus. *Pesiktha ib. Panem Dei sui de sanctitatibus sanctitatum, & de sanctitatibus comedet;* Cur dictum est de sanctitatibus sanctitatum, & de sanctitatibus? quod nisi ita dictum esset, ego dixissem, de sanctitatibus levibus comedet, non vero de sanctitatibus sanctitatum; ideo dicendum erat *& de sanctitatibus sanctitatum, & de sanctitatibus. Misna Sevachim* XII. Vitiati, sive sint vitia constantia, sive vitia momentanea, participant ac edunt, sed non offerunt.



פרק שביעי

א. כל המומין הפוסלים באדם ובבהמה חמשים והן פרטן

ב. ה' באוזן ואלו הם מי שנפגם סחוס אזנו כדי שתחגור הציפורן בפגם אבל

CAPUT SEPTIMUM.

I. Vitia corporis ea, quæ hominem æque & pecudem temerant, numero sunt quinquaginta, quæ hic sigillatim exponuntur.

II. [1] Sunt igitur aurium quinque ista: si cartilago auris sic incisa sit, ut si per eam deducatur unguis incisione retardetur & in-

העור

העור הסוקף לסחוס האזן אין בה מום בין ניקב בין נפגם בין נסדק

ג. מי שנסדק סחוס אזנו בכל שהוא אף על פי שלא חסר מי שנקב סחוס אזנו׳ בכרשנה בין נקב עגול בין נקב ארוך אם מצטרף לכרשנ׳ הרי זה מום מי שיבשה אזנו כדי שתנקב ולא תוציא דם מי שהיתה אזנו כפולה לשתים אפילו הגדי שדרך אזניו להיותן נטורות וכפולות בלבד שיהיו לו שני סחוסין אבל אם אין לה אלא סחוס אחד והרי הוא כגוף אחד שנכפל כשר

ד. שלשה בריס של עין ואלו הן מי שנקב ריס מריסי עיניו בכל שהוא מי שנסדק ריס מריסי עיניו בכל שהוא מי שנפגם ריס מריסי עיניו בכל שהוא ושלשה מומין אלו בכלל חרוץ האמור בתורה

ה. שמונה בעין ואלו הן העור בין באחד מעיניו בין בשתיהן מי שאינו רואה בשתי עיניו או באחד מהן אף על פי שאין נראה בהן שינוי כלל מחמת שירדו מים קבועים כנגד ראותיו מי שאינו רואה בעיניו או באחד מהן ראיה ברורה מחמת שהיה בה סנוירים קבועים מי שבעינו כהו עינב אף על פי שהוא רואה מי שיצא בשר יתר בעיניו עד שחפה מעט מן השחור של עין מי שנמשך הלובן של עין ונכנס ממנו מעט בשחור עד שנמצא השחור מעורב בלובן והוא תבלול האמור בתורה אבל אם יצא מן השחור לתוך הלבן אינו מום שאין מומין בלבן מי שהיתה נקודה לבנה בתוך השחור והו דק האמור בתורה והוא שתהיה צפה על גב השחור אבל אם לא היתה צפה או שהיתה משוקעת בשחור אינו מום וכן אם היתה נקודה שחורה בתוך הלבן אפילו צפה אינו מום שאין מומין בלבן היתה נקודה שחורה שוקעת בתוך השחור אף זה נקר׳ דק אבל אם היתה צפה הואיל והיא שחורה בשחור אינו מום

ו. שלשה בחוטם ואלו הן מי שנקב חוטמן אפי׳ מצד אחד מי שנסדק חוטמו מי שנפגם חוטמו

ז. ששה בפה ואלו הן מי שנקב שפתו אפילו אחת מהן מי שנפגמה שפתו מי שנסדקה שפתו והוא שנסדק מזר שלו עד שתחלק לשני

sistat. Sed quæ cartilagini est circundata pellis, in ea vitium inest nullum, seu perforata, seu incisa, seu fissa fuerit.

III. Si cujus auricula paululum fissa sit, cum nihil deficiat: [2] si foramen in auricula sit magnitudine par viciæ: nec refert utrum foramen id oblongum, an rotundum sit, modo viciam magnitudine exæquet, vitium est. Item si fuerit auris prorsus arida sic, ut ex ea perforata nihil quidquam sanguinis effluat. Itemque si [3] aureis duplicata sit ac bipertita etiam hœdo, cujus aures fere complicatæ duplicantur; nempe si fuerit gemina cartilago: hæc enim si simplex sit sic, ut corpus unum conduplicatum, rectum erit.

IV. Cadunt [4] in palpebras tria ista: si palpebrarum aliqua fuerit quamvis parum perforata: si fuerit quamvis parum fissa: si fuerit quamvis parum incisa. Atque hæc tria vitia comprehenduntur uno illo verbo חרוץ (*Levit.* 22. *v.* 22.) quod a Lege ponitur.

V. [5] In oculos octo ista: esse luscum, aut cœcum: tum humoribus a cerebro ad visum perpetuo defluentibus sensu privatum esse unius oculi, aut etiam alterius, ut in his nulla varietas appareat. Et propter quasdam tenebras perpetuo offusas, oculo aut uno aut utroque minus clare cernere. Cumque sit in oculo quædam quasi bacca, ut visus vigeat. Et cum in oculum supervacua caro penetrat adeo, ut etiam pupillæ particulam obtegat. Porro vitium est [6] cum album oculi producatur aliquantulum in aciem sic, ut hæc cum illo confusa esse videatur. Atque hic ille est, qui תבלול (*Lev.* 21. *v.* 20.) a Lege dicitur. Acies autem si evagetur in album, vitium non est: neque enim in album vitium cadit ullum. Jam vitiosus est cujus in pupilla punctum inest album: hic enim est, qui דק (*Ibid.*) a lege dicitur: nempe sic se res habet, si fuerit eo puncto obducta pupilla; secus autem si non fuerit, aut si punctum hoc sit in ima pupilla demersum. Similiter si nigrum in albo oculi punctum insit cum obtegat, tamen vitium non est, quippe quod in album omnino vitium cadit nullum. Quod si cujus in pupilla punctum nigrum fuerit demersum, hic quoque nomine דק appellatur: idem hoc punctum si pupillæ sit obductum, quoniam nigrum hoc in pupilla quoque nigra insit, non est vitium.

VI. Cadunt [7] in nasum ista vitia tria: si nasus sit perforatus vel ex uno latere: si fissus: si incisus.

VII. Sex ista in os [8] si e labiis unum sit perforatum: si incisum: si discissum; nempe si fuerit ab extremo usque limbo discissum ita, ut bipartiatur: si malæ superioris

ראשים מי שעצם לחיו התחתון עודף על העליון כל שהוא מי שפיו נבלם מחמת גופו ובריתו אבל אם נבלם מחמת הרוח אינו מום מי שנטל רוב המדבר של לשונו

ח. שנים עשר באיברי הזרע ואלו הן מי שנמעך הגיד שלו או נכתת או נתק או נכרת מי שנמעכו הבצים שלו או אחת מהן או נכתתו או אחת מהן או נתקו או אחת מהן או נכרתו או אחת מהן מי שאין לו אלא ביצה אחת אף על פי שיש לו שני כיסין מי ששני ביציו בכיס אחד הטומטום באנדרונינס

ט. ששה בידים וברגלים ואלו הן הפיסח ומי שנשמטה יריכו והוא שרוע האמור בתורה מי שאחת מירכותיו גבוהה מחבירתה מי שנשבר עצם ידו והוא שיהיה ניכר מי שנשבר עצם רגלו והוא שיהיה ניכר אף על פי שאינו ניכר כשעומ' אם ניכר כשיהלך הרי זה מום מי שרגליו מבולמות מחמת עצמן ובריתן אבל אם היו מבולמות מחמת הרוח אינו מום

י. ארבעה ראוין להיו' בכל הגוף ואלו הן מי שיש בו גרב יבש כל שהו וזהו הגרב האמור בתורה מי שיש בו יבלת שיש בה עצם וזה הוא יבלת האמורה בתורה מי שיש בו חזית מצרית כל שהיא והיא חזית קשה וכעורה וזו היא ילפת האמורה בתורה

יא. כל עצם שבגלוי שנחרץ בו חרץ הרי זה מום והוא בכלל חרוץ האמור בתורה ואין הצלעי' בכלל עצמות שבגלוי

יב. ועוד יש שם שלשה מומים אחרים ואלו הן הזקן שהגיעו להיות רותת ורועד כשהוא עומד החולה כשהוא רועד מפני חוליו וכשלון כוחו אבל הטריפה כשר באדם ופסול בבהמה ובן יוצא דופן כשר באדם ופסול בבהמה

יג. המזוהם כהן שהו' מזוהם בזיעתו רוחץ ושף כל גופו בבושם ועובד היה ריח פיו רע נותן בפיו פלפל או זנגביל וכיוצא בהן

os osse inferioris quantulumcunque superatur. Si fuerit tumidum os, idque habitudine ac constitutione: nam si tumuerit ab aura, vitium non est: denique [9] si de lingua multa pars ejus, quo ad loquendum usus est, sublata fuerit.

VIII. [10] Genitalis sunt vitia duodecim ista. Si veretrum sit suppressum, contusum, abruptum, exsectum: si suppressi, contusi, abrupti, exsecti * sint testiculi, immo si horum unus. Si cui unus dumtaxat existat testiculus, etiamsi sunt sacculi duo: si testiculi duo uno & eodem continentur sacculo: siquis est [11] obstructus: si quis sit androgynus.

IX. Sunt a manibus & [12] pedibus sex ista vitia: si quis claudicat: si cujus est luxatum femur; is enim a Lege שרוע nominatur. Si quis femorum unum altero procerius habeat: si cujus est fractum os proximum a manu ita, ut facile cognoscatur. Si cujus est fracta tibia ita, ut percipiatur: nam si nihil in statu percipiatur, percipiatur in incessu, vitium est tamen. Si cujus sint tumidi pedes natura videlicet ac constitutione: eosdem si inflaverit aura mala, vitium non est.

X. Nam toto corpore funduntur quatuor ista vitia: si quem tentat quamvis parum certæ cujusdam scabiei siccæ: hæc est enim ea, quæ a Lege [13] גרב dicitur. Si quis [14] verrucam habeat eam, in qua insit os: etenim hoc verrucæ genus a Lege positum est. Si quem tantillum impetiginis Ægyptiæ afficiat: hæc autem dura fuerat, fœdaque: atque hæc est ea, quæ a Lege [15] ילפת dicitur.

XI. Jam [16] si ex manifestis ossibus aliquod fuerit aliquatenus incisum, vitium erit: namque hoc illud est quod a Lege חרוץ dicitur: costæ vero manifestis in ossibus non numerantur.

XII. Præterea autem vitia numerantur tria: hæc sunt si quis ætate sit adeo confectus, ut stando vacillet, & tremat: si quem morbus attrivit, & vires ejus adeo debilitavit, ut contremiscant artus. De animantibus autem letaliter affectis homo est idoneus; pecus vero vitiosa: item & de animantibus, quæ per matrum latus in lucem fuerunt editæ, homo aptus est, pecus autem vitiosa.

XIII. Denique fœtidum esse pro vitio habetur: itaque sacerdos ex immundo sudore si puteret, lavabat, & corpus totum unguento perfricabat, atque sacra obibat. Si fœditas odoris esset in ore, piper imponeret, aut zingiber, aut consimile quid,

ועובד

VIII. *Sint testiculi*. His enim quatuor modis cum agni, tum vituli caprique castrantur in sterilitatem teste Philosopho Hist. anim. lib. 9. cap. 5.

ועובד ואם עבד בזיהום זיעתו או בזיהום פיו הרי זה חלל עבודתו כשאר אלו הבעלי מומים כולם:

& operaretur. Qui ſi operaretur cum ſudore putido, aut cum oris odore tetro, operationem profanaſset itidem, ut reliqui omnes corporis vitiis affecti, quos ante diximus. §

§. B. Theodoretus Quæſt. in Lev. Omnia quæ ſacerdotem ſacris faciendis reddebant inhabilem vitia corporis transfert ad animi vitia. „ Verbi gratia, „ inquit, oculorum occæcatio inopiam cognoſcendi „ ſignificat: auris amputatio inobedientiam: naris „ autem ablatio, facultatis diſcernendi privationem: „ manus abſciſſio in agendo ſocordiam: hocque mo„ do reliqua ſunt intelligenda.

NOTÆ IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] Sunt igitur aurium &c. *Miſna Bechoroth* VI. Ob hæc igitur mactantur primogenita, ſi auris illius cartilago ſit læſa, at non ſit pellis illius, ſi fiſſa ſit, etſi non ſit diminuta. *Toſaphta Bechoroth* IV. Omnia vitia, quæ reprobant ſanctitatem, reprobant etiam primogenitum. Inciſura diminuitur auricula cum manu hominis, tum decreto cœli. Quænam vocatur diminuta? quando introducitur digitus, & adſtringit.

[2] Si foramen &c. *Miſna Bechoroth ibid.* Si perforata ſit ad plenitudinem viciæ, & exſiccata; ſed quid eſt exſiccatum? quod non perforatum eſt, nec ſanguinis guttam emiſerit. R. Joſe filius Meſchulam dicit; exſiccatum eſt, quod conteri poteſt. *Toſaphta Bechoroth ibidem.* Quantum erit perforata? uſque ad granum viciæ. R. Joſe filius R. Jehudæ dicit, uſque ad granum lentis. Quantum erit exſiccatum? uſque eo, ut ſi perforaretur, non emitteret ſanguinem. R. Joſe filius Meſchullam dicit, donec conteri poſſit; ſunt pene ſimiles hæ duæ opiniones.

[3] Auris duplicata &c. *Miſna Bechoroth ibid.* Si auris hœdi conduplicata ſit; dixerunt Sapientes; ſi unum ſit membrum vitium eſt, ſin minus non eſt vitium. *Toſaphta Bechoroth ibid.* Si auris ſit duplicata; ſi unum ſit membrum, non licet mactari, ſi duo, mactari poteſt.

[4] In palpebras &c. *Siphra ad Levit.* XXII. 22. חרוץ; Palpebræ oculorum ſi ſint perforatæ, læſæ, & diſſiſæ. *Peſiktha ibid.* חרוץ; Palpebræ oculorum ſi ſint perforatæ, læſæ, & diſſiſæ. *Miſna Bechoroth ibid.* Palpebræ oculi perforatæ, læſæ, & diſſiſæ.

[5] In oculos &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 18. *Si cœcus fuerit;* ſive ambobus, ſive uno tantum fuerit oculo cœcus; albugo, & aquæ fiſſæ unde probantur? Ex eo quod dicitur, *cœcus*. *Peſiktha ibid. Si cœcus fuerit;* ſive ambobus, ſive uno tantum oculo fuerit cœcus; albugo fixa in oculo, & aquæ fixæ in oculo, de quibus differitur in tractatu *Bechoroth*, comprehenduntur in cœco. *Miſna Bechoroth ibid.* Albugo, & aquæ fixæ; ſed quid eſt albugo fixa? omne id, quod octoginta eſt dierum. R. Chanina filius Antigoni dicit, ter id intra octoginta dies viſitatur. Sed quænam ſunt aquæ firmæ? Si comederit humidum & ſiccum pluviarum, humidum, & ſiccum agri ſiticuloſi. Si comederit ſiccum, & poſtea humidum, non eſt vitium, niſi donec comederit ſiccum poſt humidum. *Toſaphta Bechoroth ibid.* Albugo fixa eſt quadraginta dierum; & aquæ fixæ octoginta dierum; verba R. Meyr; at Sapientes dicunt; albugo fixa octoginta dierum, & aquæ fixæ octoginta dierum; ſi ediſſet humidum, & ſiccum de agro ſiticuloſo; ſi ediſſet humidum, & poſtea ſiccum, proderat; ſiccum & poſtea humidum comediſſet, non proderat; nunquam prodeſt, niſi prius comederit humidum, & poſtea ſiccum. R. Chanina filius Antigoni dicit; macula alba ter intra octoginta dies viſitatur; fieri fortaſſe poteſt, ut abeat, & redeat. R. Simeon filius Eleaſaris dicit; ſi ab oculo defluerent lacrymæ; certum eſt, quod non ſint aquæ fixæ; ſi lacrymæ ceſſarent; certum eſt, quod ſint aquæ fixæ.

[6] Cum album &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 20. תבלול; album quod ſe diffundit in nigrum, & nigrum in album. R. Joſe dicit; non reputantur maculæ, quæ ſunt in albo. Quidnam eſt תבלול? album quod ſe diffundit in Sira, & nigrum intrat. *Peſiktha ibidem.* או תבלול in oculo; hoc eſt album, quod diffunditur in nigrum. *Miſna Bechoroth ibid.* Si in oculis illius ſit feſtuca, ſuffuſio, lippitudo, & uva. Sed quænam eſt ſuffuſio? album quod ſe diffundit in Sira, & nigrum intrat; ſi vero in nigro ſit, & album ingrediatur, non eſt vitium, quia in albo non ſolent eſſe maculæ.

[7] In naſum &c. *Miſna Bechoroth ibidem.* Si nares perforatæ ſint, læſæ, vel fiſſæ.

[8] Si e labiis &c. *Siphra ad Levit.* XXII. 22. Labium, ſi fuerit perforatum, læſum, & fiſſum. *Peſiktha ibid.* Sic labium, ſi fuerit perforatum, læſum & fiſſum.

[9] Si de lingua multa pars ejus &c. *Miſna Bechoroth. ibid.* Et quando maxima pars elocutionis linguæ ſublata eſt. *Toſaphta Bechoroth ibid.* Si major pars linguæ ſublata ſit.

[10] Genitalis &c. *Miſna Bechoroth ibid.* Si unicus duntaxat teſticulus ſit; R. Iſmael dicit; ſi duo ſint ſacculi, duo quoque ſunt teſticuli; ſi plus ſit, quam unus ſacculus, unus duntaxat teſticulus. R. Akiba dicit, ponit illud in nates ſuas, & comprimit; ſi illic ſit teſticulus, prodibit tandem. Contigit aliquando, ut compreſſerit, & non prodierit, & adhæſerit illis teſticulus. R. Akiba licitum, ſed R. Jonathan filius Nuri illicitum pronuntiavit. *Thoſaphta Bechoroth ibid.* Si illi unus tantum ſacculus eſſet, aut unus tantum teſticulus, mactari licet; ſi duo illi eſſent, quamvis in ſecundo *ſacculo*; ſi magnus eſſet inſtar fabæ, non licet mactari. Dicit R. Joſe, contigit in vacca domus Menachem, ut ſtatuerint vitulum ſuper hoc tigno, & compreſſerint teſticulos; unum tantum invenerunt, & fuit mactatus; ſecundus femori appenſus inventus eſt; conſultus eſt R. Akibit, & permiſit; quando hæc coram R. Jochanan filio Nuri narrata ſunt, dixit; vobis cadaveris comeſtionem permiſit.

[11] Obſtructus &c. *Toſaphta Bechoroth ibid.* R. Elngai nomine R. Iſmaelis dicit; Androgynus eſt primogenitus, & in illo eſt macula, cum ea mactari poteſt. Et Sapientes dixerunt; Sanctitas in illo non conſiſtit; verum egredietur, & paſcetur in grege. R. Simeon dicit; Scriptura inquit. *Deut.* XV. 19. *De primogenitis, quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis, quicquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo;* ubicunque exprimitur ſexus maſculinus, excluditur obſtructus, androgynus.

[12] Pedibus? *Miſna Bechoroth ibid.* Si ſint quinque pedes, vel tres tantum, vel pedes rotundi ut aſino; vel extractum, & levatum; ſed quodnam eſt *extractum?* Si femur illius diſſolutum ſit; *levatum*, ſi femur ſit altum. Si os armi illius fractum ſit, & os pedis poſterioris, etſi non cognoſcatur; hæc vitia computavit Ela in Jabne, & Sapientes ei conceſſerunt.

[13] גרב &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 20. גרב, hæc eſt ſcabies ſicca; ילפת *fluens*; hæc eſt impetigo Ægyptiaca. *Peſiktha ibid.* או גרב; hæc eſt ſcabies; ילפת hæc eſt impetigo.

[14] Verrucam &c. *Siphra ad Levit.* XXII. 22. יבלת, *verruca*; hic eſt verrucoſus. *Peſiktha ibid.* יבלת *verruca*; hic eſt verrucoſus. *Miſna Bechoroth ibid.* Chanina filius Antigoni dicit, ſicui verruca ſit in oculo.

[15] ילפת &c. *Siphra ibid.* גרב, hæc eſt ſcabies ſicca; ילפת, hæc eſt impetigo Ægyptiaca. Hic non dictum eſt רק ותבלול, & illic non dictum eſt יבלת; unde probatur, ut quicquid expreſſum eſt in pecore, tribuatur homini, & quicquid eſt expreſſum in homine, tribuatur pecori? ex eo quod dictum eſt, גרב גרב, *ſcabies, ſcabies* a pari, ילפת ילפת *impetigo, impetigo* a pari. *Peſiktha ibid.* גרב, hæc eſt ſcabies; ילפת, hæc eſt impetigo Ægyptiaca; dictum eſt hic ילפת

גרב ילפת, & dictum est in homine גרב ילפת argumento a pari; sicuti illo loco דק או תבלול, etiam hic דק או תבלול

[16] Si ex manifestis ossibus &c. *Siphra ibid.* שבור; cur dictum est? quia dictum est, *si fracto pede*, *si manu*. Crederem a me non probari, nisi cum fractus sit pes aut manus, unde probatur ad comprehendendum etiam fracturam caudæ? ex eo quod dicitur, או שבור; crederem comprehendendam quoque esse fracturam costæ; ideo dictum est; *si fracto pede*, *si manu*; quemadmodum hæc sunt vitia peculiaria, & aperta, quæ non reparantur; excluditur fractura costæ, quæ non est macula manifesta. *Misna Bechoroth ibid.* Vel os armi læsum, vel os pedis, vel os oris excisum, parvum unum, & alterum magnum &c. *Tosaphta Bechoroth ibid.* IV. 8. Si costæ majorem partem fractæ essent, aut interiorem maculam haberet, non est macula; quia Scriptura dicit *Deut.* XV. 21. *Si claudum fuerit*, *vel cæcum*; sicuti cæcum & claudum sunt vitia manifesta, neque reparantur, sic reliquæ omnes maculæ.

[17] Præterea autem &c. *Misna Bechoroth ibid.* Hæc sunt ob quæ non mactant, neque in Sanctuario, neque in provincia, albugo, aquæ instabiles, molares interiores læsæ, at non eradicatæ, psora, verruca, impetigo, senium, infirmitas, inquinamentum, & si cum eo peccatum fuerit, vel hominem occiderit, obturatum, hermaphrodita, neque in templo, neque in provincia. R. Ismael, non est vitium majus quam hoc.



פרק שמיני

א. כל המומין המיוחדין באדם תשעים והו פרטן שמנה בראש ואלו הן מי שאמצע קודקדו שוקע למטה כמי שדחקו בידו מי שאמצע קודקדו עולה למעלה כמו ביצה מי שפארת ראשו יוצא כנגד פניו כמו מקבת מי שראשו יוצ׳ מאחוריו כנגד עורפו מי שראשו רחב ויוצא מכאן ומכאן עד שתמצ׳ ראשו על צוארו כמו ראש הלפ׳ על העליך שלו הקרח שאין בכל ראשו שיער כל עיקר ואם יש בו שטה של שיער מוקפת מאחריו מאוזן לאוזן כשר מי שהיה השיער מקיף מאזן לאזן מלפניו בלבד ושאר הראש קרח הוא הרי הוא פסול מי שהיה השיער שלו מקיף את כל הראש סביב מלפניו ומאחריו ואין שם שיער באמצע גם זה קרח ופסול

ב. שנים בצואר ואלו הם מי שצוארו שוקע הרבה עד שנמצא ראשו כאילו הוא מונח על כתיפיו מי שצוארו ארוך הרבה עד שיראה כשמוט מבין כתיפיו

ג. ארבעה באוזן ואלו הן מי ששתי אזניו קטנות הרבה מי ששתי אזניו נפוחות דומות לספוג מי שאזניו מדולדלות למטה מי שאחת מאזניו משונה מחברתה במראה

ד. חמשה בגבינים ואלו הן מי שאין לו שיער בגביניו והוא גבן האמור בתורה מי שגביניו שוכבין מי שאין לו אלא גבין אחד מי שיש לו גבינין יתר על שנים מי שאחד מגביניו משונה מחבירו בין ששערו של זה ארוך ושערו של זה קצר בין ששערו של אחד שחו׳ ושערו השני לבן או אדום הואיל ויש ביניהם שינוי זה הרי זה פסול

ה. ארבעה בריס העין ואלו הן מי שאין

CAPUT OCTAVUM.

I. Omnino vitia corporis omnia, quæ temerant solum hominem numero sunt nonaginta, quæ hic sigillatim describuntur. [1] Pertinent igitur ad caput octo hæc. Si medius vertex cavatus sit sic, tanquam fuerit manu depressus: si contra sic extuberet, ut speciem præbeat ovi: si sinciput extremum ante vultum prominet quasi malleus, si prominet occiput a cervice: si præ nimia latitudine caput utrinque prominet ita, ut sit aptum collo caput, veluti suis extremum rapæ foliis: si cui tantum obtigerit calvitium, ut ne unus quidem in toto capite pilus existat. Nam cujus occipiti pilorum striga sit aure ab una ad alteram circundata, hic idoneus erit: contraque vitiosus is, cujus soli sincipiti ab aurium una ad alteram pilus existat, & reliquo capiti [2] calvitium; & cujus caput circumcirca pilo sit instructum, destitutum in medio, hic quoque calvus sit, atque adeo vitiosus.

II. [3] Cadunt in collum ista duo: si quis collo fuerit ita depresso, ut caput ejus humeris ipsis impositum esse videatur: rursusque si quis collo sit ita procero, ut humeris exsertum caput diceres.

III. Quatuor hæc in aures: si fuerint ambæ pusillæ: si fuerint adeo inflatæ, ut spongiam imitentur: si partes earum infimæ sint pendulæ: si quid inter unius & alterius aures speciem differat.

IV. [4] Superciliis accidunt ista quinque. Pilis destitui, sic enim affectus vocabulo גבן a Lege nominatur. Pilos esse adeo promissos, ut palpebris incumbant. Si unum omnino supercilium existat, aut si existant plura duobus. Si quid differat inter unum & alterum supercilium, seu quia pilus unius sit prolixus, brevis alterius, seu quia pili sint in uno nigri, albentes in altero, aut rubentes, id cum inter unum & alterum supercilium intersit, vitiosus homo fuerit.

V. [5] Sunt in palpebris ista quatuor. Si

לו

לו שיער כלל בריסי עיניו מי ששיער עיניו ריסי מרובה מעובה הרבה מי ששיער אחד מריס עיניו משונ' משיער ריס אחר כגון שאחד שחו' ואחד לבן או שאחד נושר והשני מעובה מי שעפעפיו סגורו' מעט ואין נפתחו' הרבה כשאר כל האדם

ו. אחד עשר בעינים ואלו הן מי שהיו שתי עיניו למעלה מפרחתו מן המקום הראוי להן קרובו' מפרחתו מי שהיו שתי עיניו עגלות ואינם נמשכו' באורך מעט כשאר העינים מי שעיניו מזורות והן יוצאות כעיני הנמר וכמי שהוא מסתכל בעת שכועס כעס הרבה מי שעיניו גדולות הרבה כשל עגל מי שעיניו קטנות כשל אווז מי שדמעיו זולפות תמיד מי שלחלוחית נמשכת מראש עיניו מכנגד החוטם או מזנב עינו מצד צדעיו מי שמקבץ ריסי עיניו ועוצמן מעט בשעה שרואה או בשעה שהוא רוצה לדקדק בראייה מי שראיית עינו מעורבבת עד שרואה את החדר ואת העלייה כאח' ויודע דבר זה בעת שידבר עם חבירו וגר' כאילו הוא מסתכל באיש אחר מי שאחת מעיניו משונה מחברת' בין במקומה בין במרא' כגון שהית' אחת שחורה ואחת פתוכ' או אחת קטנ' ואחת גדולה הואיל ויש בין שתיהן שינוי מ״מ פסול

ז. ששה בחוטם ואלו הן מי שעקר חוטמו שוקע אע״פ שאינו כוחל שתי עיניו כאחת וזה חרום האמור בתורה מי שאמצע חוטמו בולט למעלה מי שעוקץ חוטמו נוטף למטה מי שחוטמו עקום לצד אחד מי שחוטמו גדול מאיבריו מי שחוטמו קטן מאיבריו וכיצד משערין אותו באצבע קטנה שעל ידו אם הזה הוטמו גדול ממנה או קטן ממנ' הרי זה מום

ח. שלש' בשפתים ואלו הן מי ששפתו העליונה עודפת על התחתונה מי ששפתו התחתונה עודפת על העליונ' מי שפיו רפוי ורירו יורד מפיו

ט. שלשה בבטן ואלו הן מי שכריסו עבה מי שטיבורו יוצא ואינו שוקע כשאר בני אדם מי שדדיו שוכבין על בטנו כדדי אשה

י. שלשה בגב ואלו הן מי ששדרתו עקומה מי שיצאת חוליה משדרתו בין שבלטה לחוץ או נכנסה לפנים או נטית לצדדין וזהו בעל חטוטרת מי שתפח בשר

pilorum eis nihil omnino fuerit: ſi fuerit eis nimia pilorum ſpiſſitas: ſi pili earum nimium inter ſe diſcrepent, ut ſi in earum una pili inſint nigri, & cani in altera, ut ſi pili fuerint in una rari, in altera denſi: porro ſi quis palpebras ex aliqua parte clauſas nunquam ſic aperit, ut cuncti ſolent homines.

VI. [6] In oculis undecim iſta: ſi fuerint ambo collocati ſuperius, quam conveniat, non procul a fronte: ſi fuerint quam deceat, inferius: ſi fuerint ambo non leviter in longum deducti ſic, ut cuncti ſolent oculi, ſed omnino rotundi: ſi fuerint quodammodo expreſſi, id eſt, prominentes, veluti pardi ſunt oculi, & hominis cum indignatione mala intuentis: ſi fuerint tam magni, quam vituli ſunt oculi: ſi fuerint tam parvi, quam anſeris: ſi quis lacrymis ſtillaverit uſque: ſi per naſum ab oculi capite manat humor, ſi manat ab oculi cauda per tempora: ſi quis palpebras aliquatenus colligit ac comprimit tum, cum aut lucem intuetur, aut attentius quidpiam aſpicere cupiat: ſi cujus oculi ſint tam perverſi, ut ſimul & ſemel atrium & cœnaculum cernat, cujus cognoſcendi ratio eſt, ſi dum ſermonem cum aliquo conferat, tum in alium intueri videatur: ſi oculorum unus ab altero diſcrepat vel ſitu, vel ſpecie; ut ſi colore nigro ſit eorum unus, miſto alter; ut ſi major altero ſit alter: nam quidquid in ipſis interſit vitium erit.

VII. [7] In naſo ſex iſta: ſi ſumma pars ejus ſit adeo depreſſa, tametſi ſatis etiam obſtet, quominus oculi ambo ſimul una poſſint fuco oblini; hic enim eſt qui חרם (*Lev.* 21. *v.* 18.) a Lege nuncupatur: ſi media pars ejus nimium extuberet: ſi extrema pars ita dependeat, ut ſtillare videatur: ſi partem in unam fuerit inflexus: ſi fuerit major ad comparationem reliquorum membrorum, ſi fuerit ad reliquorum membrorum proportionem minor: erit igitur ejus menſura digitorum minimus, quo ſi major ſit, minorve, vitium erit utique.

VIII. In [8] labiis hæc tria: ſi labiorum ſuperius ſit multo amplius inferiore, contraque ſi ſuperiore ſit amplius inferius: ſi præ laxitate os ſalivat.

IX. [9] In ventre hæc tria: ſi præpinguis ſit: ſi non ſit umbilicus depreſſus ita, ut ſolet, ſed foras emineat: ſi mammæ ſic tanquam ubera mulieris ad ventrem ſint deciduæ.

X. In dorſo hæc tria: ſi contorta ſpina: ſi quædam e ſpina ſit elocata vertebra ſeu emineat foras, ſeu penetret intus, ſeu ad alterutrum latus declinet: nimirum qui ſic eſt affectus [10] gibboſus eſt: ſi cujus in dorſo inflata caro ſpeciem gibbi reddat, tam-

בגבו

בגבו ונעשית כחטוטרת אף על פי שלא זזה חוליה ממקומה הרי זה מום

יא. ששה בידים ואלו הן מי שיש בידו אצבע יתירה באצבעות ידו אפילו היו שש ושש ואם חתך את היתירה כשר ואם היה בה עצם אפילו חתכה פסול מי שחסר אצבע מידו מי ששתי אצבעות ידיו קלוטות עד למטה מן הפרק ואם חתכן והפרישן עד הפר׳ כשר באי זה פרק אמר בפרק ראשון הסמוך לכף היד מי שאצבעותיו מורכבות זו על גבי זו מי שפיקה יוצאת מגודלו מי שהוא אטר יד ימינו ואם היה שולט בשתי ידיו כשר

יב. ארבעה באיברי הזרע ואלו הן מי שכיס הבצים גדול וארוך עד שמגיע לארכובותיו מי שהגיד שלו ארוך עד שמגיע לארכובותיו מי שנמרחו אשכיו והוא מרוח אשך האמו׳ בתור׳

יג. חמשה עשר בשוקים וברגלי׳ ואלו הן מי ששוקיו עקומות עד שמחבר רגל לרגל ואין ארכובותיו נוגעות זו בזו מי שפיקתו יוצאה והקיפה היא העגל של מעלא מן העקב מצד פני׳ והוא דומה לפיקה שטוות בה הנשי׳ מי שעקבו יוצ׳ לאחוריו עד שנמצא השוק כאילו הוא באמצע רגלו עומד מי שפרסותיו רחבה כשל אוז אעפ״ שאינה קלוטה כשל אוז מי שפיקה יוצאה מגדלו מי שיש ברגלו אצבע יתירה אפילו שש ושש ואם חתכ׳ כשר והוא שלא יהיה בה עצם מי שחסר אחת מאצבעות רגליו מי שאצבעותיו מורכבות זו על גב זו מי שהיו אצבעו׳ רגליו קלוטות עד למעלה מן הפרק ואם היו עד הפרק או שחתכן והפרישן כשר מי שרגלו כולה שוה שנמצא רוחב פס אצבעותיו כרוחב עקיבו וכאילו היא חתיכ׳ שוה מי שרגלו עקומ׳ דומה למגל שנמצא פס רגלו שיש בו האצבעות עם עקבו כאילו הם שני ראשי הקשת מי שרגלו חלולה והוא שיהיה אמצעה גבוה מעל הארץ ונמצא כשעומד עומד על עקביו ועל אצבעות רגליו המקיש בקרסוליו בעת שמהלך מי שמקיש בארכובותיו בעת שמהלך מי שהוא אטר ברגל ימינו

יד. ארבעה בכל הגוף ואילו הן מי שגופו

etſi vertebra e loco mota ſit nulla, vitium erit utique.

XI. [11] In manibus ſex iſta: ſi quis digito redundet, ut ſex in utraque manu digitos habeat: nam ſi recideret id, quo redundaſſet, idoneus evaſiſſet: nempe ſi os in illo nimio nullum ineſſet; quod ſi ineſſet, eo etiam reciſo, vitioſus homo manebat: ſi digitorum unus deficiebat: ſi duo fuiſſent digiti conſolidati præter commiſſuram; quos ſi quis diſſecando commiſſura tenus ſeparaſſet, idoneus evaſiſſet: jam commiſſura dicitur prima illa, quæ eſt palma proxime ſuperior: ſi digitorum alii in aliis quaſi equitent: ſi caruncula promineat a pollice: ſi quis utatur [12] ſiniſtra pro dextra; nam qui utraque manu æque utatur, idoneus eſt.

XII. In [13] genitali quatuor iſta: ſi ſcrotum fuerit tam amplum, & tam longum, ut ad poplites pertineat: ſi longitudo veretri pertineat ad poplites: ſi teſtes, hoc eſt, ſcrotum contritum fuerit: ſi ſcroto ventus inſit; nimirum hic eſt ille, qui dicitur a Lege מרוח אשך (*Lev.* 11. *v.* 20.)

XIII. Quindecim iſta [14] in cruribus & pedibus: ſi crurum fuerit ea curvatio, ut cum ſit junctus pedi pes, poplites ſeſe non attingant: ſi ſubductum eſt * verticulum: verticulum nunc dico os illud rotundum ſuper talo ſitum ad partem interiorem; habet enim formam verticuli, quo mulieres ad nendum utuntur: ſi talus ita retro extenditur, ut crus in medio pede poſitum eſſe videatur: ſi plantæ pedum in latitudinem pateant ſic, uti pedes anſeris, etiamſi non ſint tanquam anſeris pedes conſolidati: ſi caruncula promineat a pollice: ſi pes digito redundet, immo ſi digiti ſint in utroque pede ſex: etenim ſi recideretur id quod redundaret, idoneus homo evaſiſſet, ſi modo nullum in nimio illo os ineſſet: ſi pedibus digitorum unus deſit: ſi digitorum alii in aliis equitent: ſi digiti ſint ultra commiſſuram conſolidati; nam ſi aut ad commiſſuram tantum ſint conſolidati, aut diſſecando ſint ſejuncti, idoneus erit homo: ſi in pede toto ſit æqualitas, ut pes quantum ad digitos, tantundem pateat ad talum, & quaſi præciſione quadam ſit exæquatus: ſi veluti falcula pes ſit contortus ita, ut digitata pars & talus imitentur arcus extrema duo: ſi pes ſit concavus, ut ſi pes medius ſit a terra ſublatus cum talus in ea digitique inſiſtant: ſi tali eundo ſe collidant: ſi eundo ſe collidant poplites: ſi quis ſit dextero pede captus.

XVI. Quatuor iſta [15] corpore toto fun-

גרול

XIII. *Verticulum*. Verticulum verbo per ſimilitudinem tranſlato Scriptor noſter appellat pedis os illud rotundum, quod eſt ſitum proxime ſuper talum ad partem interiorem. Id Latinis *malleolus pedis* dicitur.

נדול מאיבריו מי שגופו קטן מאיבריו הארוך ביותר הננס והוא הקצר ביותר עד שיהיו מופלגין משאר העם

יה. שמונה בעור הבשר ואלו הן הכושי הלבן ביותר כמו גבינה הארום כשני בעלי נגעים טהורים שנשתנה העור מחמת עצמו כמו הבוהק שנ שתנה העור מחמת דבר אחר כגון צרבת המכוה וזה בכלל נגעים טהורין מי שהיתה בעור פניו שומא שיש בה שיער אעפ שאינה כאיסר אלא כל שהוא מי שהיתה בעור פניו שומא כאיסר או יותר בעלי הדלדולי׳ והוא שידלדל העור והבשר או הלחלוחית שיש בעור שנדלדל באי זה מקו׳ שיהיה מכל הגוף הרי זה מום

יו. ועוד יש שם באדם ארבעה מומין אחרים ואלו הן החרש והשוטה והנכפה אפילו לימים רבים מי שרוח רעה מבעתתו תמיד או בעתים ידועים

יז. נמצאו כל׳ המומין הפסולין בכהנים מאה וארבעים וזהו׳ כללם שמנה בראש ושנים בצואר ותשעה באזני׳ וחמשה בגביני ושבעה בריס העין ותשעה עשר בעינים ותשעה בחוטם ותשעה בפה ושלשה בבטן ושלש בגב ושבעה בידים וששה עשר באיברי הזרע ועשרים ברגלים ושמנה בכל׳ הגוף ושמנה בעור הבשר ושבעה בכח הגוף וריחו וכבר נפרטו כולן אחד אחד ואלו פסולין מפני מראית העין מי שנשרו ריסי עיניו אעפ שנשאר השיער בעיקרן ומי שניטלו שיניו:

duntur : ſi membra corpus magnitudine ſuperat : ſi rurſum corpus a membris magnitudine ſuperatur : ſi quis nimiæ ſit proceritatis : ſi quis contra pumilio ſit, ideſt, nimiæ brevitatis, adeo, ut cum reliquis hominibus diſcrepet.

XV. [16] In cute ſunt hæc octo : ſi quis ſit tam ater, quam eſt Æthiops : ſi quis ſit tam albus, quam eſt caſeus : ſi quis rubore ſit coccineo : ſi fuerint affectiones etiam mundæ, ut ſi cutis ſponte ſua ſit immutata, exempli cauſa vitiligine : ſi commutata ſit re aliena, verbi gratia nota aduſtionis ; nam & hoc quoque in affectionum mundarum eſt numero : ſi cujus in vultu verruca ſit, quæ magnitudine æquet monetam nomine Iſſar, aut etiam ſuperat : ſi cujus in facie verruca ſit pilis obſita, eademque non magnitudine par Iſſar, ſed quantulacunque : ſi quis ſit valde toroſus, id eſt, ſi cui dependeat [17] e corpore caro cute conjuncta, aut certe cutis humore prædita, id vero quacunque corporis parte exſtet, vitium erit.

XVI. [18] Præterea autem iſta ſunt in homine vitia quatuor : ſi quis ſit captus auribus : ſi mente ſit inops : ſi comitiali morbo conflictetur quamvis longis intervallis : ſi quem aut ſemper, aut certis temporibus lymphat ſpiritus teter.

XVII. Sunt igitur vitia, quæ ſacerdotes temerabant centum & quadraginta hæc in univerſum. Octo in capite : in collo duo : in auribus novem : in ſuperciliis quinque: in palpebris ſeptem : in oculis undeviginti: in naſo novem : in ore totidem: in alvo tria : in dorſo totidem : in manibus ſeptem : in genitali decem & ſex : in pedibus viginti : in corpore toto octo: in cute totidem: in odore & corporis viribus ſeptem, quæ nos ſigillatim antehac deſcripſimus : illa vero propter offenſionem temerabant : [19] ſi palpebræ eſſent depilatæ, quamvis pilorum radices inhærerent : ſi dentes eſſent adempti.

NOTÆ IN CAPUT OCTAVUM.

[1] Pertinent igitur ad caput &c. *Miſna Bechoroth c. VII.* Hæc vitia tam ſtabilia, quam inſtabilia hominem reprobum faciunt; præterea in homine hæc ſunt, ut, Cilon, Liphtan, & Macban, & ſi caput ſit profundum, & Sakiphas, & gibbus. R. Jehuda ea probat, Sapientes reprobant. *Maimonides in h. l.* כילון derivatur ab אכלה, hoc eſt quod in *Gemara* dicitur, caput illius ſimile eſt אכלה. Ceterum אכלה eſt vas quod oblongum habet collum, quo vinum e dolio hauriunt ; ſenſus hujus ſimilitudinis hic eſt, quod media pars capitis iſtius hominis promineat ſurſum. לפתן derivatur a לפות. & denotat eum, qui caput habet in collo, in forma capitis raphani ſuper foliis; & hoc eſt quod in Gemara dicunt, collum illius eſt in medio capitis. מקבן derivatur a מקבות, denotat igitur eum, qui caput malleo ſimile habet, & cranium ſurſum aſſurgens. *Et cujus caput profundum eſt*, perinde ac ſi quis manum ſuam poſuiſſet in capite, & extendiſſet donec protuberent latera illius in utramque partem; qui vero tale caput habet, is Arabice קובי vocatur. שקיפס dicitur is, cujus extrema pars capitis prominet verſus cervicem, ſicuti latera prominent in eo, qui קובי vocatur. בעל חטוטרות notat eum qui remiſſas habet vertebras, quocunque id fiat modo, ſive a poſteriori parte, ſive ad latera. Sic etiam licet, etſi vertebræ non ſint remiſſæ, ſed puſtula dura nata fuerit in tergo in forma gibbi, ſecundum ſapientes talis primogenitus

genitus filius est reprobus, & ita deciditur. *Vide hoc loco Bartenoram.*

2 Calvitium &c. *Misna Bechoroth ibid.* Calvus est reprobus; sed quisnam est calvus? cui non est linea pilorum ab una aure ad alteram cingens, si vero ei sit, legitimus est. *Tosaphta Bechoroth cap.* V. Hæc vitia tam stabilia, quam instabilia reprobant hominem; hæc præterea sunt in homine ---- si quis sit calvus tantum in medio capite, aut in toto capite.

3 Cadunt in collum &c. *Tosaphta Bechoroth.* Cui sit collum nimis procerum, aut desit collum, i. e. *sit illi collum nimis depressum.*

3 In aures &c. *Misna Bechoroth* VI. 10. Vel una auris magna, & altera parva, cum visu, at non cum mensura ----- cui sint aures dissimiles, aut perforatæ.

4 Superciliis &c. *Siphra ad Levit.* XXI. 20. גבן; qui habeat duo supercilia, qui non habet supercilia, qui unum tantum supercilium habeat; hoc est גבן *supercilium* commemoratum in lege. R. Dosa dicit; cujus supercilia sint demissa. R. Chanina filius Antigoni dicit; cui sint duo dorsa, aut duæ spinæ dorsi. *Pesiktha ibid.* או גבן, aut cui sint supercilia demissa; R. Chanina filius Antigoni dicit; Cui sint duo dorsa, & duæ spinæ dorsi. *Misna Bechoroth* VII. 2. Si ei non sint palpebræ, vel unicum duntaxat supercilium, is est גבן de quo lex loquitur. R. Dosa dicit; si alicujus supercilia desideant. R. Chanina filius Antigoni dicit, si cui duo sint dorsa, aut duæ spinæ dorsi.

5 Sunt in palpebris &c. *Tosaphta Bechoroth ibid.* וסנרים שכניות; quinam est שכניה? cujus palpebræ sunt promissæ, & operiunt oculos; quinam est סנרים? cujus palpebrarum altera est nigra, & altera est alba.

6 In oculis &c. *Siphra ibid.* בעינו; *in oculo suo*; ad comprehendendum omnia illa, quæ accidere possunt in oculo; cui sint duo oculi superius, & duo oculi inferius; alter oculus superius, & alter inferius; & videat *eodem tempore* conclave & tabulatum; lusciosus, nempe qui oculos claudit, quando vult intueri solem, impar oculis; & qui videns suum socium, & alium aspicere videtur & dicat *eum non vidisse*: *Pesiktha ibid.* בעינו, *in oculo suo*, cujus sint oculi, alter superius & alter inferius; & eodem tempore videant conclave & tabulatum. *Misna Bechoroth ibid.* Qui inæqualibus est membris, is reprobus est, quisnam est inæqualibus membris? qui ambos oculos fucaverit simul, si ambos oculos superius, & ambos oculos inferius, unum vero superius, & alterum inferius, & qui conclave & tabulatum videt simul, qui oculos comprimit præ sole, impar oculis, & lippus; & is cui pili exciderint e palpebris, reprobus est ob oculi visum. Si oculi sint magni, ut vitulini, vel parvi ut anserini. *Tosaphta Bechoroth ibid.* Quinam vocatur, qui adspicit solem? qui simul videt conclave, & tabulatum; quinam est, qui ut unum videat, duo videt? qui videns socium, & dicat illum non vidisse ---- cui sint oculi rotundi, & extra locum naturalem siti, & oculi magni, & parvi, magni ut vitulini, & parvi ut anserini. *Iterum paucis interjectis. Misna Bechoroth* Sed quis est, צמע? cui oculi sunt parvi. צמם vero is est, cui sunt oculi in forma spongiæ.

7 In naso &c. *Siphra ibidem.* חרום, cujus nasus sit depressus, nasus obturatus, nasus contractus, nasus destillans; ex eo probatur quod dictum est חרום. Aba Jose Cherem dicit; quisnam est החרם? cui simul ambo oculi possunt fuco oblini. Ei dixerunt; nimis dissentis; quamvis simul ambo oculi fuco oblini non possint. *Misna Bechoroth ibid.* Si nasus major sit membris, aut minor. *Tosaphta Bechoroth ibid.* Cui sit nasus obturatus, cui desit nasus; si nasi media pars nimium extuberet, si extrema pars nimium dependeat. *Kimchi in voce* חרום eum *docet esse* חרום, cujus nasus depressus est, & quasi demersus inter utrumque oculum, ita ut supercilium utriusque oculi cohærere videatur & continuare.

8 In labiis &c. *Misna Bechoroth ibid.* Si alicujus labium superius fuerit inferiori majus, vel contra, vitium est. *Tosaphta Bechoroth.* IV. 9. Si labium inferius fuerit superiori majus, vitium est. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, si superius inferiori majus esset instar suis, est vitium.

9 In ventre &c. *Misna Bechoroth ibid.* Si illius mammæ dependeant ut mulierum, venter prominens, umbilicus prodiens.

10 Gibbosus &c. *Tosaphta Bechoroth c.* V. 1. Et gibbosi essent legitimi, sed excluduntur propter deformitatem adspectus.

11 In manibus &c. *Siphra ibidem.* שבר יד; non probo nisi pro fractura manus: cui sint digiti, quorum alius alii insidet, aut adhæreant usque ad articulum, legitimus est, infra articulum, est illegitimus; si absciderit, quod sit legitimus, unde probatur? ex eo quod dicitur; או שבר יד. *Pesiktha ibid.* או שבר יד ad comprehendendum illum, cujus digiti sibi insideant. *Misna Bechoroth ibidem.* Si digiti illius sibi insideant, vel coalescant usque ad juncturam, legitimus est, si infra juncturam sint, & quis absciderit eos, etiam legitimus est. Si quid superfluum sit in aliquo, at is exciderit illud, & os in eo fuerit, illegitimus est, sin minus, legitimus. Si sint in manibus pedibusque seni digiti, qui sunt quatuor & viginti; R. Jehuda illum dicit illegitimum, sapientes legitimum. Qui ambabus dominatur manibus, Rabbi eum dicit legitimum, sapientes vero illegitimum. *Tosaphta Bechoroth ibid.* Ille, cujus e pollice prominet veluti alter digitus, aut si desit digitus, si digiti emineant, si digiti sibi insideant, aut si digitus sit contortus, est illegitimus.

12 Sinistra &c. *Tosaphta Bechoroth ibid.* Si quis manibus & pedibus sinistris pro dextris utatur; est illegitimus; ambidexterum Rabbi reprobat, & sapientes probant.

13 In facie verruca &c. *Tosaphta Bechoroth ibid.* Cujus in facie fuerit verruca pilis obsita, est illegitimus, sin minus est legitimus.

14 In genitali &c. *Siphra ibid.* מרוח אשך, *herniosus*. R. Ismael dicit; cui sint attriti testiculi. R. Akiba dicit; cui ventus est in testiculis ipsius. Chananja filius Antigoni dicit, cui color est obscurus. *Pesiktha ibid.* או מרוח אשך hic est, cui est ventus in testiculis ipsius. R. Chananja filius Antigoni dicit; cui color est obscurus. *Misna Bechoroth ibid.* Testiculosus, & qui membrum nimis magnum habet, qui non habet testiculos, vel unum duntaxat, is vocatur מרוח אשך, de quo in lege. R. Ismael dicit, cui testiculi attriti sunt. R. Akiba dicit, cui ventus est in testiculis ipsius. R. Chananja filius Antigoni dicit, cui color est obscurus. *Tosaphta Bechoroth ibidem*; Quisnam est מרוח אשך? cui ventus est in testiculis ipsius; verba R. Akibæ; R. Ismael dicit, cui testiculi sint attriti.

15 In cruribus &c. *Siphra ibidem.* Si pes esset concavus, *aut perfossus*, aut contortus, aut falci similis, unde probatur? Ex eo quod dicitur פסח. *Et paucis interjectis.* שרוע; cui femur exilierit; si Pica prodierit ex pollice illius, si calx exierit posterius, si cui sit planta lata ad similitudinem anseris, unde probatur? Ex eo quod dicitur או איש שבר רגל non probo nisi pro illo, cui sit fractus pes; cujus genua inter se collidunt qui sit tortuosus, & luxatus, unde probatur? Ex eo quod dicitur, או איש. *Pesiktha ibidem.* או פשח, sive duobus, sive uno tantum pede; cui sit concavus pes, *aut perfossus*, aut contortus, aut falci similis, comprehenditur in פסח. *Et paucis interjectis.* Aut fracto pede, ad comprehendendum illum, cui sit pes tortuosus. *Misna Bechoroth ibid.* Cujus crura, & genua collisa sunt, qui magnum calcaneum habet, & tortuosus; sed quis est tortuosus? qui plantas conjungit, & genua illius inter se non collidunt. Si Pica prodierit ex pollice illius, si calx exierit posterius, si planta illius tam lata sit, quam anseris &c. *Tosaphta Bechoroth*; cui sit planta pedis perforata, tortuosa, falci similis, femur in medio eminens, si pes unus superius cum altero conjungatur, & inferius nimium dilatetur. *Gemara Bechoroth* 45. I. Quisnam est עיקל? Quicunque conjungit plantas, ungulas suas, ut genua ejus se invicem non collidant.

16 Corpore toto funduntur. *Misna Bechoroth ibidem.* Si corpus sit majus membris ipsius, vel minus.

17 In cute &c. *Siphra ibid.* Non probo nisi pro his maculis tantum, unde probatur ad comprehendendas reliquas maculas? Ex eo quod dicitur מום מום *macula, macula*, includit. Niger ruber, albus, gigas, nanus, surdus, stultus, & ebrius & qui habent plagas puras, unde probatur? Ex eo quod dicitur איש איש *homo, homo*, includit. *Misna Becharoth ibid.* Niger, ruber, albus, gigas, nanus, surdus, & stultus, & homi-

ebrius, & qui plagas habent puras, illegitimi sunt homines, pecora autem legitima. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit; pecus stultum non est e selectissimo. *Tosaphta Bechoroth ibid.* Niger, ruber, nimis albus, procerus, nanus, gigas, tenuis, surdus, stultus, & ebrius sunt illegitimi in hominibus, & legitimi in pecore.

[17] E corpore caro &c. *Misna Bechoroth ibidem.* R. Eliezer dicit, etiam qui carnem habent pendulam in hominibus illegitimi sunt, sed in pecore legitimi.

[18] Præterea autem &c. *Misna Bechoroth ibid.* Epilepticus, etsi semel duntaxat, si inciderit in ipsum spiritus melancholiæ. Qui difficulter anhelat, si inciderit in ipsum spiritus melancholiæ, & Epilepticus vel raro.

[19] Si palpebræ &c. *Misna Bechoroth ibid.* Is cui pili exciderint e palpebris, reprobus est ob oculi visum. *Et nonnullis interjectis.* Si dentes non habeat, reprobus est ob visum oculi.



פרק תשיעי

א. הזר שעבד במקדש עבודתו פסולה וחייב מיתה בידי שמים שנאמ׳ והזר הקרב יומת מפי השמועה למדו שאין חייב זה אלא לקרב לעבודה והיכן הזהיר עליו וזר לא יקרב אליכם אי זהו זר כל שאינו מזרע אהרן הזכרים שנאמר וערכו בני אהרן והקטירו בני אהרן בני אהרן ולא בנות אהרן

ב. אף על פי שהזרי׳ מו זהרין שלא יתעסקו בעבודה מעבודות הקורבנות אין חייבין מיתה אלא על עבודה תמה לא על עבודה שיש אחריה עבודה ואין הזר חייב מיתה אלא על ארבע עבודות בלבד על הזריקה ועל ההקטרה ועל ניסוך המים בחג ועל ניסוך היין תמיד

ג. כיצד על הזריקה בין שזרק בפנים בין שזרק בחוץ בין שהזה הזאה אחת מכל הזיות חדם בין שהזה הזאה אחת מכל הזיות הקרבנות מצורע הרי זה חייב מיתה

ד. כיצד על הקטרה הקטיר איברי׳ או קומץ או לבונה על המזבח אפילו הפך באיברי׳ שלא נתאכלו וקרב שריפתן חייב מיתה והוא שהקטיר כזית וכן אם הקטיר קטורת על מזבח הזהב משיקטיר כזית חייב

CAPUT NONUM.

I. HOmo alienus, si in Sacrario operaretur, cum operatio ejus profanaretur, tum etiam meruisset; ut divina vis eum [1] morte multaret: Est enim in Lege: *Quisquis externorum accesserit, occidetur.* (*Num.* I. *v.* 51.) Atqui id auditione accepimus pœnam hanc ei demum irrogari, qui ad operandum accesserit, quod ne quis faciat Lex alio loco monet: [2] *Alienigena non miscebitur vobis.* (*Num.* 18. *v.* 4.) Sed quis tandem erat alienus? Quisquis non esset * ex stirpe Aaronis mascula: nam quod Lex ita præcipit: *Et ordinabunt filii Aaronis, Et adolebunt illud filii Aaronis,* (*Lev.* I. 8. & 3. 5.) id hanc habet sententiam, ut ista faciant Aaronis filii, * non item filiæ.

II. Quamvis autem alieni monerentur, ne sacris ullis operarentur, tamen de sola operatione prorsus absoluta mortem merebantur, non item de operatione illa, quam alia consequeretur operatio, necesse foret. Etenim quatuor omnino de operationibus [3] mortem merebatur homo alienus; de aspersione, de adolendo, * de aquæ libatione ad tabernaculorum solemnitatem, & de libatione vini semper.

III. [4] De aspersione, ut si homo alienus templi penetralia, partesque exteriores asperserit victimarum sanguine, aut quamcunque de præscriptis sanguinis aspersionibus effecerit, aut etiam perfecerit aliquam earum aspersionum, quas oporteat in [5] hominis leprosi sacrificiis procurandis effici, is mortem meruisset utique.

IV. De adolendo enim si hostiæ membra, si plenum ferti pugillum, si thus in altari adoleverit; immo si victimæ membra, quæ non essent igni consumpta, converterit ita, ut eorum acceleraret consumptionem, mortem mereretur, si quidem id quod adoleverit oleæ magnitudinem exæquaret: item si [6] aureo in altari suffimentum incendisset, mortem meruisset, ubi ex eo adolevisset ad oleæ magnitudinem.

I. *Ex stirpe Aaronis.* Ejusmodi hominem ad consuetudinem Ecclesiasticam recte *Laicum* appellaremus.

Non item filiæ. In eundem modum præcipit Apostolus Epist. I. ad Corinthios cap. 14. vers. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant,* &c.

II. *De aquæ libatione,* &c. Vide quæ hac de re dicta sunt a nobis Tract. proxime superiori ad articulum 6. cap. 8.

אבל המקטיר קטור׳ ביום הכיפורים בקדש הקדשים אינו חייב מיתה עליה עד שיקטיר מלא חפניו המפורש בתורה

ה. והמסדר שני גזרי עצים על המערכה הרי הוא כמקטיר איברים וחייב מיתה שהעצים קרבן הוא אבל היוצק והבולל והפותת והמולח והמניף והמגיש והמסדר את לחם הפנים או את הבזיכין על השלחן והמטיב את הנרות והצית אש במזבח והקומץ והמקבל דמים אע״פ שנפסלו והרי הוא מוזהר על כל אלו ולוקה אינו חייב מיתה מפני שכל אחת מהן עבודה שאחריה עבודה ואינה גמר עבודה

ו. שחיטת הקדשים כשרה בזרים אפילו קדשי קדשים בין קדשי יחיד בין קדשי ציבור שנא׳ ושחט את בן הבקר לפני ה׳ והקריבו בני אהרן מקבלה הדם ואילך מצות כהונה וכן ההפשט והניתוח והולכת עצים למזבח כשרה בזרי׳ שנ׳ באיברי׳ והקטיר הכהן את הכל המזבחה זו הולכת איברים לכבש הולכת איברים היא שצריכה כהונה ולא הולכת עצים

ז. וכן הדלקת הנרות כשרה בזרים לפיכך אם הטיב הכהן את הנרות והוציאן לחוץ מותר לזר להדליקן

ח. הרמת הדשן צריכה כהן שנאמ׳ ולבש הכהן מדו בד וגו׳ ואם הרים ישראל לוקה ואינו חייב מיתה אע״פ שאין אחריה עבודה שנאמר עבודת מתנה עבודת מתנה הוא שתהיה בכהן לבדו ואם קרב לה הזר חייב

מיתה

Nam qui ad solemnem Expiationum diem in Sancto Sanctorum suffimentum incendisset, hac de causa mortem non ante meruisset, quam plenum pugillum suum adolevisset. Hic est enim modus a Lege constitutus.

V. Jam in altari si quis duo [7] ligni segmenta composuisset, idem fecisset, ac si hostiæ membra adolevisset, & morte multabatur: nam & * ligna sacrificii genus est. Atque alienus si quid sacri funderet, si quid misceret, si quid concideret, si quid sale aspergeret, si quid * tollendo agitaret, si quid altari admoveret, si [8] vel panes propositionis, vel thuris acerras in mensa disponeret, si concinnaret lucernas, si ignem in altari accenderet, [9] si plenum pugillum de ferto eximeret, si hostiarum sanguinem [10] exciperet, ea omnia profana erant quidem: sed enim is, quoniam monitus erat ne quidquam istorum faceret, verberibus coercebatur: mortem vero non merebatur ideo, quia istiusmodi operatio non erat perfecta, sed eam consequebatur etiam alia operatio.

VI. Nam ut homo alienus victimas [11] jugularet licebat, etiam sanctiores, sive eæ privati hominis, sive totius essent Ecclesiæ. Etenim quod in Lege est: *Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron*, &c. (*Lev.* 1. 5.) id declarat tum demum operari sacerdotes juberi, cum victimæ fuerit exceptus sanguis. Quin etiam hominibus alienis licebat [12] pelle victimam exuere, eandem in partes dissecare, tum ad altare ligna ferre: nam quod a Lege de membris hostiæ dicitur: *Adolebitque ea sacerdos super altare*, (*Lev.* 1. 9.) id significat translationem membrorum ad collem. Nempe membrorum translatio per sacerdotes ut fieret, necesse erat; lignorum translatio non item.

VII. Item homines alienos candelabri lucernas accendere rectum erat. Itaque sacerdos si lucernas disposuerit, atque * foras portaverit, eas homo alienus accenderet utique licebat.

VIII. Ad tollendos cineres sacerdote opus erat: Est enim in Lege [13] *Vestietur tunica sacerdos, & feminalibus lineis, tolletque cineres*. [*Lev.* 6. 10.] Quos si sustulerit Israelita, verberibus multaretur, non mereretur mortem, licet hanc operationem nulla alia consequeretur operatio. Nam ista verba Legis; *Et ministrabit ministerium doni*, [*Num.* 18. *v.*7.] satis declarant operationem donationis esse solius sacerdotis, ad quam si accesserit homo alienus, eum mor-

V. *Ligna sacrificii genus est*. Vide notam, quam Tract. superiori apposuimus ad articulum 9. cap. 6.
Tollendo agitaret. De hac ratione sacrorum agitandorum diligenter explicabitur Tract. 5. cap. 9. art. 7.
VII. *Foras portaverit*. Candelabrum enim, ut dictum est Tract. 1. cap. 1. art. 6. positum erat in Sancto, quo quidem venire licebat nemini, nisi solis sacerdotibus, nec his quidem ipsis nisi tunc demum, cum rem divinam faciebant.

מיתה אבל עבודת סילוק אין חייבין עליה מיתה

ט. סדר המערכה פורקה וחוזר הכהן וסודרה מפני שסדורה פסולה

י. הטמא ובעל מום ושלא רחוץ ידים ורגלים ששמשו במקדש אינן חייבין אלא על עבודות שהזר חייב עליהם מיתה ועל שאר העבודות באזהרה

יא. כהן טבול יום ומחוסר כיפורים שנטמא והרי הוא מחוסר בגדים ושלא רחץ ידים ורגלים ועבר חייב על כל אחד ואחד ואם היה זר אינו לוקה אלא אחת משום זרות

יב. זר ששמש בשבת חייב משום שבת ומשום זרות וכן בעל מום ששימש בטומאה חייב משום טומאה ומשום בעל מום

יג. כל כהן שעבד עבודה זרה בין במזיד בין בשוגג אף על פי שחזר בתשובה גמורה הרי זה לא ישמש במקדש לעולם שנאמר לא יגשו אלי לכהן לי אחד העובד אותה בשירות כגון שנעשה כומר לעבודה זרה או המשתחוה לה או המודה בה וקבלה עליו באלוה הרי זה פסול לעולם עבר והקריב אין קרבנו ריח ניחוח אעפ״ שהיה שוגג בעת ששרת או שהשתחוה או שהוד׳ אבל השוחט ע״ז בשוגג אם עבר והקריב קרבנו ריח ניחוח ונתקבל שהרי לא שרת ולא נעשה כומר אלא שחט בלבד והוא שוגג ואף על פי כן לכתחילה לא יעבוד

יד. מי שעבר ועשה בית חוץ למקדש להקריב בו קרבנות לשם אינו כבית ע״ז ואעפ״ כן כל כהן ששימש בבית כזה לא

tem meruisse: de sublationis autem operatione morte multandum fuisse neminem. Quin etiam cineres si dimovisset alienus ab altari interiori, & a candelabro, mortem non meruisset.

IX. Si focum altaris alienus composuisset, idem dissolveret, & sacerdos eum rursus componeret: nam alieni hominis compositio profana erat.

X. Quod si sacerdos immundus, aut corporis vitio temeratus, aut manibus & pedibus illotis in Sanctuario operaretur, de [14] his solis operationibus pœna tenebatur, de quibus mortem merebatur alienus homo. Nam de reliquis operationibus comminatio duntaxat erat.

XI. Sacerdos [15] de die lustratus, & piaculi indigens si rursus inquinatus, idemque vestibus sacris destitutus, & illotis manibus & pedibus operatus sit sacris, singulis de causis istis seorsim pœnas solveret: alienus autem si sic affectus sacris sit operatus, semel omnino verberibus multaretur de sua videlicet persona a divinio ministerio alienata.

XII. Jam si homo alienus operaretur sacris sabbato * pœnas daret & de sabbato violato, & de personæ alienatione. Itemque corporis vitio affectus si operaretur inquinatus, pœnas daret, & ob inquinamentum, & ob vitium.

XIII. [16] Quicunque sacerdos idolum coluerat seu prudens, seu imprudens, porro in Sanctuario ministrabat nunquam, quamvis sinceræ pœnitentiæ sensu fuisset ad puram religionem conversus; scriptum est enim: *Et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi*. [*Ezech.* 44. 13.] Jam de cultu idoli, qui ministraverit illi, ut si fuerit ejus sacrificulus, & qui illud adoraverit, confessus sit, & Deum sibi constituit, pariter temeratus erat in perpetuum. Hic igitur ipse qui imprudens idolo ministraverit, imprudens illud adoraverit, aut confessus sit, si per nefas posthac Deo vero fecisset, sane sacrificium ejus non esset odoris suavis. Nam qui victimas idoli jugulasset imprudens, is si postea commisisset, ut Deo vivo faceret, ejus sacrificium suavis esset odoris, atque litaretur: neque enim idolo ministraverat sacrificulus, sed hostiam ejus jugularat dumtaxat, & idipsum imprudens: verum enim hic idem, si res esset in integro, non operabatur sacris.

XIV. Jam si quis prodenda Lege [17] extra Sanctuarium ædem fecisset, in qua Deo sacrificaret, omnino ædes ista non fuisset similis ædis idoli: verum & qui in ejusmodi æde sacerdos sacris esset operatus, dein-

XII. *Pœnas daret & de sabbato violato*. Nempe solis sacerdotibus concedebatur, ut sacris faciendis contra Legem de sabbato committerent impune, qua de re Matthæus cap. 12. v. 5. alienus non item.

ישמש במקדש לעולם וכן כלים שנשתמש בהן שם לא ישתמשו בהן במקדש לעולם אלא יגנזו ויראה לי שאם עבד כהן ששמש שם במקדש לא פסל

יח. נמצאו כל הפסולים לעבודה שמנה עשר ואלו הן העובד עבודה זרה הזר בעל מום הערל הטמא טבול יום מחוסר כיפורים האונן השכור מחוסר בגדים יתר בגדים פרום בגדי׳ פרוע ראש שלא רחץ ידים ורגלים היושב מי שיש בין רגליו ובין הארץ דבר חוצץ מי שיש בין ידו ובין הכלי דבר חוצץ מי שעבד בשמאלו כל׳ אלו פסולין לעבודה ואם עבדו חללו חוץ מפרוע ראש וקרוע בגדים והשוחט לע״ז בשוגג שאם עבדו עבודתן כשרה:

de in Sanctuario operabatur nunquam. Et quæ vasa in ejusmodi æde fuerant in usum rei divinæ adhibita, porro non adhibebantur in Sanctuario. Ac mea quidem sententia sacerdos in hujusmodi æde operatus, si postea in Sanctuario faceret, sacrificium non temerasset.

XV. Erant igitur homines sacrificiis faciendis [18] non idonei omnino duodeviginti isti: idololatra, alienus, vitio corporis affectus, incircumcisus, immundus, de die lustratus, piaculi indigens, lugens, ebrius, egens vestibus, abundans vestibus, obsitus vestibus scissis, qui erat capite nudo, qui non ante lavisset manus & pedes, qui operando sedisset, cujus inter manum & utensile aliquid interfuisset, cujus inter pedem & terræ solum quid interjectum fuisset, qui manu læva esset operatus, isti omnes ad facienda sacrificia non erant idonei. Qui si fecissent, profanassent. Excipe istos, qui nudato capite fuisset, qui vestibus scissis esset obsitus, & qui victimam idoli jugulasset imprudens, isti si fecissent, eorum operatio bona fuisset.

NOTÆ IN CAPUT NONUM.

1 Morte multaret, &c. *Siphri a Num.* XVIII. והזר הקרב יומת, 7. *Si quis externus accesserit, occidetur*, propter ministerium; tu dicis propter ministerium; at ego dicam, sive ministraverit, sive non ministraverit. Dixisti? Si vitio affectus, in quo non est pœna mortis, non multatur nisi propter ministerium, extraneus, in quo est pœna mortis, erit æquum, ut non multetur, sive ministraverit, sive non ministraverit; cur igitur dictum est, *si quis externus accesserit morietur*? propter ministerium. Si quis peregrinus accesserit morietur, vel si cum puritate ministraverit; aut dicam si vel in immunditie ministraverit. Dixisti? Si immundus ingressus sit in Sanctuarium, si non ministraverit, reus est, quanto magis si ministraverit? Quid dici necesse erat, si quis extraneus accesserit morietur? Etiamsi in puritate ministraverit, morietur. R. Ismael dicit; dictum est hic יומת *morietur*, & dictum est illic nempe *num.* XV. 35. יומת *morietur*, sicuti יומת eo loco dictum, lapidatione, etiam יומת hoc loco dictum lapidatione. R. Jochanan filius Nuri dicit; dictum est hic יומת, & dictum est illic, *nempe Exod.* XXI. 15. יומת, sicuti יומת eo loco dictum strangulatione, etiam יומת hoc loco dictum strangulatione; *si quis extraneus accesserit, morietur*; pœnam audivimus, præmonitionem vero non audivimus; ideo dictum est. *Alienigena non miscebitur vobis. Pesiktha ibid. Si quis extraneus accesserit morietur*; quamvis in puritate ministraverit, morietur; præmonitio unde probatur? Ex eo quod dicitur; *Alienigena non miscebitur vobis*.

2 Alienigena &c. *Siphra ad h. l. Alienigena non miscebitur vobis*. Cur dictum est? quia dictum est; *si quis extraneus accesserit morietur*.. Pœnam audivimus, præmonitio unde probatur? Ex eo quod dicitur; *Alienigena non miscebitur vobis. Pesiktha ibid. Alienigena non miscebitur vobis*; hæc est præmonitio.

3 Mortem &c. *Gemara Joma*. Ministeria, quibus alienus morte tenetur, sunt adspersio, & adolitio, & vini libatio.

4 De adspersione &c. *Siphra ad Levit.* I. 5. *Et offerent*; Hæc est acceptio sanguinis; crederem, quod sit adspersio; quando vero dicitur *ibid. fundentes*; ecce jam adspersio explicita est; non ita hic dicitur; *& offerent*; hæc est acceptio sanguinis, quæ fieri non potest nisi per Sacerdotem legitimum, & in vasis ministerii. Dicit R. Akiba unde probatur, quod acceptio sanguinis fieri non posset nisi per Sacerdotem legitimum? Dictum est hic כיהון, & dictum est illic כיון, sicuti כיון, eo loco dictum per Sacerdotem legitimum, etiam כיון hoc loco dictum per Sacerdotem legitimum. Dixit R. Tarphon; Akiba; usquequo retorques contra nos textus? perdam ego, *vel exscindam* meum filium, nisi audierim, esse discrimen inter acceptionem, & adspersionem, sed ignoro explicationem. Respondit illi; licet ne mihi coram te dicere ea, quæ me docuisti? Respondit, ei; dic. Illi dixit; in acceptione non est idem, cogitatio, ac operatio; in adspersione idem est cogitatio ac operatio, qui accipit foris, liber est; qui adspergit foris, reus est; si immundi acceperint, non tenentur; si adsperserint immundi, rei sunt. Respondit illi R. Tarphon; excindam meum filium, quod non declinaveris neque ad dextram neque ad sinistram; hoc ego intellexeram, sed ignorabam explicationem; tu vero explicas, & componis cum traditione; si quis igitur se abs te segregat, a sua vita segregatur. *Filii Aaron*, crederem etiam spurios; ideo dicit, *Sacerdotes*; excluduntur spurii; non vero excludam labe affectos; ideo dictum est; *filii Aaron*; sicuti Aaron legitimus, etiam ejus filii legitimi; excluduntur spurii, & labe affecti. *Pesiktha ibid. Et offerent*; hæc est acceptio sanguinis; ad docendum, quod non sit legitima nisi per Sacerdotem legitimum, & in vasis ministerii; dictum est enim; *filii Aaron Sacerdotes*; sicuti Aaron legitimus, etiam filii Aaron legitimi; excluduntur spurii, & labe affecti. *Tosaphta Sevachim* I. 11. Argumentatus est R. Akiba; unde probatur, quod acceptio sanguinis fieri non possit nisi per Sacerdotem legitimum, & vasibus ministerii? Ex eo quod dicitur; *& offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus*; crederem quod hæc esset adspersio; quando vero dicit; *fundentes*; ecce jam dicta est adspersio. Hoc loco igitur non dictum est, *& offerent*, nisi propter acceptionem; æquiparatur adspersio acceptioni; sicuti adspersio fieri debet per Sacerdotem legitimum, & vasibus ministerii; etiam acceptio facienda est per Sacerdotem legitimum, & vasibus ministerii; & alibi, nempe *Exod.* XXVIII. 41. dictum est; *sanctificabisque illos, ut Sacerdotio fungantur mihi*; sicuti Sacerdos eo loco commemoratus est Sacerdos legitimus, & vasibus ministerii, etiam hic per Sacerdotem legitimum, & vasibus ministerii. Ei respondit

pondit R. Tarphon; Akiba, usquequo adduces argumenta? possim ego videre mortem mei filii, si ego non existimarim esse discrimen inter acceptionem, & adspersionem. Illi respondit; licetne mihi coram te dicere quæ me docuisti? Ei respondit; dic. In acceptione, non est idem cogitatio ac operatio; in adspersione idem est cogitatio ac operatio; qui foris accipit, legitimum est; qui foris adspergit, est illegitimum; si accipiant illegitimi, non tenentur excidio, si adspergant illegitimi, rei sunt excidii; illi dixit; per Sacrificium, quod non declinasti neque ad dextram neque ad sinistram; ego hoc modo intellexeram, sed ignorabam explicationem, tu vero explicas, & componis cum lege, si quis igitur se abs te segregat, perinde esset ac si a sua vita se segregaret.

[5] Hominis leprosi &c. *Non ab alieno, sed a duobus Sacerdotibus expiabatur leprosus. Siphra ad Levit.* XIII. 14. *Assumensque*; crederem vasibus; ideo dictum est; *assumensque Sacerdos;* ונתן הכהן, *& ponet Sacerdos*, sic Hebræus; sicuti ipse Sacerdos ponebat, ita etiam ipsemet Sacerdos accipiebat. Crederem, quod *sanguis* quoque Altaris manu *acciperetur*. Ideo dictum est *ibid. Sicut enim pro peccato ita & pro delicto ad Sacerdotem pertinet hostia;* Quemadmodum sacrificium pro peccato ad vas obligatur, ita etiam sacrificium pro delicto ad vas obligabatur. Deprehenditur dicendum esse, quod duo Sacerdotes accipiebant sanguinem, alter vasi, & alter manu; qui vasi acceperat, veniebat, & adspergebat super Altare, qui manu acceperat, veniebat ad leprosum, & leprosus ibat ad lavacrum in conclave leprosorum, deinde veniebat, & consistebat in porta Nicanoris. *Pesiktha ibid. Assumensque Sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto.* Duo Sacerdotes accipiebant ejus sanguinem, alter vasibus, & alter manu, qui acceperat vasibus, veniebat, & adspergebat Altare; qui vero manu acceperat, veniebat ad leprosum, & leprosus lavabat in conclavi leprosorum, & veniebat, & consistebat in porta Nicanoris.

[6] Aureo in altari &c. *Siphri ad Num.* VIII. 3. Non probo nisi pro candelabro, quod patri filii æquiparentur, suffimentum unde probatur. Tu ita argumentaris; dictum est ministerium in tabernaculo conventus, & in candelabro; & dictum est ministerium in tabernaculo conventus & in suffitu; si didici ex candelabro, quod in eo filii patri æquiparentur, etiam in suffitu æquiparandi erunt filii patri. Ecce ministerium diei expiationis probabit, quod etiamsi in eo dictum sit ministerium in tentorio conventus, non æquiparantur filii patri, probabit pro suffimento, quod etiamsi in eo dictum sit ministerium in tentorio conventus, filii patri non æquiparentur; Minime; si dixisti de die expiationum, in quo non commemorantur vestes aureæ pro Aaron. Explicetur res, in qua commemoratur ministerium in Aaron, & vestes aureæ, ab re, in qua dictum est ministerium in Aaron; si didici pro candelabro, in quo filii patri æquiparantur, etiam in suffimento filii patri erunt æquiparandi. Ecce juvencus, qui offertur in sacrificium pro ignorantia alicujus rei Sacerdotis uncti, probabit, in quo dictum est ministerium in Aaron, & in vestibus aureis, in quo filii patri non æquiparantur, ille probabit pro suffimento, quod etiamsi in eo dictum sit ministerium in tentorio conventus & in vestibus aureis, filii patri non æquiparentur. Dixisti? Distinguo; Explicabo simul tres phrases. Dictum est ministerium in tentorio conventus, & in candelabro, & in vestibus aureis, & in eo dictum est *jugiter;* & dictum est ministerium in tentorio conventus, & in suffimento, & in vestibus aureis, & in eo dictum est *jugiter*; neque veniat ministerium diei expiationum ad probandum; dictum est enim in eo ministerium in tentorio conventus, non autem in vestibus aureis; neque *probet* juvencus pro ignorantia alicujus rei Sacerdotis uncti, in quo etiamsi dictum sit ministerium in tentorio conventus, & in vestibus aureis, tamen in eo non dictum est *jugiter*; Addiscenda est res ab re, & explicanda est res ab re; & explananda est res quæ sit æqualis tribus rationibus, ab re, quæ sit illi æqualis tribus rationibus; non autem explicanda erit res, quæ sit tribus rationibus æqualis, ab re, quæ non sit illi tribus rationibus, at una tantum, aut duabus æqualis. Si didici pro candelabro, quod in eo filii patri æquiparentur, etiam in suffimento filii patri æquiparandi erunt.

[7] Ligni segmenta &c. *Siphra ad Levit.* I. 7. ונתנו בני אהרן הכהנים אש על המזבח *Et ponent filii Aaron Sacerdotes ignem super Altare*; (sic Hebræus.) Dixit R. Jehuda, unde probatur, quod ligni segmenta accendi non possent nisi per Sacerdotem legitimum, & vasibus ministerii? Ex eo quod dicitur; *Et ponent filii Aaron Sacerdotes ignem super Altare*. Dixit R. Simeon; quid tibi venit in mentem, quod allienus posset accedere ad Altare? Si ita est; cur dictum est, *& ponent filii Aaron Sacerdotes ignem super Altare?* Ad docendum, quod non accendatur ignis nisi in vertice Altaris. *Pesiktha ibid. Et ponent filii Aaron Sacerdotes ignem super Altare*, Dixit R. Jehuda unde probatur, quod ligni segmenta accendi non possent super Altare nisi per Sacerdotem legitimum, & vasibus ministerii? Ex eo quod dicitur; *& ponent filii Aaron Sacerdotes ignem super Altare*. Alia glossa; *super Altare*; dicit R. Ismael, non esse accendendum ignem nisi in vertice Altaris.

[8] Vel panes &c. *Quatuor Sacerdotes panes facierum, & thuris acerras in mensa disponebant. Misna Menachoth* XI. 7. Quatuor Sacerdotes intrabant, bini manu tenebant binos ordines panum, & bini duas acerras. Quatuor præibant ante hos, bini ad recipiendum duos panis ordines; & bini ad duas acerras recipiendas. Qui introducebant, ii stabant ad septentrionem faciebus ipsorum ad meridiem conversis. Qui educebant, ii stabant ad meridiem faciebus ad septentrionem conversis. Hi detrahebant & illi reponebant, & pugillo unius e regione pugilli alterius; eo quod scriptum est *Exod.* XXVI. 30. לפני תמיד. R. Jose dicit, etsi hi removeant, & illi ponant, hoc etiam factum est in jugi Sacrificio. Exibant & ponebant super mensam auream in Ulam. Incendebant acerras, & panes dividebant Sacerdotes. *Vide* Tosaphta Menachoth XI. 12.

[9] Si plenum pugillum &c. *Siphra ad Levit.* II. 2. *Sacerdotes, quorum unus tollet pugillum;* docemur, quod pugilli collectio præcipitur Sacerdotio. Verum est argumentum. Si mactatio, quæ determinatur ad Septentrionem, non obligatur ad Sacerdotem; pugilli collectio, quæ non obligatur ad aquilonem, non erit æquum, ut non obligetur ad Secerdotem? Unguesectio probabit, quæ non obligatur ad aquilonem, & obligatur ad Sacerdotem. Minime; si dixisti de unguesectione, quæ obligatur ad Altare, dices de pugilli collectione, quæ non obligatur ad Altare? ideo dictum est: *Sacerdotes*; וקמץ, *& pugillum tollet*, ad docendum, quod pugilli collectio præcipiatur Sacerdoti. Crederem quod præcipiatur Sacerdoti, ut pugillo colligat; at si pugillo collegerit alienus, *pugilli collectio* esset legitima. Ideo dictum est iterum v. 9. והרים הכהן; constituitur; quod si pugillo collegerit alienus, sit illegitimum. *Tosaphta Menachoth* V. 30. Si pugillo collegisset alienus, aut si accepisset illegitimus, si sinistra accepisset, si vase profano accepisset, illegitimum est.

[10] Exciperet &c. *Tosaphta Sevachim* I. 10. Si excepisset *sanguinem* alienus, aut si excepisset illegitimus, aut excepisset sinistra, aut vase profano excepisset, est illeg timum.

[11] Jugularet &c. *Siphra ad Levit.* I. 5. *Immolabitque*; quod mactatio sit legitima per alienos, mulieres, servos, & immundos, etiam in sanctitatibus sanctitatum, ea tamen lege, ne immundi carnem tangant. Aut dicam mactationem non esse faciendam nisi per Sacerdotem tantum. Undenam abs te probari potest? Num ex eo quod dictum est num. XVIII. 6. ואתה ובניך אתך תשמרו את כהונתכם, *Tu & filii tui custodietis Sacerdotium vestrum?* Sic Hebræus; in omni re, quæ spectat Altare; crederem *posse comprehendi* etiam mactationem; quum vero dicitur; *& offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus fundentes*; Hinc & ulterius præcipitur Sacerdotio; at mactatio legitima est per quemvis hominem. *Siphra iterum ad Levit.* VII. 2. *Mactabitur*; Hoc loco multi mactatores comprehenduntur, etiam proselyti, etiam mulieres, etiam servi. *Pesiktha ad Levit.* I. 5. *Immolabitque*, ad docendum, quod mactatio per quemvis sit legitima. *Vide Codicem* Sevachim *Cap.* III.

[12] Pelle victimam &c. *Siphra ad Levit.* I. 6. Non probo nisi *pro holocausto* virorum, *holocaustum* mulierum unde probatur? Non probo nisi *pro holocausto*

Israe-

Israelitarum, *holocaustum* Proselytorum, & servorum, unde probatur? usque dum Gentilium *holocaustum* comprehendatur, unde probatur? Ex eo quod dicitur; *holocaustum*; omnibus holocaustis pellis detrahenda est. Quid vidisti, ut eos includeres in detrahenda pelle, & in dissecandis membris, & excluderes ab impositione manuum? Postquam Scriptura inclusit, excludit; cur ego illos comprehendo in detrahenda pelle, & in dissecandis membris? quia pellis detractio, & membrorum dissectio per omnes homines legitima erat; at excludo ab impositione manuum, quia manuum impositio nisi per dominos *Sacrificiorum* fieri non poterat. R. Chjia dicit; Abi, & vide; quid exclusit superius Scriptura oblata ne an offerentes? Certe offerentes. Ego quoque illos excludam ab impositione manuum; quia offerentes excludo; non excludam a detrahenda pelle, & a dissecandis membris, quia non excludo opus ipsius holocausti.

13 *Vestietur* &c. *Siphra ad h. l. Levit. Vestietur Sacerdos veste sua linea*; sic Hebræus; *veste sua*, juxta mensuram suam; בר, ut sit ex bysso; בר, ut *vestes* sint novæ, בר, ut sint duplices; בר, ne cum his vestiat alias vestes; crederem, quod cum his non vestiat vestes lineas, at possit vestire vestes laneas; ideo dictum est, בר; crederem, quod cum his non induat vestes sanctas, at induere possit vestes profanas; ideo dictum est; *Et femoralia linea vestiet super carnem suam*; sic Hebræus; cur dictum est; *vestietur*? ad comprehendendum tiaram, & balteum; verba R. Jehudæ. R. Dosa dicit, ad comprehendendum vestes summi Sacerdotis, quod Sacerdoti idiotæ sint legitimæ. Rabbi dicit; duæ oppositiones in hac re sunt; Balteus ne summi Sacerdotis erit idem ac *balteus* Sacerdotis idiotæ? Præterea vestesne, quæ sanctitati gravi inserviebant, poterunt inservire sanctiti levi? Si ita est, cur dictum est, *vestietur*? Etiamsi fuerint detritæ. R. Simeon dicit; ex eo quod dicitur בר; ego putabam quatuor vestes, de quibus dicitur; & *induet vestes lineas, vestes sanctas*; ita Hebræus; si ita est, cur dictum est; מדו בר juxta mensuram suam; *& femoralia linea vestiet super carnem suam*? ne sit unguentum super carnem suam; & quando alibi [*nempe Levit.* XVI. 4.) *dicitur*; *feminalia linea erunt super carnem suam*; ne quicquam ante feminalia induat. *Tolletque cineres, quos vorax ignis exussit*. Crederem etiam ligna; ideo dictum est עולה, *holocaustum*, si holocaustum, crederem membra holocausti, ideo dictum est, *quos vorax ignis exussit*. Quomodo? Sumebat de prunis interioribus consumtis, & descendebat; *& ponens in descensu*; *& ponens*; omnes, *& ponens*, ne dispergat; *Juxta Altare*; prope Altare; unde probatur pro membris, & adipibus, quæ si nondum a vespera consumta essent, quod collocaret in lateribus Altaris; quæ si latera non caperent, sumeret, & in circuitu aut super colle ordinaret, usque dum struem disponeret, atque in ea iterum reponeret? Ex eo quod dicitur; *ignis vorans holocaustum super Altare*; sic Hebræus. Unde probatur, quod membra, quæ ante mediam noctem sublata essent ab Altari, iterum essent reponenda, atque in iis esset prævaricandi locus? Ex eo quod dicitur; *ignis vorans holocaustum super Altare*. ופשט ולבש, *& spoliabitur, & vestietur*; crederem juxta præceptum diei expiationum se spoliaret, & vestiret; ideo dictum est, *vestes, vestes*; æquiparat vestes, quas exuit, vestibus quas induit, sicuti vestes quam induit, sunt decentes ejus ministerio, sic etiam vestes, quas exuit, ut sint decentes ejus ministerio; si ita est, cur dictum est, *aliis*? sint his viliores. R. Eleasar dicit; *efferet cinerem*; ad docendum, quod etiam labe affecti sint legitimi ad efferendum cinerem. *Pesiktha ibid. Vestietur Sacerdos veste sua linea*; quod Sacerdos, qui designatur ad deinerandum Altare, induat vestem suam lineam, *juxta mensuram suam*; בר, quod sit ex bysso; *& feminalia linea erunt super carnem suam*; cur dictum est *vestietur super carnem suam*? ad comprehendendum vestitionem tiaræ & baltei in decineratione *Altaris*; quod Sacerdos idiota quatuor vestibus ministrat, tunica, femoralibus, tiara, & balteo. Et cur bis hæc tantum commemorat? ut doceamur, quod nulla res antecedat femoralia; dictum enim est; *& vestietur super carnem suam*; etenim quando laverat, & adscenderat, & se linteo absterserat, statim femoralia induebat. Eccur vestis ejus linea antecedit femoralia? quia operit totum corpus; verum semper quamvis scriptura præferat, tamen femoralia præcedunt; dictum enim est; *super carnem suam*; ut induat super carnem suam. *Vestietur*, ad comprehendendum tiaram, & balteum; ne fiat ministerium in Sanctuario, nisi quatuor vestibus. Dictum est hic; *& vestietur*; & dictum illic [nempe Levit. XVI. 24.] *Lavabit carnem suam -- induetur que*; sicuti illic omnibus vestibus, etiam hic omnibus vestibus; omnibus vestibus convenientibus Sacerdoti idiotæ; etenim Sacerdos magnus ministrat octo vestibus, quatuor, quæ jam commemoratæ sunt; his adduntur pectorale, & Ephod, & pallium, & lamina. R. Simeon dicit; ex traditione probantur quatuor vestes; dictum est enim; *Vestietur tunica linea Sacerdos*; בגדי הקדש; *vestes sanctas*; & *feminalia linea erunt super carnem suam*; ne quicquam feminalia antecedat. *Tolletque cineres, quos vorans ignis exussit*; cinisne devorat cinerem aut ignis devorat cinerem? Nonne ignis non devorat nisi ligna, & holocaustum? Verum tollet cineres; hæc est remotio cineris, quem voravit ignis; crederem etiam ligna; ideo dictum est עולה *holocaustum*, si holocaustum, crederem etiam membra holocausti; ideo dictum est; *quem vorans ignis exussit*. Hæc dixerunt magistri nostri in *Massichta Tamid*. Sanctificatis manibus & pedibus ex labro, accepit thuribulum argenteum, & adscendit super verticem Altaris, prunasque hinc & inde agitavit, sumebat ex interioribus consumtis, & descendens pervenit ad pavimentum, faciemque suam ad septentrionem vergens, ibat ad orientem pontis quasi decem cubitos; coacervabat prunas super pavimento, in loco, ubi disponebant avium ingluviem, cineres Altaris interioris, ומזבח *& Altaris*, (legendum est והמנורה, & *candelabri*) *& paucis interjectis*. ושמו אצל המזבח; *Et ponens juxta Altare*; *& ponens*, ne dispergat; *& ponens*; in descensu; *juxta Altare*, prope Altare. Et reliquum cinerem, qui erat in Altari, colligebant super Altare; & videbatur quasi collis; at sapientes appellant in Misna תפוח *pomum*, quia erat תפוח super Altare; quasi collis extollebatur; & tradiderunt, quod ab eo tempore non erat negligens Sacerdos in efferendo cinere, & efferebatur extra castra. *Spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis*; *aliis*, quæ sint his viliora; Hinc docet Scriptura more hominum, quod iis vestibus, quibus domino decoxit *cibos* in olla, non misceat poculum domino; והוציא את הרשן, & *efferet cinerem, extra castra*; extra tria castra; *& in loco mundissimo*; in loco, ubi comburuntur juvenci comburendi, & hirci comburendi.

14 De his solis &c. *Tosaphta Sevachim* XII. 17. Sacerdos qui ministrasset immundus, aut eodem die lotus, deficiens vestibus, & indigens expiatione, & qui non laverit manus & pedes, una tantum pœna tenetur.

15 De die lustratus &c. *Tosaphta Sevachim ibid.* Hi sunt rei mortis, qui edit indecimatum, alienus, qui edit primitias, & Sacerdos immundus, qui comederit primitias mundas, & alienus, & de die lustratus, deficiens vestibus, & indigens expiatione, qui non laverit manus & pedes, qui fuerint capite nudi, qui biberint vinum; Omnes hi, si ministrassent, rei erant mortis.

16 Quicunque Sacerdos &c. *Misna Menachot* XIII. 10. Sacerdotes, qui in domo Chonionis ministrant, ii in Sanctuario non ministrant Jerosolymis, & eo minus si pro alia religione ministraverint; uti dicitur 4. *Reg.* XXIII. 9. *Verumtamen non adscendebant Sacerdotes excelsorum ad Altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum*. Sicuti igitur vitiosi dividunt, & comedunt ita & illi, sed non offerunt. *Tosaphta Menachoth XIII.* 10. Si Sacerdotes qui ministrassent in æde Chonionis, aut in aliis locis, quo tempore erant interdicta excelsa, vetitum est; quo tempore permissa erant excelsa, licitum est; sicuti dicitur 4. *Reg.* XXIII. 9. *Verumtamen non adscendebant Sacerdotes excelsorum ad Altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum*; Crederem, si comedissent azyma inter fratres suos, essent illegitimi, sin minus legitimi; Verum tibi dicendum est; sunt legitimi ad dividendum cum ceteris, & illegitimi, sicuti labe affecti, ad offerendum.

17 Extra sanctuarium &c. *Exigente necessitate licebat aliquando offerre extra Sanctuarium*. *Siphri ad Deut.* XII. 13. *Cave ne offeras holocausta tua*; Ne-


que

que holocausta gentilium; verba R. Simeonis; R. Jehuda dicit; neque holocausta gentilium, quæ sanctificata sunt extra terram; *in omni loco quem videris*; at offeres in omni loco, quem tibi dixerit Propheta, quomodo obtulit Elia in monte Carmeli. *Pesiktha ibid. In omni loco quem videris*; at offeres in omni loco, quem tibi dixerit Propheta, uti obtulit Elia in monte Carmeli, & Gideon filius Joas per os Angeli. *Maimonides de fundamentis legis* IX. 6. Atque sic didicimus per traditionem a priscis sapientibus. *In qualibet re, cum dixerit tibi Propheta; transgredere verba legis, sicut Elia fecit in monte Carmel, audi eum, præterquam in Idololatria.* Cum vid. aliquid pro certo tempore futurum est; sic Elia obtulit holocaustum in extraneo *loco*, licet Jerusalem ad hoc electa esset; qui autem offerebat in alieno loco, is reus evadebat exterminii, sed quia erat Propheta, præceptum nobis fuit, ut ei auscultaremus. Atque hinc etiam dicitur, *Deut.* XVIII. 15. *Ipsum audies.* Quod si interrogassent Eliam, atque ei dixissent; quomodo extirpabimus, quod scriptum est in lege *Deut.* XII. 13. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris?* Ille respondisset; *non præcepit hoc Deus nisi offerenti semper in loco extraneo, & talis reus fit exterminii, sicuti mandavit Moses; sed ego hodie extra offeram juxta verbum Domini, ad falsitatis co[...]dum prophetas Baal.*

18 [...]i &c. *Misna Sevachim* II. Quorumcunque sacrificiorum sanguinem excipit alienus, lugens, lavandus eodem die, destitutus vestibus, destitutus expiatione, is qui non lavit manus & pedes, præputiatus, immundus, sedens, stans super vasis, aut super bestia, aut super pedibus proximi sui, reproba sunt. Si quis excipit *sanguinem* sinistra, reprobum est. R. Simeon quidem legitimum pronuntiat. *Quorum plerique morte tenebantur. Tosaphta Cherithuth* I. 4. Hi sunt rei mortis - - - - - Alienus, & eodem die lotus, & destitutus vestibus, & egens expiatione, & capite nudati, & qui biberint vinum, si ministrassent, omnes rei sunt mortis. At præputiatus, & lugens, & sedens præmonentur; labe affectus reus est mortis; & sapientes dicunt sub præcepto negativo. *Tosaphta Sanhedrin* XIV. 14. Alienus, & eodem die lotus, & destitutus vestibus, & egens expiatione, & qui non lavit manus & pedes, & capite nudati, si in Sanctuario ministrassent, rei sunt mortis; Quænam mors hæc est? mors per manum Dei. *Tosaphta Sevachim* XII. 18. Alienus, & eodem die lotus, & deficiens vestibus, & egens expiatione, & qui non lavit manus & pedes, & capite nudati, & qui biberint vinum, hi omnes, si ministrassent, rei erant mortis. At præputiatus, & lugens, & qui sedens ministraret, tantum præmonentur; labe affectus est sub comminatione mortis; verba Rabbi; at sapientes dicunt, tantum sub præcepto negativo.



LEO-



LEONHARDI CHRISTOPHORI STURMII SCIAGRAPHIA TEMPLI HIEROSOLYMITANI

PRÆFATIO.



OBTINGIT altero mihi abhinc anno B. L. peregregium de Architectura civili manuscriptum, quod cum a reliquis facile omnibus, eodem studio celebribus libris, uti facilitatis & copiosæ perfectionis, ita certitudinis etiam prærogativam sibi vindicet; cunctis omnino defectibus satisfacit, quibus hactenus perfectissimi quivis Architecti laborarunt. Noluit eximium thesaurum ulterius Orbi, vir spectatissimus, Georgius Bose, Senator Lipsiensis emporij gravissimus invidere, in cujus eo usque bibliotheca delituerat. Edendum adeo mihi & iconismis illustrandum, simulque lautissimos operi sumtus obtulit. Parum erat ad egregia nato, solerti mercatura de Commerciis, prudentique consilio de Republica meruisse, nisi literatum quoque Orbem, ultra ordinis sui sortem eruditus, omnique Mathesi instructissimus, pulcherrimo sibi munere devinxisset. In isthoc manuscripto, quod Deo volente brevi lucem publicam videbit, de Templo quoque Hierosolymitano tractatio instituitur, Villalpando celeberrimo, quoad architecturæ dispositionem penitus adversa. Hæc occasio fuit in amœnissimam rem penitius inquirendi, ac sincere dijudicandi necessitas, an etiam Scriptura Sacra consentiente, æque ac cum Architecturæ pace, adversum iri operosissimæ eruditionis Jesuitæ queat, cui universo fere omnium consensu, uti feliciter incepti, ita ex asse simul absoluti operis, rara, imo inaudita gloria cesserat. Hinc tibi præsens partus B. L. meopte judicio abortivus, privatisque perpetuo tenebris damnandus, nisi modo laudatus Mæcenas, una cum aliis, quibus mea felicitas curæ cordique est, & hunc edendum putasset. Cum enim lux aliqua accedere manuscripti inde brevitati queat, id tamen disputationibus, non discindendum ratus, hæc qualiacunque cogitata mea seorsim excudi voluit.

Duplici Sectione juvenile pensum absolvi. Prima succincte de variis templi descriptionibus, juxta historiam Regum, & Ezechielis Prophetæ visionem e sacris literis, item ad Talmudis atque Josephi ductum concinnatis egi. Convenientiam Ezechielicæ visionis, cum ipso primo Salomonis ædificio contemplatus, veram inveni. Qua porro ratione lingua sancta, quaque moderatione uti Architectura tanquam disquisitionis fontibus liceat, pro virili meam exposui opinionem. Altera Pars Prophetæ visionem inda-

indagare membratim hac quidem via laborat. Eacerptis cum originali textu potissimis versionibus, quotuplices cujusque sensus esse queant, analytice enumerat. Porro aliorum ejusdem Prophetiæ locorum collatione disquirit, quænam inde seligi explicatio debeat. Postea conciliationem interpretaminum tentat. Ego vero id operam hic sedulo dedi, nequo præjudiciorum fascino & auctoritatis lenociniis a tramite veri seducerer. Quare invitus juventutis meæ memoriam seponere, tenuitatis & exiguæ doctrinæ quasi oblivisci, notissimam cæterorum Eruditionem, innocenti ausu ad tempus non suspicere, nihil de ætate, nihil de nominis celebritate, nil nisi de re ipsa cogitare. Cæterum ne vitio vertatur tanta juvenilibus lacertis audacia, aut ambitionis suspicionem incurrat, eo minus verebar, quo magis ab isto vitio animum abesse noveram. Præter intentionem autem nihil imputari nisi injuste poterat. Adeo constanti animo prosequutus negotium, postremo Architecturam, post evolutas SS. literas consului, manuscripti quidem beneficio, ad scientiæ formam jam dum, magno mihi præsidio, reductam, ejusque consensum nulla unquam parte deficere, sentiens, effuse gavisus sum. Cæterum curavi, ut SS. literarum sensus quam facillimos, & immediate ex ipsis locis vel leviter attendenti patentes elicerem. Si quis enim prolixo commentario, longaque eruditione vario, ad exsculpenda sensa opus habeat, ita ut interpretationis cum loco connexionem, nisi qui intermediam deductionem perlegerit, nemo videat, vel hoc sufficiens non veri sensus indicium esse credo.

Hæc te monere volui B. L. ut intrepide tuam subire censuram possim, quam cæterum, utut rigidissimam, exosculabor; & ubicunque erroris convincar (multos autem commisisse ex ætatis ratione ipsemet metuo) publica palinodia lætus reverebor. Multis gloriæ duximus, in arduo cecidisse. Mihi vitio sit; at hoc studiorum genere proficiendi spem obtinuisse juvabit. Imo spem deme, mei certe ingenii vires cognovero, & hoc emolumenti sat erit. Neque enim ut sciam, tantum scire volo, turpi curiositate, nec ut scientiam vendam, turpi quæstu, nec ut ipse sciar, turpi vanitate, nec adhuc dum ut ædificem, turpi ambitione, sed ut ædificer, & hoc solo laudem aucupor. Vale.



SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Templo Salomonis.

§. I.

Deus Architectus. CUM Deus ſuo Nomini domum erigi a Populo ſuo voluiſſet, Tabernacula relicturus, Davidi regi typum Ipſe futuri templi divino digito expreſſum exhibuit, æternus Architectus. Eum vaſtiſſimo ædificio mox executus Salomo, miraculum iſtud Orbis extruxit, quod Aſſyriorum Perſarumque luxuriam tam longe poſt ſe reliquit, cujuſque in levi ſaltem umbra conſpiciendi hodienum mortales non modica cupido exercet. Hoc Templum, ectypa Ezechielis viſio ſequuta eſt, hoc Zorobabelis ſequutorumque Regum qualitercunque imitata pietas, hoc ipſum tertii, ſi quod Herodes reſtauravit, exemplar extra dubium fuit, hoc denique ſumtuoſo imitamine expreſſum, nonnulli adhuc dum Hieroſolymis extare, Chriſtianis inacceſſum, perſuadere nequicquam laborant. Idem quoque baſis & genetrix tot meditationum fuit, quibus in aliqualem divinæ ædis cognitionem indefeſſa literatorum curioſitas continuo annititur.

Unde templi Hieroſolymitani cognitio. §. 2. Petenda ea ex S. Scriptura eſt, 1. Reg. a cap. 5. ad 9. 1. Paralip. 24. ad finem excepto 28. 2. Reg. 25. 2. Paral. a cap. 2. ad 8. ac Jerem. denique 52. Joſephus enim quod conferat vix habet, maximam partem cum ſacris literis eadem locutus, ſi cellaria excipias, quæ circa templum longitudine latitudineque 25. altitudine vero 20. cubitorum ſita recenſet, ut ſi fidem graviſſimo ſecus Auctori habere velimus, illa non intelligi dicendum ſit, quæ ſacræ literæ eiſdem loci circumſtantiis, ſed aliis plane menſuris memoriæ conſignaverunt.

§. 3. Cæterum hæ templum κατ' ἐξοχὴν dictum cum aliquot ſolum partibus deſcribunt. De Atriis eorumque ædificiis vix verbum. Sacerdotes & Levitæ, eorumque ordines, utenſilia porro ſacra, & ipſius extructionis circumſtantiæ ſatis prolixe explicantur.

Brevis deſcriptio partium templi. §. 4. In genere Templi partes ex cap. 28. vel 29. v. 11. 1. Paral. cognoſcimus, quem locum, noſtræ quoque delineationi apprime utilem, ſine prolixiori inſpectione prætermittere nequeo. In Fonte ita ſe habet: ויתן דויד לשלמה בנו את-תבנית & dedit David Filio ſuo Salomoni exemplar.

Veſtibuli. I. האולם Latin. vulg. *Porticus*. LXX. Interpretes τοῦ ναοῦ Chald. Interpres *Paraſtadum*. Lu. der Halle. Ubi quidem ſatis evidens eſt, id ipſum veſtibulum hic indicari, quod ante templum poſitum legere deſcribitur 1. Reg. 6. 3. Divinare autem non poſſum, quare LXX. hic utantur voce ναοῦ (quæ alias in templis mediam partem, Chorum inter & veſtibulum conſtitutam ſignificat, unde πρόναος proprie veſtibulum deſignat,) cum in Ezechiele pro veſtibulo, ipſum vocabulum Hebraicum ſine translatione iis uſu veniat.

Sancti & Occi ſupra illud. II. ואת-בתיו. *Et Domos ejus* vulg. *Templi*. LXX. καὶ τῶν οἴκων αὐτοῦ. Chald. Et menſuram domus Lu. und ſeines Hauſes. Videntur hæ verſiones diverſæ, utut omnes cum fonte conciliari queant. Ita vero facillime dicemus cum pleriſque Interpretibus, non ſolum Templi ſanctum, ſed & Sanctiſſimum ſimul intelligi. Solent enim tum ſimul venire nomine domus in S. Literis, tum ſeparatim quoque, ut quoad ſenſum ſingularis numerus æque ac pluralis ſuccedat, qui in fonte exprimitur. Verum enim vero mutanda commodiſſima ſententia eſt, ultimis quippe textus verbis contraria, ubi Domus propitiatorii mentio fit, qua quidem, præter Sanctiſſimum vel Oraculum nil concipere quimus. Veniat igitur totum interius templum, Sanctum cum Propitiatorio una complexum, in ſingulari domus nomine. At hoc modo ob pluralem numerum fontis, alius inſuper quærendus locus erit, eodem nomine dignus; quod fiet, ſi Templo ipſi quam ſimillimus ſit & cum eo una poſt veſtibulum ſitus. Taliſmodi ſi quem certis ex rationibus obtineamus, non dubitare licebit, quin verus ille verborum ſenſus detectus ſit. Concipio itaque veſtibulum triplici contignatione, totuplicique columnarum ſerie aſſurgens, uti ædificia quoque atriorum tot ordinibus conſtitere. 1. Reg. 7. 12. adeoque turris inſtar ſuperbiens. Templum poſt hoc ſitum concipio duplici contabulatum contignatione, ita ut emineat ſupra conclavia, quæ undique ipſi circum poſita legimus, unica facile contignatione contenta. Ita ſupra templum altero ordine comprehendetur ſpatium, uti

Tem-

Templum 20. Cubb. latum, 60. longitudine complectens, cui firmissimis quoque argumentis 30. cubb. altitudinem adsignare pronum est. Quid vero quæsito nostro convenientius desideremus, quidque potiori jure insigniamus cognomento domus. Villalpandus in suo quoque templo non potuit non ejuscemodi domum supra domum templi concipere, & ad instar magnifici ac prægrandis Œci depingere.

III. ונגזכיו vulg. Et Cellariorum. LXX. καὶ τῶν ξακχῶν αὐτοῦ Chald. Et Xysti. Lu. und der Gemach. Per gazophylacia autem adeoque Cellaria etiam optime exprimi præsentem vocem existimaverim. Imo τῶν LXX. vox non aliud dicit, siquid præcipue verum est, eam quasi γαζάχους dicere, atque ab Hebræo originem ducere. Ipsa denique vocem in Fonte idem innuere, ex Esth. 3. 9. perspici potest. Cogitemus hic itaque conclavia, undique circa templum, intercepto atrio, jacentia, quæ triginta numero, 25. cubb. spatio & 20. cubb. altitudine effigiari possumus, ut adeo Josepho simul quodammodo satisfiat, qui talia describit. Hic thesauros templi reservari commodissimum erat, ac cæterum fere necessarium, ejusmodi locis templum exterius cingere, ne ulla ex parte profanum pateretur accessum.

Conclavium in ædificiis sancti atrium cingentibus.

IV. ועליתיו Vulg. Et cœnaculi LXX. Καὶ τῶν ὑπερώων Chal. Et Cœnaculorum. Lu. Und der Saal. Quare vero Latina singulari numero utatur, non video. Cæterum communiter voce cœnaculi utuntur. Hebræa vero & Græca voces egregie exprimunt, quid hic subintelligendum sit. Illa enim ab elevatione, aut situ in superiori loco dicitur. Apud Græcos ὦον superiorem ædium partem designat, unde ὑπερῷος derivatur, ut adeo supremus & elevatissimus locus indigitetur. His rationibus securus concludo intelligi cœnacula vel exedras, necessario supra vestibulum in contignationibus reliquis collocandas.

Cœnaculorum supra vestibulum.

וחדריו הפנימים Vulg. *Et penetralium interiorum*. LXX. Καὶ τῶν ἀποθηκῶν τῶν ἐσωτέρων. Chald. *Porticuum interiorum*. Und der kammern in wendig. Omnes quidem satis nervose exprimunt circuitum illum, procul dubio conclavibus destinatum, qui 1. Reg. 6. 5. 6. exponitur. Simul vero vis vocum præcipue Hebræarum docet, cubiculorum illorum parietem subdiale spatium non contigisse, sed intra porticum aut majora conclavia situm, ipsa vero conclavia secretioribus reconditis destinata fuisse. Fons enim ipse non modo penetralia seu intimiora conclavia & secretiora, sed cum expresso addito, interiora penetralia intimat. Unde credo locis hisce, secretiora templi scripta aliaque recondita fuisse, ut quasi fuerint Archivum templi. Ejusmodi etiam recessus satis quidem spatiosos templum omnino sibi vendicat, ubi tot secreta, tot populorum acta transigebantur, legesque condebantur.

Conclaviũ in circuitu cir. sanctum.

VI. ובית הכפרת Vulg. *Domus propitiationis*. LXX. τοῦ οἴκου τοῦ ἐξιλασμοῦ Lu. des gnaden stuhles. Uno verbo Sancti Sanctorum. Ibi enim arca fœderis recondebatur, cui impositum fuit propitiatorium, quod describitur Exod. 25. 17. LXX. vero ἱλαστήριον vocant, ut fere suspicer, illos hic loci alium locum intellexisse, quia proprio vocabulo cum Fonte non utuntur, forte Domus supra num. 2. simul etiam de Sanctissimo, & hunc locum de altari æneo dici existimantes, quod omnino ædificii propitiatorii nomen, & hic loci recenseri, meretur. Cum vero hac expositione reliqua verba iterum obscura fiant, & maxime in Fonte nomen Propitiatorii stricte dicti adhibeatur, de meæ interpretationis veritate eo certior evado.

Sanctissimi vel Propitiatorii

§. 4. Alias hic locus diversissimas variorum Auctorum explicationes patitur, ex quibus manifestum est, Interpretes illos contentos fuisse, modo conclavia fingere potuerint, quibus nomina recensita qualitercunque convenirent, de eo parum soliciti, num apte templo etiam applicari possent, si revera extrueretur, ob architecturæ procul dubio ignorantiam, quæ se hic loci perpetuo vindicat. Ita citante Lud. Capello *Ribera de Templo Salomonis hoc loco per* בתים *intelligit locum Sanctum & Adytum* sive Sanctum Sanctorum, *per* גנזכים *Gazophylacia*, *cellas domui circumpositas, per* עליות *cœnacula illa tabulato primo sive infimo super imposita*, *denique per* הדריו הפנימים *cubicula in adytis*, *sive interiora*, *quæ erant in secundo & tertio tecto Templi*, *& interiora inquit*, *dicuntur*, *ut distinguantur a cellariis*, *quæ exteriora erant*. Ubi scire gestiam, quid ex loco propitiatorii fecerit, & qua ratione supra templum construxerit plura cœnacula, ac ubinam denique locaverit proprie cubicula interiora, in tectis qualibus utebantur gentes orientales, & ut lucem, commodumque accessum, atque cum reliquis tandem partibus symmetriam illæsam potirentur.

Aliorum explicationes in dubium vocantur.

Riberæ expositio.

§. 5. Quod ipsum quidem celeb. Capellum attinet Riberam refutat, deterioremque sententiam substituit in descriptione Templi juxta Josephum: vid. App. Waltoni Biblicus. Ibi per בתים pariter dicit intelligi posse locum Sanctum & adytum, per גנזכים *gazophylacia* intelligi debere, cellarum Templo ab utroque latere cir-

Capelli expositio

cumpositarum primum tabulatum, quarum cellarum hic videatur fuisse usus, ut in iis pretiosissima quæque reconderentur & asservarentur ; per עליות *cœnacula* , posse intelligi secundum & tertium cellarum illarum tabulatum, cum fuerint revera ὑπερῷα, cellis inferioribus super posita ; per חדרין הפנימים *penetralia intima* intelligendas venire cellas illas, quæ erant a tergo Adyti, quæ sic dicantur , quia in illas penetrari non poterat , nisi per anteriores cellas , quæ prius erant emetiendæ , & penetrandæ, ex una nempe in aliam dato ingressu; בית הכפורת *domum propitiatorii* Adytum significare , in quo erat arca fœderis , qui locus licet in præcedentis vocis complexu בתים sit comprehensus, singulariter tamen, adhuc commemoretur , quia pars erat templi maxime præcipua, cœterisque sanctitate longe præstans.

§. 6. Neque vero divinare possum, quid Virum alias accuratum ad sensus tam anxios exsculpendos adegerit. Cur David Rex , Salomoni exemplar Cellariorum & aliud cœnaculorum & tertium Penetralium dederit, si omnia juxta Capellum idem fuissent? Cœterum non miror tantum virum absonæ sententiæ favere, cum pro auctoritate in sentiendo agere alias consueverit, atque per universum templi sui conceptum, quicquid imaginationi suæ, satis ut ita loquar, inarchitectonicæ minus perceptibile est, statim refutat, statim mutat , ne ipsis quidem originalibus sacrarum literarum vocibus exceptis. Sic v. g. nihil elegantius excogitare possit Architectus , quam vestibulum 120. cub. altum. Quia vero cum altitudine templi 30. cubitorum , quam exteriorem esse falso putat , componere nequit ingeniosissimus Capellus, mavult Sacræ Scripturæ vitium, quam sibi fallibilitatem adscribere, de quo infra plura.

Circa templum Salomonis duplex atrium, unum sacerdotum fuisse, alterum Israelitici populi.

§. 7. Hæc de Templo. Quod atria attinet, de illis nihil docemur, nisi 1. Reg. 7. 12. 36. 6. 2. Reg. 21. 5. & 2. Paral. 4. 9. Postremo loco dicitur, Salomonem fecisse Atrium sacerdotum והעזרה הגדולה Vulgat: *Et basilicam grandem*. LXX. ϗ τὴν αὐλὴν τὴν μεγάλην. Chald. *item fecit atrium unum ingens pro sacerdotibus & Levitis* vertit totum contextum. Pagninus; *Et atrium auxilii magnum*. Lu. Einen grossen Schrancken . Patet ex tot versionibus, Auctores eorum incertos fuisse maximam partem, quid vox עזרה proprie significet . Altius igitur res petenda esse videtur , & tentandum, an in cognitionem aliquam atriorum eorum hinc venire propius possimus. Nimirum apud Ezechielem legimus, neminem fas habuisse ab Orientali plaga versus templum ingrediendi, præter Regem, qui statis temporibus ibi ingressus, per exterius modo atrium usque ante portam exteriorem atrii interioris perrexit , ibi vero in ipso substitit vestibulo , & apertis portis coram templo & altari preces suas ad Deum fudit. Dubium ergo non est, eandem sanctitatem Salomonis Templo fuisse. Ejusmodi enim ceremonias non facile mutatas in Religione Judæorum satis novimus. Egregie vero huc facit locus 2. Paral. 6. 13. Ubi Salomo dicitur concham æneam aut fortasse subsellium instar conchæ formatum fecisse, & posuisse בתוך העזרה, & stetisse super illud coram vel in facie altaris Domini, & precatum esse ad Deum. Certum igitur est ab Orientali quoque plaga stetisse Regem . Neque dubium in atrio aliquo fuisse exteriori, ibique Regem , ordinato tempore preces ibidem frequentaturum, adorationi commoditatem comparasse. Illud ipsum vero Atrium intra templum & ab Atrio gentium distinctum fuisse necesse est, ubi tanquam loco aliquo modo profano, Regem adorasse vix credibile est . Videmus exinde cum Regum adoratione in Templo Ezechielis constituta , hujus egregium consensum. Nihil amplius adeo impedit, quo minus dicamus, vocem עזרה significare atrium, hoc vero magnum fuisse , & circumdedisse Atrium sacerdotum . Ultimum concludi exinde potest, quod probabile in hoc quoque templo sit, populo accessum ad templum ex parte meridionali & septentrionali tantum patuisse . Ergo exterius illud atrium eo usque utrinque extensum fuit. Nam atrium, in quo Populus Israeliticus ubi se purgasset, ad offerendum holocautomata , separatus a sacerdotibus sanctioribus, & a versantibus magis profanis in atrio gentium moraretur, requiritur . Neque minus congrue vi vocis dicitur hoc Atrium , Atrium auxilii , quia in hoc atrio procul dubio etiam Levitæ janitores, coqui, mactatores & similes sacerdotum Adjutores habitabant atque officiis suis fungebantur. Sed sufficiant hæc , cum plura sequenti capite tertio commodius circa hanc rem moneri possint. Ceterum de Templo Salomonis legi meretur Tr. Joh. Lichtfooti de Templo.

C.44. 3. & 46. 2.

CA-

CAPUT II.

De Templo Ezechielis.

§. I.

An templum Ezechieli viſum cum Salomonæo idem fuerit.

IN viſione Ezechielis templum aliquod prolixe depingitur, Iſraelitico Populo ſub vinculis Babylonicis adhuc ſuſpiranti ideo diſtinctiſſime repræſentandum, ut eos puderet peccatorum ſuorum, c. 43. 10. Unde non inſcite nonnulli concludunt, illud ipſum fuiſſe Templi Salomoniani devaſtati ideam. Quam probabiliſſimam conſequentiam videndum eſt, an ex aliis quoque rationibus confirmare poſſimus. Neque enim celeberrimos viros in dubium eandem vocare ignoro, qui templum utrumque diverſum adſerunt; quos inter celebb. Calovius & Joh. Lichtfootus reperiuntur, quorum cum maximi nominis Theologis aliis ſententia communis, myſtice interpretandam viſionem illam Prophetæ adſerit. Ubi quidem doctiſſimo tantorum virorum decreto lubens meritoque conſenſum meum ſubjicio, cum diſtincte rem penſito. Exiſtimem adeo Ezechielis templum eſſe 1. ædificium perfectiſſimum, & ipſius Architecturæ, quam hodienum moratiores gentes mirantur & excolunt, abſolutiſſimum exemplar, ac poſſe proinde deſignationibus repræſentari. 2. Templo Salomonis ſimillimum. 3. Revera tamen non ædificatum, neque ædificatum in monte Moriæ poſſibile 4. tamen exemplar templi poſt captivitatem extructi 5. denique principaliter typum myſticum felicis in qua vivimus Eccleſiæ Chriſti.

Quale fuerit templum iſtud

§. 2. Quod primum attinet, tota parte ſecunda illud demonſtratum ibimus.

Salomonis templo ſimile fuit.

§. 3. Secundum patet: ſi utriuſque templi deſcriptionem attente legamus, paucas ſed principales nonnullas circumſtantias, quibus utrumque templum convenit, utrinque expreſſas reperimus. Ita utrinque adſignantur menſuræ ſancti ſanctiſſimique cum ſuo veſtibulo, & quidem pares inter ſe. In Monte Moria ſtetiſſe templum ex utroque etiam loco patet. Nullibi vero contraria ſibi invicem deprehendimus, imo ne, quoad rem ipſam quidem, diverſa, licet hinc inde menſuris, non ſine prægnanti cauſa pauliſper differant. Uti v. g. gazophylacia vel penetralia interiora Templi Ezechielici alteris in templo Salomonis ſimillima, ſed magnitudine inferiora ſunt, forte non ſine gravi myſterio. Eorum enim tres ſeries latitudines habent verſus ſuperiora numerando 4. 5. 6. horum 5. 6. 7. Cubitorum. Cœterum quæ in uno prolixe deſcribuntur, circa alterum verbo tantum indicantur, aut penitus omittuntur. Ita cum templo Salomonis, vaſa templi, & columnæ æneæ, Sacerdotumque & Levitarum Ordines accurate definiuntur, de Atriorum & Architecturæ diſpoſitione vix tria verba. At in templo Ezechielis reperias atriorum & omnium Templi partium, & Architecturæ diſpoſitionem, tecte licet & nervoſe, diſtincte tamen & accurate definitam. Vaſa templi æneæque columnæ vix uno alteroque verbo produntur, ut inferius clariſſime per omnia patebit. Plura argumenta forent, quibus utriuſque templi convenientiam demonſtrare liceat, ſed hæc ipſa, iis qui partem alteram legerint, ſufficere poſſe ſpero.

Non extructum, exemplar tamen poſt captivitatem extructi fuit.

§. 4. Tertium quod reſpicit ac quartum; facile cogitare quimus, Judæorum opes poſt captivitatem, ipſorumque numerum divinæ ſtructuræ impares fuiſſe. Templum quoque ipſum juxta illud exemplar accurate conſtruere, per Regem Perſarum ipſis nefas erat. Hiſtoria vero teſtante, ſucceſſive ſub variis Populi Regibus demum in juſtam molem prope excrevit. Denique etiamſi Joſephi Deſcriptio templi, prout mox demonſtratum dabimus, ſufficienti auctoritate non polleat, circa tamen partes ipſi credendum eſt, quas Architecturæ ignarus ſatis clare percipere potuit, quaſque Græcorum crudelitas ab incendio reliquit. Præſens enim templi ſecundi ſpectator fuit. Ita multa Ezechielis templo inconvenientia in ſecundo illo invenimus. Interea ex reliqua deſcriptione, licet falſi non immerito ſuſpecta, diſpaleſcit tamen, Iſraelitis circa interius certe atrium, Ezechielis exemplar ante oculos fuiſſe, in prima poſt captivitatem extructione. Si Talmudici doctores non tam ex ipſo Ezechiele, quam ex oculari inſpectione ſecundi templi concinnarunt ſuas delineationes, eo magis id ipſum confirmatur. Imo quis inde dubitaverit, cum Divino juſſu, Ezechielem viſionem ſuam Judæis ejuſmodi deſignationibus, quas ipſi intelligere poterant repræſentaſſe, jure meritoque credamus. Imo non ambigam aſſerere, quod Eſdra pius ſacerdos, aliique religioſi ab initio ſtatim agnoverint, viſionis illius divinitatem. Eandem reliqui a captivitate redemti renuere certe non pote-

poterant, tanta Prophetiæ Ezechielicæ parte jam dum repleta. Quod reliquum est, exemplaria alia, aut ipsius Templi Salomoniani apocryphas ideas restitisse nullibi apparet. Ergo pro viribus hanc Ezechielis ideam divinitus revelatam sequuti sunt. Cœterum universum exemplar opere ipso exprimi non poterat. Extrema enim templi area 3000. Cubitos longa, totidemque lata erat, quantam quidem tota vix dum Hierosolyma, multo minus inclusus Mons Moriæ patebat.

Mystice Ecclesiam Christi repræsentavit.

§. 5. Unde eo lubentius denique maximorum Theologorum piam doctrinam amplector, qui sub utroque templo mysticam Christianæ Ecclesiæ repræsentationem subesse constituerunt. Imo ex minimis templi partibus & mensuris fortasse mystici ejusmodi sensus derivari prono alveo se patiantur, si quis Architecturæ gnarus, secundum dispositionem, altera parte declarandam, eas rimaretur, cui simul reverenda Theologorum penetralia adire fas esset. Ego quidem cum Philosophis adhuc dum ab interioribus illis atriis exclusis, in extimo gentium quasi versari malo, quod omnibus adire fas æquumque est.

Quinam explicarint hanc visionem.

§. 6. Multi viri celeberrimi quidem in visionem hanc Ezechielis notas suas & Commentarios Erudito Orbi communicarunt. Sed cum intellectu, si non impossibilis, tamen difficillima, sine acuratissimæ Architecturæ subsidiis sit, brevissimis, miroque ordine dispersis definitionibus, multisque technicis terminis involuta: eorum maxima pars in elaborandis figuris illam exprimentibus frustra laborarunt. Omnibus palmam Villalpandus & post eum celeb. Coccejus præripiunt.

De Villalpandi Commentario in eam sententia.

§. 7. Ille difficillimam rem eo deduxit, ut longe minus difficile jam sit inventis ejus ingeniosissimis addere, & ad veritatem propius accedere. Per totam enim partem secundam evidenter, debita tamen adhibita modestia, demonstraturum me spero, non solam Architecturæ, sed etiam (fere dixissem consequenter) ipsi Sacræ Scripturæ minus congrua eum enixum esse hinc inde plurima. Quo quidem inimitabilibus Auctoris laboribus, nihil quicquam gloriæ decedet, quia primi sunt. A me vero minus circumspecte & temerarie hæc judicari, B. Lectorem, antea ne censeat, rogo, quam ipsas demonstrationes, collatis S. Bibliis inspexerit. Viginti annorum spatio perfecit, ac spatioso Volumine complexus est eruditissimus Jesuita, Meditationes suas, tum Architectura, licet nimis Vitruviana, tum linguarum multarum peritia instructissimus. Neque putem adhuc ullibi quidquam latere, huc spectans, quod non in Librum suum compegerit, quo ipso eum sequentes labores nimium quantum facilitavit. Nimirum Regis sui Clementia & Ordinis sui felicitate adjuto non potuit non ad rarissimos libros accessus patere. Delineationes etiam solicite elaboratas, & elegantissime sumptuoso æri incisas, quot quis desiderare possit, addidit. Hunc itaque solum secutus sum, Architectura penitus excepta, cujus tanto ejus tempore nondum perfectio fuit, iis tantum mutatis, quæ manifeste Sacræ Scripturæ adversari, sufficienter ostendere poteram. Quo ipso tamen imago templi nata est, si generalem atriorum, ædificiorumque ejus dispositionem excipias, fere universim ab ejus conceptibus discrepans.

Coldmanni animadversiones in Villalpandum.

§. 8. Architecturam Villalpandi correxit Nic. Goldmannus, in Architectura sacra, quam manu scriptam mecum habeo. Ejus atria exteriora templi, eo fortasse id non cogitante, ceteris ita congruere deprehendi ut alia & melior dispositio cum S. lit. frustra quæratur. Quoad interius vero atrium atque ipsum templum ab eo non recedere non potui. Nimirum paucis in locis, vir ingeniosissimus scripturam, ex Lu. versione consuluit, ac cœterum satis prodidit, se non adeo ad veram templi dispositionem inveniendam, sed potius ad afferendum Architecturæ civili decus & perfectionem animum intendisse, quare pleraque ex Villalpando, sæpe quidem veritate destituta præsupposuit. Sed de hoc alio loco fortasse prolixius, ut pateat dispositionem specialem meam ab eodem magis, quam ab ipso Villalpando diffidere.

Coceji delineatio visionis Ezechielicæ

§. 9. Celeberr. etiam Joh. Coccejus, linguarum Orientalium peritissimus peculiariter in Commentario in Ezechielem, ejus visionem ultimam tum explicatione tum Figuris æri incisis plurimis, ac cœterum satis elegantibus expressit, iisque sine hæsitatione totum textum ingeniosissime adplicuit. Ubi facile cuilibet quidem suboleat Virum clar. Architecturæ cognitione non instructum, ab Architecto tamen adjutum fuisse, adeo partus ipse sejunctos dissimilesque parentes undique prodit. Utut vero ne linea quidem meorum conceptuum cum illa designatione conveniat, omnino tamen illa nihil hisce derogat. Abstineo igitur jure merito a dijudicanda illa, cum neque tempus, neque paginæ suppetant, ad demonstrandam judicii certitudinem. Nuda enim censura injustissima foret. Ac fateor hactenus, quia figuræ ipsæ primo statim adspectu multum mihi apparuere; verbis ipsis & mensuris omnibus attente considerandis conferendisque, prout fieri deberet, sicubi judicandi animum haberem, nondum

dum me vacasse. Interim hæc generalia ac forte levia dubia eximi mihi velim.

§. 10. Nimirum, omnia sollicite perquirens, in atriis non parum spatiosis, non invenio, quam 60. ad summum conclavia, 14. Cubitos præter propter patentia, [scalæ enim fortasse chalcographi vitio non accurate quadrant in figuras,] in exteriori atrio, totidemque in duobus Tristegis sacerdotum, 10. cub. lata, 18. longa, inter quæ decem, spatium occupant, quod a Sacra Scriptura ambulacro tribuitur, quorum 6. iterum nocte cœca repleta sunt, nisi quando parcissimum, per ostia transmissum lumen iis solatium adferat. Gestiam itaque doceri, an Celeberr. Auctor, hæc sufficientia credat pro numero hominum, qui necessario simul in templo semper morabantur. Si enim per singulas septimanas ibi commorantes, uti æquum est, computamus, non ulla quimus ratione pauciores concipere quam Janitores 126. Mactatores holocaustorum 336. ut reliquos Promicondos, Purgatores, coquos, Cantores, Ministros Templi ac Ministros altaris &c. taceam, unde Villalpandus in universum ultra 700. Judæi 1333. probabilius numerant.

Dubia quædam circa eam.

§. 11. Porro loca recondendis proventibus & oblationibus ex toto populo in Templum immenso numero confluentibus invenire nequeo.

§. 12. Persuadere etiam obtusæ imaginationi non possum, contra tempestatum injurias, Populo, præsertim diebus festis, immensa copia in templo congregando, prospectum non fuisse.

§. 13. Cum nulla insuper linea per totum ædificium duci possit, ut in duas æquales partes, & similes scindatur; adeoque symmetria generalis ac præcipua deficiat; cum conclavium ædificia humilia, simplicia, & more belgarum hodierno quod facies constructa sint; an a Deo ipso Architecto provenire ejusmodi possint, ut mihi aperiant, eos rogo, quibus ex S. Theologia pronunciare fas est.

§. 14. Columnæ duæ procul dubio æneurum Salomonis æmulæ ponuntur ad faciem templi sub dio, quæ anterius intra vestibulum stetisse & simul 35. Cubitos altæ dicuntur in S. literis, hic vero singulæ tantam proceritatem obtinent, & juxta eam 7. quidem spiris in capitulo ornantur, sed in omnibus malogranata ostentant, cum ea S. Scriptura in una saltem, conicum capitulum tegente, ponat, quam hic loci quidem nondum reperi, denique vero ob nimiam proceritatem, si ad spissitudinem conferatur, aliaque plura sanæ Architecturæ contrarium eunt.

§. 15. Nulla fere altitudinum latitudinum & longitudinum selecta ratio ad se invicem observatur, prout alias sacro architecto moris est in Templo Ezechielis; conclavia palis ab atrio separantur, eorumque ædificia a muro templum cingente penitus teguntur & exterius adventantium conspectui eripiuntur, exceptis supra tectum circumseptis peribolis. Talia omnia an vir æstimatissimus Templo Ezechielis divino convenire credat, in cujus descriptione Prophetæ circum ductor Angelus proportionem, symmetriam, commoditatem, pulchritudinem & similia undique observanda tam evidenter indicat, quodque ipse Propheta adductus instar Civitatis conspexit?

§. 16. An margines murorum, qui ipsi voce אילים notantur, mereantur tam accurate describi? Nam ad usus sacros nihil conducunt, ad manifestandam hinc conclavium eo facientium dispositionem, aut aliud quid inde deducendum nihil conferuntur. Ornamentum singulare imo juxta mensuram ipsis tributam nullum quidem conciliant. Tacentur autem a sancto Architecto plura elegantissima, totæque contignationes, quæ omnia necessario templo adfuisse constat. Quibus ipsis quidem objectionibus hoc caput claudendum est, quæ licet leves sint, mihi tamen easdem resolvere, fateor possibile non est.

CAPUT III.

De utriusque Templi Atriis paulo specialius agens.

§. I.

Nimirum hic tollendus scrupulus est, qui II. Partem lecturo obesse fortean possit. Nimirum uti circa Ezechielis, ita circa Salomonis quoque templum plura uno atria esse ostendi. Eadem utrinque satis ampla præsertim in hoc fuisse, extruentium numerus, & eorum respectu diuturnum constructionis tempus, post præparata jamdum materialia in sumtum, Populi Israelitici multitudo, opes atque potentia, atque templi pro universo populo ingenti ut ita dicam unitas, præter alia plura argumenta manifeste persuadent. Quo minus eorum sententiæ accedere possum,

Templo Salomonæo totidem atria fuisse, ac in visione Ezechielis.

ſum, qui templum Salomonis ſecundo minus fuiſſe exiſtimant. Eorum vero fundamenta non penetro, qui templum Salomonis, Tabernaculo, & Ezechielis, iſto duplo majus ſibi fingunt. Sanctum quippe tabernaculi ſpatium, dimidias menſuras ſancti æqualis in utroque templo habuiſſe conſtat, ſed inde ad reliquas partes concludere non ſtatim licet.

Adferuntur ſeptem Atria Iſraelis, circa atrium ſacerdotum Frig. 3.

§. 2. At porro unicum atrium exterius, atrium ſacerdotum tribus lateribus cingens, Templo Salomonis adfuiſſe oſtendimus. Simili ratione quoque Atrium magnum, in 7. quaſi minora diſtinctum in noſtro Templo conſtruximus. vid. Fig. 3. Atenim objiciat aliquis, in templo Ezechielis tantum deſcribi tria atria inter portas ſita, quatuor vero angularium nullam ullo puncto mentionem fieri. Idque diffiteri non poſſum. Videndum ergo eſt quo jure addiderim quatuor iſta Atria, atque adeo cruciforme futurum templum in quadratum mutaverim. Cum enim Chriſtum Salvatorem noſtrum repræſentet templum iſtud, quænam crucis forma videatur convenientior eſſe?

Reſolutio objectionum.

§. 3. Reſpondeo autem ad argumenta, primo quod non ſequatur, quia nihil de Atriis iſtis dicitur, ea ergo neque adfuiſſe. Nihil enim de conclavibus ſecundæ aut tertiæ contignationis in atrio dicitur, nihil de ſcalis atriorum, ergo nulla adfuiſſent. Proſternitur argumentum hac unica inſtantia, ut ut plures produci poſſint. Quod vero crucis formam attinet, malim templum ſtricte ſic dictum de perſona Salvatoris intelligere, atque atria de Eccleſia, quamvis dubium mihi circa talia fieri nolim, facile enim Theologia jubente mutaverim ſententiam. Ita vero argumentum pro me militat. Templum enim crucis formam imo quaſi crucifixi aptius multo repræſentat. Tota area montis ſancti mundus ſit. In omnibus ergo mundi partibus ſeparabuntur ab impiis & gentibus, qui verum Deum colunt; ſeparationem ergo per atrium Iſraelitarum repræſentem, Jam vero constructo atrio illo figura quadrata, & poſito atrio ſacerdotum ſanctiori pro Eccleſia, ex omnibus dicemus mundi angulis convenire gentes ad Eccleſiam, verum Deum ejuſque cultum agnoſcentes.

Argumenta probantia.

§. 4. Argumentis oppugnantibus rejectis, plura enim adferri contra nos poſſe vix credo, quibus quidem ſpecies aliqua ſit; argumenta etiam probantia ſententiam noſtram inferam. 1. conſideremus 700. aut probabilius 1333. Sacerdotes. Hiſce in templo non poſſum tribuere niſi conclavia duarum ſuperiorum contignationum in atriorum ædificiis [imo ne illa quidem omnia.] In cruci formi vero templo plura juxta Ezechielem conclavia fieri non poſſunt, quam 522. quæ ne minimo numero ſacerdotum ſufficerent, niſi velimus duos in unum compingere, quod in ædificio tali fingere non audeo. Accedant 4. atria angularia. habebimus minimum 906. conclavia, quæ propius ſufficiunt, imo penitus ſufficere poſſunt. 2. majoris momenti hoc argumentum eſt: Proventus olei, vini, frumenti, Theſauri auri argentique & lapidum pretioſorum, atque inſuper materialium pro ſacerdotum veſtimentis, denique pecorum & alitum, ad templum ex omni mundi angulo collatorum, plurima quoque ſpatia poſcit, ubi reſervetur, ordine quidem & commode recondendus. Huc vero vix credam totum ædificium meum, multo minus valde diminutum cruciforme ſufficere, ſi vel cellariis ſubſtructionum, eum in uſum adſignandis, ſupponantur alii cryptoporticus, aliæqne cellæ in profunda terra, 3. videbimus in tota deſcriptione S. Architectum ſimpliciſſimis figuris, & perpetuo fere quadrata gaudere, quare exterior & quæ primo in conſpectum venit cum hoc inſtituto videtur merito debere congruere. Cruciformis vero figura valde compoſita eſt, eleganti proportioni minus apta, ventorum inter cardinalium, communiter inſalubrium & inconſtantium impetui, imbribus, & adductis nox iis exhalationibus obnoxia, cum in angulis illius proſpicientibus apte ea colligantur & moras nectant, angulis qnadrati extrorſum objectis diſſipandæ. 4. Quadrata figura 14. turribus magnificis, & præeminenti media templi, 23. prægrandibus ædificiis, quorum bina quælibet plateam auguſtiſſimam conſtituere poſſint longitudine, ut de latitudine & altitudine nihil dicam, ac denique templi præſigni ſplendore conſpicua, aptior eſt, ut Civitatis præ ſe ſpeciem ferat, ſub qua primo templum Prophetæ noſtro apparuit. 5. Extima area manifeſte etiam quadrata fuit, ſecundum S. literarum dimenſionem quovis quidem latere 500. calamos, vel 3000. cubitos continens 6. Cubb. numeratis pro calamo. juxt. c. 40. v. 5. Ez. Quadratum vero templi noſtri 500. cubitos quovis latere continet, elegantiſſima & vere divina proportione ad aream circum expanſam. de quo vid. P. II. C. 2. Cruciformis vero figura jucundiſſimas rationes hinc ſequentes confundit, & fractionibus deformat, quod incongruum eſſet ædificio a Deo Architecto, Deo ordinis & perfectionis profecto.

§. 27.

§. 27. Omnia hæc argumenta tantum dialectica sunt, sed simul juncta vim habere possunt. Nihil porro detrimenti metuendum est, si ubi hic veritatem minus adsecutus essem. Etiamsi fatear, ultimum argumentum apud me absolutæ demonstrationis vim habere. Cum itaque liceat hypothesin facere, certum tamen est hypothesin meam contrariæ præferendam esse. Nam quæcunque hypothesis plurimis phœnomenis satis facit, sine hæsitatione præferenda est. Vidimus autem pro altera nullum omnino militare argumentum. Cur ideo hypothesis rationibus destituta, non cedat alteri, plurimis suffultæ?

CAPUT IV.

De Templo Josephi.

§. I.

FLav. Josephus Judaicarum rerum celeberrimus scriptor, præter templum Salomonis, quod Antiquitatum Lib. VIII. describit, prolixius secundum templum, quale Servatoris nostri tempore, ab Herode renovatum erat, tam lib. Antiq. XV. quam lib. V. de Bello Judaico exhibet. Celeberrimi Scriptores hujus temporis, ubi templum secundum describendum erat, ejus historiam in auxilium vocarunt. Aliqui præcipue Jac. Jehuda, eum juxta S. literas, & Talmudicos Doctores promiscue citant, inde universalem vel communem quasi Templi ideam conflaturi. Uti vero ipsum Templum secundum, ab Ezechielis visione, præsertim post restaurationem ab Herode factam multum discrepuit, ita hic loci separatim de eo mihi loquendum esse censeo.

§. 2. Separatam quoque descriptionem illius Lud. Capellus prodidit, cujus excerpta ex Josepho, cum annotationibus & templi ibidem compilata ichnographia, apparatus Waltoni Biblicus continet. Verum enim vero ab ipsa Josephi mente ideam illam longe diversam esse, facile ad oculum demonstrarem, sicubi ad institutum nostrum conduceret. Generaliter tantum animadvertere licebit, cum columnæ porticuum Herodis exacte architecturam Corynthiam absque dubio retulerint, intra atrium vero positæ, excepta magnitudine ipsis fuerint simillimæ, quod monstrosa columnarum earum constructio, pariter atque distributio a Capello adhibita, neque descriptioni Josephi, neque ejus temporis architecturæ convenire possit. *Capellus secus explicat Josephum.*

§. 3. Muro cinctum atrium mulierum, & ab ortu propterea binas portas sibi invicem oppositas fuisse, ex delineatione Capelli nemo addiscet. Denique ipsa Methodus, qua utitur circa hanc Josephiani, uti ita dicam, templi disquisitionem, ipsi scopo minus congrua est. Quas enim mensuras non expressas in Josepho invenit, ex Talmudicis doctoribus adfert, quod fieri fas æquumque minime est, sicubi in antecessum non pateat clare, eosdem cum Josepho in omnibus consentire. Mox vero audiemus, quantum Talmudici Doctores hic loci a Josepho discrepent. Ita absurdus non potuisset non oriri conceptus Ezechielici templi si, ubi mensuræ expressæ non fuerunt, ex Talmudicis Doctoribus eas accersissem. Potius debuisset, datas a Josepho mensuras primo adsumere, deinde facta qualicunque dispositione partium juxta auctorem, mensuras reliquas ex circumstantiis ab ipso notatis exsculpere. Hanc methodum, cum demonstrandi vis ei derogari ullo jure nequeat, elegi, ac multis quidem parasangis priori difficiliorem, circa templum Ezechielis, non infeliciter, quod spero, adhibui, celeberrimum Villalpandum hoc ipso merito secutus.

§. 4. Succedere in Josepho eandem methodum posse jamdum deprehendi, modo ceterum illi scripto fidem adhibere satis tutum foret. Multis etiam modis illa vel Summorum Philologorum non paucis, tum quoad ipsam Autoris, tum quoad scripti auctoritatem sublesta est.

§. 5. Quod auctorem concernit, religionem Judaicam nimis religioni ipsimet fuisse, libri ejus satis produnt, & brevius, ex celeberrimi Ittigii nostri, Domini ac Patroni mei venerandi præfatione ad Josephi editionem recentiorem Coloni-Lipsiensem fol. 1691. admiranda, autut plura dicam, auctori suo simili perspicere est. Architecturam eum accuratius non tenuisse, persuasus sum, quam auditu confuso & interrupto eam addiscere licet, dum quis, tempore extruendi palatii architecto & opificibus frequentius adstat. Neque adeo videtur descriptionem accuratam unde ichnographicæ confici plantæ queant, sed superficiariam talemque intendisse, unde splen- *De Josepho judicium.*

dor modo & potiores consuetudines templi, prout suo tempore fuerunt posteris cognosci possent. Imo dubito an Architectonicæ ejusmodi descriptioni par fuerit. Certe confusissimos conceptus in præsentibus observare licet, alios etiam suspectos admodum. Prioris generis non raras, portarum v. g. descriptiones produnt. Posterioris patent ex collatione lib. XV. Antiqq. cum lib. V. de bello Judaico. Ibi binos porticus describit; Prior in extimo septo ab Oriente versus occidentem protensa quantum poterat, triplex erat, in medio altior basilicæ instar. Altera extabat super alterius septi eminentiorem aream, duplex quidem, & a meridie versus septentrionem producta. Qui porticus has cum alteris lib. V. de bello Jud. conciliaverit, magnus mihi erit Apollo. Patet adeo quid promittere accurati nobis de hoc autore hic loci possimus.

§. 6. Quod scripta ipsa concernit, ex antiquissimæ eruditionis modo laudata præfatione discimus, quantis adhuc in votis editio Josephi sit, cui fidere tuto possis. Ibi certe ubi numeri & mensuræ exprimuntur nullam fere fidem tribuere illis possum. Uno modo loco, penitius huc spectante, dicta confirmare liceat, ubi septum secundum templi lib. V. de B. J. describitur. Nimirum murus undique cingit spatium septi, quod exteriori plano altius est, nempe 15. cubitis, unde murus interius 25. cub. altitudine comparens, exterius quadraginta C. proceritatem ostendit. Huc ascendendum quatuordecim scalis est, ut singularum altitudo, singulos cubitos comprehendat. Quid fingi absurdius hisce scalis possit? Itaque hinc proficiendi in consignandis figuris exigua spes est. Translationes Auctoris elegantissimi plurimæ sunt, sed, quod facile cogites, multo minus Græcis editionibus inter se consentientes. Imo Hebraicos Josephos habemus, qui quibusdam locis cum græco egregie conspirant, multis vero penitus diversa loquuntur. Videsis de illis supra laudatam Præf. nunquam vero satis laudandam. Mihi contigit tres illorum editiones videre: Ebraicam Sebast. Munsteri cum ejus interpretatione in folio Wormatiæ 1520. aliam a Sebast. Lepusculo editam, breviorem, & si editori credimus eodem celebri interprete conspicuam, 8. Basileæ 1559. denique germanicam Judaicis & literis & stylo conscriptam Amstelodamensem in quarto. Harum vero Josephus, filius non Mathatiæ, sed Gorionis vocatur, unde non obscure, juxta alias circumstantias concludi fas est, recentiorem libris istis auctorem esse. Cæterum hæc ipsa exemplaria Hierosolymitanum describunt templum, sed, quod miror, cum ab eodem libro procul dubio proveniant, admodum diverse. Quæ in Lepusculi compendio est, egregie mihi arridet, præ cæteris omnibus propius ad veritatem sacrarum literarum accedens.

Usus quinam ex isthac disquisitione sperandi.

§. 7. Patet ergo satis curiosam, utut operosam & difficillimam fore disquisitionem in Josephi templum. Curiositas vero cum exiguum operæ pretium sit, nescio an cæterum utilitas inde expectari possit, quæ improbum laborem ejusque tempus compenset. Quicquid enim exsculpamus, ædificium erit fortasse non inelegans, sed fortasse ejusmodi nunquam extitit. Perfectio ejus tanta non erit, ut uberes in Architectura proventus inde nascantur. At sacer usus plane nullus est. Quicquid inde lucrari possumus, diligentiæ atque ingenii laus est. Verum, o quam vilia dona, quam pænitenda, si breve vitæ spatium, & rerum necessariarum immensam segetem pensitemus.

Brevis explicatio descriptionis Josephi.

§. 8. Ne tamen nihil omnino de hoc ipso templo dicam, secundum Josephum, quatenus ex pauca lectione mihi cognitum est, tale illud effingerem: Templum satis accurate a Josepho descriptum, cingerem area quadrata, 252. Cubitorum in quolibet latere, ita tamen, ut ab occidentali, meridionali & septentrionali 26. modo cub. distet. Aream ædificiis circumdarem 36. cub. profundis, quatuor anguli horum ædificiorum, forent turres quadratæ 36. cubitorum. In lateribus, septentrionali, & meridionali, ab angularibus versus medium similes binæ turres distabant 60. Cub. concludentes adeo inter se tria ædificia 60. cub. longa, ad constituendas porticus. Per quatuor turres portæ intrant, ex illis lateribus, una cum ornamentis suis 15. cub. latæ 30. altæ. Occidentale latus continuum ædificium, quali porticus continentur, inter binas turres angulares habet. Orientale similiter nisi quod istud ædificium grandior turris, in medio distinguebat 40. cub. lata, 36. versus interiora profunda, & 50. alta. Exterius ædificium hoc cingebat area quadrata, quolibet latere comprehendens 384. cub. ut ab ejus extremo ad murum usque 30. Cub. essent. Illi insistebat versus orientem porticus 15. cub. lata & a meridie versus septentrionem 334. protensa, in medio vero dissecta turri aliqua. Per hanc æque atque ante dictam turrim orientalem, portæ splendidissimæ patent. Cæterum area orientalis illa utrinque tum a via illa orientalium portarum, tum a reliquarum plagarum area distincta, cum porticu sua constituit atrium gentium. Ex hoc atrio ad portas ædifi-

ædificii 5. ſcalis, adſcenditur ad extimam vero aream quæ modo deſcriptam ambit, quovis latere 500. Cub. longam ſcalis 15. quorum quæ ad orientem ſunt ſub extima turri ponuntur, undique recta a portis deſcenditur. In illa demum area extrema porticus triplex meridionalis inſtar baſilicæ & fortaſſe aliæ undique ſteterunt.

CAPUT V.

De Templo Talmudico.

§. I.

CUM in Talmudicis libris plurima reperiantur de Templo Salomonis & Hieroſolymitano, quæ Rabbini primi procul dubio conſcripſere, tempore adhuc exiſtentis templi aut ſecundi, aut Herodiani, ex quorum ſchedis poſtea Talmud collectum fuit: hinc celeberrimi ſcriptores Chriſtiani non pauci, cognitionem Templi hinc ante omnia tanquam ex primario fonte peti poſſe ac debere exiſtimarunt. Breviter itaque de hoc quoque dicendum erit; ut tuto de fontis hujus autoritate ferre liceat Judicium.

§. 2. Primo itaque certum eſt, quod ſpecialiora hic loci quam ullibi alias recenſeantur, omnia conclavia, vaſa & miniſteria templi, ſacerdotum ordines continuo quaſi indice videntur univerſim induci. Imo facile quis credat in illis rebus Judæis fidem habendam eſſe, quippe ritus & circumſtantias cultus ſui divini concernentibus, qui facile per traditiones inter eos propagari potuerunt. Ego vero hic quoque caute procedendum eſſe putem, ſi quidem ex lacunis Judaicis aurum veritatis piſcari velimus. *Quid ex Talmud ſperari poſſit in hac re.*

§. 3. In primis autem cognitio hæc ex Miſchna in תמיד & מדות petenda ſunt. Tractatum hunc latine vertit L. Capellus & notis illuſtravit, ex priori quoque excerpta addidit. Fateor autem quod ob Methodum, qua hæc tractat vir ingenioſiſſimus, & alias nonnullas circumſtantias, nondum iis fidere conſtanter queam. Si quis enim ex Talmude deſignationem aliquam Templi conciliare velit, maximus eum omnino labor expectat, qui non niſi viro cana & ſolidiſſima eruditione prædito, & in tota Rabbinica, atque antiquitatibus Judaicis verſatiſſimo ſuſtinendus eſt. Quæ omnia quidem in Capellum quadrare non negabo. Accedit, quod celeber. vir Geometriæ ſtudium non mediocriter tenuerit. Sed ejus impatientia, qua, quicquid explicare facile non poteſt, ſua auctoritate decernere conſuevit, uti ſupra oſtendi, & ſumma qua utitur, quicquid mutandi libertas omnino mihi confidentiam in tanti viri auctoritate excuſſerunt, quantum quidem locorum præſertim Hebraicorum de ſacris ædificiis agentium interpretationem attinet. Gæterum vero quicquid ſit de verſionibus, & undecunque provenerint, melius, imo neceſſarium eſt ad ipſam originem reſpicere, ſiquidem ſolidi quid præſtari debeat. *Ex quibus locis cognitio iſta petenda ſit.*

§. 4. Etiamſi itaque ipſum Templum Talmudicum deſcribere adeo non intendam, ſed tantum de ejus uſu & veritate judicare, quoniam ipſum tamen legendi nondum mihi vires comparare potui, timidus hic ago, eo brevior etiam futurus.

§. 5. Supra dictis excerptis, tertium quoque Capellus addidit ex Majemonidis Tract. de domo electa, ubi templum juxta Talmudicos Doctores maxime exhibetur, mutatis tamen hinc inde pluribus, circa templum ſtricte dictum præcipue, quod inter alia quadruplici muro triplici circuitu cingit, cum duplex alias Rabbinis potiſſimum probetur. Refutatur ideo, & delirii ſæpe Capello reus fit. Si tamen incidenter de hac controverſia judicare licet, ipſæ quidem Majemonidis cogitationes, ut cum menſuris ab ipſo poſitis, & cum Talmude forſan conciliari non poſſint, in ſe tamen nihil abſurdi continent, & ſtantibus menſuris templi univerſalibus, effici convenientiſſime queunt. Male ergo Capellus tanquam Chimærica ſomnia iſta deridet, eo ipſo ſatis oſtendens, quam ſæpe ejuſmodi ſcriptorum verus ſenſus eum fugiat. Cum hoc vero Rabbino etiam, ad certiorem Miſchnæ intellectionem, Commentarii Rambam in eandem conferri merebuntur. *Capelli de hac re ſtudium cenſetur.*

§. 6. Multum quoque juvabit hoc Talmudicum ſtudium Leonitis ſ. Jacobi Jehudæ Leonis Hebræi liber de utroque templo. Ipſe auctor ex Talmude præſertim ſed & aliis locis comparavit ſibi templi ideam, eamque materiali forma longitudine trium Cubb. latitudine duorum, & unius altitudine effecit. Hodienum in Belgio illa conſpici poteſt. Hinc tractatum ſuum inventor variis linguis ipſe concinnavit. Ex quibus in latinum idioma eundem peraccurate tranſtulit, Vir Celeb. Jo: Saubertus, *Leo Jehuda, & de eo judicium.*

quondam SS. Theol. Doctor & Professor primarius universitatis atque concionator civitatis Altdorffinæ, cum adhuc Orientalium linguarum Prof. Helmestadii degeret. Maximum applausum ubique locorum inter Christianos adeptus est judaicus ille partus, quo ipso tamen non deterreor, quo minus meam de eo opinionem aperiam, quia præsens ita postulat tractatio. Nisi vero fallor eruditus Judæus hac ratione templum suum extruxit. Primariam cognitionem ex Rabbinicis scriptis hausit, maximamque auctoritatem Mischnæ tribuit. Hinc itaque cognitis partibus v. g. conclavibus, vasis &c. quæ ad templum requirebantur; quæ in ipsa Talmudica delineatione non exprimuntur aut disponuntur, ubicunque in sacris literis, aut in Josepho descripta invenit, quæ modo somniando cum suis comparari possent, adsumsit suoque arbitratu applicuit, citato tamen loco unde devenerat.

§. 7. Quid igitur sit, si defectus judicii non est, nescio, quando auctor continua descriptione templum exprimit, & pro una eademque norma mixtim, eodemque censu sacras literas, Talmud, Rabbinos, Flavium Josephum, Josephum Ben Gorion &c. citat. Quid hinc nisi confusio, nisi somnia oriri possent? Quid inde vero concludere debeam, quod sæpe cursorio solum oculo, loca tum S. Scripturæ tum Flavii Josephi allegata deprehenderim, cum tamen non modo loca illa sed tota capita, imo libri quibus extant, de ea re ne verbum proferant quam Judæus noster citat. Observavit, & excusare quomodocunque annisus est idem Eruditissimus ejus interpres latinus; Ut adeo fere plurimarum rerum sine judicio, jam constituto conceptu, solum ostentandæ eruditionis ergo, eo collatarum mihi suspicio oriatur, cum præsertim ipsa templi ichnographia, tam confusa ratione undecunque congesta, secus cum aliis ex unico Talmud ordinatim & solide concinnatis, adeo conspirare vix potuisset. Quod ipsas figuras attinet, cum Ichnographia tam ἀγεωμετρήτως, areas, muros, scalas & aperturas exprimat, altitudines longitudinibus ac latitudinibus immisceat, scriniariam potius, quam architectonicam manum prodens, cum intra unicum murum ibi conclusa ædificia reperiam, cum denique in orthographia Villalpandum sine judicio usurpatum videam; nescio sane quid de inventore censendum, quidque materiali idea, quam apprime inspicere gestiam, sperandum sit.

§. 8. Infinitis modis accuratius, quod Judæus hic præstitit, post eum effecit ce-
Lichtfootius laudatur. lebb. Lichtfootius, eleganti ordine, solidissimo ingenio, & incomparabili eruditione ex S. literis, Josepho, Talmud & cæteris Rabbinis congesto apparatu copiosissimo, in tractatum quem de Templo conscripsit tum Salomonis, tum præcipue de eo, qui Servatoris tempore extitit. Optandum esset, ut separatim existeret tractatus iste, facile adeo memoriam quoque Leonis deleturus, quo tum carere sine damno possimus. Addidit etiam solertissimus auctor delineationem templi Ichnographicam, quæ licet Architectonica non sit, itidemque altitudines mensuris planis immisceat, multo distinctior tamen Leoniana est. Cæterum illa Templum juxta Talmudicam sententiam exprimit. Si jam scientifica Architectura & perfecta cognitio, cum tanta Ebraicarum rerum & Theologicarum scientia conjungeretur quid non de explicatione Templi ex sacris literis sperare possimus? Omnino enim plane aliud ibi, quam in Mischna exprimitur. Ex ejus vero cognitione maxima utilitas nobis oriretur, cum tanta a posteriori expectari nequeat.

Delineatio juxta Talmudicos. I. Templi. §. 9. Cæterum dispositio juxta judæos huc redit maximam partem. Primo templum constitutum 20. Cub. latum 61. longum. Hinc versus occidentem rescindunt sanctissimum long. 20. cub. deinde spatium unius cubiti segregant, quoad longitudinem, & duplici velo a templo quasi separant, quorum unum respicit sanctissimum, alterum sanctum. Itaque reliqui 40. cubiti sancto relinquuntur, versus orientem paries aperitur ostio 10. cub. lato & 20. alto. Hic spatium est, versus orientem 11. a meridie versus septentrionem 90. Cub. extensum, quod vestibulum templi est. Circa templi latera, orientali excepto, duplex circuitus est triplicis contignationis. Interius in 13. cubicula in ima & media in 12. in summa contignatione distinguitur (modum, quo id fieri possit excogitare nequeo) ut universum 38. gazophylacia inde oriantur, ad inferiorem contignationem ingressus est ex vestibulo in parte septentrionali, hinc ostiis gazophylaciorum undique sibimet oppositis, circa templum progressus datur, usque ad partem vestibuli meridionalem, ubi iterum ostium erat, illud vero non aperiendum esse dicunt, perperam & ridicule huc trahentes locum Ez. 44 v. 1. 2. Circa circuitum hunc angustior alius non distinctus, sed continuus erat, in quem ex singulis gazophylaciis ostium patebat, ut omnia gazophylacia tria ostia haberent, præter duo in angulis occidentalibus, quibus quatuor erant. Juxta vestibulum vero & hunc circuitum in parte septentrionali in crassitie muri cochlea erat, quo ascendebatur ad superiores contignationes. Ex primo autem inferioris contigna-

tigna-

tignationis gazophylacio rima quasi per templi murum erat, quo templum aperturus intrinsecus ingrediebatur sacerdos, nam extrinsecus & intrinsecus valvas janua ejus claudendas habebat.

§. 10. Hoc templum circumdabatur atrio, in quo medio prope latus orientale consistebat ut versus orientem spatiosior relinqueretur area. In illa prope latus septentrionale separatum spatium erat, quod septentrio vocabatur, & ad mactanda holocaustomata pertinebat. Distinguebatur in tria spatia; proximum versus meridiem annulorum dicebatur, ubi aliquot series annulorum erant quibus prosternendæ pecudes alligabantur, sequens continebat 8. mensas lapideas mactationis, tertium mactatoribus erat. Altare magnum quoad orientem & occidentem in media area erat, sed deflectebat ad meridiem, quo spatium mactatoribus relinquebatur. Ascensus in illud leniter acclivis erat a meridie. Spatium quod areæ relinquebatur post altare versus orientem in duas æquales partes dividebatur, occidentalis vocatur atrium sacerdotum, orientalis atrium Israelis. 2. Atrium.

§. 11. Totum atrium muris & exedris cingebatur, a meridie & septentrione tres Exedræ erant, duabus portis separatæ, duæ angulares, & tertia media eaque grandior & quatuor potius exedras continens, inter quas medium ambulacrum erat, porta tum versus extremum atrium gentium, tum alia versus atrium interius, quod sanctuarium dicitur, apertum. Duæ exedræ hujus ædificii in loco sancto, duæ in profano erant. Ambulacrum quoque medium altera parte elata & gradibus ascendenda atque peribolo distincta, in sancto, altera humilior in profano erat. In medio versus orientem unica porta erat, posita utrinque exedra, tum versus sanctuarium, tum versus atrium exterius, quod mulierum vocabatur, ostio pervia. Hinc differentia inter Doctores Talmudicos facile jam concilianda, quod alii 5. alii 7. alii 13. portas numerent.

§. 12. Versus ortum atrio huic adjunctum erat aliud atrium quadratum, in cujus quatuor angulis quatuor atriola ponuntur, iterum ex negligenter considerato, & perverse applicato Ezechiele. Atrium hoc vocatur mulierum. Ita breviter se habebat templum juxta Judæos, quod in quadrata area ponitur, quovis latere 500. cub. continens. Ita tamen ut occidentali lateri proxime, septentrionali minus, & adhuc minus orientali accederet, a meridionali vero maxime distaret. Ipsam illam aream Montem domus vocatam, ambiebat extrinsecus peribolus, mox interius circumextructa erat porticus duplex, versus exteriora muro clausa. Hæc sufficiant de Templo Talmudico, cujus mensuræ, nomina hebræa, & aliæ circumstantiæ, exprimuntur in figura prima.

§. 13. Videntur itaque Talmudici Doctores, fortasse ex Rabbinorum quibusdam relictis schedulis, qui adhuc existenti templo, Salvatoris tempore interfuerunt, aut ex Josepho etiam montem domus & forsan quædam circa exedras etiam de promsisse. Hisce reliqua ædificia ex sacra scriptura, & traditionibus rituum suorum addere potuerunt. S. Scripturam quidem incongrue, & sæpe ridicule applicarunt, prout uno jam exemplo ostendi. Quibus accenseri merentur locus mactationis, quem ex Ezech. c. 40. v. 38. usque ad 44. excl. item seq. v. 44. Cantorum cubicula, ac deinde atrium exterius, in quo 4. domus culinarum fuere, ex cap. 46. Ezech. a v. 21. ad finem, quæ versus septentrionem posita cum atrio mulierum orientali permutant, & quoad partes etiam negligenter tractant. Templum ipsum inde aliquo modo vere conceperunt, si vestibulum plane enorme excipias, & vitilitigium Rabbinicum circa cubitum, qui sanctissimum a sancto distinguit. Quicquid deinde de suo addiderunt, more eorum confusum superstitiosumque est, cœterum vero, quoad mensuras præsertim irregulare & imperfectum. Unde vero atrii sui, quod 187. Cubb. longum & 135. latum faciunt, mensuras acceperint, scire apprime gestiam. Si enim soliciti de eo fuissent, numeros non potuissent excogitare genio sacræ scripturæ magis adversos, quam ipsos illos. Denique cur tam constanter, uti Josephus etiam, adscensum altaris ex meridie constituant, nescio, quem Deus ipse ab oriente jubet constituere. Facile vero ex hoc consensu crediderim, ita rem se revera habuisse in templo secundo.

CAPUT VI.

De Lingua Hebræa tanquam primo hujus disquisitionis Fonte.

§. I.

CUM Deus ipse ædificii, hisce lineis designandi, Architectum in sacris literis idem manifestaverit, apprime patet, ex ipso Hebræo Fonte cognitionem ejus hauriri debere, adeoque linguæ sanctæ cognitionem ab Interprete exigi. Qui igitur curtæ supellectilis in hoc studiorum genere mihi probe conscius sum, nec summam ejus difficultatem, præcipue in hoc loco, nescio, quam inter alia perpetuus fere Interpretum, virorum maximæ auctoritatis & eruditionis dissensus comprobat: opus esse reor, ut ante omnia attente dispiciam, qua ratione tuto versari in hoc labore mihimet fas sit, ne deinde controversiarum incursionibus, disquisitio præsens sine necessitate proscindatur.

Quid observandum circa usum s. linguæ.

§. 2. Difficultates autem tum circa characterem, tum integras voces, tum denique totos contextus me proculdubio manent. Quid ergo circa singulas observandum sit, desiderabo, pietatis, rationis, & si cum iis consentiat, Auctoritatis etiam præsidia, animo, quantum fieri potest, a præjudiciis libero, adhibiturus.

De Charactere ejus.

§. 3. Quod characterem concernit, video eruditissimum Capellum, ex rationibus satis levibus, imo plane erroneis, in descriptione Templi juxta Josephum verba. 2. Par. 3. מאה ועשרים, *centum & viginti* cum iis permutare אמה עשרים *cubitos viginti*, ut ostendat vestibulum templi Salomoniani 20. Cubitos altum & 120. Cub. altitudinem templi falso hactenus creditam fuisse. Quod quo jure, quave injuria faciat, numque aliis quoque idem jus competat, dispiciendum & in genere evolvendum erit, num puncta aut literas sacri textus mutare liceat, ratiociniis id suadentibus.

Capellus aliique literarum & punctorum auctoritatem lacessunt. Buxtorfius & Wasmuthius defendunt.

§. 4. Capellus cum plurimis celeberrimis Philologis affirmat, ac sententiam suam plurimis non parum speciosis, & laboriose compilatis argumentis adstruere nititur, Vossio & Waltono eum inprimis strenue juvantibus. Ferit eorum sententia tam literas quam puncta. Adversus eos acriter pugnant Buxtorffius & Wasmuthius, Viri de Hebræa aliisque linguis Orientalibus longe meritissimi, suis quoque magnorum Philologorum catervis stipati. Quos ex utraque parte recensitos vid. ap: Wasm. modo laud. in Vindiciis. Posteriorum castris, cum aliquibus tamen cautelis, quoad literas & puncta vocalia, non possum non accedere.

Capelli sententia.

§. 5. Adversarii literas primævas, Samaritanas esse urgent, quadratas autem, quibus hodie utimur, Chaldæas, iis substitutas ab Esdra post captivitatem, qui ob odium Judæorum in Samaritas, iis reliquerit primævum, & alterum characterem adhibuerit, quia notior ipse Judæis erat, quippe durante captivitate Chaldæorum linguæ maximam partem adsuetis.

Revellitur.

§. 6. Atenim vero, quis crediderit Esdram, virum sacerdotem sapientissimum, tam inepta invidia motum, characterem primævum & Sanctum rejecisse, cum tamen alia plura majoris momenti Samaritas cum Judæis communia habere, vetare non potuerit? Quid porro juvasset, idiomate sacro retento, tantum characterem mutasse? Hoc enim æque, imo forte multo magis incognitum erat Judæis, quam ipse character. Hunc facile addiscere iterum poterant, illud vero majori cum difficultate ab iis reassumendum, & quidem plurimis de novo addiscendum erat.

§. æ. Confirmant sententiam suam Rabbinorum & Patrum testimoniis. Utut vero argumenta ejusmodi non tam probent, quam probata confirment, ea tamen assumsit laudat. Wasmuth. ac solidissime resolvit in Vindic. P. I. c. I. postea jam profligata, penitus prosternit oppositis non imparis & momenti & ponderis Auctoritatibus. Si enim illis R. Jose & Mar Zutra, nobis R. Jehuda sanctus & Schimeon atque duo Eliezares favent.

§. 8. Porro ii siclos antiquos, inscriptiones item cipporum & s. Samaritano charactere signata urgent. Præter vero, quod nulla possit consequentia ad conclusionem illorum legitima deduci, quis ausit tanti momenti controversiam eorum judicio subjicere, cum circa recentiora Romana numismata tantæ vigeant incertitudines, tanta litigia? Sed solide suo hic quoque more respondet Wasmuthius, atque argutissime Siclorum illorum auctoritatem, oppositis aliis Siclis quadrato charactere insignitis infringit.

§. 9.

§. 9. Hoc vero notavi, nostræ partis argumenta probantia, ubi opponendi vices ad adversarios transeunt, eadem fere fata experiri, ut adeo perpetuæ controversiæ, convitiorum larga suffusione utrinque sufflaminatæ, adhuc dum vigeant. Quare, licet minima spe fultus, operam dabo, ut de sententia mihi minus controversa prospiciam. In ea enim sententia sum: ubi quid asserimus circa Scripturam Sacram, illud ea fieri solicitudine debere, ne levissima inde consequentia contra sanctitatem auctoritatemque ejus derivari possit. Itaque ab Esdra post Captivitatem Babylonicam, mutationem omnino aliquam circa sancta Biblia perpetratam fuisse non dubito. Qualis autem fuerit, sequenti historia, meam mentem aperiam.

Quid adversæ partis argumenta valeant.

Esdra mutavit nonnihil circa linguam sanctam.

§. 10. Abrahamus ex Chaldæa originem duxit, unde mirum non est, si linguam cum tota domo sua communem Chaldaicam loquutus est. Ipse vero cum familia sua satis copiosa ex patria in Regionem Canaan transmigravit, cumque tum temporis, adeo provinciæ numerosæ nondum fuerint, ipse cum suis quasi Populum constituit. Credibile igitur non est, linguam vernaculam in domo ejus periisse, licet paululum, quod aliis omnibus linguis accidere solet, mutata, a Chaldaica magis magisque forte discrepare potuerit. Hanc Abrahami domum aut gentem vel ab Hebero parente Abrahami in sexto gradu, vel probabilius a trajectione fluvii Euphratis Cananitæ Hebræam vocandi occasionem habebant, unde linguæ Hebrææ quoque nomen competat. Magis itaque crescente Abrahami posteritate, magis quoque linguam eorum perstitisse constat, neque ulla ratio est cur ante captivitatem Babylonicam eam amiserint, nisi ab Ægyptiaca servitute, & postmodum a nimis intimo cum gentilibus commercio petatur. In Ægypto autem, licet ducentorum annorum spatio perire non potuit, quia Israelitæ conjuncti peculiarem habitabant provinciam. Successu temporis Israelitæ dudum in promissam traducti Terram, paulatim a vero Deo defecerunt, & prohibita cum Gentilibus commercia instituerunt, se totos iis commiscentes, eorum filias ducentes, & filiis nubentes. Inde nummi Gentilium & alii patrio charactere atque idiomate inscripti potuerunt oriri. Inde maritus uxorem, uxor maritum ad suam alliciebant Religionem. Inde proculdubio sæpe Israelita familia potiebatur tota Ethnica. Unde sequitur innumeris exemplaribus divinæ legis, ethnicorum literis & idiomate consignatis opus fuisse, ad prospiciendum fidei ac pietati ejusmodi familiarum. Ideo Divini Numinis justitia populum præfractæ frontis Chaldæorum vinculis injecit. Ibi 70. annos morati, ab invicem dispersi & Chaldæas per familias singulatim distributi sunt, desiit vernaculæ linguæ perpetuum commercium, Chaldaicæ linguæ usus unus necessarius & perpetuus erat. Liberi in captivitate nati pauca Hebræa, jugia Chaldæa audiebant, discebant. Magis itaque magisque vernacula Judæis lingua Hebræa esse desiit nisi, quod procul dubio Sacerdotes aliique viri pauci, perpetuis studiis plenum ejus vigorem semper retinuerint. Accedebant itaque Exemplaribus legis, Cananæo, quod fortasse hodienum Samaritanum potuit esse, idiomate conceptis alia Chaldaice descripta, atque adeo Hebraica evanuerunt, in solis seniorum atque piorum Bibliothecis reservata. Denique ad Patrios lares sub Esdræ sapientissimi ac postea Nehemiæ etiam ductu & regimine reduces ex Babylonica captivitate facti sunt. Tum pius Esdræ animus universum Populi statum in integrum revocare, atque ante omnia divinum Cultum suæ puritati restituere gestiebat. Iterum adeo produxit legem Mosis veram & illimem, atque primævo suo idiomate & charactere promulgavit, abrogatis exemplaribus alia lingua consignatis depravatisque.

§. 11. Huc breviter sententia mea redit, quæ simplicitate sua & reverentia versus sacras literas, præsertim Historia sacra, Rabbinorum antiquissimorum testimoniis, jam facilius ac planius exponendis, ac sana denique ratione amice conspirantibus, adeo animum meum occupavit, ut facile inde recessurum non existimem. Media hæc inter utramque fervidam & convitiantem opinio est, pacis amantior.

§. 12. Quod vocalia puncta attinet (nam de accentibus inferius separatim loquemur) eosdem adversarios, quos literæ expertæ sunt, eosdem etiam cum iis assertores. Illi monstrosam punctationem Hebraicam, recentioremque esse, atque ex commentis Doctorum Tiberiensium longo tempore post Christum natum prodiisse, aut minimum a viris θεοπνεύςοις non venire satis confidenter asserunt. Hi literis ipsis coæva puncta statuunt, adeoque divina, sancta atque authentica. Utrinque argumentorum longa farragine depræliantur litibus nihilo minus in suspenso manentibus, nisi quod Buxtorffianæ sententiæ ob pietatem aliqua cedat prærogativa, ab adversariis fortasse superstitionis aut pervicaciæ censu habendam. Legi omnia argumenta hinc inde ventilata ap. sæp. laud. Wasm. in Vindiciis P. 1. & apud Buxtorffium in Tiberiade & Tract. de Punctis possunt. Ergo repetendis supersedeo,

De punctorum vocalium auctoritate.

ac

ac potius, horum partibus maxime accedens, ac animi mei ſenſa ſincere exponenda progredior. Conjecturas ibi reperiet B. Lector, ſed S. Biblia reveritas, rationi ſanæ ſubjectas, & utriuſque ſententiæ conciliatrices. Cur vero conjecturis locus non ſit, ubi hactenus niſi conjecturis & litigiis nihil fere actum eſt.

§. 13. Credibile eſt proinde, ſi non in ipſa captivitate, minimum non longe poſt eam, linguam Hebræam deſiiſſe vernaculum eſſe. Minimum ſi omnia largiar, ſapientiſſimum Eſdram futurum illud cognoviſſe dubium non eſt. Itaque ſacro textui, ne interiret conſulere porro merito ſtuduit. Sicuti vero aliis linguis omnibus fere, ita huic idem conveniſſe probabile eſt, ut plures quidem quinque vocalibus haberet, ſi pronuntiationem reſpicias. Ita linguæ Italica, Hiſpanica, Germanica &c. hodienum juxta quinque vocales obſcure pronunciandas, totidem breves, apertas, & clare enuntiandas, imo raptiſſimas quoque agnoſcunt. Græcæ & Latinæ eadem olim proprietas fuit. Eandem in Samaritana & Chaldæa lingua agnoſcunt. Imo organorum loquelæ univerſalis identitas, univerſalem eam proprietatem efficit. Experientia vero teſtatur, ubi lingua vernacula eſt, ibi tot vocalium diſtinctione non opus eſſe inſcriptione, neque unquam tamen, minimum moratiores gentes in pronuntiatione peccare. Ita Targum etiam tres literas ab initio habuiſſe tantum teſtantur, quibus vocales omnes expreſſæ fuerint. Ita tres quoque loquelæ matres, ſeu ejuſmodi tres literæ Samaritanæ linguæ in uſu ſunt. Ubi vero ejuſmodi lingua exteros docenda eſt, diſtinctio vocalium accuratior requiritur, uti v. g. de e, & o, clauſis apertiſque grammatici Itali ſoliciti ſunt. Ita crediderim Eſdræ adhuc temporibus Scripturam Sacram ſine punctis extitiſſe, eundem vero, ut amiſſa vernacula, nihilominus genti Judaicæ clara eſſet, vocales omnes diſtincte expreſſiſſe, ut conſtaret, ubi brevis & clara, aut longa & obſcura vocalis eſſet legenda. Qua ratione vero tædium lectionis, & ſcriptionis difficultatem prolixitatemque ſimul evitando, elegantius id fieri ab Eſdra aut, ſi mavis, ſynedrio magno potuiſſet, quam mediantibus punctis vocalibus, quibus hodienum utimur? Omnino divinum quid huic inventioni ipſi ſubeſſe nullus dubito. Ita itgur ſine rei mutatione & authentias detrimento aut ullius apicis, ſervari potuit primævum idioma ſanctorum Bibliorum, ut intellectu facile eſſet, etiamſi communi uſui demtum. Verum eſt, Deo infinitos modos fuiſſe miraculoſe idem ſervandi. Sed quis neſcit Beningiſſimum Numen ſumma Miracula ſua mediis naturalibus, & rationi pronis ſepe efficere? Ceterum in Hebræo idiomate, plurima magni momenti occurrunt, quæ a Judæis vernacula Hebræa utentibus facile, difficulter vero aut plane non a ſequentibus ea amiſſa percipi potuerunt, quando v. g. verba textuſque repetiti, in uno locorum mutilata quaſi vel abbreviata demtis literis, una, aliquot, aut omnibus, ſolis vocalibus earum ſedes obtinentibus. Talia tum notis breviſſimis atque ingenioſiſſimis notata fuerunt, quas Keri & Ketib communiter appellant. Tantum abeſt ut ſigna illa correctionis eſſe credamus.

§. 14. Ita conciliavimus nobis cum ex utraque parte plurima eaque maximi ponderis argumenta. Ita v. g. ſynagogæ conſuetudinem ob memoriam antiquitatis ſine punctis legendi, credimus. Adeo congruunt nobis antiquiores Tiberienſibus Doctoribus punctorum memoriæ. Adeo Tiberienſibus etiam punctationem poſſumus acceptam referre, licet antea extiterit, ſi modo ejus normam & uſum ex profeſſo, ut ita dicam, docuere, ut Ariſtotelem Inventorem Logices non inepte vocamus, licet ante eum ea diu extiterit. Neque nomina punctorum plurima Chaldica eſſe nobis officit, ſive enim ab Eſdræ ſive a Tiberienſium tempore ea deducas, facile ex ante dictis ejus rei ratio patebit. Sic teſtimonia a Waſmuthio adducta favent nobis potius, quam adverſantur, uti omnia reliqua ejuſdem & aſſeclarum argumenta.

§. 15. Hæc itaque tutiſſime ſentire de charactere me poſſe perſuaſus ſum, quem adeo in explicatione templi immutatum relinquere decrevi, tam quoad literas, quam puncta, potius ignorantiam meam agniturus, quam ipſum incertitudinis inſimulaturus, ſiquidem aliquod impedimentum meditationibus meis repagula ponat. Summo vero gaudio nulla ejuſmodi mihi occurriſſe, omneſque difficultates hactenus extricabiles fuiſſe geſtio, quod ſatis infra demonſtratum iri confido.

§. 16. Quod porro verba integra concernit, in Ezechielis loco nobis ſcrutando, vocabula nulla aut peregrina aut alias cognito ſignificatu deſtituta obviam eunt, ac nihilominus eorum plurima doctoribus & Interpretibus hactenus crucem fixerunt, cum communiter iis competentes ſignificationes hic tribui repugnaverint. Nihil hinc certius concludere poſſum, quam vocabula illa ibidem eſſe terminos technice adhibitos. Ita in reliquis linguis adhuc communi uſui relictis, artium præcipue elegantio-

tiorum res technicæ vocabulis notis, sed singulari significatu expressis insigniuntur. Nempe id ubique locorum obtinet, res artificiales, non adeo frequentes communi conversatione, aut non diu genti allatas, aut ab ea inventas nominibus carere. Imperiti eas descripturi vocabulis notiorum rerum utuntur, aliquam cum iis similitudinem referentes. Artifices eundem morem servant, a similitudine rerum antea cognitarum, novis nomina imponere consueti, eaque inter se magis magisque recipere, donec omnibus contribulibus nota sint. Si ullibi vero, certe hic mos in Architectura Civili ante omnia conspicuus est, re ipsa eum ibi poscente.

§. 17. Concludi igitur abunde potest unde difficultas textus nostri quoad verba oriatur, ubi vocabula technica non a vulgo imposita, sed ab artificibus orta adhiberi nemo negabit, nisi rei ipsius ignarus & contradicendi studio inebriatus, ubi ostenderimus, quam perfecte & antitypi instar Ezechielis templum Architecturam hodienum excultam exprimat. Quid mirum igitur si lexica ignorant ejusmodi voces? Dudum vernacula esse desiit hæc lingua. Jam vero experientia testatur, neminem v. g. Germanum Germanos artificum terminos percipere posse, licet lingua vernacula exprimantur, nisi eos expressa ab iis edoctus fuerit.

§. 18. Neque tamen hæc difficultas ab instituto me deterrere valuit. Quin videbam Architecturæ gnarum Germanum terminos Architectonicos Italicos nunquam antea auditos, nec lexico expressos, modo cæterum linguam calleat, ex contextu posse infallibiliter colligere. Cum igitur descriptionem tam exquisite architectonicam, hic mihi rimandam sumserim, cur non idem obtinendi spes superfit? Neque etiam me fefellit, quosque in Villalpando, quo cum paria sentio, reperire explicatos aut rite explicatos non potui hujus observationis beneficio non adeo male forsan adsequtus sum. Nimirum in dictionariis & alibi qua potui evolutis omnibus significationibus, deinde circumstantias textus & Architecturam consului, comparatis inter se his omnibus verum vocis sensum demum conclusi. Neque adeo male me elegisse, ubi ad sequentia progressum, in eventu reperi, magna quidem cum lætitia & veri securitate. In qua melius confirmandus periculum feci, num in reliquis textibus, eadem explicatio succederet, de eadem re loquentibus. Et comprobabit pars II. neque hic unquam ullum mihi dubium aut impedimentum ortum fuisse, ut satis persuasus sim indubiam viam hoc loco selectam fuisse. Restat igitur ut de distinctionum, totorumque contextuum difficultate loquar.

§. 19. Distinctiones contextuum, versuum &c. apud Hebræos ope punctorum accentualium exprimi Buxtorfius & Wasmuthius cum asseclis statuunt. Gemina vero difficultas sententiam premit. 1. Quod a pluribus Auctoribus præcipue vero sectatoribus Capelli rejiciantur, tanquam monstrosa, inutilia & nova hominum commenta. 2. quod negari non possit diu ignoratum eorum usum fuisse, ac per consequens dubiam reddi hodiernam de iis doctrinam. Utrique illi satisfacere operose satagunt. *De Accentualibus punctis Auctorum sententiæ.*

§. 20. Quamvis itaque argumentis eorum convincar, accentus cum vocalibus punctis paria sibi incunabula vindicare posse, neque etiam penitus negem eorum usum distinctivum esse, nihilominus dubito an revera & per se ministerium eorum sensuum distinctivum sit. *Sententia media.*

§. 21. Celeberrimus Wasmuthius eorum leges distinguendi sensus Sacræ Scripturæ ita in Instit. Meth. Accent. se instituisse contendit, ut cuivis versui Biblico, si accentus deficiant, ductu regularum suarum a priori eosdem restitui pronum sit, ut cum eis penitus & figura & valore ac positu conveniant, qui ipsi antiquitus competunt. Quod si præstiterit vir de literatura Orientali meritissimus, quem non pudebit de veritate sententiæ ejus dubitasse? Quis non summos honores ejus manibus omni tempore decernat? Vereor ne sancti cognomen aliunde ei imponatur. Verum nescio an non felicitas eadem adhuc expectet accentuationem laboriosissimi viri, quæ Canoni ejus Chronologico accidit. Præsupponit ad accentuationem, sciri constructiones verborum & regimina. His vero præsuppositis, inductione aliqua regulas suas conciliare ex sacris literis potuit. Hoc vero, si accentuare a priori est, parum quidem præsidii exinde veritati sententiæ accedet. *Dubia quædam circa Wasmuthii sententiam.*

§. 22. Quoniam igitur Wasmuthius accentuationis suæ certitudinem demonstrare nisi inductione non potest difficiles partes subiit, faciles vero adversarius, qui unieo modo instantia in contrarium offerenda opus habet. Quid si igitur hanc afferamus?

§. 23. Exech. cap. 40. v. 5. legimus: calamus mensuræ sex cubitorum in cubito & palmi.

vel ita distinguenda ┬ verba sunt

Calamus mensuræ // sex cubitorum in cubito ‌ I & palmi III.
vel ita. Calamus mensuræ // sex cubitorum I in cubito / & palmi III
Illa ratione dicitur Calamum continuisse sex cubitos & insuper palmum, quod aliis locis expresse negat Scriptura. Sed eam rationem distinguendi, sacrarum literarum accentus important. Posteriori ratione, calamum habuisse, *6*. Cubitos & in quolibet cubito palmum, sive *6*. cubitos communem palmo superantes, sed punctatio accentualis S. Scripturæ adversatur, si quidem accentuum munus sit, distinguere sensus. Ergo aut erronee positi in S. Scriptura accentus sunt, aut alius eorum usus est. Hoc argumentum si non evidentia, vi tamen & certitudine Mathematica pollere firmiter persuasus sum.

§. 24. Neque meum hoc tantummodo, sed aliorum etiam aliqua argumenta urgent ad deserendam tanta auctoritate pollentem Buxtorffii Wasmuthiique sententiam, postquam iis responderunt quidem, nondum tamen, ut attentus iis adquiescere animus possit. Unum modo, aut alterum fortasse proponam.

§. 25. Arguitur accentuatio falsitatis exinde; *quia in locis quibusdam novi testamenti, ex veteri allegatis, alia in Græco, alia in Hebræo habetur interpunctio*: Respondet Wasmuthius instantiam dando, quasi exinde absurde sequatur, integris etiam verbis derogandam fidem esse, imo phrasibus integris ob eandem rationem: *ita v. g. Act. 13. 41. D. Paulus in Orat. ad Antiochenos allegat hæc verba ex Habac. 1. v. 5.* ἴδετε κατὰ φρονηταὶ, *videte contemptores &c. cum tamen ibid. in Hebræo legatur* בגוים *inter gentes*. Hanc vero allegationem putat esse libertatem, qua Apostoli usi fuerint, deteriorem τῶν LXX. versionem citantes, quia in manibus eorum erat, ad quos loquebatur.

§. *26*. At non Antiochenis solum habenda illa oratio erat, sed omnibus gentibus porro scripto Canonico communicanda, quibus aliæ aliæque versiones in manibus erant. Qua ratione præter opinionem pius Wasmuthius maledicis in s. scripturam cavillandi occasionem aperit. Malim igitur dicere non juxta verba, sed juxta verum verborum sensum loqui Novum testamentum talibus in exemplis, & si ex τοῖς LXX. fiat, nam propriis quoque verbis nonnunquam ita loquitur, uti Rom. *9*. v. 33. Col. 3. Jer. 28. 18. versionis ibi loci veritatem sancte confirmari. Confirmat sententiam meam, quod nullus eorum locorum, quos Wasmuthius & Buxtorffius adducunt, ipsi reclamet.

§. 27. Sed age demus libertatem suam Wasmuthio nostro. *Continuo* urget, *quid igitur mirum sit, si eadem libertate etiam ab interpunctione Hebræa vet. Testam. aliquando recedant allegata Novi testamenti? non enim tam diserte semper in iis* τὸ ῥητὸν *locorum veteris testamenti, quam potius intentio & scopus saltem alicujus contextus, interdum observatur*. Sed quod pace gloriæ auctoritatisque viro maximo debitæ, jubente veritate dixerim, distinctiones alicujus textus mutare, sensu atque intentione ejusdem permanente, vix possibile erit, licet facillime fiat in verborum mutatione. Qua igitur ratione eadem in uno quæ in altero libertas est? Ceterum videtur omnino male Wasmuthium habuisse argumentum istud, ita plane alius in hisce responsionibus quam in reliquis est.

Conjectura, de ortu & usu Accentuum.

§. 28. Hæ aliæque plures rationes, quas brevitatis ergo prætereo conjecturam sequentem mihi insinuant, ab Esdra quidem aut synedrio magno appositos fuisse accentus distinctionis, sed alius ergo, quam ad sensuum intellectionem per se pertinet. Qualis fortasse ad pronuntiationis variam modulationem conducat, unde sane per accidens ipsius sensus intellectio sequitur, unde mirum non est, si idem tenor eorum in locis similibus est, quod consequentia non satis firma pro sua sententia urget sæpe laudatus Wasm. Vind. P. 1. p. 151. Nam licet pluribus distinctionibus opus esse videatur in lingua Hebræa, ob regimina aliasque difficultates linguis Orientalibus proprias, quam in Græca aut Latina: nimis tamen prolixa, variegata, Anomalica, difficilis, ac denique copistarum inadvertentiæ obnoxia esse videtur ea per accentus distinguendi ratio. Itaque usum propiora Esdræ tempora, aut Judæorum ritus, aut quid simile iis proprium singulariter respexisse crediderim. Neque probabile est per Divinam benignitatem, quæ verbum suum adeo purum ad nos transmisit, tamdiu latere si non penitus interire potuisse, rem tanti momenti pro beatificæ Scripturæ intellectione. Habet hoc arg. Wasm. Vind. P. II. p. 352. Nescio autem cur non ipsi respondeat, sed potius varia scripta hodierna de Accentuatione producat, ostendendo quantum ea infra dignitatem sui partus posita sint.

§. 29. Hisce rationibus motus ab accentibus plane abstinui, idque tuto potui, eos interea impuris manibus non contrectandos, inerudita mente non depravandos & in adversos ipsis fines detorquendos esse ingenue persuasus.

§. 30.

§. 30. Denique igitur ita omnibus probe consideratis, sequenti methodo sensus locorum explicandorum penetrare laboravi, primo textum Fontis evolvi, celebriores hinc versiones consului atque apposui, porro alia loca conquisivi parallela, eaque cum proposito comparavi, rationes tandem, sed caute & non nisi ex primis principiis non longa genealogia natas, atque ultimo Architecturam civilem, cujus hic egregiam probandi vim esse, in processu jugiter demonstrabo, in auxilium advocavi, atque id principium concludendo sequutus sum. *Eam interpretationem hic loci indubiam esse, quæ nullam vocum originalium significationi, literis & vocalibus vim inferendo, omnibus locis parallelis facillime congruit & sine contorsione, simulque sanæ rationi, dignitati operis describendi Divini, & Architecturæ scientificæ adversa non est sed consona.* Quo obtento restat ut hac parte I. de Architectura agam.

Methodus hujusce tractatus circa locorum sacrorum interpretamenta observata.

CAPUT VII.

De Architectura Civili, tanquam altero disquisitionis nostræ fonte.

§. I.

NEmo nisi Architecturæ peritus ædificii alicujus descriptionem, præcipue nudis verbis efficere valet; multo minus autem ejusmodi descriptionem nudis verbis conceptam percipere. Nostrum igitur cursurus stadium, carere Architectura nequit, quia prolixissimorum ædificiorum historiam & delineationem legemus.

§. 2. Neque vero superficiaria tantum Architecturæ cognitione opus habemus. Profundissima & intima scientiæ ejus, Ordines, superliminaria, Columnationes, Arcuationes & similia probe noverit necesse est, qui præstare quidquam in explicanda ultima visione Ezechielis cupit. Ibi enim ædificium offendimus, ubi omnia ejusmodi ornamenta Architectonica occurrunt. Invenimus ibi elegantissima propylæa, vestibula, porticus &c. Quæ pulcherrimæ Architectis habentur regulæ, summa atque inaudita perfectione hic adhibentur. Sic aperturarum altitudo, latitudini parietis sui æqualis, latitudo vero hujus dupla observatur, subdialia spatia & turres exacte quadrata, ædificia rectangula ita sunt, ut longitudo latitudinis dupla sit. Conclavia cubica, i. e. quorum longitudini æquentur & altitudo & latitudo. Sic sanctissimum 20. cub. altum 20. latum 20. longum est. Sic thalami portarum; Conclavia majora, Exedræ, cœnacula iisque conformia, longitudinem latitudinis triplam, altitudinis duplam, uti domus templi 60. cub. longa, 20. lata, 30. alta, vel latitudinis duplam; & altitudinem dimidiam summæ ex longitudine & latitudine continent, uti sanctum 40. Cub. longum 20. lat. 30. altum est. Universum templum describendum esset, si omnia recensere velimus. Adeoque omnes fere lineas Partis II. ejusmodi elegantias mirari videbimus.

Exacta Architecturæ cognitio requiritur ad rem præsentem.

§. 3. Sed nondum sufficit Vitruvium, aut recentiores, Vignolam, Scamozzium & ejusmodi celebres Architectonicos ad unguem nosse. Impedivit hoc ipsum non parum Villalpandum, quod auctoritati eorum nimis nonnunquam tribuerit. Sed ab iis ulterius progrediendum, cumque sub Artis modo forma Architecturam propinaverint, ad scientiam constituendam annitendum est. Nihil admittendum, nisi demonstrative constet, nullam subesse imperfectionem. Norma examinis hujus infallibilis sunt, Natura, Doctrina Proportionum & Harmoniarum, atque Antiquitatis auctoritas, consentientes. Præcipue proportionum ratio habenda est. Natura autem architecturæ fundamentum primum est, ita insuper hic docet, nihil divinum habendum esse, ubi non facilitas & Majestas in una sede morantur: Ita indubie imperfectum in Architectura est, quicquid elegantibus rationibus aut proportione destituitur. Hoc per se clarum confirmabit S. Architectus in Ezechiele, quando nullam mensuram exprimet, quæ non simplex, integris numeris & maximam partem simplicibus constans, & ad mensuras mensurati ejusdem reliquas egregie proportionata sit. Ab his igitur regulis, quas toties ignorarunt, toties neglexerunt difficultate deterriti, Architecti antea recensiti, minime tamen omnium Scamozzius, nullo impedimento nullo labore motus, nil quidquam discedendum esse censui.

Non sufficiunt Architectorum hactenus edita dogmata.

§. 4. Inde pro viribus difficillimam viam secutus, cum gaudio tamen expertus sum, in hoc ædificio eam non difficulter obtineri, licet in humanis inventionibus fere supra humanas vires esse videatur. Nimirum hæc ipsa via perfecte in hoc ædificio tanquam in divina idea expressa est, non igitur de novo calcanda, sed potius hinc invenienda, quod ii efficiendi spem habent, qui modo inibi eam latere

norunt. Hinc testari possum, huic ipsi meditationi multo plus in studio Architectonico, quam omnibus scriptis Architectonicis me debere.

§. 5. Interim in ipsa descriptione, quantum fieri potuit, architectonicis terminis & definitionibus abstinui, calculos etiam, præter facillimos omnes omisi, prolixiori ea operi relinquens, quo ab iis etiam intelligi possem, quibus harum rerum cognitio nulla est.



SECTIO II.

Qua Templum juxta Ezechielis visionem ordine describitur.

CAPUT PRIMUM.

De Calami mensuræ vera divisione.

§. I.

CAlamus mensuræ definitur, tamquam universalis templi mensura cap. 40. v. 5. Quod fuerit שש אמות באמה וטח. *6. Cubitorum in Cubito & palmo*, juxta Coccejum & alios plures. Pagninus legit *& palmi*. LXX. etiam Interpr. καὶ σπιθαμῆς, Luth. 6. Ellen und eine legliche Elle war einer Handbreit langer / als die gemeine Elle. Lat. Vulg. 6. *Cubitorum & palmo*. Omnes adeo versiones fere diversum loquuntur: quænam igitur vera, quæque juxta fontem ipsum juxta Calami mensura sit, disquirendum. Villalpandus quidem genitivo palmi in aliorum versionibus motus, definit Calamum 6. Cubitis & uno insuper palmo. Malo tamen pro Germ. versione stare.

§. 2. Argumenta sententiam meam defendentia hæc sunt.

I. v. 7. cap. hujus Talami definiuntur, calamo quoad longitudinem & latitudinem: vers. 12. eidem 6. cub. mensura exprimuntur. Si dicas numerum rotundum accipi tantum, aut diversas mensuras exprimi, facile exceptionis levitatem ostendam si opus sit, sed eam tollit Argumentum.

II. Dum dicuntur gazophylacia circa templum aut potius interiora penetralia fuisse alta 6. Cubitos מלו הקנה pleno calamo: c. 41. v. 8.

III. Expresse cap. 43. v. 13. consentientibus cum fonte omnibus versionibus, dicitur Cubitum continuisse cubitum vulgarem & palmum insuper.

§. 3. Calamus Villalpandi plane ineptus est, ad sacram hanc Architecturam, quæ, uti in expressis, ita proculdubio in reliquis mensuris omnibus simplicitatem summam, amavit, difficultatem vero & fractiones abhorruit: rationes selectas & harmonicas tantum potissimas ubique adhibuit, ideo nihil admittens quod non ad reliqua ejusmodi ratione gauderet. Improportionatum enim simul imperfectum esse, quotidie a natura ipsa docemur, ergo & Deo indignum qui nostri ædificii Architectus est. Sic extremus ambitus totius areæ, cui templum institit definitur, uti sequenti capite videbimus 500. Calamis quovis latere, Templum vero quovis laterum suorum totidem cubitos continebat, quod elegantissimum est & Villalpando etiam acceptum. Sed si resolvimus Villalpandi calamos elegantia perit. Nam provenient $3083\frac{8}{3}$ Cubiti. Sed num hic numerus Dei Architectura dignus est? qui non solum numero difficillimo sed etiam fracto absolvitur, & ne minimam versus 500. cub. templi rationem habet? Ubi præterire non possum, quod Villalpandus Lib. IV. cap. 75. p. 389. Cubito 6. Palmos adscribat Lib. III. cap. 17. p. 184. tantum 4. quæ inter se conciliare non possum; hic vero ita loquitur: *Hanc* igitur (nempe extimam) *ædis frontem* (500. cub.) *quæ eadem fuit in quolibet latere quadrato, partitus est Architectus in æquas partes numero 80. Quoniam ipsa columnarum constitutio totidem exigebat, atque earum unam* ($6\frac{1}{4}$ cub.) *quam Vitruvius dixisset modulum, calamum mensuræ vocavit Hebræa Phrasis*. Ibi vero inquit: *Pro palmo est in fonte* זרת *& apud LXX.* σπιθαμὴ *h. e. palmus major, qui continet ternos palmos, scilicet digitos duodenos, hoc est semicubitus*. Cæterum observat Villalpandus 16. calamos 100. cubitis suis commensurari, quo valde gaudet, cum tamen nulla inter 16. & 100. proportio sit.

§. 4.

§. 4. Ergo satis constabit Calamum meliori Jure 6. exacte cubitis commensurari sed majoribus, ita ut quilibet vulgarem cubitum palmo superet, minori quidem scilicet quatuor digitis. Convenit pro sententiæ hujus confirmatione, nobiscum eorum versio qui palmi scribunt. Ita dicimus recte Calamus erat 6. Cubitorum, in cubito & palmi, h. e. & in cubito vel in cubito insuper quolibet erat palmi, adeoque juxta quod erat 6. cubitorum, erat etiam palmi sexies sumti. Altera ratione convenienter pronunciamus, Calamum esse 6. Cubitorum, in cubito & palmo contentorum scilicet *cubitum & palmum habentium* vid. Coccejus in cap. 40. v. 5. not. 7. Quid si vero Latinus Interpres vulgatæ, in complete versum exprimere, & tamen tacite pro altera sententia se declarare voluisset, dativum & palmo cum genitivo cubitorum conjunxisset? Mera hæc conjectura est, id tamen certum quod neque hanc versionem pro se citare Villalpandus possit.

§. 5. Ulteriorem Cubiti subdivisionem S. Architectus nullam indicat, nec etiam pro ichnographia, quod mireris subtiliore opus habemus quam ad minimum in quatuor partes pro scalis. Si vero ad Architecturam ipsam accuratius designandam progredimur, subtilissima utique quærenda est. Secundum vulgarem usum, divideremus in 7. palmos, & palmum in quatuor digitos facit 28. hos vero singulos in 10. aut 12. particulas; inde 280. hinc 336. proveniunt. Sed omnes hi numeri videntur ad rationis & perfectionis architecturæ nostræ dignitatem non pertingere. Itaque aliquorum hodierna ratione pedem in quatuor subdividimus partes, & quamlibet ulterius in quatuor, ut pedi 4. palmi minimi, quales 4. digiti circa medias flexuras constituunt, apte tribuantur. Igitur cubitus 32. digitos includet. Jam addamus pro cubito sacro palmum, oriuntur 36. digiti. Quolibet horum diviso in 10. particulas subtilissime cubitum in 360. partes distinctum obtinemus; Hic numerus per omnes simplices divisibilis est, excepto septenario, qui uti ad elegantes rationes constituendas ineptus, ita ex nostra architectura plane omissus est. Aut verius juxta rem ipsam ponamus, quod Rabbini volunt, Cubitum communem quinque palmos continuisse, addito palmo cubitus ad calamum erit, uti palmus ad cubitum. Jam palmus communiter 4. digitos, aut 3. pollices continet. Pollicem vero dividamus bifariam. Habebit palmus iterum 6. partes. Denique partem quamlibet subdividamus in 10. partes, proveniunt iterum 360. particulæ. Quem numerum si non verum esse credam, hoc tamen certum habeo, pro Architectura perfectiorem & elegantiorem excogitari non posse.

CAPUT II.

Generalem Templi cum ædificiis atque atriis suis dispositionem declarans.

§. I.

UT facilius omnes sequentia intelligere possint, ante omnia figuras additas explicabo, quas deinde B. Lectorem rogo, ut toti continuo jungat; qua ratione spero hanc simplicem delineationem plus lucis allaturam esse dictis meis, quam perfectæ plantæ Architectonicæ possent, quæ vix nisi ab Architecturæ gnaris sint percipiendæ.

§. 2. Nimirum extructum fuit templum in monte Hierosolymorum altissimo Moria dicto in extremo urbis versus orientem sito, & ex lateribus Orientali, Meridiano & Septentrionali prærupto. Super hunc, vid. Fig. 2. spatium accurate quadratum A B C D definitur, muro undique cinctum, qui diversis partibus constans, ordine distinctus pilis erat inter quos murus minus crassus interjacebat. Pilæ formam perfecte Cubicam, qualem tesseræ lusoriæ, habebant. Hunc murum 6. cub. altum totidem latum mensus est S. Architectus c. 40. v. 5. totus vero hujus spatii Circuitus 12000. cub. s. 2000. Calamos comprehendebat, quodvis adeo latos 500. Calamos vel 3000. cubitos. Cap. 42. v. 15. usque ad fin. In Judæorum gratiam liceat aliquid hic fingere, nempe ex spatio hoc resecamus in medio aliud spatium quadratum, 12. *scalis* s. Cubitis elatius, singulis lateribus 1000. Cubitos continens, ut adeo exterius spatium ceterum ad libellam exactissime complanatum, 1000. Cubitos undique latum, fuerit, 8. spatia quadrata 1000. Cubitorum comprehendens. Exterius spatium ABCD vocabimus atrium gentium cui ædificia imponere uti non necessarium est, ita propter gentium multitudinem ibi colligendarum ne quidem convenienter fieri potest.

poteſt. E medio quadrato E F G ex ipſa rei veritate in ſequentibus demonſtranda, ipſi medium aliud reſecamus H I K L 500. cub. latera habens undique. Adeo reſtat circa illud ſpatium 250. Cub. latum. Hoc exterius cingerem peribolo extrinſecus 6. intrinſecus 3. Cubitos alto, cujus pilis juxta portas lex Caſtimoniæ, & alia Gentibus acceſſum prohibens inſcriberetur. Spatium autem ipſum Mulierum atrium vocaretur, & in medio relictis utrinque 100. Cubitis porticu cingeretur 50. Cub. lata & ad ſimilitudinem Herodianæ qualis a Joſepho deſcribitur extructa. Hæc juxta proportiones, quas ex hoc Ædificio templi deduximus, fingere lubuit. Progredimur ad intimum quadratum vere juxta S. Scripturæ oſtenſionem diſtribuendum. Quadratum hoc H I K L (jam Fig. 3. inſpicienda) elevamus 2. Cubitis, & exinde porro, a medio lateris Occidentalis incipiendo, ſeparamus rectangulum M N O P, verſus orientem 350. Cub. longum & 200. latum, idque ulterius 2½. Cubitis elevamus. Hoc altiſſimum ſpatium templo & ſacerdotibus tribuendum, ſanctiſſimum eſt, quo neque Levitis, neque reliquis viris Iſraelitis venire licebat, niſi holocauſta offerentibus. Quod circumjacet ſpatium viris Iſraelitis accedere fas erat. Hoc in circuitu 7. atria habebat, a b c d, e f g h, i k l o, m n O p, P q r s, t u w x, & y z α β. ſingula 100. cubitos longa & lata, interius ſpatio ſancto contigua, exterius vero contiguis ædificiis V H k I K r L α. cincta quorum omnium latitudo ſeu profunditas V. H, (uti hic loquimur) erat 50. Cubitorum. Inter ſe quoque diſtinguebantur atria ædificiis v g. v a d N & b e h e ſibi longitudine æqualibus latitudine vero 50. pariter Cubitorum. Omnia hæc ædificia tres contignationes ad tectum uſque continebant, ſimul 50. Cubitos altas, non computata ſubſtructione, quæ quaſi triplex, & verſus inferiora craſſior facta tota extra ædificia, e terra 10. Cubitis prominebat, in atriis ſuperiores duæ partes, altitudine 7:½ & ſuprema tantum alt. 5. Cub. ornataque inferius ſuperiuſque ad modum Stylobatæ in interiori atrio eminebat. Unde per gradus ab atrio ad atrium adſcendendum erat. Inter ædificia autem cingentia, quovis in latere atriorum tria rectangula erant 100. Cub. longa & 50. lata. Inter hæc quod reliquum ſpatii erat, turres exacte 50. Cub. lati & longi explebant. Medium ædificium porta (1234.) pervium in ſingulis tribus lateribus erat, juxta profunditatem ædificii 50. Cub. profunda aut longa, & 25. lata. Ante has eadem latitudine exterius & interius veſtibula, ſ. propylæa, aut porticus liberis columnis ſuffultæ erant, (1265. & 3487.) in egregiam ædificii magnificentiam.

§. 3. Reliquum utrinque juxta portas ſpatium, conclavia 6. hinc & 6. inde cum interjacentibus ambulacris explebant. Turres, quæ ſolo tecto prominebant, interius quaſi quadratas exedras comprehendebant, in ſingulis contignationibus undique ſemicolumnis ornatas, mediæque in iis aſcendebant ſcalæ principales; nam pro parvis, ubique neceſſariis magno numero, ne viderentur craſſi muri, uti etiam pro caminis & receſſibus ſuppetebant. Reliqua duo ædificia in ſuperioribus contignationibus conclavia ſecundum longa latera contigua habebant, inter quæ ambulacrum erat. Inferior vero contignatio uno Oeco vel Porticu completa, undique ad parietes dimidias columnas & in medio duplicem ſeriem liberarum, conclavium ſuperiorum parietibus ſubſtratarum habebat. Verſus exteriora octo feneſtris tantum ſed 3. Cub. latis 6. altis, verſus atrium vero arcubus totidem 8. Cub. latis & 16. altis patebat. Denique ædificia quæ atria diſtinguebant his ſimillima erant, niſi quod utrinque inferior contignatio arcubus patebat. Hæ tot tantæque, tamque magnificæ porticui erant neceſſariæ, ut ibi præſertim feſtorum tempore immani numero colligendus populus commode commoraretur.

§. 4. Hæc ædificia undique columnas habebant in inferiori contignatione quidem tam craſſas ut 3. robuſti viri amplectendis iis vix ſufficerent, inter eas vero partim totas & libere conſiſtentes partim dimidias ac parietinas, in media minores, & his iterum minores in tertia erant, ut ſibi commode & firmiter imponerentur. Inter has liberæ erant 418. reliquæ numero 1486. parietinæ erant, ut in atriorum exteriorum ædificiis adeo 1904. columnæ numerarentur. Rectangulum Medium M N O P diſtinguimus in duas partes M N c Z Rectangulam, & Z c O P. Quadratam.

§. 5. Hujus tria latera, Sept. ſcilicet Orient. & Meridian. ſepta erant ædificiis, exterioribus æqualibus, & quidem turribus quadratis quatuor 50. undique Cub. latis, ædificiis vero rectangulis 100. Cub. longis, & 50. profundis. Turres binæ occidentales o h ♂ ♀, & ♄ ☾ t Z per tres contignationes tot exedras quadratas continebant. Sed reliquæ duæ Orientales g O m ♃ & ⊙ p P u. ſcalas continebant, quas ut illuminatæ ſint, aliter niſi magnificentiſſima ratione hac effingere non poſſumus. In mediis turribus nempe atriola quadrata conſtituimus, muro ſuo cincta, quæ in-

cidente

cidente ſuperius lumine fruuntur, murum autem undique feneſtellis in medio ſibi invicem ſuper impoſitis pluribus perforamus. Exterior vero murus ex quatuor plagis oſtia recipit quibus feneſtellæ oppoſitæ ſunt. Inter utrumque vero murum ſcalæ, intermixtis tam in medio, quam in angulo quovis, ſpatiis ad quietem, ordinantur, ut adeo 8. ſcalæ & 8. ſpatia circumferentiam abſolvant. Has ſcalas quadruplices facere poſſumus, ita ut quælibet a proprio oſtio incipiens, ad duas quaſi proprias contignationes adſcendat, ita ut diverſis ſcalis adſcendentes quoque diverſa loca petant, & ſibi invicem ne viſu quidem occurrant. Ædificia tria interjacentia portis in medio pervia, ab exterioribus oppoſitis nihil niſi eo differunt, quod interiori veſtibulo careant, & ex utroque latere tantum 4. conclavia habeant, cruciformi ambulcro & verſus atrium interius aperto diſtincta. Hæc ædificia atrium includunt, ♀ ♃ ☉ ♄ 150. Cub. longum & 100. latum, a quo per peribolum modo diviſum occidentale, longum 100. Cub. profundum 50. Altare magnum, cum vaſis ſubdialibus templi continet.

CAPUT III.

De Portis Exterioribus.

§. I.

TRes porteæ exteriores exaſſe ſimiles fuerunt, & ex deſcriptione, omnium trium tantum unicam delineationem effingere opus ſit vid. cap. 40. v. 21. uſque 27. Ipſam vero portarum cognitionem unice ad diſpoſitionem Architecturæ, per totum opus ſatis ſpecialiter pertinere & ſufficere ea præſertim hic monere eos volui, qui Architecturam penitius ſcire deſiderant. vid. Fig. IV.

I. De Veſtibulis.

Ante ſingulas portas tam extrinſecus quam intrinſecus pono propylæa vel porticus apertas, parietibus carentes liberiſque columnis ſuffultas, & quidem juxta portarum latitudinem 25. Cubitos latas, & columnis quatuor in medio duplo pluſquam utrinque diſtantibus fundatas. VII. VIII. III. IV. & V. VI. II. I. Ejuſmodi veſtibula Villalpandi Architecturæ diſpoſitio penitus reſpuit unde etiam, illa tanquam Scripturæ S. contraria rejicit, igitur adſtruenda erunt veſtibula mea, quo ipſo Villalpandi ruunt opiniones.

§. 2. Antea autem de veſtibulis in genere agendum erit. Nimirum alia erant veſtibula ante templa & publicorum ædificiorum aliorum portas, alia in ædibus privatis, illa potius Propylæa vocanda ſunt ſupra a nobis deſcripta. Hæc vero alia iterum a Græcis alia a Romanis fiebant. Utraque intra ædificium erant, ſed Romanis magis ſpatioſum; Græcorum intra duas januas ſpatium occupabat. Sed apud Romanos anterior janua quaſi cum toto pariete reſecta erat, ut eo magis pateret. Unde Vitruvius ea ante januam poſita dicens, facile ſed male intelligi poteſt, quaſi veſtibula Romanorum extra ædificium conſtituta fuiſſent, quem errorem Villalpandus quoque erravit unde poſterioris generis veſtibula, ſolum Græcis ædificiis & quidem in genere, prioris Romanis adſcribit, cum tamen utrumque genus utrique genti in uſu fuerit. Jam vero dicit ſe poſterioris generis malle uſurpare, quia Græcos ex noſtro templo architecturam didiciſſe probabile ſit. Quod, uti non dicturus, nec veſtibulum privatarum ædium tam magnifico ædificio tributurus fuiſſet, ſi recte Vitruvium obſcuriſſimum percepiſſet, ita alias ne quidem ſuccedit. Nam ſi Græco more veſtibula hic fecit, tota porticus portæ interior, inter duas januas quippe interjacens, veſtibulum dicenda eſſet. Quare cum hoc per Sacram Scripturam aſſerere non liceat, eo res redit, ut Villalpando revera ipſa janua portæ ſimul quoque veſtibulum dicatur: Quo ſatis Architectonicis argumentis Villalpandi ſententiam infregiſſe videor. Sed ponderoſiora reſtant. Jam enim ex S. Scriptura agendum erit.

Ezech. cap. 40. v. 9. dicitur.

ואלם השער מהבית

Vulg. Veſtibulum autem erat porta intrinſecus. LXX. Καὶ τὰ αἰλάμ τῆς πύλης ἔσωθεν Lu. Und die Hall von inwendig des Thores. Hic videantur, omnia cum Villalpando conſentire & veſtibulum ſtatui, fuiſſe intra portam. Sed intra portam menſuras veſtibuli in-

venire

venire difficile imo impoſſibile eſt, niſi cum Villalpando portam & veſtibulum confundere velimus. Unde prima mihi exoritur de vera interpretatione hujus loci dubitatio.

§. 3. Secundo dicitur veſtibula ante portam meridionalem & ſeptentrionalem fuiſſe, ergo fuerunt etiam ante orientalem, per omnia enim ſimiles erant. v. 22. 26. omnibus interpretibus conſentientibus. Inter hos vero plurimi vertunt ante gradus portæ, Vulgata ante eam ſcilicet portam. LXX. Ἔσωθεν. In fonte לפניהם Ubi quidem plane videre non poſſum unde LXX. intrinſecus ſcribant. Neque illud comprehendere poſſum qua ratione, ad facies vel ante, cum ultra vel intra poſſint συνονύμως dici uti Villalpando videtur ſi vero τὸ ante ad gradus ſpectet, quid juvet Villalpandum ſuum ultra, nam ultra ſcalas & ſimul extra januam veſtibula ponerentur.

§. 4. Tertio adhuc magis expreſſe ante interiores portas exprimuntur veſtibula, & quidem 25. cub. lata uti portæ ipſæ erant, & reſpicere verſus portas exteriores dicuntur, præcipue v. 30. cap. ejuſdem quo quidem nihil clarius eſſe queat. Ergo neceſſario ante portas exteriores etiam veſtibula fuerunt, alias non ſimiles ſibi fuiſſent. Nihilominus contra nititur Villalpandus, ne ſuam Architecturæ diſpoſitionem iterum rejicere cogatur. Hinc ad prius dicit Hebr. vocem אלמות uti fornices ita hic loci poſtes ſignificare, quibus fornices innituntur, id quod ex eo confici videtur, quod hæc vox affinis ſit radici איל & איל quæ poſtem ſignificat vel frontem poſtis. Igitur hic metiri Angelum idem hic, quod ſupra v. 7. inter thalamos cubitis quinque menſus fuerat, poſtes nimirum, quos ſimul nunc dicat 25. Cub. altos. Ad poſterius vero replicat. *Quid hæc verba, Et veſtibulum ejus ad atrium exterius innuant, attentius perpendendum eſt. Cujus rei gratia ſcire oportet, atrium interius, ſeu ſacerdotum duplici quidem ratione ab exteriore Iſraelis diverſum fuiſſe, tum quod illius ſolum ſuper bujus ſolo octonis elevaretur gradibus; tum etiam quod peribolo quodam proprio ſupra prædictam altitudinem ſoli erecto circumdaretur; ita ut ad illud aditus undiquaque intercluderetur, & inacceſſum eſſet atrium, præterquam per portas, quæ omnia ſuis locis confirmanda ſunt. Hoc vero hic aſſumto, veſtibulum portæ interioris ad atrium exterius fuiſſe dicitur, vel reſpexiſſe, quoniam peribolus ille, quem diximus interiorem murum porticus interioris circumdare, atrio interiori tantum aream ſubdialem relinquebat, & porticus omnes, tum atrii exterioris tum interioris, atrio exteriori.*

§. 25. Tam prolixa verba adducere volui, ut Villalpandi genius inde Lectori innoteſceret, & ipſe judicare melius poſſet, an inopinatius & magis anxium effugium ulla ratione excogitari poſſet, ſed & magis aſtutum. Imo an tam minuta & longa ſolicitudine compilatum templum, divinis ſermonibus exprimi credendum ſit. Ut falſum ab eodem aſſeri, taceam, quando poſtes illos, quibus hic, nimiam verbis ſacris vim faciens, columnas addit, 25. cubitis dimenſos dicit, cum intra portam, non niſi poſtes cum columnis & Epiſtylio extent, quæ ſimul vix 24. Cubitos efficiunt.

§. 6. Puto igitur & in genere, & ſimul contra Villalpandum, cui objicere multo plura poſſem, niſi ipſe lubens in tantum virum dicere abſtineam, demonſtraſſe, quod veſtibula fuerint extra portam. Adeoque patebit, a domo juxta fontis verba verſu 9. non poſſe ſignificare portæ intrinſecus, neque etiam verbum auxiliare, *erat* hic admitti poſſe. Sic vero remoto τῷ Erat ex vulgata, ſenſus unanimis & facilis ac convenientiſſimus noſtri loci in promtu erit. Nimirum dicemus:

§. 7. *Et menſus eſt veſtibulum portæ* 8. *Cubitorum &c. &* [menſus eſt etiam] *veſtibulum* (quod erat) *a domo, vel ultra domum, intrinſecus portæ vel ad portam*. Veſtibulum enim intrinſecus etiam portæ exteriori adjacet [1. 2. 6. 5.] ipſa Symmetria cogente, cui opponeretur veſtibulum exterius portæ interioris [3. 4. 7. 8.] quod per ſe admittent Architecturæ gnari, ceterum manifeſte demonſtratu poſſibile. Hæc igitur veſtibula neceſſario ponenda breviſſime & elegantiſſime hoc loco confirmantur. Nec officit, quod menſuræ ipſæ non addantur, uti nec illud, quod ſcalarum numerus portæ orientalis, demum ex reliquis cognoſcatur portis. Nimirum hac ratione miraculoſe ſine verbis dicitur, hæc veſtibula propter Symmetriam & perfectionem domus fieri. Ceterum finem Spiritus S. ſcrutari nolo, in quem ſæpius hoc loco duo ſimilia expreſſurus, ea tantum plenario deſcribat ubi ultimi mentionem facit. Ceterum veſtibula hæc ita demonſtrata, aliam non admittunt formam ulla ratione, quam qua ea adornavimus.

§. 8. Utrinque in veſtibulo hoc, duobus feneſtellis parietem perforamus, quas eleganter, ne feneſtris ſimiles exterius Symmetriam confundant, undique cymatio

tantum

tantum aliquo cingimus, & ita loco tabularum ponimus, quæ alias in ejusmodi loco ornamenti ergo effici & sculpturis vel insignibus & symbolis ornari solent. Hæ fenestræ requiruntur ad scalas cochleares intra murum latentes illustrandas & expresse requiruntur, cap. 40. v. 16. Conf. figuram tituli qua ortho graphice exterioris vestibuli speciem expressi, & Fig. 4.

§. 9. De liminibus & thalamis tractatio prior. Introeuntes portam, limen ejus III. IV. A. B. ex versu 6. cap. nostri metimur 6. Cubitis s. calamo, & inde muros quoque eandem spissitudinem habere videmus. Verum dicitur apud Lu. *Et mensus est limen portæ, quodlibet limen latitudine calami*. Hic difficile est exponere quid innuat repetitio *quodlibet limen*. In fonte legimus: וימד את-סף השער קנה אחד רחב ואת-סף אחד קנה אחד רחב Vulgata. Et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est limen unum calamo uno in latitudine.

LXX. Καὶ διεμέτρησε τὸ αἰλὰμ τῆς πύλης ἴσον τῷ καλάμῳ. Eandem vocem Exod. 12. v. 22. vertunt θύρων. Sed puto rite locum hunc, præsertim ob verbalem reduplicationem fontis, nos explicare posse, *Et mensus est limen tam exterius quam interius Calamo uno*. Nam postem utrumque si demensus fuisset S. Architectus, sine obscuritate adhiberi posset pluralis numerus. Præterea eo quod hic vox adhibeatur, quæ postem significare non facile potest quia etiam pelvim significat, pluralis numerus ejus adhibitus difficultatem summam pareret, porro proxime sequenti 8. versu iterum occurrit eadem vox סף ubi tamen nulla ratio est eam explicandi per postem. Immo si, uti quidam existimant a סוף finiri deducitur, vox dicetur limen ab Hebræis סף eadem ratione, qua limen quibusdam a limes. Denique probabile est limen inferius quoque mensuram subire hic loci, quia versu 6. & 7. Sanctus Architectus breviter videtur totam portam computare, quam deinde per partes quoad minutiora mensurat, nam metitur simul thalamos de quibus iterum deinde prolixius, & spatium inter thalamos quo ipso utique totam portam peragravit. Igitur apparet ædificium hic juxta longiora latera inclusum fuisse muro 6. Cubitorum crassitiei, & rite imo necessario a portarum muris eandem spissitudinem ad omnes ædificiorum muros undique derivamus.

§. 10. Intra portam porro utrinque thalamos videmus, quorum magnitudinem & formam accurate deducere non possumus, nisi egerimus prius de tota latitudine portæ, & deinde de ejusdem Architectura, quare hic breviter tantum de iis agemus, reliqua vero post duo illa capita reservabimus.

§. 11. Nimirum porta undique spissis muris circumdata erat, substructioni suæ insistentibus, quæ post superatos septem gradus hic $7\frac{1}{2}$ tantum cubitis adhuc eminebat. In hac ipsa substructione utrinque tria parva conclavia E. adornata erant, unum accurate in medio consistens, utrinque vero adhuc duo æqualibus dissita intervallis, quæ infra dimetiemur. Murus hic substructionis inter eos 6. cub. crassus erat. Post altitudinem vero duorum cubitorum, decrescit illa spissitudo ut 5. exacte cubitos compleat.

§. 12. Conclavia igitur in hac latentia inferius 6. cubitos longa & lata erant. Sed supra primam substructionis partem, muro utrinque recedente, supra marginem utrinque relictum. $\frac{1}{2}$ Cub. latum, in fig. 4. punctis notatum, poterant Cistæ ut alia in commoditatem sacerdotum comparari utpote qui perpetuo offerentium dona recipiebant, ea deinde Thesaurariis exhibentes. Anterius vero & a tergo Thalamis illis murus præcinctus erat $\frac{1}{2}$ Cub. spissus, & anterior quidem juxta januam etiam fenestellis perforatus erat juxta vers. 16. cap. 40. Hæ fenestræ intus angustiores erant quam exterius. Deinde etiam ex uno thalamo in alterum ingressus patebat, quare in postibus etiam fenestellæ erant. Ex quo satis possit patere quod fenestræ hic per cancellos non possint concipi prout Villalpandus obtinere satagit. Ante fenestras quidem admittere eos possemus sed tum nihilomninus fenestræ adessent. Sed parietem universum ex cancellis constantem loco muri & fenestrarum ejus substituere non licebit. Neque video qua ratione חלינות & חרכים Synonyma esse ex Cant. 2. v. 9. ostendere queat, cum exinde putaverim potius apparere disparitatem eorum. Quibus ultimum pondus accedit, quod versu 22. & 25. vestibula fenestris tribuantur, quæ nulla ratione cancellis competunt. Cum e contra exinde putem clarius deduci posse quid sibi velit v. 16. vox אטמות nimirum uti vestibula ante januas latius patent ipsis januis, ita fenestrarum illarum aperturas exterius patuisse, interius vero constrictas fuisse, ut interior apertura januam, anterior vestibulum aptissime exprimeret. Obturatæ igitur & exterius transeuntium direptæ visui juxta LXX. κρυπταὶ erant fenestræ hæ.

§. 13. Ex medio thalamo commodus erat aditus ad cryptoporticus substructionis, pro recondendis oblationibus vini, olei, linteaminum &c. Ex utrinque adjacentibus ostiolum patebat ad cochleares scalas in mediis muris absconditas, lumine sub vestibulo per fenestellas accepto commodas vid. Fig. 4. Intersectionem ubi remoto muro ex una parte quasi in Thalamos & ad scalas introspicimus, unde fenestræ vestibuli tanquam dissectæ a latere apparent. Ex altera enim parte exteriorem aspectum longioris lateris intra portam ex primo, ut eo melius intelligere possimus, quæ mox sect. 4. dicenda erunt.

III. De Portarum latitudinibus.

Huc præcipue spectant, v. 11. 12. & 13. cum 14. & 15. ad longitudines pertineant, quamvis, etiam in undecimo aliquid has concernens contineatur. Quoad latitudines 12. versus patebit ex sequenti sect. IV. Itaque restant 11. & 13. uterque difficillimus.

V. 11. ostium פתח portæ mensuras subit juxta fontem, juxta LXX. θύρα τῆς πυλῶνος. die thür im thor. juxta Lu. uno verbo circa ipsam januam mensuras quærendas esse omnes consentiunt interpretes. Jam vero si Scripturam Sacram ad delineationes potius jam conceptas applicare velim, quæ methodus Villalpandi fuisse non obscure apparet, quam delineationes demum ex præconfecta [ut ita loquar] illius interpretatione vera deducere; secutus communem hanc interpretum sententiam; facillime me expediverim. Nimirum cum facile omnes concessuri sint limen portæ, uti artifices nostri loquuntur, hoc est apertum portæ spatium non hic intelligi, alias porta latius aperta esset, quam ipsum vestibulum: satis speciose dixero hic latitudinem totius ostii computatis utrinque postibus & superius limine mensurari. Adeo portam aptissime & salva veritate, 8. cub. in lumine & additis utrinque postibus 1. cub. 10. cub. universim latam obtinuero. Jam altitudini luminis portæ 16. cub. tribuerem, postes ejus vero necessario super basi superioris substructionis collocarem. Hæc, ut Architectis demonstrare possum, $1\frac{1}{2}$ cub. pro altitudine requirit. Postes ergo elevarentur ex solo Portæ, ob mediam substructionem $2\frac{1}{2}$ cub. & hanc basin, 4. cubitos. Postes ergo erunt ad summitatem usque ostii 12. cubitos alti. Addatur limen postibus merito altitudine par, habemus 13. cubitos tam facile, tam Architecturæ tum generali tum præcipue sacræ nostræ convenienter. Sed enim doleo a lætitia hac animum non contemnendis scrupulis dejici. 1. Latitudo ostio portæ, longitudo ipsi portæ tribuitur. 2. numerus 13. videtur plane alienus ab hac descriptione esse quippe imperfectissimus. 3. Per universam descriptionem altitudinem ullam portæ alicujus assignari non videbimus, 4. Ordo non admittit, cum jam intra portam mediam versemur, ut ad fores recedamur. Scilicet de veritate hic indipiscenda fere desperaverim. Nihilominus audendum est, ut si erraverim, error mihi ab aliis demonstratus simul veritatem adferat. Spem autem pusillam, aliquam tamen ex numeri expressione mihi abblandiri sentio.

§. 14. Dicitur ארך השער שלוש עשרה אמות omnes versiones unanimi consensu legunt tredecim, uti etiam manifeste 13. redduntur eadem ratione Gen. 17. 25. Sed licebit etiam vertere ter decem, uti Ps. 62. 12. אחת semel & שתים bis significat. Si hoc, sensum mihi non infeliciter rimatus videor. Nam vox פתח quam hic per ostium vertunt, usurpatur etiam, ratione originis suæ generaliter pro apertura. Sic Gen. 38. בפתח עינים in apertura duorum fontium. Et Psalmo CXIX. vers. 130. פתח דבריך Apertio verborum tuorum. Itaque versum nostrum 11. sic exponerem. Et mensus est latitudinem apertionis vel aperturæ intra portam I. K. 10. Cub. & quoad longitudinem ter ejusmodi decem cubitos. vid. Fig. 4. Hactenus vero nihilominus obscurum est, quid hic mensuris exprimatur. At enim non solum evidens fiet sequenti sectione, sed simul ibi non parum confirmabitur.

§. 15. Quod jam attinet ad versum 13. ille non minus anxium me habebit. Spero tamen post interpretationem facillimum fore sensum. Nimirum portæ latitudinem iterum metitur hic S. Architectus מגג התא לגנו a tecto thalami usque ad tectum ejus. Vulg. ἀπὸ τȣ̃ τοίχȣ τȣ̃ θεὲ, ἐπὶ τὸν τοῖχον τȣ̃ θεὲ LXX. Lu. Dach des Gemachs / bitz zu des Thores Dach / Chald. a tecto thalami usque ad tectum ejus. Arabicæ vers. Interpres a muro thaa unius, usque ad parietem thaa alterius. Primo igitur ambiguum hisce est, quid per tectum intelligatur, num tectum stricte dictum, num paries. Secundo perdifficile, quonam referendum sit pronomen *ejus*. Quod expresse ad portam refert Lu. cum hæc explicatio pronissima sit, ad thalamos vero idem referre posse

re posse non videatur, quia mensura inter terminos duos interjacet necessario, atque adeo a termino ad eundem referri non potest. Quam speciosum vero hoc est, tam & hoc in contrarium, quod hac ratione inexplicabilis fit sensus dicti, nam quia intra portam erant thalami, tectum portæ supra eorum tectum ponendum est. Deinde tectum portæ quoad latitudinem includit tectum thalami. Qua ratione igitur latitudo a tecto thalami, ad portæ tectum computabitur? Toti adeo jam laberyntho claudimur, nec tamen ab explicatione desistere fas est. Age igitur recedamus, ab ovo rem auspicemur. In porta versamur. Hic latitudo portæ universa subducenda venit, quod ex capitis hujus v. 21. & 25. patet. Restat ut viam commodam qua id fiat dispiciamus. Circa thalamos illam esse, ex ipsis dictis nostris patet. Sed ecce, quam eleganter totam viam nobis Scriptura Sacra commonstret. Statim sequuntur verba פתח נגר פתח ostio versus ostium, sc. circa thalamos latitudinem mensus est. Hic vero a tecto mensurandi initium sumere non possemus, quia in solo versamur. Imo tectum proprie dictum non habuerunt thalami, sub portæ tecto vel potius lacunari consistentes, sed suum modo laquear. Aliud adeo quod tegat aut muniat intelligendum est, quod licebit, sive primitiva vox sit נך s. a ננך pro tegere deducta. Paries itaque quod tegat s. protegat, hoc nomine venire apte potest. Mensus est igitur Architectus ab extremo thalami pariete L. ad parietem ejus M. Si ab ostio ad ostium mensus fuit a thalami extremo pariete ad oppositi extremum, illud fieri quis dubitet? Sed ille thalamus huic simillimus erat, & quasi idem cum eo. Mensus autem latitudinem hanc 25. cubitos fuit.

§. 16. Primo tectum vel extremum thalami parietem utrinque $\frac{1}{2}$ Cub. thalamum utrinque *6.* Cubitos, anteriorem porro parietem $\frac{1}{2}$ Cub. qui extrinsecus membris substructionis ornatus erat, insuper utrinque $\frac{1}{2}$ Cub. projectos, prout hæc supra audivimus, mox satis demonstranda. Hæc omnia simul conficiunt 15. Cubit. Restat mensuranda interior portæ apertura, quæ 10. Cubitos lata proinde erit. En vero jam semel confirmatam latitudinem IK quam paulo ante deducebamus, hac ipsa sectione. Sufficiant hæc de latitudine, pergimus ad

SECTIO IV.

De Architecturæ dispositione in portis.

HAnc rimabimur ex sequente versu, 14. quem tam speciose Villalpandus ad altitudinem trium simul contignationum distrahit, ut hactenus adversarium ibi neminem habuerit, præter Celeberrimum Coccejum, qui margines loco frontium s. columnarum adhibet, cæterum vero cum Villalpando in explicando textu hoc extra portam exspatiatur, in quo tamen controversia mihi jam cum Villalpando non potest non intercedere. Quare eo distinctius procedendum erit. Dicitur primo hoc versu ויעש את-אילים. Et fecit frontes Vulg. Er machet auch Aercker. Lu. LXX. Interpretes verbalem sensum plane hic relinquunt, quare peculiariter de iis videbimus. *Et fecit* hic proprie intelligi vix posse credo, quia adveniente Propheta totum extitit ædificium. Igitur licebit interpretari, & confecit s computavit *Frontes*. Proprie vocem איל vertunt arietem vel cancrum, deinde projecturam in ædificio, uti Coccejus marginem cui insistunt columnæ parietum, idem hic loci LXX. Interpretes, & alii postes; Lu. Aercker; quæ vox projecturam quoque grandiorem parietis significat, rotunda forma ejus tempore in ædificiis Gothica ratione construi solitam, quales magno numero in templis hodiernis videmus juxta barbaram istam Architecturam extructis. Omnes hæ significationes, columnas intelligi per frontes hic loci, lubenter patiuntur. Neque dubito, hic terminum istum technicum esse, adeoque a vulgari usu, ex fundamento similitudinis alicujus, more Architectis omni tempore familiari ad peculiare Artis instrumentum denotandum adhiberi. Imo eo ipso simul columnarum formam indicari credo, & confirmari, quam iis tribuimus locis quibusdam Libb. Regg. & Paral. permoti. Nam si columnæ nostræ capitulum ornemus more Corynthiorum, inferius duplici serie palmarum, & superius volutis an non hirsutum arietis caput & in helicem convolutis cornubus præditum, satis apte repræsentabit? Cancrum vero adhuc elegantius columnæ referunt attendentibus. Quid vero porro columna est, quam robur, & postis parietem sustinens, nec aliunde quod sciam איל quam ab איל robur, facultas, deducitur. Maneant adeo columnæ rotundæ palmis or-

 natæ,

natæ, quod tot loca nostræ Prophetiæ urgent, scilicet capitula & coronamenta palmis & palmarum cælaturis decora, quarum formam aliqua ratione ex figura 4. cognoscere licebit. Pergimus igitur ad reliqua, ubi porro legimus ששים אמה sexaginta cubitos. Hic Villalpandus existimat exterioris parietis altitudinem adstrui. Verum adhuc in porta sumus. Præcedenti versu latitudo ejus tota supputatur. Proxime sequenti Longitudo indicatur. Sequuntur porro fenestrarum descriptiones intra portam. Qua ratione igitur aut quo jure versum illum medium, misere discurrendo, ad exterius atrium applicemus? sed quomodo intra portam concipere nobis sexaginta illos Columnarum cubitos liceat, videbimus. Nimirum quia latitudo omnis jam exhausta, quia porro de longitudine sermo est, hic ejusmodi quoque suberit fortasse mensura universalis. Ergo aut altitudo, aut longitudo pariter. Sed quis tribuat portæ altitudine 60. cubitorum, quæ modo decem lata est? Ponamus igitur juxta longitudinem portæ consistentes columnas, occupare 60. cubitos. Computus positi veritatem demonstrabit. Hic talis consequitur, vid. Fig. 4. Utrinque murus est 6. cubitos crassus, cui exterius affixæ sunt columnæ dimidiæ, adeo cubitum prodeuntes ex muro, quia totæ columnæ 2. Cubitos spissæ sunt, juxta v. 9. hæc conficiunt una summa 14. cubitos. Sed mox totam portam 50. cubitos longam comperiemus; restat igitur interior longitudo 36. cub. secundum hanc distributi fuere thalami tres, inter quos utrinque ejusdem mensuræ, & eadem distantia columnæ stabant, v. 10. Patet ergo pro inveniendis mediis columnarum harum totum interius spatium dividi debere in tres æquales partes, ut distent columnarum axes ab invicem 12. cubitos. Sic in binis angulis columnæ quartam partem extra parietem conspicientur, quia centrum earum in ipsum angulum cadit. Præter has erunt duæ dimidiæ columnæ. Si a centro utrinque columnis suum cubitum tribuamus, restabunt tria spatia 10. cubitos lata. En ter decem cubitos juxta longitudinem portæ quos superius deduximus, evidentissime comprobatos. Addamus jam columnas vestibulorum. Interius vestibulum, exteriori interioris portæ necessario æquale est, ergo 5. cubitos latum. Hinc subtractis membris a substructione projectis, restant $4\frac{1}{2}$. Hinc incipere vestibuli columna potest, cujus basis in imo $\frac{1}{2}$ cub. procedit. Si jam cubitum subtraham usque ad axem columnæ hæc distabit a centro columnæ parietinæ exacte 3. cubitis, quæ distantia interioris quarta pars est.

§. 17. In exteriori vestibulo columna a parietina columna (quoad axes quod semper subintelligendum) non aliter quam 6. Cubitis distare potest. Nam 4. 5. 7. &c. Cubitorum distantiam Architecturæ hujus perfectio respuit 3. vero non succedunt, quia substructio cui insistunt, in minima latitudine 6. Cubitos lata dicitur v. 7. Imo elegantissime hac ratione columnæ duæ vestibuli a parietinis respondentibus utrinque a se invicem undique æqualiter distant & ita exacte quadrato insistunt. Hac ratione porro scalæ intra vestibulum scitissime & justa symmetria comprehenduntur, uti ex figura patet, ut cum exteriori columnarum linea, ultimus gradus in eadem linea collocetur. Hinc ab extrema columna parietina ad extremam liberam erunt 6. Cubiti, ad quos pro basi accedit $\frac{1}{2}$ Cubitus, ut totam longitudinem habeamus cui columnæ insistunt.

Jam $\frac{1}{2}$ Cub. pro basi.
6. a columna extrema ad parietinam.
1. latitudo vel projectio parietinæ.
6. spissitudo muri.
36. interior portæ longitudo.
6. spissitudo muri interioris.
1. latitudo vel projectio parietinæ.
3. ad extimum columnæ vestibuli.
$\frac{1}{2}$ pro basi.

Summa 60. ab N in O.

Exinde necessaria consequentia deducimus omnes distantias columnarum debere, esse 12. 6. & 3. cubitorum, quod ipsum in designatione tam incredibilem operis universi elegantiam & symmetriam efficit, ut Architecturæ ignaros fascinet, & gnaros leto stupore, extrema cum voluptate compleat. Restant ultima verba textus nostri, omnium difficillima

ואל-איל החצר השער סביב סביב

Montanus. Et ad postem atrii portæ circum. Vulg. Et ad frontem atrium portæ undique per circuitum.

Lu.

Lu. Et ad quemlibet frontem atrium ad postem undique. Chald. Et super frontem atrii portæ per circuitum.

Videtur hic omnis difficultas dependere a voce atrii. Nam proprie hic atrium non significari posse, locum scilicet subdialem parietibus cinctum, nemo, non fatebitur, præsertim si consideret, hæc atria intra portam esse. Ille locus igitur qui voce hac denotatur aut ab ambiendo, unde plurimis nomen atrii Hebraicum derivatur, aut a spatio libero & patente dicetur, aut ab utroque simul. Porro hæc loca, quia ad frontes sunt, nec intra portam totam alius quoque locus suppetit, necessario super thalamos inter duas quasvis columnas constituenda erunt, ea quidem magnitudine, ut ab his & muri spissitudine comprehendi queant. Jam mihi dum ab aliis locus ejusmodi pingatur, certe aliquid interea dicere fas erit. Nimirum terminum hic quoque technicum subolesfacere videor. Si vero licet Architectis nostris aperturam grandem aut portam arcum absolute appellare, tantum quia superius arcuata est, quis durum conceptum esse dixerit, si ejusmodi arcus P. Q. R. hic loci sub voce atrii latere divinet? Equidem commodius aliud quid vix posse hic concipi persuasus sum. Portæ hæ forent 8. cubitos latæ, *16.* altæ *6* $\frac{1}{2}$ profundæ. Satis spatiosæ igitur & apertæ. Sed nec foribus clausæ sunt adeoque liberi accessus & liberi ac sereni quasi aeris. Si חצרים Levit. 25. *39.* & Jes. 42. 11. suburbia denotant, hæ quoque postæ undique majoris portæ quasi suburbia apte referunt. Denique si a חזר ambire derivatur חצר an durior applicatio ad ejusmodi arcum quam ad atrium erit? Collectim sane sumta hæc argumenta aliquid spero evincere poterunt. Ceterum eo magis confirmor in hac sententia, quando video ab Architectura hic omnino ejusmodi arcus suaderi, ac portis etiam mirum quantum magnificentiæ & splendoris ab iisdem adferri.

§. 18. Hæc sufficiant pro explicatione versus hujus, qui tam male habuisse LXX. Interpretes videtur, Villalpandum vero revera male habuit. Illi versum nostrum ita exprimunt, Καὶ τὸ ἄθειον τῦ αἰλὰμ τῆς πύλης ἔξωθεν πήχεις ἄκοσι θεὲμ τῆς πύλης κύκλῳ. Quæ verba codex Sixtianus vertit. *Et sub divo Ælam portæ extrinsecus cubiti viginti Theim portæ per circuitum*. Quæ ipsa versio originali adhuc multo obscurior textu est, quamque ita enunciem. Et (scil. dimensus est, quod verbum in priori versu antecedens, alio hic non præsente, huc referri jure videtur) *atrium postis s. columnæ portæ extrinsecus* (vel posti portæ extrinsecus) *cubitos viginti in circuitu thalamorum portæ*. Sed unde viginti illis nascantur cubiti nondum video, nec qua ratione ad sensum nostri dicti hæc verba quadrare possint: ea sic quidem impune licebit præterire.

§. *19.* Villalpandi explicatio huc redit: *Et dimetiendo declaravit columnationes s. ordines columnarum omnes simul alios esse cubitos sexaginta: & par erat mensura columnarum ordinibus, qui cingebant atrium portæ proximum undique per circuitum.*

Quod primam partem attinet, ex hactenus dictis satis clarum est, quod inter medias portæ mensuras hunc sacro Architecto discursum affingere non liceat, qui plane rem alienam neque huc spectantem continet, quandoquidem aliam rationem non adducit, cur locum de altitudine explicet, quam Rabbinorum consensum, & quia alius locus cui hæc mensura conveniat adduci non possit. Quod alteram partem concernit, ejus explicatio plane inexpectata venit, neque alio robore quam Rabbinorum & Vatabli auctoritate munitur. Vatablus enim cit. Villalp. p. *197. pro Et ad frontem, legit qui modus erat unicuique frontium*. Villalpandus v. *Et par erat mensura frontium*. Quæ ulterius examinanda ad benevolum lectorem transmitto, quia nobis nihil quicquam hæc omnia officere possunt.

V. *De Portarum universa longitudine*.

Eam totam una cum vestibulis invenimus *60.* Cubitorum. Si jam *6* $\frac{1}{2}$ Cubitos anterioris vestibuli & 3 $\frac{1}{2}$ Cubitos interioris subtrahamus, relinquuntur pro reliqua portæ longitudine 50. Cubiti, quæ eadem illa mensura est, ab iisdemque petita terminis, quæ versu cap. nostri 15. exprimitur. Initium enim dimensionis est על פני השערה היאתון ad faciem introitus portæ, id est statim extrinsecus ante portam ab initio liminis, quod cum columnæ parietinæ extremo in eadem jacuit recta linea, adeoque a fine interiori vestibuli exterioris. Terminus mensurationis ad quem est על-לפני אלם השער הפנימי juxta ad faciem vestibuli portæ intimi.

§. 20. Hæc de portis exterioribus paulo prolixius agere oportuit, cum multarum aliarum rerum facilior intellectio hinc pendeat. Progredior itaque ad


CA-

CAPUT IV.

De Atriis Exterioribus tribus.

§. I.

POsteaquam inspeximus portas, pergentes per eas provenimus exterius in Atria splendidissima, singula ante singulas portas sibimet invicem quam simillima, strataque pavimento procul dubio pretioso elegantissimoque. Tota hæc undique ædificiis cincta erant, æqualem cum porta profunditatem nempe 50. Cubitorum sortita, cæterum hac ratione constructa: Primo substructio undique cava erat Cellariis, & crypto porticibus adstructa, quibus lumen extrinsecus per fenestras ordinarium adveniebat & copiosum. Nam ejusmodi receptaculis opus erat ad redditus templi reservandos, qui humidum cellarum subterrestrium non substinebant; qualia sunt materies pro vestimentis, velis, & tapetibus. Sub his procul dubio aliæ erant, profundiores cellæ vino v. g. recondendo aptæ. Hac ratione super hac substructione erat solum ædificiorum elatius portarum solo. Ad quod utrinque supra thalamos prodiens pertingebat. Solum hoc, procul dubio solidissimis fornicibus incumbens, pavimento poterat stratum esse, quo super porticus magnifici & spatiosi utrinque extabant pro recipiendo populo præsertim festorum tempore eo confluxuro. Juxta portas ejusmodi quoque porticus ponit Villalpandus. Quoniam vero inferiora sanctis usibus destinata procul dubio etiam pluribus conclavibus opus habuere & juxta interiores portas, ubi pariter porticus concipit laudatus Auctor, ipsa S. Scriptura testante conclavia fuerint, malumus nimiis porticibus supersedere & juxta portas quoque exteriores conclavia disponere. Illud vero ita fiet, ut semper inter duas columnas conclave unum consistat, una quoque sed spatiosa fenestra illuminandum, ut ex hoc ipso fundamento in ipso statim atrio possint numerari. Age igitur computemus intercolumnia, adeoque conclavia nostra. Undique, prout mox ostendendum est, longa erant ædificia 100. cubitos. Supra demonstravimus columnas quoad centra seu media sua s. axes, aut 3. aut 6. aut 12. Cub. distare debere. Priora bina quidem apta conclavibus non sunt, ultimam ergo distantiam eligamus, jam dividentes 100. per 12. proveniunt intercolumnia 8. 4. Cubitis remanentibus. Hoc quidem commodissime, nam ultima utrinque columna totum pro se spatium poscit ut a proxima angulari columna 3. cubitos distet. Habebimus itaque undique 32. intercolumnia. At enim vero hac ratione in medio ædificiorum B columna erit, utrinque intercolumniis adjacentibus.



Quid hac ratione de portis fiet, quibus mediis columna obstat? Age vero remedium huic rei suppetet. Eximamus intercolumnium B. C. & alterum B A. promoveamus ut medium obtineat, dimidiumque utrinque intercolumnium relinquat. Bene res agitur, diviso intercolumnio A B. restituta res in integrum erit. Porta in medio aperietur, muri ejus cui thalami subsistunt $6\frac{2}{7}$ Cub. crassi ad angulos columnis firmabuntur quorum contra 6. Cub. distant. Hac vero ratione, amisimus Cubiculum in exterioris portæ, aliud in interioris quoque portæ ædificio. Hoc vero est quod volebam, nimirum 30. tantum cubicula restabant juxta vers. 17. adeoque omnia quæ hactenus Architecturæ necessariis regulis ita ducentibus, composui, felicissime cum s. literarum præscriptione conveniunt, licet, neque hisce ad illius, neque illis ad hujus principia cum vi aliqua aut resistentia deducendis opus fuerit.

Nam atrium erat juxta v. 19. מלפני השער *a juxta faciem portæ* adeoque accuratissime incipiendo ubi porta exterior, s. ob situm depressiorem inferior intra vestibulum aut portæ ædificium finitur. לפני החצר הפנימי מחוץ. *Usque ad faciem atrii intimi extrinsecus*, id est ad exteriorem parietem ædificii, quod intimum atrium ambiebat, nam in illud ædificium jam nondum ingressus erat S. Arthitectus, etiam ædificium cum atrio simul res diversissimas uni mensuræ non *subacturus* (ubi obiter notetur

contra

contra Villalpandum quod hæc ædificia ad atrium exterius non pertineant, uti pag. 228. prope finem exiſtimat ;) adeoque metiendo ad occidentem, 100. Cubitos longum, uti etiam metiendo contra Aquilonem הצפון forte a צפן dicitur quia mare quaſi tegebatur Hieroſolymis per montes Ephraim verſus hanc plagam, uti etiam ab Italis tramontana dicitur. LXX. hanc vocem penitus omiſerunt. Neque poſſum accedere ad celeb. Cocceji ſententiam qui & ad Aquilonem de porta aquilonari dictum putat. Nam primo ſeparatim omnes plagas dimetitur ſtudio S. Architectus. Deinde nec admonitione hac, hic loci penitus inexpectata, opus erat, nam peculiariter portæ meridionalis atrium etiam dimetitur, & deinde dicitur ad Septentrionem pares menſuras menſum fuiſſe; uti etiam ex ipſa Symmetria, ſic ut multa alia quæ ideo tacentur, ſatis patet. Exacte igitur quadratum erat atrium, 100. quippe cubitos longum & latum, verſu 18. dicitur : והרצפה אל כתף השערים לעמת ארך השערים הרצפה התחתונה : Lat. vulgat : Et pavimentum in fronte portarum, ſecundum longitudinem portarum erat inferius.

LXX. *Καὶ αἱ στοαὶ κατὰ νώτου τῶν πυλῶν, κατὰ τὸ μῆκος τῶν πυλῶν, τὸ περίστυλον ὑποκάτω.*

Lu. Und es war das höher Pflaſter an den thoren/ ſolang die thore waren/ an den niedrigen Pflaſter.

Chald. Et pavimentum in latere portarum ſecundum longitudinem portarum, pavimentum inferius.

Primo hæc ipſa verba eo me redegerunt, ut per pavimentum intelligerem ſolum cellariorum ſubſtructionis, hac enim ratione poteram dicere, juxta fontem & plurimas verſiones. *Et pavimentum ad latus portarum juxta longitudinem portarum ſc. pavimentum inferius* vel depreſſius. Poſtea vero repetitionem vocis pavimenti præcipue in ſtylo brevitatis adeo ſtudioſiſſimo, ita incaſſum non poſitam eſſe cogitabam, Cum τῷ erat enim conſtructa verba eundem ſenſum, ſive repetatur vox ſ. minus, habebant. Quod ſatis certum me reddebat, aliud verbum hic ſubintelligi debere, & ſimul veſtigia latere, unde illud præ aliis cognoſci queat. Itaque diu penſitata re non probabiliorem potui ſententiam offendere, quam hic thalamorum diſpoſitionis, ultimam latere deſcriptionem. Nam pro ſpatio eorum tam exili intra portam adeo altam, proportionata altitudo adſignanda eſt. Jam vero nullibi ferme altitudines expreſſe intimat Spiritus S. Ubique tamen circumſtantias implicitas obſerves, ubi attentus fueris, ut vel ex Symmetria vel proportione, vel juxta poſitionem aliarum rerum eas concludere poſſis. De thalamorum vero altitudine nullibi neque volam neque veſtigium reperias, niſi hic aliquid deliteſcat. Imo vero ſubintelligamus modo in verſu noſtro, *attingebat*, & acta res erit. Nam ſi pavimentum a latere pavimentum portarum attingere debeat, neceſſario illud fiet, intra ſpatium lateralis ipſius pavimenti thalamos includendo. Quia vero pavimentum portæ inferius eſt, ne reſecentur thalami, ſupra illos prodibit laterale pavimentum, ut portæ pavimentum attingat. Sed porro pavimentum neceſſario erit æquale altitudine ſupremæ ſubſtructionis ſupremæ parti cymatiis ornatæ, quam architecti coronidem vocant, quod hi ipſi ſine probatione agnoſcent. Si enim ea altius eſſet, columnæ ſecarentur. Si depreſſius, Stylobatæ. Patet igitur quod ſupra diximus, ſolum ædificiorum circumjacentium ſupra ſubſtructionem fuiſſe: patet altitudinem thalamorum in figura expreſſam recte ſe habere, quod eo ipſo confirmatur, quod hac ratione thalami *6.* Cub. alti exacte fiant, cubicam adeo formam obtinere apti: patet denique ædificia illa profunda fuiſſe 50. cubitos, quoniam dicitur juxta longitudinem portarum. Ita denique cum fonte etiam omnes verſiones & nobiſcum conſentiunt, ne exceptis LXX. Interpretibus, licet mox voce στοᾶς mox περιστύλου deſignent, quod reliqui pavimentum dicunt. Nam re ipſa tamen nobiſcum conſentiunt, imo maxime omnium convenirent, ſi de interpretationis veritate certi eſſemus.

§. 24. In Atriis hiſce verſus Meridiem & Aquilonem, ante portas interiores utrinque duas menſas lapideas holocauſticas, & in eorundem angulis quaternas populi culinas adſtruimus, de quo inferius loquendi peculiaris & commodior occaſio erit.

CAPUT V.

De Portis Interioribus.

§. I.

EXterioribus portis trans atria recta interius reſpondebant tres aliæ portæ, ipſis, adeoque ſibimet invicem ſimillimæ, niſi quod exterius tantum veſtibula habuerunt, ad quæ gradibus 8. adſcenſus erat, non ab iiſdem tectis, ſed ante ipſa conſtitutis; vid. Fig. 3. Anterius veſtibula hæc aperta erant, ſed extimæ eorum columnæ, commodius hic loci quadratæ, muro connectebantur a latere cum pariete. Inter binas columnas laterales utrinque, conſiſtebat menſa holocauſtorum, & alia ad utrumque oſtii latus erat, ſec. verſum 39. cap. 40. Et infra juxta ſcalas utrinque in ipſo atrio binæ ejuſmodi menſæ ſtabant. Uti vero undique in ſubſtructione, prout ante monui feneſtræ erant cellaria illuſtrantes, ita duæ proximæ earum juxta veſtibulum mutatæ erant in oſtia, ut extrinſecus ſtatim ex atriis acceſſus ad duo cellaria pateret juxta v. 38. pro lavandis aut recondendis holocauſtis. Hæc vero tantum videntur ad Portas meridionalem & ſeptentrionalem *fuiſſe*. Intra portam omnia ſe habebant uti in exterioribus, niſi quod ſolo adhuc $2\frac{1}{2}$ cubitis altius elevato, ſola ſuprema & ornatior ſubſtructio interius extaret, & thalami adeo 5. cub. in univerſum, & intrieſcus 4. alti evaderent, iterum eleganti proportione.

§. 2. Extra portas in lateralibus & elatioribus pavimentis varia conclavia erant, quorum omnium, diſpoſitionem & menſuras noverimus, ſi conſtet cap. 42. de hoc loco ſermonem haberi; quod Villalpandus quidem negat, nos vero manifeſte probabimus.

§. 3. Educitur igitur Propheta הדרך דרך חצפון *viam aquilonis*, hoc eſt viam aliquam verſus aquilonem אל--החצר החיצונה ad ſive ob contextum potius verſus atrium exterius, ad ædificium aliquod, cujus unum latus erat נגר הגזרה *verſus vel coram ſeparato*, alterum נגר הבנין אל--הצפון *coram ædificio ad Aquilonem*, hoc eſt coram ædificio ad aquilonem tendente jam deſcripto; quia abſolute ponitur, adeoque portæ aquilonaris; tertium vero verſus atrium interius, quarum verſus pavimentum atrii interioris, hoc eſt verſus porticum ejus juxta v. 3. c. 42. Ædificium vero cui hæc omnia competunt. præter turrem ♀ c h♂ nullum neque apud Villalpandum neque in mea deſignatione reperio. Ibi mentionem facit ſpatii, quod fuerit latum 50. Cubitos & longum 100. Cubitos; פתח הצפן Vulg. oſtii Aquilonis LXX. tantum πρὸς βοῤῥᾶν ad Aquilonem. Chald. e regione longitudinis erat porta una quæ patebat ad Aquilonem. Lu. inde ab oſtio Aquilonis, quæ verſionum differentia ſatis earundem prodit incertitudinem. Sed interpretationem verſus 7. cum 8. ejuſdem cap. ſuppeditabit, ubi dicitur murum hujus ſpatii fuiſſe 50. cubitos verſus atrium exterius longum, ſed 100. verſus interius. Dicam igitur quid hic ſentiam, deinde ulterius de demonſtratione ſollicitus ero. In nullo loco totius prophetiæ noſtræ inveniemus locum, ubi deſignetur templi ipſius locus. Porro definita quidem per atrium Meridionale fuit longitudo atrii ab una porta ad alteram, non vero latitudo uti fiebat in atrio orientali. A quo tamen neceſſario ad Septentrionale concludere non poſſumus, quia ſi modo conveniant Meridionale & Septentrionale, diverſa licet ab orientali, nihilominus ædificio conſtare poſſet Symmetria. Videtur ergo Sanctus Architectus breviſſimis hiſce dictis ab initio cap. ad v. uſque 9. definire primo locum templi. 2. Atriorum exteriorum Meridionalis & Septentrionalis latitudinem. 3. conclavium multitudinem, magnitudinem & diſpoſitionem. 4. Ædificiorum altitudinem, & hæc quidem omnia ſi ſitum & longitudinem latitudinemque ſpatii ♀ c. 3. 2. definiat. Hoc ſpatium verſus atrium interius ab oſtio Aquilonis 100. verſus exterius 50. cubitos patet. Erit ergo totum atrium exterius 100. latum & interius 150. cubitos longum. Quare ſatis cauſæ habeo cur legam cum Lu. in verſ. 2. ab oſtio Aquilonis. Hoc vero ſi admittatur, omnia facillima erunt, cum ſecus omnia, ſi non inexplicabilia, obſcuriſſima tamen ſint. Sed unum alterumque prius explicandum reſtat, v. g. Quomodo dicitur murus ille verſus atrium exterius longus fuiſſe 50. Cubitos, verſ. 7. quia cubicula eo vergentia etiam fuerint longa 50. cubitos v. 8. At enim hoc qui cum iis conſiſtere poſſit, quæ hactenus tam evidentia nec facile iterum removenda, diximus. Nam ſi cubicula juxta

pa-

parietem hunc 50. Cub. longa ſteterunt, ultimus eorum paries ſuper portam medius conſiſtet, contra Architecturæ quidem vel primas regulas. Sed hic obſervo, quod ſi cubiculorum longitudo hac ratione intelligenda eſſet, particula cauſalis, quia, nihil adeo magni momenti intenderet, quam alias verba etiam ſingula hujus Prophetiæ conſueverunt. Major emphaſis quærenda hic eſt. Nimirum definita alias nullibi ædificiorum altitudo eſt, nec veſtigium unde elici poſſit. Quid ſi hic indicaretur, & diceretur, quia cubicula alta ſunt 50. cubitos, quia etiam area cui inſiſtunt æque lata, ſed dupliciter longa, ergo murus etiam dimidius erit altitudinis æqualis, ut adeo ædificia hæc, quaſi corpora regulariſſima & rationibus huic ædificio propriis convenientiſſima eſſent, duobus quaſi cubis conſtantia uti areæ eorum duobus quadratis. Qua ratione etiam turres infra tectum perfectos cubos exhiberent, 50. Cubitos nempe altæ, longæ & latæ. Ut nihil dicam hinc omnem Symmetriam, & pulcherrimas templi ſtricte dicti menſuras proventuras eſſe.

§. 4. Porro verſus tertius cap. 42. obſcurus etiam non parum eſt נגד העשרים אשר לחצר הפנימי ונגד רצפה אשר לחצר החיצונה Vulgata; contra viginti cubitos atrii interioris, & contra pavimentum ſtratum lapide atrii exterioris.

LXX. Διαγεγραμμέναι ὃν τρόπον αἱ πύλαι τῆς ἐσωτέρας καὶ ὃν τρόπον τὰ περίστυλα τῆς αὐλῆς τῆς ἐξωτέρας.

Chald. e regione viginti cubitorum atrii interioris & e regione Aquilonis pavimenti illius, quod apertum erat ad atrium exterius. Lu. Viginti cubiti erant verſus interius atrium, & contra atrium exterius. Quoad verba, Vulgata cum Chaldæo Interprete proxime accedit Fonti, ſed qui ſenſus ſit verbis primo intuitu tam inexplicabilibus, ulterius diſpiciendum.

§. 5. Quia verſus hic verbo caret, neceſſario igitur alio referendus erit, inprimis cum plura verba in eo alias ſubintelligenda veniant. In verſu autem primo duo verba offendimus, *ducebat* & *erat*. Ad poſterius ſi referatur facillima eſſet explicatio, ſed Lu. adverſa. Attamen neque jure eo referri poteſt, quia interponitur verſus ſecundus, qui ſatis adeo indicat, jam recenſitas eſſe plagas, contra quas ſpectaverit ædificium illud. Referamus ergo ad verbum ducebat, ut ſenſus ſit, & duxit me in gazophylacium &c. & verſus viginti cubitos: qua ratione verſus noſter legeretur. Et duxit *verſus viginti* vel vicenos cubitos, *qui atrium interius, & verſus pavimentum* ſpectabant *quod Atrio exteriori* adjacebat. Nam certe viginti cubitos ipſi atrio interiori, qua ratione tribuere queamus non video, cum locus iis determinandus eſſet, peculiariter aliquid conſtituens & ad ſacros uſus ſpectans, adeoque memoratu juxta ſtylum Prophetiæ dignus. Licet autem ejuſmodi locus ſuppeteret, ſenſus tamen dicto ob commodi verbi abſentiam nondum conſtaret. Multo minus ulla via appareret ſequentia verba & ultima ejuſdem verſus interpretandi, quæ pro noſtra explicatione haud difficulter intelligemus. Ea ſunt.

אתיק אל-פני אתיק בשלשים

Vulgata: ubi erat porticus juncta porticui triplici.

LXX. Ἐστοιχισμέναι ἀντιπρόσωποι στοαὶ τρισσαί.

Lu. Et 30. Cubiti ab angulo ad angulum.

Coccejus. *Attik verſus Attik [poſtis contra poſtem] in tribus regionibus ſ. ordinibus.*

Chald. *Anguli contra angulos triplices*. Nimirum conclavia hic deſcribi ſequentes ſtatim verſus definiunt, quæ in ædificio 50. Cubitos lato vel profundo diſpoſita erant. Igitur primo ſupponendus hic murus utrinque eſt; Intra illos porro conclavia erant duplici ſerie, altera verſus atrium interius, altera verſus exterius ſpectante, quæ inter ſe ambulacrum neceſſario relinquunt, uti ſequens quoque verſus confirmat. Cum vero illa conclavia ſuper lateralia pavimenta portæ aquilonaris conſiſtant, prout oſtendimus, ut ambulacra illa lucem habeant in crucis formam diſponenda veniunt, in quatuor angulis clauſis conclavibus. vid. Fig. 3. Ibi verſus omnia latera jam poterimus menſurare tribus vicibus ab angulo ad angulum. Huc vero ſpectare videtur textus noſter hunc ſenſum obtenturus, ubi erat angulus ad angulum in tertiis partibus, quo ipſo ſimul indicarentur terna illa ſpatia, concinne ſimul oſtenſo, quod omnia ſpatia illa inter ternos illos angulos undique æqualia ſint, quæ omnia deinde, ubi Architectonice rem conſiderabimus clariſſime patebunt. Explicandus adhuc unicus antea locus erit. Quando verſu quarto dicitur. Et ad facies cubiculorum deambulatorium decem cubitorum latitudinis

אל-הפנימית דרך אמה אחת

Vulg. ad interiora reſpiciens viæ cubiti unius LXX. ἐπὶ πήχεις ἑκατὸν τὸ μῆκος, Jam vero, vulgata *ad interiora* putat de ambulatorio dici, quod obſcurum videtur, cum

clare non possit intelligi, quid sit ambulatorium decem cubitos latum, & viæ tamen, sc. viam habens cubiti unius. LXX. Interpretes verum quidem de ambulatorio dicunt, sed nescio an illud hoc loco exprimatur.

Celeb. Coccejus vertit, via cubiti unius scilicet erat, ad gazophylacia præter ambulacrum scilicet per illud spatium, quod inter ambulatorium & gazophylacium sub ostio erat, quod apprime ad nostram sententiam est, nisi quod hoc ipsum ex textu ipso non pateat, sed per explicationem demum deducendum sit. Quare ut sensus ex ipsius versus lectione pateat, cum ita legerem. Et ad facies cubiculorum erat 1. deambulatorium decem cubitorum latitudinis. 2. ad interius viæ 50. utrinque ad viam versus interius, cubitus unus. 3. denique ostia quæ patebant versus aquilonem.

§. 6. Jam describam conclavia hæc ubi juxta architecturam construenda hic loci necessario venirent, sine respectu ullo ad hactenus dicta. Nimirum patet, quod muri exteriores ædificiorum sint spissi 6. cubitos. Hisce si adnumeremus interiorem & exteriorem columnam proveniunt utrinque 8. cub. simul 16. ut a tota latitudine ædificii remaneant 34. cub. jam si porro duas medias columnas subtrahamus, quæ uti in portis ita undique per totum ædificium & porticus omnes numerandæ sunt necessario, restant 30. cubiti. Porro in pavimentis nostris lateralibus juxta portas liberæ ejusmodi columnæ 4. proveniunt, reliquis omnibus ad parietem consistentibus. Omnes autem columnas hasce faciamus quadratas & medias undique duas cum quatuor liberis exterius connectamus muro cubitum spisso, proveniet inde ambulacrum cruciforme 10. cubitos latum. Cubicula erant 12. cub. quidem lata, sed in angulis prominent pilæ vel columnæ quadratæ, quas omitti omnino impossibile esset. In iisdem ergo ab angulo ad angulum erant 10. cub. Ergo angulus hic ad angulum est, ubicunque & versus quamcumque plagam metiaris in tertiis partibus & quidem æqualibus, porro si connumeremus omnes conclavium mensuras erit paries 1. cub. conclav. 12. cub. murus exterior 6. cub. denique columna exterior 1. cub. summa 20. cubiti utrinque.

§. 7. Sunt adeo nobis 20. cub. qui respiciunt atrium interius, & alii qui respiciunt versus pavimentum atrii exterioris. Quicunque vero ad cubicula hæc per turrem prope templum ingreditur, procedit *versus viginti, qui atrium interius & versus pavimentum quod atrio exteriori*. Quo ipso uti nihil distinctius esse queat, ita nihil quoque demonstrationi ipsi ad summam certitudinem deesse spero, tam apte consentientibus duobus principiis nostris S. nempe Scriptura, & Architectura Civili.

§. 8. Ejusmodi quatuor conclavia utrinque juxta Portas interiores tres erant super pavimenta lateralia, uti patet ex v. 10. & 12. Conclavia autem ejusmodi distributa erant per tres contignationes, quoniamque duæ inferiores altæ satis sunt, ibi duplicia existebant, ut supra inferiores starent aliæ sed humiliores v. 5. 6. cap. 43. Architecturam quidem commodissime hac ratione componeremus, primo conclave altum 12. cub. Interstitium 1. cubiculum 108. & interstitium 2. pro infima contignatione. Porro conclave 8. cub. interstit. 1. cubiculum 5. Intersti. pro media contignatione. Denique 8. cub. Concl. & Interst. 2. cub. summa 58. cub.

§. 8. Restarent de Villalpandi dispositione dicenda, quæ omnino maxime coacta est. Sed quia hactenus jam valde prolixi fuimus, relinquemus illa præjudiciis libero Lectori dijudicanda, cum præcipue quæ hic dicenda forent, sine Villalpandi figuris intelligenda vix essent, quæ tamen paucis conspiciuntur. Præterea nobis contra eundem agendum satis prolixe capite sequenti erit.

CAPUT VI.

De Culinis Populi.

§. I.

DEscribuntur hæc cap. 46. v. 21. ad fin. Ante omnia autem hic Villalpandi conceptus inspicere opus erit, antequam proprios exponam. Latina vulgata quam ipse potissimum sequitur, ita de iis: v. 21. *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii, & ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii.*

§. 2. Hic Villalpandus primo atrii exterioris nomen in laxiori significatu vertit, quam hactenus Prophetæ usurpatum fuerat, ut significet complexum omnium atriorum

rum Iſraelis. Quod quidem æquo audacius mihi videtur. Nam ipſe alias optaverim veram & indubiam eſſe explicationem hanc Villalpandi. Etenim quatuor atria angularia noſtra evidenter demonſtrata haberemus, quæ mox deducenda prolixe & tantum dialectice erunt. Sed nolim niſi prægnanti ratione munitus pro lubitu meo verbis S. Scripturæ ſignificatus imponere: Jam vero ulterius per quatuor angulos atrii intelligit hæc ipſa quatuor Atria angularia, a, c. i, l. P. r. & y, β. Atriola vero non concipit inſtar ſpatiorum ſubdialium, ſed inter cryptoporticus ſubterraneos & quidem infra turres angulares, ita ut feneſtris extrinſecus ab utroque latere ex atrio mulierum accipiant lumen. Ubi tamen notandum, quod vox חצר hic iterum uſurpetur, ut diminutive ſumi vocabulum tantum ex contextu pateat. Illa vero in tota S. Scriptura cæterum loca tantum ſubdialia notat, & ab omnibus quos ſciam interpretibus ſic explicatur. Quare Villalpandus etiam parum circa explicationem hujus vocis moratur, & tantum obſcuriſſima quædam in medium profert, quæ tamen, ſi attente inſpiciamus parum ad rem facere videntur.

§. 3. Hæc atriola autem verſ. 24. vocantur *domus culinarum, in qua coquant miniſtri domus Domini victimas populi*. Jam Lector Benevolus conſideret Villalpandi Culinas, quæ primum tam remotæ ſunt a menſis holocauſtorum, ad quas tamen extra dubium pertinent, deinde fumum, qui propter victimarum multitudinem plurimus futurus erat, per feneſtras, ipſo Villalpando confitente emittunt verſus atrium mulierum ut non poſſit non candidiſſimus murus hinc nigris ſtriis ex longinquo etiam cernendis miſerrime defœdari ad ludibrium gentium ſi eo uſque acceſſus ipſis fuerit, & ad Dei Architecti manifeſtam contumeliam, cui tanta imperfectio tam confidenter tribuitur. Sed nititur adhuc Villalpandus in verſu 23. ubi dicitur. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola, & culinæ fabricatæ erant ſubter porticus per gyrum.

§. 4. Primo autem vox culinæ non illa ipſa atriola ſignificat, alias non demum verſu ſequenti explicarentur, quod ſint culinæ, ſiquidem hoc verſu jam dictum id eſſet. Significant itaque potius focos cum omnibus ad coquendum pertinentibus inſtrumentis, quæ culinæ nomine facile venire queunt. Quod vero dicatur ſubter porticus, neque illud probat, quod Villalpandus vult. Si enim maxime vox porticum notans in fonte exiſteret, ſubter aliquid tamen eſſe dicetur illud etiam quod inferius exiſtit juxta aliquid altius. Si igitur Villalpandus prout ſupra oſtendimus, ab ipſa Scriptura S. eas præſcribi, porticus ſuas *elevaſſet*, explicatio pro atriolis hic in promptu fuiſſet. Sed ne quidem dicitur ſubter porticus, ſed quæ vox ab initio verſus pro denotando pariete uſurpatur, hic repetitur, nempe טור quæ vox per ordinem vel ſeriem explicatur, adeoque proprie porticum non ſignificat, & melius hic contextu id jubente per parietem exprimitur. Subter parietem vero proprie culinæ eſſe non poterant, ſed ſolum humiliores juxta illum exiſtere. Imo ſi fœminina vox טורה quæ proprie hic uſurpatur, diverſa ab illa maſculina eſſe debeat, eo facilius obtinebimus, quia hæc ipſa vox penitius parietem exprimit; Idemque in fonte dicitur מתחת ab infra, ſive infra ad, quod accuratiſſime id quod volo exprimit.

§. 5. Adeoque ſatis conſtare puto, de Villalpandi ſententia, & quam parum illa S. Scripturæ & ibi delineato ædificio competat. Malo igitur in atrio exteriori inter portas ſeptentrionales ſito permanere. In eo ad quatuor angulos (vid. Fig. 3.) ſeligo ſpatia verſus meridiem 40. & verſus orientem 30. cubitos lata, & muro, ſubſtructionem tum forma, tum menſuris referente, cingo. Adeoque habeo quatuor Atriola, in atrii quatuor angulis juxta v. 21. menſuras juxta v. 22. habentia, quæ murus ambit per circuitum juxta v. 23. Hæc intrare jubetur Propheta, quia exterius introſpicere 7. cub. altus paries vetat, qui ibi infra ad muros invenit fabricatos focos, ſingulos ſuo apparatu inſtructos, ut culinarum nomine venire poſſint v. 24. Hæc igitur atriola dicuntur domus coquentium, commodiſſime quidem cum fumum in liberum aerem dimittant parum incommodi allaturum parietibus, & menſis holocauſticis adſtent quam proxime, ſuperius vero totum atrium liberum, & inferius ſpatioſiſſima ambulacra & elegantiſſima proportione inſtructa relinquant; nam ambulacrum ab una porta ad alteram latum remanet 40. cubitos, ut porta cum veſtibulis & oſtiis etiam quæ juxta ea ad cellaria ducunt, conſpici intra illud poſſit.

CAPUT VII.

De Atrio Interiori.

§. I.

IN medio igitur omnium horum ædificiorum ante templum extendebatur interius atrium quod satis demonstravimus versus occidentem ab oriente esse longum 150. cubitos. Dicitur autem cap. 40. v. 47. Atrium esse quadratum & 100. cub. tam longum quam latum. Ex quo apparet, quod atrium peribolo aliquo distinctum fuerit, ut pars reliqua versus occidentem 50. cubitos longa, & 100. lata sejungeretur pro templo. Ille ipse enim locus adhuc sanctior videtur esse ipso altero atrio, & ibi adorasse sacerdotes inter altare & templum. Hæc omnia adeo clara sunt. Porro autem in hisce atriis disponenda veniebant vasa sancta, quæ procul dubio adfuerunt, licet eorum nulla fiat mentio. Imo ipsa Salomonici templi vasa exactissime huc quadrant. Sic e. g. in atrio hoc circumfingimus fuisse pilas quadratas, tribus ordinibus columnarum in Atriis exterioribus æqualem altitudinem, & latitudinem 4. cubitorum habentes. Hæ subsistunt super substructionem superiorem, quæ sola in hoc atrio eminet 5. cubitos alta. Jam si consideramus sedilia ahenorum ænea; illa erant 4. cubitos lata undique & tres cub. alta. At enim ahena procul dubio erant hemisphærica, adeoque 4. cub. quoque lata, & 2. alta, adeoque hæc tota sedilia pilis latitudine, & altitudine exacte substructioni correspondent. Sic etiam mare aheneum fuit altum 5. cub. Ergo sedilia ejusmodi decem si disponamus in atrio ante templum, tot accurate ibi pilas offendimus quibus apponi inferius juxta substructionem queunt, quot ipsa numero sunt; quod omnino miror. Mare æneum vero pono in angulo, quem peribolus cum meridionali ædificio facit. Omnia ex 2. Paralip. c. 4. Quid in reliquo angulo fuerit non constat; quamvis non dubitem ibi etiam ob Symmetriam aliquid mari æneo simile adfuisse. Villalpandus ibi ponit Pluteum ligneum, Musach Sabbathi dictum, quem tamen ob materiam ibidem collocare non audeo. In medio hujus atrii sanctioris extat altare æneum, quod hic 16. cubitis tantum describitur, cum in primo templo definiatur 20. cub. latitudine. Sed quia hic fossæ necessario circumdantis nulla mentio fit, ideo etiam puto hic 20. cub. latum fieri debere. Qua ratione cum utrinque atrio remaneant 15. cubiti, illi apti erunt ad 15. gradus ante Templum & 30. ad altare construendos, qui orientem respiciebant vid. cap. 43. v. 17. Ita super scalam adoraturis spatium est inter vestibulum & altare, & ipsum altare ad facies templi ponitur, juxta v. 47. cap. 40. Hæc omnia quidem sanctius & commodius fiunt quam apud Villalpandum, qui hæc omnia in atrio Sacerdotum ponit, quod videtur rerum harum sanctitati adversari, quas procul dubio a laicis attingi nefas erat.

CAPUT VIII.

De Templo ipso & quidem 1. de vestibulo.

§. I.

DEnique templum attigimus cujus superatis aut 12. aut 15. gradibus, primo accedimus ad vestibulum. Ante omnia autem inspicienda figura 3. juxta textum continuo est, qua videmus templum cum adhærentibus ædificiis, aut cum separato, de quo mox etiam videbimus, atrium interius versus occidentem claudere. Totum parietem concipiemus distinctum 6. pilis, aut columnis quadratis 50. cub. altis, & 4. latis, unum vero extra parietem prostantibus. Mediæ ab invicem quoad contra 24. reliquæ 12. Cub. distant. Relinquunt adeo mediæ intra se 20. Cub. quot latum erat vestibulum. Totum hoc spatium simul 40. Cub. altum apertum est & pariete destitutum, decem vero cubitos interius, paries templi ipsius est, itidem 40. Cub. altus 20. latus. Adeoque vestibulum hic habemus, quale supra descripsimus, quodque Veteribus non solum ante privatas ædes sed ante templa quoque in usu erat, hic quidem communiter cum altero genere conjunctum. Vestibulum hoc jam Sacer Architectus metitur. Primo utrinque אל אלם Quod nulla plane versio cum Montano legit *postem vestibuli*. Lat. vulgata: *Et mensus est vestibulum*. Lu. und maß die Halle. LXX. In Codice Sixtiano quidem, τὸ αἰλ τοῦ αἰλὰμ sed alia exemplaria etiam legunt simpliciter τὸ αἰλάμ fortasse quia distincta accusativi nota non adest. Et fateor me aliis rationibus in eorum sententiam non parum trahi. Primo si postem hic metiamur, impossibile est conceptu qua ratione ostium vestibuli fuerit latum tres cubitos hinc & tres illinc eod. vers. Nam primo insueta esset sine necessitate hæc mensurandi ratio, cum necessario ostium ex medio versus ex-

trema

trema mensurandum fuisset, quod reliquorum ostiorum more, unica expressione 6. Cubitorum satis intelligeretur. Porro qua ratione vestibulum tam exilem portam habere potuerit ut simul & vestibulum dici possit, non comprehendo. Denique versus apertum atrium prægrandis templi facies parvo, & intra vestibulum contractior, majori janua aperiretur, deinde iterum in sanctissimo sequeretur angustior. Nam janua templi lata fuit 10. Cub. v. 2. cap. 41. Secundo crediderim postium latitudinem potius exprimi versu 1. cap. 41. præcipue cum hæc mensura hactenus demonstratis magnitudinibus atriorum exacte respondeat, illa penitus incommensurabilis & inconveniens sit, totam Architecturam hactenus tot argumentis probatam confusura.

§. 2. Quare locum hunc legi posse אלם (אלי i. e.) וימד אל *Et mensus est ad vestibulum* fere persuasus sum sic enim 2. Chron. 32. 30. ubi ponitur ויישרם pro ויישרם abjecto ex priori litera τῶ scheva, vocalis τοῦ jod in eam transfertur, jod ipso quiescente. Sæpius vero jod eliditur in S. literis, possibile igitur esset, utrumque simul fieri hic loci. Verum cum grammatici de hac re taceant, ego etiam pro hac sententia stare nolim, quantumvis probabilis sit.

§. 3. Hoc vero ita posito, facile versui nostro sensus constat. Nimirum sub vestibulo in fronte statim ponuntur duæ columnæ liberæ, procul dubio ad similitudinem columnarum æneorum templi Salomoniani juxta vers. cap. 4. ultim. Metitur igitur Sacer Architectus primo a poste vestibuli versus medium usque ad extremum columnæ 5. cubitos, deinde spatium quoque inter postem & columnam s. aperturam, [ubi iterum confirmatur, quod aperturam etiam in genere significet פתח) 3. cubitos unde concluditur spissitudo columnæ 2. cubitos. Architectura vero manifeste corroborabit hanc explicationem. Nam cum undique in atrio Sacerdotum ponamus pilas quadratas majores, ante portas tamen utrinque non possumus, nisi minores columnas ponere, exterioribus similes, atque adeo etiam a se distantes 12. cubitos, & in medio intra se relinquentes portæ spatium 10. cub. in vestibulo a poste ad finem columnæ sunt 5. Cubiti, utrinque ergo hic etiam relinquuntur 10. Cubiti juxta latitudinem tum portarum exteriorum, tum interioris templi aperturæ. Quia vero 2. Cub. pariter spissæ sunt, ab unius centro ad alterum proveniunt 12. cub. ad summam quidem & mirandam hujus ædificii elegantiam & perfectionem, versus facillimam explicationem, & cum sequenti conspirationem, ac denique Architecturæ consensionem. Hisce mensuratis ostenditur tota longitudo 20. & latitudo 10. cubitorum. Nam quod in textu undecim numerentur hinc est, ab initio postis præcipue latitudo numeranda est, quia vero basis ejus inferius projicitur ad latitudinem cubiti undique, ita requirente Architectura nostra, hinc in solo adjicitur cubitus exterius, qui etiam ad scalas, quarum juxta statim mentio fit referri potest. Hinc versus templum pergendo S. Architectus cap. 41. metitur postes hinc inde 6. Cubitos, nempe inferius ad basin [superius enim 4. cubitos habebant] v. 1. adeoque pervenit ad

II. *Templi Sanctum*.

Ibi primo januam mensurat 10. Cubitos latam, prout in templo Salomonis etiam fuerat, unde merito eam supponimus altam fuisse 20. Cubitos. Secundo quot hinc restabant adhuc utrinque parietis partes 5. cub. latæ. v. 2. ut adeo tota latitudo sit 20. cubitorum. Longitudo ædificii erat 40. cub. iterum uti in Templo Salomonis, unde concludimus etiam altitudinem fuisse 30. cub. nempe parietis undique. Sed huic super impositum fuisse fornicem supponimus ad dimidium Circuli accurate concavum unde tota templi cum suo tecto quasi altitudo 40. Cubitorum oritur. Hinc porro v. 3. offendimus.

III. *Sanctissimum*.

Ubi primo portam quoad latitudinem liminis & postium spissitudinem dimetimur duobus, ostium in lumine 6. cubitis & connumerata utrinque postium latitudine 7. Totum sanctissimum latitudine comprehendebat 20. cub. & totidem longitudine, imo procul dubio accurate cubicum adnumeratis pro altitudine non sine ratione 20. cubitis. Adeo omnia satis clara sunt quæ ipso templo dicuntur. Sed eo difficiliora sunt, quæ de conclavibus reliquis juxta illud legemus.

CAPUT IX.

De Conclavibus, & locis circa templum & ad templum pertinentibus.

§. I.

SI hæc juxta singula verba quibus describuntur rimari vellemus, hoc unicum caput tantum sibi paginarum vendicaret, quantum toti scripto destinavi. Singula

la enim verba cap. 41. a verſu 5. uſque ad 18. peculiari interpretatione opus haberent. Quare meos conceptus prius proponam ac deinde locis & ſcripturæ textibus probabo.

I. *De Gazophylaciis.*

Circa templum porticus erat duplici ſerie pilarum ſuſtentata, & anterius utrinque extenſa ſecundum totam atrii latitudinem. Intra ſeriem interiorem circumductus erat murus utrinque ita ut undique circa templum duos cubitos latus murum templi ſpiſſitudine augeret. Sic templi paries *6.* cubitos inferius Pilæ autem proxime cingentes, muro verſus templum addito ita connectebantur, ut circa templum porticus maneret, 4. cubitos lata, & ita murus eam ambiens, ubi pilæ erant, *6.* & inter eaſdem 5. cub. craſſus eſſet.

§. 2. Murus intrinſecus ille, per ſingulos 7. cubitos altitudinis utrinque marginem $\frac{1}{2}$. Cub. latum naciſcebatur, atque adeo verſus ſuperiora tenuior reddebatur. In 42. cub. ergo altitudinis quæ intra porticus erat, undique proveniunt 5. ſupra invicem margines. Hiſce trabes imponebantur, ſingulæ una cum tabulato impoſito cubitum ſpiſſæ, ut inter illas altitudo *6.* cubitorum relinqueretur. Quoniam vero infimum ſpatium 4. cubitos latum erat, quia a centro pilæ ad centrum 12. cubiti ſunt, reliqua ſubinde cubito latiora fiebant. Hæc vero ambulacra per feneſtellas lumen ex porticu recipientia in Gazophylacia diſtincta erant. Horum bina inter ſingulas pilas eleganter collocando & intra duas pilas in medio verſus occidentem ab invicem 24. cub. diſtantes, tria conſtituendo, ob mediam pilam deficientem quidem commodiſſime, obtinemus in circuitu templi triginta tria gazophylacia & illa quidem *6.* vicibus ſupra ſe invicem.

§. 3. Cæterum in pariete juxta veſtibulum templi cochleares ſcalæ includebantur ad eaſque aditus utrinque ex veſtibulo erat. Hæc omnia vero uti Architecturæ mire ſatisfaciunt, ita S. Scripturæ etiam ſatisfacere oſtendendum eſt.

§. 4. Nimirum expreſſe v. 5. הצלע ponitur 4. cubitorum. Significat autem, צלע coſtam vel latus, & metaphorice hic eleganter pro cellis ad latus templi adhibetur, quia ipſæ propter plura interſtitia ſua coſtas haud inepte repræſentant.

§. 5. Eadem vox 1. Reg. *6.* v. 15. & 16. eodem loco in uſum venit, quæ ratio aliis accedit, ut hunc quoque locum in noſtro templo ſimillimum eſſe credam.

§. *6.* Murus vero templi dicitur eſſe, *6.* cubitorum eodem verſu. Poſtea vero verſu *6.* teneri vel apprehendi cellæ iſtæ vel gazophylacia dicuntur בקיר אשר לבית לצלעות *in pariete qui domui vel ad domum ad coſtas.*

ולא יהיו אחזים בקיר הבית

& , vel ut non eſſent apprehenſæ in pariete domus. Ergo ab invicem ſeparatæ quaſi ſunt partes parietis illius. Verſu 8. vero videbimus parietem illum habuiſſe axillas, quo mire exprimuntur margines ſupra deſcripti. Tales vero minores latitudine pro ſuo fine facere non poſſumus quam $\frac{1}{2}$ cub. Atenim hoc ipſum obtinemus parietem illum fuiſſe 3. Cubitos ſpiſſum. Ut vero ex uno latere ſe res habebat, ita procul dubio ex altero quoque. Sed expreſſe dicitur fuiſſe 5. Cub. ſpiſſitudinem vel altitudinem הקיר אשר לצלע אל-החוץ parietis qui erat coſtæ ad extra. Hoc ipſo autem confirmatur ſententia noſtra, nam uti ad omnes parietes, ita ad hunc pilæ procul dubio unum proſtabant cubitum, tribus intra parietem latentibus. Hic igitur adjungendi ſunt 2. Cubiti ut totus paries 5. ſpiſſus eveniat.

§. 7. Altitudo Gazophylaciorum expreſſe dicitur fuiſſe מלו הקנה שש אמות אצילה pleno calamo ſex cubitorum ad axillam uſque penitus juxta noſtram delineationem. Cum vero margines parietis ſuſtineant trabes gazophylaciorum, quod nominis ipſis melius quam axillarum conveniret.


§. 8. Numerus tum gazophylaciorum tum ſerierum exprimitur verſu *6.* והצלעות צלע אל צלע שלוש ושלשים פעמים

Lat. vertit. Latera autem, latus ad latus bis triginta tria:


LXX. Καὶ πλευραὶ, πλευρὸν ἐπὶ πλευρὸν τριάκοντα τρὶς δὶς.


Chald. Tabulata autem, tabulatum ſuper tabulatum, triginta tria, undenam per ordinem Lu. Et gazophylaciorum eorum ad ſingula latera triginta tria erant.

Ab his omnibus explicatio mea penitus differt, quamvis & ipſæ inter ſe diſſentiant, præter Vulgat. & LXX. Deſignationi autem meæ omnes illæ commodius fere conveniunt, quam mea ipſa, interim tamen neſcio quid fieri de Hebræo textu deberet. Primo ו in fine hujus dictionis poſitum, caret puncto. Quo igitur referendum erit? Omnes quidem ad ſequentem vocem, ut Et denotet, ſed ſine τῷ Et, ſenſus idem manet, qui eo addito provenit, imo ſuperfluum videri queat. Imo ſequeretur porro vocem פעמים ad triginta tria pertinere. Sed bis vertere vocem



ABCD peripheria totius montis Sancti 12000 Cubb.
EFGH peripheria atrii Mulierum 4000 Cubb.
WXYZ porticus, qualis ab Herode extructa in Josepho recensetur.
HIKL Templum ipsum, atria Israelis et Sacerdotum comprehendens.





cem iſtam non audeo , quia ubi alias uſurpatur in ſacris literis , cum numeris adjunctis extat . Gazophylacia , Gazophylacium ad Gazophylacium , ſi triginta tribus vicibus fuiſſe dicamus , ſenſum dicti nullum invenio , niſi quod fuerint circa domum Gazophylacia unum juxta alterum , idque triginta tribus vicibus , ſed quis triginta tria Gazophylacia ſuper ſe aut juxta invicem ponere audebit ? Accedit quod Architectura mecum tam accurate iterum conſentiat . Nam ſi intra portam conſiſtebant Gazophylacia , non potuerunt plus altitudinis occupare, quam columnæ cum epiſtilio ſuo interius covenit h. e. 41. cub. Juxta ſcripturam ſacram quodlibet gazophylacium 6. cubitos altum eſt . Laquear ejus cum trabibus & tabulato ſuper impoſito non poſſumus aliter niſi 1. cub. ſpiſſitudine concipere , major enim menſura ſuperflua , minor debilior juſto eſſet . Computemus igitur 6. gazophylacia , & 5. interſtitia , nam ſupremum communi porticus tecto uteretur , proveniunt accurate 41. Cubiti . Cœterum lubens hic ſententiam mutabo , ubicunque minima tantum ratio in contrarium ex ipſo textu fontis adducetur . Sic ſi , ו , per ſex interpretari ideo non liceat , quia numerus hac ratione expreſſus in tota ſacra ſcriptura amplius non occurrit , etiamſi conſequentiam nondum comprehendam , cum alias Maſorethæ extraordinaria ſemel tantum in S. textu occurrentia notent, facile dixerim hic τὸ vicibus quaſi aliquot vicibus intelligendum eſſe. Hæc ſufficiant de Gazophylaciis. Scalæ enim v. 7. ſatis diſtincte indicatæ , inferius fortaſſe ulterius lucis aliquid accipient. Quod vero hæc Gazophylacia inter porticum fuerint primo patet ex v. 12. collato cum v. 9. & 10. ubi dicitur הבנין hoc eſt ædificium , (ſtructuram variis partibus contectam, qua ratione melius exprimitur columnarum fabrica in porticu quam per murum) fuiſſe 70. cubitos latum verſus occaſum, & quidem ædificium quod erat אל-פני הגזרה ad faciem ſepoſiti tabulati vel ſeparati. Per quod certe nihil aliud intelligi poteſt quam ſtructura gazophylaciorum , quam a pariete domus ſeparatam fuiſſe antea audivimus. Si vero hic paries templi occidentalis fuit 70. cubitos latus, ratio facilis eſt cur dicamus hanc ipſam quoque ædificii latitudinem fuiſſe. Hac vero ratione ſpatium intra parietem adhuc ante gazophylacia utrinque fuiſſe conſtat, quoniam templum cum univerſo utrinque ſeparato plures quam 52. cub. non comprehendit. Sic ab ortu verſus occaſum templum una cum ſeparato longum fuit 88. cub. totum vero ædificium longum fuiſſe 100. Cubitos dicitur v. 13. Quare apparet ipſum illud ædificium a facie ſeparati vel gazophylaciorum ab iis diſtitiſſe.

§. 9. Quod Architectura eo magis confirmat quia numeri omnes ipſi egregie conveniunt . Indubia hæc plane ſunt . Sed addemus locum adhuc unicum, quem plane ſententiam meam demonſtrare dixerim niſi diſtinctiones in ſacra ſcriptura impedirent quam evitandarum litium ergo improbare nolim, præſertim veritate jam dum patente , licet rationes, fortaſſe non parum ſpecioſæ adeſſent dubitationis . Nam dicitur , v. 8. juxta verbalem Pagnini verſionem ; *Et vidi domus altitudinem , undique undique fundamenta coſtarum pleno calamo ſex cubitorum axillæ . Latitudo parietis , qui coſtæ ad extra , quinque cubitorum , & quod derelictum domus appendicum quod intrinſecus . Et inter cubicula , latitudo viginti cubitorum circuitu domus circumcirca .* Hic primo non video , quid velint ſibi verba : *& vidi domus altitudinem undique undique* ; verba vero : *Et quod derelictum domus appendicum , quod intrinſecus* . Neque certe cum priori parte verſus cohærent ullo modo , neque per ſe plenum ſenſum conſtituunt . At facillima lectio erit ſi hac ratione vertamus & diſtinguamus textum :

Et vidi ad domum || altitudinem undique undique fundamentorum | τῶν gazophylaciorum |
וראיתי לבית || גבה סביב סביב מיסדות | הצלעות |

pleno τῷ calamo | ſex cubitorum | ad axillam uſque || latitudinem τοῦ parietis qui |
מלו הקנה | שש אמות | אצילה || רחב הקיר אשר |

juxta collum ad extra | quinque cubitorum || Et quod derelictum gazophylaciorum |
לצלע אל־החוץ | חמש אמות || ואשר מנח בית צלעות |

quod juxta locum | & inter hæc loca | latitudinem viginti cubitorum ||
אשר לבית | ובין הלשכות | סביב עשרים אמה ||

in circuitu ad domum undique undique ||
סביב לבית סביב סביב ||

Ut ſenſus adeo hujus loci facillimus ſit. *Et vidi ad domum ſequentes menſuras; primo altitudinem undique fundamentorum in gazophylaciis* quæ *pleno calamo* erant *ſex cubitorum* , *ad axillam uſque* ſingula : ſecundo : *Latitudinem parietis qui gazophylacia ab extra* circundabat *quinque cubitorum* : Tertio ſpatium , *quod relictum* erat *loco gazophilaciorum* , *quod* porro *juxta* hunc *locum &* quod *inter bina loca* parieti cedebat, horum inquam ſimul ſumtorum *latitudinem viginti cubitorum* .

§. 10.

§. 10. Hac explicatione primo explicamus partem alteram versus 9. Secundo quid hic sit inter cubicula. Nam inter cubicula & gazophylacia viginti cubitos esse, dici non poterat, quia gazophylacium unum ad alterum erat. De area vero subdiali juxta templum illa verba intelligere nimis est evagari. Tertio eleganter hic versus cum 12. conciliatur. Ac denique Architecturæ plenarius sensus iterum obtinetur. Non ausim tamen explicationem istam meam facere, non solum ut controversiam difficillimam de auctoritate accentuum Scripturæ Hebrææ, sed etiam imprudentis audaciæ notam evitem, quam merear, nisi distinctionem majorem sacri textus hactenus receptam immutare erubescam. Malo igitur ignorantiam meam hic loci confiteri imprimis postquam veritas mearum thesium jam secus apertissima est.

II. *De latitudine & longitudine Templi universa & de Cœnaculo.*

Si in parte occidentali numeremus, primo in medio 20. Cubitos templi, deinde utrinque 4. pro muro porro 20. quos utrinque pro pilis, & insuper 1. pro basibus earum, ac denique pro substructione utrinque cubitum, habebimus 80. cubitos. Jam supponentes parietem, inter medias pilas 2. Cub. spissimum huic addamus exteriorem cubitum pilæ cum binis cubitis baseos & substructionis, spatium quod parietis totius spissitudo occupat, provenit 5. cubitorum utrinque, penitus ad vers. 12. tenorem, & juxta eundem interius pro latitudine totius ædificii manent 70. cubiti.

§. 10. Ædificium hoc versus occidentem longum quoque dicitur 90. cubitos. Hæc vero longitudo altitudinem necessario significat, qui quidem significatus hic loci novus non est. Ex quo concludimus supra templum adhuc loca vacua fuisse, ut ibi commodissime concipiamus, aut cœnaculum aut cœnacula, præsertim si turrim iterum supra vestibulum elevatam fuisse supponamus.

§. 11. Anterior & orientalis latitudo templi cum omnibus adhærentibus asseritur 100. cubitorum fuisse, evidentissime v. 14. Ut adeo necessario anguli hujus ædificii angulos turrium utrinque attigerint.

Denique si numeremus, 10. cubitos, latitudinem vestibuli, 2. pro templi pariete orientali, 60. pro templo. 4. pro muro occidentali 20. pro porticu Gazophylaciorum, & denique pro pariete ejus 4. juxta pilarum crassitiem, provenit longitudo templi cum adhærentibus 100. Cubitorum juxta vers. 13.

III. *De Cellariis circa templum.*

Si ædificia circa templum cum Villalpando 50. Cubitos lata faceremus ad similitudinem reliquorum, quæ in atriis sunt, templum a porta occidentali cum iis connecteretur, cumque certo connectatur cum iisdem anterius versus meridiem & Aquilonem. Utrinque angustissima atriola relinquerentur juxta templum, ad maximum ejus dedecus.


§. 12. Sed situm templi nostri & figuram tam evidenter demonstravi, ut ob levem hanc ratiunculam mutari nequeant. Deinde, cum omnes partes offenderimus in nostro templo, quæ in Salomoniano fuerunt, restant adhuc cellaria, quæ commodius quam circa templum distribuere non possumus. Nam probabile est, templum quoad omnia ædificia sua plane distinctum, & quasi separatum fuisse ab ædificiis atriorum. Ergo loco ædificiorum illorum, aliis templum cingimus, quæ tantum 36. Cub. profunda sint, & in conclavia distinguimus quæ singula totam latitudinem occupent interiorem, & duplici serie in 50. cubitis altitudinis tantum sibi invicem imponuntur. Hac ratione symmetriam hisce ædificiis ad reliqua atriorum & ad ipsum templum exquisitissimam conciliamus, & atrium satis spatiosum circa tria latera templi continuum obtinemus.

Epilogus.

Ita vero pro instituti hujus ratione satis puto descripsisse templum Ezechielis, speroque demonstrationes additas ejusmodi esse, ut facile infringi nequeant. Si vero Lectorem Benevolum mihi hæ qualescunque lineæ lucrentur, animus est Divini Numinis gratia opitulante, non adeo longo forsan ab hinc tempore, pleniorem templi descriptionem adjunctis figuris & numero & evidentia sufficientibus in lucem publicam edere, & ubique potissimum eo respicere, ut quod fieri hic non poterat & Architectis & Grammaticis satis fiat. Deo autem Ter Optim. Ter Maxim. pro assistentia sua benignissima sub hisce laboribus, gratias devotissimas immolo.

F I N I S.

I N-



INDEX CAPITUM

OPUSCULORUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

JO: BUXTORFII

Historia Arcæ Fœderis.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

THEODORI HASÆI

DISSERTATIO

De Lapide Fundamenti.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

JO: BUXTORFII

DISSERTATIO

De Manna.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

LEONHARDI CHRISTOPHORI STURMII

SCIAGRAPHIA

Templi Hierosolymitani.

SECTIO I.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

SE-

SECTIO II.

Qua templum juxta Ezechielis visionem ordine describitur.